947
2.468

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y ESCOLAR
PALENCIA

R. P. FERDINANDI
DE

CASTRO PALAO,

LEGIONENSIS SOC. IESV,

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS,
Et ſanctæ Inquiſitionis Qualificatoris & Conſultoris;

OPERIS MORALIS,

DE VIRTVTIBVS, ET VITIIS CONTRARIIS,
In varios Tractatus, & Diſputationes Theologicas diſtributi,

PARS TERTIA,

DE VIRTVTE RELIGIONIS, ET EI ANNEXIS;

Continens quatuor Tractatus Theologiæ Moralis præcipuos. Primus, in ordine decimuſquartus, de Iurameuto, & Adiuratione. Secundus, de Voto. Tertius, & charior Authori, de ſtatu Religioſo. Quartus, de vitiis oppoſitis Religioni.

DVPLICI INDICE ILLVSTRATA;
Vno Tractatuum, Diſputationum, & Punctorum; altero Rerum præcipuarum.

NOVISSIMA EDITIO PRIORI AVCTIOR, ET EMENDATIOR.



BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PERÚ

LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN,
& GVILLIELMI BARBIER.

M. DC. LXIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS, ET APPROBAT.



INDEX
TRACTATVVM, DISPVTATIONVM, PVNCTORVM ET PARAGRAPHORVM,

QVI IN HAC TERTIA PARTE DE VIRTVTIBVS, & vitiis contrariis continentur.

TRACTATVS XIV.

De virtute Religionis, qui est de iuramento.

DISPVTATIO I.

De natura, & essentia iuramenti, & vitiis contrariis.

QVID sit iuramentum: vbi expenditur latè eius definitio. *Punct.* 1.
Quotuplex sit iuramentum, & de eius differentia. *Punct.* 2.
Quæ personæ iurare possunt, tam in iudicio quàm extra. *Punct.* 3.
An iuramentum sit actus licitus, & honestus. *Punct.* 4.
Quod peccatum sit defectus veritatis, iustitiæ, & iudicij in iuramento assertorio. *Punct.* 5.
Quale peccatum sit in iuramento promissorio defectus veritatis, & iustitiæ. *Punct.* 6.
Quod peccatum sit in iudicio, vel extra, iuramentum Præstare in alio sensu ab eo, quem alius intelligit. *Punct.* 7.
Vtrùm iuramentum fictum, tam in iudicio, quam extra, peccatum sit mortale. *Punct.* 8.
Quando consuetudo peccandi grandem culpam inducat. *Punct.* 9.
Qua ratione liceat tibi inducere aliquem ad iurandum, quem tamen existimas esse peieraturum, vel per falsos Deos iuraturum. *Punct.* 10.
Quæ pœnæ sint impositæ periuro. *Punct.* 11.

DISPVTATIO II.

De iuramenti promissorij obligatione, & firmitate.

Qualis, & quanta sit iuramenti promissorij obligatio. *Punct.* 1.
Vtrùm iuramentum dolosè præstitum obligationem inducat. *Punct.* 2.
Vtrùm iuramentum per iniuriam exactum obligationem inducat. *Punct.* 3.
Vtrùm iuramentum metu extortum obligationem inducat. *Punct.* 4.
Vtrùm iuramentum dolo, vel errore præstitum validum sit, & obligatorium. *punct.* 5.
Quæ materia requisita sit in iuramento promissorio, vt obligationem inducat. *Punct.* 6.
Expenduntur aliqua iuramenta, in quibus dubium est, qualis sit eorum materia. *Punct.* 7.
De iuramento non ludendi. §. 1.
De iuramento non mutuandi, nec fideiubendi, nec emendi auctiori pretio, nec vendendi minori. §. 2.
De iuramento non accusandi, nec denuntiandi delinquentes. §. 3.
De iuramento à Medicis præstito monendi infirmos, vt confiteantur. §. 4.
De iuramento decurionum, Scribarum, & aliorum iudicum. §. 5.
De iuramento facto contra prius iuramentum, votum, seu promissionem, qualiter obliget. §. 6.
Qualiter iuramentum de materia per legem prohibita obligatorium esse possit. *Punct.* 8.
An iuramentum habeat vim confirmandi contractus alioquin inualidos. *Punct.* 9.
Quid sit, iuramento firmare contractus. §. 1.
Quale debeat esse iuramentum confirmatorium contractus. §. 2.
Quos contractus irritos facere iuramentum possit. §. 3.
Expenditur casus relatus in Authentica, *Sacramenta puberum.* Cod. *Si aduersùs venditionem.* §. 4.
Expenditur casus relatus in cap. *Cum contingat.* & cap. *Licèt mulieres,* eod. tit. in 6. §. 5.
Expenditur casus relatus in cap. *Quamuis pactum,* de pactis, in 6. §. 6.
An iuramentum habeat vim confirmandi contractus factos contra prius iuramentum. §. 7.
Vtrùm tanta sit obligatio iuramenti, vt non detur locus compensationi. *Punct.* 10.
Vtrùm obligatio iuramenti ita sit personalis, vt nullo modo transeat ad hæredes, vel successores. *Punct.* 11.
An iuramentum per Procuratorem præstari possit. *Punct.* 12.
An iuramenti obligatio, antequàm præstetur, impediri possit. *Punct.* 13.
Qua ratione iuramentum interpretandum sit. *Pun.* 14.
Qualiter iuramentum dubium interpretandum sit. *Punct.* 15.

DISPVTATIO. III.

De iuramenti relaxatione, irritatione, & commutatione.

Quæ iuramenta in honorem Dei præstita irritari, relaxari, commutative possint, & à quibus. *Punct.* 1.
Quæ iuramenta in favorem hominum præstita irritari possint, vel remitti, & à quibus. *punct.* 2.
An in Ecclesia sit potestas relaxandi iuramenta homini præstita. *punct.* 3.
Qualiter iuramenta appositа contractibus, in quibus dolus incidit, possint à Iudice Ecclesiastico relaxari. *punct.* 4.

Quæ requirantur, vt Iudex iuramenti iniquè extorti relaxationem concedat. *punct.5.*
Quis superior remittere, aut relaxare potest iuramenta homini præstita. *punct.6.*

DISPVTATIO IV.

De adiuratione.

Quid sit adiuratio, quotuplex, quæ eius conditiones, & qualiter ab oratione, & iuramento differat. *punct.1.*
An adiurationis sit aliquod præceptum. *punct.2.*
Qui adiurare, & adiurari possint. *punct.3.*
Quis modus seruandus sit in adiuratione Dæmonis. *punct.4.*

TRACTATVS XV.

Virtutis Religionis, qui est de Voto.

DISPVTATIO I.

De essentia Voti, & illius obligatione.

Quid sit votum. *punct.1.*
An propositum exequendi rem honestam in cultum Dei, sufficiat ad votum. *punct.2.*
An promissio vera requiratur ad votum, vel sufficiat simulata. *punct.3.*
Quæ deliberatio, seu libertas ad votum necessaria sit. *punct.4.*
An metus impediat libertatem requisitam ad votum. *punct.5.*
Qualiter error, vel ignorantia impediat voti libertatem, & consequenter eius valorem. *punct.6.*
An votum soli Deo faciendum sit. *punct.7.*
Quæ materia Deo, & Sanctis offerri per votum possit. *punct.8.*
Qualiter votum debeat esse de bono possibili. §.1.
Qualiter votum debeat esse de re bona, & honesta. §.2.
Qualiter votum de re honesta ob finem malum, vel indifferentem, validum sit. §.3.
An votum possit esse de rebus præceptis. §.4.
Qualiter votum debeat esse de meliori bono. §.5.
Vtrùm emissio voti, illiúsque executio, sit actus à religione elicitus. *punct.9.*
Quotuplex votum sit. *punct.10.*
Quæ, & qualis sit voti obligatio. *punct.11.*
Qualiter votum obliget, cùm eius materia determinata non est. *punct.12.*
Pro quo tempore votum obliget ad sui executionem. *punct.13.*
An votum non impletum tempore designato, desinat obligare. *punct.14.*
Vtrùm obligatio voti ita personalis sit, vt solum vouentem adstringat, ab ipsóque solo impleri possit. *punct.15.*
An obligatio voti transeat ad hæredes. *punct.16.*
Qualiter votum conditionale obliget. *punct.17.*
Qualiter votum pœnale obligationẽ inducat. *pun.18.*
Quæ personæ voto obstringi possint. *punct.19.*
Vtrùm obligatio voti cesset, cessante causa, ob quam factum est, vel notabili mutatione superueniente. *punct.20.*
Quale peccatum sit obligationem voti violare. *pun.21.*

DISPVTATIO II.

De Voti relaxatione.

Quid sit irritatio, quotuplex, & vnde ortum habeat. *punct.1.*
Quibus competat propria, & directa potestas vota irritandi. *punct.2.*
Ad quæ vota irritatiua potestas extendenda sit. *pun.3.*
Extendatúrne potestas irritandi ad vota interna, & futura. §.1.
An extendatur irritatiua potestas ad vota emissa ex licentia Superioris. §.2.
An irritatiua potestas extendatur ad vota emissa tempore subiectionis, neque tunc irritata. §.3.
An extendatur irritatiua potestas ad vota emissa tempore subiectionis: implenda tamen subiectione dissoluta. §.4.
An extendatur irritatiua potestas ad vota emissa tempore, quo vouentes erant sui iuris. §.5.
An extendatur irritatiua potestas ad vota executioni mandata, & ad promissiones humanas, & ad vota realia defuncti, quæ in hæredes transierunt. §.6.
Qualiter, & quando irritatio concedi possit. *punct.4.*
Qualiter vota seruorum possint domini irritare. *pun.5.*
An omnia vota vxoris possit maritus irritare, & è contra. *punct.6.*
Qualiter parentes, tutores, curatores irritare vota possint filiorum, pupillorum, & minorum. *punct.7.*
Quæ & qualiter Religiosorum vota irritari possint. *punct.8.*
Qualiter dispensatione obligatio voti cesset. *punct.9.*
Qui potestatem habeant ordinariam dispensandi, & in quæ vota. *punct.10.*
Quæ vota castitatis, religionis, & peregrinationis reseruata sint, expenditur. *punct.11.*
An sint aliqui casus, in quibus Prælati inferiores possint dispensare in votis reseruatis. *punct.12.*
Quibus competat, & in quæ vota potestas delegata dispensandi. *punct.13.*
An qui potestatem habent dispensandi, possint vota commutare, vel è contra. *punct.14.*
Cuius authoritate, & ex qua causa vota commutari possint. *punct.15.*
Qualiter gaudentes potestate tantùm commutandi vota, eam exercere possint. *punct.16.*
An commutatio facta in æqualem, vel minorem materiam, valida sit, extinguátque prioris voti obligationem. *punct.17.*
An commutatione legitima extinguatur prioris materiæ obligatio, ita vt ad eam reditus non sit. *punct.18*

TRACTATVS XVI.

De statu religioso.

DISPVTATIO I.

De essentia religiosi status, & de eius susceptioni præmittendis.

In quo essentia status religiosi consistat, & vnde originem duxerit. *punct.1.*
Quotuplex sit status religiosus. *punct.2.*
Ad quid, & quando obligat votum Religionis assumendæ. *punct.3.*
Qualiter votum Religionis assumendæ obliget ad perseuerandum in habitu assumpto. *punct.4.*
An votum Religionis impediat matrimonij, sponsaliorúmque contractum, obligétque ad castitatem seruandam. *punct.5.*
An voto Religionis satisfacias Episcopatu assumpto. *punct.6.*
Qui possint Religionem ingredi. *punct.7.*
An Episcopi, & Parochi à Religionis ingressu arceantur. §.1.
Qualiter impuberes, seu filiifamilias, & serui impediantur à Religione. §.2.

Qualiter

Punctorum, & Paragraphorum.

Qualiter coniuges impediantur à Religionis ingreſſu. §. 3.

An obſtricti debitis,& ratiociniis reddendis ſuſcipere habitum religioſum poſſint. §.4.

Qualiter filius ob parentum, vel fratrum neceſſitatem à Religione impediantur. §.5.

An ob paupertatem Monaſterij excludantur aliqui à Religionis ingreſſu. §.6.

Qui ſpecialiter à Religione Soc. Ieſu excludantur. *punct.* 8.

Expenduntur primaria,ſeu ſubſtantialia impedimenta. §.1.

Expenduntur ſecundaria impedimenta à Societate aliqualiter excludentia. §.2.

Quæ conditiones ſeruandæ ſunt in Religionis ingreſſu, vt validus, & licitus ſit. *punct.*8.

Quibus obligationibus teneatur Nouitius ex Religionis ingreſſu. *punct.* 9.

Quæ ſint priuilegia Nouitiis conceſſa. *punct.*10.

Qualiter Nouitiatus peragendus ſit,vt licita, & valida ſit profeſſio. *punct.*11.

Sitne annus probationis ſimpliciter neceſſarius in omni Religione. §.1.

An probationis annus debeat eſſe integer, & continuus. §.2.

A quo tempore Nouitatus computandus eſt. §.3.

Quæ conditiones ſeruandæ ſunt,vt Nouitiatus legitimè fiat. §.4.

An nouitiatus in Societate Ieſu diuerſam conditionem habeat à Nouitiatu aliarum Religionum. *punct.*12.

De diſpoſitione ſuorum bonorum,quam Nouitius via teſtamenti facere debet. *Punct.* 13.

De diſpoſitione bonorum, quam Nouitius renunciatione,ſeu donatione facere poteſt, ſecluſo iure nouo Trident. *Punct.*14.

An ſpectato iure communi, & ſecluſo Trident. bona Nouitij decedentis ante profeſſionem debeantur Monaſterio ſucceſſionis capaci. *punct.*15.

Quid dicendum ſit de renuntiatione facta iure Trident.ſpectato. *punct.*16.

Quid dicendum de renunciationibus, obligationibus, & donationibus factis à Nouitiis Ieſuiticis.*pun.*17.

DISPVTATIO II.

De ſuſceptione religioſi ſtatus per profeſſionem, eiuſque priuilegiis.

Quibus modis profeſſio ſtatum religioſum conſtituens fieri valeat, & an in Societate Ieſu dari poſſit tacita profeſſio, ſeu interpretatio per vota biennij *punct.* 1.

Quæ conditiones ſeruandæ ſunt ex parte profitentis, vt profeſſio valeat, & an eædem ſint ſeruandæ in Soc.Ieſu,in votorum ſcholarium emiſſione.*punct.*2.

Expenditur conditio ætatis, & Nouitiatus ad profeſſionem requiſita. §.1.

Qualiter profeſſio libera debeat eſſe,& abſque errore. §.2.

Declaratur libertas à ſeruitute requiſita. §.3.

Expenditur libertas à matrimonij vinculo requiſita ad profeſſionem. §.4.

Explicatur libertas à vinculo Epiſcopalis dignitatis requiſita ad profeſſionem. §.5.

De neceſſitate parentum impediente profeſſionem. §.6.

De aliis conditionibus ex parte profitentis ad profeſſionem requiſitis. §.*vlt.*

Quæ ſint conditiones requiſitæ ex parte illius, qui ad profeſſionem, & incorporationem in Societatem admittere debet. *punct.* 3.

An ſi profeſſioni deficiat aliqua ex ſubſtantialibus conditionibus, aliquem effectum & obligationem inducat. *punct.*4.

Qualiter profeſſio nulla ratificari poſſit, & rata eſſe cenſeatur. *punct.*5.

An in Soc.Ieſu eſſe poſſit ratificatio profeſſionis, vel incorporationis inualidæ. *punct.*6.

Qualiter inualidè profeſſis,ſeu in Societate incorporatis liceat Religionem deſerere,& aduersùs illam reclamare. *punct.*7.

Quos effectus habeat religioſa profeſſio, & biennia in Soc. Ieſu incorporatio. *punct.*8.

DISPVTATIO. III.

De obligationibus religioſi ſtatus, caſtitatis, & paupertatis.

Qualiter Religioſus obligetur caſtitatis voto.*punct.*1.

Quo dominio,& vſu rerum priuetur Religioſus,præcipuè Soc.Ieſu,voto paupertatis. *punct.*2.

Quo iure bona, de quibus Religioſus ante profeſſionem non diſponit,tranſeant in Monaſterium.*pun.*3.

Quæ bona Religioſi, de quibus ante profeſſionem non diſpoſuerat, tranſeant in Monaſterium, vel ad hæredes pertineant. *punct.*4.

Vſusfructus qualiter Monaſterio competat. §.1.

Qualiter annuum legatum peculium filiifamiliâs, ius patronatus, & ius retractus in Monaſterium tranſferatur. §.2.

Qua iter maioratus, feudum, & emphyteuſis tranſeant in Monaſterium. §.3.

Qualiter fideicommiſſum Monaſterio comperat. §.4.

An hæreditas, & legatum Monacho poſt profeſſionem delatum, deferatur ipſi immediate, an Monaſterio. *punct.*5.

An legatum relictum Monacho ſub conditione, ut ad ipſum pertineat independenter à Superiore, validum ſit, & firmum. *punct.*6.

An Religioſis licitum ſit habere peculium ex Superioris licentia. *punct.* 7.

An quælibet Religio capax ſit hereditariæ ſucceſſionis. *punct.*8.

An quælibet Religio capax ſit cuiuſlibet legati,& donationis ſibi factæ. *punct.*9.

Qualiter Religio Soc.Ieſu, eiuſque Religioſi, capaces ſint hæreditariæ ſucceſſionis ex teſtamento, vel ab inteſtato,& cuiuſvis legati. *punct.*10.

Qualiter Societati Ieſu, eiuſque Religioſis interdictum ſit pro Miſſis, concionibus, aliiſque miniſteriis ſtipendia recipere. *punct.*11.

Qualiter Religioſis profeſſis interdictum ſit teſtamentum condere. *punct*12.

Qualiter profeſſis habentibus deſcendentes,vel aſcendentes legitimos, licitum ſit teſtari, & bona inter diuidere. *punct.* 13.

An patre profeſſo debeatur ſtatim filiis legitima. *punct.* 14.

An Religioſis validè contrahat abſque Superioris facultate,obligentúrque ipſe,& cum ipſo contrahentes ſtare contractui. *punct.*15.

An Monaſterium ex delicto Religioſi & ex eius contractibus obligetur. *punct.*16.

An ex vna Religione ad illam tranſiens poſſit deferre bona priori Religioni acquiſita. *punct.*17.

Bona acquiſita durante profeſſione prioris Religionis tecum deferre non potes. §.1.

An bona,quæ tecum Religioni detuliſti, poſſis deferre Religioni poſteriori aſſumptæ. §.2.

An Religio teneatur alere Religioſum expulſum,fugitiuum,vel recluſum alia Religione. *punct.*18.

Cui acquirat Religioſus recluſus, fugitiuus, eiectus,

Episcopus factus, vel beneficiarius. *punct.* 19.
Quale peccatum sit violare religiosam paupertatem, & quibus modis. *punct.* 20.
Qua acceptione, & retentione paupertatis votum violetur. *punct.* 21.
Qua distributione, & dispensatione pecuniæ, votum paupertatis violetur. *punct.* 22.
Quæ licentia Superioris excuset subditum à paupertatis transgressione. *punct.* 23.
Quæ pœnæ impositæ sint violantibus paupertatem. *punct.* 24.

DISPVTATIO IV.

De voto religiosæ obedientiæ.

Religiosa obedientia quid contineat, ac de malitiis in violatione obedientiæ, & transgressione Regulæ contentis. *punct.* 1.
Cui Prælato ex voto obedientiæ parere Religiosi debent, & qualiter ipse debeat præcipere. *punct.* 2.
An ex voto obedientiæ tenearis sub mortali, vel veniali seruare omnia contenta in Regulis, & constitutionibus Religionis: & qualiter ad perfectionem attendere debeas. *punct.* 3.
An Prælatus regularis possit subditis præcipere quamcumque rem honestam, siue sit infra, siue supra Regulam. *punct.* 4.
An possit obligari ad relinquendam subiectionem debitam in statu assumpto. *punct.* 5.
An Religiosis interdicta sit habitus suæ Religionis dimissio, & sub qua pœna. *punct.* 6.
Qualiter interdicatur religiosis viris à suo Monasterio egressus. *punct.* 7.
Qualiter fœminis interdictum sit in Monasterium virorum religiosorum ingredi, ipsisque Religiosis eas admittere, & sub quibus pœnis. *punct.* 8.
Qualiter Monialibus interdictus sit è suo Monasterio egressus. *punct.* 9.
Qualiter ingressus in Monasteria Monialium sit prohibitus. *punct.* 10.
Quæ sint personæ, quibus ingressus in Monasteria Monialium interdictus est. §. 1.
Qui possint licentiam dare ad ingressum in Monialium Monasteria, & qualiter hæc licentia concedenda sit. §. 2.
Quæ causa necessaria sit ad prædictam licentiam concedendam. §. 3.
Quæ pœnæ impositæ sint ingredientibus Monialium clausuram. §. 4.
Qualiter accessus ad Monialium, Monasteria sit prohibitus, & sub qua pœna. *punct.* 11.
Qui actus iudiciales, & qualiter Religiosis interdicantur. *punct.* 12.
Qualiter officium Iudicis, & assessoris interdicatur Religiosis. §. 1.
Qualiter Religioso prohibitum est esse actorem, vel reum in iudicio. §. 2.
Qua ratione Religioso prohibeatur officium Aduocati, Procuratoris, Tabellionis, & testis. §. 3.
An supradicta officia Iudicis, Actoris, Rei, Aduocati, Procuratoris, Tabellionis, & testis, pro quorum licito vsu licentiam Superioris diximus requiri, nulla sint, & irrita, si absque ea licentia fiant. §. 4.
Quæ actiones extraiudiciales sint Religiosis specialiter interdictæ. *punct.* 13.
De executione testamenti, seu vltimæ voluntatis. §. 1.
De officio Medici, & Chirurgi. §. 2.
De negotiatione Religiosis interdicta. §. 3.
De fideiussione, & depositio Religioso interdictis. §. 4.
De venatione, alearúmque ludo Religiosis interdicto. §. 5.
De gradu literarum Doctoris, & Magistri, an sit Religiosis interdictus, & quid in Soc. Iesu. §. 6.
De officio tutoris, & curatoris Religiosis interdicto. §. 7.
De electione sepulturæ Religiosis interdicta. §. 8.
Quibus pœnis subiiciatur Religiosus delinquens à Prælatis Regularibus puniendus. *punct.* 14.
An Religiosus ita obligatus sit Superiorum sententiis obedire, vt nullo modo ei permittatur appellatio. *punct.* 15.
Qualiter Religiosis fuga à Religione interdicta sit, & sub qua pœna. *punct.* 16.
Quam obligationem habeat Religio reuocandi fugitiuos, & apostatas, soluendique expensas tempore fugæ factas. *punct.* 17.
Quam culpam committant, quámque obligationem contrahant, & quibus pœnis subiiciantur cooperantes ad fugam, & apostasiam. *punct.* 18.
An Religiosus professus iustè à Religione expelli possit, & ob quam causam. *punct.* 19.
Qualiter Religiosi Societatis ad sæculum dimitti possint. *punct.* 20.
An Religiosus expulsus teneatur ad Religionem redire, reditúmque procurare. *punct.* 21.
An ejectus à Religione, si in ea non recipiaris, tenearis, vel possis aliam Religionem ingredi, vel compelli possis ad illius ingressum. *punct.* 22.
An Religiosus expulsus, cui non permittitur reditus ad propriam Religionem, teneatur ad obseruationes regulares. *punct.* 23.
An Religiosus factus Episcopus votis, & præceptis Religionis teneatur. *punct.* 24.
Qualiter Regularis promotus ad parrochialem Ecclesiam, votis Religionis, & illius obseruantiis teneatur. *punct.* 25.
Qualiter Religiosis interdictus, vel concessus sit transitus ex vna in aliam Religionem. *punct.* 26.
An Religio eo ipso quòd est perfectior, sit strictior. §. 1.
An ex Religione minus perfecta liceat ad perfectiorem transire, esto laxior sit quoad corporis afflictiones. §. 2.
Quæ conditiones seruandæ sint in transitu ad Religionem perfectiorem, vt licitus, & validus sit. §. 3.
An defectus supradictarum conditionum reddat professionem in strictiore Religione nullam. §. 4.
Quousque liceat transitus ad Religionem laxiorem, vel æqualem, iure communi spectato. §. 5.
Quousque spectatis Religionum priuilegiis, liceat transitus ad Religionem strictiorem æquè, vel minùs strictam. §. 6.
Quæ prohibeantur Religioso, etiam legitimè in aliam Religionem translato. *punct.* 27.

DISPVTATIO V.

De obligationibus, & votis statui religioso annexis, illorúmque relaxatione.

Expenditur obligatio tribus substantialibus votis annexa ingrediendi Societatem. *punct.* 1.
Expenditur secunda obligatio annexa Professis, & coadiutoribus spiritualibus de speciali cura in puerorum educatione. *punct.* 2.
Quæ sit obligatio, quam contrahunt Professi Societatis ex speciali voto obedientiæ Summo Pontifici. *punct.* 3.
Qualiter obligentur professi trium, & quatuor votorum, ad paupertatem non relaxandam. *punct.* 4.
Qualiter professi Societatis obligentur intra Societatem

tatem non ambire prælationem. *Punct. 5.*
Qualiter obligentur professi Societatis, nullam prælationem, nec dignitatem extra Societatem prætendere, eámve acceptare, quin à Summo Pontifice obligentur. *Punct. 6.*
Qualiter Professi teneantur ambientes manifestare. *Punct. 7.*
Quam obligationem Religiosus Societatis in Episcopum assumptus habeat audiendi Præpositi Generalis consilium, illudque sequi. *Punct. 8.*
Expenduntur præcepta, quibus omnes Religiosi Societatis adstringuntur. *Punct. 9.*
De relaxatione status religiosi. *Punct. vlt.*

TRACTATVS XVII.

De vitiis oppositis Religioni.

DISPVTATIO I.

De superstitione, eiusque speciebus.

Vnde superstitio dicatur, quid sit, quotuplex, & quàm graue peccatum. *Punct. 1.*
Quid sit idololatria, & quale peccatum. *Punct. 2.*
Quid sit diuinatio; quotuplex, & quale peccatum. *Punct. 3.*
Qua ratione diuinatio per astra absque expressa inuocatione Dæmonis, licita sit. *Punct. 4.*
Quousque diuinatio per somnia licita esse possit. *Punct. 5.*
Quousque diuinatio per sortes licita sit. *Punct. 6.*
Quousque diuinatio ex elementis, ex animalibus, ex dispositione proprij corporis, aliisque rebus licita esse possit. *Punct. 7.*
Quid sit vana obseruatio, quotuplex, & quale peccatum. *Punct. 8.*
Quæ possint à Dæmone secundùm eius virtutem fieri. *Punct. 9.*
Declarantur magicæ superstitiones, quousque illicitæ sint. *Punct. 10.*
An licitum, vel obligatorium sit, tollere maleficia, seu effectus per maleficia comparatos. *Punct. 11.*
An licitum sit à malefico petere, vt maleficium maleficiis dissoluat, si ad id paratus sit. *Punct. 12.*
Quæ sint pœnæ diuinatoribus, sortilegis, & maleficis impositæ, & quæ illorum obligatio. *Punct. 13.*

DISPVTATIO II.

De tentatione Dei, blasphemia, & sacrilegio.

Quid sit tentatio Dei, quibus modis cotningat, & quale peccatum. *Punct. 1.*
De blasphemia, vitio Religioni opposito. *Punct. 2.*
Quid sit blasphemia. §. 1.
Quale peccatum blasphemia sit. §. 2.
Quotuplex blasphemia sit, & quibus modis contingat. §. 3.
De obligatione blasphemi, & audientium illum, & de eorum Iudice. §. 4.
De pœnis blasphemo impositis, vel à Iudice imponendis. §. 5.
De sacrilegio, crimine Religioni opposito. *Punct. 3.*
Quid sit sacrilegium, & quotuplex. §. 1.
Explicatur supradicta diuisio sacrilegij. §. 2.
Quale peccatum sacrilegium sit. §. 3.
Quæ pœnæ sacrilegis sint impositæ, vel imponendæ. §. 4.

DISPVTATIO. III.

De Simonia, crimine Religioni opposito.

Quid simonia sit, & qua ratione Religioni opponatur, & an semper sit peccatum mortale. *Punct. 1.*
Quotuplex sit simonia. *Punct. 2.*
Quæ habeant rationem pretij, ad constituendum simoniam. *Punct. 3.*
De contractu emptionis, & venditionis requisito ad simoniam. *Punct. 4.*
Sitne aliqua donatio gratuita, vel onerosa, temporalis pro spirituali, iure Ecclesiastico prohibita sub specie simoniæ. *Punct. 5.*
Quæ voluntas requiratur, & sufficiens sit ad simoniam, *Punct. 6.*
An Sacramenti venditio excusari possit à simonia. *Punct. 7.*
Quâ ratione Sacramentalium venditio simoniam constituat. *Punct. 8.*
Vtrùm exercitium cuiusuis virtutis vendi possit absque simonia. *Punct. 9.*
An vendi possit exercitium cuiusuis scientiæ absque simonia. *Punct. 10.*
An labor repertus in operibus spiritualibus, & obligatio ad illa pretio compensari possit absque simonia. *punct. 11.*
Vtrùm venditio actuum pertinentium ad iurisdictionem Ecclesiasticam interni, & externi fori sit simonia. *punct. 12.*
An beneficium Ecclesiasticum vendi possit absque simonia. *punct. 13.*
An ius patronatus, & officia Ecclesiastica vendi, alienarique possint absque simonia. *punct. 14.*
Quæ permutatio in causis spiritualibus fieri possit absque simonia. *punct. 15.*
Posítne ex consensu Ordinarij in permutatione beneficiorum compensari fructum inæqualitas pecunia, vel pensione absque simonia. *punct. 16.*
Quæ renuntiatio beneficio sit simonia. *punct. 17.*
Quæ resignatio confidentialis simonia sit. *punct. 18.*
Quæ pactio licita sit ad componendam litem in causis beneficialibus. *punct. 19.*
Qua ratione redemptio vexationis licita sit in beneficiis. *punct. 20.*
Quæ sint pœnæ ferendæ, vel ipso iure impositæ simoniacis. *punct. 21.*
An requiratur, simoniam esse completam, vt pœnas impositas ipso iure simoniacus contrahat. *punct. 22.*
Quæ pœnæ impositæ sint ingredientibus simoniacè Religionem, vel sic ingressos recipientibus. *punct. 23.*
Quæ pœnæ imponantur pro Ordine simoniacè dato, & suscepto. *punct. 24.*
De pœnis impositis dantibus, & recipientibus simoniacè beneficium. *punct. 25.*
An acquisita per simoniam debeant restitui. *punct. 26.*
Quomodo simoniæ crimen probari possit, vt simoniaci puniantur, & condemnentur. *punct. 27.*
De potestate dispensandi cum simoniacis. *punct. vlt.*

APPROBATIO M. FR. DOMINICI VELEZ, ex Auguſtiniana familia.

ACcuratè vidi hoc Opus Sapientiſſimi Patris Ferdinandi de Caſtro Palao Legionenſis, decreto Domini, Domini Ildefonſi Flores de Valdez, apud Salmanticenſes collegas Sancti Pelazij Rectoris, & in hac Metimnenſi Abbatia pro Domino Epiſcopo Valliſoletano Generali Vicario, mihi commiſſum. In eo Author obuia pertranſiens, difficiliora & minùs trita diligenter congeſſit, digeſſit vtiliter. De aliorum placitis graue iudicium, quod fert proprium, forti ratione tuetur: Vtrique foro neceſſarius liber eſt: & qui improbo non pepercit labori. Et ita pollet acumine, vt cuilibet, qui poſſit occurrere, caſui præſcius occurrat. Quapropter opus ſuo Authore dignum, & quod in tot, necnon tantorum librorum multitudine, qui de hiſce materiis agunt, ſanè deerat. Metimnæ del Campo, in Conuentu S. Patris N. Auguſtini, die 28. menſis Iulij, Anni 1630.

Fr. DOMINICVS VELEZ.

Facultas Domini Vicarij Metimnenſis.

VIſa hac cenſura P. M. Fr. Dominici Velez Ordinis S. Auguſtini, cui examinandum commiſimus librum, dictum: *Opus morale, de Virtutibus & Vitiis contrariis, Tertia Pars*; à P. Ferdinando de Caſtro Societatis IESV, in Collegio Metimnenſi Rectore, elaboratum: Facultatem concedimus, vt in communem vtilitatem typis mandetur, præmiſſis iis quæ Hiſpaniæ iura præſcribunt. In quorum fidem, hoc noſtra, & infrà ſcripti Vicarij manu ſignatum, inſtrumentum dedimus. Metimnæ del Campo, die 29. menſis Iulij, Anni 1630.

Licentiatus ILDEFONSVS FLORES DE VALDEZ.
De mandato Vicarij Metimnenſis,
PETRVS DE AVENDAÑO.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS Societatis IESV in Prouincia Caſtellana.

EGo Gaſpar de Vegas Præpoſitus Prouincialis Societatis IESV in Caſtellana Prouincia, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Mutio Vitelleſchi Præpoſito noſtro Generali, facultatem facio, vt Tomus Tertius de Virtutibus & Vitiis contrariis, à Patre Ferdinando de Caſtro Palao noſtræ Societatis, Sacræ Theologiæ Profeſſore compoſitus, & eiuſdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Metimnæ 8. Iulij, Anni 1630.

GASPAR DE VEGAS Prouincialis.
IOANNES DE LIGANA Scc.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in ſacra Theologia Doctor, Cuſtos ſanctæ Crucis, in Eccleſia Lugdunenſi, & in hac Diœceſi Vicarius Generalis ſubſtitutus Domini, D. Alphonſi Ludouici du Pleſſis de Richelieu, Eminentiſſimi Cardinalis Archiepiſcopi & Comitis Lugdunenſis: fidem facimus, nos hanc Tertiam Partem Operis Moralis de Virtutibus & Vitiis contrariis, in varios Tractatus & Diſputationes Theologicas diſtributam, à R. P. Ferdinando de Caſtro Societatis IESV compoſitam, euoluiſſe, omniáque in ea iuxta Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ, Sanctorumque Patrum ſanam doctrinam ſumma cum eruditione, ſingularis ingenij acumine, & eximia mentis perſpicuitate expoſita comprobata eſſe. Lugduni, Non. Ianu. 1635.

DEVILLE.

NOs quoque ſubſignati Doctores Pariſienſes, fidem eandem facimus, & atteſtamur omnibus ad quos quomodocunque ſpectabit, præfatam Tertiam Partem Operis Moralis de Virtutibus & Vitiis contrariis, in varios Tractatus & Diſputationes Theologicas diſtributam, à R. P. Ferdinando de Caſtro Societatis IESV compoſitam, vidiſſe, & nihil in ea reperientes fide indignum Catholica, vt in lucem ederetur dignum iudicaſſe. Lugduni, in Conuentu S. Bonauenturæ, die 4. menſis Februarij, Anni Domini 1635.

Fr. DESIDERIVS RICHARD,
Guardianus præfati Conuentus.
Fr. BERNARDINVS MOLIASSON.

OPVS

OPVS MORALE
DE VIRTVTIBVS, ET VITIIS CONTRARIIS,
TERTIA PARS.
De virtute Religionis, eíque annexis.

TRACTATVS XIV.
DE VIRTVTE RELIGIONIS, Qui eſt de Iuramento.

IVRAMENTVM inter externos actus Religionis enumeratur; quia eſt honeſta cum Deo locutio, illiúſque diuini teſtimonij imploratio. Quadruplici diſputatione hunc Tractatum abſoluemus. Prima explicabit naturam, & eſſentiam Iuramenti, & vitia contraria. Secunda obligationem Iuramenti, & confirmationem eius in contractibus, aliíſque actibus humanis. Tertia eius relaxationem, irritationem & diſpenſationem continebit. Quarta aget de adiuratione.

DISPVTATIO I.

De natura & eſſentia Iuramenti & vitiis contrariis.

PVNCTVM I.

Quid ſit iuramentum; vbi expenditur latè eius diffinitio.

SVMMARIVM.

1 *Vnde Iuramentum dicatur.*
2 *Definitur Iuramentum.*
3 *Qualiter ſit inuocatio diuini numinis, non enunciatio.*
4 *Proponitur obiectio ex inuocatione falſorum Deorum, & ſit illi ſatis.*
5 *Qualiter inuocatio creaturarum iuramentum contineat.*
6 *Explicatur textus in cap.* Et ſi Chriſtus, *de iureiurando.*
7 *Expenduntur verba quæ Iuramentum contineant. Et quæ non.*
8 *Examinatur qualiter poſſit eſſe voluntas inuocandi Deum in teſtem, cum falſum iuratur.*
9 *Comparatione Dei ſolo actu voluntatis, & intellectus inuocari Deus in teſtem poteſt.*
10 *Finis iuramenti eſt fidem facere, vel promiſſionem firmare.*
11 *Proponitur quædam obiectio & ſit illi ſatis.*

1. SI Iuramenti Ethymologiam ſpectemus; à iure dicitur, quia tanquam ius habendum eſt. Paſſim in Scriptura, & apud Iuriſtas, Theologos, Latinóſque auctores iuſiurandum appellatur; eo quòd veritas iuramento firmata ita firma conſiſtere debet, quaſi ſi iure ipſo firmaretur. Vocatur item Sacramentum quatenus eſt ſignum diuini teſtimonij, quod in Iuramento adducitur iuxta caput. *Qui Sacramento 22.q.4.c.Non eſt,c.Non peierabis eadem cauſa, & q.* & Authentica *Sacramenta puberum, C. ſi aduerſus venditionem.*

2. Iuramentum definitur; *vt ſit inuocatio diuini numinis, ad fidem faciendam vel promiſſionem firmandam.* Sic D. Thom. ab omnibus recept.22.q.89.a.1.*Inuocatio* ponitur loco generis; quia etiam per orationem Deus inuocatur. *Ad fidem faciendam, vel promiſſionem firmandam* ponitur loco differentiæ. Nam oratio eſto inuocet Deum; non illum inuocat, vt dictis orantis fidem faciat; ſed potiùs vt eius poſtulata concedat. Valen.22.*diſp.6.q.7.punct.1.in fine.* Sanch. *lib.3.in Decalog.c.1 n.1.* Bonac.*tom.2.diſp.4 q.1.punct.1.in principio.*

3 Dicitur *inuocatio* non enunciatio; nam enunciare Deum teſtem eſſe omnium, non eſt iuratio, ſed quædam euidens propoſitio, ad fidem vel ſcientiam naturalem pertinens. Eſt inuocatio diuini numinis. Quia cum ſolus Deus ſit, qui nec fallere; nec falli poteſt; ſolus ipſe in Iuramento inuocatur, vt fidem faciat, vel promiſſum infallibiliter firmet, & ſecurum omninò reddat eum, cui iuratur de veritate.

4 Dices, Ethnici falſos Deos inuocant, vt eorum dictis auctoritatem præſtent. Ergo Iuramentum non eſt ſola veri Dei inuocatio. Et confirmatur, ex textu in *c. Mouet 10 22. quæſt.1.* vbi Auguſtinus affirmat, violantem Iuramentum factum

ctum per falsos Deos periurum esse, & grauiter peccare.

Respondeo, inuocationem falsorum Deorum non esse verè & propriè Iuramentum; sed in Ethnicorum existimatione; existimant enim diuino testimonio veritatem confirmare, cum tamen non confirment. Quod satis est, vt periuri censeantur, & grauiter peccent, si Iuramentum violent; sicuti grauiter peccat violans præceptum, & votum quod credit habere; cum tamen non habeat. Et sic est explicandus, textus in dicto cap. *Mouet.* & textus in cap. *Ecce.22. q.5.* casu quo lapis ille, per quem ibi iuratur idolum sit.

Sed vrgebis, si falsorum Deorum inuocatio verum Iuramentum non est, nullam ex religione obligationem habebis illud obseruandi. Consequens autem videtur falsum; quia hac via tollitur humana communicatio, & contractuum firmitas.

Respondeo; verum esse tale Iuramentum nullam contractibus firmitatem concedere. Quod enim nihil est, nec proprietatem, nec qualitatem habere potest. Vndè si ex se irriti sunt, & nulli ex vi talis Iuramenti; cum nullum sit firmari non possunt. Quapropter, si Ethnicus suum errorem cognosceret, illo Iuramento, quatenus tale est, non tenebitur; & à fortiori non teneretur Christianus sic iurans. Non enim ex virtute religionis teneri potest Iuramento. Quod neque est Iuramentum, sed potiùs verò Iuramento illiúsque cultui, & religioni contrarium. Tenebitur tamen stare promissis ex fidelitate; quia hæc suam non amittit firmitatem ob Iuramentum obiectum. Sic Suar. *tom.2.d. religione tract.4.lib.2.de Iuram. cap.5.n.7.* Molina *tom.3.de Iustitia 1.p.disp.579. n.13.* Sanch. *aliis relatis lib.3. in Decalog.c.2.n.5.* Lessius *lib.2. de Iustitia c.42.n.5.* Bonacin. *tom.2.disp.4.q.1.n.2.*

Quod si quæras; an iurans per falsos Deos peccatum committat? Respondeo per se grauissimum committere, si seriò iuret. Siquidem honorem proprium Dei dæmonibus, vel rebus insensibilibus defert. Sic omnes Doctores. Dixi, *si seriò iuret*, nam si ioco, & absque animo iurandi, verba Iuramenti per falsos Deos proferat, idque audientibus constet, non videtur graue peccatum esse; quia est irrisoria locutio; tametsi ab ea abstinendum. Bonacin. *tom.2.disp.4 q.1.punct.1.n.2.*

5 Obicies secundò; sæpè Iuramentum fit per creaturas tam insensibiles quam rationales; iurans inquam per cœlum, per terram, per solem, & lunam, per sanctos in cœlo regnantes, per Sacramenta Ecclesiæ, & eius Sacrificium, & similia. Ergo Iuramentum non est solius Dei inuocatio. Deinde *in cap.* Et si Christus *de iureiurando*, dicitur nunquam Deum per Creatorem prohibuisse iurare, sed per creaturam, *ne* (inquit textus *per huiusmodi Iuramentum transferretur ad creaturam honorificentia Creatoris.* Supponitur ergo dare posse Iuramentum inuocando creaturam absque inuocatione Creatoris.

Respondeo dupliciter Deum inuocari posse, tacitè vel expressè; expressè inuocatur, cum in seipso inuocatur, vt si dicas *iuro Deum, testis sit mihi Deus.* Tacitè inuocatur cum non in se, sed in alio inuocatur, & in exemplis relatis contingit, cum iuras per cœlum, terram, aliáque insensibilia in testes; quia ea, quæ cognitione carent, testes esse non possunt; sed inuocas Deum ad quem ipsa referuntur, quique in ipsis splendet? Sed nunquid quoties iuras per creaturas censeris per Deum iurare? Respondeo censeri; si creaturæ sint, in quibus specialiter diuina bonitas, potentia, misericordia, aliudve diuinum attributum splendet; secus verò si creaturæ sint ita viles, & abiectæ, vt earum inuocatio, potius ludibrium, & iocus censeatur, quam seria diuini numinis inuocatio, vt si diceres iuro per hanc vestem, per meam barbam, per capillos, per musças, lac, quod suxi. Sanch. *lib.3. in Decalog. cap.2. num.10.& 35.* Quæ autem creaturæ sint, in quibus Deus censeatur specialiter elucere, quarumque inuocatio contineat, vel non contineat diuini numinis inuocationem; ex vsu, & consuetudine desumendum est. Quia alia via explicari satis non potest: aliquibus tamen exemplis postea subiiciendis manifestabitur.

At debes aduertere aliquando te posse creaturas inuocare in testes secundum earum scientiam, & dignitatem, & non quatenus ad Deum referuntur; quod solum habet locum in creaturis rationalibus veritatem cognoscentibus, v.g. in Angelis & sanctis in cælo regnantibus, quia ipsi soli testes esse possunt; sed nullatenus inuocantur, vt testes, infallibiles. Quia esset blasphemum; cum nulli creaturæ infallibilitas conuenire possit, eáque de causa earum inuocatio secundum hanc considerationem Iuramentum non est, sed quædam humanæ, vel Angelicæ testificationis imploratio & honoratio. Sic Suarez *tom.2.de Relig.tract.4.lib.1.de iuram.c.13.n.23.* Sanch. *lib.3. in Decal.c.2.n.25.* Azor. *1. p. lib.11. cap.13.q.1.* Clauis Regia *lib.5.c.1.* Bonac. *tom.2.disp.4.q.1.punct.1.à n.3.*

Hinc respondemus ad cap. *etsi Christus.* Prohibuit námque Christus Dominus specialiter Iudæis Iuramentum per creaturas, non quia per ipsas, vt ad Deum relatas verè iurari non posset; siquidem eius honestas Iure Canonico, & Ciuili probata est, *c. qui peierat.22. p.5. & l. qui per salutem ff. de iure iurando.* Sed ob periculum, quod Iudæi illo tempore habeant sistendi in illis, & eas tanquam testes infallibiles adducendi. Nam vt ait D. Hieronym. *c.5. Matth.* Iudæi iurantes per creaturas honore & obsequio diuino illas venerabantur. Eáque de causa *in cap. Clericum 22.quæst.1.* dicitur clericum acerrimè esse obiurgandum si per creaturas iuret, & si in vitio perstiterit esse excommunicandum, Nullo tamen modo ex illo *cap. etsi Christus*, colligitur Iuramentum esse posse absque inuocatione diuini numinis? imò potius in eo affirmatur iurantem per cœlum, per terram, per templum & per proprium caput, iurare per Deum, cum cœlum dicatur thronus Dei, & terra scabellum pedum eius.

Adde specialiter prohibuisse Christum Iudæis, iurare per creaturas, & non per creatorem. Quia putabant Iudæi Iuramentum factum per creaturas, quæ eorum commodis non seruiebant nullius esse considerationis; neque obinde esse obligatos, vt constat ex *Matth.23.* à quo errore intendit eos Christus liberare, & idem intendit Innocentius tertius in *d. cap. etsi Christus* dicens, & quamuis non sit per creaturam iurandum; si tamen iuretur per creaturam seruandum est Iuramentum; dummodo sit licitum quod iuratur. Quia teste veritate qui iurat in Cœlo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum. Fit ergo quodcumque Iuramentum inuocationem diuini testimonij tacitè, vel expressè continere debere.

Sed vt clarius doctrina innotescat, expendamus formulas Iuramenti, quæ communiter circumferuntur, ex illísque cognoscemus, quando Deus in testem inuocatur. Verba enim illa, *iuro per Deum, testis sit mihi Deus, testem inuoco Deum viuum.* Clarum est Iuramentum continere. Idem est de his *Voueo Deo, vel ego tibi Deo promitto.* Hispane *Yo ofrometo a Dios*, nam licet votum significent, si in rigore sumantur; at attenta consuetudine Iuramentum sonant. Et idem est de illis. *Sicut credo in Deum ita est.* Ex communi vsu fides Dei, vel potius Deus vt in fide splendet in testem adducitur. Et à fortiori, si dicas per *fidem Christi, per fidem Dei.* Simile iudicium faciendum secundum est de his, *per meam animam, per meam vitam, per salutem meam, vel alterius, per cœlum, per templum Dei, per habitum D. Petri, S. Franciſci per ordines sacros, per Sacramenta.* Quia in iis omnibus Deum specialiter lucere & inuocari communis vsus testatur. Ad idem est si dicas, *sic Deus me adiuuet, moriar statim: Dæmon me arripiat si ita non est*; Hic loquendi modus hunc sensum facit, si mea dicta vera non sint Deus, quem in testem inuoco nec me in vita conseruet, nec me adiuuet, sed potius mori faciat æternísque cruciatibus addicat. Hæc enim omnia vt testantur communiter Doctores, Iuramenta sunt, & cum illa profers, iurare censeris.

Alia è contra sunt verba quæ ex communi modo loquendi accepta non continent diuini testimonij inuocationem; ac proinde nec sunt Iuramenta vt si diceres. *Per fidem meam, in fide boni viri, in bona fide iurata, in fide Christiani, religiosi, Sacerdotis*; Hæc enim omnia hunc sensum faciunt iuxta fidem, quæ adhibenda est homini probo, Religioso, Sacerdoti, hoc ita est; idem est, si dicas, *in mea Conscientia, seu per meam Conscientiam*: denotas enim te loqui iuxta id quod scis, & cognoscis, imò si absolutè proferres. *Iuro*, & ibi sisteres absque diuini nominis inuocatione non censeberis iurare? siquidem depressio linguæ, & vltra non progressio clarè indicat te noluisse nomen Domini inuocare, ipsumque in testem adducere. Sic Suar. *tr.3.de Relig.lib.1. de iuram. cap.13. n.4.* Sanchez *in Decal.lib.8.cap.2.n.5.* Bonacin. *tom.2. disp.4.q.1. punct.1. in fine*, Quod tamen intelligendum est nisi ex adiunctis aliud obligatur. Nam si interrogatus de Veritate sub iureiurando, Responderes *iuro ita esse.* vel *iuro in forma iuris*, sine dubio esset Iuramentum; quia tunc verbum *Iuro*, satis esset determinatum, Sanch. *&* Suar. *suprà*, Hinc à fortiori constat non esse Iuramentum si verbo *Iuro* addatur aliquid distrahens à sua rigorosa significatione vt. *Iuro a tal, iuro a diez. iuro a mi: iuro a quien soy*, sic supradicti Doctores, Sanch. *n.39.* Bonac. *p.1.n.7.* Idem est, si diceres absque necessitate *iuro por Vida de quanto puedo iurar.* nam cum per nihil iurare possis absque necessitate per nihil censeris iurare. Aliàs si in illis verbis Iuramentum contentum esset, blasphemè iurares illa verba vsurpans, nam æquiualerent his, *iuro per vida de Dios.* Quia per nihil aliud iurare potes: sic Sanch. *cap.2.num.23.* Ad idem est, si dicas *iuro por esta cruz.* non signata cruce, ex eo enim quod crucem non signas reputaris intentionem non habere iurandi. Sanchez *n.27.*

Alia item sunt verba indifferentia, quæ aliquando Iuramentum continent; aliquando non: quod ex intentione proferentis, & modo quo proferuntur, pendet. Hæc sunt si dicas, *coram Deo ita est; Deus scit, & videt hoc ita esse, Deus mihi testis est.* Si enim ea proferas inuocatiuè, sine dubio sunt Iuramenta. At si ea proferas enuntiatiuè, enuntians Deum scire, cognoscere, & esse testem illius rei, ac in eius præsentiæ

fieri,

fieri, nullo modo sunt Iuramenta. Emanuel Saa. *verbo iuramentum, num.* 1. Suarez *tom.* 2. *de Religione, tractat.* 4. *lib.* 1. *de iuramento, c.* 13. *num.* 18. Sanch. aliis relatis *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *n.* 10. Bonacina *tom.* 2. *disput.* 4. *quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 2. eamdem æquiuocationem sentit Petrus de Ledesm. *tom.* 2. *sum. tract.* 11. *cap.* 2. *dubio* 1. & ex parte consentit Suarez *lib.* 1. *de iuramento, cap.* 13. *n.* 8. purificari illa verba, *viuit Deus, Deus est veritas quòd hoc ita sit*; si enim ea solum enuntiatiuè proferres affirmando Deum, qui est viuens, & summa veritas scire illud esse verum non iurares; secus si Deum in testem inuocares, Sed quia ex frequenti vsu & consuetudine, vt Iuramenta vsurpantur, ea de causa reliqui omnes Doctores ea enumerant inter verba quæ certam diuini testimonij inuocationem continent. Sylvest. *verbo iuramentum* 1. *quæst.* 1. Azor. 1. *part. lib.* 11. *cap.* 13. *quæst.* 1. Sanch. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *n.* 1. Item illa verba, *Interficiar, si hoc ita non est*, Hispanè: *Que me maten si esto no es assi*, Iuramentum continent si per modum execrationis dicantur. Quia hac via imprecaris tibi malum, sicuti si diceres *Deus me interficiat, mori faciat, si falsum dico*, secùs verum si solam sponsionem, & quasi pœnæ infligendæ obligationem contineret. Faciunt enim hunc sensum, morti me offero & dedico, si verum non sit. Et ita communiter vsurpari hæc verba, testatur Sanch. *d. cap.* 2. *n.* 24. Idem est de illis verbis *habear vt infidelis, mendax, hæreticus, si hoc falsum sit.* Solum enim te malæ opinioni subiicis, non autem Deum in testem inuocas, Sanch. *n.* 4. Item illa verba, *tantos Anglos vengan por mi alma como vos ducados teneys*, & illa, *major meme guarde Dios, y mas bien me haga, y mas ventura tenga, que esso es assi.* Etsi aliquando continere execrationem contrariam possunt; regulariter tamen & frequenter illam non continent, sed solum enuntiatiuè proferuntur petendo à Deo Angelorum receptionem & specialem Dei custodiam Sanchez *d. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 39. & 40.

Maiorem difficultatem continent illa verba quibus veritati diuinæ humanam comparas, vt si dicas, *Hoc est verum, sicut verum est Euangelium.* Si enim veritatem diuinam, vel potius Deum in ea re lucentem in testificationem veritatis humanæ adducas, clarum est esse Iuramentum? At si solum hæc enuntiando proferas, vt (communiter proferri solent) affirmando inquam veritatem humanam instar esse diuinæ veritatis; eique aliqualiter assimilati, nequaquam iurare censeris, debes tamen omnino ab iis locutionibus abstinere? eo quod plures Doctores censeant, vt videre est apud Sanch. *lib.* 2. *in Decalog. capite* 23. *num.* 13. blasphema esse. Cum autem tædio affectus dicis. *Por Dios que es bueno osso, que es regia cosa*, affirmat Sanchez aliis relatis *lib.* 3. *in Decalog. dicto cap.* 2. *n.* 13. *fine.* Regulariter Iuramentum non esse, quia non ex animo adducendi Deum in testem, proferuntur; sed ex animo ostendendi tædium. Clarius est de illis, *cuerpo de Dios con tal ombre* Quia nihil affirmant sed animum iratum denotant. Sanchez *num.* 14. imò probabile est, blasphema non esse, quando in hoc sensu proferuntur. Quia licet nomen Dei irreuerenter nominetur; non tamen intendis ei contumeliam inferre, neque in modo nominandi aliquid falsum aut contumelioſum de illo profers.

Ex his omnibus constat inuocationem diuini testimonij conuocare necessariò voluntatem liberam, non solum proferendi verba, quæ ex communi vsu tanquam Iuramenta vsurpantur; sed etiam inuocandi per illa diuinum testimonium. Quia sine hac voluntate non est vera inuocatio, sed inuocationis fictio & simulatio: sicut non est verum votum, quod sine animo vouendi fit, nec verum Sacramentum, quod sine intentione præstatur. Sic Valent. 22. *disput.* 6. *quæstione* 7. *punct.* 1. Suarez *tom.* 2. *de Religione tractat.* 4. *libro* 1. *de iuramento cap.* 1. *à num.* 8.

Sed non caret difficultate qualiter hanc voluntatem habere potes cum falsum iuras. Non enim potes habere voluntatem, vt Deus tuam falsitatem testetur; siquidem cognoscis clarè & manifestè hanc testificationem diuinæ veritati repugnare, & de obiecto impossibili voluntas haberi non potest. Item quam securitatem homines habebunt in Iuramentis, si eorum essentia pendet ab intentione secreta iurantis: Facilè enim deludi possunt, existimantes vera esse Iuramenta, cum tamen non sint ob defectum intentionis.

Verum hæc leuia sunt, & insufficientia ad resolutionem communem & certam infirmandam. Fateor inquam te non posse habere voluntatem absolutam, vt Deus falsum testetur; at potes eam voluntatem habere quatenus est ex parte tua; & in hoc consistit periurij grauissima malitia. Minus vrget secundum. Nam esto hominibus secreta intentio iurantis cognita non sit; est tamen omnibus notum quemlibet iurantem obligationem habere iurandi verè, & absque vlla fictione? & hoc sufficit ad securitatem, sicuti licet veritatem, vel falsitatem rei iuratæ homines non cognoscant, quia tamen cognoscunt obligationem, quam habet iurans verum iurandi? ea de causa Iuramentum expostulant, vt de veritate iurata securi sint.

Deinde hæc inuocatio diuini testimonij, si comparatione Dei fiat nec verbis, nec aliis signis exterioribus indiget, sed solum *actu intellectus & voluntatis* completur, vt benè dicit Suar. *tom.* 2. *de Relig. tract.* 4. *lib.* 2. *de Iurament. c.* 1. *n.* 4. & 5. At si hominibus facienda est, verbis, aliisque signis exprimi debet. Sic Couarr. *cap Quamuis pactum de pactis* 3. *initio n.* 4. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *c.* 2. *q.* 4. Suar. *lib.* 1. *de iurament. c.* 11. *n.* 4. & *sequent.* Sanch. *lib.* 3. *in decal. c.* 1. *n.* 2. & *cap.* 2. *n.* 2. Dixi *signis*, quia sæpè solis tactis Euangeliis vel cruce Iuramentum præstatur absque vlla verborum expressione. Et idem est, cum scriptura subscribitur, in qua Iuramentum continetur. His enim signis æquè ac verbis exprimitur inuocatio diuini nominis. Sanchez aliis relatis *d. cap.* 2. *n.* 21.

Additur præterea in definitione Iuramenti, *vt si ad fidem faciendam vel promissionem firmandam.* Hic enim est finis iurandi, iuxta *Paulum ad Hebræos* 6. Vbi iuramentum esse dicit finem omnis controuersiæ. Quia veritas per ipsum manifestatur, & confirmatur. Idem traditur, *lib.* 1. *ff. de iureiurando.* At debes aduertere te non vocare Deum, vt tuis dictis testimonium præbeat, & auctoritatem præstet statim. Hoc enim esset tentare Deum petendo miraculum, vel insolitum opus absque sufficienti causa; neque etiam Deum vocas vt post hanc vitam tuorum dictorum testis sit, quia hæc petitio esset vana, & inutilis ad faciendam fidem, cum omnibus notum sit illo tempore, Deum illuminaturum abscondita tenebrarum, & manifestaturum consilia cordium, iuxta Paulum 1. *ad Corinth.* 4. Sed vocas Deum vt tuis dictis testimonium præbeat, quando id sibi placuerit, siue in hac vita, siue futura, siue statim, siue post longum tempus. Sic Valent. 22. *disp.* 6. *quæst.* 7 *punct.* 1. Sanchez *lib.* 3 *in Decalog. c.* 1. *n.* 1.

Solùm obiici potest videri inordinatum, rem superioris ordinis & omnino sacram, qualis est iuramentum ad temporalem & inferiorem qualis est veritatis manifestatio, & confirmatio ordinari, vt ad finem proximum & immediatum.

Sed hæc obiectio nullius est considerationis; siquidem votis, processionibus, & orationibus vtimur ad temporalia commoda consequenda, est tamen quædam differentia inter hæc & Iuramentum. Nam oratio, votum, sacrificium, & alia huiusmodi absque necessitate exercentur, solùm propter honorem Dei, eáque de causa non possunt ad commoda temporalia tanquam ad finem immediatum, & proximum ordinari, sed tanquam ad effectum, seu finem secundariò intentum. Non enim ex sacrificio, & ex oratione licitum est lucra temporalia primo quærere, sed secundario, quia ad cultum Dei primo & per se sunt instituta. At Iuramentum exerceri non potest (vt dicemus) absque aliqua necessitate morali confirmandæ veritatis, vel firmandæ promissionis; ideò in hunc finem est institutum, ac proinde potest primo, & per se spectari, non sistendo ibi, sed in Deum tanquam in vltimum finem omnia referendo, sic D. Thomas 2. 2. *q.* 89. *art.* 1. & 5. Lessius *l.* 2. *de iust. c.* 42. *dub.* 3. *n.* 6. Suarez *tom.* 3. *tract.* 4. *de Relig. l.* 1. *de Iuram. c.* 6. *per totum.* Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 2. Valen. 22. *disp.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 3. *vers. Respondeo igitur. pag.* 1387.

PVNCTVM II.

Quotuplex sit Iuramentum & de eius differentia.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur multiplex modus iurandi.*
2 *Non differunt supradicta Iuramenta specie in ratione iurandi.*
3 *Ex alio capite differre possunt.*
4 *An in Iuramento execratorio inueniatur duplex malitia, examinatur.*
5 *Ex parte rei iuratæ est triplex Iuramentum, assertorium, promissorium, comminatorium, & explicantur.*
6 *An Iuramentum annexum promissioni differat ab eo, quod simplici assertioni annectitur, resoluitur non differre.*
7 *An Iuramentum purè assertorium differat essentialiter à promissorio? Videtur probabilius differre.*

1 EXplicata definitione Iuramenti, ad perfectam illius notitiam supponendæ sunt communes Iuramenti diuisiones tam ex parte modi iurandi, quam ex parte rei iuratæ. Ex parte modi iurandi; diuiditur Iuramentum in Iuramentum solemne, & simplex. Iuramentum solemne vocatur, quod fit cum aliqua notabili circumstantia, tactis Euangeliis, ara, cruce. Et simplex, quod omni hac circumstantia caret, & in quo nomen Dei simpliciter inuocatur. Secundò diuiditur Iuramentum in Iuramentum iudiciale & extraiudiciale. Tertiò in Iuramentum tacitum & expressum, hoc est per Deum vel per creaturas. Quartò in Iuramentum absolutum vel conditionatum. Quintò & præcipuè; in Iuramentum per simplicem contesta-

tionem, vel per execrationem. Iuramentum per simplicem contestationem, seu contestatorium est in quo Deus contestatur, & vt testis solum inuocatur, vt cum dicis, testor Deum, testis sit mihi Deus, iuro Deum, iuro per Euangelia. Iuramentum per execrationem, seu execratorium huic contestatorio Iuramento superaddit imprecationem pœnæ, cui te subiicis si falsum fuerit quod affirmas, vt si diceres. Nec mihi, neque meis cognatis concedat Deus salutem æternam, si hoc ita non est; præstat enim hunc sensum; Deus quem testem inuoco veritatis assertæ, me, meosque cognatos salute æterna priuet, si falsum sit, quod affirmo. Qui modus iurandi frequens erat in testamento veteri, illóque fuit vsus Paulus 2. *Corinth.*1. *testem inuoco Deum in animam meam.* Sic explicant hoc Iuramentum execratorium. *Cant.*2.2 *q.*89. *art.*1. *vers. ad id autem.* Valent.2.2. *disp.*6. *q.*7 *punct.*2. *ad finem.* Suarez *tom.*2. *de Relig. tract.*4. *l.*1. *de Iuram. c.*12. *n.*8. Sanchez *lib.*3. *in Decalog. c.*1. *n.*5. Bonac. *disp.*4 *q.*1. *punct.*2. *in princip.*

Hæc omnia Iuramenta in ratione Iuramenti specie non differunt; neque eorum diuersitas est necessariò in confessione manifestanda. Nam cum essentia Iuramenti sita sit in inuocatione diuini testimonij, quod inuocetur hoc vel illo modo, materiale, & per accidens ad rationem Iuramenti. Et licet D. Thomas 2.2. *q.*89. *art.*2. *ad* 2. D. Augustinus Epistola ad Publicolam quem refert, sentiat Iuramentum expressè inuocando ipsum Deum grauius esse strictiúsque obligare, quam Iuramentum tacitum seu per creaturas; non obinde infertur differre specie, neque ita notabiliter aggrauare vt in confessione exprimi necessariò debeat. Adde hanc maiorem grauitatem & strictiorem obligationem solùm in apparentia & hominum æstimatione esse, non tamen verè & reipsa; siquidem eadem est in omnibus Iuramentis indiuisibilis ratio, nempè diuini testimonij inuocatio. Et ita sustinent Sotus *lib.*8. *de iustitia quæst.*1. *ad finem.* Couarruuias *de pactis* 1. *p. initio num.*3. *Cant.*22. *q.*89. *art.*1. *paulò post princip.* Azor. *tom* 1. *lib.*11. *institution moral. cap.*2. *q.*7. *& sequent.* Sayro claui Regia *lib.*5 *c.*2. *n.*2. Lessius *l.*2. *de iustitia c.*42. *dub.*2. *n.*9. *&* 10. Suar. *tom.*2 *de Relig. l.*1. *de Iuram. c.*5. *n.*13. *& c.*9 *n.*2. *& c.*12. *n.*10. Sanch. *lib.*3. *in Decalog. cap.*1. *n.*9. Bonacin. *disp.*4. *q.*1 *punct.*2.

Dixi in ratione Iuramenti specie non differre, nec vnum præ alio notabiliter aggrauare; vt tacitè insinuarem, ex alio capite habere posse grauitatem necessariò in confessione manifestandam. Si enim Iuramento blasphemia adiuncta sit, vt si per pudenda Christi iurares, clarum est te obligatum esse in confessione manifestare, quia Iuramento nouam malitiam blasphemiæ specie distinctam superaddis, sic Azor. *dicto cap.*2. *quæst.*10. Sanchez *cap.*1. *num.*9. *fine.* Idem est si falsum Iuramentum in iudicio proferres legitimè interrogatus. Nam esto illud Iuramentum non cederet in terrij præiudicium; nihilominùs, quia ex virtute obedientiæ, vel iustitiæ legalis obligatus eras veritatem manifestare, & occultasti, insuperque occultationi Iuramentum addidisti, duplex peccatum vel vnum cum circumstantia specie diuersa commisisti; nempè peccatum inobedientiæ, seu iniustitiæ, & peccatum periurij. Sic Sanchez loco allegato.

Solùm de Iuramento execratorio falso est grauis difficultas: an propter execrationem committas malitiam specie distinctam à Iuramento? Et ratio difficultatis est; quia iurans falso interposita vita propria, vel tuorum parentum, inuocas Deum vt te tuósque parentes vita priuet si fallis in assertione. At talis inuocatio est contra charitatem, vel pietatem. Ergo est malitia distincta necessariò in confessione manifestanda.

Huic difficultati dupliciter respondere possumus. Primò cum Valen. *disput.*6. *quæst.*7. *punct.*2. *fine*, non esse contra charitatem, nec pietatem illam petitionem. Quia petis, quod mereris ob iniuriam illatam; quis enim falso iurat, dignus est qualibet pœna grauissima. Ergo petitio pœnæ tibi debitæ in satisfactionem iniuriæ diuinæ iustitiæ factæ contra charitatem, aut pietatem esse non potest? Sed obiicit Sanchez *l.*3. *in Decal. c.*1. *num.*7. *circa finem*, peccatori non esse licitum desiderare infernum, etsi Deus ea iusta pœna plectere eum possit. Ergo non erit licitum petere à Deo, vt te tuósque parentes vita priuet, si falsum iuras: Esto iustè ea pœna puniri à Deo possis? At respondere poteris desiderium, & petitionem inferni, alteriúsve grauis mali esse illicitam; at illud malum petere in satisfactionem iniuriæ diuinæ, & sub ea conditione si diuinæ maiestati sic infligendum placuerit, non videtur illicitum. Iurans autem falso hoc modo imprecatur sibi malum; petit inquam à Deo, vt si falsum sit, quod iurat, Deus pro beneplacito suæ voluntatis iniuriam sibi factam vindicet illa pœna, quam proponit; quare non ex animo damnificandi sibi, vel parentibus malum imprecatur, sed ex animo satisfaciendi diuinæ offensæ: Non ergo est contra charitatem vel pietatem.

Secundò respondere possumus cum communi sententia, sic iurantem falso, regulariter non petere ex animo illam vindictam, sed potiùs, si rogaretur, responderet se contrarium desiderare. Ergo non peccat contra charitatem, vel pietatem grauiter, ac proinde obligatus non est hanc circumstantiam in confessione manifestare, sic Caietan. 2.2. *quæst.* 89. *art.*1. Nauarro *in summa cap.*12. *num.*1. *in fine.* Petrus de Ledesm. 2. *tom. sum. tract.*11. *cap.*1. *dub.*3. Sayro in claue Reg. *l.*5. *cap.*2. *fine. Ex parte* Suar. *tom.*2. *de Relig. l.*1. *de Iuram. cap.*12. *fine.* Sanch. *l.*3. *in Decal. cap.*1. *n.*7. Bonac. *tom.*2. *disput.*4. *q.*1. *punct.*2. *in princ.*

Fateor hanc solutionem difficilem esse. Non enim satis percipio quomodo possit esse verum Iuramentum execratorium absque petitione voluntaria & vera vindictæ. Nam Iuramentum esse non potest, quin iurans petat quantum in se est, vt Deus sit testis rei iuratæ. Ergo Iuramentum execratorium esse non poterit, quin iurans execratoriè petat quantum in se est, Deum vt rem iuratam testetur illo signo vindictæ. Aliàs si ex animo hunc testificationis modum non petit, non verè sed fictè execratoriè iurat; sicuti non verè, sed fictè iurat, cum non ex animo petit Deum esse testem. Nihilominus responderi potest, esse verum Iuramentum execratorium; tametsi ex animo vindictam non petas; quia continet totam essentiam Iuramenti; quæ in inuocatione Dei in testem sita est, quæ essentia non pendet, siue ex animo petatur vindicta, siue non; est enim quid diuersum à ratione Iuramenti, & licet quatenùs est execratorium; necessariò continere debeat inuocationem Dei in vindicem. Quia tamen hæc inuocatio accidentalis est Iuramento, ideò Iuramentum execratorium absolutè & propriè sic appellandum est; tametsi ex animo execratio non fiat.

Ex parte rei iuratæ communiter Doctores distinguunt duplex Iuramentum. Aliud assertorium, aliud promissorium. Alij tertium addunt nempè comminatorium.

Assertorium est, quando aliquid asseris, vel negas, siue sit præsens, præteritum, vel futurum. Vt si iures eclypsim, vel pluuiam fuisse esse, vel fore. Verum te diligenter considerata semper in actu exercito (licet non in actu signato) in omni Iuramento assertorio veritas contingens de præsenti affirmatur. Si enim sub Iuramento affirmas pluuiam fuisse vel fore, quod primò & principaliter affirmas, est. Te cognoscere & intelligere pluuiam fuisse, vel fore. Nam si daremus te id non cognoscere, & si de facto fuisset, vel foret; sine dubio falsum iurares, vt expressè tradit Diuus Augustinus *sermone* 28. *de verbis Domini.* Relatus in *cap. homines* 22. *quæst.*2. Ergo Iuramentum assertorium in actu exercito spectat in iurante primo, & per se notitiam rei iuratæ. Si quidem ex illa notitia præcipua veritas, vel falsitas Iuramenti desumitur. Cognoscere autem, vel non cognoscere semper est contingens. Ergo in Iuramento assertorio, quod primò asseritur, est veritas contingens, Sic D. Thom. 2.2. *q.*89. *art.*1. *&* 7. Suar. *tom.*2. *de Relig. l.*1. *de Iuram. c.*10. *n.*1.

Promissorium Iuramentum à promissione dicitur; quia rem promissam Iuramento firmas. Sed aduerte Iuramentum promissorium assertorium, continere. Nam in omni Iuramento promissorio vt verum sit, debes verum animum habere, promissum implendi: Aliàs fictè promitteres, falsóque iurares. Asseris ergo tacitè hunc animum habere. Ergo est verum Iuramentum assertorium. At quia rem futuram promittis, & ad eam firmandam Iuramentum assumis; ea de causa promissorium vocatur, sic Sanch. *l.*3. *in Decal. cap.*1. *num.*4. Valent. 2.2. *disp.*6. *q.*7. *punct.*2. *in princip.*

Comminatorium Iuramentum dicitur, quando pœnam alteri comminaris, quod Iuramentum reducitur ad promissorium; quia est vera & absoluta promissio de pœna alteri infligenda.

Circa supradictam diuisionem duplex est difficultas. Prima an Iuramentum de re futura facienda absque illius promissione, diuersum sit à iuramento, quo rem illam faciendam promitteres? Et quidem te posse hoc diuerso modo iurare rem futuram, tradit Valentia 2.2. *disp.*6. *q.*7. *vers. secundum videtur certum.* Cum enim de peccatis doles propositum, & voluntatem habes, ea iterum non committendi. Non tamen propriè Deo promittis ea non commissurum; aliàs obligatus esses ex voto ab eis abstinere. Quid ergo obstat quominùs hoc propositum, & voluntatem iuramento firmes? illud ergo Iuramentum adhærebit proposito, non promissioni? secùs esset, si facta promissione illam Iuramento firmares; tunc enim promissioni Iuramentum adhæreret. Posito autem, Iuramentum fieri posse hoc diuerso modo, videtur vnum ab alio differre. Quia adhærens promissioni promissionem inuoluit. Promissio autem à proposito omnino diuersa est. Ergo vnum Iuramentum ab alio omnino est distinctum.

Nihilominus dicendum est in ratione Iuramenti vnum ab alio non differre. Quia siue res sub rigorosa promissione oblata sit, siue solùm sub simplici proposito? Iuramentum in ratione Iuramenti æquè super illam cadit, & æquè iurantem adstringit ad illius executionem, ne falso Deum in testem adduxerit. Sic Suar. *l.*1. *de Iuram. c.*9. *n.*7. Dixi non differre *in*

ratione

ratione Iuramenti. Nam ex ratione promissionis clara est differentia? si Iuramentum de re futura esse potest absque illius vera promissione.

Secunda difficultas est: an in ratione Iuramenti Iuramentum purè assertorium differat essentialiter à Iuramento promissorio? Communis sententia negat? eo quòd essentia Iuramenti qua tale est, in inuocatione diuini testimonij consistit. Quod autem diuinum testimonium inuocetur ad firmandam rei futuræ, vel præsentis veritatem per accidens esse videtur. Ergo Iuramentum promissorium à purè assertorio specie non distinguitur. Item si Iuramentum promissorium quatenùs rem futuram respicit, distingueretur specie à purè assertorio, Iuramentum promissorium duplicem in ratione Iuramenti speciem haberet, aliam promissorij, aliam assertorij; Nam negari non potest esse verum assertorium, quatenùs asserit iurantem de præsenti intentionem habere implendi quod iurat. At nullus actus esse potest in duplici specie distincta. Ergo Iuramentum promissorium in ratione Iuramenti non differt specie à purè assertorio. Sic Caiet. 2.2.*q.* 89 *a.* 1. Couar. *in c. quamuis pactum de pactis in princip. n.* 3. Valent. 2.2. *disp.* 6. *q.* 7. *punct.* 2. Suar. *l.* 1. *de iuram. c.* 9 *n.* 1. testatur esse omnium. Et *n.* 6. tanquam probabilius defendit.

Verum licet hæc sententia, quia communis sustinenda sit. At credo esse satis probabile, & fortè probabilius. Iuramentum promissorium, qua tale est à purè assertorio essentialiter differre. Primò, quia in Iuramento purè assertorio inuocas Deum, vt testem; at in Iuramento promissorio rem futuram respiciente, non tam vocas Deum vt testem, quam vt fideiussorem. Non enim promittens rem futuram, vocas Deum, vt testetur rem futuram fore. Quia hoc tibi est omnino incognitum, illa enim petitio vana esset, & nullo modo tuam promissionem firmaret. Esse enim rem promissam de facto futuram, est quid contingens, & multis viis impediri potest. Ergo essentia Iuramenti promissorij ab ea contingentia pendere non potest. Non igitur petis à Deo vt testetur rem fore futuram, cum sub Iuramento rem futuram promittis. Sed petis à Deo vt ipse suâ præsentiâ tuæ promissioni auctoritatem præstet; videlicet quòd rem, quam promittis sis executurus. Ex qua assistentia obligatus manes adimplendi promissum propter fidem datam in præsentia Dei; sicut si contraheres sponsalia coram Rege, obligationem haberes adimplendi ob dignitatem regis, in testem adducti. Munus verò fideiussoris & testis est satis diuersum. Fit sanè diuersum esse Iuramentum promissorium ab assertorio. Et confirmari potest: quia in Iuramento promissorio duplicem habes obligationem. Vna est, habere animum implendi promissum. Alia; de facto implere. Vnde in confessione teneris manifestare, si cum promisisti non habuisti animum adimplendi. Quia tunc adduxisti Deum in testem falsi. Et si postea cum possis non impleas; teneris similiter manifestare; Quia Deo quem in assecuratorem adduxisti, iniuriam facis promissis non standò. Ergo Iuramentum, ex quo hæc duplex obligatio oritur, diuersum est. Confirmo secundò promissorium Iuramentum quatenùs tale est, & rem futuram respicit, non semper obligat sub graui culpa præstare verum quod promissum est, vt communior sententia tenet. At Iuramentum purè assertorium semper in quacunque materia etiam leuissima obligat sub graui culpa ad veritatem. Ergo Iuramenta ex quibus hæ proprietates ita diuersæ procedunt; diuersa sunt. Confirmo tertiò, Iuramentum assertorium primum, & per se tendit ad testandam veritatem rei iuratæ, non secundum, se, sed quatenus iurans intelligit. Vnde si inuincibiliter iurans intelligit rem sic se habere, vt per Iuramentum affirmat, absolutè verum iurat; esto de facto aliter se res habeat ad testandam veritatem rei iuratæ secundum se. Ergo hic diuersus modus adducendi Deum in testem diuersitatem indicat in iuramento. Et ita in hanc partem inclinat Suarez (vt ipsemet dicit) *lib.* 1. *de iuramento cap.* 9. *num.* 5.

Neque obstat contrarium fundamentum. Dicimus namque diuinum testimonium adductum ad confirmandam veritatem futuram, diuersimodè adduci, quàm ad confirmandam veritatem de præsenti, vel de præterito. Quia ad huius confirmationem adducitur vt testis; ad illius verò vt fideiussor. Item in Iuramento purè assertorio adducitur ad confirmandam veritatem rei iuratæ prout est in mente iurantis. At in Iuramento promissorio non tam ad confirmandam hanc veritatem, quam ad confirmandam veritatem rei iuratæ secundum se adducitur.

Neque obstat vnum actum duplicem speciem moralem habere; promissio enim iurata de obseruanda castitate, & est votum, & est Iuramentum. Item periurium blasphemum simul est contra religionem ratione periurij, & ratione blasphemiæ. Quid mirum si Iuramentum promissorium quatenus adducit Deum in testem veritatis præsentis, conueniat cum Iuramento assertorio, & eiusdem rationis sit; quatenus verò adducit Deum aliquomodo vt assecuratorem & sponsorem, ab illo differat; Adde actum, qui vim habet adducendi Deum in testem intentionis præsentis, & sponsorem executionis futuræ esse in vnica specie morali diuersa ab iis actibus, qui vel Deum tantum adducerent in testem, vel tantum in sponsorem.

PVNCTVM III.

Quæ personæ iurare possunt, tam in iudicio, quam extra.

SVMMARIVM.

1 *Omnes extra iudicium iurare possunt, quod probatur discurrendo per singulas personas.*
2 *In iudicio omnes iurare possunt, qui non fuerint aliquo iure excluſi.*
3 *Excluditur periurus.*
4 *Deinde infamis.*
5 *Item socius criminis.*
6 *Item inimicus.*
7 *Item persona vilis, & inops.*
8 *Item Sarracenus, Iudæus, & alij, ex diuersa lege.*
9 *Item Laicus aduersus Clericum.*
10 *Item mulier in causa criminali.*
11 *Item pueri ante pubertatem.*
12 *Item consanguinei, & affines intra quartum gradum.*
13 *Item domesticus ipsius producentis.*
14 *Item Clerici sacerdotes.*
15 *Iurans in iudicio debet esse iciunus, ex consilio tantum, non ex præcepto.*

1 CErtum est extra iudicium quamlibet personam rationis comporem iurare posse. Conclusio est ab omnibus recepta, quam breuiter probo discurrendo per singulas personas. Deus Optimus Max. sæpè in Scriptura legitur iurasse Gen. 22. Ierem. 22. cap 44 Paulus *ad Heb.* 6. ibi per semetipsum iurauit. Veruntamen est non esse propriè Iuramentum; cum non fuerit propriè actus Religionis, neque veritati & dicto diuino aliquam confirmationem adhibuerit. Quapropter Caietan. *in c.* 22. *Geneſis* dicit Deum solum metaphoricè iurasse, cui consonat Suar. *tom.* 2. *de Relig. tract.* 4. *lib.* 1. *de Iuram. cap.* 14. *n.* 2. *&* 3.

Quod si roges ad quid ergo Deus iurauit, si suis dictis confirmationem aliquam dare non poterat? Respondeo iurasse, vt nos attentiores, & certiores redderet immutabilitatis consilij sui, videntes non semel, sed iterum eandem suam nobis auctoritatem obiicere, & interponere. Quod satis indicauit Apostolus ad *Hebr.* 6. cum dixit: Volens Deus ostendere immutabilitatem consilij sui interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium haberemus.

Christus verò Dominus potuit propriè iurare, cum habuerit maiorem se scilicet Patrem quoad diuinitatem, per quem iurare posset. Aliquando iurasse, affirmat Innocent. III. in *cap. etsi Christus de iureiurando*, & vt probabile defendit Suarez illo *lib.* 2. *de Iurament. cap.* 14. *num.* 9.

Angeli sancti loquentes cum hominibus iurare quidem possunt, & de facto iurant, vt constat ex *Apocalyp.* 10. Vbi Angelus iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, & notauit Innocent. III. in *d. cap. etsi Christus.* Et ratio est; quia nostra incredulitas, & differentia aliquando diuini Numinis attestatione confirmari oportet, secùs est quando Angeli inter se loquuntur. Tunc enim cum constet euidenter cuilibet Angelo alium mentiri non posse; eo quòd beatus sit, Iuramentum necessarium non est. Ergo præstare illud non possunt. Aliàs possent peccare assumendo nomen Dei in vanum. Angeli mali nescio qua ratione loquentes inter se & cum hominibus iurare non possunt; cum ex malo fine id præstare valeant. Credo tamen rarò iurare. Vt dicit Suarez *tom.* 1. *de Religion. tract.* 4. *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 15. Ne videantur diuino testimonio indigere ad suorum dictorum confirmationem; néve Deum aliquo modo superiorem cognoscant. Quod dictum est de Angelis, dicendum est de hominibus beatis, & damnatis.

De viatoribus illi tantùm verè iurant, qui verum Deum agnoscunt. Quia illi tantum diuino testimonio confirmare veritatem possunt. Hi quicumque sint, modo discretionem & libertatem habeant iurare possunt, & periurare, vt de pueris expressè dicitur *c.* 1. *de dictis puerorum.*

2 Si verò de his qui iurare possunt in iudicio loquamur; affirmandum est, omnes homines habentes vsum rationis iurare posse, nisi aliquo iure positiuo repellantur. Sic omnes doctores,

ctores. Videamus ergo, qui sint à iure repulsi, & sic intelligetur qui iurare possint.

3 Primò, excluditur periurus in pœnam delicti commissi. Sed qui periurus, & à quo Iuramento repellatur; Puncto vltimo huius disputationis dicemus.

4 Secundò, excluditur infamis infamia iuris; qualis; est omnis, qui de graui crimine est damnatus *cap. si quis 3. q.4.* Et ibi Glossa, & capite *nulli vnquam.* eadem causa & quæstione c. *constituimus 3. quæstione 5.* & capite *alieni erroris, 2. quæst.7.* Vbi probat Glossa iudicem posse repellere etiamsi reus illum recipiat. Infamis infamia facti qualis est ille, qui criminosus est, & tamen in iudicio est condemnatus, debet repelli à Iuramento in iudicio, si eius crimen probetur. Sic Lessius *lib.2. de iustitia c.30 n.39.* relato Iulio Clar. *quæst.24.n.13.* Et videtur haberi expressè *capite super eo 13. de testibus, & attestationibus*, ibi *si ante non sunt conuicti, vel confessi de criminibus illis dummodo inde conuincantur in testimonium non debent admitti.* Et probat Greg. Lopez *leg.8.tit.16.par.3.* Clarius demonstrat text. *in c.testium 14. de testib. & attestat.* Ibi Testimonium eius cui ab aduersa parte opponitur crimen, merito reprobatur in criminali causa siue ciuili, si in ipso crimine perseuerat, si verò sit de crimine emendatus, & eum non comitetur infamia, non est in causa ciuili vel etiam cum de crimine ciuiliter agitur (præterquam) pro reatu periurij, repellendus. In criminali autem, si criminaliter procedatur, & conuictus extitit de crimine; aut eius opinio aliquando grauata fuit. Pro eo quod fuerit à iudicio tali modo repulsus, poterit remoueri. Admitti tamen poterit in causa ciuili, vel criminali si ciuiliter procedatur, hoc est si procedatur via inquisitionis, & ad præcauenda damna primo; & per se non ad puniendum delinquentem, & ita intelligo dictam leg. 21. *titul. 16. partita 3.* vbi varij propter diuersa crimina à testimonio dicendo repelluntur; etiamsi per sententiam condemnati non sint; modo tamen eorum delictum probetur. Intelligo inquam neque in criminali causa, neque in ciuili admittendos esse, si in crimine perseuerant; quia sunt infames infamia facti. Si vero emendati sunt, possunt in causa ciuili, vel criminali, si ciuiliter procedatur, admitti. Et hinc intelligitur etiam textus in *cap. Non debet. 56.* eodem in titulo *de testibus*, vbi accusatus criminaliter ad testificandum non admittitur pendente accusatione; quia pro tunc grauata est eius opinio. Non admittitur inquam in causa criminali, quando criminaliter agitur. Secus si ciuiliter procedatur, & in causa ciuili; quia vsque tunc non est infamis infamia iuris. Quod si in exceptis criminibus, (qualia sunt hæresis, Symonia, Sodomia, crimen læsæ maiestatis, maleficium, sortilegium, furtum famosum, stuprum, rapina, &c.) procedatur: criminosus & infamis infamia iuris admittitur; dummodo malè opinionis fuerit accusatus. Videtur expressè deduci in supradicto *cap. non debet* & in primis *2. quæst. 1.* ibi, si verò de crimine maiestatis dicatur accusatus; neque ipsis etiam credendum fuit, si vita, & opinio eius talis ante non extitit. Cum autem ibi dicitur, vilissimis testibus, sine corporali discussione credi non debere, quodque similiter habetur *c. illi qui 5. q.5.* & docet Iulius Clarus *q.24.n.13.* intelligi debet quando ipsemet vilissimus testis in dicendo testimonio vacillat, secus è contra, vt docet Bartol. *ex libero in princ. ff. de q.* Et habetur *leg. fin. tit.16. partita 3.* Et ibi Gregor. Lopez. Adde secundum eosdem Doctores vilissimum testem torqueri si conuincatur de mendacio, vel sponte festinans vadat ad corrumpendam veritatem. In criminalibus testis qui præsumitur scire veritatem & eam non dicit, ita Baldus & Glossa *in leg. verba cod. de adulteriis*, & Gregorius Lopez *vbi suprà.*

5 Tertiò excluditur à iudiciali Iuramento socius criminis, *c. veniens 10. de testibus, & leg. fin. cod. de accusationibus* Et habetur, *leg.21. tit.16. partita 3.* Et notat Lessius ex omnium sententia *l.2. de iust. cap.30 n.39.* Ratio est, quia putatur falsum alteri impositurum, vel ex eo quod speret se liberandum propter complicem, vel quia optat in supplicio socium habere ratione odij, aut solatij. In exceptis verò criminibus socius criminis secundum canones, non admittitur (hæresi excepta) si criminaliter procedatur, aut si ciuiliter procedatur, & sit non solum socius criminis sed etiam muneris; eo quod emolumentum acceperit ex societate in tali crimine, habetur expressè *c. Mediatores. 1. de testib. in 6. & c. veniens 10. de testib.* Et *ibi* Glossa. *vers. confesse, & c. cum monaster. 1. de confessis*, & multis allegatis docet Flam. Parisius *l. 14. de resign. benefic. q. vlt. n. 18. & 43.* Si verò ciuiliter procedatur; admitti potest, vt constat *d. c. Mediatores.* At secundum leges, & praxim receptam siue criminaliter, siue ciuiliter procedatur, socius criminis interrogati potest de sociis, & eius testimonium valet ad præsumptionem faciendam in criminibus exceptis, & in omnibus illis, quæ possunt sine socio committi, vt tradit Lessius *d. c.30. n.39.* Non tamen semiplenè probat, neque est indicium sufficiens ad torturam vt docet Salicetus *in leg. fin. cod. de accusationibus*, nisi concurrat aliqua alia præsumptio, & Bartolus *in leg. repeti 1. ff. de quæst.* Alexander. *cons. 89. votum 3.* Mascardo *de probationibus concl. 13. 11.* Glossa. *in c. mediatores de testibus in 6.* verbo *ad testimonium, & in c. quoniam, de testibus.* Vbi mulier admissa fuit contra Epiphanium Presbyterum de crimine cum illa commisso, non ad plenam probationem, sed ad præsumptionem tantum, vt notat ibi Glossa. verbo *peregisse*, aliique plures, quos refert Flamin. Parisi. *lib.14. quæst. vltima à n.1. & sequentibus.* Verum contrarium huius receptæ sententiæ defendit Lessius aliis relatis *lib.2. de iustitia cap.30. n.39. dubio 5.* affirmat namque depositionem socij non solum esse sufficiens iudicium ad torturam, sed etiam esse semiplenam probationem & accedente alio socio, qui idem deponat esse plenam probationem & posse reum damnari: subiungit tamen, & benè, hanc depositionem debere fieri tanquam à teste nempè cum Iuramento, & citata parte; cui etiam danda est copia depositionis, vt se defendat. Sed immeritò Lessius in communi sententia & in praxi recepta recedit, socius namque criminis ob præsumptionem, quam habet dicendi falsum, est testis diminutus. Non igitur eius depositio nisi aliis admiculis adiuuetur, semiplenam probationem constituere potest. Socio criminis accedit laborans simili morbo, qui propter eamdem rationem à testimonio dicendo repellitur, habetur expressè *cap. personas de testibus*, & ibi Glossa, vnde Iudex habens similem causam potest recusari, *c. causam quæ. 2. de iudiciis*, & qui in crimine detinetur, non potest alium accusare, vel denuntiare, *c. qui sine 3. q.7.*

6 Quartò, & præcipuè excluditur à Iuramento iudicij inimicus eius, contra quem debet ferre testimonium. Habetur expressè *c. accusatores, c. omnes 3. q.5. & sequentibus.* Quæ autem inimicitia à testificando repellat? Non est facilè dictum. Verius videtur debere esse inimicitiam capitalem & criminalem. Quia solum propter hanc legatum perditur, vt in *leg.3. ff. de adimend. leg. & lib.1. tit.25. institut. de excusatio. tutorum* §. *inimicitiæ*, vbi Imperator affirmat à tutela, vel cura solere capitales inimicitias excusare, ergo illæ solæ excludunt à testimonio, & in *leg.22. tit.16. part.3.* dicitur. *Por ende defendemos que ningun ome que sea enemiciado con orto de gran neemistad que no pueda ser testigo, &c.* Et Gregorius Lopez, ibi pluribus firmat, consentit Lessius *lib.2. c.30. num.37. dub.5.* Qui optimè addit hunc inimicum etiam in criminibus exceptis repelli, in quibus alij testes minus idonei admittuntur, vt in probanda Simonia, Sodomia, Hæresi, &c. *C. per tuas, c. licet Heli, c. meminimus, c. cum oporteat de Simon. & c. cum.* P. Mancolina Præsbyt. *de accusationibus* & ibi *Glossa.*

7 Quintò excluditur à Iuramento iudiciali persona vilis & inops, de qua est suspicio facilè posse pecunia corrumpi, habetur expressè *leg.3. circa medium, & leg.22. tit.16. partita 3.* Et ibi Gregorius Lopez: aduerte tamen personam pauperem si vilis, & honesta non sit, non excludi à Iuramento præstando, sic Gregorius Lopez, *suprà.* Sylvest. verbo *festis, quæst.1.* Lessius *cap.30. dub.5. num.39.* & probat *lex 3. & 4. ff. de testibus.*

8 Sextò excluditur Sarracenus, Iudæus, & alij ex alia lege à testimonio dicendo contra Christianum. Quia ob dissimilitudinem religionis & odium frequenter conceptum præsumuntur falsum iuraturi, habetur *c.1. c. Iudæi c. licet de testibus, & c. omnes, c. nulli, 3. q.4.* Et habetur *leg.8. tit.16. part.3.* Et ibi Glossa. verbo *Iudio o moro*, excipitur tamen crimen læsæ maiestatis humanæ, & diuinæ in quo iurare possunt aduersus Christianum si essent homines eius conditionis, qui inter ipsos paganos admittuntur in testimon. Sic supradicta *lex. part.*

9 Septimò Laici aduersus Clericos non admittuntur in iudicio ad testificandum, *c. de cætero, de testibus.* Quando criminaliter proceditur & omnes illi, qui Sacerdotes expelluntur, *c. ipsi Apostoli, & c testes 2. q.7.* secus verò est si ciuiliter procedatur, vt constat ex *cap. quoniam de testibus*, item in exceptis criminibus benè admittuntur, *C. tanta de Simonia, c. Sacerdotes 2. q.7.* Et *leg. si quemquam cod. de Episcopis, & clericis.* Requiritur tamen quod Laici sint bonæ famæ, si enim viles sint, & famæ malæ: debet Clericus antea esse infamatus de illo crimine, & malè audire. Et ex alia parte illis credendum non est sine corporali tormento, vt habetur *c. in primis 2. q.1.* Quod intelligendum est iuxta superius dicta. An vero plenè probet eorum testimonium, eodem modo dicendum est, ac de sociis criminum diximus.

10 Octauò mulier iure Canonico à testificando repellitur, si sit in causa criminali ob fragilitatem sexus, & ingenij mutabilitatem, habetur *c. forus de verborum significat.* §. *vlt. c. cum P. Man. collenæ, c. Meminimus de accusat. c. Mulierem 33. q.5.* Et ibi Glos. verbo *nec testis*, solum admittitur in illis casibus in quibus infames Quod si ciuiliter procedatur aut in causa ciuili mulier etiam contra Clericum admitti potest, *C. quoniam, c. iam literis de testibus, & c. forus de verborum significatione.* Iure tamen ciuili in omni causa admittitur, *lex ex eo 18. ff. de testibus.*

testibus, præterquam in testamento *leg. qui testamento* 20. §. *mulier*, *ff. qui testament. facere possunt*, & §. *testes instit. de testamentis*. Sic tradit relato Gometio. 12. *n.* 13. cum communi sententia Lessius *lib.* 2. *c.* 30. *n.* 39.

11 Nonò excluduntur à testificando in iudicio pueri ante pubertatem, (hoc est ante quatuordecim annos completos, *C. paruuli, c. pueri.* 22. *q.* 5. & *lib.* 2. *tit.* 10. *instit. de testam.* §. *testes*. Ratio exclusionis est, quia ante eam ætatem non censentur à iure, plenam discretionem, & aduertentiam adiurandum habere. Dubium tamen est; an si velint iurare, sint admittendi? Soto *lib.* 8. *de iustit. q.* 1. *a.* 10. Paulo *post principium* & Suar. *tom.* 2. *de relig. tract.* 4 *lib.* 1. *de Iuramento c.* 14. *n.* 15. *fit*. Existimant debere admitti. Tum quia in *cap. Pueri* 22. *q.* 5. dicitur iurare non cogantur. Ergo è contra si voluerint, admitti debent. Tum quia illa prohibitio non est pœna, sed fauor pueris concessus. Ergo poterunt huic fauori cedere, & ex alia parte constare potest, sufficientem esse discretionem in puero iurante? Contrarium defendit Sanch. vt probabilius *lib.* 3. *in Decal. c.* 3. *n.* 6. cum Sylvestro verbo *Iuramentum* 2. *q.* 3 *initio*, Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 7. *punct.* 3 *colum.* 4. *vers. Item est*. Azor. 1. *p. lib.* 11. *c.* 11. *q.* 6. Et mihi etiam placet. Quia nec ratione pœnæ, nec ratione fauoris facti pueris interdicitur eis Iuramentum in iudicio; sed ob reuerentiam Iuramenti; eò quòd illa ætas præsumatur plena esse periuriis, vt docet Gloss. *in c. Testes* 4. *q.* 2. & 3. Aduertendum tamen est in criminalibus siue criminaliter, siue via inquisitionis procedatur, minorem viginti annorum ad testificandum non admitti; habetur expressè *leg.* 9. *tit.* 16. *partita* 3 ibi. Veinte annos complidos alomenos debe auer el testigo que aducem pleyto de acusation & *leg. in testimonium* 20. *ff. de testibus* & *leg. inuiti. eodem tit*. Si tamen ante hanc ætatem admittitur, facit plenum iudicium ad capiendam informationem, & maximam præsumptionem vt ex dictis legibus constat & consentit Gometius *c.* 12. *n.* 13 *de testibus*, & Lessius *lib.* 2 *de iustitia c.* 30. *dub.* 4. *n.* 37. *in* 2. *edit*. Non verò sufficit eius dictum ad torturam, docent iidem auctores. Quamuis Sylvest. verbo *impubes* siue cum Bartolo & verbo *testis. q.* 11. *dicto* 3. Sanch. *in Decaleg. lib.* 2 *c.* 3. *n.* 6. *fine*. Sentiunt posse impuberem examinari, & eius dictum plenum iudicium, facere ad torturam quod est probabile. Siquidem facit magnam præsumptionem. Vt dicit *lex.* 9 *supra relata fine*.

12 Decimò, consanguinei, & affines vsque ad quartum gradum cogi non possunt iurare contra consanguineos, vel affines in causa criminali. Si tamen liberè se offerant, admittendi sunt. Habetur expressè in *leg. nostri regni leg.* 11 *tit.* 16. *partita* 3 & *leg. fin tit.* 6 *partita* 7 Et ibi Gregorius Lopez. In criminibus verò bene admittitur frater contra fratrem; & pro ipso si separatè viuant, notat Gloss. *c. consanguinei.* 3. *q.* 5. Et habetur *leg.* 15. *tit.* 6. *partita* 7. Si autem sub patria potestate sint, neque vtriusque hæreditatem, aut legitimam diuisam habeat, non poterit vnus pro alio testificari, neque contra; neque mulier pro merito aut è contra. Neque ascendentes pro descendentibus in linea recta. Excipe de consanguinitate aut ætate probanda, habetur in suprædicta *leg.* 4. *tit.* 16. *partita.* 3. & in *cap. super eo de testibus*, Et ibi *Ioannes Andreas*. Imò etiam admittuntur parentes in testes super fœdere matrimonij, & notat Gloss. *c. quod verò* 3. *q.* 5. nisi forte propter incrementum & honorem filiorum videantur suspecti de veritate dicenda. Habetur expressè, in suprædicto *c. super eo de testibus*. Vbi filia parens virum aliquem maiorem se adduxit matrem in testem promissionis. Quæ mater repulsa est à testimonio eò quod suspecta esset de veritate dicenda propter incrementum, & honorem filiæ.

13 Vndecimo domesticus ipsius producentis etiam à testificando in quolibet negotio ipsius producentis repellitur. Qui verò nomine domestici intelligantur. Explicat Gloss. *c. quod verò* 3. *q.* 5. & *leg.* 18. *tit.* 16. *partita* 3. ibi, *En su pleyto mismo ninguno puede ser testigo: Atrosino puede ser cauido en aguel pleyto testimonio de su Hijo, ni de su Sieruo, ni de su Afortunado, ni de su Mayordomo, ni de su Quintero, ni de su Ortelano, ni de su Molinero, ni de Ome que sea su paniaguado*. Imò neque fideiussor secundum omnem sententiam, quam cum Aterino & Iason tradit ibi *Lope* potest esse testis in causa principalis debitoris, quia sua interest maximè illud negotium. Bene tamen singuli de vniuersitate, & collegio esse testes possunt in causis pertinentibus, non ad singulos in particulari, sed ad collegium, vt notat ibi Gregor. Lopez. *supradicta leg.* & docentur hæc omnia expressè *c. si testes* 4 *q.* 3. *circa medium*. Qua verò ratione seruus, aut qui seruus fuit testificari possit contra Dominum, & in quibus causis optimè traditur in *leg.* 12. & 13. *tit.* 16. *partita* 3.

14 Duodecimo. Clerici Sacerdotes prohibentur iurare in iudicio absque graui causa; eò quod eorum dignitatem dedeceat dubitari passim de veritate dicenda, habetur. *cap. si quis Presbyter.* 2. *q.* 4. ibi non omnimode Iuramenta prohibentur fieri à sacerdotibus, sed in causa, & ea quæ pro quolibet causa temporali iudicio offeruntur. Vnde pro fama tuenda, rebu familiaribus defendendis, si alia via succumbit; pro fide, pro obedientia, pro indemnitate suæ Ecclesiæ benè Sacerdos iurare potest, vt constat, ex *c. cum nuntius de testibus*, & *sequentibus & tradit*. Azor. 1. *p. lib.* 11. *c.* 11. *q.* 6. Sanch. *lib* 3. *in Decalog. c* 3. *n.* 7. & *aliis*. Coram Laico verò tanquam superiori in nullo negotio, etiam ciuili Clerici etiam in minoribus constituti priuilegio fori gaudentes iurare possunt, aut in testes vocari, absque Episcopi licentia *c. nullus.* 22. *q* 5. *c. Quamque* 14. *q.* 2. & *c.* 1. *de Iuramento calumnia in fine*. Quod si veritas manifestari aliter non potest, cogi poterunt & debent per Episcopum, vt notauit *Gloss. in c. statutum* 2. *q.* 6. *vers. Ad testimonium*. coram Laico autem, vt æquali, & vt parte contrahente iurare possunt etiam Sacerdotes, vt constat *ex c. descriptio, de iureiurando*. Vbi Abbas cuiusdam Monasterij accepta in mutuum pecunia à quodam P. sæculari Monachos sui conuentus obsides dedit, qui de obseruanda conuentione iurarunt, & passim fit talę Iuramentum. Ita Sylvest. *verbo Iuramentum*. 2. *q.* 3. Sanch. *d. lib.* 3. *in Decaleg c* 3. *n.* 8.

Quod si loquamur de Iuramento calumniæ (quod quinque capita continet,) vt explicat *Gloss in c inhærentes. de* 1. *calumnia*. Primò quod credat se bonam causam habere? Secundò interrogatus non negabit quod verum esse credit. Tertiò neque vtetur scienter falsa probatione. Quartò, quod dilationem non petet in fraudem. Quintò, neque dedit, neque dabit, neque promisit, neque promittet aliquid pro hac causa, nec illis personis, quibus leges dare permittitur, distinguendum est; aut clerici litigant de propria causa, aut super causam Ecclesiæ. Si in propria causa; necessario præstandum illis est Iuramentum calumniæ, habetur *c. cæterum de Iuramento* ibi. Præstari faciatis ab vnaquaque parte calumniæ Iuramentum consuetudine, quæ legi contraria est, non obstante. At si pro causa Ecclesiæ litigant, non compelluntur Iuramentum præstare de calumnia si velint œconomum constituere qui Iuramentum præstet, petat, agat, & excipiat: Habetur. *c. fin. Imperatorum de Iuramento calumniæ*, & *c fin. eodem tit*. Si autem nolint procuratorem constituere qui petat, agat, & excipiat, sed velint ipsi per propriam personam litigare, iurare debent de calumnia, neque poterunt alteri substitui, vt habetur in *d. c.* & tradit Gloss. præcipuè *c.* 1. verbo *criminali*. Azor. 1. *p.* 11. *c.* 11. *in fine*, & Sanch. *cum aliis lib.* 3 *c.* 3. *n.* 7. *in fine*. semper tamen hoc Iuramentum faciendum est de licentia Prælati, si coram non superiore Clerici litigant, Sanch. *n.* 8. & vide pro pleniori huius puncti intelligentia *d.* 1. *p. tract.* 4. *de fide. disp.* 8. *punct.* 15. *vbi de testibus*.

15 Petes an iurans in iudicio debeat esse ieiunus? Respondeo debere esse. Habetur *c. Honestum.* 22. *q* 5 & *c. placuit*, 4. *q.* 3. ibi nullus ferat testimonium nisi ieiunus, idem habetur *c.* 1. *de testibus*. Sed hæc conditio vt benè notat Sanch. *l b.* 3 *in Decalog. c* 3 *n* 4. aliis relatis, solùm est ex consilio non ex præcepto. Quod verò à septuagesima vsque in octauam Paschæ, & ab aduentu Domini vsque in octauam Epiphaniæ; nec non in ieiuniis quatuor temporum, & in feriis maioribus, & in diebus Dominicis & Rogationum nisi de concordia & pacificatione nullum Iuramentum præstetur, vt traditur *c. decreuit.* 22. *q* 5 iam vsu est abrogatum, vt notat ibi Gloss. & Doctores communiter. Excipe nisi in diebus dominicis, & festiuis, quibus Iuramentum iudiciale interdictum est, nisi pro bono pacis, aut piæ causæ, & habetur. *c. Conquestus de Feriis*.

PVNCTVM IV.

An Iuramentum sit actus licitus, & honestus?

SVMMARIVM.

1 *Expeditur esse actum virtutis.*

2 *Declarantur conditiones requisitæ vt sit Iuramentum actus virtutis.*

3 *Qualiter in Iuramento assertorio, sicut, & in promissorio iustitia reperiri possit.*

1 VT clarius essentia Iuramenti innotescat hanc facilem quæstionem præmittimus. Difficultatem fecit ille locus. *Matthæi* 5. Ego autem dico vobis non iurare omnino. Et illud *Iacob c.* 5 ante omnia fratres mei nolite iurare. In quibus videtur vsus iuramenti condemnari, &c.

Cæterum catholica veritas est iuramentum actum esse virtutis si cum debitis circumstantiis fiat, constat ex scripto *Deuteronom.* 6. Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis, & *Psalmo* 62. Laudabuntur omnes, qui iurant in eo. Eaque de causa sæpe Sancti Patres iuraruntad firmandos contractus,

tractus, Abraham, Isaac, Iacob. *Gen.* 21. 26. & 31. in lege scripta Moyses. *Deuteronom.* 4. sub Iuramento affirmauit populum esse periurum, & in lege gratiæ Paulus iurauit. 2. *ad Corinthios* 1. cum dixit. Ego autem testem Deum inuoco in animam meam. *Et ad Galatas*, 1. Et alibi sæpe. Atque credibile non est, tot viros sanctissimos Iuramento vsos fuisse, nisi esset licitum Iuramentum; & confirmari potest ex consuetudine, & vsu Ecclesiæ cuius auctoritate sæpe iuramentum exigitur, & ex vsu omnium gentium. Ratio conclusionis est, quia opus erat nostris dictis quæ fallibilia sunt, firmitatem certam tribuere. Sed nulla alia via id obtinere poteramus, quam diuinæ auctoritatis interpositione. Conueniens ergo & iustum erat ad hunc finem, diuinam auctoritatem implorare. Neque obstat locus relatus Matthæi. Nam vt bene explicat Maldonat. *super hunc locum.* Valentia 22. *disp.* 6. *q.* 7. *punct.* 3. *paulo post principium.* Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 1. *n* ... *c.* 2. *à n.* 9. Non prohibuit Christus Dominus iuramentum absolutè, sed iuramentum sine necessitate. Putabant enim iudæi iuramentum, præcipuè per creaturas factum licitum esse in qualibet occasione; à quo errore eos liberare intendens Christus, dixit, nolite iurare omnino (hoc est nisi necessitas vrgeat: sed sermo vester sit, non, non. Iusiurandum enim vt bene dicit. Sanch. 3. *lib.* 3. *in Decalog. c.* 3. *concl.* 2. Lessius *lib.* 2. *de iustitia c.* 42. *dub.* 3. Bonacina *disp.* 4. *quæst.* 1. *punct.* 3. *in princ.* non est de genere eorum quæ per se appeti possunt; sed est instar medicinæ, quæ solum in necessitate appetimus; ita similiter iuramentum solum quando necessitas confirmandæ veritatis adest, appetendum est. Vnde Innocentius III. in *c. Et si Christus de iureiurando*, explicuit, notanter dixisse Christum, iuramentum à malo esse & non malum esse. Quia ex mala radice occasionaliter prouenit; scilicet ex incredulitate exigentium. Hinc fit non esse passim frequentandum, cum quia non passim occurrit necessitas; tum etiam quia vt rectè Suar. *supra n.* 15. facilius fides adhibetur ei qui semper loquitur verum & nunquam iurat, quam ei, qui frequenter iurat.

2 Circumstantias quæ iuramentum comitari debent vt sit actus virtutis, enumerauit Ierem. 4. illis verbis. *iurauit viuit Dominus in iustitia, in iudicio, in veritate.* Has conditiones omnes Doctores amplectuntur cum D. Thom. 2. 2. *q.* 89 *art.* 3. & cum Hieron. *in cap. animaduertendum* 22. *q.* 2. Primò veritas in omni iuramento ad eius honestatem requiritur. Siquidem infallibilis veritas, quæ est Deus, in testimonium adducitur; adducitur autem in testimonium verum in iuramento assertorio, si iurans iureiurando affirmet rem quatenus sibi cognita est, ita vt rem quam existimat certam pro certa affirmet, & quam putat dubiam pro dubia firmet. In promissorio veritas elucet, si ex animo promittat, & promissum impleat. Secundò requiritur in omni iuramento iudicium (hoc est) matura consideratio de necessitate, & vtilitate iurandi; quam vtilitatem, & necessitatem explicuit Sanch. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 4. *n.* 4. cum Soto. *lib.* 8. *de Iustitia. q.* 1. *a.* 3. *ad finem corporis.* in iis consistere; videlicet, vt iuramento stabilienda nequeant alia via comprobari. Patentissimæ enim veritates, vel speculatiuè dubia quæ rationibus muniri debent iuramento confirmare, temerarium est. Deinde debet subesse necessaria aut pia iurandi causa. Item debet præcedere veritatis maturum examen. Sed adhuc manet anceps, quæ sit pia iurandi causa, quódque sit maturum examen. Vnde Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 8. vnico verbo hanc necessitatem & vtilitatem explicuit affirmans prudenti arbitrio iudicandum esse, ideóque vocari iudicium & discretionem; quia iudicio, & discretioni prudentis relinquitur. Tertiò requiritur iustitia, (hoc est) vt id quod iuratur honestè iuretur.

3 Sed non caret difficultate. Qualiter hæc conditio tam iuramento promissorio, quam assertorio competere possit? Non enim ex eo quod rem iustam, & iniquam affirmes, defuit iuramento iustitia: Siquidem illam iustè & licitè affirmare potes, vt patet cum ob aliquem bonum finem, peccatum tuum vel alterius iuramento confirmes. Deinde iuramentum est inuocatio diuini testimonij ad fidem faciendam & veritatem confirmandam. Quòd verò hæc veritas confirmanda, & fides facienda sit de aliquo obiecto bono, vel turpi, per accidens est ad rationem Iuramenti, & illius naturam non immutat, ergo Iuramentum ex hac parte iniustum, & iniquum esse non potest.

Cæterum dicendum est, tam in Iuramento promissorio, quam assertorio hanc conditionem requiri. Sic Diuus Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 3. *ad* 2. Et ibi Caietan. statim *in princip.* Valentia *disput.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 3. *vers. Similiter iustitia.* Sotus *lib.* 8. *de iustitia quæst.* 1. *art.* 3. *colum.* 2. Toletus *lib.* 4. *summæ c.* 21. *n.* 10. *fine.* Sanch. *lib.* 3. *de iuram. c.* 3. *n.* 6. & *lib.* 3. *c.* 2. *n.* 7. & 8.

Diuersimode tamen in iuramento assertorio, ac in promissorio iustitia requiritur, vt rectè notauit Valentia *d. disp.* 6. *q.* 7. *punct.* 3. *vers. Similiter iustitia. pag.* 1389. Nam in promissorio debet esse iustitia, tum ex parte materiæ, tum ex parte actus iurandi; requiritur enim vt id, quod promittis faciendum, iustum, & honestum sit, & quod iusta & honesta sit promissio, ita vt si res promissa iniusta & inhonesta sit, inhonesta & iniusta sit promissio, & iuramentum. At è contra in iuramento assertorio non semper iniustum est iuramentum quando iniustum est, quod asseritur, vt rectè probat ratio dubitandi, sed solùm erit iniustum, quando iniustè & iniquè asseritur. Quod, qua ratione contingat, statim explicabo.

Et quidem in Iuramento promissorio clarum est, si deficiat iustitia ex parte materiæ promissæ necessariò in actu iurandi deficere debere. Si enim iures fornicaturum esse, vel occisurum inimicum, huic Iuramento iustitia deficit; quia rem iniustam iniustè, & iniquè iuras. Iniquitas autem, & iniustitia huius iuramenti non tantum sita est in simplici enuntiatione fornicationis, vel occisionis futuræ: Hanc enim Angeli, & Prophetæ enuntiare licitè sub iuramento possent: sed sita est in firmitate & robore, quod tuæ prauæ voluntati ad rem iniquam faciendam prætendis per iuramentum concedere. Assumis enim nomen Dei vt tua praua voluntas inde fecurior & firmior in malo reddatur, & prauum opus certiùs executioni mandetur. Quod nemini dubium esse potest, esse contra reuerentiam, & religionem Deo debitam.

Ex hac ergo doctrina concludo, quomodo in iuramento assertorio defectus iustitiæ esse possit. Non enim ex eo deficit, quod rem iniquam iures; sed ex eo quod illam iures ad firmiorem, & securiorem reddendam. Quia tunc iniquè & iniustè nomen Dei assumis. Siquidem illud assumis, vt medium & instrumentum iniquitatis. Quod autem hoc intelligere possit manifestum est. Si enim crimen occultum proximi reuelares, ex cuius reuelatione grauatur eius opinio, & reuelationem iuramento firmares, iam iuramentum assumis, vt medium, & instrumentum ad securiorem, & firmiorem iuramentum ad securiorem, & firmiorem reddendam tuam iniquitatem. Tua enim iniquitas in eo sita est, vt reuelatione occulti delicti proximi malam de illo audientibus opinionem ingeras, sed hanc malam opinionem auges, firmiorémque reddis iuramento. Ergo tale iuramentum iniquum est & iniustum. Ergo in iuramento assertorio defectus iustitiæ esse potest: non ex eo, quod res iurata remota mala sit, sed ex eo quod malè iuretur, assumendo iuramentum vt firmamentum iniquitatis.

Punctum V.

Quod peccatum sit defectus veritatis, iustitiæ, & iudicij in Iuramento assertorio.

Summarium.

1 *Defectus veritatis in Iuramento assertorio semper est mortale.*
2 *Qualiter desumatur veritas in Iuramento.*
3 *Colligitur decisio cuiusdam casus frequentis.*
4 *Vnde defectus iustitiæ in Iuramento assertorio sumendus sit, & qualiter sit mortalis vel venialis.*
5 *Detractionem proximi Iuramento firmare est graue peccatũ.*
6 *Si te de proprio peccato iactes, & narrationem Iuramento firmes. Non videtur graue peccatum contra religionem.*
7 *Defectus iudicij veniale peccatum est.*

1 VEritas certissima est, quam omnes Doctores Catholici amplectuntur, defectum veritatis in Iuramento assertorio, (etiamsi aliàs leuissimus esset) constituere peccatum mortale. Neque vnquam excusari posse, nisi ex defectu perfectæ libertatis. Ratio est manifesta; quia inuocare Deum in testem falsi, est grauissima illius iniuria; cum Deus sit summa veritas, cui falsitas etiam leuissima infinitè repugnat.

2 Aduerto tamen, mendacium in Iuramento assertorio, non tam desumi ex confirmatione Iuramenti cum re asserta in se, quam in mente iurantis. Potes namque iurare rem aliter quam à parte rei est; & non ob inde falsum iurare; quia prudenter existimasti, sic se habere. Et è contra iurare potes rem, provt est in se; & falso iurare; si prudenter existimabas aliter se habere. Debet ergo Iuramentum assertorium, vt verum sit, conformari cum intellectu iurantis. Ex quo fit, si rem, quam existimas dubiam vt certam affirmes, vel quam existimas certam, vt dubiam iures, periurium falsum committere. Quia firmas Iuramento rem aliter, quam habes in mente. Sic Sayro *in claui Regia lib.* 5. *cap.* 4 *num.* 7. Nauarr. *sum. cap.* 12. *num.* 7. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de Iuramento cap.* 4. *num.* 7. Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 3. *num.* 17. Sanchez *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 4. *à n.* 6. Bonacina *disp.* 4 *quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 6. 8. & 10.

Dixi

Dixi ad Iuramenti veritatem te obligatum esse, affirmare rem secundum quod prudenter existimas se habere. Non enim ad assertionem formaliter veram notitia mathematica, & omnino infallibilis requiritur; aliàs vix posses iurare, sed sufficit si prudenter, (hoc est) secundum probabilem rationem ita esse arbitreris. Sic Valent. 22. *disp. 6. quæst. 7. punct. 3. vers. veritas enim.* Sanchez, *d cap. 4. num. 10.* Bonacina, *d. disp. 4. q. 1. punct. 3. n. 5.* & alij communiter.

3 Ex qua doctrina infert Sanchez *à num. 11.* decisionem casus frequenter contingentis, non esse inquam necessarium testificantibus de aliquo scholastico confluxisse ad scholas toto tempore requisito ad cursum conficiendum, vidisse eum singulis diebus; sed sufficere, si communiter viderint scholas adeuntem; inde enim rationaliter credunt vniuersalitatis statuto, quod est vt maiore parte anni in scholis versentur, satisfecisse. Alia námque testificatio, quia moraliter est impossibilis, non censetur postulari; non tamen satisfacient Iuramento si solum audiuerint etiam à fide digno illum ad scholas adiisse. Nam licet extraiudicialiter satis sit hæc notitia ad iurandam rem absolutè, in iudicialibus tamen semper testis quando absolutè testatur, testari censetur de visu & præsentia propria; & secundum hunc sensum expostulatur Iuramentum, *cap. testes 3. q. 9.* Et notauit Bonacina *disp. 4. quæst. 1. punct. 3. num 7.* Quare nisi supradicti testes adderent se scire solum quia à fide dignis audierunt, sine dubium iurarent falsò. Verum si granduandus expostularetur Iuramentum de cursu peracto, vt ipse ad testificandum alios induceret, deberet ei certò & infallibiliter constare maiori parte anni in scholis fuisse versatum. Quia talis sententia possibilis est & prudenter videtur expostulari.

4 Defectum iustitiæ in Iuramento assertorio plures Doctores censent esse mortalem, vel venialem secundum quod narratio confirmata Iuramento mortalis, vel venialis fuerit. Sic Toletus *lib. 4 cap. 21. num. 11.* consentit Sotus *libro 8. de Iustit. quæst. 1. art. 3 col. 2.* Et Petrus de Le Iesma *2. tom. sum tract. 11. cap. 2. dub. 4.* quatenus comparant hoc Iuramentum Iuramento promissorio de re iniusta.

Verùm superiori puncto satis probatum est defectum iustitiæ in Iuramento assertorio non esse sumendum ex eo quod Iuramentum confirmet narrationem, quæ mortalis sit, vel venialis; sed ex eo quòd assumatur vt medium & instrumentum ad finem prauum. Quare si finis ad quem Iuramentum vt medium assumitur mortalis sit, mortale erit Iuramentum, si venialis, veniale. Sic Sanchez *libro 3. in Decalog. cap. 4. num. 33. circa finem,* Suarez *tom. 2. de Religione lib. 3. de Iuramento c. 12. n. 7. & 8.*

5 Hinc infero quotiescunque proximum grauiter detrahis, detractionémque Iuramento confirmas, peccatum graue committere. Quia assumis Iuramentum vt medium & firmamentum grauis iniquitatis; nam illud assumis ad firmiorem & veriorem faciendam detractionem proximi. Neque ab hac intentione, quæ est in essentia Iuramenti imbibita excusari potes. Et ita in hoc casu esse peccatum mortale, defendit Sanchez & Suar. *supra.* Bonacina *disp. 4. q. 1. punct. 3. fine.* Reginaldus *lib. 18. summ. n. 87.*

6 Secundò infero te non committere peccatum mortale aduersus religionem, & contra Iuramentum, cum proprium peccatum manifestas, & de illo te iactas, & vt credaris commisisse vel complacentiam illius habere, Iuramento narrationem confirmas. Nam esto illa narratio ob complacentiam mortalis sit, Iuramentum non assumitur vt medium ad augendam & firmandam illam mortalem complacentiam in se, sed in audientium animis; (hoc est) assumitur, vt medium ad firmandam in auditoribus credulitatem illius, qui finis non videtur mortaliter prauus. Consentit Suar. & Sanch. *supra.*

7 Deinde defectus iudicij, qui in eo situm est, vt Iuramento deficiat causa honesta & vtilis ad iurandum, si præcisè considereturnunquam excedit culpam venialem, tam in Iuramento assertorio quam promissorio. Quia non videtur grauis irreuerentia Deo fieri, quòd eius nomen absque necessitate inuocetur, si iustè & verè inuocatur; Sic Sayro *in claui Reg. lib. 5. cap 4. num. 32.* Lessius *lib. 2. c. 42. dub. 3. n. 17.* Suar. *tom. 2. de Relig lib. 3. de Iuram cap. 12. n. 3.* Nauarr. *cap. 12. num 3.* Sanch. *lib. 3. in Decalog. cap. 4. n. 35. & testatur esse omnium.*

Dixi non excedere culpam venialem defectum iudicij: si præcisè consideretur. Quia sæpè, ex huiusmodi defectu nascitur negligentia in inquirenda veritate, & iustitia ad Iuramentum requisitis, & tunc si negligentia grauis sit, peccatum erit mortale non tam ob defectum iudicij, quam ob periculum falso & iniustè iurandi. Si solum negligentia leuis, & imperfecta fuerit, peccatum erit tantum veniale. Valentina *aliis relatis 22. disp. 6. quæst. 7. punct. 3. post medium,* vbi de iudicio, *pag. 1394.*

PVNCTVM VI.

Quale peccatum sit in Iuramento promissorio defectus veritatis & iustitiæ.

SVMMARIVM.

1 *Defectus veritatis de præsenti semper est mortalis.*
2 *Verba per exaggerationem dicta non aduersantur veritati.*
3 *Proponitur quædam obiectio aduersus superiorem doctrinam, & soluitur.*
4 *Defectus veritatis de futuro sæpe non est peccatum.*
5 *Si res promissa iusta, & grauis sit, obligatusque sis ad illius executionem, peccatum est mortale.*
6 *Si leuis, plures affirmant esse mortale.*
7 *Alij distinctione vtuntur.*
8 *Probabilius est, veniale esse.*
9 *Defectus iustitiæ graue, vel leue peccatum est iuxta materiæ qualitatem ex communi sententia.*
10 *Proponuntur aliquot obiectiones, & fit illis satis.*
11 *Iuramentum non præstandi aliquid quod sub consilio tantum ordinatur veniale est.*
12 *Omittere consilium Euangelicum, quia iuratum est, quale peccatum sit?*

1 SI de præsenti veritate loquamur, quæ consistit in eo quod Iuramentum conforme sit tuæ menti, (hoc est) voluntati exequendi promissum; certa sententia est, huius defectum semper esse mortalem; siue res, quæ promittitur parua sit, siue magna, siue licita, siue illicita. Quia in hac veritate Iuramentum promissorium cum assertorio conuenit; ac proinde sicut grauissima Deo irrogatur iniuria, si in testem assertionis falsæ adducatur; ita similiter est grauissima iniuria si in testem falsæ promissionis inuocetur, vtroque enim modo fit Deus à iurante testis falsus.

2 Sed aduerte non esse contra veritatem huius Iutamenti, si per exaggerationem iures, etiamsi verba videantur contraria intentioni; vt si famulo vel filio iures fore vt caput infringas, & ossa comminuas, vel interficias. Dicuntur enim hyperbolicè, & faciunt hunc sensum, te fore illos grauiter percussurum. Vnde si habes animum castigandi grauiter, non peccas contra veritatem; nec contra iustitiam, saltem grauiter, si punitione graui dignus sit. Quod à simili probari potest cum aliquem laudas de agilitate, & Iuramento, firmas esse sicut aquilam velocem. Quod (Hispanè) solet dici; *es vn pensamiento.* Non enim verba vsurpantur in rigorosa significatione, vt de se constat; sed in eo sensu, quo denotent magnam in illo esse agilitatem. Et facit illud 2. *Regum* 1. Vbi dicuntur Ionatas, & Saul aquilis velociores, & leonibus fortiores. Sic Sanchez *libro 3. in Decalog. cap. 4. num. 9. 19. & 20. & cap. 9. num. 16.* Clauis Regia *lib. 5. cap. 5. num. 12.* Bonacina *disp. 4. quæst. 1. punct. 3. num. 6.*

3 Obiicies in Iuramento promissorio de re illicita obligaris non habere animum implendi non solum absolutè, sed etiam ex suppositione Iuramenti. Nam etiam facta illa suppositione habere animum exequendi rem illicitam est graue peccatum, grauisque iniuria Deo irrogatur. Ergo obligatus es non habere talem animum. Ergo obligatus es iurare sine veritate, ergo peccate non poteris.

Respondeo te obligatum esse non habere animum exequendi rem illicitam. Sed non inde fit te obligatum esse iurare sine veritate. Quia non obligaris iurare posito, quod non potes animum habere rem promissam exequendi; sic respondet Valentia 22. *disp. 6. q. 7. punct. 3. concluf. 2. pag. 1390.*

4 Si verò de veritate futura loquamur, quæ in executione rei promissæ consistit. Sæpè defectus in illa nullum est peccatum, eò quòd res promissa, aut comminata iusta non sit, & casu quod iusta sit, aliquando expedit eam non exequi: quia mutatæ sunt circumstantiæ, quibuscum Iuramentũ obligabat.

Solum est difficultas, an quando res promissa iusta est & ex Iuramento teneris illam exequi, pecces mortaliter si omittas illius executionem? In qua difficultate omnes conueniunt si grauis materia sit, esse peccatum mortale, illam non exequi, tum quia grauis irreuerentia Deo exhibetur illius auctoritatem in re graui contemnendo. Tum quia violatio voti in re graui est graue peccatum. Ergo à fortiori violatio Iuramenti, cuius obligatio maior est.

6 Verum quando res promissa leuis est, variant Doctores. Prima sententia affirmat esse peccatum mortale. Sic Gabr. *in 3. d. 39. quæst. 2. art. 2. concluf. 4. & 7.* Caietan. *in summa* verb. *periurium cap. 2.* Armilla verb. *iurare, num. 12.* Valentia *2. 2 disp. 6. quæst. 7. punct. 3. concluf. 3.* Lessius *lib. 2. de iustitia cap 42. dubio 5. num. 25.* Bonacina *tom. 2. disp. 4 quæst. 1. punct. 14. num. 2.* Reginald *lib. 11. n. 79.* Ratio est, quia in Iuramento promissorio adducis Deum in testem non solum veritatis præ-

sentis,

ſentis, ſed futuræ;id eſt non ſolum iuras te habere propoſitum, & animum exequendi rem promiſſam; ſed etiam illam eſſe executurum, ergo ſi de facto non exequeris; cum poſſis, & tenearis? efficis quantum eſt ex parte tua Deum ſa ſo fuiſſe teſtatum. Quod tam in graui materia, quam leui eiuſdem rationis eſt, vt liquet ex eis quæ de Iuramento aſſertorio diximus.

7 Secunda ſententia diſtinctione vtitur, affirmat námque ſi materia promiſſa ſit totalis, defectum in eius executione peccatum mortale eſſe; ſi verò ſit partialis eſſe veniale. Ratio huius ſententiæ eſt, quia defectus in partiali materia, & leui non videtur ſufficiens ad conſtituendum Iuramentum falſum. Nam iurans recitare horarium, & vnum aue prætermittens abſolutè horarium dicitur recitaſſe, & promittens ſoluere centum aureos, ſi ſoluat vno aſſe prætermiſſo, cenſetur abundè promiſſioni ſatisfacere; neque ob tam leuem materiam omiſſam vocabitur infidelis, & falſus. Secùs verò ſi materiam integram non ſoluerit, falſus & infidelis reputabitur. Ergo defectus in materia totali graue peccatum erit; ſecùs in materia partiali leui. Sic Caietanus 2.2. *quæſt.*87. *art.7.dub.*1. Couarr. *lib.* 1. *variarum cap.* 1. *num.* 2. *verſ.* 2. *ad finem* Et in cap. *quamuis pactum*, 1.*p.* §. 1. *num.*4. Cordoua *in ſumm. q.*188. Sayro *in claui Reg. l.* 5. *cap.*4. *à n.*28. Philiar. de offic. ſacerdotis *tom.*1. 2.*p. l.*3. *cap.*3.

8 Tertia ſententia abſolutè docet, eſſe ſolum peccatum veniale, ſiue materia promiſſa leuis,ſit totalis, ſiue partialis. Hoc enim vt bene probat Suarez *tom.*2. *de Relig. lib.*3. *de Iuramento*, *cap.* 16. *à num.*5. & Valent. 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.*7. *punct.*3. *concluſ.*3. nullius eſt conſiderationis. Quia ſi ſemel ponamus defectum in materia totali eſſe mendacium;& Deum in teſtem falſi fuiſſe adductum, etiam quando eſt defectus in materia partiali mendacium erit. Nam qui deficit in parte materiæ promiſſæ ſine dubio non verum reddit promiſſum. Nam hæc veritas conſiſtit in adæquatione executionis cum promiſſione. Si ergo executio promiſſioni non adæquat omnimodo, abſolutè redditur falſum. Quod exemplo Iuramenti aſſertorij confirmari poteſt. Si enim diceres in hac vniuerſitate eſſe ducentos & quinquaginta Scholaſticos, ſcires tamen non eſſe, niſi ducentos & triginta & octo, ſine dubio mendacium diceres, niſi illa prima propoſitio intelligeretur moraliter (hoc eſt) eſſe ducentos & quinquaginta plus minúſve, quia propoſitio affirmata non adæquat intellectui. Quapropter ſiue defectus ſit in materia totali, ſiue in partiali affirmat hæc ſententia, cui ego vt probabiliori aſſentior, non eſſe peccatum mortale. Sic Diuus Antoninus 2.*p. tit.*10 *cap.*4. §. 1. Angelus verbo *Iuramentum* 5. *n.*41. Sylueſt. *eodem* 4. *q.*1. Nauarr. *ſumm. cap.*12. *n.*10. *& c.*18.*n.*7. Man. Rodrig. 1. *tom. ſumm. c.* 192. *n.*5. *in editione.* Azor. *tom.*1.*inſtitutionum moral.lib.*5.*c.*27.*& lib.*11. *c.*5. *q.*3. Suar. *tom.*2. *de Religione tract.*4. *lib.* 3. *de Iuramento cap.*16. *à n.*9. Sanchez *lin.*3. *in Decalog. c.*4. *n.*23. *cum aliis.*

Ratio præcipua ſumitur ex Diuo Thom. 2. 2. *q.*110. *art.*3. *ad* 5. Vbi ait. Qui aliquid promittit, ſi habeat animum faciendi, quod promittit, non mentitur. Quia non loquitur contra id, quod gerit in mente. Si verò non facit, quod promittit; tunc videtur infideliter agere, per hoc quod animum mutet. Quod ergo mendacium propriè non committat in omittenda promiſſione, non adducit Deum in teſtem falſi. Et confirmo, cum ſub iuramento promittis aliquid faciendum, non ſolum iuras in actu exercito; te habere animum exequendi rem promiſſam; ſed etiam iuras formaliter, te eſſe executurum. Ergo illud iuramentum tunc eſt verum vel falſum. Ergo eius veritas vel falſitas, moralis non pendet ex futuro euentu; ac proinde eſto non exequaris rem iuratam, cauſa eſſe non poteſt, quod Deus à te inductus fuerit in teſtem falſi. Aliàs ob nullam rationem excuſari poſſes ab executione rei iuratæ. Deinde in iuramento promiſſorio non inuocas Deum, vt teſtetur te fore executurum rem promiſſam. Nunquam enim ad hoc munus teſtimonium diuinum expoſtulatur, ſed ſolum expoſtulatur vt ſub ſua authoritate promiſſionem illam ſuſcipiat. Ergo poſtea executionem omittens infideliter agis, non tamen mentiris. Eſſe autem infidelem in re leui non eſt grauis iniuria Dei. Quia non deſtruitur ſpeciale aliquod ipſius attributum etiam in effectu hominis. Non enim deſtruis veritatem, ſiquidem illo tempore cum executionem omittis, non adducis Deum in teſtem; quando verò promiſiſti, verè adduxiſti. Neque etiam deſtruis eius fidelitatem; quia non inuocas Deum vt ipſe promittat, ſed ſolum inuocas vt aſſiſtat promiſſioni & obligationi, præbeátque auctoritatem futuræ executioni. Ex qua aſſiſtentia prouenit irreuerentia quæ Deo fit cum impletur id, quod ſub eius auctoritate promiſſum eſt.

Hinc fundamenta contraria ſoluta manent. Siquidem Deus in iuramento promiſſorio vt reſpicit rem futuram non adducitur vt teſtis formaliter, ſed vt præbens auctoritatem futuræ executioni per modum fide iuſſoris,non qui in ſe obligationem ſuſcipiat, ſed qui ſua præſentia & teſtimonio firmitatem tribuat promiſſioni.

9 Quantum verò ad iuſtitiam attinet. Communis ſententia defendit ſpectandam eſſe materiam, quæ ſi grauis ſit, mortale peccatum erit iuramentum in quo ipſa deficiat. Vt ſi iures fornicari, grauiter vindicari, aliudve mortale peccatum facere. Ratio eſt, qui auctoritate diuina, diuinóque teſtimonio te firmas in propoſito peccandi mortaliter. Ergo. Peccas mortaliter contra reuerentiam Deo debitam; idem teneris ſub mortali non facere id, quod iuras. Ergo perinde eſt, ac ſi falſum iuraſſes. Et in hac parte omnes conueniunt. At ſi materia leuis ſit, eò quod vindicatio iurata ſit leuis, affirmat communis ſententia ſolum eſſe culpam venialem. Quia non videtur grauis Deo irreuerentia fieri quod eius auctoritate te firmes in propoſito veniale peccatum committendi,præcipuè cum ſolùm ſub obligatione venialis culpæ tenearis iuramentum illud non exequi. Sic expreſsè Nauar. *ſum. c.* 12. *n.* 13. *&* 15. Couarr. *de pactis* 1.*p.* §.6.*n.*6. Azor. *tom.*1. *l.*11. *inſtitutionum moral. c.*5. *q.*1. Valent. 2. 2. *diſp.*6. *q.*7. *punct.* 3. *poſt medium.* Suar. *tom.*2. *de Relig. tract.*4. *l.*3. *de iuram. c.*19. Leſſius *l.*2. *cap.*42. *dub.*4.*n.*18. Sanch. *l* 3.*in Decal.c.*4.*n.*26. *& ſequentib.* Bonac. *tom.*2. *diſp.*4. *q.*1.*punct.*3. *n.*9. *circa fin.*

10 Verum hæc communis ſententia quoad hanc ſecundam partem difficultatem patitur. Primò. Nam iurans aliquod peccatum veniale diuina auctoritate, & maieſtate prætendit ſe firmare in illo commendo. Ergo oſtendit à diuina maieſtate illud approbari;ſiquidem ſub illius præſidio promiſſum eſt. Hoc autem eſt grauis iniuria, & blaſphemia contra Deum, ergo. Et confirmo; quia adducendo Deum in teſtem, & quaſi fideiuſſorem peccati futuri adducitur vt illius cooperator. Sed Deum eſſe cooperatorem peccati, etiam leuis, infinite cum diuina bonitate pugnat; ſicut pugnat eſſe authorem. Ergo eſt grauis iniuria. Secundò; ſic iurans obligatus eſt non exequi iuratum, & cum iurat,obligatur non habere animum exequendi. Ergo perinde eſt, ac ſi falſum iuraſſet. Tertiò; ſi iuraſſes rem impoſſibilem, eámque vt impoſſibilem cognoſceres, peccares mortaliter. Quia iuras falſum. Non enim habere potes propoſitum & voluntatem implendi, quod eſſe impoſſibile apprehendis. Sed peccatum veniale inter impoſſibilia reputari debet. Nam ea facere poſſumus, quæ licitè poſſumus. Ergo iuramentum de illo committendo mortale erit.

Cæterum propter hæc, & ſi difficilia, à communi ſententia & praxi recepta, non debemus recedere. Fateor enim ſic iurantem peccatum veniale ipſo facto, prætendere diuino teſtimonio ſe firmare in propoſito illud committendi. Non quia exiſtimes fore gratum & approbandum à Deo: de hoc enim non cogitat; ſed quia ex quadam ſimplicitate & vulgari ignorantia credit? quidquid ſub iuramento promittitur, ſiue bonum ſiue malum immutabile eſſe debere. Ad confirmationem negamus in iuramẽto promiſſorio de re iniqua inuocari Deum, vt cooperatorem peccati promiſſi, ſed ſolum vt teſtem promiſſionis. Ex qua inuocatione non videtur fieri grauis irreuerentia, ſi res promiſſa mala ſit venialiter tantùm.

Ad ſecundum concedo ſic iurantem obligatum eſſe ſub veniali tantum non exequi rem iuratam; & cum iurat obligatum eſſe ſub veniali tantum non habere animum exequendi? ac proinde non peccare mortaliter. Hinc fit grauiùs peccare iurantem peccatum veniale ſine animo exequendi, quam iurantem ex animo. Quia iurans ſine animo committit peccatum mortale periurij falſi; at iurans cum animo non mortale, ſed veniale tantum committit. Duplex tamen; nempe propoſitum peccandi, & iuramentum talis propoſiti.

Ad tertium reſpondeo eſſe diuerſam rationem in iuramento de re abſolutè impoſſibili, & de peccato veniali. Quia iuramentum de re abſolutè impoſſibili reddit impoſſibilem voluntatem faciendi illam. At peccatum veniale eſto de iure reddat impoſſibilem voluntatem, non tamen de facto. Et cum ſolum ſub obligatione venialis culpæ ſit hæc impoſſibilitas iuridica non valet iuramentum mortale reddere.

11 Hinc fit iuramentum de non præſtando conſilium aliquod Euangelicum eſſe ſolum venialem culpam. Quod ſit culpa, dubium eſſe non poteſt, cum diuinum teſtimonium aſſumas ad obſiſtendum diuinæ voluntati. Sed quid hæc obſiſtentia, aliàs peccatum non eſt, non videtur grauiter diuina maieſtas in teſtem adducta iniuriari, Sic Nauar. Valent. Azor. Leſſi. Bonacin. *locis allegatis*, Sanch. *d. c.* 4. *n.*30. Suar. *c.* 18. *num.* 6.

12 Sed inquires an omittere conſilium Euangelicum, quia iuraſti omiſſurum; vel facere peccatum veniale, quia iuraſti facturum, peccatum ſit mortale, vel veniale?

Reſpondeo regulariter veniale eſſe, quia procedit ex quadam vulgari ignorantia, qua credis ſic iuratum eſſe exequendum. Sic Sanch. *lib.*3. *c.*4.*n.*29. Suar. *lib.*3.*de iuramento c.*19. *n.* 6. *&* 7. At ſi illam ignorantiam ſecludamus; exiſtimo executionem rei illicitæ vel omiſſionem Euangelici conſilij, quia iuratum eſt, per ſe mortale peccatum eſſe, eſt enim grauis blaſphemia irreuerentiam iuramenti præſtare, quod eſt contra iuramenti religionem. Adde talem executionem tacitè continere errorem in fide. Sic indicat Sanch. *n.* 29. *fine.*

PVNCTVM

PVNCTVM VII.

Quod peccatum sit in iudicio, vel extra Iuramentum præstare in alio sensu ab eo quem alius intelligit?

SVMMARIVM.

1 *In iudicio legitimo, & in contractibus peccatum est mortale.*
2 *Extra iudicium, & in contractibus sic iurare absque necessitate culpa est.*
3 *Solùm est venialis secluſa iniustitia aut alia extrinseca circumstantia.*
4 *Honesta causa intercedente nulla est culpa.*
5 *Expendantur plures casus in praxi contingentes.*
6 *Vtens amphybologia debet scire saltim in genere se posse veritatem tegere.*

1 CErtum est si iudex ita iuridicè interroget, vt tenearis te veritatem fateri, te peccaturum mortaliter si veritatem occultes amphybologico vtens iuramento. Quia facis contra obedientiam superiori debitam. Idem est quando ad firmitatem alicuius contractus expostularetur iuramentum; tu verò vt obligatione soluaris, amphybologicè iuras. Quia decipis proximum in re graui. In his omnes conueniunt vt testatur Sanch. *aliis relatis. lib. 3. in Decal. c. 7. n. 1. & 2.* Lessius *lib. 2. c. 42. dub 9. n. 46.*

2 Si verò extra legitimum iudicium, vel extra contractus indigentes iuramento ad firmitatem loquamur; nemini dubium esse potest, loqui, & à fortiori iurare sine necessitate, vel speciali vtilitate in alio sensu ab eo, quem auditores intelligunt, esse culpam, & peccatum. Quia talis modus loquendi contrarius est ciuili & politicæ hominum conuersationi, & synceræ locutioni, maximè in rebus seriis, omniáque dolis & fallaciis paterent; neminíque fides adhiberi posset, si hic modus loquendi, vt licitus approbaretur: Quapropter etsi tunc non pecces peccato mendacij, peccas tamen contra præceptum affirmatiuum dicendi veritatem sincere, & simpliciter; vt bene notauit Valent. 2. 2. *disp. 5. q. 53. punct. 2. circa finem.* Et ita hunc modum loquendi absque necessitate peccatum esse, tenet idem Valentia *ibi.* & *disp. 9. q. 7. punct. 4. circa finem.* Lessi. *lib. 2. c. 42. dub. 9. n 46. &* 48. Azor. *tom. 1. lib. 11. c. 4. q. 5.* Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 3. de iuram. c. 10. n. 10. & c. 11. n. 6.* Sayro *in claui Regia l. 5. c. 2. n. 41.* Bonac. *disp. 4. q. 1. punct. 12. n. 2. & pluribus relatis.* Sanch. *lib. 3. in Decal. c. 6. n. 16.*

Verum (secluſa iniustitia, aut, alia extrinseca circunstantia, quæ ex tali modo iurandi oriri posset) existimo tale iuramentum absque necessitate factum non excedere culpam venialem. Probo. Quia tali iuramento solum deficit comes iudicij non iustitiæ (vt suppono,) neque veritatis, vt statim probabo. Ergo solum est peccatum veniale. Quod autem tali iuramento veritas non deficiat videtur certum; Nam illud iuramentum non cadit supra propositionem exterius prolatam vtcumque, sed secundum quod restricta est animo proferentis. Verbi gratia. Rogaris an commiseris furtum, quod verè commisisti; respondes, & iuras te non commisisse, subintelligendo in illa hora, in qua rogaris; vel non commisisse coram Iudice, parente, aliísue consanguineis. Tale enim iuramentum veritatem habet? siquidem non affirmas absolutè non commisisse; sed non commisisse illa hora, in qua rogaris vel coram illis personis & hoc est veritas. Propositio ergo illa exterius prolata ex intentione proferentis determinatur, ipsúmque iuramentum supra omne illud complexum cadit. Confirmari potest euidenter ex factis Christi *Ioannis 7.* Dixit discipulis se non esse ascensurum ad diem festum paschæ, & tamen statim ascendit; quæ propositio stante scientia Christi futurorum à falsitate excusari non posset, nisi aliquid aliud superaddatur, nempe non esse ascensurum cum suis discipulis, vel non esse ascensurum manifestè & publicè, vel non esse ascensurum ad festum agendum; sed ad patiendum. Simile est illud *Marc. 3.* de die illa scilicet iudicij, nemo scit, neque filius; subintelligi enim debet ad dicendum, vel non scit à se, sed à patre. Est ergo manifestum veritatem propositionis vocalis non sumi præcisè ex verbis, vt sonant, sed secundum intentionem proferentis; idemque confirmat. Text. *in capite humanæ aures 22. q. 5.* ibi. Humanæ aures talia verba nostra indicant qualia foris sonant; diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Apud homines cor ex verbis: apud Deum verba pensantur ex corde. Pensari ergo debet falsitas, aut veritas non ex verbis præcisè sed ex corde proferentis. Ergo iuramentum amphybologice factum veritatem habet. Ergo solum illi deficere potest discretio & iustitia. Iustitiam supponimus non deficere. Aliàs prauitate materiæ esset mortale vel veniale, Restat ergo, vt sola discretio deficiat, cuius defectus (vt superiùs dictum est) venialis est? eò quod non euacuet finem præcipuum iuramenti, qui est veritatis confirmatio. Nam licet euacuet finem secundarium iuramenti, qui est confirmare veritatem necessariam: siquidem absque necessitate fit; non ob inde grauem deordinationem continent, Et ita hanc sententiam tenet Caietan. 2. 2. *q. 89. a. 7.* Suar. *tom 2. de Relig. lib. 3. c. 9. 10. & 11.* Lessius *lib. 2. c. 42. dub. 9 n. 48.* Sanch. *lib. 3. in Decalog. c. 6. n 15. & 22.* & alij *apud ipsos.*

4 Dixi esse solum venialem culpam, quando hoc iuramentum fit absque necessitate. Si enim aliqua causa honesta occultandi veritatem intercedat, qualis esset si ad tuam tuorúmque salutem, honorem, rem familiarem tuendam conueniret, occultatio; aut si conueniret, ne annueres interroganti iniustè; nullam culpam committis. Sic amphybologicè iurans. Et ratio est clara quia defectus iudicij, qui in tali iuramento esse poterat, cessat interueniente causa iusta sic occultandi veritatem. Sic tenet expresè Nauarrus *capite humanæ aures. 22. q. 5. in q. 2. n. 12. & in summa c. 12 n. 9. &* 19. Toletus *lib. 4. summæ. c. 21. n. 9.* Suar. *lib. 3. de Iuram. c. 10. num* 4. Valent. 2. 2. *disp. 5. quæst. 13. punct. 2. circa finem.* Lessius *lib. 2. cap. 42. dubio 9. numer. 47.* Bonacina *disput. 4. quæstione 1. punct. 12. numer. 4.* Quod verum habet, tametsi non rogatus iures, sed te offeras ad iurandum, si tamen iurandi, occultandíque veritatem honesta causa intercedat; qualis intercedere potest cum obligatis famam proximi restituere, neque alia via commodiori reparare potes, quam vsu amphybologici iuramenti. Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 6. num. 21.* Bonacina *tom. 2. disp. 4. quæst. 1. punct. 12. num. 5.* Ex hac certa doctrina deciduntur plures casus in praxi contingentes.

5 Primò rogatus de delicto, quod saltem sub opinione probabili non teneris manifestare, vel ex eo quod non iuridicè rogaris; vel ex eo quod tibi graue nocumentum ex manifestatione prouenit, negare poteris feciſſe, subintelligendo in carcere, vel ad dicendum. Sic Sanchez *d. cap. 6. num. 23. &* 25. Clauis Regia *lib. 4. cap. 5. num. 4. & lib. 12. cap. 17. num. 29.* Nauarrus *cap. humanæ aures, in quæst. 1. num. 9.* Bonacina *disput. 4. quæst. 1. punct. 12. num. 4.* Secundò rogatus de complice, quem ex iisdem rationibus manifestare probabiliter non teneris, eodem modo negare poteris. Sic relati Doctores. Imò potes te offerre ad sic iurandum; quando id opus esset. Adde si fortè socios detexisti, cum non deberes: obligatus es pro illorum defensione Iuramento amphybologico vti, si speras damnum factum reparaturum; obligatus inquam es ex iustitia, si malitiosè contra ordinem iuris detexisti. Si verò ignoranter, & absque culpa processisti; solùm teneris ex charitate. Quia teneris reparare damnum proximi modo, qui tibi licitus est, & non incommodus. Sanchez *libro 3. in Decalogum cap. 6. num.* 28.

Tertiò, rogatus de furto, quod in recompensationem accepisti; vel de mutuo, quod verè non debes; quia soluisti; aut verè non debes; quia non est terminus impletus, vel præ paupertate probabiliter excusaris; poteris iurare te mutuum non accepisse, subintelligendo, vt debeas statim soluere. Quia ad huiusmodi finem iudex Iuramentum exigit. Sic Couarr. *lib. 1. variar. c. 2. n. 4.* Suar. *lib. 3 c. 9. n. 6.* Sanch. *lib. 3. in Decal. c. 6. n. 32. & lib. 1. de matrim. disp. 10. n. 27.* Bonacina *disp. 4. de Iuram. q. 1. punct. 12. n. 5.*

Quartò, rogatus an promiseris matrimonium à cuius obligatione secundum opinionem probabilem immunis es, iurare poteris non promisisse, sub intelligendo, vt tenearis. Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 10. n. 27. & 28. & lib. 3. in Decal. cap. illo 6. n. 32.*

Quintò, exemptus probabiliter à gabellæ solutione iurare poteris te non portare talem, vel talem rem; esto portes; subintelligendo, ita vt gabellam debeas, quia hic est finis, vel saltem debet esse interrogantis. Suarez *lib. 3. cap. 9. num. 7.* Azor. *1. p. lib. 11. cap 4. quæst. 5.* Sanchez *num. 32. fine.* Bonac. *disp. 4. quæst. 1. punct. 12. n. 5. vers. 9.* Et cuilibet datum est opinionem probabilem sequi.

Sextò creditor exigens debitum virtute instrumenti publici affirmare poterit sibi totam illam quantitatem deberi; etiam si pars soluta sit, si aliundè est debita. & illam recuperare non potest. Imo poterit iurare partem illius debiti sibi non esse solutam intelligendo, vt non sit tantumdem debitum. Quia verum iurat. Excipe nisi hoc Iuramentum cederet in præiudicium alterius creditoris, qui haberet ius anterius, debito illo non contento in instrumento; cui debitor satisfacere non potest nisi sibi totum debitum soluat. Tunc enim ob præiudicium alterius creditoris iurare non poterit totam illam quantitatem sibi deberi, aut partem illius debitam non esse solutam. Sic Sanchez *d. cap. 6. num. 35. &* 36. Bonacina 2. *tom. disput. 4. quæst. 1. punct. 12. vers. 8.*

Septimò è contra debitor à quo debitum expostulatur virtute alicuius instrumenti maiorem quantitatem continentis, quam ipse debeat, poterit absolutè negare se illud debere. Imò, & negare illam partem debiti, si ex confessione partis probabiliter timet obligandum esse soluere quod non debet, quia ad vtendum æquiuocatione habet legitimam causam.

Cauere

Cauere tamen debet ne præiudicium creditori sequatur in parte debita. Eáque de causa tenetur partem illam soluere, & etiam expensas, si quas facit in illius recuperatione ob morosam solutionem. Sanchez *lib. 3. cap. 6. n. 33.* Gutierr. *lib. 1. practicar. q. 6. n. 2.* Bonacin. *disp 4 q. 1. punct. 12. vers. 10.*

Octauò, habens iustam & probabilem causam occultandi fisco vel creditoribus aliqua bona; ne videlicet sibi desint necessaria ad sustentationem; neve mendicare cogatur, poterit negare se occultasse subintelligendo, quæ manifestare obligatus sit. Idemque possunt respondere testes idipsum cognoscentes. Sic expresè Bonacin. *d. disp. 4 q. 1. punct. 12. vers. 3.* Sanchez *lib. 3. c. 6. n. 31.*

Nonò, si per iniuram coactus sis promittere sub Iuramento dare aliquam pecuniam, iurare poteris eam daturum subintelligendo si debeas: Quia iustam habes causam vtendi hac tergiuersatione. Eáque restrictione facta obligatus non eris soluere, si non debeas. Quia solùm ad soluendum si debeas virtute Iuramenti obligatus fuisti. Sic Valent. 2. 2. *disp. 6. q. 7. punct. 4. circa finem.* Sanch. *lib. 3. c. 6. n. 37. & 38.* Bonacina *disp. 4. q. 1. punct. 12. vers. 1.*

Decimò, rogatus an venias ex loco, qui falso putatur peste infectus, aut illac transieris: potes negare subintelligendo, ita vt sit infectio. Imò etiamsi locus sit peste infectus; si tamen certus es, te sanum esse, vti poteris ea æquiuocatione, sic Nau. *cap. 12. n. 19.* Tolet. *lib. 4. cap. 21. n. 9.* Suarez *cap. 9. numer. 7.* Sanch. *cap. 6. n. 35.* Bonacin. *disp. 4. q. 1. punct. 12. vers. 3.* Vbi ex Syluestro optimè aduertit religiosos, & clericos non excusari ab hoc Iuramento præstando, & veritate dicenda, ex eo quod custodes Laici fiunt, quibus non videntur ipsi subiecti. Quia non expostulatur ab ipsis absolutè, sed ex suppositione quod velint ciuitatem intrare.

Vndecimò scholasticus rogatus à iudice, an fuerit locutus cum aliquo ex oppositoribus ad cathedram; vel illius domum fuerit ingressus, potest respondere negatiuè, si verba, aut ingressus domus non fuerit subornationis causa; quia hæc debet esse mens iudicis interrogantis, sic Nauar. *sum. c. 12. n. 19.* Sayro *in claui Regia. lib. 5. cap. 4. n. 24.* Sanchez *lib. 3. c. 6. n. 34.* Suar. *lib. 3. c. 9. n. 7.*

Duodecimò Canonici & Iudices obligati seruare secretum eorum, quæ in congregatione tractantur, possunt iurare non violasse secretum, neque ibi acta cum aliquo communicasse, si nihil eorum, quæ sub graui culpa obligati erant celare, manifestauerint. Quia de iis, & non de aliis censetur iudex interrogare, sic Suarez, Sayro & Sanch. *locis allegatis.*

Decimo tertiò. Mulier, quæ adulterium commisit, poterit sub Iuramento negare commississe subintelligendo, vt manifestare teneatur. Sayro *in claui Regia lib. 5. c. 4. n. 24.* Sanchez *lib. 3. c. 6. n. 41.* Bonacin. *disp. 4. quæst. 1. punct. 12. vers. 6.*

Decimo quartò, coactus accipere aliquam in sponsam, quam ducere non tenetur, iurare poterit se illam ducturum subintelligendo, si obligationem habeat: Et idem est de vxore, quæ cogitur cum marito cohabitare, cuius cohabitatio sibi interdicta est, poterit iurare cohabitaturam, subintelligendo, si id licitè possit. Quia iustissimam causam habet vtendi in iis casibus tergiuersatione. Nauarr. *cap. 12. n. 9.* Syluester. *Iuramentum 3. quæst. 2.* Azor. *tom. 2. lib. 11. cap. 4. q. 5.* Sanchez *lib. 3. cap. 6. n. 40. & 41.*

Decimo quintò is qui mutuare non tenetur, poterit respondere petenti mutuum, se nullam pecuniam habere, subintelligendo in alio loco ab eo, in quo habet, vel in ordine ad mutuandum. Qui modus respondendi licitus erit si causa subsit negandi mutuum; nempè quia illis pecuniis eger ad alium vsum, vel timet debitorem difficilem fore in soluendo, sic Nauarrus *sum. cap. 12. num. 18.* Sayro *in claui Regia lib. 5. cap. 4. n. 26.* Sanch. aliis relatis *n. 3.* Bonacina *tom. 2. disp. 4. q. 1. punct. 12. n. 3.*

Decimo sextò, mercatores qui non possunt iustum pretium ab emptoribus obtinere, nisi iurent tanti vel tanti sibi mercem stare, cum de facto non stet; iurare quidem possunt, tanti sibi stare, sub intelligendo computatis omnibus expensis; vel tanti sibi stare subintelligendo cum alia merce, quam habent domi, vel alibi emerant, sic Lessius *lib. 2. c. 42. dub. 9. n. 46.* Rebellus *lib. 9. q. 7. n. 8.* Bonacina *disp. 4. de iurament. q. 1. punct. 12. n. 8. & disp. 3. de contract. q. 2. punct. 4. in fine.* Idem dicendum est de emptoribus iurantibus rem alias minoris emisse, Bonacina & Rebellus, *suprà.*

Denique quotiescumque aliqua causa honesta se offert, tegendi veritatem, poteris absque peccato vti amphybologico Iuramento, vt ex allatis exemplis constat, & ex ratione sæpè dicta. Quia tale Iuramentum veritatem, & iustitiam habet, & cum vtile sit, illud præstare, non deficit iudicium. Ex nullo ergo capite vitiari potest. Quapropter, vt benè dicunt. Sanch. *d. c. 6. n. 45.* Bonac. *d. disp. 4. q. 1. punct. 12. vers. 7.* & alij apud ipsos, etiamsi rogans omnem æquiuocationem vellet excludere, & vltra Iuramentum de re facta petat Iuramentum de calumnia; exigátque Iuramentum dicendi veritatem sincerè, absque vlla æquiuocatione; adhuc poteris iurare amphybologico Iuramento, & restrictione facta. Quia subintelligere potes, te iuraturum absque æquiuocatione iniusta. Nulla enim propositio ita amplè sumi potest; quin aliquam restrictionem habere possis in mente. Quod manifestè conuincitur in confessore rogato de delictis in confessione auditis, qui ea tacere tenetur quomodocumque Iuramentum exigatur. Dari ergo potest aliqua via occultandi veritatem absque mendacio. Quando vero absque vlla causa quis vtitur amphybologico Iuramento, iam dixi esse solum veniale secluso Iuramento necessariò in contractibus & in iudicio.

Pro supradictis est maximè aduertendum, vtentem, aliqua ex dictis amphybologiis debere scire saltem in genere se posse absque mendacio veritatem tegere; non tamen opus est in particulari cognoscere modum, quo debet tegi. Quocirca si intendat iurare consensu quem vir doctus verum reperiet, & sciat verum ibi reperiri posse; sufficiet ad excusationem periurij. Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. de iuramento cap. 10. num. 4.* Sanch. *lib. 3. cap. 6. n. 46.*

PVNCTVM VIII.

Vtrum Iuramentum fictum tam in iudicio, quàm extra peccatum sit mortale.

SVMMARIVM.

1 *Tripliciter ficto interuenire potest.*
2 *Iurans sine animo implendi semper peccat mortaliter.*
3 *Proponitur obiectio & sit illi satis.*
4 *Si iuras falsum sine animo iurandi est mortale, tametsi ratio non ita facilis sit.*
5 *Iurare verum sine animo iurandi, non est mortale. Sed quid in iudicio & contractibus.*
6 *Si iures absque animo te obligandi, communis est sententia, peccatum graue esse.*
7 *Resoluitur idem esse dicendum, ac de Iuramento sine animo iurandi factum.*
8 *Ad verum Iuramentum non est necessarius expressus animus te obligandi.*

1 NOtandum est, tribus modis fictionem in Iuramento interuenire posse. Primò, si iures sine animo iurandi. Secundò, si iures sine animo te obligandi. Tertiò, si iures sine animo implendi, quod iuras. His positis.

2 Dico primò, siue in iudicio, siue extra iurans sine animo implendi iuratum, peccat mortaliter. Quia vero Iuramento, quale hoc est, deficit prima veritas. Ita ex communi sententia Lessius *lib. 2. cap. 42. dub. 8. num. 42.* Suarez *lib. 3. de Iuram. c. 17. à n. 9.* Sanchez *lib. 3. in Decal. c. 4. n. 26.*

3 Solùm obiici possunt aliqua Iuramenta, quæ passim fiunt absque animo & proposito implendi; & tamen non censentur à doctoribus peccata mortalia. Hæc sunt Iuramenta, quibus parentes minantur filiis supplicia non tam animo exequendi, quam eos deterrendi, & corrigendi. Item Iuramenta cedendi loco, & honore, quæ vrbanitatis causa fiunt. Sed facile huic obiectioni respondetur in iis Iuramentis subintelligi aliquam conditionem, quæ ea à falsitate excusat, & vera reddit. In Iuramentis comminatoriis subintelligitur conditio, nisi alius se cortexerit, veniámve postulauerit, vel maius incommodum inde timeatur. In Iuramentis vrbanitatis subintelligitur nisi alteri nimis molestum fuerit. Verùm, si absque vlla subintellecta conditione Iuramentum præstaretur sine animo implendi dubium esse non potest, quin sit mortale. Lessius *lib. 2. cap. 42. dub. 4. num. 22.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 17. num. 9.*

4 Dico secundo si iuras sine animo iurandi, distinguendum est, vel iuras verum, vel falsum. Si iuras falsum; tam in iudicio, quam extra, est peccatum mortale. Si iuras verum; probabile est esse solum veniale extra iudicium; in iudicio, & in contractibus mortale. Priorem partem conclusionis nempe iurare falsum sine animo iurandi esse mortale defendunt Caietanus 2. 2. *q. 89 art. 7. ad 4.* Sotus *lib. 8. de iustitia q. 1. art. 7. in solut. ad 4.* Couarr. *in cap. quamuis pactum de pactis 1. p. §. 5. n. 2. & 3.* Petrus de Ledesm. 2. *tom. sum. tract. 11. c. 3. dub. 6.* Leonardus Lessius *lib. 2. c. 42. dub 8. n. 43.* Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 3. de Iuram. cap. 17. n. 3.* Bonacina *tom. 2. sum. disp. 4. q. 1. punct. 7. n. 6.* Sanch. *lib. 3. c. 6. n. 9.* Rationem reddunt; Quia Iuramentum externum, quod est diuinæ maiestatis cultus assumitur ad falsitatem confirmandam. Vnde sicut genuflexio, aliúsque externus cultus, si idolo tribueretur, esset peccatum graue. Quia applicatur materiæ indebitæ actio solum debita Deo. Similiter erit grauis irreuerentia contra Religionem, iurare falsum verbis tantum absque intentione. Quia internus cultus Deo per Iuramentum debitus materiæ indebitæ applicatur. Cæterum hæc ratio solum videtur conuincere

uincere in Iuramento externo facto per idola, vel creaturam sistendo in ipsa; ibi enim cultus externus Deo debitus materiæ indebitæ applicatur, & saltem in foro externo diuinitas, & infallibilitas in idolis, & creaturis recognoscitur, quod est blasphemum. At in Iuramento verbo tenus facto per Deum in confirmationem falsitatis, hic cultus non inuenitur. Non enim falsitas honoratur, sicut non honoratur iniustitia, & cum ad testandam rem iniustam adducitur, sed ad summum in illo Iuramento Deus iniuriatur, eò quòd saltem simulatè, & in apparentia adducitur in testem falsi. Cùm verò vrget exterior Dei cultus, cadit supra materiam indebitam scilicet falsitatem; ergo est peccatum graue. Facile respondeo, cadit supra materiam indebitam, quæ obiectum sit honorationis, quæque colatur, & honoretur per talem cultum, nego; cadit suprà materiam indebitam de illa contestando & affirmando, concedo. An verò hæc contestatio apparens sufficiat ad peccatum mortale; restabat probandum. Quapropter Lessius *lib 2. de iustitia c. 42. dub. 8. n. 43.* inclinat non esse mortale iurare falsum sine animo iurandi, si per iniuriam cogaris iurare, & falsitas penitus occulta sit. Quia neque intendis Deum in testem vocare, sed simulare, neque secundum prudentem æstimationem poteris censeri iurare falsum. Quia falsitas est penitùs occulta; & quia iustam causam habeas alia mente iurandi.

Cæterum retinenda est communis sententia, quia extra hunc casum adductum à Lessio, nullum doctorem inueni (etsi plures euolui) quia affirmaret non esse peccatum mortale iurare falsum etiam sine animo iurandi. Et ratio esse potest. Quia videtur Deo grauis irreuerentia fieri, ex eo quod tantum in apparentia, & nomine tenùs in testem falsi inuocetur. Nomini enim Dei summa reuerentia debetur. Deinde si semel admittamus, Deum simulatè inuocari posse in testem falsi absque graui peccato, finis Iuramenti, qui est veritatis confirmatio magna ex parte, imò penitùs frustraretur: Non igitur est concedendum. In iudicio autem, & in contractibus grauibus proculdubio est, esse mortale iurare falsum absque animo iurandi. Quia in iudicio est contra mandatum superioris; in contractibus est contra ius parti contrahenti debitum, & in vtroque casu contra reuerentiam debitam diuino nomini cui præiudicatur falsi testificatione. Dixi *esse mortale* iurare falsum sine animo iurandi. Nam si cum aliqua restrictione iurares, quæ verum sensum efficeret, id non esset falsum Iuramentum; ac proinde in præsenti de illo non loquimur; sed regulandum est iuxta dicta puncto præcedenti.

5 Secunda pars conclusionis nempe probabile est, non esse mortale, si verum iures, sine animo iurandi Tenet Lessius *lib. 2. de iustitia c. 42. dub. 8. n. 42.* Sanch. *alii relatu lib. 3. cap. 6. num. 9. & 10.* Bonac. *disp. 4. quæst. 1. punct. 7. circa finem.* Ratio est. Quia non videtur ex hoc Iuramento fieri grauis iniuria Deo, neque homini. Non Deo; quia esto simuletur adduci in testem, adducitur in testem veritatis; sicuti cum simulatè oras eo tempore, quo non teneris præcepto orandi, non obinde censeris Deo facere grauem iniuriam. Neque etiam ex tali Iuramento homini prouenit grauis iniuria. Quia supponimus grauiter inde non lædi. Ex nullo ergo capite mortale peccatum esse potest Est tamen absque dubio peccatum veniale, & graue quando nulla legitima & honesta causa fieret, quia est quædam fictio vim Iuramenti eneruans.

Si verò in iudicio vel in contractibus veritatem iurares sine animo iurandi, ferè omnes Doctores firmant, te peccaturum mortaliter. Quia decipis iudicem, vel tecum contrahentem in re graui. Limitat autem hoc Sanch. *lib 3. cap 7. n. 2.* dummodò inde iudicio, aut contractui notabile damnum sequeretur, quòd rarò contingere potest. In contractibus, cum fictio, & simulatio non appareat, & æquè cogendus sis, ac si verè iurasses. Limitatio placet in contractibus, quia ibi damnum proximi attenditur, quod rarò euenire potest, nisi Iuramentum necessarium esset ad contractus firmitatem. A iudicio tamen excludo limitationem. Quia semper hæc simulatio illi notabiliter præiudicat: Superioris enim præceptum non solum est de veritate dicenda sed de dicenda sub diuino testimonio. Deludis ergo grauiter iudicium si diuinum testimonium omittas.

6 Dico tertiò: Si iures absque animo te obligandi, quod solùm in Iuramento de futuro esse potest; communiter Doctores existimant esse graue peccatum; quia fit grauis irreuerentia Deo cum ex vna parte eum in testem adduxeris, & ex alia nolles testimonio, & authoritate obligari. Videris námque diuinam maiestatem & authoritatem contemnere. Adde si non habes animum te obligandi, neque animum adimplendi videris habere. Sic Nauarr. *c. 12. num. 14.* Couarr. *de pactis 1. p. §. 5. num. 3.* Suar *tom. 2. de Relig. lib 3. c 17. n. 10.* Lessius, *lib. 2. c. 42. dub. 8 n. 42.* Sanch. *lib. 3. cap. 4. num. 10.* Bonacina *tom. 2. disp. 4. q. 1. punct 7. circa finem*

7 Verum cum probabile sit, quod Iuramentum factum absque animo obligandi non sit verum Iuramentum, sed simulatum, quale est Iuramentum factum absque animo iurandi. Idem quod dictum est in præcedenti conclusione de Iuramento facto absque animo iurandi, dici debet de Iuramento facto absque animo se obligandi. Quia eiusdem prorsus rationis sunt. Quod autem Iuramentum, in quo expressum habes animum non te obligandi, Iuramentum verum non sit, sed apparens. Probatur. Quia obligatio, vel est de natura ipsius Iuramenti, vel quædam passio ita necessariò consequens naturam Iuramenti, vt nullatenùs separari possit. Ergo si vis iurare excludendo obligationem, vis vt tale Iuramentum suam essentiam non habeat, siquidem illam habere non potest sine obligatione. Ergo non vis iurare, sed Iuramentum simulare. Et confirmo ex voto facto absque intentione te obligandi, quod secundum communiorem sententiam nullum est, & ex matrimonio contracto absque intentione te obligandi ad reddendum debitum, quod etiam nullum est: quia essentiam matrimonij destruit. Ergo similiter nullum erit Iuramentum factum sine intentione te obligandi. Et ita tenet Sylvester verbo *Iuramentum 4. quæst 7.* Sanch. *in summ. lib. 3. cap. 6. num. 7. & c. 10. num. 8.* Bonacina *disp. 4. quæst. 1. punct. 7. num. 3.* & alij apud ipsos.

8 Dixi non esse verum Iuramentum illud in quo expressum animum haberes non te obligandi, vt tacitè colligeres ad Iuramenti essentiam non requiri expressum animum te obligandi. Sufficit, quod iurandi animum habeas: eò enim ipso censeris voluntatem habere eorum quæ necessariò ad Iuramentum requiruntur, nisi ea expresè excludas. Sanch *lib. 3. cap. 10. n. 9.* Suar. *lib. 2. c. 7. n. 8.* Bonac. *disp. 4. q. 1. punct. 7. n. 4.*

PVNCTVM IX.

Quando consuetudo iurandi grauem culpam inducat.

SVMMARIVM.

1 *Duplex est consuetudo.*
2 *Consuetudo iurandi cum aduertentia vt verum iuretur non est peccatum mortale.*
3 *Quod verum habet, esto iungatur mentiendi consuetudini.*
4 *Consuetudo iurandi sine aduertentia, ad veritatem: te in statu peccati mortalis constituit.*
5 *Explicatur doctrina aliquibus annotationibus.*
6 *An debeat absolutio differri habenti hanc prauam consuetudinem.*
7 *An debeat ei aliqua pœnitentia imponi si reinciderit, teneaturque illam exequi?*

1 COnsuetudinem iurandi habes si passim iures. Duplex hæc consuetudo esse potest. Prima iurandi falso, vel absque aduertentia an sit verum, vel falsum quod iuras; Secunda cum aduertentia vt verum iuretur.

2 Si hoc secundò modo sit consuetudo, non te constituit in statu peccati mortalis, nec sub mortali teneris eam cauere. Sic Valent. *2. 2. disp. 6. q 7. punct. 3. circa finem.* Vega *2. tom. summ. c. 16. casu 14.* Manuel. Rodrig. *1. tom. summ. c. 192. n. 11.* Petr. de Ledesm. *2. tom. tr. 11. c. 2. dub 1. & c. 5. dub. 4 & 5.* Suar. *tom. 2. de Relig. tr. de Iuram. lib. 3. c. 6. n. 4. & 5.* Sanch. *aliis relatis lib. 3. in Decal c. 5. n. 9.* Bonac. *tom. 2. disp. 4 q. 1. de Iuram. punct. 13. n. 2.* Ratio est: quia omnia hæc Iuramenta venialia tantum peccata sunt. Siquidem (vt suppono) fiunt cum plena aduertentia ad veritatem. Ergo consuetudo ex illis resultans solum ad peccata venialia inclinare potest. Nam solum inclinat ad similes actus. Quod ex hac consuetudine aliquando in periurium labaris, non obinde censeri potes esse in mortali periculo periurij. Quia ad hoc periculum deberes frequenter in periurium induci, vt probaui Tract. de peccatis *dis. 2. punct. 9. §. 3.*

3 Sed quid si cum hac consuetudine iurandi verum aduertenter haberes mentiendi consuetudinem? Valent. Ledesm. & Bonac. *locis allegatis* affirmant te esse in statu peccati mortalis, si illam extirpare omittas. Mouentur. Quia videris esse in periculo constitutus coniungendi Iuramentum cum mendacio. Ex consuetudine enim iurandi, & ex consuetudine mentiendi facilè Iuramentum cum mendacio coniungitur. Cæterum probabilius censeo neque in hoc casu te esse constitutum in statu peccati mortalis. Nam esto aliquando contingat, quod Iuramentum cum mendacio coniungas, id est per accidens & rarò & consequenter censeri non pores in periculo morali peccandi mortaliter esse constitutus. Sic expresè Sanch *lib. 3. c. 5. n. 10.* Et indicat Suarez. *tom. 2. de Relig. lib. 3 c. 6 n. 2.*

4 Si autem consuetudo iurandi sit primo modo, scilicet iurandi falsum, vel sine aduertentia, an sit verum, vel falsum, sine dubio peccas mortaliter, quoties illius prauæ consuetudinis recordaris: illámque extirpare non procuras, sicut si domi concubinam haberes, & aduertens ad periculum peccandi,

illud non remoueres, cum poſſes; & ſicut ſi obligatus eſſes reſtituere, & aduertens omitteres reſtitutionem facere. Quia in iis omnibus amas periculum peccandi, peccas ergo mortaliter. Ita Suar. *lib. 4. cap. 6. num. 6.* Valent. *2. 2. diſp. 6. q. 7. punct. 3. circa finem.* Petrus de Leſdem. *2. tom. ſumm. tract. 11. cap. 5. dub. 4. poſt principium*, Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 5. num. 11.* Reginaldus *lib. 18. num. 87.* Bonacin. *tom. 2. diſp. 4. q. 1. punct. 13. num. 4.* Ratio videtur manifeſta. Quia talis conſuetudo eſt occaſio ſæpè peierandi. Ergo ſi illam non procuras expellere; cenſeris velle periurium: Vt in exemplis relatis de concubina & de reſtitutione alieni eſt manifeſtum.

5 Nota tamen primò, te non peccare mortaliter, quoties Iuramento abſque neceſſitate vteris; ſi illo vtaris cum plena aduertentia veritatis & iuſtitiæ. Quod fieri poteſt non obſtante ſupradicta praua conſuetudine. Sed tali Iuramento ſolum deficit iudicium. Ergo ſolum peccatum veniale eſſe poteſt. Et ita affirmat Suarez *illo lib. 3. cap. 6. num. 6. & 7.* Valent. *d. diſp. 6. quæſt. 7. punct. 3. circa finem.* Sanch. *cum aliis lib. 3. cap. 5. num. 20.*

Nota ſecundò; ſi ob conſuetudinem ſupradictam prauam aliquando iures falſum ſine aduertentia ſufficiente ad peccatum mortale; tale Iuramentum, eſto ex illa praua conſuetudine oriatur, non eſt in ſe peccatum mortale, ſed ſolum erit mortale in voluntate, quam habes non remouendi conſuetudinem. Sic pluribus relatis firmat Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 7. à num. 3.* Sanch. *lib. 3. in Decal. cap. 5. à num. 28.* Ratio ea eſt: quia illud Iuramentum, vt in ſe eſſet peccatum mortale, debebat eſſe voluntarium directè, vel indirectè. At neque directè, neque indirectè eſt voluntarium. Non directè; vt ſupponitur, neque indirectè; quia ad indirectè voluntarium debebas habere poteſtatem, illud vitandi, cum de facto non vitas. At cum iuras inaduertenter, non potes Iuramentum vitare. Ergo non eſt tibi voluntarium, neque directè, neque indirectè. Quapropter ſolum in cauſa; nempe in conſuetudine cenſebuntur illa Iuramenta voluntaria. Sicut cenſetur voluntaria pollutio in ſomnis cui cauſam dediſti in vigilia, aut homicidium in ebrietate factum, quod antea potuiſti præcauere. Quorum tota culpa & demeritum apud Deum fuit in appoſitione cauſæ. Nam ſiue ſequatur pollutio ſiue non; eandem pœnam, & demeritum habes apud Deum. Quia tota malitia in appoſitione cauſæ ſita fuit. Sic in præſente de Iuramento facto ſine libertate philoſophandum eſt.

6 Sed inquires differendane eſt tibi abſolutio, ſi hac praua iurandi conſuetudine affectus ſis; tametſi proponas firmiter te emendaturum, vt aliquibus diebus attentiùs inuigiles?

Reſpondent plures Doctores ſi ſemel, aut bis faſſus fueris hanc conſuetudinem, te poſſe, & debere abſolui; ſecus ſi ſæpiùs; ſed tunc differendam eſſe abſolutionem, vt de propoſito conſtet. Sic Medina *lib. 1. ſumma cap. 14.* Ludoui. Lopez. *1. p. cap. 25. colum. antepenult. verſ. Poſtremò dicemus*, Man. *1. tom. ſumm. cap. 192. num. 11. in 2. edit.* Et de conſilio differendam eſſe abſolutionem docet Sayro *in claui Reg. lib. 5. cap. 5. num. 8.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 8. fine.* Verum mihi probabilius eſt, quod tradit Sanchez loquens de conſuetudine blaſphemate. *lib. 2. in Decal. cap. 32. num. 45.* Inquit etiamſi nunquam admonitus fuiſti, vt te corrigeres; aut ſi admonitus appoſuiſti aliquid ſtudij & laboris ad eam conſuetudinem extirpandam, debes ſtatim abſolui. Quia ſi admonitus non fuiſti non es in tanta culpa. Si autem poſt admonitionem aliquantulum laboraſti pro emendatione; iam ex parte tua aliquid feciſti, etſi differatur abſolutio, fortè cadet animus, & à confeſſione detentus in peius laberis. Secundò (inquit Sanchez) quando nullam curam appoſuiſti ad emendandam, & admonitus fuiſti ſæpè in aliis confeſſionibus; adhuc te poſſe in rigore ſtatim abſolui, ſi verè doleas de præteritis, & de futuris emendationem proponas. Quia ob peccata, quæ non pendent ex occaſione extrinſeca, ſed ex fragilitate peccatoris, non eſt differenda neceſſariò abſolutio pœnitenti. Quia eo ipſo quo de peccatis dolet, remouet omnem occaſionem & periculum horum peccatorum. Quod periculum ſitum erat in praua voluntate, & affectu ea re potiendi. Ex conſilio autem poterit ſacerdos, tibi abſolutionem differre, ſi iudicat dilationem profuturam. Quod non eſt facile iudicandum; niſi caſu; quo illis Iuramentis graue ſcandalum præberes. Conſentit iis Bonacina *tom. 2. diſp. 4. q. 1. de Iuramento, punct. 3. fine.*

7 Secundò inquires: an ſit conueniens tibi imponere aliquam pœnam ſi fortè reincideris? Verbi gratia ieiunium aliquod, eleemoſynam, orationem breuem, vel confeſſionem frequentem, & an tenearis illam exequi?

Reſpondeo quoad conuenientiam attinet, id eſt conuenientiſſimum. Quoad obligationem, Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 8. num. 7.* affirmat, & debere confeſſarium aliquod ex ſupradictis remediis tibi applicare, & te obligatum eſſe, illud acceptare, & exequi. Sed ſuæ ſententiæ rationem non adducit. Contrarium defendit Sanch. *lib. 3. in Decal. cap. 5. num. 17.* cum Soto *de Iuramento ab vſu cap. 12.* Nempe te obligatum non eſſe acceptare pœnam illam. Mouetur. Quia aliis peccatis id imponi nequit; neque iure aliquo probatur id ſpeciale eſſe in hac conſuetudine.

Cæterum diſtinguendum eſt. Si in pœnitentiam medicinalem Iuramentorum; quæ audita ſunt in confeſſione, aliquod ex ſupradictis remediis tibi confeſſor iniungat, abſque dubio teneris illud exequi. Quia pœnitentiam à confeſſore iniunctam tenetur pœnitens acceptare, & exequi. Iuxta Tridentin. *ſeſſ. 14. c. 4.* & multis relatis docet Suar. *tom. 4. in 3. p. diſp. num. 1. concluſ. 1.* Verum hæc pœnitentia abſolutè eſt iniungenda non dependenter à peccato futuro. Aliàs in tua voluntate ſitum eſſet nullam pœnitentiam habere. Quapropter ſi ſub conditione reincidentiæ imponatur; eo ſolo caſu teneris illud remedium exequi: quando alio non vteris ad extirpandam prauam conſuetudinem. Si enim aliis remediis vtaris, ceſſat obligatio vtendi medio à confeſſore deſignato. Siquidem illud, neque vt iudex, neque vt medicus imponit: Cum non ſit iudex, & medicus peccatorum committendorum, ſed commiſſorum; ac proinde ſub conditione peccati futuri applicare medicinam non poteſt, quam tu aliàs obligatus non ſis accipere, ad præcauenda futura peccata.

PVNCTVM X.

Qua ratione liceat tibi inducere aliquem ad iurandum, quem tamen exiſtimas eſſe peieraturum, vel per falſos Deos iuraturum.

SVMMARIVM.

1 *Inducere aliquem ad falsè iurandum, vel ad iurandum quod nulla ratione licitè præſtare poteſt, peccatum eſt graue.*

2 *Nunquam eſt licitum, inducere aliquem ad teſtificandam falſitatem, tametſi teſtis falſitatem non cogноſcat.*

3 *Cum tibi dubium eſt, an alius peieraturus ſit, vel per falſos Deos iuraturus, exigere potes Iuramentum.*

4 *Nulla cauſa intercedente illicitum eſt petere Iuramentum ab eo, quem credis malè iuraturum.*

5 *Quid ſi ipſe paratus ſit? Sanchez cenſet eſſe ſolum peccatum veniale in iuraturo per falſos Deos, ſecùs in peieraturo.*

6 *In vtroque eſt idem dicendum.*

7 *Concluditur eſſe mortale abſque cauſa petere Iuramentum à malè iuraturo.*

8 *Quid ſentiant Doctores ſtante iuſta cauſa.*

9 *Reſoluitur eſſe licitum.*

10 *An liceat petere Iuramentum à determinato malè iurare, ſub hac forma; iura eſto malè iures?* Concedit *Sanchez. Oppoſitum eſt verius.*

11 *Idem eſt dicendum de petitione Iuramenti ab eo, quem credis violaturum.*

12 *Non debent confeſſarij regulariter exigere Iuramenta à pœnitentibus abſtinendi à criminibus.*

ALiqua ſunt in hac parte certa: alia ſub controuerſia.

1 Primò certum eſt; in nullo caſu quantumuis vrgente tibi licere poſſe inducere aliquem ad falſo iurandum; vel ad iurandum per falſos Deos. Quia cum hæc ſint intrinſecè mala, ex nulla ratione honeſtari poteſt eorum petitio, & inductio. Sic omnes Doctores. Idem eſt dicendum, ſi peteres Iuramentum ab eo, qui nulla ratione licitè præſtare poſſet, quia peteres Iuramentum iniquum. Hoc autem contingeret in eo, qui veri Dei, per quem eſt iurandum, ignorantiam haberet. Quia inuincibiliter verum Deum ignorans nequit Iuramentum licitum præſtare. Sed hoc rarò vel nunquam poteſt contingere in petitione Iuramenti à Chriſtianis facta. Nam eo ipſo paganis notitia ſufficiens datur alterius Dei per quem Chriſtiani iurant, vt ſe informare poſſint per quem debeant iurare, & cum nulla facta diligentia ſe ad iurandum per falſos Deos determinant, conuincuntur liberè ſe ad malum Iuramentum determinare, & Iuramentum bonum illis eſſe poſſibile. Suarez *tom. 2. de Relig. tract. 4. lib. 3. de Iuram. cap. 13. n. 5. & 6.* Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 8. num. 32.*

2 Secundò certum eſt, te nunquam poſſe alium inducere ad teſtificationem falſi; tametſi iurans falſitatem non cognoſcat. Caſus eſt frequenter contingens in Vniuerſitatibus. Vis enim probare curſum, nempe lectionibus adſtitiſſe pro maiori anni parte. Petrus, qui teſtificaturus eſt, exiſtimat verum eſſe: Tu verò ſcis eſſe falſum. Quia pluribus lectionibus defuiſti: nequaquam poteris Petrum ad teſtificandum inducere; non ſolum qua parte iniuſtè, & malitioſè curſum probare, & gradu doctrinæ contrà Vniuerſitatis ſtatuta vis inſigniri; ſed quatenùs es cooperator & cauſa illius periurij. Nam licet illud falſum Iuramentum in Petro iurante non

ſit

sit formaliter periurium, quia falsitatem non cognoscit, tibi tamen imputatur. Quia voluntarium est. Ex virtute namque religionis abstinere à Iuramento falso, siue illud facias per teipsum, siue per alium. Sic Azor. *1. p. institut. moral. lib. 11. cap. 11. q. 2.* Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 18. num 8.* Sanch. *lib. 5. in Decalog. cap. 8. num. 19.* Bonacina *tom. 2. disput. 4. quæst. 1. punct. 11. circa finem.*

3 Tertiò certum est: Quoties tibi mortaliter non constet alium esse falso iuraturum, vel iuraturum per falsos Deos, potes ab eo Iuramentum exigere. Quia in casu dubio de nemine est delictum præsumendum. Aliàs foret nunquam liceret ab alio Iuramentum petere. Sic aliis relatis Suar. *dicens contrarium esse improbabile lib. 3. cap. 14. n. 9.* Sanch. *lib. 3. c. 8. n. 9.* Bonacina *disp. 4. quæst. 1. punct. 11 circa finem.*

4 Quartò, certum est nulla legitima causa intercedente il. licitum esse petere Iuramentum ab eo, quem scis falso iuraturum, vel iuraturum per falsos Deos, si paratus non sit iurare. Sic Suares *lib. 3 de Iuramento cap. 14 num. 14. in fine.* Sanchez *pluribus relatis lib. 3. cap. 8. num. 5. & 6. & 24.* Lessius *lib. 2. cap. 42. dub. 10. num. 49.* Bonacina *disp. 4. q. 1 punct. 11. num. 2. vers. 3.* Reginaldus *praxi lib. num. 76.* Molina *tom. 2. de iustitia disp. 335. concluf. 4. & alij.* Probátque manifestè Textus *in cap. ille qui, & cap. qui exigit 22. quæst. 5.* Ratio est. Nam lege charitatis teneris proximo occasionem ruinæ non offerre. At cum imparatum inducis ad actum qui malus futurus est, verè proximo apponis occasionem ruinæ Peccas ergo contra charitatem. Deinde ex virtute religionis obligaris ne periurium causes etiam indirectè. At si absque vlla causa imparatum inducas ad iurandum, quem scis falso iuraturum, vel per falsos Deos, causa es huius iniqui Iuramenti. Peccas ergo grauiter iis positis.

5 Prima difficultas est. Si ipse paratus sit iurare falsum quando sibi fuerit Iuramentum expostulatum (quod facilè de nemine præsumi potest) vel paratus est iurare per falsos Deos quando sibi Iuramentum expostuletur. An inquam absque vlla causa ab hoc sic parato possis Iuramentum expostulare; quin peccatum mortale contra religionem committas? Nam de peccato veniali nulla est dubitatio cum otiosè petatur Iuramentum.

Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 8. num. 23.* Censet probabile esse solam culpam venialem interuenire in petitione Iuramenti ab eo, qui per falsos Deos est iuraturus; secùs verò *eodem. cap. 8. num. 6 in fine.* Dixit contingere in petitione Iuramenti à parato falsum iurare. Rationem differentiæ apposuit; quia in petitione Iuramenti à iuraturo per falsos Deos regulariter adest necessitas, vel vtilitas; secùs in petitione Iuramenti ab eo, qui falso est iuraturus. Quod vero solum culpa venialis intercedat in tali Iuramenti petitione, probat: quia plures grauissimi Doctores sentiunt, quos ipse refert, *num. 23* solum esse culpam venialem, petere absque necessitate mutuum ab vsurario parato, & Sacramentorum administrationem à peccatore ministro parato eam concedere. Sed eadem prorsus ratio videtur esse in petitione Iuramenti à parato iurare per falsos Deos. Ergo talis petitio solum est culpa venialis. Secundò probat. Quia leuis necessitas excusat in petente à petitione huius Iuramenti. Sed præceptis sub mortali obligantibus non tam leuis causa excusare solet. Ergo iudicium est, solam esse obligationem sub veniali. Tertiò, Quia sic potens tem licitam petit, & quam alius facilè præstare poterit. Ergo non debet censeri offerre proximo causam ruinæ; sed illam ipse sibi accipere.

6 Cæterum in hac difficultate censeo idem esse dicendum de petitione Iuramenti ab eo, qui falso est iuraturus, vel ab eo qui iuraturus est per falsos Deos, si in vtroque casu nulla sit honesta causa petendi, & cognoscis vtrumque ad sic iurandum esse paratum. Quia in vtroque casu idem licitum directè petis, & quod ipsi facilè præstare possunt Si igitur in petitione Iuramenti ab eo, qui iuraturus est per falsos Deos, non censeris mortaliter peccare; neque etiam censendus es in petitione Iuramenti ab eo, qui falsum est iuraturus. Nam verum Iuramentum per falsos Deos æquè malum est, & fortè peius, quam Iuramentum falsum per Deum verum. Quod autem in petitione Iuramenti ab Ethnico regulariter aliqua vtilitas interueniat, sicut in petitione mutui ab vsurario, quæ tamen regulariter non interuenit in petitione Iuramenti à periuraturo; in causa esse non potest; vt quando de facto in vtraque Iuramenti petitione nulla causa honesta intercedit, idem non sit dicendum, si de facto Iuramentum petatur.

7 Quapropter mihi certum est in omnibus supradictis casibus peccatum lethale esse, si absque aliqua honesta causa Iuramentum, mutuum, vel Sacramentum à malè administraturo petatur. Quia non satis percipio, quomodo ex charitate proximi grauiter non obligeris peccatum proximi graue vitare, si absque vllo tuo incommodo possis. Est tamen magna differentia in petitione mutui, Sacramenti, & Iuramenti per falsos Deos, à petitione Iuramenti à iuraturo falsum, quod in petitione Iuramenti à falsum iuraturo, raro est honesta causa petendi. Econtra in petitione mutui, Sacramenti, & Iuramenti veri per falsos Deos rarò deficit causa, vt ex dicendis amplius constabit.

8 Secunda difficultas est, an stante aliqua legitima causa petendi Iuramentum à peieraturo vel iuraturo per falsos Deos, possis absque vllo peccato id petere?

Plures Doctores censent id licitum esse in iudicio. At extra solum in iuraturo per falsos Deos, non in peieraturo. Sic docent plures Doctores relati à Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 8. n. 5. & seqq* quos sequitur Basilius Legion. *lib. 5. de matrim. cap. 18. §. 8. num. 58 & num. 60. 61. & 62.* Mouentur ex sent. Aug. relati in *cap. ille qui, & c. qui exigit 22. quæst. 5.* Vbi absolutè affirmat eum qui cogit alium ad iurandum quem scit falso iuraturum, peccare, & peiorem esse homicida. Quod saltem de eo, qui extra iudicium cogit iurare intelligendum est. Deinde inter has Iuramentorum petitiones est magna differentia. Nam in iudiciali petitione, & in petitione Iuramenti veri, quod est per falsos Deos præstandum, semper est aliquod bonum quod petatur. At in petitione extraiudiciali Iuramenti ab eo, qui falso est iuraturus nullum bonum apparet, cum non sit veritatis confirmatio, sed potiùs illius destructio, & finis Iuramenti euersio. Ergo nullo modo licita esse potest.

9 Cæterum dicendum est stante honesta causa petendi Iuramentum, semper licitum esse petere ab eo, quem scis esse peieraturum, vel per falsos Deos iuraturum, siue in iudicio petas, siue extra docent post alios plures quos referunt Lessius *lib. 2 cap. 42. dub 10. num. 49.* Suarez *tom. 2. de Relig. tract. 4. lib. 3. cap. 13. num. 3. & cap 14. num 16.* Sanchez *lib 3. in Decalog. cap. 8 à num. 2. præcipuè num. 7. 10. & seqq.* Reginaldus *lib. 18 num 76.* Bonacin. *num. 2. disp. 4. quæst. 1. punct. 11. n. 1.* Ratio est: Quia in petitione Iuramenti absolutè nihil mali inuoluitur cum possit optimè fieri. Quod autem alius falso iuret, vel per falsos Deos, non tibi petenti, sed tuæ malitiæ tribuendum est quam tu impedire non teneris cum tuo detrimento. Quod verò hoc detrimentum sequi posset nisi Iuramentum petas à peieraturo vel per falsos Deos iuraturo constat. Tum in iudice, tum in actore, tum in priuata persona. In iudice constat, nam siue procedat ad petitionem partis, siue ex officio via inquisitionis examinare testes, & reum potest tametsi sciat falso iuraturos. In actore sæpè sua interest Iuramentum à peieraturo exigere. Quia alia via non potest litem finire, fraudes detegere, fidem aduersarij infirmare. Denique priuatæ personæ sæpè detrimentum continget, nisi Iuramentum petat ab eo, quem scit falso iuraturum, vt si rerum familiarium alicuius principis administrator existas, & nisi exigas iuramentum à colonis fortè negligentiæ argueris, poteris ab eis iuramentum exigere: tametsi scias peieraturos, item si tua interest alterius fidem infirmare, aut fraudem aliquam detegere. Et hoc Iuramento falso obtinetur, petere potes Iuramentum; tametsi scias falsum futurum esse. Et in Iuramento promissorio res est magis clara, sæpè enim tua interest firmare contractum, & promissum: tametsi scias promittentem neque habere animum implendi, neque posteà executurum. Quia virtute Iuramenti efficacius ad executionem compelles. Regula ergo generalis sit, ad licitam petitionem Iuramenti ab eo, quem scis falso iuraturum, vel iuraturum per falsos Deos, nihil aliud requiri, nisi quod ex honesta causa & vtili arbitrio prudentis petatur, & ex alia parte petatur Iuramentum absolutè, non tamen ea intentione aut conditione vt falsum iuretur. Quod exemplo petitionis mutui ab vsurario, & Sacramenti à ministro peccatore est manifestum.

Neque argumentum in contrarium vrget. Fateor inquam in Iuramento falso, quatenus falsum est, nullum bonum esse, eáque de causa vt tale neque in iudicio, neque extra exigitur. At sicut in iudicio illud Iuramentum, quod falsum est, plures trahit vtilitates, ita contingere potest in Iuramento extra iudicium vt probatum est: ac proinde in vtroque casu exigi potest legitima causa intercedente.

10 Sed quid si scias alium, ad iurandum falso determinatum esse, vel determinatum esse ad iurandum per falsos Deos, neque alia via iurare velle, poterisne eius Iuramentum expostulare dicens, iura mihi esto falso iures, vel per falsos Deos?

Respondet Sanchez *lib. 3. in Decal. c 8. n. 27.* sibi esse probabilius, id licitum esse. Mouetur argumento ducto à petitione mutui ab vsurario parato, quem inuitare pores ad mutuum sub vsuris quando alia via mutuum obtinere non potes. Quia in hac petitione non petis actionem dantis mutuum sub vsuris, quatenùs ab eo procedit, sed petis mutuum quod licitè fieri potest. Cum autem dicis *sub vsuris*: est permissiuè: facíque hunc sensum da mihi mutuum, & quia certus sum, te non esse daturum nisi sub vsuris, vsuras promitto. Sic (inquit) est dicendum in petitione Iuramenti ab eo, quem scis nolle iurare, nisi falso, vel per falsos Deos, potes inquam petere Iuramentum, esto iniquè præstandum sit. Quia iniquitas non expostulatur, sed permittitur.

Cæterum mihi probabiliùs eſt, nequaquam hunc modum petendi honeſtari poſſe in Iuramento. Nam ex illa petitione conuinceris te petere Iuramentum, non abſolutè, ſed eſto ſit iniquitate veſtitum. Sed Iuramentum iniquitate veſtitum iniquum eſt, ergo illa eſt petitio iniqua. Neque eſt ſimile de mutuo. Nam conceſſio mutui & petitio vſurarum ſunt res diſtinctæ, ac proinde poteris mutui conceſſionem petere & vſurarum petitionem permittere. At Iuramenti falſitas vel iniquitas ab ipſo iuramento non diſtinguitur. Non igitur dari poteſt illius iuramenti petitio, quæ ſimul non ſit petitio falſitatis, vel iniquitatis. Adde cum petis ab vſurario mutuum ſub vſuris, non petis vt vſurarius vſuras recipiat (id enim tibi moleſtum eſt, & contrarium velis,) ſed petis mutuum & vſurarum dationem promittis, ſed mutui petitio, & vſurarum conceſſio in ſe mala non eſt. Ergo fieri poteſt. Secùs verò eſt in petitione Iuramenti ſub illa expreſſione, eſto falſum, & iniquum ſit. Quia illa petitio non ſiſtit in iuramento præcisè, ſed deflectit ad iuramentum quodcunque tametſi falſum, & iniquum. Eſt igitur iniqua petitio. Sic Valent. 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 7. *punct.* 3. *verſ. aduertendum.* Salon. 2. 2. *quæſt.* 87. *art.* 4. *controuerſ.* 2. *fine.*

11 Tertia difficultas eſt: an ſit petendum Iuramentum promiſſorium ab eo, quem credis violaturum? Reſpondeo idem eſſe dicendum, ac in iuramento aſſertorio, nempe ſi morali certitudine tibi conſtet eſſe violaturum, non poteris exigere niſi tibi neceſſaria, & vtilis ſit talis petitio, ob rationem ſæpè dictam. Quia lege charitatis teneris cauere proximi peccatum, quoties commodè poſſis. Sic expreſsè Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de Iuram. cap.* 14. *num.* 18. Sanchez *lib.* 3. *in Decal. cap.* 8. *num.* 8.

12 Ex hac doctrina inferunt graues Doctores, imprudenter agere confeſſarios exigentes à ſuis pœnitentibus Iuramenta, vel votum deſiſtendi ab aliquo crimine. Quia eos tranſgreſſionis periculo exponunt, & ſæpè ſuppetunt alia remedia. Fauétque textus in *cap. clericos, de cohabit. Cleric. & Mulier.* Vbi cauetur ne Iuramentum petatur à clericis de dimittendis concubinis ob periculum violationis; & quia aliis remediis iuuari poſſunt. Sic Sayro in Claui Regia *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 3. Graſſ. 2. *p. deciſ. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 11. *fine.* Nauarrus *cap.* 26. *num.* 25. Suarez *lib.* 3. *de Iuramento cap.* 14. *num.* 18. Sanchez *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 8. *& alij.* Sed in his prudentia opus eſt. Nam eſto timeatur ſic iurantes aliquando Iuramentum violaturos; ſi tamen præſumitur illius vinculum eos à peccatorum frequentia detenturum, non videtur conſilium imprudens, quod daretur de tali Iuramento præſtando. Aliàs ſi omnia hæc Iuramenta, & vota imprudenter fierent, nulla examinata cauſa diſpenſati poſſent. Regulariter tamen ſuperior doctrina eſt veriſſima & omnino ſequenda.

Inſuper addit Sanchez *illo cap.* 8. *num.* 8. *fine*, non eſſe conſilium bonum, ſi confeſſarij iurare vel promittere faciant pœnitentes aliquam pœnam ſubeundam ſi reinciderint, ob eiuſdem periculi tranſgreſſionem. Sed contrarium mihi placet cum Nauarro *cap.* 26. *num.* 25. Quia non eſt idem periculum tranſgreſſionis. Non enim qui Iuramentum non fornicandi violaret, eo ipſo violaret Iuramentum de pœna ſubeunda. Quia in fornicationem rapitur ob inordinatum affectum. Secùs in pœnam. Neque alia via aptiori aſſueti peccatis vti poſſunt ad extirpandam prauam conſuetudinem, quam ſi ſibi imponant aliquam pœnam moderatam ſubire, quoties reinciderint.

PVNCTVM XI.

Quæ pœnæ ſint impoſitæ periuro.

SVMMARIVM.

1 *Qualiter periuro pœna infamiæ imponatur.*
2 *Nullus periurus priuatur beneficiis acquiſitis, at venit priuandus per ſententiam, priuatur tamen beneficiis acquirendis periurus infamis infamia iuris.*
3 *Iure regio violans Iuramentum promiſſorium (excepto Iuramento extorto per iniuriam) omnia bona amittit.*
4 *Teſtis falſum deponens in iudicio reus falſi efficitur.*
5 *Periurus à teſtificando repellitur.*
6 *Quale debeat eſſe hoc periurium?*

VAriant Doctores, & ſatis confuſè loquuntur. Eorum placitis omiſſis, vt cum diſtinctione procedamus. Aduerte ſermonem eſſe de pœnis ob periurium in iudicio, vel extra impoſitis ipſo iure; vel per ſententiam imponendis.

1 Dicendum ergo eſt, pœnam infamiæ ciuilis (quæque infamia propria eſt, & ſemel contracta aboleri non poteſt abſque diſpenſatione ſuperioris) nullus periurus contrahit, niſi fœdus & humanum pactum iuramento firmatum violauerit, & de eius crimine lata fuerit ſententia. Sic videtur decidi in *leg. ſi quis maior* 41. *Cod. de tranſactionibus iuncto cap. infames* 6. *q.* 1. ibi. Infames ſunt, quos ſæculi leges infames pronunciant. At ſolum periurium promiſſorium circa contractum infamiam irrogat iuxta ſupradict. *leg. ſi quis*, ergo hoc ſolum periurium iure canonico & ciuili infamiam irrogat. Sic tenent plures, quos refert, & ſequitur Couarr. *cap. quamuis pactum de pactis*, 1. *p.* §. 7. *num.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 14. *n.* 74. Suarez *tom.* 2. *de Religione, tract.* 4. *de Iur. lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 15.

Excipe periurium ob non ſolutas vſuras, quas iurans promiſerat; hic enim infamiam non contrahit, & merito; quia iniquè & iniuſtè ad iurandum compulſus. Sic Fel. *in c. teſtimon. num.* 21. *de teſtib.* Lambert. *de iure patronat.* 1. *p.* 2. *lib. q.* 9. *a.* 1. & Cou. *ſuprà.*

Hinc infero propter periurium promiſſorium Deo factum incurri infamiam. Quia vt dicitur in *leg.* 2. *Cod. de rebus creditis.* Iuriſiurandi contempta religio ſatis Deum habet vltorem: conſentiunt relati Doctores.

Infero ſecundò, ob periurium aſſertorium etiam in iudicio non contrahi ipſo iure infamiam. Probat lex *Lucius Titius, ff. de his qui notantur infamia.* Vbi eſt ſermo de teſtimonio in iudicio. Et licet in *cap. vlt. de tempor. ordinationum*, expellatur ab ordine iudiciario probatus; vel aliàs notorius fuerit, non tamen ipſo iure expellitur, ſed cauetur expellendus, ſicut homicidia, aliáque crimina, quæ ibi referuntur perpetrantes. Sic Couarr. Leſſius, Suarez, & alij *ſuprà.*

Aduertendum tamen eſt, periurium in iudicio, vel extra poſſe à iudice pœna huius infamiæ puniri. Siquidem poteſt puniri ad eius arbitrium; & tunc periurus poſt ſententiam condemnatoriam infamis erit iuxta *cap. ſi quis conuictus* 22. *q.* 5. ibi, ſecundum legem infamiæ notabuntur, & tradit Suar. *d. lib.* 3. *de Iuramento cap.* 19. *num.* 16.

Dico ſecundò nullus periurus priuatur ipſo iure beneficiis acquiſitis, ſed priuandus venit per ſententiam, priuatur tamen ſecundum probabiliorem opinionem beneficiis acquirendis periurus infamis infamia iuris. Primam partem probat Textus *in cap. querelam de iureiurando*, & ibi Gloſſ. Abbas & alij *in c.* 2. *de reſcriptis*, quo in loco Felinus, Decius, & Ripa fatentur hanc opinionem communem eſſe, idem affirmant Couarr. *de pactis* 1. *p.* §. 7. *num.* 3. Suarez *lib.* 3. *de Iuramento cap. vltim. num.* 6. *&* 22. Gar. 11. *p. de benefic. cap.* 10. *num.* 167. Azor. 1. *p. lib.* 11. *cap.* 12. *q.* 9. Auguſt. Barboſa *allegat.* 51. *num.* 44. Et alij apud ipſos quamuis Rebuffus cum aliis *tractat. de pacific. poſſeſſor. num.* 223. Contrarium ſentiat, nullo tamen iure fundatur. Secundum partem concluſionis nempe periurum declaratum per ſententiam eſſe priuatum beneficiis obtinendis, ita vt ſi ei fiat collatio, nulla ſit. Tenent expreſsè Rebuffus *ſupra num.* 221. & Couarr. *d.* 1. *p. de pactis*, §. 7. *num.* 3. *in fine.* Azor. 1. *p. l.* 11. *c.* 12. *quæſt.* 10. Sayro in claui Regia *l.* 5. *c.* 9. *n.* 9. Flaminius *l.* 4. *de reſign. q.* 3. *n.* 10. Barboſa 3. *p. de poteſt. Epiſcopi allegat.* 51. *num.* 45. Imo addit Couarr. *ſuprà*; periuro infami infamia facti, ſi fiat collatio virtute litterarum Apoſtolicarum eſſe nullam. Quia Pontifex non intendit ſub ſuis litteris ad beneficia infames & periuros contineri; cum potiùs velit clericis virtute, & morum honeſtate præditis beneficia conferri.

Dixi ſecundum *probabiliorem ſententiam* priuatum eſſe beneficiis obtinendis. Nam videtur eſſe probabile ipſo iure priuatum non eſſe cum probabile ſit collationem beneficij factam in regulari validam eſſe in foro conſcientiæ, veniréque per ſententiam reſcindendam, vt tenet Sylueſter, verbo *excommunicatio* 4. *num.* 4. inclinat Felinus *in cap. inquiſitionis de accuſationibus num.* 6. & vt probabile defendit Suar. *tom.* 5. *num.* 3. *p. diſp.* 40. *tract.* 2. *num.* 35. probátque ex *cap. ſi ſoli de conceſſione prabendæ in* 6. Vbi dicitur prohibitionem Pontificis non irritare collationem beneficij niſi conſtiterit eſſe irritum & inane, quod contra ipſum factum fuerit. Sed expreſsè non conſtat irritam eſſe collationem beneficij factam irregulari; licet conſtet prohiberi talem collationem. Ergo neque collatio facta infami etiam infamia iuris irrita erit. Nam infamia quædam eſt irregularitas vt conſtat ex *c. infamis* 6. *q.* 1. & colligitur ex penultima regula iuris in 6. ibi. *Infantibus porta non pateant dignitatum*, & defendit Suar. cum communi ſententia *ſupra, diſp.* 48. *ſectione* 2. *num.* 1. *&* 2. Si ergo irregulari collatio beneficij facta valida eſt; à fortiori valebit infami facta. In foro tamen externo nunquam valebit; impetrariſque poterit beneficium vt vacans propter infamiam. Vt expreſsè notauit Suar. *illo* 5. *tomo in* 3. *parte diſput.* 40. *ſect.* 2. *num.* 35. *in fine*, & eſt communis ſententia.

3 Dico tertiò iure Regio violans Iuramentum promiſſorium (excepto Iuramento per iniuriam extorto) omnia bona amittit; eáque fiſco Regis adiudicantur. Intellige poſt ſententiam crimis. Habetur expreſsè *lege* 1. *tit.* 6. *lib.* 8. *ordinamenti*, & notauit Couarr. *de pactis* 1. *parte* §. 7. *numer.* 4. *in fine.* Iure ciuili præter infamiam pœnam contractus

debet

debet ſoluere periurus, & actionem, omnéque conuentionis commodum amittere. Sic aliis relatis Couarr. *ſupra*. Et probatur ex *d. lege ſi quis maior*, *Codice de tranſactionibus*. Si verò periurium fuerit aſſertorium, puniri debet pœna criminis ſtellionatus; cáque de cauſa periurus ad tempus exulat. Vt conſtat ex lege vltima, *ff. de crimine ſtellionatus*.

4 Dico quartò, teſtis falſum teſtimonium in iudicio dicens, vel veritatem negans, ex quo proximo damnum prouenit, falſi reus efficitur, vt eleganter probat Couarruuias *de pactis illa* 1. *p.* §. 7. *num.* 5. & multis relatis tradit Farinacius *praxi* 2. *parte quæſt.* 67. *num.* 220. Auguſt. Barboſa 3. *parte de poteſtate Epiſcopi allegat.* 51. *num.* 24. Puniri debent conſtituta contra eum accuſatione, ſi clericus ſit, de poſitione & recluſione in monaſterium, vt ibi pœnitentiam agat iuxta *cap. ſi Epiſcopus* 50. *diſtinctione*. Et de pœna depoſitionis habetur expreſsè, *cap. Presbyter* 81. *diſtinctione*, & in capite *cum non ab homine*, *de iudiciis*. Quod verò hæc depoſitio poſſit eſſe perpetua, probat ſupradictum *caput ſi Epiſcopus*, *& cap. peruenit de fideiuſſoribus*. Vt autem à iudice depoſitio perpetua imponatur, grauiſſimum debet eſſe periurium, & ſatis proximo nociuum, vt rectè affirmat Suarez *tomo* 2. *de Religione tractatu* 4. *lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 20. Si verò periurans teſtis ſæcularis ſit, & liber, puniri debet pœna deportationis, & omnia eius bona publicari, ſi ſeruus mortis eſt tradendus, habetur, *lege* 1. §. *vlt. ff. de falſis*, *& lege* 13. *titul.* 8. *lib.* 2. *fori*. Quod ſi in cauſa capitali falſum dixerit aduerſus reum, puniendus eſt eadem pœna, qua reus puniretur, ſi criminis conuictus foret. Ita expreſsè multis citatis Couarruuias *de pactis* 1. *parte* §. 7. *num.* 6. probátque elegantèr *lex* 81. *Tauri*. Verum ſi iudex circa accuſationem teſtem de falſitate conuincat, non ordinaria pœna, ſed arbitraria puniri debet. Probátque *lex vltima tit.* 16. *partita* 3. conſentit Couarruuias *ſupra*. Præterea in *lege* 3. *tit. de falſis lib.* 4. *fori*, cauetur. Vt teſti falſum dicenti teſtimonium in quacumque cauſa, ſiue criminali, ſiue ciuili extrahatur quinta pars dentium, quam legem, ait Couarr. *num.* 6. in praxi eſſe admiſſam, ſiue iudex ex officio procedat; ſiue ad accuſationem alicuius. Qui verò ad dicendum falſum teſtimonium, alium induxerit, vel dono, munereve corruperit eadem pœna falſi teſtis puniri debet. Vt habetur *leg.* 1. *titul. de falſitate & lege* 1. *regia titul.* 7. *partita* 7. Quod tamen intelligo, ſi effectus ſit ſubſecutus. Hoc eſt, ſi de facto falſum iurauit inductus. Non tamen obinde cauſam amittet. Siquidem is tantum ius litis, & cauſæ perdit, qui falſum committit circa acta cauſæ, non qui circa teſtes ipſos, aliaue inſtrumenta, quæ ad cauſæ acta non attinent. Sic Couarr. *de pactis*, 1. *parte* §. 7. *num.* 6. *circa finem* cum Bartolo, Alexandro. Iaſon. Decio & aliis, probátque ex *lege in fraudem* §. *quoties*. *ff. de iure fiſci*

5 Dico quintò, Vltra dictas pœnas, potiſſima periurij pœna eſt repulſa à teſtificando in iudicio. Sic habetur *cap. quicumque* 6. *quæſt* 1. ibi. Eorum teſtimonium infirmetur & *cap. non poteſt*, 2. *quæſt* 7. *& in capite teſtimonium*, *de teſtibus*. Dicitur eſſe repellendum, etiamſi emendatus ſit: Ratio eſt. Quia ex quo ſemel quis peierauit, præſumitur ſemper peieraturus. Sic Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 3. *de Iuramento cap.* 3. *num.* 5. *& omnes*. Non tamen ipſe periurus tenetur ſe abſtinere. Quia nullibi eſt cautum. Nam licet in *cap. paruulis* 22. *q.* 5. Dicitur, qui ſemel peieratus fuerit, nec teſtis ſit poſt hoc, neque ad Sacramentum accedat, neque in ſua cauſa, vel alterius iurator exiſtat; non inde infertur eſſe ipſo iure repulſum; ſed debere repelli. Vt tradit Suarez *loco allegato*. Vnde ſi de facto admittatur, eius teſtimonium non eſt irritum, quouſque per ſententiam repellatur, & inhabilis ad teſtificandum declaretur.

6 Sed inquires quale periurium debet eſſe, ob quod periurus repelli poteſt à teſtificando in iudicio? Reſpondet Sylueſt. verbo *Iuramentum* 2. *q.* 3. Azor. *tomo* 1. *inſtit. moral. lib.* 11. *cap.* 11. *q.* 6. Valentia, 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 7. *punct.* 3. *dict.* 3. *col.* 4. ſufficere periurium notorium notorietate facti, in quo euidens ſit dixiſſe aliquem verba iuſiurandi falſo cum vera deliberatione, & cognitione. Suar. verò *lib.* 3. *de Iuramento*, *cap.* 20. *num* 20. Affirmat ſufficere periurium in iudicio, vel in ſolemni pacto & promiſſione, vel certè publicam infamiam, quod talis homo ſoleat peierare. Ratio eſſe poteſt. Quia in dictis textibus non ſignatur periurium ob quod periurus debeat repelli. Cum ergo periurium notorium notorietate facti grauiſſimum ſit, debet hunc effectum habere. Verum Sanch. *lib.* 3. *de Iuramento cap.... n* 5. cenſet non ſatis eſſe, quodlibet periurium ad repellendum periurum à teſtimonio ferendo, ſed debere periurum de illo periurio conuinci, & in iudicio damnari; & ex alia parte non debet eſſe periurium iniuria vel metu extortum, aut reo in iudicio de propria cauſa commiſſum. Cuius ſententiæ ſunt Archidiaconus, Sotus, Arag. Tabiena & alij ab eodem Sanchez relati.

Ego verò dicendum exiſtimo, neceſſariò requiri, & ſufficere periurium abſque iniuria exortum ſed proximo nociuum in iudicióque probatum; tametſi de illo lata non ſit ſententia. Nam licet periurus vſque condemnetur non ſit infamis infamia iuris, eſt tamen facti; ob quam infamiam, ſi à periurio oriatur, à teſtificatione repellitur in omni cauſa, vt diximus hac diſputatione *punct.* 3. & videtur expreſsè tradi illo *capite teſtimonium teſtibus*, ibi. Si verò de crimine ſit emendatus vt eum non comitetur infamia non eſt in cauſa ciuili; vel etiam cum de crimine ciuiliter agitur (præterquam pro reatu periurij) repellendus. Et ergo propter periurium probatum etiamſi eum non comitetur infamia, quod idem eſt, ac ſi dicatur; etiamſi emendatus non ſit; à teſtimonio in cauſa ciuili, vel etiam dum de crimine ciuiliter agitur, & à fortiori ſi criminaliter agatur, repellendum. Tandem aduerte quando in *cap paruuli*, interdicitur periurio etiam in ſua cauſa ad iurandum admitti, intelligi debere, de Iuramento purgationis, ita vt à ſuſpicione contra ſe orta nequeat ſe proprio Iuramento purgare. Item intelligi debere de omni Iuramento ſibi vtili; ſecùs de oneroſo, vt eſt Iuramentum calumniæ & fidelitatis. Ita tradit Gloſſa *in d. c paruuli* 22. *q.* 5. Suar. *lib.* 3. *de Iuramento c.* 20. *num.* 8. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 3. *num* 5.

DISPVTATIO II.

De Iuramenti promiſſorij Obligatione & Firmitate.

PVNCTVM I.

Qualis & quanta ſit Iuramenti promiſſorij obligatio.

SVMMARIVM.

1 *In Iuramento promiſſorio, & obligatio voti & Iuramenti ſæpè reperitur, & quando hoc contingat.*

2 *In promiſſionibus humanis iuratis obligatio iuſtitiæ non naſcitur ex vi Iuramenti.*

3 *In Iuramento de re futura facienda in honorem Dei, eſto regulariter votum intercedat, aliquando ceſſare votum poteſt.*

4 *Quoties Iuramentum cum promiſſione valida coniungitur, duplex peccatum committitur in eius violatione, & religionis & iuſtitiæ.*

5 *An ſit maior obligatio Iuramenti quam voti.*

1 ALIQVANDO in Iuramento promiſſorio reperitur obligatio voti ſimul cum Iuramento; aliquando ceſſat hæc voti obligatio. Si enim Iuramentum confirmet promiſſionem Deo factam in tali Iuramento eſt obligatio voti, & Iuramenti. Vt ſi ſub Iuramento promittas Deo caſtitatem vel religionis ingreſſum, hæc promiſſio iurata & obligationem voti & iuramenti habet. Vna enim obligatio ab alia eſt diſtincta. Potes namque promittere Deo caſtitatem abſque iuramento, & ex tali promiſſione, obligatione voti, non Iuramenti tenebris. Si autem hanc promiſſionem iuramento firmes, vinculum iuramenti addis. Sunt igitur hæc vincula diſtincta & compatibilia. Aliquando vero in iuramento ceſſat obligatio voti, vt contingit in omnibus promiſſionibus homini factis iuramento confirmatis, in quibus ſola obligatio Iuramenti, non voti reperitur, in his omnes conueniunt.

2 An verò in his promiſſionibus iuratis obligatio iuſtitiæ inſit? Breuiter reſpondeo, ex vi & natura Iuramenti non induci; induci autem ex vi promiſſionis, quoties iuramentum promiſſioni aliàs validæ adiicitur, vel ex iuris diſpoſitione, ſi facto iuramento promiſſio aliàs inualida firma redditur. Ratio eſt manifeſta. Quia iuramentum ex natura ſua ſolum habet diuino teſtimonio rem præſentem vel futuram confirmare. Ergo ſolum inducit religionis obligationem, non iuſtitiæ. Aliàs ſi vi ſua obligationem iuſtitiæ induceret in omnibus Iuramentis eam haberet, tametſi dolo & fraude eſſent extorta. Siquidem in ipſis eſt vera & adæquata ratio Iuramenti, illiúſque obligatio. Reſtat ergo vt ſolum ex promiſſione cui adiicitur iuramentum, vel ex iuris diſpoſitione hæc obligatio iuſtitiæ in promiſſionibus homini factis, & iuramento confirmatis naſcatur. Et ita tenent aliis relatis Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 2. *de Iuramento*, *c.* 29. *n.* 23. Thom. Sanch. *lib.* 3. *ſumma cap.* 12. *num.* 3. Baſilius Legionenſis *lib.* 12. *de ſponſalibus cap.* 8. *n.* 5. optimè Vaſquez *de teſtamentis cap.* 3. *dubio* 2. *num.* 22. *& ſequentibus*.

3 Sed eſt dubium an in Iuramento de re futura facienda in honorem Dei, ſemper vinculum voti reperiatur.

Reſpondeo regulariter loquendo reperiri. Quia ſic iurans rem Deo faciendam promittit, ſi tamen expreſsè velit non promittere, ſed ſolum proponere, & illud propoſitum de re facienda, firmaret iuramento, vt verè firmare poteſt, ſolo iuramenti vinculo, & non voto tenebitur. Sic Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. de Iuramento cap. 2. in fine.* Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 9. num. 5 & lib. 8. de matrimonio, diſp. 13. num. 4.* Leſſius *lib. 2. de iuſtitia, cap. 42. dub. 11. num. 53.* Quocumque tamen modo iuramentum præſtas, ſiue cum ſolo propoſito, obligaris verum facere Iuramentum. Sic relati Doctores. Et confirmat apertè *lex non erit 5. ff. de iureiurando*, ibi. Dato iureiurando, non aliud quæritur, quam an iuratum ſit? Remiſſa quæſtione an debeatur quaſi ſatis probatum ſit (ſcilicet deberi) iureiurando. Idem colligitur ex *cap. debitores, de iureiurando.* Vbi Iuramentum ſoluendi vſuras obligat iurantem ad earum ſolutionem tametſi promiſſio nulla ſit. Obligatio ergo Iuramenti à promiſſione non pendet.

Hæc autem obligatio iuramenti ex ſuo genere grauis eſt, ſolúmque limitari poteſt ex leuitate materiæ promiſſæ; pertinétque ad virtutem religionis, non ſolum quando iuramentum cum voto coniungitur, ſed etiam quando coniungitur cum promiſſione homini facta; ſiquidem in honorem Dei cedit, vt talis promiſſio iuramento vallata executioni mandetur. Sic Suar. *tom. 2. de Religione lib. 2. cap. 4. n. 1.* Sanch. *lib. 3. cap. 9. num. 9. & alij apud ipſos.*

4 Eſt tamen maximè aduertendum. Quoties iuramentum cum promiſſione valida coniungitur, duplex peccatum committi in eius violatione. Aliud aduerſus religionem iuramenti. Aliud aduerſus obligationem natam ex promiſſione. Nam valida promiſſio homini facta inducit obligationem iuſtitiæ, vel fidelitatis: Si Deo facta inducit obligationem voti. Violans ergo promiſſum iuratum, duplicis culpæ reus eſt. Sic Sanch. *lib. 7. de matrimonio, diſput. 27. n. 26. & lib. 9. diſp. 15. n. 6. & lib. 3. in Decalog. c. 9. n. 8.*

Sed inquires: an maior ſit obligatio Iuramenti, quam voti? Breuiter reſpondeo, comparationem faciendam eſſe de iuramento, quod votum non includit cum voto; & ſic comparatum exiſtimo probabiliùs cum D. Thom. 2. 2. *quæſt. 89. art. 8.* minorem eſſe obligationem ortam ex Iuramento, quam ex voto. Mouetur, quia in Iuramento promiſſorio ſolum diuina auctoritas adducitur vt ſecurior promiſſio reddatur, in voto autem ipſi diuinæ auctoritati fit promiſſio. Videris ergo ex voto efficaciùs obligari quam ex Iuramento. Quod exemplo vulgari confirmari poteſt. Si enim cum Rege inires pactum, ipſique te obligares, grauiorem iniuriam ei irrogares violando pactum, quam ſi in eius præſentia, & ſub eius auctoritate promiſſum alteri tranſgreſſus fuiſſes. Nam in violatione pacti cum Rege initi directè perſona Regis offenditur; non æquè in violatione pacti cum tertio initi ſub eius authoritate; ſic dicendum videtur in Iuramento, & in voto.

Pvnctvm II.

Vtrum Iuramentum dolosè præſtitum obligationem inducat.

SVMMARIVM.

1 *Carere animo implendi promiſſum non obſtat obligationi Iuramenti.*

2 *Carere animo iurandi, aliquibus placet inducere obligationem etiam ex religione, ſed contrarium verius eſt.*

3 *Si dolus ſit in verbis, obligationem contrahit ſecundum quem iuras.*

4 *Explicatur textus in cap. quacunque arte. 22. quæſt. 5. num. 4.*

5 *Explicatur lex regia 27. tit. 11. partita 3. n. 5.*

6 *Quod ſi iuraſti abſque intentione te obligandi, plures cenſent te obligatum eſſe. Verius eſt, te non eſſe obligatum vi Iuramenti, num. 6.*

7 *Fit ſatis fundamento contrario.*

Diximus dolum interuenire poſſe in Iuramento; vel quia iuraſti abſque animo implendi rem promiſſam, vel abſque animo iurandi, aut te obligandi, aut verbis amphybologicis.

1 Si dolus ſolum ſit, quia iures animo implendi promiſſum, obligationi Iuramenti non obſtat. Quia ſtare optime poteſt vera voluntas iurandi, & te obligandi, quin adſit animus exequendi obligationem. Nam licet ſatis controuerſum ſit; an promiſſio poſſit eſſe abſque animo exequendi rem promiſſam? at cum Iuramentum de futuro non petat neceſſario promiſſionem; conſequenter non petit ad ſuam eſſentiam animum exequendi rem iuratam. Sic Suarez *tom. 2. de Religione, lib. 2. cap. 2. per totum* Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 10. num. 5.* Leſſius *lib. 5. cap. 42. dub. 8. num. 41.* Bonacina *tom. 2. diſp. 4. punct. 7. q. 1. n. 5.*

2 Econtra ſi dolus ſit in animo iurandi. Quia ſolum exteriùs verba Iuramenti profers: cares tamen animo & voluntate inuocandi Deum in teſtem. Valentia 2. 2. *diſput. 6. quæſt. 7. punct. 2. circa finem.* Diſtinguit, ſi tibi Iuramentum rationabiliter petitum eſt, obligaris illud implere ex vi religionis debitæ Iuramento; ſecùs ſi irrationabiliter fuit petitum. Rationem ſubdit Valentia. Quia præceptum religionis non ſolum obligat ad tuendum honorem diuinum efficiendo verum id, in cuius confirmationem diuinum teſtimonium inuocatum eſt; ſed etiam id, quod rationabiliter ab aliis credi poteſt diuino teſtimonio eſſe confirmatum. Alioquin minueretur apud illos honor diuinus. Sed quoties rationabiliter Iuramentum expoſtulatur, creditur ab aliis, diuino teſtimonio rem confirmatam eſſe. Ergo ex religione obligatur ſic iurans rem promiſſam exequi. Secus verò eſt cum irrationabiliter expoſtulatur Iuramentum. Quia tunc merito præſumere poſſunt iurantem ſolo verbo tenus iuraſſe.

Verum hæc ratio ſolum probat adeſſe in ſic iurante obligationem, exequendi promiſſum ob ſcandalum. Sed non probat, ex vi Iuramenti aliquam eſſe obligationem. Cum enim illa ſimulatio eſſentiam Iuramenti deſtruat, nequit illa deſtructa obligatio remanere. Tenebitur tamen ſic iurans omne damnum, quod ex ſuo ficto Iuramento prouenit, reparare. Quia nullam habuit cauſam ad ſic fictè iurandum. Ita tenet Valentia 2. 2. *diſp. 6. quæſt. 7. punct. 4. circa finem.* Azor. 1. *p lib. 11. c. 4. q. 2.* Sanchez *lib. 3. ſumm. c. 10. à n. 11.* Bonacina *diſp. 4. q. 1. punct. 7. n. 2.*

3 Si verò dolus ſit in vſu verborum; quia illis vſus es in alio ſenſu ab eo quem intelligit is, cui Iuramentum præſtas, obligationem Iuramenti contrahis ſecundum ſenſum, quem iuras. Sic Couarr. *de pactis 1. p. §. 5. in principio.* Leſſius *lib. 2. de iuſtitia cap. 42. dub. 8. num. 44.* Sanch. *lib. 3. in Decalog. cap. 10. num. 11.* Suarez *lib. 2. de Iuramento cap. 8. à num. 5.* Et probatur ex *Textu in capite, Humanæ aures, 22. quæſt. 5.* Ibi humanæ aures talia verba noſtra iudicant qualia foris ſonant, diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Ecce qua ratione coram Deo ex vi Iuramenti non eſt alia obligatio, niſi quatenus verba ex intimis proferuntur. Quodque clarius colligitur ex iis, quæ ſubſequuntur. Nam Deus (inquit textus) non accipit Iuramentum, ſicut ille, cui iurauit, ſed potiùs, ſicut qui iurat, intelligit. Ratio etiam eſt manifeſta: Nam Iuramentum, eiúſque obligatio non eſt abſque intentione iurandi. Ergo ſi iurans ſolum habeat intentionem iurandi ſecundum ſenſum ab ipſa intellectum, ſolum obligatur ſecundum illum, & non alium.

4 Sed obſtat textus *in cap. Quacumque arte. 22. quæſt. 5.* Vbi dicitur; quacumque arte verborum quiſque iuret; Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui iuratur, intelligit. Eſt ergo deciſio huius textus contraria ſupradictæ deciſioni capituli, Humanæ aures.

Facilè tamen reſpondebis ſi dicas, Deum accipere Iuramentum, ſicut ille, cui iuratur, intelligit, quoad affectum committendi culpam, non quoad affectum ſe obligandi, id eſt, accipit Iuramentum, ſicut ille, cui iuratur, intelligit, vt culpa vitetur in Iuramento, non vt iurans maneat obligatus, quæ explicatio comprobatur ex iis quæ ſtatim ſubiungit textus, inquit enim, dupliciter peccare ſic aſſumentem nomen Dei; tum quia in vanum aſſumit; tum quia proximum dolo capit. Loquitur ergo ſolum de peccato commiſſo in eo modo iurandi, non de obligatione inde ſubſecuta. Et ita explicat Suarez *lib. 2. de Iuramento cap. 8. num. 10.* Sanchez *lib. 3. cap. 10. num. 13.* Aliter verò reſpondere poſſumus cum Leſſio *lib. 2. cap. 42. n. 45.* Iuramentum non obligare vi ſua, & per ſe, niſi ſecundum mentem iurantis. At ratione damni vel ſcandali ſecuturi, ait in foro externo obligare ſecundum mentem exigentis, quoties rationabiliter exigitur. Quia his rationibus ſpectatis Deus accipit, ſicut aliter intelligit. Siquidem intendit ne alteri cauſam damni aut ſcandali præbeas Iuramentum doloſum non ſeruando.

5 Ex quibus explicare potes *legem regiam 29. titul. 11. partita 3.* Vbi dicitur, ſi *el que da la iura, o el que la face metiere palabra engañoſa, o dudoſa; que noſe deue entender fueras de la manera que la entendio aquel que no fizo el engaño.* Explicare enim debes procedere in foro externo, in quo non intelliguntur verba, niſi ſecundum illius mentem, qui abſque dolo proceſſit, vt bene explicat ibi Gregorius Lopez, & Gloſſa *in capite, hoc videtur, 22. quæſt. in fine* & licet ibi addatur. *No ſe puede excuſar, que no ſea per ende periuro.* Intelligi debet in foro externo, & quo ad præſumptionem. Sed caſu quod omnis præſumptio ceſſaret; eo quod fallens fallaciam probaret; non tamen ob inde ſequitur te obligandum non eſſe ſtare promiſſioni in ſenſu ab alio perceptæ, & tanquam periurum puniri poſſe. Vt in ſupradicta

lege

lege cauetur. Et notauit Sanchez *lib. 3. cap. 10. num. 16.* Secluſa autem ſententia iudicis, ceſſante ſcandalo, ſi promiſſio iurata doloſa fuit libetalis, ſolum teneris ad eius executionem ſecundum ſenſum Iuramenti, quia alia via teneri non potes; ſi verò fuit oneroſa, vt ſi promiſiſti puellæ matrimonium verbis æquiuocis, ſi in copulam conſentiret, illa verò ſub hac conditione conſentit, tunc ſi damnum, quod ex copula prouenit, alia via reparari non poteſt, quam matrimonio, teneris ducere ratione damni dati, etiam ante ſententiam. Si verò reparari alia via poteſt, non teneris, quia ſolum teneris reddere æquale ob contractum. Sanch. *lib. 1. de ſponſalibus tota diſp. 9. & 10.*

6 Maior difficultas eſt ſi dolus ſit in intentione obligationis, eo quod iuraſti abſque intentione te obligandi; an inquam ex illo iuramento obligatus ſis? Et quidem eſſe poſſe Iuramentum de re futura abſque intentione te obligandi ad illius executionem, ſi materia iurata incapax ſit obligationis, conſtat. Si enim iurares non dare eleemoſynam, non fore religioſum, poſſes habere animum iurandi, & verè iurare abſque animo te obligandi ad rei iuratæ executionem. Quia res iurata incapax eſt talis obligationis, & tu hanc incapacitatem cognoſcis. Signum ergo eſt, ſeparabilem eſſe intentionem iurandi ab intentione te obligandi in materia incapaci obligationis. At quando materia iurata capax eſt obligationis, nullo modo habere potes intentionem iurandi, & non te obligandi. Quia iurare, & non te obligare omnino ſunt impoſſibilia, & ſecum pugnantia.

Quapropter ſolum quæſtio procedere poteſt ex errore quo crederes eſſe poſſe Iuramentum de materia capaci obligationis abſque intentione te obligandi. In eo ergo caſu ſi iurare intenderes & non te obligare, manebiſne obligatus?

Affirmant plures te obligatum manere. Sic Caietanus *2. 2. quæſtione 89. articulo 7.* Et ibi Arag. verſ. *quarta concluſio*, Sayro in claui Regia *libro 3. cap. 6. num. 8.* Valentia *2. 2. diſputatione 6. quæſt. 7. punct. 4. circa finem.* Leſſius *lib. 2. cap. 42. dub. 8. num. 38.* Suarez *tom. 2. de Religione lib. 2. c. 7. n. 18.* & alij. Mouentur, quia Iuramentum ex ſe, & ex ſua propria ratione inducit obligationem, ſi igitur efficaciter voluiſti iurare, impedire non poteris obligationem inde conſurgentem. Quia hæc non ex tua voluntate, ſed ex facto ipſo naſcitur, ſicut ſi velles peccare mortaliter, & ex conſcientia erronea nolles obligari ad pœnam æternam, adhuc obligatus manebis, quia illa obligatio ex peccato ipſo oritur ſine vlla dependentia à voluntate.

Verum contraria ſententia mihi probabilior eſt, te vi Iuramenti obligatum non eſſe; Sic Syluester verbo *Iuramentum 4. q. 7.* Azor. *1. p. lib. 11. c. 4. q. 2.* Bonacin. *2. tom. diſput. 4. quæſt. 1. punct. 6. num. 3.* & pluribus relatis Sanch. *lib. 3. ſummæ cap. 10. n. 8. & ſeqq. præcipuè n. 10.* Moueor, quia in omni ſententia obligatio Iuramenti promiſſorij, vel eſt de eius eſſentia, vel eſt quid conſecutum neceſſariò ad illam, ita vt abſque tali obligatione Iuramentum eſſe non poſſit: Sicut non poteſt eſſe matrimonium ſine obligatione ad reddendum debitum, & alendam prolem, &c. Ergo ſi ponamus te efficaciter velle non obligari ad ſeruandum Iuramentum, conuinceris habere intentionem verè iurandi. Siquidem habes intentionem non apponendi, quod neceſſarium eſt ad Iuramentum, vt in voto conſtat. Si enim velles vouere abſque intentione te obligandi, nullum votum præſtares. Quod hæc obligatio neceſſariò votum comitetur. Cum ergo obligatio exequendi rem iuratam, comitetur Iuramentum, excluſa intentione obligationis corruit Iuramentum, quamtumuis ex conſcientia erronea exiſtimes Iuramentum eſſe poſſe ſine obligatione.

7 Hinc ſoluitur ratio contraria. Fateor ex Iuramento promiſſorio vero & valido oriri neceſſariò obligationem, neque poſſe impediri, ſicut non poteſt impediri obligatio pœnæ æternæ à committente mortale peccatum. At cum actus externus iurantis ſine intentione obligationis non ſit verum Iuramentum, vt probatum eſt, ex illo oriri non poteſt obligatio. Quod ſi vrgeas: qui vult orare, neceſſariò obligatur orare attente, & qui vult adducere Deum in teſtem, neceſſariò obligatur dicere verum. Ergo qui vult ſub Iuramento affirmare rem futuram faciendam, neceſſariò tenetur exequi, ne diuina auctoritas contemnatur. Facilè reſpondetur. Semel poſita oratione externa obligationem eſſe habendi attentionem. Quia talis obligatio ex ipſa oratione externa oritur; ſicut ex oblatione ſacrificij naſcitur obligatio, offerendi illud vero Deo. At ex inuocatione externa diuini teſtimonij abſque intentione obligationis non naſcitur obligatio exequendi promiſſum, aut dicendi veritatem vi Iuramenti, ſed ſolum ob damnum, & præiudicium tertij & ob ſcandalum. Quia non eſt verum iuramentum, ſed ſimulatum, quamtumuis iurans decipiatur, putans ſtare poſſe iuramentum abſque hac obligatione. In foro autem externo compellitur iuramentum vt ſonat exequi, & in foro conſcientiæ tenebitur omne damnum alteri factum reparare, ac ſi verè iuraſſet. vt dictum eſt.

PVNCTVM III.

Vtrum Iuramentum per iniuriam exactum obligationem inducat.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur quæſtio.*
2 *Secluſo Iuramento nulla eſt obligatio.*
3 *Explicatur textus in c. Ad aures, de iis quæ vi.*
4 *Solutio vſurarum eſto ex parte recipientis iniqua eſt, ex parte ſoluentis honeſta eſt.*
5 *Reſoluitur iurantem ſoluere vſuras, aut ſtare contractui, in quo fuit læſus obligatum eſſe, dum Iuramentum non relaxatur.*
6 *Seruato tali Iuramento datur repetitio.*
7 *Explicatur lex quinquageſima 5. ff. de ſolutionibus & liberat.*
8 *Si Iuramentum eſſet non repetendi, repetere non poſſes, niſi impetrata relaxatione.*
9 *Poſſes denunciare Prælato, vt ipſe ex officio Iuramentum relaxet.*
10 *Proponuntur aliquot obiectiones aduerſus ſuperiorem doctrinam, & fit illis ſatis.*

1 EXemplum huius quæſtionis eſt caſus vulgaris de vſuris, & contractibus, in quibus dolus interuenit. Petiiſti namque mutuum à Titio, noluit tibi concedere, quin vltra ſortem promitteres ſub Iuramento daturum aliquod lucrum; celebraſti cum illo contractum emptionis, vel venditionis, obligatus fuiſti iurare non reſciſſurum contractum etiamſi fallacia ſit vltra dimidium iuſti pretij, quæritur ergo an obligatus ſis ſeruare iuſiurandum?

2 In qua quæſtione tanquam certum ſupponendum eſt, ſecluſo iuramento nullam eſſe obligationem. Nam ex promiſſione obligari non poteras, niſi promiſſario. Promiſſarius autem ex tali promiſſione nullum ius acquirit, cum ſemper malefaciat petendo & recipiendo, quod ſibi promiſſum eſt. Ergo ex promiſſione non teneris. Reſtat ergo vt ſolum ex Iuramento tenearis. Quod clarè definitur in *c. debitores de iureiurando* vt ſtatim ponderabimus, & ita ſuſtinent Panormit. *in d. c. debitores*, Imola, Felin. & alij relati à Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 2. c. 9. n. 5.* Sanch. *lib. 3 ſum. c. 11. n. 12. & eſt omnium.*

3 Dices in *c. ad aures, de iis quæ vi.* Deciditur eum qui timore Laicorum renunciauit Eccleſiam, ad quam legitimè electus fuerat, non poſſe eidem præfici, ſi Iuramento, vel fide interpoſita confirmauit renunciationem. Sentit ergo Pontifex ex fidei tantum interpoſitione iniurioſa oriri obligationem.

Reſpondeo ibi fidei interpoſitionem non eſſe ſimplicem promiſſionem, ſed iuratam, vt tradit ibi Innocent. *ad finem.* Abbas *n. 1.* Hoſtienſis *n. 2.* Ioann. Andr. *n. 3.* Anton. *n. 4.* Imola. *n. 4.* Cardin. *q. finali*, & alij plures relati à Sanch. *lib. 7. de matrim. diſp. 79. n. 28.* Gutierrez *in Authentica ſacram. puber. n. 144.* Neque obſtat quod Iuramentum, & fidei interpoſitio vt diſtincta enumerentur. Quia iuramentum ibi ſumitur pro Iuramento ſolemni, quale eſt illud, quod tactis Euangeliis, aliáve ſolemni cæremonia præſtatur. Fidei verò interpoſitio ſumitur pro Iuramento ſimplici, quod hac circumſtantia caret. Sic relati Doctores. Quod non leuiter confirmatur ex *c. 2. de fideiuſſoribus.* Ibi. Si religionem fidei & Iuramenti ſui illos violaſſe conſtiterit. Ecce nomine fidei iuramentum intelligi. Aliàs ſi ſimplex promiſſio intelligeretur, religionem non violaſſent, ſed fidelitatem, vel veritatem. Cardin. verò *in ſupradict. c. ad aures, q. final.* & Tabiena verbo *iurare, q. 31. n. 32.* Cenſent diſcrimen eſſe inter Iuramentum, & fidei interpoſitionem. Quod iuramentum vocatur, quotieſcumque fit expreſſum, ſcilicet per verbum *iuro*, fidei verò interpoſitio, quando fit iuramentum implicitè, & tacitè; hoc eſt inuocatione creaturarum, qualis eſt fides.

Quæ omnia confirmantur ex verbis apponi ſolitis per Regem noſtrum in titulis pro ſcribis expeditis, in quibus cauetur, ne poſſint ſcribæ ſcripturas ſubſcribere, in quibus partes bonæ fidei interpoſitione ſe obligent, ibi, *Que los tales eſcribanos no puedan hazer eſcrituras en que ſe obliguen las partes á buena fee y ſin mal engaño.* Nomine enim bonæ fidei Iuramentum intelligit, vt ſic conſentiat cum *leg. 11. tit. 1. lib. 4. ordinamenti regulis*, vbi inquit lex, *que en la cartas que ſe litraren de eſcribanias y notarias ſe mande que el eſcribano no ponga en ellas* Iuramento, &c. Et ita tradit Gutier. *in repetitione Authenticæ ſacram. puberum num. 50.* efficitur ergo Textus *in cap. ad aures* aduerſus communem doctrinam non procedere, cum non de promiſſione ſimplici, ſed de promiſſione iurata loquatur.

4 Deinde ponendum est tanquam certum, solutionem vsurarum licet inala & illicita sit ex parte recipientis, ex parte tamen soluentis licitam esse, & actum bonum posita illarum promissione, pertinet enim ad fidelitatem & veracitatem; vt quidquid promissum sit, impleatur, præcipuè cum firmatum est iuramento. Hac enim ratione, si alia vice indigueris mutuo, tibi concedetur, & fides dabitur de reddenda pecunia. Quæ ratio probat vsurarum solutionem licitam esse non solum quando illarum promissio licita fuit; eo quod ad redimendam vexationem, vel ob alium honestum finem fuit facta; sed etiam quando promissio mala fuit; vt quia postulasti mutuum ad expendendum in ludo, vel cum meretricibus. Semper enim ad fidelitatem, & veracitatem pertinet promissum implere, dummodo promissarius non remittit. Et ita tenent plures, quos referunt & sequuntur Gutierrez *de Iuramento confirmat. cap.2.in princip.* Suarez *lib.2.de Iurament. c.9.n.10. & 11.* Sanchez *lib.3 in Decal.c.11.per totum.*

5 Ex his quæstioni respondeo, te iurantem soluere vsuras, aut stare contractui in quo vltra dimidium iusti pretij læsus fuisti, obligatum esse Iuramentum seruare; dum tibi non fuerit relaxatum; tametsi seclusa Iuramento neque stare contractui, neque soluere vsuras tenearis. Est conclusio ab omnibus recepta. Et de solutione vsurarum (in qua maior est difficultas) definitur in *cap.debitores de iureiurando*, ibi. Debitores ad soluendas vsuras, in quibus se obligauerant, (simplici inquam promissione) cogi non debent, si verò de ipsorum solutione iurauerint, cogendi sunt, Domino reddere Iuramentum. Ratio huius conclusionis est manifesta. Quia Iuramentum debet obseruari, quotiescumque eius obseruatio non vergit in dispendium salutis æternæ vt dicitur, *c. cum contingat de iureiurando*, (hoc est) quotiescunque Iuramentum non est de re illicita. At soluere vsuras, non est illicitum, sed potius licitum est, & ad fidelitatem & veritatem pertinens. Ergo est seruandum tale Iuramentum.

6 Verum seruato tali Iuramento, & vsuris solutis statim repetere potes. Quia iam Iuramento satisfeceris, ob cuius solam religionem solutio vsurarum facienda erat. Quod expressè deciditur in *d. cap.debitores in fine*, ibi. Cum vsuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiastica seueritate, (si necesse fuerit, compellendi) Clarius in *cap. ad audientiam de iis quæ vi*, vbique beneficio suo renuntiare iurauit, & renunciauit, mandatur ei Ecclesiam restitui non obstante Iuramento prædicto. Quia non ad repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur. Et ita tenent Glossa *ibi*, & Abbas *in principio num.1.* Couarr. *de pactis 2.p.§.3.n.2. in principio*, Suarez *tom.2. de Relig. lib.2. de Iuramento cap.9. num.16.* Lessius *lib.2.de iustitia cap.17.dub.7.n.51.* Gutierr. *de Iuram. confirm.1.p.c.53. n.8.* Sanch. aliis relatis *lib.3.sum. c.11. n.9.*

7 Neque obstat lex.55. ff. de solutionibus & liberationibus. Vbi dicitur, qui sic soluit vt recuperet, non liberatur, quemadmodum non alienantur nummi, qui sic dantur, vt recipiantur. Non inquam obstat. Quia intelligi debet; quando soluitur eo pacto & conditione inter partes constituta, vt statim solutum repetatur: tunc enim est, ac si solutum non fuisset. Vel dic secundò; intelligendam esse supradictam legem de solutione pecuniæ, quam potest retinere is, cui fit solutio absque onere restituendi. Quod in solutione vsurarum non procedit. Vel dic tertiò, intelligendam esse legem de pecunia debita ei, cui fit solutio; non de pecunia, cuius solutio solum est debita Deo, qualis est pecunia vsuraria ob mutuum promissa. Huius námque solutio non vsuraria, sed Deo tantum est debita, vt tradit Couarr. *d.2. p.de pactis, §.3. num.2.* Molina Iesuita *tom.1. disp.150. paulò post principium*, & *tom.2. disp. 515. colum.4.* vers. *vtrum autem.* Suarez *tom.2.de Relig.lib. 2. de Iuram.cap.9.n. 5. & 6. & cap.27. fine.* Sanchez alios referens *lib.3.sum.c.11.n.8.* Vnde vsurarius nullum ius, nullámque actionem habet ad promissum expostulandum. Quod non obscurè colligitur ex *d. cap.debitores*, ibi. Si iurauerint cogendi sunt Domino reddere Iuramentum. Quasi solus Deus sit, qui ex tali Iuramento ius, & actionem acquisierit, solius Dei mentionem fecit. Et ideo illud Iuramentum, quia non confirmat obligationem antea factam; sed potius illam introducit respectu Dei vocatur Iuramentum per se stans, seu introductorium obligationis, non tamen confirmatorium vt tradit Bartolus *in leg.si quis pro eo, ff.de fideiussoribus n.4.& sequentibus.* Couarr. cum aliis *de pactis 2. p. §.3. num.2.* Quapropter iurans, si de iniustitia ei facta in exactione Iuramenti constet, solùm ex officio iudicis compelli potest ad solutionem vsurarum, non ad petitionem partis; Imò potius pias compelli debet, vt solutionem remittat. Quia remissione facta cessat obligatio Iuramenti, habebat enim Iuramentum soluendi vsuras tacitam hanc conditionem in se inclusam, si creditor solutionem non remiserit, vt in omnibus Iuramentis, quæ in vtilitatem alterius facta sunt, dicemus includi.

8 Quod si Iuramentum esset non solum soluendi vsuras, sed neque ipsas repetendi: nullo modo poteris repetere, nisi priùs impetraueris relaxationem huius secundi Iuramenti. Quod optimè colligitur à contrario sensu ex illo *cap. ad audientium*, vt benè ponderauit Sanch. *lib.3. sum. c.11. n.9.* & Suar. *lib.2.de Iuramento c.9.n.17.* cum Gloss. verbo *resignandum*, & *in c.ad aures eodem tit.* verbo *Iuramento.* Bartolus *leg.si quis pro eo, ff.de fideinssoribus n.10.* Couarr. *2. p.de pactis.§.3.n.2.* Gutierrez, *1. p. de Iuram.c.53.n.10.* Ratio est quia potest executioni mandari sine dispendio salutis æternæ, cum sit de re licita.

9 Posses tamen non obstante supradicto Iuramento denunciare prælato Ecclesiæ, vt ipse ex officio remittat Iuramentum, aut vsurarium compellat debitum reddere, vt aduertit Gloss. *in supradicto c.ad audientiam.* In hoc enim non fit contra Iuramentum, cum iuramentum non sit de non denunciando, sed de non petendo. Quod si iurasses non denunciare, non esses obligatus. Quia est Iuramentum de re illicita, vt tradit D. Thomas *2.2. q.89. art.7. ad 3.* Denunciatio enim, quæ non ad vindictam tendit, sed vt alius malè retentum restituat, exeátque à peccato iniustitiæ. Virtus est, & sæpè obligatoria. Ergo iuramentum de illa non facienda, non est iuramentum de re bona, ac proinde obligare non potest.

10 Vt autem superior doctrina, & decisio *c.debitores*, plenius intelligatur, obiicio primò. Promissio soluendi vsuras nulla est, neque ex illa tenetur promittens. Ergo etiam non tenebitur, quamuis illam iuramento confirmet. Accessorium enim sequitur naturam principalis. *Regula accessorium, de regulis iuris, in 6. & regula. Cum principalis, ff.de reg.iuris.* At principale, cui Iuramentum adhæret, est irritum, nempè promissio. Ergo & ipsum iuramentum. Et confirmo ex *c. Iuram. 22.q.5.* Vbi dicitur, inter iuramentum & simplicem loquelam, (hoc est) promissionem non debere esse distantiam. Ergo si promissionem est obligatoria, neque iuramentum.

Respondeo cum Abbate *d.cap.debitores num.2.* & *ibi* Imola *num.5.* Sanch. *lib.3. in Decalog. c.11. n.12.* Accessorium corruere; quando causa irritans principale, concurrit in accessorio. Quod in præsenti non contingit. Irritatur enim promissio ob extorquentis turpitudinem, ob quam nullum ius acquisiuit. At quia hæc turpitudo non inuenitur ex parte Dei, cui fit Iuramentum, ea de causa Iuramentum tenet: Esto non teneat promissio. Secundò respondeo cum Gloss. *illo cap. Accessorium*, vbi varia exempla adducit, in quibus accessorium tenet principali corruente. Quapropter Regula. *Dum principalis, ff.de reg. iuris.* Non dixit principali non subsistente accessorium corruere, sed cum principalis causa non consistit; plerumque neque ea quidem, quæ sequuntur, locum habent, quasi non semper, sed plerumque contingat accessorium sequi naturam principalis. Vt benè aduertit *ibi* Accursius. Tertiò respondet Iuramentum in præsenti non esse accessorium promissioni, non enim illam confirmat, sed esse accessorium assertioni de futuro, illámque confirmare, eáque de causa etsi promissio corruat, non corruit Iuramentum. Quia non corruit principale cui innititur. Hoc enim iuramentum non est suppositorium obligationis, sed illius introductorium, ac proinde non innititur promissioni, sed assertioni. Ad confirmationem respondeo cum Couarr. & ab ipso relatis *de pactis 1. p.§.2. num.1.* non esse inquam inter Iuramentum & simplicem loquelam distantiam, sed potiùs æquiparationem, quoad necessitatem cauendi mendacium. Quia promissione & Iuramento obligaris, ne mendacium committas, intentionem habere exequendi rem promissam, vel iuratam. Non tamen inter Iuramentum, & simplicem loquelam facienda est æquiparatio, quoad grauitatem culpæ, neque quoad obligationem inde resultantem. Nam vt dictum est, ex promissione nulla oritur obligatio, benè tamen ex Iuramento, non homini, sed Deo.

Obiicio secundò: debitor habet actionem ad repetendas vsuras cum primum soluerit. Ergo multo fortiùs habet exceptionem contra agentem, *lege inuitus, ff.de regul. §.1. & leg.1. §.superficiem, ff.de superficientibus, & reg.71. Qui ad agendum, de regulis iuris in 6. Cui datur actio, datur exceptio.* Sed iuranti datur actio, ad repetendas vsuras. Ergo potest dari exceptio ad illas soluendas. Confirmo primò, dolo petit qui statim restituere debet, idcóque exceptione doli repelli potest, *leg.dolo, ff de doli mali, & met. exceptione*, & *regula, dolo 56. de regul.iuris in 6.* vsurarius autem debet statim restituere pecuniam sic acceptam. Ergo potest dolo excipi. Confirmo secundo: Si soluitur debitum, non repetitur, *leg. Iulianus, ff.de conditionibus indebiti, & lege si procurator, & lege iudex eodem tit.* Item si debitum scienter soluitur, non repetitur, quia donari videtur, *lege cuius per errorem, ff.de regul. iuris*, & *lege 1. ff.de conditionibus indebiti, & lege indebitum, Cod. eodem tit.* Tandem Iuramento non videtur liberatus, qui sic soluit, vt post modum repetat, *lege qui sic soluit, ff.de solutionibus.* Hæc ferè obiicit Gloss. *illo cap debitores verbo cogendi sunt*; & obscurè satis soluit. Respondeo ergo; cui datur actio, datur exceptio; regulariter, & secundum eam rationem, & ita cum in præsenti iuranti ob Iuramentum non detur actio ad vtendum re promissa, nisi priùs illam soluat,

non

non datur exceptio: Datur tamen actio, ad repetendam eam datam, & tunc datur exceptio aduersus quemlibet impedientem repetitionem. Ad confirmationem primam respondeo, dolo petere, & malo, qui statim debet restituere, ideóque posse exceptione doli repelli, si spectemus ius, & actionem, quam habet ad petendum; secùs verò si spectemus circunstantias aliàs extrinsecas, qualis est religio Iuramenti. Ad secundam confirmationem fateor donari indebitum; sed cum in *dict. lege* dicitur, consulto dati donatio est; debet intelligi, quando omnino liberaliter traditur, secùs quando per iniuriam extorquetur, vt extortum fuit Iuramentum, & consequenter solutio vsurarum, quæ ex illo sequitur. Ad vltimum iam dictum est instantanea solutione satisfieri Iuramento, etiamsi statim fiat repetitio.

PVNCTVM IV.

Vtrum Iuramentum metu extortum obligationem inducat.

SVMMARIVM.

1 *De quo procedat quæstio.*
2 *Prima sententia omnibus his Iuramentis negat obligationem.*
3 *Secunda sententia concedit obligationem.*
4 *Tertia sententia vtitur distinctione inter contractus approbatos, vel reprobatos.*
5 *Quarta distinguit de foro interno, & externo.*
6 *Quid sentiendum sit in hac quæstione spectato iure ciuili? probabilius est, nullam esse obligationem.*
7 *Spectato iure Pontificio quid sentiat Basillegion?*
8 *Repellitur eius sententia.*
9 *Statuitur omne Iuramentum obligatorium esse de materia honesta.*
10 *Procedit obligatio, non solum in foro conscientiæ, sed externo.*
11 *Satisfit fundamentis sententiarum quæ nobis contradicunt.*
12 *Obligatio huius Iuramenti grauis est.*
13 *Iurans redire ad carcerem, si carcer iustus est, obligationem habet.*
14 *Si iniustus; plures negant, verius est obligari.*
15 *Fit satis oppositis fundamentis.*
16 *Si cum iurasti, non præuidisti periculum, quod postea cognoscis, non obligaris.*
17 *An supradictum Iuramentum relaxari ab Episcopo possit? subdistinctione respondetur.*
18 *Si sequatur scandalum ex relatione Iuramenti, relaxari non poterit.*

1 QVæstio procedit de metu graui, non leui; leuis namque facilè potest, ac proinde contractus ex illo celebratus, & iure naturæ, & positiuo validus est, & consequenter Iuramentum. Deinde procedit quæstio spectato iure positiuo; non naturali. Nam ex iure naturali certum est, Iuramentum metu extortum validum esse; Quia metus non tollit voluntarium, esto illud diminuat.

2 In hac quæstione tot sunt sententiæ, quot capita. Duæ extremæ sunt præcipuæ; aliæ intermediæ. Prima negat omnibus his iuramentis obligationem. Sic tenent plures relati à Sanch. *lib.4. de matrimonio disput.20. quæst.1. num.3.* eamque ipse probabilem reputat. Præcipuum fundamentum sumitur ex Textu in *Authent. Sacramenta puberum, Cod. si aduersus venditionem*, vbi postquam Federicus Imperator dixit, Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, inuiolabiliter custodiantur; subdit, per vim autem, vel per iustum metum extorta etiam à maioribus (maximè ne querimoniam maleficiorum faciant) nullius esse momenti iubemus. Secundò probatur ex *cap. cum contingat de iureiurando, & cap. quamuis pactum de pactis in 6.* seruanda (inquit Pontifex) iuramenta quæ non vi, nec dolo præstita sunt; nec vergunt in dispendium salutis æternæ; aut in alterius præiudicium. Ergo à contrario quæ vi, dolóve præstita sunt, vel cedunt in alterius præiudicium, seruari non debent. Tertiò, in supradictis textibus dolus & metus æquiparantur. Sed dolus tollit à iuramento obligationem, vt puncto seducenti dicemus. Ergo & metus. Quartò. Votum metu extortum nullam inducit obligationem *c.1. de his quæ vi.* Ergo nec iuramentum. Quia de voto ad iuramentum firmum est argumentum; vt probat Gloss. 1. *ad finem in c. si quis votum 27. q.1.* & *in c. quanto de iureiurando*, & *in c. Deus qui de vita & honestate clericorum.* Innocentius *in c. debitores, de iureiurando*, & alij passim cum Diuo Thoma & Caietano 2.2. *q.89. art.8.* Quintò efficaciùs probatur ex *c. peruenit. de iureiurando*, vbi deciditur, Episcopum rebus suis spoliatum & iurare compulsum, quod non repeteret sic ablata; nullius iuramenti vinculis super hoc posse constringi.

3 Secunda sententia supradictæ opposita, & communis affirmat, iuramentum valere, indigeréque relaxatione. Sic D. Thomas. 2.2. *q.89. art.7.* & Caietanus *ibi.* Nauarrus *cap.12. n.14.* plurib⁹ relatis Couarr. *de sponsalibus 2.p.cap.3.§.5.n.5. & de pactis 3.p.§.4.n.2. & lib.1. variar.c.4.num.7.* Molina *de Hispanorum primogenis lib.2. c.3. num.12. & 13.* Molina Theologus *tom.1.de iustitia tract.2.disp.149.vers.4.* Sanchez *lib.4.de matrimonio disp.20.n.4. & lib.3. sum.c.11.n.14. & 15.* Lessius *lib.2.c.42. dub.6.* Suar. *lib.3. c.16. n.18.* Bonacina *tom.2.disp.4.q.1.punct.9.* Gutierr. *de iuramento 1.p.c.57.n.18.* & alij plures apud ipsos. Ratio desumitur ex *c. si vero, de iureiurando.* Vbi coactum grauissimo metu iurare iuris sui renunciationem, (inquit Pontifex) non esse tutum contra iuramentum suum venire; nisi tale sit, quod seruatum vergat in interitum salutis æternæ. Idem habetur *c. verum eodem tit. c. ad audientiam, de iis, quæ vi.* Seruanda ergo sunt hæc iuramenta. Quod si in *Authentica. Sacramenta puberum*, dicatur, iuramenta metu extorta nullius esse momenti; intelligi debet, quoad contractus firmitatem; non quoad obligationem iuramenti. Et eadem ratione explicari potest Textus *in cap. quamuis pactum. & c. cum contingat*; præterquam quod communis sententia affirmat, illud *Authent.* correctum esse per ius canonicum, *c. si vero, c. verum. de iureiurando.*

4 Tertia sententia distinctione vtitur inter contractus reprobatos legibus, vel approbatos. Si Iuramentum meticulosum afficit contractus reprobatos à legibus, affirmat hæc sententia nullam inducere obligationem: Secùs verò si Iuramentum afficiat contractus alias validos & approbatos. Priorem partem probat Authentica *Sacramenta puberum*, & *cap. cum contingat de iureiurando, cap. licet mulieres eodem tit. in 6. & cap. quamuis pactum, de pactis.* Qui textus expressè loquuntur de contractibus à lege reprobatis. Secundam partem probat Textus in *c. si vero, cap. verum.* Et alij quidem contractibus validis loquuntur. Sic Sylvest. verbo *Iuramentum 4. q.8.* Azor. *tom.1. institut. moral. lib.11. c.7. quæst.2.* Gregorius Lopez *leg. finali*, verbo, *que la fizo. in fine tit.11. partita 3.* Flaminio *de resignatione lib.13. q.2. num.12.* & alij plures relati à Seraphino *de principiis, Iuramenti, priuileg. 110. num.7. & sequentibus*, & à Sanch. *lib.3 sum.c.11.n.19.*

5 Quarta sententia distinguit inter forum externum, & internum; & in foro externo, & iudiciali censet non obligare Iuramentum metu extortum; secus in foro conscientiæ. Sic Gregorius Valentia *disput.6.quæst.7. punct.4. in medio*, quem laudans & honorans sequitur Fachineus *lib.8. controuersiarum cap.102.* Fundamentum huius sententiæ non est aliud nisi quia hac via discrepantes sententiæ cauillantur

Cæterum in hac re difficili vt sententiam proferam existimo aliter esse dicendum spectato iure ciuili; ac spectato iure pontificio.

6 Iure inquam ciuili spectato credo probabilius Iuramentum metu graui extortum nullam inducere obligationem, Sic tenet communis sententia prout testatur Sanch. *lib.4. de matrimonio disp.20. num.5. in solut.2. argument.* quatenus affirmat Authent. *Sacramenta puberum.* correctam esse per ius canonicum in *cap. si vero, & cap. verum de iureiurando.* Consentit Basilius Legionensis *lib.12. de sponsalibus cap.8. n.64.* Ad probationem huius conclusionis præmitto, quod latius in fine huius tractatus firmabimus, ciuilibus Magistratibus datam esse potestatem, infirmandi, obligationem Iuramenti, antequam fiat; ita vt factum nullam inducat obligationem, vel omittendo obligationem, vel reddendo materiam ineptam Iuramento; vel constituendo iurantem incapacem. Sed ius ciuile clarè indicauit hanc potestatem exercuisse, tum in Authentica *Sacramenta puberum*; tum *in lege non dubium cod. de legibus.* Nam in *Authent. Sacramenta puberum* expressè dicitur; Iuramenta per vim vel metum facta nullius esse momenti; nullius inquam esse momenti, tam quoad obligationem Deo acquisitam, quam homini. Nam secunda pars *Authent.* ex diametro opponitur primæ vt intuenti constabit. Sed in prima illius textus parte conceditur Iuramento, non solum firmare contractum aliàs firmum, sed reuocabilem, sed præcipuè obligare iurantem Deo ad illius obseruationem. Ergo in secunda parte hoc totum excluditur, & firmitas contractus, & iuramenti obligatio. Præterea in *lege non dubium. cod. de legibus.* Clarissime dicitur Iuramentum admittendum non esse, neque vllius esse momenti, sed potius cassum & inutile quoties contractibus à lege reprobatis adiicitur. Ne hac via fraus legibus fiat. Sed contractus metu celebrati iure ciuili, imò & canonico reprobantur, & veniunt rescindendi, & secundum ius ciuile omnino annullantur. Ergo Iuramentum illis adiectum vtpotè de materia reprobata cassum est, & inutile. Ad idem est Textus *in leg. iuris gentium. ff. de pactis.* ibi, quoties pactum à iure communi remotum est, seruare hoc non oportet,

nec

nec obligare; nec iusiurandum de hoc adiectum, ne quis agat seruandum. Quid clarius?

7 Verum spectato iure Pontificio (cui in materia Iuramenti, vtpotè spirituali standum est) Basilius Legionensis *lib.12. de sponsalibus, cap.8.num.70. & sequentibus*, nouum quemdam modum dicendi, sed non satis firmum excogitauit. Inquit enim quoties Iuramentum non afficit promissionem non repetendi, seu non reuocandi contractum obligatorium esse secùs si afficiat promissionem, seu obligationem non reuocandi. Itaque affirmat; si Iuramentum sit de re distincta à repetitione & reuocatione ita vt cum obseruatione Iuramenti stare possit repetitio, validum esse Iuramentum; secus verò si cum obseruantia Iuramenti reuocatio contractus stare non possit. Priorem partem probat Basilius ex textu in *cap.debitores, cap. verum de iureiurando, c. Abbas, cap. ad audientiam, de iis quæ vi.* In quibus Iuramentum tenet. Quia illo non obstante repetitio salua manebat, vt expresè dicitur in *cap.ad audientiam.* Secundam partem probat ex *cap. cum contingat de iureiurando, cap. licet mulieres, eodem tit. in 6. cap. quamuis pactum de pactis lib.6.* Vbi statuitur Iuramenta super alienationes rerum dotalium, & contractus minorum omnino seruanda esse; *nisi sint, vi, metu, & dolo præstita.* Sentit ergo Pontifex metu facta non esse seruanda. Quod si respondeas non esse seruanda quoad firmitatem contractus, quæ in illis textibus specialiter spectabatur, benè tamen quoad obligationem Deo acquisitam. Præcludit Basilius hanc responsionem affirmans in supradictis textibus, non esse sermonem de firmitate contractus, quam Pontifex concedere non poterat, vtpotè de materia sibi non subiecta; sed solum esse sermonem de Iuramenti obseruantia. Ratio autem, quare Pontifex Iuramentis relinquentibus saluam repetitionem, obligationem concedat; deneget verò iuramentis illam comprehendentibus, ea est (inquit) quia Iuramentis relinquentibus saluam repetitionem iuranti; etiam Iuramento obseruato relinquitur remedium quo se tueri possit, non igitur necessaria erat Iuramenti annullatio etsi concedi posset; secus verò in Iuramentis comprehendentibus repetitionem. Nam obseruato Iuramento remedium nullum supererat, quo se iurans tueri posset.

8 Cæterum hic modus dicendi nullo modo probandus est, vtpotè absque fundamento excogitatus, & contra expressam iuris canonici decisionem. Nam ius canonicum non spectauit ad obligationem Iuramenti, relinqueret-ne saluam repetitionem, vel non relinqueret; sed an Iuramentum seruari posset absque dispendio salutis æternæ. Vt constat ex *cap.si verò, cap. verum, cap.cum contingat de iureiurando, cap. licet mulieres eodem tit. in 6. cap. quamuis pactum de pactis in 6.* & aliis Textibus. Quo nihil est clarius. Deinde in *cap. ad audientiam de iis quæ vi.* Conceditur iuranti repetitio beneficij resignati, non obstante Iuramento, quia non ad repetendum (inquit Pontifex,) sed ad resignandum tantummodo tenebatur, tacitè innuens aliud esse dicendum, si ad non repetendum vi Iuramenti teneretur, vt manifestè probatur ex *c.ad aures de iis, quæ vi*, ibi; inquit Clemens tertius, renunciatio facta ad terrorem Layemens (nisi fortè Iuramento, vel fide interposita sit confirmata) non impedit quominus is qui renunciauit Ecclesiæ, ad cuius regimen priùs erat electus, præficiatur eidem. Ergo si Iuramentum interuenisset, quod vlteriùs non repeteret; eidem præfici non posset, nisi Iuramento relaxato. Ergo tale Iuramentum obligatorium est, vt benè expendit Gloss. *d. c. & respondet contrariis.* Deinde non video qua ratione potuit dicere Basilius Legionensis. Textus *in cap.cum contingat, & c. quamuis*, non loqui de firmitate contractus, sed de obseruatione Iuramenti. Nam præterquam quod est contra communem & receptissimam Doctorum sententiam, vt in sequentibus videbimus, cum suis principiis non videtur stare posse. Nam si alienatio fundi dotalis & renunciatio futuræ hæreditatis Iuramento adueniente non firmatur; sed ita nulla persistit, ac si Iuramentum non esset appositum; Iuramentum sponte factum non contraueniendi tali alienationi & renunciationi obligatorium non esset, vtpotè de re vana, inutili & infructuosa, qualis est approbatio cuiusdam actus irriti, & legibus reprobati, neque honestatur ex redemptione vexationis, vt est solutio vsurarum. Præterea esto in Iuramentis, in quibus salua manet repetitio habeat iurans remedium, quo se tueri possit, nempè repetitionem quod remedium non relinquatur in Iuramentis de non repetendo. At cum in vtroque genere iuramentorum relinquatur remedium petendi relationem, ipsáque debeat concedi, quod remedium efficacius, & vtilius est iuranti ad se tuendum, quam repetitio: efficitur sanè friuolam esse illam rationem, qua motus fuit Basilius ad asserendum aliqua Iuramenta metu facta esse irrita, alia non.

6 Quapropter dicendum est, quodcumque iuramentum metu extortum obligatorium esse, siue saluam relinquat repetitionem, siue non, modo sit de materia, quæ seruari possit absque dispendio salutis æternæ. Sic Doctores omnes pro secunda sententia communi relati. Probaríque potest textibus & rationibus adductis. Quod non solum in contractibus approbatis, sed etiam in reprobatis locum habet, vt manifestè probat Textus *in c. debitores, de inreiurando.* Promissio namque soluendi vsuras, nulla est à iure reprobata; item resignatio beneficij per metum facta nulla est; & tamen si iuramentum accedat obseruandum est, *cap.ad audientiam, de iis quæ vi.* Et idem est, si iuramentum esset de non contraueniendo resignationi. Iuxta *cap. ad aures, eodem tit.* Nam reprobatio horum contractuum non ita constituit materiam illicitam; quin in redemptionem vexationis licita esse possit. Solutio namque vsurarum licita est solum ob turpitudinem recipientis; ac proinde ex parte dantis honestari potest, vt verè honestatur quoties aliquo fine honesto soluens mouetur. Resignatio namque beneficij metu facta irrita etiam est in odium incutientis metum, ex parte verò resignantis, honestari potest, si ad redemptionem vexationis fiat. Quocirca materia, quæ secluso metu vana, & inutilis esset, & incapax obligationis Iuramenti, vt resignare beneficium, nulliter facere testamentum absque solemnitate & iure præscripta, & alia huiusmodi, metu posito, illoque durante capax obligationis redditur. Quia iam adest redemptio vexationis ob quam prohibitio legis cessat, & actus nullus ex ratione extrinseca accipit honestatem.

10 Deinde hæc obligatio Iuramenti non solum est in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo, & iudiciali. Tum quia Textus *in cap.debitores, cap.si verò, de iureiurando cap.* Abbas, *cap. ad audientiam de iis quæ vi.* De foro externo loquuntur, tum quia ratio decidendi, ob quam Iuramentum obligat, nempè obseruari posse absque dispendio salutis æternæ, æquè in foro externo, ac in interno procedit. Consentit Basilius Legionensis *lib.12. de sponsalibus cap.8.n.73.*

11 Ex his constat solutio fundamentorum tertiæ & quartæ sententiæ. Cum prima sententia ex parte conuenimus, quatenus affirmamus iure ciuili omnem obligationem Iuramenti irritam esse ob Authent. *Sacramenta puberum.* Ad secundum argumentum desumptum ex *cap. quamuis pactum, cap. cum contingat*, & aliis, dicimus cum Glossa, ibi Iuramentum præstitum sine vi & dolo esse seruandum omnino; id est sine relaxatione: relaxari enim non potest tale Iuramentum. Secùs verò de Iuramento metu facto, quod ea tantum ratione relaxandum venit, quòd metu factum est, vt sic via coactionibus præcludatur. Ad tertium concedo metum & dolum æquiparari, quatenus vterque tollit à contractu firmitatem; non tamen æquiparantur, quoad obligationem. Sæpè enim dolus tollit consensum, & ideo contractus ex illo celebratus, & Iuramentum ibidem appositum est nullum. At quia metus consensum non tollit, esto diminuat; ea de causa & contractus sæpè validus est, & Iuramentum ibidem appositum obligationem inducit, & notauit Basil. Legionensis *lib.4.de matrimonio cap.10.num.6.* Ad quartum concedo votum esse irritum, quia iure Ecclesiastico sic inuenitur irritatum in illo *cap.1. de his, quæ vi*, nego tamen Iuramentum, quod in vtilitatem hominum fit, irritum fore. Quia nullibi tale habetur. Ad replicam dicimus de voto ad Iuramentum in honorem Dei præstitum benè inferri; secus verò ad Iuramentum in vtilitatem hominum factum. Quia in hoc non attenditur quid gratiùs Deo sit, sed quid gratius homini modo licitum sit, & honestum. Vide Lessium *lib.2. c.42.dub.6. n.32.* Ad quintum desumptum ex *c.peruenit.* Respondeo cum Glossa, Felino, & Abbate, & aliis ibi Episcopum illum fuisse spoliatum rebus Ecclesiæ, quæ quia sub eius cura & administratione sunt, vocantur eius, cum autem teneatur ex proprio officio, res Ecclesiæ obseruare, nullo modo potuit iurare, non repetiturum. Quia est Iuramentum de re iniqua, & sic nullius Iuramenti vinculis potuit super hoc constringi. Et cum Pontifex subdit, illum absoluimus, quia nefandissima coactione iurauit; intelligendum est de absolutione, quoad declarationem, seu quoad factum, id est, absolutum declarauimus; vel illum ad cautelam, seu de facto absoluimus, non quia necessarium sit; sed ob maiorem securitatem. Secundò respondeo cum Suar. *lib.2.de Iuramento cap.10.num.7.* & Sanchez *lib.3. summ.cap.11.num.37.* admittendo Episcopum fuisse spoliatum rebus suis, non Ecclesiæ; (hæ enim impropriè dicuntur Episcopi) fuisséque compulsum iurare, non repetere, fuisséque propriè absolutum: Quia Pontifex nullam aliam causam absoluendi à Iuramento assignat præter metum; tacitè innuens solam illam esse causam relaxationis. Si autem spoliatio facta esset de rebus Ecclesiæ, etiam secluſa coactione Iuramentum de illis non repetendis esset nullum, vtpotè de re iniqua. Ergo Episcopus non rebus Ecclesiæ, sed suis spoliatus fuit. Hoc supposito respondeo, nullius Iuramenti vinculis posse constringi firmiter, & irreuocabiliter; quæque relaxari non possent.

Hinc venit explicanda *lex.reg.28.titul.11.part.5.* quæ incipit. *Por miedo, o por fuerca, o por engano quel ficiesse prometiendo vn ome a otro de dar o hazer alguna cosa, maguer se obligasse sozierta pena iurando de cumplir lo que prometo, decimos que no es tenudo de cumplir la promission*, (id est,) *no es tenudo*, quoad effectum, ita vt relaxari non possit, non tamen quod absolutè non teneatur, si relaxatum Iuramentum

non

non fuerit. Aliàs directè obuiat hæc lex *leg. fin. titul.* 11. *p.* 3. ibi. *El que iura cosa guisada no se puede escusar de no la guardar, maguer diga, que lo fiço por fuerça.* Ita Gregorius Lopez ibi, qui alias explicationes adhibet supradictis legibus ne videantur contrarium docere.

12 Sed inquires quanta sit huius Iuramenti obligatio; Respondent Angelus, verbo *Iuram.* 5. *num.* 9. & 10. & alij ab ipso relati & à Lessio *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 6. *n.* 30. Solum esse sub reatu culpæ venialis. Mouentur ex *cap. verum, de iureiurando,* vbi Pontifex decidit non esse puniendos tanquam pro mortali crimine Iuramentum metu extortum non seruantes, indicat ergo non esse mortale crimen.

Sed contrarium omnino est tenendum, si materia iurata grauis sit; eo quod in materia graui se ostendere infidelem grauis sit irreuerentia, neque ab hac grauitate excusare potest metus iniustus, cum Deus illum non intulerit. Et ita tenent communiter Doctores cum Diuo Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 3. & *quæst.* 98. *art.* 3. *ad* 1. Valent. *disp.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 4. *vers. diximus,* Nauarr. *cap.* 12. *num.* 14. Couarr. 4. *de cret.* 2. *p. cap.* 3. §. 5. *num.* 4. Lessius *d. dub.* 6. *num.* 39. Sanchez *lib.* 3. *summ. c.* 11. *n.* 18. Suarez, *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *c.* 16. *n.* 18. Bonac. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punct.* 9. *n.* 3.

13 Occasione superioris doctrinæ non erit abs re examinare, an Iuramento præstito redeundi ad carcerem obligeris?

Et quidem si carcer iustus sit, neque timeas te iniustè vexandum, nemini dubium esse potest, te obligatum esse, quia talis reditus & honestus est & fidelitati, & religioni, & iustitiæ debitus. Quapropter solum est controuersia, quando carcer iniustus est, aut times probabiliter iniustè esse vexandum.

11 Negant plures grauissimique Doctores te esse obligatum reddere. Sic Couarr. *lib.* 1. *variarum cap.* 2. *num.* 7. Plaza *de delictis lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 6. *fine.* Basilius Legionensis *lib.* 12. *cap* 8. *num.* 20. Gutierr. 1. *p. de Iuram cap.* 57. *num.* 24. & *sequentibus,* optimè Vasquez 1. 2. *disp.* 174. *cap.* 5 *n.* 35. Nauarr. *cap.* 12. *n.* 18. Regin. *lib.* 18. *praxis n.* 62. Moueri possunt: quia secluso Iuramento iure charitatis propriæ tenebaris periculum vitæ fugere. Ergo Iuramentum de non fugiendo, sed potius de redeundo, illicitum est; quia est de re charitati propriæ contraria. Item talis reditus subministrat tyranno occasionem iniquæ vexationis. Ergo non est licitus, & honestus. Ergo iurari non potuit. Item non est actus fidelitatis: quia non debetur fides illam iniquè expostulanti: neque fortitudinis, vitam sic irrationabiliter exponere. Ergo nullam habet honestatem.

Nihilominus veriùs existimo, te esse obligatum redire nisi relaxationem Iuramenti petas. Sic Toletus *lib.* 4. *sum. c.* 22. *num.* 2. vers. *alterum est.* Lessius *lib... cap.* 42. *dub.* 6. *num.* 28. Sanchez aliis relatis *lib.* 3. *sum. cap.* 11. *num.* 31. Suarez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 24. & 16. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punct.* 9. *num.* 2. Ratio est: quia reditus ad carcerem factus ex fine obseruandi fidem Iuramento stabilitam, actus est veracitatis, fortitudinis, & patientiæ; Neque obinde censeri debes te occidere & vitam tuam prodigere, sed solum censeri debes te periculo vitæ exponere. Quod ex iusta & rationabili causa sæpè debet vt benè probat Lessius *lib.* 2. *cap.* 9 *dub.* 6. Adde ex obseruatione Iuramenti non te propriè coniici in vitæ periculum, quod antea habebas, quodque dato Iuramento suspensum fuit: Non igitur excusari potes à Iuramenti obseruatione.

15 Neque obstant contraria. Non primum: concedo secluso Iuramento, te obligatum esse periculum iniustæ mortis, seu alterius æquiualentis mali fugere: nego tamen posito Iuramento te ad id esse obligatum. Quia posito Iuramento & fide data est actus veracitatis, fidelitatis, & religionis, vel potiùs charitatis propriæ quo vis proprium honorem in promissis fideliter obseruandis tueri. Ad secundum nego ex reditu subministrari tyranno occasionem iniustæ vexationis; sed iam antea ex sua malitia acceptam, & per Iuramentum suspensam restitui. Adde redeuntem non esse censendum dare occasionem tyranno peccandi, cum ex bono fine procedat, sed tyrannum illam accipere. Ad tertium constat ex probatione nostræ sententiæ, qua ratione sit actus fidelitatis, & fortitudinis, sic te periculo vitæ exponere.

16 Aduertendum tamen est, si cum iurasti redire, non præuidisti in reditu esse tale periculum, quod postea esse cognoscis, nequaquam ad redeundum obligatis. Quia non es censendus obligatus ad reditum alium ab eo, qui erat in tua existimatione, cum iurasti. Quod à fortiori procedit casu, quo iurasses redire subintellecta conditione, si reditus non fuerit periculosus. Quia iuramentum non extenditur vltra iurantis intentionem. Sic Suarez *lib.* 2. *de Iuramento cap.* 10. *num.* 16. Sanch. *lib.* 2. *sum. c.* 11. *n.* 34. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 1. *punct.* 9. *num.* 2.

17 Petes, an huiusmodi Iuramentum redeundi relaxare Episcopus possit?

Non desunt, qui sentiant, si in reditu est graue periculum vitæ, vel alterius æquiualentis mali, posse Episcopum non solum Iuramentum per iniquitatem extortum, sed etiam Iuramentum iustè expostulatum relaxare. Sic Ludouicus Lopez 1. *p. instruct. consuet. cap.* 42. *vers. qui iurat redire, consentit.* Manuel. Rodrig. 1. *tom.* 1. *sum. cap.* 40. *num.* 3. *si damnum custodis reparetur.* Mouentur, quia ob ius conseruandi vitam, poterat iurans secluso Iuramento fugere carcerem, & mortem iustam. Ergo posito Iuramento solum videtur teneri Deo, non iudici & custodi. Ergo potest ab Episcopo relaxari. Cæterum cum Iuramentum est iustè expostulatum, quia nec carcer iniurioſus est, nec timetur pœna iniustè inferenda. Veriùs existimo non posse ab Episcopo tale Iuramentum remitti. Quia talis remissio derogat ius iudicis & custodis, iudex enim & custos habebant ius retinendi iurantem in carcere. Huic iuri cesserunt ob Iuramentum præstitum. Nequit ergo Iuramentum tolli; sicut neque ius in cuius locum successit, tolli poterat. Sic Sanch. *lib.* 3 *in Decal. c.* 11. *n.* 36.

Verum si iniquè expostulatum est Iuramentum; eo quod carcer sit iniurioſus, vel pœna iniusta timeatur; certum est, relaxari ab Episcopo posse tale Iuramentum; sicut diximus relaxari posse omne Iuramentum metu graui extortum. Quia ex vi talis Iuramenti nullum est ius parti acquisitum, sed solum Deo: qui ob iniquitatem commissam vel commitendam facultatem concedit prælatis, hæc Iuramenta sibi remittendi. Neque huic relaxationi obstet damnum custodis, qui fortè semper est innocens. Quia illud est per accidens; & ex quocunque capite iniustitia committatur, præstat sufficientem causam relaxationis. Suar. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 16. Manuel. Rodrig. 1. *tom. sum. cap.* 40. *num.* 3. Sanch. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 11. *n.* 35 Emanuel. Sà, verbo *Iuramentum, n.* 11.

18 Aduertit tamen Sanchez & Suarez ibi, & bene, hanc doctrinam intelligendam esse casu, quo ex relaxatione huiusmodi non sequatur scandalum, & nostræ religionis itrisio. Si enim captiuo inter infideles libertas concessa esset sub præstito Iuramento redeundi ad captiuitatem; vel mittendi pretium suæ redemptionis; absque dubio tale Iuramentum obseruandum est; nec relaxari potest. Quia esto captiuitas iniusta sit, & iniustè extorqueatur Iuramentum. At eius obseruatio in bonum commune fidei & religionis cedit.

PVNCTVM V.

Vtrum Iuramentum dolo, vel errore præstitum validum sit, & obligatorium.

SVMMARIVM.

1 *Ex quo pendeat decisio quæstionis.*
2 *Duplex est genus contractuum bonæ fidei & stricti iuris.*
3 *Duplex error interuenire potest: antecedens vel concomitans.*
4 *Versari potest error circa substantiam, vel circa accidentia contractus.*
5 *Causari potest error à contrahente vel ab alio tertio.*
6 *Error circa substantiam contractus reddit contractum nullum.*
7 *Iuramentum firmans talem contractum non obligat.*
8 *Si error versetur circa qualitatem contractus, & sit concomitans, valet contractus iure naturæ, & idem est de Iuramento.*
9 *Si error versetur circa qualitatem, & sit causa contractus, communis sententia negat, contractum ex ipso iure nullum, sed annullandum.*
10 *Quid sentiat Basilius Legionensis.*
11 *Quid tenendum sit.*
12 *Vnde cognoscetur errorem esse excitatiuum consensus vel illius constitutiuum.*
13 *Sitne obligatio in deceptore reparandi inæqualitatem factam in supradictis contractibus? Proponitur sententia Basilij Legionensis, quid sit tenendum resoluitur.*
14 *Quid iure positiuo sit sentiendum de his contractibus, proponitur examinandum.*
15 *Triplici actione vti potest deceptus qua se indemnem seruet.*
16 *Si dolus dedit causam contractui circa substantialia, contractus est nullus.*
17 *Explicatur lex 14. ff. de contrahenda emptione.*
18 *Deinde explicatur lex rem alienam 28. ff. eodem.*
19 *Dolus versans circa qualitates si dedit causam contractui, contractus validus est, venit tamen exceptione doli rescindendus, si solubilis sit.*
20 *Explicatur lex, & eleganter 7. ff. de dolo.*
21 *In his contractibus deceptus agere potest, & ad contractus rescissionem.*

reſciſſionem, & ad inæqualitatem reparandam.

22 *Quid ſi ab alio tertio dolus eſt commiſſus.*

23 *Quid ſi nullus te in errorem induxit, ſed tantum naturaliter erraſti?*

24 *Si dolus incidit in contractum ſtrictæ iuris, contractus vtroque foro tenet.*

25 *Si dolus incidit in contractum bonæ fidei, valet contractus vtroque foro, nec venit reſcindendus. Niſi læſio ſit vltra dimidium.*

26 *Reſoluitur, qua ratione Iuramentum appoſitum contractibus doloſis obligationem inducat.*

1 DEciſio huius quæſtionis pendet ex intelligentia illius grauiſſimæ difficultatis; qua ratione contractus dolo vel errore celebrati validi ſint? Nam cum Iuramentum in hoc caſu ad firmandum contractum adducatur; ſi contractus ob dolum, vel errorem nullus exiſtit, Iuramentum illi adhærens corruit; ſecùs eſt in Iuramento appoſito contractibus metu celebratis. Quia tunc Iuramentum non aſſumitur ad firmandum contractum; quia nullus eſſe cognoſcitur; ſed aſſumitur ad introducendam religionis obligationem & firmandam aſſertionem futurem.

2 Pro intelligentia contractus ex errore celebrati, præmitto duplex eſſe genus contractuum: alij ſunt ſtricti iuris; alij bonæ fidei. Appellantur ſtricti iuris; quia ius eos præcipit, ſtrictè explicari, & iuxta expreſſum verborum ſenſum. Hi ſunt ſtipulationes, promiſſiones, liberales donationes, feudum, & emphyteuſis, contractus bonæ fidei dicuntur; quia in eis ob bonum fidei & communis ſocietatis plura iudex ex æquitate arbitratur. Hi ſunt emptio, venditio, locatio, permutatio, pignus, depoſitum, commodatum, ſocietas & ſimiles. Vide Cou. *ad regul. poſſeſſor. 2. p. §. 6.* Molinam *tom. 2. de iuſtitia, tract. 2. diſp. 259. per totam.*

3 Deinde præmitto in his contractibus duplicem errorem interuenire poſſe, alium antecedentem, alium concomitantem, ſubſequentem ſeu incidentem in contractibus Antecedens vocatur; quia antecedit contractum, & cauſa illius eſt: ita vt illo exiſtente fiat contractus, qui tamen non fieret eo non exiſtente. Error concomitans, ſeu incidens in contractibus dicitur quo exiſtente fit actus, qui tamen fieret eo non exiſtente.

4 Præterea præmitto, hunc duplicem errorem verſari poſſe circa ſubſtantiam contractus, vel circa illius accidentia. Quæ autem ſit ſubſtantia cuiuſlibet contractus, quæ illius accidentia? Deſumendum eſt ex natura cuiuſlibet contractus. Subſtantialia enim in vno contractu in alio accidentalia ſunt, vt contingit in contractu matrimonij ad cuius ſubſtantiam pertinet perſona contrahens, cum tamen in contractu emptionis & venditionis accidens ſit. Et in promiſſionibus & donationibus finis ſeu cauſa motiua eſſentialis eſt, quæ tamen emptionibus & venditionibus accidit. Illa ergo erit ſubſtantia cuiuſlibet contractus ſine qua contractus ille ſubſiſtere non poteſt; reliqua verò erunt illius accidentia.

5 Tandem præmitto, errorem in contractu cauſari poſſe à parte contrahente, vel ab alio tertio, contrahente ignorante; vel poteſt naturaliter contingere. Si naturaliter contingit, vocatur error, ſeu ignorantia. Si ex alterius malitia proueniat, vocatur dolus. In iis ferè omnes conueniunt. Vide Molinam *tract. 2. de iuſtitia diſp. 352.* Sanchez *lib. 1. de matrimonio diſp. 64.* Leſſium *lib 2. de iuſtitia c. 16. dub. 5.* Ægidium Coninch. *de matrimonio, diſp. 39 dub. 1. his præmiſſis.*

6 Dicendum eſt ſi error contingat circa ſubſtantiam contractus, ſiue ſit antecedens, ſiue concomitans, reddit contractum, quicumque ſit nullum. Eſt omnium ſententia. Quia cum valor contractus, & illius obligatio pendeat ex voluntatis conſenſu, & hic conſenſus eſſe non poſſit cum adeſt error, neque contractus, neque illius obligatio eſſe poteſt. Neque obſtat, quod ceſſante illo errore de facto contraheres. Quia id non probat, contractum de facto celebratum voluntarium eſſe; ſed futurum voluntarium illo errore ceſſante. Exemplo matrimonij doctrina illuſtratur; ſi enim contraheres cum Maria putans eſſe Catharinam; etiamſi detecto errore cum Maria contraheres matrimonium non tenet. Quia licet non fuerit matrimonium cum inuoluntarium poſitiuè; (hoc eſt) contra voluntatem propriam repugnantem; fuit tamen inuoluntarium negatiuè; hoc eſt non fuit poſitiuè voluntarium: cum nunquam in Mariam conſenſeris; obſtat ergo valori contractus error contingens circa eius ſubſtantiam.

7 Hinc fit Iuramentum tali contractui appoſitum irritum eſſe. Quia fuit appoſitum ad firmandum contractum, quem habebas in mente; non qui de facto celebratus eſt. Et cum Iuramentum non extendatur vltra, id quod cogitatum eſt & in mentem venit; non poteſt extendi ad firmandum contractum ex errore ſubſtantiali celebratum Sic multum allegatis Sanch. *de matrimonio, lib. 7 diſp. 18. n. 6. & lib. 1. in Decalog. c. 11. num. 43.* Leſſius *lib. 2. cap. 42. dub. 7. in principio*, Suarez *lib. 2. de Iuramento, cap. 11. n. 7.* Vaſquez 1. 2. *diſp. 30. cap. 4. & eſt omnium.*

8 Quod ſi error circa qualitatem contractus verſetur, & ſit concomitans; communis ſententia defendit, valere contractum ſaltem iure naturæ. Quia huiuſmodi error non impedit ſufficientem conſenſum in contractus ſubſtantiam. Quod percipere potes, ſi aduerras, hunc errorem concomitantem dupliciter contingere. Primò per naturalem inconſiderationem, & inaduertentiam; qua non cogitaſti de qualitate illa contractui inhærente; ſed ſolum de illius ſubſtantia. Et in hoc caſu ſubſtantia contractus voluntaria eſt; eſto illius qualitates voluntariæ non ſint: Et conſequenter validus eſt contractus; tametſi fortè detecto errore non contraheres. Quia effectus contingens futurus conſenſum abſolutè in contractus ſubſtantiam non impedit. Secundo modo poteſt contingere error concomitans circa qualitates contractus, ſi tibi ſub dubio illæ qualitates offerantur; tu verò nulla examinatione præmiſſa contrahis, & te oſtendis taliter ad contrahendum affectum eſſe, vt etiam ſi eas qualitates expreſsè cognoſceres, adhuc contraheres. Et in hoc caſu certum eſt contractum validum eſſe. Quia non ſolum in ſubſtantiam, ſed etiam in qualitates videris conſentire ſaltem virtualiter: ſi vero examinatione facta deceptus fuiſti; vel moueris ex errore ad contrahendum vel non? Si moueris; iam error dat cauſam contractui. De quo ſtatim dicam. Si non moueris: perinde eſt, ac ſi error illarum qualitatum naturaliter contigiſſet, nullámque illarum notitiam habuiſſes. Nullo ergo modo impediri valor contractus poteſt ex errore concomitante circa qualitatem. Sic ex communi ſententia docet Leſſius *lib. 2. c. 17. dub. 5. n. 28.* Baſilius Legionenſis *lib. 4. de matrimonio, c. 21. n. 3.* Ex quo fit Iuramentum huic contractui appoſitum validum eſſe. Quia ſequitur naturam primordialis actus, cui adhæret.

Difficultas ergo ſita eſt: an error contingens circa qualitatem ſi contractui cauſam dederit annullet eius valorem?

9 Negat communis ſententia ipſo iure annullare, ſed venire annullandum in fauorem decepti, ſi contractus ſolubilis eſt. Sic Leſſius *lib. 2. cap. 17. dub. 5. concluſio. 3. num. 29.* Mouetur primò: quia matrimonium ex huiuſmodi dolo irritum validum eſt; aliàs ferè omnia matrimonia diſſolui poſſint; cum ratum ſit, cui dolus vel error qualitatis cauſam non dederit. Secundò: hic dolus verſatur non circa ſubſtantiam, & materiam contractus; ſed circa accidentia, & potiùs pertinet ad rationem motiuam, & finalem contrahendi; quam ad obiectum contractus. Ergo non tollit legitimum, ſubſtantialem, & neceſſarium conſenſum pro contractu requiſitum. Tertiò, ſi deceptus velit ſtare contractui, deceptor non poteſt reſilire ne ex deceptione commodum reportet. Argum. Textus *in cap. 1. de eo qui duxit in matrimonium.* Ergo ſignum eſt, contractum validum eſſe. Quartò communis ſententia defendit contractum ſtricti iuris, cui dolus, vel metus cauſam dederit, validum eſſe, exceptionéque doli, vel metus actionem elidi. Colligitur *leg. dolo 5. Cod. de inutilibus ſtipulationibus inſtituta, de exception. initio*, ſed hoc fieri non poſſet, ſi iure naturæ eſſet irritus. Quia quod iure naturæ eſt irritum, non poteſt iure ciuili eſſe validum & dare actionem.

Quod autem huiuſmodi contractus poſſit irritari arbitrio decepti, duplici ratione probat Leſſius *illo dub. 5. num 29.* tum ratione iniuriæ, tum defectu conſenſus; ratione iniuriæ conſtat; nam ob illam obligatur decipiens res in priſtinum ſtatum conſtituere, vt ſic iniuria in contrahendo facta omnino reparetur. Ex defectu conſenſus probat contractum poſſe reſcindi arbitrio decepti. Quia iure gentium videtur ſtabilitum, quemlibet contrahentem hanc tacitam in contrahendo habere voluntatem, quod ſtabit contractui, niſi ſe grauiter deceptum deprehenderit, contrarium enim de nullo contrahente poteſt rationabiliter præſumi.

10 Cæterum Baſilius Legionenſis, *lib. 4. de matrimonio, cap. 21. à num. 6.* affirmat iure naturæ contractum eſſe irritum, cui error qualitatis cauſam dederit, hoc eſt, qui ita fuerit cauſa conſenſus, vt voluntas eodem actu feratur in obiectum, & in illam circumſtantiam; neque aliter conſentiat in obiectum, niſi quatenus eſt illa circumſtantia veſtitum. Mouetur hac conſideratione. Quia contractus validus eſſe non poteſt abſque conſenſu, ſed conſenſus ille neceſſariò variari debet ſublata illa circumſtantia, quam credis per errorem adeſſe. Non enim perſeuerare poteſt actus aliquis indiuiſibilis voluntatis ſublata parte ſui obiecti. Cum igitur ponamus illam circumſtantiam ad obiectum conſenſus pertinere, illa ceſſante conſenſus neceſſariò ceſſare debet. Ergo debet ceſſare contractus. Et confirmat. Quia in tali caſu illa diſpoſitio virtute eſt conditionalis ex diſponentis intentione, ſi ea ſubſiſtat circumſtantia; quandoquidem ei innititur expreſsè: illáque ducitur ad contrahendum. Si igitur ſub expreſſa conditione contraheres, nemini dubium eſſe poteſt, non eſſe validum contractum ea conditione non ſubſiſtente. Ergo neque validus eſt cum illi circumſtantiæ tanquam ſub conditione tacita innititur.

11 Ego

11. Ego verò dicendum existimo ex sententia Basilij Legionem, non fieri satis quæstioni, sed illam insolutam relinqui. Clarum námque est quod tradit Basilius, quodque priùs (vt ipse testatur) tradiderant Arag. Rebellus, Sanch. Valent. Turriam Mol. & alij è nostra Societate, contractum nullum esse; in quo voluntas vnico eodémque actu amplectitur obiectum & circumstantiam, quam credit adesse; cum tamen non adsit. Quia illa circumstantia iam pertinet tunc ad obiectum consensus. Vnde sublata circumstantia consensus perire debet; & consequenter contractus in illo fundatus. Sed ex hac doctrina non fit satis difficultati. Non enim ex illa sequitur: quoties error qualitatis dederit causam contractui, contractum esse nullum, solum enim sequitur; quoties error qualitatis ita dederit causam contractui, vt secum trahat voluntatem ad consentiendum in substantiam contractus sub illa qualitate esse contractum nullum. At potest error qualitatis non ita trahere voluntatem ad consensum in substantiam, vt eodem indiuisibilíque actu feratur voluntas in substantiam, & qualitatem; sed potest trahere voluntatem ad consentiendum in solam substantiam; ita vt ille error conceptus, seu obiectum erroris excitet, & impellat voluntatem ad contrahendum; non tamen sit obiectum contractus; quæ repugnantia in hoc esse potest, aut quomodo cognoscitur eodem indiuisibilíque actu ferri voluntatem in obiectum, & qualitates, nisi obiectum velit sub expressa conditione qualitatis, & non aliter, restat ergo explicare an in illo casu error contingens, quíque causam contractui dedit, irriter actum.

Dicendum ergo est; ex eo præcisè quod error qualitatis dederit causam contractui, hoc est, fuerit causa, & occasio contrahendi; si tamen non est obiectum contractus, contractum non esse iure naturæ nullum; Esse tamen si in contractus obiectum error intrauerit. Prior pars probatur rationibus adductis à Lessio. Et præterea: quia esto ille consensus, & contractus non foret nisi error adesset. At cum talis error solum sit causa excitatiua, & conditio ad consensum, & non illius obiectum, relinquit consensum quoad contractus substantiam immutatum, & inuariabilem; esto error detegatur. Quia non est error circa substantiam. Secus verò est, quando in illius obiectum intrat. Quod autem sæpe contingat, errorem qualitatis causam esse contractus solum excitatiuam, & impulsiuam; conuincitur ex rebus frequenter contingentibus. Sæpè enim moueris ad concedendum eleemosynam, quia tibi narratum fuit pauperem singulares dotes, & virtutes habere; cum tamen non habeat: & tu illa narratione deceptus eleemosynam tribuisti. Cuius concessio cum fuerit vero pauperi facta valida persistit iuxta communem sententiam, quam in tractatu de charitate disp. de eleemosyna tradidimus. Item sæpè quis matrimonium contrahit deceptus errore, quo nobilem, & diuitem, & virginem esse coniugem existimabat: qui nullo modo contraheret errore detecto; & tamen certa sententia defendit contractum valere. Ergo datur error soluni excitatiuus consensus, non illius constitutiuus. Idem est in Episcopo conferente ordines & beneficia ei, quem errore deceptus existimauit sibi esse consanguineum, seu affinem, quo errore sublato nec beneficium conferret, neque ordines. Collatio tamen ordinum, & beneficij tenet, item in contractu emptionis & venditionis passim hic error occurrit, non enim emeres vinum, triticum, oleum, pannum, equum nisi quia existimabas sana & perfecta esse; cum tamen non sint. At ob talem errorem non redditur contractus nullus, sed rescindendus. Ergo asserendum est, errorem non semper intrare in essentiam consensus ad contractum requisiti.

12. Quod si inquitas; vnde cognosces errorem qualitatis solum excitare voluntatem ad contrahendum; & non intrare in obiectum consensus? Respondeo clarè cognosci non posse. Semper tamen præsumere debes errorem qualitatis esse excitatiuum, & non constitutiuum consensus; nisi eo casu, quo expresse & sub ea conditione, & non aliter consenseris; & consequenter solo eo casu contractum irritare iure naturæ. Sic docuit ex communi sententia Ægidius de Coninck *de matrimonio, disp.* 31. *dub.* 1. *concluf.* 2. Et ratio esse potest, quia præsumptio sumi debet ex frequenter contingentibus, semperque præsumi debet operari modo naturis rerum conuenientiori.

Ex his facilè intelliges, quando Iuramentum his contractibus appositum obligationem inducat? Inducit námque obligationem, quoties ipsam contractus inducit. Quia ad illius firmitatem assumitur; secùs quando contractus nullus est.

13. Petes an in supradictis contractibus obligatio sit deceptori, reparandi inæqualitatem factam. Basilius *lib* 4. *de matrimonio, cap.* 21. *num.* 22. censet si dolus dedit causam contractui, obligationem esse iure naturæ, & in foro conscientiæ tam in contractibus stricti iuris, quam bonæ fidei in decipiente, reparandi inæqualitatem. At si tantum incidit in contractum, nullam esse obligationem. Prior pars est manifesta; cum eo casu inuoluntarius sit contractus: & per errorem extortus. Secunda pars probari potest; quia errore incidente in contractum, nulla est inæqualitas resarcienda. Siquidem deceptus ita affectus est, ad contrahendum, vt etiamsi errorem cognosceret, adhuc contraheret; tacitè ergo deceptionem remittit.

Admitto priorem partem absolutè; secundam in contractibus lucratiuis. Quia in his cum liberaliter procedat, deceptus non videtur inuoluntarius esse cum ita ad donandum affectus sit. At in contractibus bonæ fidei & onerosis contrarium existimo; obligatum inquam esse decipientem; tamè si malitiosè non processerit, reparare contractus inæqualitatem. Nam licet deceptus contractum non omitteret errore defecto; at non est credendum, illum fuisse celebraturum eo pretio, sed minori. Tenetur ergo decipiens hanc inæqualitatem reparare.

14. Hucusque locuti sumus spectato iure naturæ, de valore vel nullitate contractus ex errore celebrati. Restat dicendum; an iure positiuo sint omninò irriti, & qualiter decepto competat actio ad rescindendum contractum, si velit, vel ad reparandam deceptionem?

15. Pro intelligentia huius difficultatis præmitto; deceptum triplicem actionem habere posse, qua se indemnem seruet. Prima, quæ vocatur à iure redhibitoria, seu redditoria. Quia reddit decepto quod antea habebat, & res in pristinum statum restituit, *leg. redhibere, ff. de adilitio edicto.* Secunda, datur actio vocatur à iure quanto minoris; qua deceptus volens perseuerare in contractu, agit aduersus deceptorem; vt quanto minoris res valuit, ac pretium dedit, tantundem sibi reddatur, *lege sciendum, ff. de adilitio edicto.* Tertia vocatur in id, quod interest, non esse deceptum; fortè enim contingere potest, vt pluris decepto interfit non esse deceptum, quam rem vel pretij excessum habere; & tunc agere potest actione deceptionis in id, quod sua interest, non esse deceptum. Hac actione nunquam potest vti deceptus, nisi in contractu dolus fuerit commissus; & tunc illa vti potest aduersus deceptorem. Quia ratione iniuriæ deceptor in conscientia obligatur reparare decepto damnum, quod ex deceptione prouenit. Quid ergo mirum quod aduersus illum habeat deceptus actionem in id, qua sua interest non esse deceptum? Sic ex Donelo *lib.* 22. *cap.* 28. *& lib.* 13. *cap.* 3. tradit Basilius Legionensis *lib.* 4. *de matr. cap.* 21. *num.* 33. Et colligitur ex Molina *de iustitia, tom.* 2. *disp.* 253. *per tot.*

16. Dicendum est si dolus dedit causam contractui circa substantialia, contractum esse omnino irritum etiam iure positiuo; decepto dari aduersus decipientem actionem redhibitoriam, & actionem in id, quod interest, non esse deceptum, in hac conclusione omnes Doctores conueniunt vt aliis relatis docent Conarruu. *regula Possessor.* 2. *p.* §. 6. *num.* 6. Molin. *tract.* 2. *disp.* 352. *concluſio* 1. constat *ex leg. Labeo* 41. *ff. de contrahenda emptione.* vbi vendens aurichalcum pro auro, nulla est venditio. Et *lege qui officij ff. de contrahenda emptione*, §. *fine.* Instituta de emptione. Vbi res sacra pro profana venditur, nulla est venditio. Quia res sacra extra commercium est, & *lege sua rei eodem titulo*, nulla est emptio rei propriæ; quia erratur in substantia. Ratio est manifesta quia voluntarius consensus in substantiam contractus est de illius essentia. Sed error in substantia tollit huiusmodi consensum. Ergo tollit contractum. Ergo nullâ ratione iure positiuo firmari poterat. Quod autem sic decepto competat actio redhibitoria, euidens est: Siquidem sublato contractu res debent in pristinum statum restitui. Deinde competit actio doli in id, quod sua interest, non esse deceptum, si deceptor culpabilis extitit; quia ob iniustitiam commissam tenetur de damno secuto.

17. Sed obstat aduersus hanc certam doctrinam *lex quid tamen* 14. *ff. de contrahenda empti ne.* Vbi venditio cuiusdam vasis ex ære & auro pro auro venditi tenet; & tamen ibi error fuit in substantia; sicuti contingit in casu *legis* 41. §. *mensam, ff. de contrahenda emptione.* Vbi mensa argento cooperta pro argentea vendita fuit. In cuius facti specie decidit Iurisconsultus nullam esse venditionem. Ergo error in substantia non semper annullat contractum.

Supradictæ legi *quid tamen.* Respondent communiter Doctores ibi non fuisse errorem in substantia; Siquidem illud vas verè aureum erat licet non ex omni parte; & ita contractum tenere; & deceptum agere posse actione quanto minoris, & in id, quod interest. Secus verò in casu *leg.* 41. Vbi mensa nulla ex parte argentea erat, sed solum operimentum illius; ac proinde ibi erratum fuisse in substantia, & contractum esse nullum, sic explicuit Cuiacius *lib.* 2. *obseruat. cap.* 4. Gothofredus *dicta lege* 41. Ego dicerem esse illius legis specialem decisionem ob bonam fidem vtriusque contrahentis; neque ad alios casus & contractus trahendum esse. Nam percipere non possum, quomodo in venditione vasis & æris & auro non fuerit erratum in substantia; siquidem compositum ex ære, & auro, quid distinctum est ab arte facto ex auro puro, sed venditio facta fuit de arte facto ex auro puro. Ergo cum sic non fuerit, erratum fuit in substantia.

18. Secundò obſtat *lex rem alienam 28. ff. de contrahenda emptione.* Vbi expreſsè dicitur alienam diſtrahi poſſe : quia exemptio, & venditio ; tametſi res emptori auferri poſſit. Idem habetur *in lege ſi emptione 34. eodem titulo. Et colligitur manifeſtè ex lege qui vas 48. §. vltimo, ff. de furtis.* Vbi definitur vendentem rem furtiuam fieri dominum pretij, quod falſum eſſet, ſi venditio non teneret. At in huiuſmodi caſu videtur error commiſſus in ſubſtantia. Siquidem emptori nihil conceditur loco pretij à ſe exhibiti ; cum eius non fiat res furtiua. Hac enim ratione ſi emas rem propriam, nulla eſt emptio. Quia nihil tibi venditor concedit.

Reſponde admittendo venditionem & emptionem rei furtiuæ valere ; nego tamen errorem commiſſum eſſe in ſubſtantia. Et ad probationem dico rem furtiuam fieri emptoris de facto ; licet non de iure, & quod fiat de iure acquiri poſſe. Ex hoc ſufficit vt emptio & venditio teneat. Secùs contingit in emptione rei propriæ, quæ nec iure, nec de facto acquiri de nouo poteſt. Neque obſtat huic emptionis valori quod poſſit ab emptore res furtiua euinci ; poteſt námque : ſed venditor etiamſi ignorans fecerit, tenetur pretium illi reddere : imò cogi poteſt ab emptore vt illi præſtet quantum ſibi intererat, habere rem euictam iuxta *legem vendita 8. lege euicta 70. de euictionibus.*

19. Dico ſecundò, ſi dolus verſans circa qualitates, & circunſtantias contractus cauſam contractui dederit, validus eſt contractus iure poſitiuo ; venit tamen exceptione mali reſcindendus ; ſi ſolubilis eſt ; ſiue contractus ſit bonæ fidei, ſiue ſtricti iuris. Hanc concluſionem optimè explicant & probant Leonar. Leſſ. *lib. 2. cap. 17. dub. 5. num. 31.* Ægidius de Coninck *de matrimon. diſp. 23. dub. 9. num. 73.* Conſentit licet non ſatis conſequenter Baſilius Legionen. *lib. 4. de matrimon. cap. 21. num. 30.*

Et quidem in contractibus ſtricti iuris tenet pluribus relatis Molina *tom. 2. de iuſtitia, tract. 2. diſp. 352. in medio num. 14.* Et probari poteſt ex *lege ſi id, quod aurum 22. de verborum obligationibus.* Vbi ſi de te mihi promittente vas aureum ſtipulatus fuero, & contingit æneum eſſe, teneris mihi æneum dare, quia in corpore rei donatæ conſenſimus. At ſi vitium cognoſcens me fallere prætendiſti, doli mali clauſula tecum agere poſſum. Idem habetur *in lege 1. in fine. ff. de pignoratitia actione.* Vbi ſi æs datum pro auro in pignus fuerit tenet pignus æris ; & deceptus agere poteſt actione doli. Verum huiuſmodi leges concluſionem non probant ; ſiquidem in datione & receptione illius vaſis ærei, nulla deceptio commiſſa eſt. Non enim donanti ; quia liberè donat ſi vitium cognoſcit ; & ſi illud ignorat ad maiorem ſummam affectus eſt. Non recipienti : quia liberè donat ſi vitium cognoſcit ; & ſi illud ignorat ad maiorem ſummam affectus eſt. Non recipienti : quia meliùs eſt illi vas æneum habere, quam nullum. Solum ergo deceptio conſiſtit in eo, quòd promiſſio non impleatur, vt fuit ſtipulata. Ea de cauſa datur ſtipulanti actio doli mali aduerſus promiſſorem ſi ſciens fefellerit. Vera ergo probatio huius concluſionis in contractibus ſtricti iuris ſumi debet ex *lege dolo, ff. de inutilibus ſtipulationibus :* vbi ſi promiſſionem, quam quis metu vel dolo inductis fecerit, tu ſtipulatus fueris ; ſtipulatio tenet, eſto promittenti exceptio doli vel metus concedatur. Dolo (inquit conſult.) vel metu adhibito actio quidem naſcitur, ſi ſubdita ſtipulatio ſit ; per doli tamen mali vel metus exceptionem ſubmoueri petitio debet. Pro contractibus bonæ fidei videtur eſſe expreſſa *lex Iulianus 13. de actionibus empti :* Vbi vendens tigna cariosa, & pecus morboſum ; tametſi dolo fecerit, validè vendit ; agique poteſt aduerſus eum actione quanti minoris. Idémque probari poteſt ex *lege in venditionibus, ff. de contrahenda emptione.* Vbi valet venditio vini, quod iam acuit. Fateor his legibus reſponderi poſſe, errorem non dare cauſam contractui, ſed pretij exceſſui. Siquidem detecto errore contrahens, ſed non eo pretio. Sed quid ſi non contraheres ? Dare ergo dolus ille poteſt cauſam non ſolum exceſſui ſed etiam contractui Præterea clariſſimè concluſio probatur ex *leg. ſi dolo 5. Cod. de reſcindenda venditione*, ibi. Si dolo aduerſarij deceptus venditionem pretij ſe feciſſe Præſes Prouinciæ aditus animaduerterit, ſciens contrarium eſſe dolum bonæ fidei (quæ in huiuſmodi contractibus maximè exigitur) reſcindi venditionem iubebit. Tacitè ergo inſinuant validam venditionem eſſe. Idem conſtat ex *leg. rem alienam 28. ff. de contrahenda empt.* Siquidem ibi emptor dolo inductus eſt, exiſtimans rem emptam eſſe propriam venditoris.

Ratione probatur, quia error verſans circa cauſas motiuas & circunſtantias contractus relinquit ſanum conſenſum in contractus ſubſtantiam Ergo nulla eſt cauſa, quare ipſo iure nullus ſit Adde ſi contractus nullus eſſet omnino, non ita facilè reddirur ratio, ob quam decipiens teneatur ſtare contractui ; ſi deceptus velit. Siquidem deceptio ſolum decipientem obligare poteſt, vt damna omnia quæ ex contractus deceptione ſubſequuntur ſatisfaciat ; non vt denuò conſentiat ; & contractum celebret. Vnde enim hæc obligatio ortum habere poteſt ? Si verò abſque nouo conſenſu ſtare contractui debet ; ſignum eſt contractum in fauorem decepti validum eſſe.

20. Solum video aduerſus hanc ſententiam obiici poſſe, *Text. in leg. & eleganter 7. ff. de dolo*, vbi de minore qui vendiderat ſeruum ignorans, quod peculium haberet, dicitur, nullam eſſe venditionem, ſi in eo, quod venderet, circumſcriptus eſt. Ergo venditio, cui cauſam dedit non tenet. Sed huic obiectioni facilè reſpondetur. Primò : ibi annullari venditionem in fauorem minoris. Quia fuit facta à minore ſine auctoritate iudicis. Quo in caſu nulla eſt obligatio ex parte minoris, *leg. in cauſæ cognitione*, §. *item relatum, ff. de minoribus.* Deinde ibi annullatur venditio non abſolutè ; ſed in fauorem decepti : eo quòd deceptor poſſit agere actione redhibitoria, ſi velit. Quia fuit deceptus non tam in venditione ſeruí ; ſed quia minus multo quam par eſt, vendidit ob peculium, quod ſeruus habebat. Sæpè enim in iure aliqui actus nulli dicuntur ; non quia de facto nulli ſunt ; ſed quia non ſunt firmi, ſed arbitrio vnius ex contrahentibus irritari poſſunt. Vt ex communi ſententia docet Gloſſ. *in leg. 1. Cod. de reſcindenda venditione.*

21. Deceptus ergo in his contractibus agere poteſt. Tum vt contractus reſcindatur. Quiá iniuriosè conſentit. Tum vt decipiens reparet inæqualitatem, ſi ſtare contractui velit. Sic Nauar. *cap. 22. num. 33.* Molin. *diſp. 352. concluſio, 1. & 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 17. dub. 5. num. 31.* Baſilius Legionen. *lib. 4. cap. 21. num. 33.*

22. Sed quid ſi ab alio tertio dolus eſt commiſſus contrahente ignaro ? Credo non poſſe agere deceptum ad contractus reſciſſionem ; ſed actione quanti minoris, (hoc eſt) vt contrahens ad æqualitatem reducat. Aduerſus deceptorem agere poteſt in id, quod intereſt, hoc eſt, vt luctum ceſſans, & damnum emergens ex tali deceptione reſtituat. Sic aliis relatis docet Molin. *d. diſp. 352. concluſ. 3.* Leſſius *lib. 2. cap. 17. dubio 5. num. 33.* Et videtur probari ex *lege & eleganter 7. ff. de dolo & lege ſi Proxeneta ff. de proxeneticis.* Sed hoc intelligendum eſt caſu, quo contractus ſit ex vtraque parte, vel ſaltem ex altera completus. In hoc enim caſu ius non concedit actionem redhibitoriam, ſed actionem quanti minoris aduerſus contrahentem. At ſi contractus integer ſit, cum deceptus errorem cognoſcit, non videtur in conſcientia obligatus, contractum perficere. Quod optimè probat Leſſius *ſuprà.* Primò in contractu ſponſalium, ad cuius executionem non obligaris ; ſi deprehendis aliquid ſubeſſe, quod te à contrahendo retraxiſſet. Secundò ex obligatione cuiuſlibet contractus, quæ ceſſat, ſi res notabiliter mutentur ; & in cognitione contrahentis ſunt res notabiliter mutatæ. Tertiò ex ſtylo contrahentium, qui non videntur ſe obligare velle implere contractum ſi ſe grauiter deceptos inueniant.

23. Sed quid ſi nullus alius te in errorem induxit, ſed tu ignorans vitium, contraxiſti illa ignorantia ductus ? Diſtinguendum eſt : ſi alter contrahens conſcius fuit erroris ; credo te poſſe contractum reſcindere. Quia cenſetur particeps doli, & peccare contra iuſtitiam, & obligationem cuilibet contrahenti à iure impoſitam *in lege 1. ff. de adilitio edicto, & lege 13. de actionibus empti*, manifeſtandi occulta rei vitia. Sic optimè Molina *tract. 2. de iuſtitia, diſp. 353. concluſio. 1.* Leſſius *lib. 2. cap. 17. num. 33. in fine.* Subdit tamen Leſſius ſepoſito illo iure poſitiuo non habere hanc ex iuſtitia obligationem ; ac proinde contractum firmum eſſe, & ſolum dari actionem quanti minoris. At ſi alter contrahens ignarus fuit erroris ; tam iure poſitiuo, quam naturali contractus firmus perſiſtit, ſi completus eſt ; debet tamen ad æqualitatem reduci. Si autem re integra detegatur error, ceſſat obligatio contractum implendi vt *num. præcedenti* dictum eſt.

Aduerte, ſi in contractu deceptus fueris vltra dimidium iuſti pretij ; quod ſolum in contractibus bonæ fidei interuenire poteſt, te poſſe agere vel ad reſciſſionem contractus, vel ad illius æqualitatem ; eſto contrahens erroris particeps non fuerit. Quia ita iure regio cautum eſt. Sic paſſim Doctores.

24. Verum ſi dolus verſans circa accidentia incidit in contractum ſtricti iuris, contractus vtroque foro tenet ; ſolúmque deceptor tenetur in conſcientiæ foro contractum ad æqualitatem reducere, & decepto competit exceptio de dolo, ſi contractus ex ſua parte non ſit completus ; ſi verò completus ſit, competit actio de dolo, vt damnum illatum reſarciat. Sic aliis relatis Molin. *diſp. 352. concluſ. 6.*

25. Quod ſi in contractum bonæ fidei dolus incidat ; valet contractus vtroque foro ; nec venit reſcindendus, niſi læſio ſit vltra dimidium iuſti pretij. Quia de hac reſciſſione iura non loquuntur ; & cum contractus abſolutè voluntarius fuerit ; non videtur decipiens obligatus, reſciſſioni conſentire, tenetur tamen deceptor in conſcientiæ foro contractum ad æqualitatem reducere ; eſto inæqualitas infra dimidium iuſti pretij ſit commiſſa. Deceptus verò ſi contractum non impleuit, doli exceptionem habet : ſi autem compleuit, agere poteſt, vt ſibi damnum reparetur, ſi læſus fuit, & reparari poteſt. Sic Molina

dicta

*dicta diſp.*352. *concluſ.*4. Leſſius *lib.*2. *cap.*17. *dub.*5. *num.*28. Et colligitur *ex cap. dilecti* 3. *de emptione & venditione*, & *ibi* Gloſſ. His poſitis.

26. Facilè percipere potes:qua ratione Iuramentum appoſitum contractibus dolo vel errore celebratis, obligationem inducat? Cum enim huiuſmodi Iuramentum vt dictum eſt appoſitum ſit contractibus ad augendam illorum obligationem, pro natura contractus obligationem habet. Quapropter ſi contractus nullus eſt, & Iuramentum nullum eſt. Si verò contractus validus eſt, veniátque reſcindendus; eodem modo reſcindi poteris non obſtante Iuramento. Quia Iuramentũ continet omnes reſtrictiones,& conditiones,quas contractus habet. Sic pluribus firmat Couarr. *de pactis* 1.*p.*§.4. *in principio.* Gutier. *de Iuram. confirmatorio* 1. *p. cap.*37. *num.*2. Leſſius *lib.*2. *cap.*42. *dub.*7. *per totum.*

PVNCTVM VI.

Quæ materia requiſita ſit in Iuramento promiſſorio, vt obligationem inducat.

SVMMARIVM.

1 *Debet eſſe materia poſſibilis.*
2 *Quid ſentiendum ſit de promiſſione facti alieni.*
3 *Debet eſſe materia licita, & honeſta.*
4 *Diuerſimodè loquendum eſt de materia Iuramenti in gratiam Dei, vel hominum facti.*
5 *Explicatur Textus difficilis in cap. commiſſum de ſponſalibus,*
6 *Iuramentum de re illicita non indiget relaxatione.*

EXplicuimus quæ requirantur ex parte iurantis, vt Iuramentum obliget. Videndum quid ex parte obiecti ſeu materiæ promiſſæ.

1. Primò certum eſt ſecundum omnes debere eſſe Iuramentum de rebus tibi poſſibilibus. Nam iurare quæ tibi impoſſibilia ſunt temeratium eſt: cum non poſſis facere verum, quod iuras.

2. Hinc videtur colligi, peccatum eſſe, promittere ſub Iuramento factum alienum. Quia quod ab alterius voluntate pendet, in tua poteſtate ſitum non eſt. Non enim potes voluntatem alterius cogere & neceſſitare. Et quidem ſi vt verba ſonant, Iuramentum accipiendum eſſet, clarum eſt, graue eſſe peccatum, factum alienum iurare. Quia eſt Iuramentum de re tibi impoſſibili. Sed cum alienum factum ſub Iuramento promittis, v. g. Petrum fore ſoluturum, vel matrimonium contracturum, non eo ſenſu Iuramentum accipis, vt de facto Petrus ſoluat, vel contrahat,ſed vt ſoluat,vel contrahat quantum in te eſt; ac proinde non tam factum alienum, quàm proprium promittis. Eáque de cauſa validum, & licitum eſt Iuramentum. Et ratio eſſe poteſt; quia Iuramento ineſt ea virtus, vt ſi non valet actus eo modo, quo ſonat, valeat eo modo, quo valere poterat. Vt multis allegatis probat Gutierr. 2. *part. de Iuram. confirm. cap.* 2. *à num.* 3. *& ſequentibus.* Couarr. *de pact.* 2. *part.* §.6.*num.*1.*verſ.* 13. Ergo Iuramento facto de ſolutione Petri, quia illo obligari non potes, vt Petrus cum effectus ſoluat; obligaris tamen ad procurandum. Quod decidi videtur *in cap. ex reſcripto, de iureiurando.* Vbi quidam Monachi & ſæculares iurarunt, Abbatem tremens Eccleſiæ, conuentionem factam de ſoluenda pecunia, adimpleturum; quibus interdicitur ingreſſus Eccleſiæ, ſi non fecerint Iuramentum adimplere; ſicut iurarunt. Infertur ergo iurare ſe daturos operam, vt conuentio obſeruaretur. Et ita docet *ibi* Gloſſ. *verbo inhibeatis*, & Abbas *ibi*, *& in cap. ex literis*, & ſecundò, *num.*6.*de ſponſalibus*,Couar.*de pact.* 2.*p.* §.5 *num.*2. Gutierr. *de Iuram.* 1. *p. cap.* 44. *num.* 3. Anton. Gomez. 2. *variar. cap.*10. *n.*23. Sanch. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 9. *num.*7. *& lib.* 1. *de ſponſalib. diſp.* 24. *num.*7. & Suar. *lib.* 1. *de Iuram. cap.* 10. *num.*4.

Et licet iure communi, & antiquo regni Caſtellæ promiſſio abſoluta de facto alieno non obliget, §. *ſi quis alium*, *&* §. *ſi quis alteri inſtitut. de inutilibus ſtipulationibus, leg.*11. *tit.*5. *partita* 5. Sed neceſſariò debet promittens, expreſsè promittere ſe curaturum aut facturum, vt alius exequatur tale factum; aliquibus tamen caſibus exceptis; quod adducit *ſupradict. lex partita*, & Gloſſ. *in d.* §. *ſi quis alium*, & Couar. *de pactis*, 2.*p.* §.5.*num.* 1. Molin. *tom.*2. *de inſtit. diſp.* 268. §. *quoad ſecundum.* Sanch. *lib.*1. *de ſponſalibus, diſp.*24. *à num.*3. Tamen ſi Iuramento firmetur promiſſio de facto alieno; omnes conueniunt, etiam iure communi promittentem obligari; vt quantum in ſe eſt, procuret de facto adimpleri. Tenent ſupradicti Doctores. Quia in illo ſenſu intelligitur, Iuramenti promiſſionem ſumi. Neque ſatisfaceret ſi ſimulatè (hoc eſt, pro complimiento) curaret adimpleri. Quia non ſimulatam diligentiam, ſed veram ſub Iuramento promiſit. Couarr. *de pactis*, 1. *p.* §.5. *num.*3. Sanch *lib.*1. *de matrimon. diſp.*24. *num.*11. *&* 12. *& lib.*3. *in Decal. cap.*9. *num.*7. *fine.* Molin. *dicta diſp.*268.§. *quod ſi in fine.*

Dixi te eſſe obligatum, ſi factum alienum ſub Iuramento promittas; & promiſſio acceptata eſt. Sæpè enim factum alienum iuras non ſub promiſſione, ſed ſub enunciatione, cuius Iuramenti ſenſus alius non eſt, niſi te credere, & perſuaſum eſſe factum illud exequendum fore; ſicut cum iuras pluuiam eſſe futuram, & ægrotum recuperaturum eſſe ſalutem. In quibus Iuramentis ſolum iuras, te id credere; non tamen intendis obligari ad aliquam diligentiam præſtandam. At quoties materia capax eſt diligentiæ propriæ; & non conſtat, te ſub enunciatione iurare, reputandus es ſub promiſſione iuraſſe & ad faciendam diligentiam te voluiſſe obligari. Sanch. *lib.*3. *in Decalog cap.*9. *num.*7.

3. Secundò materia Iuramenti promiſſorij debet eſſe licita & honeſta. Nam Iuramentum eſſe non poteſt vinculum iniquitatis; vt expreſsè habetur *cap. quanto de iureiurando, & tradunt omnes.* Quod ſi in aliquibus textibus dicatur, Iuramentum ſeruandum eſſe, modo non vergat in diſpendium ſalutis æternæ; vt dicitur *cap. cum contingat, de iureiurando*, non inde inferre potes,Iuramentum de peccato veniali ſeruandum eſſe. Nam eſto peccatum veniale immediatè non vergat in diſpendium ſalutis æternæ: quia non priuat gratia, nec pœnis æternis committentem addicit. At quia ad id diſponit; mediatè vergit in diſpendium ſalutis æternæ. Et præterea; quia niſi purgetur; impedimento eſt ne in vitam æternam ingrediatur. Eáque de cauſa Iuramentum de illo faciendo nunquam obligare poteſt. Imo neque Iuramentum de re indifferente aliquam obligationem habere poteſt. Quia eſt vanum, & inutile, & conſequenter Deo placere non poteſt. Sic Suar. *lib.*2. *cap.* 16. *per totum.* Vaſquez *opuſc. de teſtamentis, cap.*3. *dub.*3. *num.* 38. Baſilius Legionenſis, *lib.* 12. *de matrimonio, cap.* 8. *num.* 28. Aduerto tamen aliquando rem de ſe indifferentem talem non eſſe, ſed honeſtiſſimam. Quia ad bonum finem conſequendum conducit, & in ordine ad illum ſub Iuramento promittitur. Hac de cauſa Iuramentum non tranſeundi per hanc viam, quæ tibi occaſio eſt peccandi, eſt Iuramentum de re honeſtiſſima; tametſi alias tranſitus, vel non tranſitus quid indifferens ſit Bonacin. *tom.* 2. *diſp.* 4. *quæſt.*1. *punct.*4. *num.* 2.

4. Sed quia Iuramentum in gratiam Dei, vel hominum fieri poteſt; diuerſa eſt vtriuſque materia. Si enim Iuramentum factum ſit in gratiam Dei,coincidit cum voto; ac proinde debet eſſe non ſolum de materia licita, & honeſta; ſed etiam non impeditiua maioris boni. Quia aliter in gratiam Dei eſſe non poteſt. Sic Soto *lib.*7. *de iuſt.t. quæſt.*1. *art.*3. *circa ſecundam concluſionem. & lib.* 8 *quæſt.*1.*art.*7.*ad* 2. Nauar. *ſumm. cap.*12. *num.*16. Suar. *lib.*2. *de Iuram. cap.*12. *num.*11. Sanch. *aliis relatis*, *lib.* 3. *ſumm. cap.* 9. *à num.*11. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 4. *num.* 20. Bonacin. *tom.* 2. *diſput.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 1. *&* 2. Si verò Iuramentum in vtilitatem hominis fiat, contentum eſt, vt obligationem inducat, honeſtate materiæ promiſſæ; eſto maius bonum impediat. Quia in promiſſione ſemper ſpectatur quid gratiùs ſit ei, cui fit promiſſio. Cum autem homini ſæpè gratiùs ſit, quod minus bonum eſt; ea de cauſa Iuramentum de minori bono in eius gratiam factum obligat. Secus verò ſi in gratiam Dei eſſet. Quia Deo gratiùs eſſe non poteſt, quod minus bonum eſt.

Ab hac doctrina excipitur promiſſio liberalis matrimonium contrahendi, quam non teneris ſeruare ſi religionem ingredi volueris. Quia ob perfectionem ſtatus religioſi hæc promiſſio liberalis hanc à iure imbibit conditionem, niſi meliorem ſtatum elegero. Vt deciditur expreſsè *cap. ex publico de conuerſ. coniugatorum*, & tradunt *ibi* Doctores.

5. Solum obſtat textus difficilis *in cap. commiſſum de ſponſalibus.* Vbi de eo qui iurauit fœminam ducere, volebatque religionem intrare; dicit Pontifex; tutius eſt (religione Iuramenti ſeruata) priùs contrahere, & poſtea ſi elegerit ad religionem migrare; ſi tamen poſt deſponſationem copula non dignoſcitur interueniſſe carnalis. Sentit ergo Pontifex meliùs eſſe Iuramentum ſeruare, quam religionem ingredi. Ergo illud Iuramentum non habebat illam tacitam conditionem.

Gloſſa, Abbas & alij *in ſupradicto cap.* Henric. *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 13. *num.* 15. Affirmant, Pontificem loquutum fuiſſe ſecundum opinionem vulgi; ſecundum quam tutiùs eſt, propter Iuramentum contrahere non verè, ſed ſimulatè, vt hoc ſimulato coniugio fiat Iuramento ſatis; & poſtea religionem intrare. Sed hæc interpretatio ſuſtineri non poteſt. Quia Pontifex non eſt ibi interrogatus de vulgi opinione, ſed de rei veritate; in qua decidenda & definienda, vulgi opinionem ſequi non debebat: præberet enim occaſionem errandi, vt bene aduertit. Sanch. *lib.* 1. *de ſponſalibus, diſp.* 43. *num.*5. & Suar. *lib.*2. *de Iuramento, cap.*13. *num.*5. Baſilius Legionenſis *lib.*12. *de ſponſalibus, cap.* 10. *num.* 9. Secundò reſpondet Innocentius

nocentius *ibidem* quem ſequitur Caniſius *in dicto cap.* Couarr. 4. *Decret.* 1. *p.* §. 5. *num.* 11. Sanchez *d. diſp.* 34. *num.* 5. Baſilius Legionenſis *lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 12. Pontificem reſpondiſſe, tutius eſſe eum, qui firmo propoſito religionem amplecti non vult, ſed eam in voluntate quaſi tepida habet; & ex alia parte inſtat tempus pro quo factum eſt Iuramentum, debere Iuramentum adimplere. Ne elapſo termino, & religionem non profitente, periurus exiſtat: poſteà verò ſi elegerit, poterit ad religionem migrare, cum remeſtre ei ad deliberandum concedatur. Sed non placet hæc interpretatio. Quia ſupponit plura, quæ ex textu nullatenus colliguntur. Supponit inſtare tempus, intra quod fides data de matrimonio contrahendo vrgebat; & deinde ſupponit iurantem non habuiſſe deliberatam voluntatem ingrediendi religionem cuius contrarium videtur colligi ex textu. Siquidem dicit priuata lege ductus, ad frugem melioris vitæ tranſire ſuſpirat. Vnde & inſinuatur voluiſſe: quia votum eſt priuata lex. Et indicatur efficaciter deſideraſſe. Siquidem pro religione amplectenda ſuſpirabat. Et præterea etiam ſi concedamus hæc omnia, videlicet inſtare tempus, in quo fides data de matrimonio contrahendo vrgebat; & promittentem nolle ſtatim ingredi; ſed dubium eſſe & incipere deliberare; adhuc non debebat Pontifex reſpondere, tutius eſſe. Quia hæc verba indicant conſilium; ſed debebat dicere tutum eſſe, neceſſarium & obligatorium, ne periurus exiſteret violando Iuramentum non ingrediens religionem. Quapropter interpretatio, quam Suarez *lib.* 2. *de Iuramento, cap.* 13. *à num.* 8. adducit, mihi probabilior apparet; neque Pontificem ſupponere in illo textu, iurantem contrahere matrimonium cum aliqua, non teneri illam ducere. Siquidem ſolum dicit tutiùs eſſe. Maximè cum hoc Iuramentum ſortiatur naturam actus, cui adiungitur. Quippe in illius confirmationem fit. Cum ergo actus, cui adiungitur, excipiat religionis ingreſſum. Iuxta *cap. ſicut & vlt. de ſponſalibus*; efficitur ſane, & Iuramentum eam exceptionem habere. Hoc poſito: inquit Pontifex, tutiùs eſſe, ſic iurantem contrahere animo non conſummandi, ſed ad religionem migrandi admonita ſponſa de tali animo & voluntate. Fortè enim ſponſa habebat cauſam, ob quam ei gratus ſit hic momentaneus contractus; & ex alia parte non impeditur à religionis ingreſſu, cum poſſit ſtatim ad illam migrare. Deinde fit ſatis ſponſæ; cum certior facta ſit de intentione contrahentis; ac denique non poteſt neque apparenter violator Iuramenti iudicari. Si verò Iuramentum fuiſſet factum non ſolum de contrahendo, ſed etiam de conſummando matrimonio, non diceret Pontifex tutiùs eſſe contrahere & conſummare; ſed potius tutiùs eſſe, religionem ingredi.

6. Petes an Iuramentum quod ſit de re illicita relaxatione indigeat? Rationem dubitandi fecit *Text. in c. venerabilem, 34. de electione*, §. *idem etiam* Vbi de quodam, qui regnum ſibi vſurpauit contra Iuramentum factum, dicitur ad plenam illius excuſationem non valere allegationem de Iuramento illicito. Quia debebat priùs ſedem Apoſtolicam conſulere. Sentit ergo Pontifex, Iuramentum de re illicita relaxandum eſſe. Deinde cauſat dubium *Textus in cap. cum quidem* 12. *de iureiurand.* §. *illi verò.* Vbi dicitur, eos qui iurarunt non loqui patri, vel matri, neque eis ſubuenire abſoluendos eſſe ab illius obſeruantia Iuramenti, cum illicitum ſit, ergo illicitum Iuramentum relaxatione indiget.

Cæterum omnino tenendum eſt, nullius relaxationis opus eſſe. Quia relaxatio eſt ad tollendum vinculum. At Iuramentum de re iniqua non vincit; quia non eſt vinculum iniquitatis. Non igitur indigere poteſt relaxatione. Et tradit aliis relatis Sanch. *lib.* 1. *de ſponſalib. diſp.* 32. *num.* 2. & ad Textum *in cap. venerabilem* reſpondemus, in illo caſu non fuiſſe certum Iuramentum de re illicita fuiſſe, ſed ſatis dubium, eáque de cauſa conſulenda erat ſedes Apoſtolica, vt priùs dubium decideret. Sic Gloſſ. *ibi.* Suarez *lib.* 2. *de Iuramento, cap.* 18. *num.* 12. Sanch. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 9. *num.* 13. Ad textum verò *in cap. cum quidam.* Innocentius, Cardinalis, & Felinus relati à Couarr. *de pact.* 2. *part. initio, num.* 4. cenſet abſolutionem ibi fuiſſe neceſſariam. Quia aliquando abſque peccato fieri poteſt, vt quis nec parentes alloquatur, nec illis ſubueniat; & ob huius caſum relaxatione indigere. Verum vt rectè Couarr. *ſuprà* hoc non probat Iuramentum obligare. Nam eſto aliquando abſque peccato fieri poſſit, parentes non alloqui, neque eis ſubuenire; cum id in eorum vtilitatem non cedat; ſed potiùs in damnum. At quia ſemper melius eſt eos alloqui etiam nulla obligatione vrgente; ideo Iuramentum, quod in vtilitatem hominum non cedit, obligare non poteſt. Quia eſt maioris boni impeditiuum; præcipuè quia ibi ſupponit Pontifex, Iuramentum eſſe de re illicita. Siquidem dicit illicitum eſſe, & contrarium rationi. Quare ipſe Couarruuias dupliciter reſpondet, primò: cum Gloſſa, Hoſtienſi, Immola & Panormitano, abſolutionem requiri non de iure, ſed ad cautelam. Secundò reſpondet, non eſſe abſolutionem concedendam à Iuramento, ſed à peccato in iurando commiſſo. Vtraque ſolutio non placet, non prima; quia abſolutio ad cautelam ſolum datur, cum dubium eſt, obligetne Iuramentum. At in præſenti caſu cum dicat Pontifex, Iuramentum eſſe illicitum, ſecundum omnium ſententiam nullam inducit obligationem: imo (vt rectè dicit Sanchez *d. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 13.) dedecet maximè ius canonicum velle talis Iuramenti abſolutionem expoſtulare etiam ad cautelam: cum ex hac parte reuocet in dubium, Iuramentum rei peſſimæ non obligare. Neque item ſecunda ſolutio placet; quia aliud eſt abſolui ab obſeruatione Iuramenti; aliud à peccato iurandi; præcipuè cum in illo textu dicatur, pro peccato iurandi iniungendam eſſe pœnitentiam; in quo ſatis diſtinguitur abſolutio à Iuramenti obſeruantia ab abſolutione à peccato iurandi. Quapropter reſpondeo cum Sanch. *ſup. num.* 13. & Suarez, *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 8. Verbum abſoluendi in illo textu poſitum eſſe pro abſolutione declaratiua nullitatis Iuramenti non pro abſolutione diſſolutiua Iuramenti. Qui modus loquendi ſatis eſt vſitatus in iure vt conſtat ex allegatis in Gloſſ. *in cap. audiuimus* 24. *quæſt.* 1. Addítque vltimo Suarez dici poſſe, iurantes rem illicitam abſoluendos eſſe, ſi ipſi petant; non quia neceſſaria ſit abſolutio; ſed vt eorum ſcrupulo ſatisfaciat; ſicut datur priuilegium petenti illud, etiam vbi non eſt neceſſarium. Conſentit in his Baſilius Legionenſis *lib.* 12. *de ſponſalibus, cap.* 8. *num.* 14. & 15.

PVNCTVM VII.

Expenduntur aliqua Iuramenta, in quibus dubium eſt, qualis ſit eorum materia.

VT pleniùs intelligatur materia Iuramenti promiſſorij, placuit frequentiores caſus examinare, in quibus aliquod dubium eſt; an reperiatur materia conueniens ad obligationem inducendam?

§. I.

De Iuramento non ludendi.

SVMMARIVM.

1 *Aliqui cenſent, hoc Iuramentum abſolutè ſumptum obligatorium non eſſe.*
2 *Quoad abſtinentiam à ludo immoderato obligatorium eſt.*
3 *Poteſt obligare quoad abſtinentiam à ludo moderato.*
4 *Ex fine iurantis colligendum, quando promittatur abſtinentia à ludo moderato.*
5 *Sub Iuramento non ludendi non comprehenditur ludus per interpoſitam perſonam.*
6 *Ex fine iurantis colligendum eſt quando ſit peccatum mortale, vel veniale ludere.*
7 *Quid dicendum de Iuramento non ludendi cum hac perſona, in hac domo, vel hoc ludi genere.*

DVpliciter Iuramentum non ludendi præſtare potes; vel abſolutè, vel ſub aliqua determinatione. Si abſolutè Iuramentum præſtes. Aliqui Doctores cenſent, non obligare. Quia non eſt de materia licita; ludus enim moderatus, tum in tempore, tum in quantitate ob leuamen naturæ aſſumptus actus eſt virtutis Eutrapeliæ. Iuxta D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 168. *art.* 2 *in corpor.* Sed illud Iuramentum ſic abſolutè ſumptum, hunc ludum excludit. Ergo excludit actum virtutis. Ergo non eſt obligatorium. Sic Nauar. *cap.* 12. *num.* 11. Manuel. Rodriq. 1. *tom. ſumm. cap.* 189. *num.* 10.

2. In hac re primò certum eſt, hoc Iuramentum eſſe obligatorium ſaltem quoad abſtinentiam à ludo immoderato. Quia ſecundum hanc partem eſt de re licita & honeſta. Neque Nauar. nec Manuel contradicunt; ſed potiùs affirmant, Iuramentum de non ludendo in hoc ſenſu eſſe accipiendum; nempe de non ludendo ludo immoderato, & periculoſo. Quia debet fieri interpretatio vt minorem, quoad fieri poſſit, obligationem inducat. Iuxta *leg. quidquid adſtringendæ, ff. de verborum obligationibus*, & aliis tradit Bonac. *tom.* 2. *diſp* 4. *q.* 1. *de Iuramento, p.* 16. *num.* 4.

3. Deinde credo obligatorium eſſe poſſe; eſto comprehendat ludum moderatum. Nam licet moderatus ludus actus virtutis ſit. At perfectior actus virtutis eſſe poteſt, ob pœnitentiam & carnis mortificationem hac recreatione carere. Sunt enim aliqui actus virtutis à quibus abſtinere. Perfectior actus virtutis eſt vt eſt matrimonium, comeſtio ciborum ſaluti vtilium, cum amicis politicè conſeruate. Inter hos ergo ludus honeſtus enumerandus eſt à quo abſtinere ob bonum finem perfectius eſt Obligare ergo poteſt hoc Iuramentum. Sic docet Sanch. *lib.* 1. *de ſponſalibus, diſp.* 4. *num.* 4. & 5. & *lib.* 3. *ſum. cap.* 18. *num.* 2. & 3. & Bonac. *ſup.*

4. Petes quando cenſeberis, in Iuramento abſolutè ſumpto non

non ludendi, comprehendere velle ludum moderatum; Respondeo, ex fine quo motus es ad iurandum, hoc esse desumendum. Si enim Iuramentum, feciſti intentione vitandi pecuniæ prodigalitatem, & iacturam (vt frequentiùs fieri ſolet) vel rixas, iurgia; Iuramenta inconſiderata, aliáque mala; clarum eſt ludum moderatum ſub tali iuramento non comprehendiſſe. Quia ex ludo moderato & honeſto, illa mala non oriuntur; ceſſaret enim illius honeſtas, quoties illorum malorum periculum adeſſet, verum ſi ea intentione iuraſti vt ludi delectatione careres, & temporis iacturam vitares vt ſic ad grauiora negotia pertractanda, & diuinas res contemplandas expeditior exiſteres, abſque dubio moderatus ludus tam in quantitate, quam in tempore; ſub huiuſmodi iuramento comprehendetur & obligationem induceret. Quia eſt Iuramentum de perfectiori actu virtutis pertinente ad pœnitentiam vel religionem. Sic Sanch. *locis relatis*. At quia huiuſmodi finis eſt nimis perfectus, regulariter non eſt præſumendus oppoſitus niſi clarè conſtet; & conſequenter nec Iuramentum non ludendi comprehendere ludum moderatum. Sannhez *lib.* 1. *de ſponſalibus diſp.* 4. *num.* 4.

5. Aduerte ſub hoc Iuramento non ludendi, ex quocunque fine factum ſit, non comprehendi ludum per interpoſitam perſonam, cui pecunias tradis, vt nomine tuo ludat? tametſi ludentem aſpicias. Quia propriè, & in rigore non ludis. Et cum Iuramenti obligatio ſtrictè interpretanda ſit; non debet extendi ad hunc ludum mediatum, & remotum. Neque obſtat ex huiuſmodi ludo ſequi eandem iacturam temporis, pecuniarum, ac ſi tu ipſe luderes. Quia non eſt attendendum, an finis Iuramenti concurrat; ſed an ſub materia promiſſa comprehendatur. Sanch *lib.* 3. *in Decalog. c.* 18. *n.* 7. tametſi Bonacina *dict. diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 16. *n.* 5. contradicat.

6. Ex fine quo motus es ad iurandum colligere debes qui ludus ſit peccatum mortale; ſi enim ex fine illo perfecto cauendi ludi delectatione & vitandi iacturam temporis iuraſti, ſpectandum eſt potius tempus inſumptum quam quantitas, quia magis præiudicat fini Iuramenti, ſi enim vltra duas horas inſumeres, tametſi modicam luderes quantitatem, mortaliter peccares è contra vero ſi breui tempore ludo vacares, notabilem quantitatem exponeres, venialiter tantùm peccares Sanch. *lib.* 3. *in Decalog. c.* 18. *num.* 3. Si verò finis fuit vitare iacturam pecuniæ, & prodigalitatem ex quantitate pecuniæ expoſitæ, & non ex tempore deſumenda eſt grauitas culpæ, vt de ſe conſtat. Eſt tamen maximè aduertendum, quantitatem, quæ reſpectu vnius eſt modica, reſpectu alterius grauem, & grauiſſimam eſſe. Equiti enim diuiti & nobiliſſimo modica quantitas cenſeri debet, quod vno vel altero die tria vel quatuor ſcuta aurea ludendo inſumat, quæ ſi operarius inſumeret, grauem quantitatem conſumpſiſſe cenſendus eſt.

Deinde ex ſupradicto fide Iuramenti colligere debes; an poſſis ludere nomine alieno? Si enim tibi conſtat, motum fuiſſe ad iurandum, ne tempus tereres inutiliter; clarum eſt ludum nomine alieno comprehendi cum ad huiuſmodi finem per accidens ſit, quod nomine proprio vel alieno ludas; & ex alia parte verè, & propriè ludis. Sanch. *lib.* 3. *ſum. cap.* 18. *n.* 6. Idem eſt ſi ob vitandas domeſticas diſcordias, & rixas ortas ex eo, quod detentus in ludo, ſero domum venias; tuóque muneri non ſatisfacias, Iuramentum non ludendi præſtitiſti; nequaquam nomine alterius ludere poteris ob eandem rationem. Quia hic ludus & ſub materiæ, & ſub fine Iuramenti eſt comprehenſus. Sanch. *ſuprà*; verum ſi ob vitandam rei familiaris iacturam, iuraſti non ludere, ludus pecuniæ alienæ non eſt comprehenſus ſub Iuramenti fine; imò neque etiam hic ludus videtur comprehenſus; quando finis Iuramenti fuit, vitare inconſiderata Iuramenta, blaſphemias, diſcordias, rixas, & ſimilia. Quia regulariter hæc mala ex iactura pecuniæ propriæ, & non alienæ naſcuntur. Sanch. *dicto lib.* 3. *in ſum. cap.* 18. *n.* 6.

7. Verum ſi Iuramentum non ludendi ſub aliqua determinatione præſtes, nempe non ludendi cum hac perſona determinata. in hac domo, hoc ludi genere; & liber maneas ad ludendum cum aliis, & in aliis domibus aliiſve ludi generibus: Spectare debes finem, quo motus es ad iurandum, vt inde obligationem colligas. Si enim finis honeſtus fuit. Quia intendis vitare ſpecialem occaſionem, quæ tibi ex illo genere ludi; vel cum illa perſona; aut in domo prouenit, amittendi tempus longum, magnam pecuniarum quantitatem, aut rixandi; ſane Iuramentum illud obligat, dum talis occaſio perſeuerat. Quia illo euentu non eſt Iuramentum de re indifferenti, & vana, ſed honeſta, & vtili. At ſi finis Iuramenti malus fuit; eo quòd in vindictam & in ſignum malæ voluntatis iuraſti non ludere cum hac perſona, vel in hac domo &c. Nequaquam Iuramentum obſeruandum eſſet. Quia non debet aſſumi, vt fomentum iniquitatis. Idem eſt ſi iuraſti ob finem vanum, & ſuperſtitioſum; eo quòd credebas omnia tibi cum tali perſona, aut in tali perſona, aut in tali domo, aut illo ludi genere infœliciter euenire, & aduerſarium eſſe bene fortunatum. Abſtinentia enim à ludo ob illum finem, ſuperſtitio eſt, non ergo poteſt eſſe Iuramenti materia. Sic. Nauarr. *c.* 12. *n.* 28. *fine*. Sot. *lib.* 7. *de iuſtitia q.* 1. *art.* 3. verſ. *ijs demum*. Man. 2. *tom. ſumm. cap.* 94. *n.* 6. Sanch. *lib.* 3. *in Decalog. c.* 18. *num.* 9. Bonacina *tom.* 2. *ſumm. diſput.* 4. *punct.* 4. *num.* 2.

§. II.

De Iuramento non mutuandi, nec fideiubendi, nec emendi auctiori pretio, nec vendendi minori.

SVMMARIVM.

1 *Communis ſententia defendit Iuramentum non mutuandi & non fideiubendi non obligare.*
2 *Explicatur ſupradicta communis ſententia, ſpectandum eſſe finem Iuramenti.*
3 *Deinde ſpectanda eſt forma Iuramenti.*
4 *Deinde ſpectanda eſt perſona, quæ hoc Iuramentum præſtat.*
5 *Iuramentum non emendi auctiori pretio, nec vendendi viliori obligatoria non ſunt.*

1. COmmunis ſententia eſt, Iuramenta non mutuandi nec fideiubendi, irrita eſſe, nullámque obligationem parere. Sic. Abbas *in cap. ſi verò de iureiurando.* 9. Couarr. *de pactis, 1. p. §. 6. n.* 7. Nauarr. *c.* 12. *num.* 16. Gutierrez *de iuramento 1. p. cap.* 72. *à n.* 5. Sanch. alios referens *lib.* 4. *de voto cap.* 9. *num.* 18. Suar. *lib.* 2. *de Iuram. c* 17. *n.* 11. Ratio ea eſt: Quia mutuare, & fideiubere, opera ſunt miſericordiæ & charitatis, & aliquando ex præcepto. Ergo Iuramentum de illis non præſtandis non poteſt eſſe de re licita & honeſta.

2. Hæc tamen communis ſententia explicatione indiget. Debet námque in his Iuramentis ſpectari, tum finis, tum forma iurandi, tum perſona quæ iurat. Quia ex illis valor vel nullitas Iuramenti colligendus eſt. Moueri enim potes in his Iuramentis ob honorem Dei ob vtilitatem propriam, ob alienam. Si mouearis ob vtilitatem propriam, ob alienam. Si mouearis ob honorem Dei; clarum eſt, hæc Iuramenta abſolutè facta irrita eſſe. Siquidem ſic facta non cedunt in eius honorem; cum obſtent operibus præcepti, conſilij & pietatis. Si ob commoditatem propriam, ne ſcilicet ex mutuatione & fideiuſſione grauem rei familiaris iacturam patiaris, vt ſæpe contingit, motus fueris ad iurandum, non mutuare, nec fideiubere; fateor finem eſſe honeſtum; ſed quia generaliter loquendo maius bonum eſt, mutuare & fideiubere. Præcipuè cum aliqua non leuis neceſſitas proximi vrget; ideo, exiſtimo, neque in hoc caſu obligatorium eſſe iuramentum, non mutuandi, non fideiubendi, vt pote quod priuat maiori bono. Sic expreſſe Suar. *d. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 12. Si verò Iuramentum, non mutuandi neque fideiubendi præſtitiſti in gratiam, & vtilitatem tertij, nempe filiorum creditorum, aut vxoris; diſtinguendum eſt, ante illorum acceptationem vel poſt illam: Ante acceptationem reuocare Iuramentum pro libito potes. Quia ſequitur promiſſionis naturam, quæ vires non habet antequam ſit acceptata ab eo, in cuius gratiam facta eſt. At poſt acceptationem tenet Iuramentum, & ſeruandum eſt in omnibus illis caſibus, in quibus, mutuatio, & fideiuſſio obligatoria non ſit. Quia Iutamentum in vtilitatem tertij factum, & ab eo acceptatum ſeruandum eſt, quoties ſeruare poteſt abſque diſpendio ſalutis æternæ, niſi ille tertius remittat. Sic Suar. *dicto lib.* 2. *de Iuram. cap.* 17. *n.* 12. Sanch. *lib.* 4. *ſum. c.* 8. *n.* 18.

3. Deinde ſpectare debes formam Iuramenti. Nam ſi Iuramentum, non mutuandi non fideiubendi fuit emiſſum non abſolutè, ſed ſub hac reſtrictione, & conditione; niſi examinatione facta, & conſilio ſumpto videris expedire, Iuramentum tenet. Quia hoc Iuramentum non prohibet mutuum & fideiuſſionem abſolute, ſed mutuum & fideiuſſionem inconſideratam. Quod bonum eſt. Negari námque non poteſt, ſalubre conſilium eſſe, his actionibus mutuandi aut fideiubendi examen, & conſiderationem præmittere; an expediens ſint. Siquidem ob defectum huius examinis plures iacturam rei familiaris patiuntur, litibus implicantur, & inimicitias contrahunt. Iurare ergo non mutuare, neque fideiubere abſque hoc examine, bonum eſt, & honeſtum. Ergo tale Iuramentum obligat. Sic. Sotus *lib* 7. *de iuſtitia quæſt.* 1. *art.* 3. *dub.* 2. *circa.* 5. *concluſio*. Man. 2. *tom ſum. cap.* 94. *n.* 13. Petrus de Ledeſma. 2. *tom ſum. tract.* 10. *cap.* 2. *dub* 5. Arag. 2. 2. *q.* 88. *a.* 2. *dub.* 2. *circa* 5. *conclu.* Sanchez *lib.* 4. *in Decal cap.* 8. *num.* 18.

4. Rurſus ſpectanda eſt perſona quæ hoc Iuramentum non mutuandi, non fideiubendi emittit; an clericus ſit; Nam clericis in ſacris interdicta eſt fideiuſſio pro Laicis, niſi in caſu neceſſitatis. *cap te quidem*, 11. *q.* 1. ibi ne fideiuſſor exiſtat, & *cap.* 1. *de fideiuſſoribus*, ibi, clericus fideiuſſionibus interueniens abiiciatur, ideſt abiiciatur, ab Eccleſia vel clero vel fideiuſſione. Conſentit *lex.* 45. *tit.* 6. *parita* 1. Credo tamen non eſſe peccatum mortale vna, vel altera vice Pro Laico

fideiubere, etiam abſque neceſſitate. Quia Textus *in c. 1. de fideiuſſoribus* frequentiam fideiuſſionum dicit; non enim fideiuſſionibus inſeruit, niſi qui paſſim fideiubet Dixi fideiuſſionem pro Layco interdictam eſſe clericis, niſi neceſſitas vrgeat. Nam ſtante neceſſitate qualis eſt, ſi Laycus valde indiget fideiuſſione, & non eſt alius Laycus, qui poſſit aut velit pro illo fideiubere, clerici fideiubere poſſunt; vt docent Doctores ſtatim referendi. Neque enim ab opere vrgentis pietatis prohiberi debeant. Quod ſi clericus pro Laico abſque hac neceſſitate fideiubeat, fideiuſſio tenet; & obligatur ſoluere principali non ſoluente. Hæc tradunt Gloſſ. *in ſupradicto cap.* Sylueſt. verbo *fideiuſſor. quæſt.* 3. Gregorius Lopez *leg.* 45. *tit. parita* 1. Ioannes Gutierrez *de Iuramento* 1. *p.* 72. *per totum* Sanch. *lib.* 4. *ſum. c.* 8. *num.* 16. Obligatio autem ſoluendi ſolum eſſe poteſt de bonis patrimonialibus, vel ad ſummum de reditibus beneficij, vt notauit *Sylueſt. verbo fideiuſſor. q.* 3. Gregorius Lopez *q. d. leg.* 45. *tit.* 6. *parita* 1. His poſitis.

Dicendum eſt; ſi clericus Iuramentum præſtet nunquam fideiubendi, inualidum eſt. Quia pro alio clerico fideiubere poteſt ſicuti poteſt Laicus. *leg. omnes* §. *in hac. Cod. de Epiſcopis.* Item pro Eccleſia ſua fideiubere poteſt. Authent. *de ſanctis Epiſcopis*, §. *præ omnibus collat.* 9. Ergo illud Iuramentum impeditiuum eſt maioris boni; ac proinde obligare non poteſt, niſi in illis caſibus, in quibus hoc Iuramentum à Laico præſtitum diximus obligare. Sic Sylueſt. Gregorius Lopez Ioannes Gutier. Sanch. *locis allegatis.* Verùm ſi Iuramentum cum limitatione fiat, non fideiubendi pro Laico, validum eſt, & firmum. Quia eſt Iuramentum de re ſibi præcepta. Neque opus eſt caſum neceſſitatis excipere. Quia iam ſubintelligitur exceptus. Sic Ioan. Gutierr. *dicta* 1. *p. de Iuramento cap.* 72. *n.* 5. Gregorius Lopez *dicta lege* 45. *tit.* 6. *partita* 1. *in principio.* Sanch. *lib.* 4. *ſummæ cap.* 8 *num.* 19.

Ad hæc reduci poſſunt Iuramenta, quæ frequenter mercatores emittunt de non emendo auctiori pretio, vel non vendendo viliori. Quæ certè obligatoria non ſunt. Cum neque in Dei honorem cedunt; neque in proximi vtilitatem. Adſummum cedunt in vtilitatem propriam, cui ipſe iurans facilè cedere poteſt. Non igitur ea ſeruare obligatur. Sanch. *lib.* 3. *ſumm. c.* 9. *n.* 15. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *de Iuramento q.* 1. *punct.* 4. *n.* 2.

§. III.

De Iuramento non accuſandi, nec denunciandi delinquentes.

SVMMARIVM.

1 *Expenditur textus in c. quemadmodum de iureiur.*
2 *Apponitur diſtinctio de iuramento ante delictum commiſſum, vel poſt: Et ſub ea diſtinctione quæſtioni fit ſatis.*
3 *Si communi bono ſatisfacere potes denunciatione, obligaris non accuſare.*
4 *Iuramentum quo volenti committere aliquod delictum promitteres pro illo ſoluturum pœnam, non obligat.*
5 *Quid de Iuramentis accuſandi, vel denuntiandi aliorum crimina.*

1. INnocentius tertius in *cap. quemadmodum*, §. *illud. de iureiurando*, declarat qualiter hoc Iuramentum obligare poſſit. Innuit enim, ſi Iuramentum factum ſit generaliter de non accuſanda vxore ſuper vllo crimine, obligatorium non eſſe. Quia eſt de re illicita. Et probat Pontifex. Nam ſi mulier fieret infidelis, aut nollet cohabitare viro abſque contumelia creatoris, obligatus eſſet vir propter bonum publicum eam accuſare. Non igitur obligare poteſt Iuramentum in tota illa latitudine ſumptum. Et de hac parte nemini eſt dubium, Deinde ſubdit Pontifex, Si Iuramentum factum ſit de non accuſanda vxore de adulterio; tutiùs videri vt propter iuſiurandi religionem vir accuſare deſiſtat vxorem, ad diuortium celebrandum, quamquam denunciare eam poſſit, ad pœnitentiam peragendam: In quibus verbis incidat Pontifex non poſſe virum accuſare vxorem ad effectum diuortij. Quia cum iurj celebrandi diuortium, ipſe cedere poſſit; videtur obligatus ſupradicto Iuramento à tali accuſatione abſtinere.

2. Cæterum, vt textus hic clarius eluceat, & quæſtioni faciamus ſatis. Suppono cum Panormitano *in ſupradicto Textu, num.* 7. & 14. Iuramentum de non accuſanda vxore de aliquo particulari delicto (& idem eſt de quolibet alio delinquente) fieri poſſe ante delictum commiſſum; vel poſt commiſſum delictum, & non emendatum; vel iam emendatum. Si poſt delictum commiſſum & emendatum iuraſti non accuſare vel denunciare, ipſéque delinquens Iuramentum acceptauit, obligatus es ſeruare Iuramentum. Quia in eo euentu ſola ſatisfactio iniuriæ propriæ, cui tu per Iuramentum cedis, honeſtare accuſationem, vel denunciationem poterat. Excipe tamen, niſi præcepto ſuperioris vrgearis de denunciatione facienda, illis in caſibus, in quibus obligari potes ad denunciationem, ſeu accuſationem. Nam Iuramentum præiudicare non poteſt huic iuri, vt in præſenti notauit Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 1. *de Iuramento p.* 4. *num.* 3. Si verò Iuramentum ſit ante delictum commiſſum; vel poſt delictum commiſſum, ſed non emendatum, ſed potiùs perſiſtens: (quæ meo iudicio idem ſunt) obligaris ſolum ad non accuſandum vxorem ad effectum diuortij; vel quemlibet aliam delinquentem ad effectum, cui ipſe cedere potes. At non obligaris ad non accuſandam vxorem, vel quemlibet alium delinquentem ad publicam vindictam, ſi id commune bonum expoſtulet expediénſque Reipublicæ ſit. Alias tribueretur delinquentibus occaſio, liberiùs peccandi, ſcientibus non eſſe accuſandos. Quapropter cautè dixit Pontifex, vir propter iuſiurandi religionem deſiſtat accuſare vxorem ad diuortium celebrandum; quaſi tacitè innuens, ad vindictam publicam, & commune bonum accuſare eam poſſe, ſi id viderit expedire. Sic Baſilius Legionenſis *lib.* 12. *de ſponſalibus*, *cap.* 8. *num.* 29.

3. Aduerto tam niſi huic communi bono, & vindictæ publicæ ſatisfieri ſufficienter poſſet denunciatione, & Iuramentum præſtitiſti de non accuſando; nequaquam accuſare poteris. Quia cum ſit Iuramentum in fauorem tertij, & ſeruari poſſit abſque interitu ſalutis æternæ, ſeruandum eſt. Sic docent Panormitanus & Gloſſ. *vbi* verbo *crimine*, & verbo *deſiſtat.* Suarez *lib.* 2. *de Iuramento*, *cap.* 18. *à num.* 15. præcipuè *n.* 22. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtitia*, *cap.* 42. *dub.* 4. *n.* 19. Et addit ſi Iuramentum de non accuſando, vel denunciando criminaliter eſſet metu extortum, probabile eſſe non valere.

4. Ex his colligere potes, nullum eſſe Iuramentum, quo volenti committere aliquod delictum, promittas loco illius ſoluturum pœnam. Quia eſt promiſſio de re turpi, & ad peccatum incitante. Colligitur ex *lege ſi à reo* §. *vltimo*, *ff. de ſolutionibus.* Idem eſt, ſi cum œconomo, & negotiorum geſtore in eas pactum, vt non teneatur de dolo, aut furto, quod in adminiſtratione commiſeris, nullum eſt tale pactum, etiam Iuramento firmatum. Quia præbet occaſionem peccandi. Secùs eſt, ſi, facto dolo, aut furto, remittas; vt expreſsè habetur, *leg. ſi vnus* §. *illud*, & §. *pactis ff. de pactis*, *lege pacta*, *qua C. de pactis*, & *leg.* 29. *tit.* 11. *partita* 5. Et notauit Baſilius Legionenſis *lib.* 12. *de matrimonio*, *cap.* 8. *n.* 28.

5. Ad hæc per contrarium ſenſum reduci poſſunt Iuramenta ab aliquibus emiſſa accuſandi, vel denunciandi aliorum crimina, quæ frequenter fiunt animo vindictæ; ac proinde non obligant, vtpote de re illicita. Imò ſi hic animus de graui vindicta eſſet; graue eſſet peccatum; non ſolum contra charitatem proximi ob malum, quod illi vis; ſed etiam contra religionem: eo quòd nomen Dei aſſumas ad te firmandum in propoſito vindictæ. Pueri autem iurantes accuſaturi alios apud Magiſtros, & parentes, regulariter in hoc Iuramento ſolum venialiter peccant. Quia eſto animo vindictæ iurent, non eſt vindicta grauis. Idem eſt dicendum de Iuramento emiſſo à parentibus, heris, dominis caſtigandi filios, ſeruos, & famulos, non eſſe obligatorium. Quia regulariter animo vindictæ emittitur. Sed quia vindicta grauis eſſe non ſolet, non excedit culpam venialem. Quod ſi animo correctionis hæc Iuramenta caſtigandi vel denunciandi emiſſa ſint, & appareat caſtigatio vel denunciatio correctioni expedire; pro qualitate conuenientiæ, ad hunc finem obtinendum, obligabit Iuramentum. Ratò tamen, vel nunquam obligatio grauis eſt; imò ſæpe eſt nulla. Quia ex denunciatione vel caſtigatione ſic promiſſa, & executioni mandata frequenter maiora incommoda naſcuntur, quam vtilitates. Adde ſi delinquens emendatus ſit, vel paratum correctioni ſe oſtendit; Iuramentum punitionis, & denunciationis ceſſat. Quia videtur factus ſub hac tacita conditione, niſi delinquens ſe correxerit. Hæc tradunt Leſſius *lib.* 2. *de iuſtitia c.* 42. *dub.* 4. *n.* 22. *circa med.* Sanch. *lib.* 3. *ſum. c.* 9. *n.* 16. & 17.

§. IV.

De Iuramento à medicis præſtito monendi infirmos, vt confiteantur.

SVMMARIVM.

1 *Quid in hac re Pontifices ſtatuerint.*
2 *Quæ infirmitas eſſe debet, vt medici teneantur monere infirmos? Quid ſentiat Nauarrus?*
3 *Quid tenendum?*
4 *Qualiter monitio ante omnia fieri debeat?*
5 *Quomodo obligentur medici non viſitare infirmum, niſi de confeſſione facta conſtet.*
6 *Quid de ſupradicto Iuramento ſentiendum ſit, ſpectata conſuetudine.*

1. EX præſcripto Pij quinti omnes medici, cum eis facultas medendi conceditur, præſtare tenentur Iuramentum,

tum, monendi infirmos, vt confiteantur. Dubium autem est; non qua ratione hoc Iuramentum sit licitum, cum apertum sit licitum, & honestum esse; sed qualiter illo obligentur.

Pro quo supponendum est, Innocentium tertium in *c. cum infirmitas, de pœnit & remiss.* districtè præcipere medicis corporum, vt cum eos ad infirmos vocare contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant; vt medicos aduocent animarum, vt postquam fuerit infirmo de spirituali salute prouisum ad corporalis medicinæ remedium salubriùs procedatur. Quod decretum innouauit, & aggregauit Pius quintus in quadam constitutione, quæ incipit. *Super gregem dominicum* edita anno domini 1566. die octaua Maij Pontificatus sui anno primo *ibi*. Namque præcipit medicis ad infirmos in lecto iacentes vocatis, vt eos ante omnia moneant de confessione facienda; neque tertio die eos visitent; quin eis constet per scriptum confessoris confessionem esse factam, & subdit Pontifex. De horum exacta obseruatione Iuramentum debere medicos præstare; cum facultas eis conceditur medendi. Violantibus verò hoc decretum, graues pœnas imponit, scilicet infamiæ & priuationis gradus doctoratus, vel licentiatus, quo insigniti fuerint; & insuper vt mulctentur pœna pecuniaria arbitrio ordinariorum, vltra pœnas assignatas in *d. cap. cum infirmitas.*

2. Præcipua difficultas huius legis est. Quæ infirmitas esse debet, ad cuius curationem medici procedere non possunt; quia infirmum moneant de confessione facienda? Plures Doctores censent solum esse infirmitatem periculum vitæ inducentem. Sic Nauarr. *c. 25. num. 61.* Graffis *1. p. decision. lib 3. cap. 14. n. 7.* Manuel. *1. tom. sum. c. 246. fine*, quod periculum solum contingit, (inquit Rosella verbo *medicus*, *num. 3.* & *ibi* Angelus *num. 9.* quando ratione eius tenetur æger præcepto diuino non confessionis. Mouentur; quia secluso hoc graui periculo etiam medici timorati non admonent infirmum de confessione facienda; sæpéque in febribus malignis vno vel alio die medicinas applicant; quin hanc monitionem præmittant. Non igitur intelligi debet de infirmitate quacumque graui, & periculosa; sed de ea, quæ proximum periculum affert.

Sed aduersus supradictam sententiam obstant verba Textus *in supradicto, cap. cum infirmitas*, ibi. Præsenti decreto statuimus, & præcipimus. Iunctis his, quæ dicit Pius quintus in sua constitutione, se nolle hoc tam salubre præceptum vlla temporis præscriptione aboleri. Quæ denotant notum præceptum ferri, medicósque obligare ad aliquid vltra obligationem, quam habent ex iure diuino, quæ nulla temporis præscriptione aboleri potest. Constátque ex ratione decidendi *cap. cum infirmitas*, quæ est; ne cum infirmi admonentur, existiment, se iam esse in periculo, & afficiantur tristitia; ac proinde faciliùs mortis periculum incurrant. Supponit ergo Pontifex debere monitionem fieri, antequam in hoc periculum deueniant. Si igitur solum obligarentur infirmos admonere; cum infirmi in periculum mortis proximum incidunt, & præcepto diuino confiteri tenentur: Sane quicunque esset admonitus, intelligeret in periculo proximo mortis esse; ac proinde in desperationem salutis incidere posset, quod Pontifex vitare intendit.

3 Propter hæc Sanchez *lib. 3. in Decalog. c. 16. n. 7.* Suarez 4 *tom. in 3. p. disp. 35. sect. 3. num. 4.* Affirmant sufficere infirmitatem, quæ ex se lectum petat; etiamsi periculum proximum mortis non immineat. Idem sentit Caietanus *sum.* verbo *medicus*, *ad finem.* Fabiena verbo *medicina quæst. 12. num. 13.* Syluester verbo *medicus*, *quæst. 3. d. 3.* Bonacina *tom. 2. disp. 4. quæst. 1. de Iuramento p. 16. num. 10. & in fine.* Et mea quidem sententia est explicatio germana Textus, & fini Pontificis conuenientissima: ac proinde retinenda. Aduerto tamen non esse opus, vt medicus per seipsum infirmum moneat: sufficienter satisfacit, si moneat per interpositam personam.

4. Secundò additur in supradictis decretis. Vt hæc monitio ante omnia fiat. Quod qua ratione intelligatur, variant Doctores. Nam Ostiensis, Ancharranus, Ioannes Andreas, & Abbas in dicto *cap. infirmitas* & Syluester verbo *medicus q. 3. d. 2.* Existimant monitionem non solum applicationi medicinarum præmittendam esse, sed etiam conuentioni de salario præstando, subdúntque Syluester & Rosella medicos omittentes monitionem priuatos esse iure exigendi salarium, possé que ab illis repeti. Quia contra legem recipiunt, & tanquam contra legem receptum pro infecto haberi debere iuxta *legem non dubium, Cod. de legibus.* Cæterum hæc sententia rigida est, nec videtur probanda. Nam de salario potest esse conuentio, antequam infirmitas nota sit, monitio autem ad confessionem necessariò debet subsequi infirmitatis notitiam. Non igitur conuentioni salarij est necessariò præmittenda monitio. Deinde probandum non est, quod tradunt Rosella, & Syluester. Nam esto obligarentur medici ante conuentionem de salario, monere infirmos, & monitionem omiserint; non obinde priuati sunt iure exigendi salarium; neque ab illis repeti potest tanquam malè acceptum. Quia petitio salarij secundum se non est illis prohibita; ad summum est prohibita petitio salarij, & conuentio ante monitionem. At sic prohibita peti, si de facto petantur, restituenda non sunt. Neque obstat *lex non dubium.* Nam intelligenda est de iis, quæ directè legi aduersantur; non de iis, quæ solum aduersantur in quadam circumstantia, vt in præsenti. Petitio namque salarij non aduersatur legi, sed petitio ante monitionem; ac proinde petitio sustinenda est; tametsi monitio præmissa non fuerit. Quapropter cum Pontifex dixit monitionem ante omnia præmittendam esse; existimo, id solum voluisse, vt ante omnem medicamentorum applicationem monitio præcedat. Sic Nau. *sum. c. 25. num. 61.* Sanch. *d. lib 3. sum. cap. 16. num. 4.*

5. Tertiò addit Pius quintus, ne elapso tertio die à monitione medici visitent ægrotum; quin eis constet per scriptum confessoris, fuisse confessum; nisi confessarius ex rationabili causa longius tempus concedendum iudicet. Quod decretum, ne videatur charitati contrarium quæ obligat etiam obstinatis fauere, cum est periculum mortis; dicendum est, Pontificem solum velle, ne medici visitent ægrotum tenuentem confiteri in pœnam suæ obstinationis, quando non est probabile periculum, vel moriendi, vel aggrauandæ infirmitatis ex desertione. Nam si hoc probabile periculum sit, credendum non est, Pontificem obligare voluisse medicos, ad sic deferendum infirmos, cum id contra charitatem esse videatur. Suar. *d. tom. 4. in 3 p. disput. 35. sect. 3. num. 5.* Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 16. num. 10.*

6. Hæc dicta sint spectato iuris rigore. At si consuetudinem spectemus; existimo in Hispania hoc decretum consuetudine derogatum esse. Videmus namque medicos timoratos visitare infirmos graui morbo affectos, quin de confessione facienda moueant, quo vsque periculum mortis vident imminere: neque exigunt testimonium in scriptis de confessione facta; neque pœnæ illo decreto latæ imponuntur. Quocirca cum Iuramentum faciunt medici de seruando decreto Pij quinti, intelligi debet, provt decretum vsu receptum est. Sic Suarez & Sanchez *supra.*

§. V.

De Iuramento decurionum, scribarum, & aliorum iudicum.

SVMMARIVM.

1 *Decuriones quod Iuramentum emittant.*
2 *An obligentur peccata publica inquirere? Aliqui affirmant, probabilius est oppositum.*
3 *Quid de obligatione seruandi secretum.*
4 *Quid de Iuramento scribarum seruandi taxam à Rege præscriptam.*
5 *Quid si taxa sit consuetudine derogata? verius est non obligari.*
6 *Iurans seruare statutum alicuius collegij religionis, &c. obligatur eo genere obligationis, quo obligant statuta.*
7 *Quid de Iuramento aliorum iudicum.*

CLarum est, omnia hæc Iuramenta licita, & obligatoria esse, & Reipublicæ conuenientia. Solum est dubium, qualiter iurantes illis teneantur.

1. Decuriones namque vulgo Regidores Iurandos Iuramentum emittunt, tum seruandi secretum earum rerum, quæ in consistorio tractantur, tum prospiciendi bono communi Reipublicæ, & munus suum fideliter obeundi.

2. Quo Iuramento facto censet Petrus Nauarra *lib. 3. de restitutione cap. 3. dub. 3. num. 20.* Manuel Rodriguez *2. tom. sum. cap. 28. num. vnico in 4. interrogat.* Supradictos decuriones obligatos esse sub mortali, inquisitionem facere de peccatis publicis, verbi gratia. An sint publici concubinarij; an sint mensæ expositæ ad ludum, mulierculæ mediatrices, maleficæ; rixæ; iurgia; odia; & alia similia; quæ rempublicam inficiunt; & facta inquisitione obligatos esse denunciare iudici, vt remedia adhibeat. Quod si in tali denunciatione, aut inquisitione notabiliter negligentes fuerint, affirmant supradicti Doctores, eos peccare mortaliter reos fore. Quia & ratione officij & Iuramenti ad hæc munera præstanda obstringuntur.

Cæterum Doctissimus Thomas Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 14. num. 16.* Affirmat se consuluisse peritissimos aduocatos Regiæ Cancellariæ Granaten. Ibique omnes vnanimi consensu respondisse, decuriones seu Rigidores ex proprio officio solum teneri prospicere bono publico, & temporali Reipublicæ, quale est, vt populus rectè prouideatur, pretia rerum venialium non sint excessiua, ne ministri publici iniuriam ciuibus faciant, néve grassentur latrones, sed viæ publicæ sint tutæ, & si fortè alicubi pestis sit, ciuitas custodiatur, &c. Non tamen teneri ex suo particulari officio, neque ex Iuramento alia peccata publica inquirere, & denunciare. Cui sententiæ ipse Sanch. libenter assentitur cum Aubedo in curia Pisana *lib. 2. cap. 3. n. 1.* Et mihi placet; tum quia præcepta non sunt multiplicanda

canda vbi clarè de illis non conſtat ; tum quia forma Iuramenti , quam præſtant ij Decuriones , nec verbum continet, ex quo appareat , obligatos eſſe , hæc peccata publica inquirere , & denunciare.

3. Quoad obligationem verò ſeruandi ſecretum, conſtat ex iis , quæ diximus præcedenti diſp. punct. 6. pro materiæ qualitate obligari. Si enim quæ in conſiſtorio tractantur , manifeſtata non præiudicant notabiliter bono communi , aut alicui tertio ; non excedet culpam venialem eorum manifeſtatio. Sanchez *dicto cap.* 14 *num.* 5.

4. Inſuper ſcribæ , Procuratores aliſque officiales Iuramentum emittunt ſeruandi taxam ſibi à Rege præſcriptam. Vulgo *el arancel* , quam multi clamant eſſe magna ex parte conſuetudine derogatam in cuius confirmationem allegant pretia rerum poſt illam taxam notabiliter excreuiſſe ; ita vt ſe ſuámque familiam ſuſtentare non poſſint, ſi taxam ſeruent. Cæterum his nunquam acquieſcere potui : plures enim ſcribas conſului , an ſufficienter ſe ſuſtentare poſſint ex officio ſeruando taxam , ſi ipſis committerentur negotia , quæ poſſent expedire , & ab illis reſponſum accepi , optimè poſſe. Quæ ergo æquitas & iuſtitia poſtulat defectum negotiorum augmento pretij ſupplere ; & velle ex vno ſolo litigante accipere , quæ à pluribus accepturus eras ? Præterea ab obſeruatione taxæ excuſari non potes niſi ob conſuetudinem contrariam. At vſquemodo nulla eſt talis conſuetudo. Nam ſi aliqui taxam excedunt , clam accipiunt ; nec Reſpublica conſentit. Quomodo ergo allegare contrariam conſuetudinem potes ? Item omnibus iis officialibus mandatum eſt , vt in fine cuiuſlibet ſcripturæ apponant ſalarium pro illa acceptum. Si ergo abundans accipientes diminutum apponunt , clarè oſtendunt exceſſum à Republica non permitti. Quo ergo titulo illum habere poſſunt ?

5. Sed gratis admiſſo taxam eſſe iniuſtam , vel conſuetudine derogatam eſſe ; eſt dubium , an ob Iuramentum de illa ſeruanda ſis obligatus illam ſeruare : ita vt periurus exiſtas , ſi taxam violes ?

Videtur affirmatiuè reſpondendum. Quia illud Iuramentum eſt de re honeſta , & licita , & cedente in vtilitatem litigantium , & bonum Reipublicæ. Nihilominus cenſeo te illo Iuramento non aſtringi ; non quia ad illud ſeruandum, te obligare non poteras ; ſed quia cenſendus es te non voluiſſe obligare. Cùm enim aliquam legem ſeruandam iuras ; iuras eam ſeruare eo modo , quo recepta eſt , & ſub ea obligatione. Quia iuramentum eſt legi acceſſorium , & illius obligatione vis , obligationem legis firmare. Si igitur lex nullam inducit obligationem ; quia eſt derogata , aut ſolum obligationem leuem , Iuramentum de illius obſeruatione eandem , vel nullam obligationem habebit. Et ita loquens de Scribis tradit Sanch. *lib. 3 ſumm. cap.* 14 *num.* 14.

6. Hinc fit iurantem ſeruare ſtatuta alicuius Collegij , Vniuerſitatis , religionis aſtringi virtute Iuramenti , eo genere obligationis , quo ſtatuta obligant. Vnde ſi ſtatuta non obligant ad culpam , ſed ad pœnam ſubeundam , vt frequenter fit in communitatibus , Iuramentum de illis ſeruandis nullam inducit obligationem. Si verò ſtatuta obligant ad culpam mortalem vel venialem pro grauitate materiæ ; Iuramentum eandem obligationem habebit. Quia cenſetur emiſſum ſub ea conditione & obligatione , quam habet ſtatutum. Sic aliis relatis docet Sanchez *lib. 3. ſummæ cap.* 14. *num.* 2. Salas *de legibus diſp.* 15. *ſectione* 11. *num.* 19. Bonacina *tom.* 2. *diſp* 4. *quæſt.* 1. *de Iuramento punct.* 16. *num.* 6. *verſ. ſeptimo , & ſequentibus.* Et conuincitur manifeſtè ex *Clementina* 1. §. *cum igitur* verſ. *d. claramus , de verborum ſignificatione.* Vbi ex voto ſeruandæ regulæ fratrum minorum non arctantur religioſi ad nouam culpam in iis , in quibus regula ad nullam culpam religioſos aſtringit.

7. Ex hac doctrina colligere potes ; qualiter alij iudices ordinarij , & delegati obligentur ſeruare ea , quæ ingreſſu ſui officij iurant ; ſpectandum námque eſt ; an ſecluſo Iuramento lege naturali vel poſitiua ea ſeruare obligentur ; & pro qualitate illius obligationis erit obligatio Iuramenti. Si autem ſecluſo Iuramento nulla aſtringuntur obligatione ; ex vi Iuramenti eam non accipiunt. Quia Iuramentum (vt ſæpe dictum eſt) eaſdem conditiones , reſtrictiones , & exceptiones habet , ac habet actus , ſuper quo interponitur , vt latè probat Gutier. *de Iuramento c.* 37. *&* 38.

§. VI.

De Iuramento facto contra prius Iuramentum, votum , ſeu promiſſionem qualiter obliget.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur qualiter ſecundum Iuramentum priori aduerſari poſſit.*

2 *Secundum Iuramentum aduerſum priori ſolum in actu iurandi , obligationem inducit , ſi ſit materia honeſta*

3 *Si ſecundum Iuramentum priori aduerſetur in materia iurata , non obligat.*

4 *Hic intelligendum eſt caſu , quo primum Iuramentum obliget eo tempore , quo ſecundum emittitur.*

5 *Non ſufficit primum Iuramentum ſucceſſu temporis obligare.*

1. DVpliciter ſecundum Iuramentum priori aduerſari poteſt. Primò aduerſari poteſt in actu iurandi. Secundò in materia iurata. Exemplis rem declarabo : iuraſti, promiſiſti, vouiſti nullum Iuramentum emittere ſuperiore inconſulto ; emiſiſti Iuramentum inconſulto ſuperiore. Hoc Iuramentum priori Iuramento aduerſatur in actu iurandi , vt de ſe conſtat ; ſed non in materia iurata. Quia materia huius ſecundi Iuramenti priori Iuramento non erat promiſſa. Secundò aduerſari poteſt ſecundum Iuramentum priori in materia iurata ; nempe ſi poſt Iuramentum factum de caſtitate ſeruanda , promiſiſti ſub Iuramento puellæ coniugium ; materia huius ſecundi Iuramenti contraria eſt priori promiſſioni.

2. Quando ergo ſecundum Iuramentum priori ſolum aduerſatur in actu iurandi , & non in materia iurata. Secundum iuramentum ſi aliàs de re licita ſit , obligationem inducit. Ratio eſt : Quia hoc iuramentum eſto illicitè fuerit emiſſum ; non tamen eſt de re illicita. Ergo obligare debet. Quia ad obligationem iuramenti non attenditur , an licitè iurueris , ſed an licitum ſit , quod iuras. Et declarari poteſt in Iuramento blaſphemo , aut ſine animo implendi , quod obligationem inducit , ſi de materia honeſta emittatur ; tametſi illicitè fuerit emiſſum. Idem eſt in Iuramento ſoluendi vſuras ob mutuum petitum abſque neceſſitate , quod Iuramentum ſeruandum eſt , quamuis fuerit illicitè emiſſum. Sic Panormitanus *in cap. cum contingat de iureiurando , numero* 6. Molina Ieſuita *tractat.* 2. *de iuſtitia , diſput.* 580. *pag.* 1846. Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 2. *de Iuramento cap.* 24. *num.* 2. *&* 3. Sanch. *lib.* 3. *ſumm. c.* 6. *num.* 12.

3. Quod ſi iuramentum ſecundum in eius materia , ſeu promiſſioni ; nequaquam poteſt obligationem inducere , vtpote de re omnino illicita. Illicitum námque eſt , violare Iuramentum , votum , ſeu validam promiſſionem. Non igitur obſtringi potes iuramento , ad hanc faciendam violationem. Quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis. Et in hoc ſenſu dicitur in *c. quanto de Iureiur.* iuramentum illicitum obligatorium non eſſe. Illicitum inquam , non ex parte cauſæ extrinſecæ vitiantis iuramentum ſed ex parte obiecti , ſeu materiæ iuratæ. Quia cadit ſupra materiam prohibitam. Exemplis doctrina illuſtratur. Si poſt votum caſtitatis promittas fœminæ matrimonium , nulla eſt promiſſio , etiamſi iuramento firmata ſit. Vt definitur *cap. rurſus , qui clerici , vel vouent.* Item promiſiſti alicui coniugium , non poteris alteri te ſub Iuramento obligare , *cap. ſicut de ſponſalibus* , & ita tenent *multis relatis* Couarr. *de pactis* 2. *p.* §. 2 *num.* 4. verſ. *caterum &* 4. *decret.* 1. *p. cap.* 51. *num* 6. Sanch. *lib.* 1. *de ſponſalibus diſp.* 50. *n.* 2. *& lib.* 3. *ſum. cap.* 9. *n.* 26. Suar. *lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 10. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 6. *num.* 1.

4. Verum vt ſecundum Iuramentum in materia iurata contrarium ſit priori iuramento , voto , ſeu promiſſioni , & obligationem non inducat ; debet primum iuramentum , votum , ſeu promiſſio obligare tempore , quo ſecundum emittitur. Aliàs ſi primum iuramentum votum ſeu promiſſio eo tempore obligatoria non ſunt , ſecundum iuramentum illis non poteſt eſſe contrarium. Quia verè non ſunt , & conſequenter obligationem habet ſi de materia licita emittatur. Vt expreſsè definitur , *cap. Tua nos el primero de iureiurando.* Vbi cum quidam monachi percipientes penſionem in beneficiis conſtrixiſſent clericos præſentatos iurare maiorem ſolito penſionem ſoluturos contra canonicas ſanctiones , & poſtea Epiſcopus illos inſtituens iurare mandauit , quod antiquam penſionem , & ſolitam non augebunt. Hoc poſtea Iuramentum , (inquit Pontifex) quia ratione & Lateranenſis concilij auctoritate iuuatur, primo præiudicat ; id eſt , contra primum iuramentum vires obtinet ; eo quòd primum non obligabat. Sic Gloſſ. *iud. cap. Tua nos* & Doctores *ſupra* relati.

5. At ſi primum iuramentum votum, ſeu promiſſio obligant eo tempore , quo ſecundum iuramentum emittitur, ſecundum iuramentum nunquam inducet obligationem ; tametſi ſucceſſu temporis primum iuramentum , votum , ſeu promiſſio deſinant obligare , eo quòd relaxentur , vel à parte remittantur. Quia non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit. Regula *non firmatur de regulis iur. in* 6. & regula. *Quod ab initio ff eodem.* Quâ ratione in *cap. quidam de conuerſio. contingat.* Dicitur virum profitentem in monaſterio inuita vxore ; etiamſi illa moriatur , non teneri redire ad monaſterium. Quia votum non fuit validum, & in *cap. placet nobis, eodem tit.*

rit. mulier professionem fecit ignorans maritum viuere, illo tamen mortuo non cogitur ad monasterium redire. Quia emissa fuit tempore inhabili, & non conualescit tempore habili, vt ex communi sententia docet Abbas *ibi num.* 4. Suarez *d. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 16. Sanch. *lib.* 11. *de sponsalib disp.* 50. *num.* 6. Quamuis Nauarrus *cap.* 12. *num. vlt.* & Couarr. 4. *Decret.* 1. *cap.* 4. §. 1. *num.* 10. contrarium videantur sentire, sed absque fundamento.

PVNCTVM VIII.

Qualiter Iuramentum de materia per legem prohibita obligatorium esse possit.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur dubitandi ratio.*
2 *Iuramentum de materia prohibita per legem naturalem, diuinam, aut canonicam obligatorium non est.*
3 *Item nec Iuramentum de materia lege ciuili prohibita ob bonum publicum.*
4 *Neque item obligat Iuramentum de materia lege ciuili prohibita bonum singulorum ciuium spectante si lex obliget ad culpam.*
5 *Vnde hoc cognoscendum sit? Proponitur sententia Bartoli, & examinatur.*
6 *Quid sentiat Sanchez.*
7 *Quid tenendum sit.*
8 *Iurans renunciare beneficium, ad cuius titulum fuit ordinatus, non obligatur, nisi habeat aliàs vnde viuat.*
9 *Quid dicendum de iuramento soluendi pœnam in sponsalibus appositam.*
10 *Quibus sponsalibus prohibita est pœna appositio.*
11 *Resoluitur quæstio.*
12 *Iuramentum, de non reuocando testamento, obligatorium est.*
13 *Non obligat iuramentum, soluendi ea, quæ ludo ad creditum sunt lucrata.*
14 *Quid de iuramento facto à prodigo, cui interdicta est bonorum administratio.*
15 *Nullum est Iuramentum alienandi bona si alienatio nulla sit.*

1. VIdetur impossibile, iuramentum de materia per legem prohibita obligare posse. Quia obligaret ad legis transgressionem, quod est turpe & inhonestum. In contrarium autem est Textus *in cap. cum contingat, de iureiurando, & cap. licet mulieres eodem tit. in* 6. *& cap.* 2. *de pactis lib.* 6. in quibus alienationes fundi dotalis aliàs prohibitæ valent iuramento appositio. Et in Authent. *Sacramentum puberum, Cod. si aduersus venditionem.* Decidit seruanda esse iuramenta minorum super contractus suarum rerum, tametsi alioquin sint prohibiti contrahere.

2. In hac re certum est, iuramentum de materia prohibita per legem naturalem, diuinam, & canonicam obligatorium esse non posse. Quia esset de re mala, vel saltem impeditiua maioris boni: quod dixerim. Quia sunt aliquæ leges canonicæ, quæ propriè vim legis non habent; sed cuiusdam directionis, & rectæ gubernationis. Hæ sunt plurimæ religionum constitutiones, quæ licet ad culpam non obligent, conducunt maximè perfectioni consequendæ; eáque de causa qui illas transgredi iuraret, iuraret à recta perfectionis via abstinere. Non igitur tale iuramentum esse potest obligatorium. Et ita vt indubitatum supponit Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *de iuram. cap.* 20. *num.* 2.

3. Deinde certum est, Iuramentum contrarium legi ciuili disponenti de materia pertinente ad bonum publicum, nullo modo obligatorium esse posse. Quia harum legum transgressio est culpa mortalis. Sed iuramentum esse non potest iniquitatis vinculum. Ergo non potest ad harum legum transgressionem obligare. Præterea iuramentum non potest obligare in præiudicium tertij. *Capite cum contingat, in fine de iureiurando, capite quamuis pactum de pactis, in* 6. At iuramentum, contrarium materiæ in commune bonum ordinatæ, vergit in præiudicium tertij, scilicet communitatis; non igitur potest obligare. Hac enim ratione Iuramentum, quo Clericus iuraret, se renunciaturum priuilegio fori vel contraeuenturum renunciationi factæ est illicitum; quia est contrarium materiæ in commune bonum ordinatæ; nempe priuilegio statui clericali concesso non iudicandi à Layca potestate. Sic tanquam certum tradunt aliis relatis Rebellus *de iustitia* 2. *part. lib.* 5. *quæst.* 7. *sect.* 3. *num.* 15. *& num. vltim.* Thuscus *tom.* 4. Verbo *iuramentum conclusio* 500. *num.* 18. Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 4. *& seqq.* Sanch. *lib.* 3. *sub cap.* 9. *num.* 34.

Hinc fit si iuramentum præstes, de extrahendis è ciuitate mercibus, armis, aliisque rebus prohibitis, de excedendo taxam rerum venalium, & similia, nullam habere obligationem. Quia rem iniquam iurasti bono communi præiudicantem. Vnde tam in Iuramento, quam illius executione peccatum committeres. Sic relati Doctores.

4. Præterea certum est, iuramentum contra legem ciuilem disponentem immediatè de bonis, & actionibus suorum ciuium obligatorium esse non posse, si illa lex ciuilis obliget ad culpam, vt verè obligare potest. Ratio est clara; quia tunc iuramentum obligaret ad peccatum, quod nullatenus fieri potest. Basilius Legionensis *lib.* 2. *de sponsalib. cap.* 8. *num.* 30. Suar. *lib.* 2. *cap.* 20. 21. *per tot.*

5. Solum est difficultas vnde cognoscitur legem ciuilem disponentem de bonis, & actionibus suorum ciuium obligare, vel non obligare ad culpam?

Plures Doctores secuti Bartolum *in lege si quis pro eo* 57. *in princip. num.* 9. *ff. de fideiussoribus*, & Authent. *Sacramenta puberum, Cod. si aduersus venditionem, num.* 15. Consentiunt legem respicientem bonum priuatum, si dirigatur in personas, obligare ad culpam; ac proinde iuramentum illi contrarium non valere; secùs si dirigatur in actum, prohibendo, ne fiat actus, vel factum irritando. Sic Cardinalis Thuscus *tom.* 4. verbo *Iuramentum conclus.* 500. *num.* 21. *&* 22. *& conclusio.* 528. *num.* 16. *&* 36. Vasquez 1. 2. *disp.* 171. *cap.* 2. *num.* 13. Basilius Legionensis *lib.* 12. *de matrimon. cap.* 8. *num.* 36. Sed hanc distinctionem communiter Doctores impugnant, vt videre est apud Gutierr. in Authent. *Sacramenta puberum, num.* 36. Eo quòd potius verbalis, quam realis esse videatur. Nam annullans contractum cum minore, sine debita solemnitate; tacitè prohibet minorem, ne absque illa solemnitate contrahat; prohibens enim effectum, prohibet & causam. Non igitur ex eo quod verba legis dirigantur in actum, vel in personam, sumi potest sufficiens signum obligationis. Basilius verò Legionensis *lib.* 12. *de sponsalib. cap.* 8. *num.* 36. Suar. *lib.* 2. *de Iuramento, cap.* 20. *num.* 10. hanc impugnationem vt insufficientem reiiciunt. Inquiunt enim, legem annullantem actum, non prohibere illum, sed ab illius prohibitione abstinere, neque attendere, an fiat actus, vel non fiat, sed dato quod fiat, illum irritum, & nullum esse decernit, atque adeo fertur in actum non quoad obligationem; sed quoad valorem.

Cæterum ego non satis percipio, quomodo lex annullare actum possit; quin prohibeat efficiendum. Quæ enim efficacior prohibitio, & interdictio actus esse potest, quam illius irritatio, & annullatio? Adde regulariter, leges annullantes actum ad personas diriguntur, vt patet in alienatione rerum immobilium facta à minore sine decreto iudicis, quæ non solum irritatur, sed ipse minor sic alienatione prohibetur, *lege siquidem, leg. non solum lege ad resoluendum, Cod. de prædiis minorum.* Ergo illa distinctio Bartoli non est sufficiens.

6. Sanch. verò *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 9. *num.* 35. Reprobata supradicta Bartoli distinctione hanc regulam statuit, quoties lex ciuilis ordinatur immediatè in bonum priuatorum, & ipsorum fauorem, non obligat ad culpam, ac proinde Iuramentum de re illa prohibita homini factum & in eius cedens vtilitatem, obligationem inducit. Probat: quia hæc lex, cum sit in fauorem priuati, non cogit illum, ne possit fauori facto per legem renunciare; ac proinde non tam est lex, quam permissio & priuilegium.

Sed neque ex hac regula adhuc quiescit animus. Vnde enim constat, legem disponentem de bonis priuatorum in fauorem boni communis immediatè non esse? Nam esto Reipublicæ parum interfit, quod bona sint apud vnum, vel alium ciuem; eáque de causa prohibendo mulieribus alienationes fundi dotalis, & minoribus contractus absque debitis solemnitatibus, videantur bonum priuatorum respicere, & in fauorem ipsorum disponere. At negari non potest, Reipublicæ maximè interesse, ne mulieres indotatæ existant; & ne minores in contractibus defraudati depauperentur. Ergo lex de his disponens censenda est potius in fauorem Reipublic. quam cuiuscumque particularis disponere. Et confirmari potest argumento desumpto ex renunciatione patrimonij ad cuius titulum clericus sacris initiatus est, quod prohibetur renunciare nisi habeat aliunde ex quo se sustentare possit. Quia licet hæc lex disponat de bono particulari ipsius clerici, & in ipsius fauorem, quia tamen præcipuè lata est in fauorem status Eccl. fiastici, ne clerici depauperati emendicare cogantur, & viles fiant; ea de causa Iuramentum contraueniendi tali legi nullum erit; & in legibus ciuilibus philosophari potest. Adde si leges disponentes de his bonis priuatorum vim legis non haberent: sed priuilegij in ipsorum fauorem concessi; quæ causa est; quare secluso Iuramento non possint illis renunciare? certè nulla allegari potest.

7. Qua

7. Quaproptet existimo nullum iuramentum validum, & obligatorium esse cuilibet legi aduersum. Nam eo ipso quod aduersatur publico præcepto, vt saltem publicæ ordinationi, & superioris iuri. Sed ius publicum non potest priuatorum pactis derogare, *leg. ius publicum, ff. de pactis.* Ergo Iuramentum aduersum legi obligatorium esse non potest. Quocirca spectandum est, an materia Iuramenti quatenus talis est, sic prohibita per legem; vt inde colligatur obligatio, vel non obligatio Iuramenti. Ex defectu enim huius considerationis plures Doctores confunduntur. Exemplis rem manifesto: in lege prohibente mulieribus alienationem fundi dotalis, minoribus contractus sine auctoritate Prætoris; ludentibus pecunia credita quaslibet de solutione promissiones, & obligationes facere; morientibus testamentum condere sine solemnitate; & similia. At enim leges non prohibent perseuerantiam negatiuam in actu semel facto; neque illius præcipiunt rescissionem, sed prohibent, ne fundum dotalem sine debita solemnitate alienent; néve minores contra dispositionem iuris contrahant; néve ludentes de soluenda pecunia promissiones, & obligationes faciant, néve testamentum in ratione testamenti, sine requisitis intentent, & hæc prohibent non sub graui culpa, sed sub quadam recta, & politica gubernatione; non autem præcipiunt mulieribus fundi dotalis alienati receptionem; nec minoribus contractuum rescissionem, nec ludentibus credito, & pecuniam soluentibus, repetitionem, nec condentibus testamentum inualidum, aliud de nouo condere. Mulieres ergo iurantes, quod alienabunt sine solemnitate fundum dotalem, & minores iurantes celebraturi contractus contra iuris ordinem, & ludentes iurantes facturi promissionem de pecunia soluenda, & morientes condituri testamentum contra iuris dispositionem, nequaquam ex vi Iuramenti videntur obligari ob rationem dictam. Quia esset obligatio ad contradicendum legi, & in legis derogationem. Et saltem esset obligatio ad faciendum actum lege reprobatum, & nullum, & consequenter de re vana, & inutili. Quomodo ergo obligatio esse potest? Adde leges præscribentes formam & solemnitatem seruandam in contractibus minorum, in alienatione fundi dotalis, in condendis testamentis, in renunciatione nouitij bonum publicum spectare. Ergo Iuramentum non seruandi hanc formam, iuri publico derogat. Ergo est illicitum. Secùs verò si mulieres iurarent stare alienationi factæ; & minores non reuocare contractus; & ludentes pecunia credita solutam non repetere, condentes testamentum inualidum, non reuocare. Quia hæc à lege non videntur prohiberi, sed permitti: ac proinde iuramentum tenet. Sed qua ratione hoc possit contingere, cum videamus tali Iuramento, actum nullum, & à lege reprobatum approbare, sequenti puncto dicemus.

8. Ex hac doctrina infertur primò: Iuramentum renunciandi beneficium, vel patrimonium, ad cuius titulum fuisti ordinatus, vel non reuocandi procuratorem ad hanc resignationem designatum, obligare non posse, si sit Iuramentum de resignatione facienda sine licentia Episcopi, dum non habes aliundè, ex quo te sustentare possis. Quia esset de re prohibita per Concilium *sessione 21. cap. 12. de reformatione.* Ac proinde de re illicita. Sic tenet & decisum referunt Flaminius de resignat *lib. 2. quæst. 6. num. 43.* Nicolaus Gotr. *2. p. de benefic. cap. 5. num. 232.* Azor. *2. p. lib. 7. cap. 25. quæst. 6.* Aloysius Riccius *praxi fori Ecclesiastici resolut. 272. num. 2.* Augustinus Barbosa *allegat. 19. num. 16.* Neque obstat sacram Congregationem declarasse, sit iurantem esse absoluendum. Quia intelligendum non est de propria absolutione, sed de absolutionis declaratione, vel de absolutione à peccato commisso in tali Iuramento præstando.

9. Secundò infertur decisio illius grauissimæ quæstionis: an Iuramentum soluendi pœnam in sponsalibus appositam recedenti à contractu, sit obligatorium, & seruandum? Et rationem difficultatis fecit Textus *in cap. gemma de sponsalib.* Vbi puella nondum septenna contraxit sponsalia cum Petro, quorum parentes stipulati fuerant de pœna soluenda ab eo, qui recesserit; recessit puella contrahens cum alio matrimonium. Parentes Petri nitebantur à Gemma matre puellæ pœnam extorquere, ipsa verò conquesta est Domino Papæ, qui in hæc verba respondit. Cum itaque matrimonia libera esse debeant, & ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda; mandamus quatenus si est ità, eundem B. vt ab extorsione prædictæ pœnæ desistat Ecclesiastica censura compellas. Posito autem stipulationem pœnæ prohibitam esse adiici sponsalibus ob matrimonij libertatem, videtur inferri, Iuramentum de soluenda tali pœna irritum esse. Quia est Iuramentum de re iniqua libertati matrimonij contraria. Et ita tenet pluribus relatis Thomas Sanchez *lib. 1. de sponsal. disp. 32. num. 21.* Ioan. Gutier. *de matrim. c. 17. n. 19.* Seraph. *de priuilegiis Iuramenti priuileg. 61. n. 13.*

10. Pro decisione supponendum est; quibus sponsalibus prohibita est pœnæ appositio, & pro quorum recessu. Nam aliqui dicunt quibus absentire videtur Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 2. de Iuram. cap. 23. num. 5.* Hoc esse intelligendum de pœna appositа sponsalibus inualidis, qualia erant illa quorum mentio fit *in d. cap. gemma.* Sed non placet, quia ratio decidendi, quæ est libertas matrimonij omnibus sponsalibus communis est. Aliàs Pontifex non ob libertatem matrimonij, sed ob nullitatem sponsalium improbaret pœnam appositam. Nam vt bene dicit Gloss. ibi, sponsalibus non subsistentibus nec pœna illis accessoria subsistere poterat. Non ergo de appositione pœnæ sponsalibus tantum inualidis prohibitio intelligitur. Sed de quo recessu pœna improbanda intelligenda est? Credo probabilius de solo recessu iusto. Nam iustè à fide data recedens non debebat cogi neque vlla pœna, neque vlla censura; cum matrimonia libera esse debeant. At iniustè recedens meritò cogi potest appositione pœnæ ad contractus executionem. Neque in hac coactione vlla ei irrogatur iniuria; neque libertas matrimonij læditur, sicut non læditur ex amissione arrharum in duplici, vel quadruplici quantitate, quando ita conuentum est. Et ita tenet Suar; *loco allegato.* Ægyd. *de matrim. disp. 22. dub. 5. conclusio 2.* Basilius Legionensis *lib. 12. de sponsal. cap. 19. num. 7. & 8.*

11. Posito autem adiectionem pœnæ solum improbati pro recessu iusto; admitti, seu permitti apponi iniustè resilienti, dicendum est, Iuramentum de soluenda pœna, obligatorium esse iniustè resilienti, quia non est de materia prohibita. Sic Suar. & Basilius *suprà.* At iustè resilienti obligatorium non esse. Quia est de re, ob bonum publicum, nempè libertatem matrimonij conseruandam prohibita. Dices stipulationem pœnæ prohiberi; sed non prohiberi solutionem pœnæ stipulatæ. Respondeo à fortiori prohiberi solutionem, quia ratione illius stipulatio irrita est. Sic Sanch, Gutier. Seraphin. Basilius & alij plures apud ipsos.

12. Tertiò infero qualiter Iuramentum, de non reuocando testamento obligatorium esse possit? Et idem est de Iuramento instituendi hunc hæredem.

Aliquibus placet, nullius obligationis esse. Quia impedit libertatem testandi, quam iura concedunt. Sic Anton. Gomez *lib. 3. Tauri num. 75.* secutus Bartolum *in leg. si quis, in princip. testamenti, ff. de legatis 3.* & alij plures relati à Couar. *de testamentis 2. p. num. 15.* Probabiliùs tamen est tale Iuramentum obligare. Quia aduersus nullam legem procedit. Leges enim reuocationem testamenti permittunt, non præcipiunt. Ergo iurans non reuocare, legibus non contradicit. Neque obstat impediri libertatem testandi, quia hæc impeditur ex proprio consensu, & ob reuerentiam diuini nominis, Et ita tenet plures referens Couarr. *loco allegato.* Vasquez *de testamentis, cap. 2. dub. 3. n. 15. & 16.* Basilius Legionensis *lib. 12. de matrim. cap. 8. num. 42.* Ioan. Gutierr. *2. part. de Iuram. cap. 1. num. 5.*

13. Quartò infero quid sit dicendum de Iuramento soluendi ea, quæ ludo pecuniæ credita fuerint lucrata? Videris obligatus esse, quia solutio pecuniæ fieri potest absque dispendio salutis æternæ. Ergo Iuramentum de illa fecienda est obligatorium. Sic tanquam certum tradit Sanch. *lib. 1. de sponsalib. disp 32. num. 23.* Gutierrez *de Iuramento cap. 53. num. 6.* At verius existimo tale Iuramentum per se inualidum esse. Sic docet Vasq. *opuscul. de testam. cap. 3. dub. 2. num. 4.* Ratio ea est, quia cadit supra materiam inutilem, & vanam & à lege reprobatam. Ponimus namque promissionem, soluendi lucratum pecunia credita, nullam esse, & à lege reprobatam. Vt constat ex *leg. 8. tit. 7. lib. 8. nouæ recopilationibus*, & consequenter solutionem pecuniæ virtute illius nullam esse, nullúmque ius transferre in recipientem. Sed hoc posito Iuramentum de solutione facienda non est de re honesta, sed de re vana, & inutili. Quia talis solutio non est actus iustitiæ; cum non sit debita, eo quòd contractus fuerit nullus; neque est fidelitatis ob eandem rationem: quia non debetur, neque charitatis propriæ; cum non redimat vexationem, neque religionis, cum non pertineat ad specialem cultum Dei secluso Iuramento, quod necessarium erat, vt Iuramentum obligaret, quia Iuramentum non honestat materiem, sed illam honestam præsupponit. Et hinc est maxima differentia inter hoc Iuramentum, & Iuramentum soluendi vsuras: Quia Iuramentum soluendi vsuras, per se fertur supra materiam honestam; nempè charitatis propriæ, cum promittantur in redemptionem vexationis propriæ. Secùs est in promissione lucri pecunia credita. Vbi nulla redemptio vexationis interuenit. Ad rationem contrarium nego, solutionem pecuniæ fieri posse absque dispendio salutis æternæ, si fiat virtute promissionis factæ. Secùs verò si fiat ob alium honestum finem nempe tuendi proprium honorem. Quia nisi soluat, infamatur. Tunc enim Iuramentum, de solutione facienda ob illum finem, est Iuramentum de re licita, & honesta ad charitatem pertinente; ac proinde seruandum, esto contractus nullus sit. Sic docuit Vasq. *sup. n. 44.*

14. Quintò infero, quid sit dicendum de Iuramento facto à prodigo, cui interdicta est bonorum administratio? Ex omnibus variis sententiis, quas expendit Couarruu. *in cap.*

quamuis

quamuis pactum de pactis, 2 *p.* §. 3. *num. vltimo.* Dicendum est, si Iuramentum fiat, de alienatione facienda, nullum est, vtpote de materia per legem prohibita. Si verò Iuramentum fiat, de non contraueniendo tali alienationi factæ distinguendū est. Si ita prohibeatur alienatio, vt simul annulletur, credo probabiliùs, Iuramentum non contraueniendi tali alienationi, nullius obligationis esse. Quia est Iuramentum de re à lege prohibita, & illicita, nempè de perseuerantia in prodigalitate facta. Item quia lex irritans & annullans actum, tacitè annullat illius reuocationem, & consequenter pactum de non reuocando. Argumento *legis* 28. *de pactis.* Aliàs frustranea esset lex quæ prohiberet, & annullaret actum nisi simul prohiberet, & annullaret illius reuocationem. Ergo Iuramentum de non contraueniendo tali alienationi est Iuramentum de re à lege reprobata. Non enim separari potest huius Iuramenti obligatio ab obligatione contractus, quæ nulla est. Ergo est nullum tale Iuramentum. At si alienatio fieri prohibeatur, facta tamen non annulletur, validum erit Iuramentum, de illa non reuocando. Quia cedit in bonum, & charitatem proximi, cui iam acquisita, & ritè possessa relinquis.

15. Sextò infero; quid sit dicendum, de Iuramento alienandi bona omnia eo casu, quo hæc alienatio nulla sit? Et respondeo esse nullum Iuramentum tuum si fiat in confirmationem promissionis alienandi. Quia esset de re vana, & inutili. Tum si fiat in confirmationem alienationis factæ. Quia confirmat rem inutilem, sic pluribus relatis Gutierrez de Iuramento confirmatorio, *cap.* 11. *à n.* 11.

PVNCTVM IX.

An Iuramentum habeat vim confirmandi contractus alioquin inualidos?

VT plenius materia Iuramenti & illius obligatio intelligatur, examinandum est, qualiter Iuramentum appositum contractibus alioquin inualidis, illos firmare possit?

§. I.

Quid sit Iuramentum firmare contractus.

SVMMARIVM.

1 *Duplex obligatio in Iuramento promissorio homini facto reperitur.*

2 *Qualiter Iuramentum vim habeat firmandi promissionem aliàs inualidam?*

3 *Mulier interest, an ex Iuramento firmetur contractus, vel non?*

4 *Obligatio Iuramenti confirmatorij non potest regulariter relaxari, secùs Iuramenti non confirmatorij.*

5 *Si iurans non petit relaxationem in Iuramento non confirmatorio, satisfacit momentanea solutione.*

6 *Obligatio Iuramenti confirmatorij transit ad haredes; secùs non confirmatorij.*

1. DVplex in Iuramento promissorio in fauorem hominis facto obligatio reperiri potest; alia respectu Dei ex ratione Iuramenti, alia hominis ex virtute promissionis. Quando ergo ex promissione iurata nulla contrahitur obligatio respectu hominis, cui fit promissio, sed solum respectu Dei, tunc Iuramentum non firmat contractum, sed vocatur per se stans, seu inductiuum obligationis. Quia solum eam obligationem inducit, quam secum trahit, neque vlterius progreditur ad firmandum promissionem, sed ita inualidam finit, ac si non esset appositum Iuramentum, vt in promittente sub Iuramento vsuras est manifestum. Non enim vsurarius ex tali promissione iurata ius acquirit vt sibi vsuræ soluantur, neque promittens tenetur vsurario, sed domino reddere Iuramenta. Quia domino tantum est ius acquisitum. Vt habetur *cap. Debitores, de iureiurando.* Quod si ex promissione alioquin infirma, eo quòd Iuramento confirmetur, ius acquirat promissarius aduersus promittentem taliter, quod ipse promittens non solum ratione religionis, sed etiam iustitiæ aut fidelitatis teneatur stare contractui, tunc Iuramentum dicitur esse confirmatorium. Quia promissionem alioquin infirmam firmat, & roborat. Ita explicant omnes Doctores cum Abbate *in cap.* 1. *& c. cum contingat, de iureiurando*, & videre est apud Couarr. *de pact.* 2. *p.* §. 1. *per tot.* Antonius Gomez, 2. *tom. variar. cap.* 14. *num.* 21. Gutierr. *in Authent. Sacramenta puberum, à num.* 14. Suarez *de Iuram. cap.* 25. *num.* 2. Sanch. *lib.* 1. *de sponsalib. disp.* 32. *à num* 1.

2. Quod si petas, qualiter Iuramentum hanc vim habere possit, firmandi promissionem aliàs inualidam Respondeo, ex sua natura non habere, quia ex sua natura solum habet obligare iurantem Deo, cuius nomen ad roborandum promissionem assumptum est alia autem obligatio parti, quæ ex promissione roborata nascitur, iure positiuo & nouo introducta est. Quia ius ipsum in honorem Iuramenti roborat promissionem, quæ alioquin nullum robur habebat. Vt tradunt Bald. *Auth. Sacramenta puberum, num.* 4. *Cod. si aduersus venditionem*, & *ibi* Paul. *in repetitione num.* 17. *& leg. si quis pro eo, in princ. n.* 4. *ff. de fideiussoribus.* Sanch. *lib.* 3. *Summæ cap.* 12. *num.* 3. Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *de Iuram. c.* 28. *num.* 3. Gutierr. *in Authent. Sacramenta puberum, num.* 14. Dicitur autem ex Iuramento hanc confirmationem & robur prouenire. Quia posito Iuramento ius ipsum in illius reuerentiam hanc promissioni firmitatem concedit.

3. Hinc fit, multum interesse, an ex Iuramento confirmetur contractus vel non. Vt bene multis relatis tradiderunt Couarruu. *de pact.* 2. *p.* §. 1. *num.* 7. Sanch. *lib.* 1. *de sponsalib. disp.* 32. *num.* 3. Vasq. *de testamentis, cap.* 3. *dub.* 2. *in princ.* Nam ex Iuramento confirmatorio contractus nascitur in promissario actio aduersus promittentem; vt eum possit in iudicio compellere, seruare promissum; eo quòd si ei ius per talem promissionem acquisitum. Secùs verò ex Iuramento non confirmatorio, cum enim ex illo nullum ius, creditori fuerit acquisitum, nullam actionem ex illo habere potest. Actio quippe in iure fundatur. Vt constat §. 1. *institut. de actionibus.* Sic Couar. *de pactis*, 2. *part.* §. 3. *num.* 2. vers. *Primum ex hoc.* Less. *lib.* 2. *de iustitia, cap.* 17. *dub.* 6. *num.* 51. Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *de Iuram. c.* 25. *n.* 7. Sanch. *lib.* 3. *c.* 11. *n.* 8. *& c.* 12. *n.* 66. & alij apud ipsos.

4. Deinde obligatio Iuramenti confirmatorij non potest regulariter ab alio, quam à creditore relaxari; eo quod talis relaxatio cederet in damnum creditoris, cui est ius, ex tali contractu iurato acquisitum. Quapropter decidit *in Authent. Sacramenta puberum, Cod. si aduersus venditionem*, vt hæc Iuramenta inuiolabiliter custodiantur. Et *in cap.* 2. *de iureiurando, in* 6. *& cap. quamuis pactum, de pactis, in* 6. *& omnino seruentur.* Quod verbum *omnino* denotat, sine vllo remedio dispensationis, aut relaxationis. Vt multis relatis docet Tiraquellus *in si vnquam Cod. de reuocandis donat.* verbo *Reuertatur, num.* 78. *& 79. & num.* 81. Matienzo *lib.* 5. *recopil. in Rubrica* Gloss. 1. *num.* 39. Couarr. *de pactis*, 2. *p.* §. 3. *n.* 2. *vers. Secundo infertur.* Sanch. *lib.* 1. *de sponsalibus, disp.* 32. *num.* 6. *& lib.* 3. *in Decalog. cap.* 12. *num.* 63. Quod si aliquando in iis contractibus Iuramento confirmatis datur Iuramenti relaxatio, ad effectum agendi, hoc est, vt iurans possit agere in iudicio ad contractus rescissionem, non obstante Iuramento; id prouenit; quia dubium est, an obliget contractus, & firmitatem obtinuerit ob enormem læsionem. At ex hac relaxatione contractus non rescinditur, quia non est Iuramenti absoluta relaxatio; sed solum ad illum effectum. Et præterea, quia confirmatio contractus originem habuit ex iuramento. Sed non ex illo pendet in conseruari regulam, *factum legitimè de Regul. iuris in* 6. Factum legitimè retractari non debet etiamsi postea veniat casus, à quo non possit inchoari, sic Sanchez aliis relatis *dicto cap.* 12. *num.* 59. Gutierrez *in Authent. Sacramenta puberum, num.* 26. Gregorius Lopez *leg.* 6. *tit.* 19. *partita* 6. verbo *Debe ser guardada la lura.* Vnde si allegata falso causa impetres relaxationem Iuramenti, vel absolute, vel solum ad effectum agendi; relaxatio nulla est; teneriſque omne damnum, & expensas litis creditori restituere. Vt docet optimè Molin. *tom.* 1. *de iustitia, disp.* 150. *num. vlt.* & Sanch. *lib.* 3. *sum. cap.* 12. *num.* 60.

Econtra verò quando Iuramentum non firmat contractum, licitum est, petere relaxationem Iuramenti, & facillimo negotio debet à Prælato concedi. Cum enim nullum ius sit ex tali Iuramento parti acquisitum, sed soli Deo. Prælatúsque vices illius gerat, poterit Iuramentum illud relaxare, vtpote quod non in honorem Dei, sed in promissarij vtilitatem, cui nullum ius acquisitum fuit, præstitum fuerit. Quæ ratio mihi videtur sufficiens, vt prælatus hanc relaxationem concedat, non solum in Iuramentis, in quibus turpitudo reperitur ex parte recipientis, quale est Iuramentum de vsuris soluendis; sed etiam in illis in quibus nulla est turpitudo in recipiente; vt in promissione iurata soluendi amissa ludo pecunia credita, defendit multorum sententia, nullam in recipiente esse turpitudinem; sed posse licitè pecuniam accipere, & retinere, quousque per sententiam ad reddendam condemnetur. Nam cum ex tali Iuramento (vt modo supponimus) nullum ius creditori sit acquisitum, sed solum sit obligatio respectu Dei; potest Prælatus, qui vices illius gerit, hanc obligationem remittere; ne homines de bonis suis prodigè, & vltra vsus necessarios, & conuenientes disponant. Quæ enim fuit causa, irritandi, & annullandi talem contractum, & concedendi repetitionem; eadem esse potest sufficiens ad iustificandam relaxationem; vt multis allegatis tradit Gutierr. *de Iuram.* 1. *p. cap.* 53. *num.* 8. Sanch. *lib.* 1. *de sponsalib. disp.* 31. *num.* 2. *& lib.* 3. *sum. c.* 12. *num.* 17. *post med. & num.* 65.

5. Verum

5. Verum si iurans relaxationem petere noluerit, satisfaciet momentanea solutione ; poteritque statim repetere ; cum ius tertio non fuerit acquisitum ; & solum fuerit solutio facta ob honorem Iurament. Iuxta *cap. ad audientiam de iis quæ vi.* Et tradit *ibi* Abbas *in princip. num.* 1. Gloss. Antonius Ioannes Andreas & Ancharranus. Gutierr. *de Iurament. 1. p. cap.* 53. *num.* 8. Couarr. *de pact. 2. part. §. 3. num.* 2. Si verò fuerit etiam Iuramentum factum, de non repetendo vti debet remedio relaxationis, vt repetere possit. Ita Couar. & Gutierr. *suprà*, & Sanch. *lib. 3. de sponsalibus, disput.* 32. *num.* 7.

6. Præterea Iuramenti confirmatorij obligatio transit ad hæredes iurantis non in vi Iuramenti, sed in vi contractus, & obligationis iustitiæ. Secùs est de obligatione Iuramenti non confirmatorij. Huius enim obligatio cum iurante extinguitur; ac proinde ad hæredes non transit. Sic Gab. Vasquez *opuscul. de testamentis, cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 17. Basilius Legionensis *lib.* 12. *de sponsalib. cap.* 8. *num.* 3. Et constabit ex iis, quæ infra dicemus ; obligationem nempè Iuramenti personalem esse, non realem.

§. II.

Quare debeat esse Iuramentum confirmatorium contractus.

SVMMARIVM.

1 *Necessariò debet esse Iuramentum de opere futuro faciendo, vel omittendo.*
2 *Excipiunt aliqui Iuramentum minoris, quo se maiorem esse testetur.*
3 *Iuramentum de futuro confirmans contractum, debet esse de non contraueniendo contractui.*

1. IVramentum confirmans contractum, necessariò esse debet de aliquo opere futuro faciendo, vel omittendo ; neque sufficit assertorium de præsenti, quod solum celebrationem contractus testatur. Colligitur ex Authent. *Sacramenta puberum, Cod. si aduersus venditionem*, ibi super contractibus non contractandis. Ex *cap. cum contingat, de iureiurando.* Ibi ; ne vlterius contraueniant. At non retractare contractum vel illi non contrauenire, opus est futurum. Ergo Iuramentum confirmatorium contractus, semper est de opere futuro. Sic omnes Doctores. Vide Gutierr. in Authent. *Sacramenta puberum, num.* 133.

2. Ab hac regula excipiunt aliqui Doctores, quos refert Riminaldus *instit. Quibus alienare licet*, §. 2. *num.* 28. & Seraphin. *de priuilegiis Iuramenti, priuilegio* 83. *num.* 4. Iuramentum, quo minor, qui in aspectu maior apparet, iurasset se maiorem esse, cum non sit. Nam ratione huius doloſi Iuramenti dicunt, contractum esse firmatum, quando solum deficit contractus ratione minoris ætatis. Quia ius in pœnam doli commissi supplet ætatem. *Textus est in lege* 2. *&* 3. *Cod. si minor, se maiorem dixerit, & habetur leg.* 6. *in princ. titul. final. partita* 6. Et subditur ibi ratio, quia iura deceptis, & non deceptoribus subuenire debent.

Cæterum hæc decisio non tam est contractus confirmatio ; quam denegatio beneficij restitutionis, quo minor gaudere potest. Adde hanc contractus firmitatem non ex Iuramento, quod dolosum fuit ; sed potiùs in pœnam illius à iure ipso concedi. Sit ergo certum Iuramentum confirmans contractum, esse de re futura.

3. Sed quale debeat esse hoc Iuramentum de futuro ? Non est constans apud omnes. Eorum placitis omissis ; respondeo, debere esse Iuramentum non contraueniendi contractui, non retractandi illum. Colligitur ex supradictis decretis in quibus apponitur hæc forma pro contractibus confirmandis. Sic Bartol. Authent. *Sacramenta puberum, num.* 24. & *ibi* Iason. *num.* 28. Suarez *tom.* 2. *de Religione, lib.* 2. *de Iuramento, cap.* 29. *num.* 3. *&* 4. Lessius *lib.* 2. *de iustitia, cap.* 17. *dub.* 7. *num.* 56. Sanch. *lib.* 3. *Summ. cap.* 12. *num.* 20. An verò supradictum Iuramentum sufficiat, difficultate non caret. Nam si iures vsuras soluturum ; easque solutas non repetere ; contractum non firmas, sed potes obtenta Iuramenti relaxatione repetere, è contra si promittas sub iuramento, aliquem in hæredem instituere, esto non promittas non contrauenire, tenet Iuramentum, & contractum firmas eo modo, quo confirmaretur, si eo hærede instituto iudicasses, non reuocare. Ergo Iuramentum, non reuocandi contractum, nec sufficit ad illius firmitatem, nec necessarium est.

Facilius est huius difficultatis solutio. Dicendum ergo est, Iuramentum non reuocandi contractum, & necessarium esse, & sufficere, quoties ex parte creditoris non datur turpitudo, vt datur in contractu vsurario. Quantumuis enim soluens vsuras, iuret non repetere, recipiens eas retinere non potest, ac proinde Iuramento non repetendi, talis solutio non confirmatur. Neque obstat iuramentum instituendi hunc hæredem, (casu, quo obligatorium sit) firmare contractum. Quia illud iuramentum virtualiter & implicitè est iuramentum non reuocandi institutionem. Quia fieri non potest hæredis institutio, & illius reuocatio, institutio namque hæredis non sortitur effectum, quousque testator moriatur, & consequenter quousque testatori non est potestas reuocandi. Ergo iurans instituere aliquem in hæredem tacitè, & in virtute iurat, institutum non reuocare. Ergo Iuramentum firmans contractum est Iuramentum non contraueniendi illi.

§. III.

Quos contractus irritos confirmare Iuramentum possit.

SVMMARIVM.

1 *Prima sententia negat, contractum iure inualidum Iuramento firmari.*
2 *Secunda affirmat, quemlibet contractum inualidum ob priuatam vtilitatem, Iuramento firmari, nisi in creditore adsit turpitudo.*
3 *Tertia sententia distinguit de contractibus inualidis naturaliter, vel ciuiliter.*
4 *Quid tenendum sit ?*
5 *Quid ex supradicta doctrina inferatur.*

IN varias sententias Doctores diuisi sunt, vt videre est apud Sanchez *lib.* 3. *sum. cap.* 12. *à num.* 8. tres sunt præcipuæ duæ extremæ, & vna media.

1. Prima extrema sententia est, nullum contractum iure inualidum confirmari iuramento. Sic plures quos refert Sanch. *num.* 8. & sequitur Basilius Legionensis *lib.* 12. *de sponsalibus, cap.* 8. *num.* 43. Ratio est, quia neque eam vim habet Iuramentum ex iure naturali, nec ex ciuili, regio, aut Pontificio. Ergo confirmare contractum iure inualidum non potest. Antecedens probo, & quidem ex iure naturali hanc vim non habere iuramentum, manifestum est, vt iam diximus, quia iuramentum solum petit, vt iurans verum efficiat, quod iurat, quod præstare optimè potest tametsi contractus inualidus persistat. Aliàs si ex sua natura haberet, firmitatem contractibus tribuere ; eam concederet contractibus per iniuriam extortis. Ex iure item ciuili nullibi inuenitur, iuramentum hanc vim habere, imò contrarium non leuiter colligitur *ex lege non dubium, Cod. de legibus.* Vbi Imperator non solum prohibet apponere iuramentum contractibus lege probatis, sed illud irritat, & annullat. Inquit enim Imperator nullum pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres, quam nouellas trahi generaliter imperamus, vt legislatori quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat, cætera quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere, hoc est, vt ea quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum : neque specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est, sed etsi quod fuerit subsecutum ex eo, vel ob id, quod, interdicente lege factum est, illud quoque cassum atque inutile esse præcipimus. Secundum itaque prædictam regulam, qua vbicunque non seruari factum lege prohibente censuimus, certum est, neque stipulationem huiusmodi tenere, nec mandatum vllius esse momenti, neque Sacramentum admitti. Quid clarius dici potuit, ad probandum Sacramentum non admitti ad contractus reprobatos firmandos ? Ad idem Textus *in lege iuris gentium, ff. de pactis iuxta lectionem Gothofredi, & Duareni*, quoties pactum à communi remotum est (hoc est reprobatum) seruari hoc non oportet nec ligare, nec iusiurandum de hoc adiectum, ne quis agat, seruandum. *Et in lege si quis inquilinus, §. fin. ff. de pactis*, ibi, Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, iusiurandum contra vim legum, & auctoritatem iuris in testamento scriptum nullius esse momenti. Neque aduersus has leges obstat Textus in Authent. *Sacramenta puberum, Cod. si aduersus venditionem.* Vbi inquit textus Sacramenta puberum sponte facta, super contractibus rerum non retractandis, inuiolabiliter custodiantur. Quia hæc lex non loquitur de contractibus minorum nullis, sed de validis, & qui ratione minoris ætatis retractari poterant : his inquam contractibus accedente Iuramento negatur retractatio. Et quod supradicta lex tantum loquatur de his contractibus validis, colligitur, tum ex illis verbis, non retractandis. Nam quod nullum est retractari non potest. Non enim indiget retractatione, sed nullitatis declaratione,

leg.

leg. nam etsi sub conditione ff. de iniust. rupt. Tum quia hac via non contradicit hæc lex legibus supradictis. Et ita tenet Donelus *lib.* 21. *cap.* 13. Basilius Legion. lib. 12. de sponsalibus *cap.* 8. *num* 55. Burgos Depaz *lege* 1. Tauri *num.* 288. Matien. 3. *lib.* 5 *compilat. tit.* 4. *lege* 2 Gloss. 9. *num.* 10. & alij plures apud ipsos. Ex iure autem nostri Regni non colligitur, Iuramentum contractus alioquin inualidis firmitatem tribuere; solum enim dicitur in *leg.* 6. *tit.* 19. *partita* 6. *& aliis legibus. Que debe ser guardada la jura.* Quod absque firmitate contractus fieri potest. Deinde ex iure Pontificio non satis hæc firmitas colligitur. Nam esto ius Pontificium diuersimode loquatur de Iuramento per iniuriam extorto, ac de Iuramento absque vi, & fraude præstito. Vt iuramentum per vim dicat esse obseruandum, & iuramento sine vi, & dolo addat particulam omnino, & inuiolabilibiter. Inde non constat Pontificem firmasse contractus alioquin inualidos, sed voluisse his iuramentis negare relaxationem, quam aliis iuramentis ob iniuriam & iniustitiam concedebat. Adde Pontificem non potuisse contractus inualidos validos reddere ob iuramentum appositum. Quia materia illorum contractuum Pontifici non subditur, vt iuramentum præcedit. At hoc necessarium erat, vt posito Iuramento haberent contractus firmitatem. Aliàs iuramentum caderet super contractum nullum, & reprobatum, & consequenter non esset iuramentum honestum, ac proinde neque obligatorium, neque confirmatorium.

2. Secunda sententia extrema sed communis affirmat iuramentum firmare contractus iure inualidos ob vtilitatem priuatam, dummodo non sit in creditore turpitudo. Sic Sanch. lib. 3. in Decal. *cap.* 12. *num.* 11. Fachineus in suis controuers. *lib.* 3. *cap.* 11. Gutierr. de Iuramento 1. *p. cap.* 40. *num.* 3. & Authent. *Sacramenta puberum, à num.* 10. & *sequentibus*, & innumeri apud ipsos. Ratio ea est; quia si contractus alioquin inualidus iuramento non firmatur, & relaxari iuramentum poterit; & casu, quo non relaxetur, non transibit obligatio contractus ad hæredes iurantis. At contrarium colligitur ex Authent. *Sacramenta puberum*, & *ex cap.* 2. *de iureiurando in* 6. *& ex c. quamuis pactum de pactis in* 6. & *cap. cum contingat. de iureiurando.* In quibus casibus receptissima Doctorum sententia est, relaxari Iuramentum non posse, & obligationem contractus ad hæredes iurantis transire. Ergo iuramentum hanc vim confirmandi contractus alias inualidos habet. Item si Iuramento contractus alioquin inualidus non confirmatur; cogendus necessariò debet is, cui Iuramentum præstatur vt remittat. Quia est præstitum in contractu nullo, & inualido; & consequenter ex quo nullum ius requiritur. At nec leges, nec canones talem insinuant remissionis obligationem. Ergo dicendum est contractum confirmari. Deinde specialiter probatur ex *cap. quamuis pactum, de pactis in* 6. Vbi de pacto facto à filia renunciandi hæreditatem patris legibus aduerso dicitur. Si tamen Iuramento firmatum fuerit omnino seruari debebit. Ergo non solum Iuramentum, sed ipsum pactum est omnino, & inuiolabiliter seruandum.

Dixi confirmare contractus iure inualidos ob vtilitatem priuatam. Quia contractus inualidi ob vtilitatem publicam confirmari iuramento non possunt; eo quòd sint de materia illicita, & bono communi aduersa.

3. Tertia sententia media distinguit inter contractus inualidos naturaliter, vel ciuiliter. Et contractus inualidos naturaliter; vel ciuiliter. Et contractus inualidos naturaliter, hoc est, quia iure positiuo impediente naturalem obligationem non producunt, censet Iuramento confirmari non posse; bene tamen illos, quibus sola obligatio ciuilis defuit. Sic tenent Lessius lib. 2. de iustitia *cap.* 17. *dub.* 5. *numer.* 56. Suar. lib. 2. de Iuramento *cap.* 29. *à numero* 3. Rebellus 2. p. de obligat. iust. *lib* 1. *quæst.* 9. *num.* 2. *fine, & alij relati* à Sanch. *lib.* 3. *cap.* 12. *numero* 9. *fine.* Mouentur; quia quod nullam vim habet, confirmari nullatenus potest; ideo enim promissio vsurarum confirmari Iuramento non potest; quia nulla est, nec naturalem obligationem gignit, deinde ius partis non prouenit ex Iuramento, sed ex promissione. Aliàs Iuramento soluendi vsuras ius parti esset acquisitum & in promissione valida iurata duplex obligatio iustitiæ respectu hominis esset. Alia, quæ nasceretur ex ipsa, vt Iuramento affecta vltra obligationem religionis in ordine ad Deum, quod est contra omnes Doctores supponentes vt certum, in Iuramento promissorio duplicem tantum esse obligationem; vnam respectu hominis; aliam respectu Dei. Ergo Iuramentum cadens super promissionem irritam, & nullam, qualis est promissio instituendi hunc hæredem aut soluendi pecuniam ludo prohibito acquisitam; nequaquam valebit firmitatem tribuere. Quod si his Doctoribus obiicias Textus in Auth. *Sacramenta puberum* & *cap. cum contingat de iureiurando cap.* 2. *eodem tit. in* 6. & *cap. quamuis pactum de pactis eodem lib.* Ex quibus colligitur contractus alioquin inualidos Iuramento firmari. Respondent, non firmari directè, sed indirectè; quatenus firmatur iuramento promissio non retractandi illos contractus; quæ promissio naturalem obligationem parit cum non sit à legibus reprobata; esto non sit ita firma quin iudicis officio mutari possit. Iuramentum ergo non afficit illos contractus alienationis fundi dotalis, renunciationis legitimæ in se; quia sunt omnino inualidi; sed afficit promissionem non contraueniendi illis. Quæ promissio res distincta est ab ipso contractu; atque adeo reddens Iuramentum illam promissionem firmam, & immutabilem, ex consequenti reddet contractum omnino firmum. Secus verò esse dicunt, quando promissio non contraueniendi, non distinguitur ab ipso contractu. Vt est promissio non reuocandi testamentum, instituendi aliquem hæredem. Nam tunc cum Iuramentum non cadat super promissionem inducentem obligationem naturalem, non reddit contractum firmum.

4. Verum si liceat dicere, quod sentio, propendebam maxime in primam sententiam, quam valde probabilem reputat Suar. *tom.* 3. *de Religione lib.* 2. *de Iuramento cap.* 29. *num.* 1. Sed quia aduersus illam grauiter vrgent Textus *in c. contingat de iureiurando c. licet mulieres eodem tit. in* 6. & *c. quamuis pactum de pactis eodem lib.* Ea de causa existimo contractus hos alioquin nullos Iuramento firmari secundum ius Pontificium reliquis inualidis manentibus. Sic docuit acutissimus Antonius Faber. *errore* 41 *pragmat c.* 5.

Nostra sententia duplicem habet partem, Prima alienationem fundi dotalis, & renunciationem legitimæ Iuramento firmari secundum ius Pontificium. Secunda nullum contractum iure ciuili nullum Iuramento firmari. Priorem partem probo: Quia Pontifex potest de materia sibi non subiecta disponere; quando animarum saluti, & bono communi Ecclesiæ expedit. At ne via periuriis aperiatur iudicauit animarum saluti expedire, alienationem fundi dotalis, & renunciationem legitimæ si Iuramento afficiatur firmam esse. Ergo credendum est; sita factum esse. Præterea si Pontifex antecedenter ad ipsum Iuramentum sed sub illius conditione, & per respectum ad illud supradictos duos contractus validos, & firmos non efficeret; Iuramentum illis appositum nullius obligationis esset, vtpote de actibus vanis, nullis; & à lege reprobatis. Iuramentum namque vt obligationem inducat, debet esse de materia alicuius virtutis, quæ cessat omnino si antecedenter ad ipsum Iuramentum, & per respectum ad illud contractus non validantur. Nam contractus illi si in se nulli sunt, cum eos Iuramentum afficit, ad iustitiam non pertinent. Quia nullum est ius quod per illos obseruetur; neque pertinent ad fidelitatem; quæ pars est potestatiua iustitiæ, obligans verum facere, quod promittis. At quando promissio nulla est cessat hæc obligatio. Neque item pertinent ad religionem; quia Iuramentum non constituit materiam suam materiam religionis sed illam intactam relinquit. Neque denique pertinent ad charitatem propriam sicut soluere latroni, vel vsurario promissum ob redimendam vexationem. Ad nullam ergo virtutem pertinent, ergo Iuramentum illis adhærens obligatorium esse non potest, nec confirmatorium. At Pontifex statuit, illa Iuramenta omnino & inuiolabiliter esse seruanda. Ergo necessariò asserendum est antecedenter ad ipsa & sub illorum respectu materiam iliorum honestasse. Quod alia via fieri non poterat nisi purgando vitium nullitatis contractuum & eos validos efficiendo.

Neque modus dicendi Suar. Lessi & Rebellij probandus vllo modo est. Nam si contractus à iure annullatur, consequenter annul atur promissio non contraueniendi illis. Vt manifestè probat textus *in leg. non dubium. Cod. de legib.* vbi annullato pacto (inquit lex) sed etsi quid fuerit subsecutum ex eo vel ob id, quod interdicente lege factum est, illud quoque cassum atque inutile esse præcipimus, idipsum constat ex *lege* 28. *Cod. de pactis.* Alias si leges annullantes contractus non extenderentur consequenter ad annullandas promissiones, non contraueniendi illis, frustraneæ essent, & inefficaces; cum facillimo negotio hac via defraudari contractuum nullitas possit. Et præterea eadem ratio vrgens in contractibus nullis ne valeat Iuramentum, procedit in promissione non contraueniendi his contractibus; ideo namque dicimus Iuramentum afficiens contractibus nullis, nec confirmatorium; neque obligatorium esse posse; quia cadit supra materiam nullius virtutis. Sed Iuramentum cadens super promissionem non contraueniendi contractibus nullis, cadit supra materiam nullius virtutis. Ad quam enim virtutem pertinere potest promissio non contraueniendi contractui nullo? Certè non ad iustitiam neque fidelitatem. Hæ enim virtutes obligant seruare promissum in rebus honestis & vtilibus. Sed non in vanis, & infructuosis. At non contrauenire contractui nullo, est quid vanum, inutile, & infructuosum. Quia est quædam illius contractus approbatio, & confirmatio. Ergo sicut promissio efficiendi contractum nullum, nulla est, quia est promissio cuiusdam rei vanæ; ita promissio, perseuerandi in illo, nulla esse debet; ac proinde Iuramento confirmari nullatenus poterit. Præ-

terea si vetus esset hic modus dicendi Suarez Lessij & Rebelli, ex illo sequitur manifestè, minorem contrahentem sine auctoritate tutoris, & promittentem stare contractui, manere obligatum in conscientia, ac si iurasset, quod certè in iudicio non admittitur, vtpote derogans efficaciam legum, hos contractus annullantium, & necessitatem Iuramenti ad illorum firmitatem. Maneat ergo certum vt Iuramentum possit contractus nullos firmare, debere priùs contractuum vitium purgare. Quod Pontifex facit in illis duobus generibus contractuum, quia frequentiora sunt.

Secundam partem nostræ sententiæ nempè nullum alium contractum ipso iure nullum præter alienationem dotis & renunciationem legitimæ firmari Iuramento. Sic probo: Quia de nullo alio habemus in iure Pontificio fundamentum ad asserendum voluisse Pontificem illius vitium purgare. Sed discutiamus per alios contractus, vt clarè veritas doctrinæ constet. In primis omnes Doctores admittunt contractus irritos ob bonum commune Iuramento non confirmari. Quia est Iuramentum de materia iniqua contraria communi bono, & recto Reipublicæ regimini. Confunduntur tamen maximè in explicando qui sunt ij contractus, qui ob bonum commune annullantur; Nam quod dixit Sanchez *lib. 3. in Decal. c. 9. à n. 31. & sequentibus* & lib. 1. de sponsalibus *disp. 32. num. 8.* Quem Doctores communiter sequuntur, contractum ob bonum commune principaliter prohiberi, & annullari: quoties disponit de materia ad bonum commune principaliter pertinente; annullari tamen ob bonum priuatum; quando disponit de materia priuatorum; probare non possum. Nam lex disponens, ne nouitius ante duos menses proximos professioni renunciationem faciat, alioquin irrita sit, & ne clericus ad titulum beneficij sacris initiatus illud renunciet, quin mentionem faciat, se ad illius titulum fuisse ordinatum, disponit de materia priuatorum, quæ per se spectata parum intererat Reipublicæ in vno vel altero ciue esse. At quia religioni maxime interest liber nouitij ingressus, & statui Ecclesiastico ne clerici mendicare cogantur; ea de causa lex disponens de supradictis renunciationibus etiam disponat de materia priuatorum, commune bonum respicit, & Iuramento confirmari non potest. Præterea in testamento quo instituis hæredem, & bona tua reliquis, disponis de rebus non communibus, sed specialibus. Et tamen si illud testamentum nullum sit ob defectum testium, alteriusve solemnitatis à iure requisitæ; nequaquam firmare Iuramento poteris. Ergo signum est, leges annullantes hos contractus priuatorum materiam respicientes, bonum commune respicere. Illi ergo contractus ob commune bonum annullantur, qui annullantur ex defectu formæ, & solemnitatis à iure requisitæ, vt tradit Gabriel Vasquez de testamentis *cap. 3. dub. 2. num. 30.* quem sequitur Basilius Legion. lib. 12. de sponsalibus *cap. 8. num. 54.* Nam cum illa solemnitas non præscribatur ob hunc, vel illum contractum in particulari, sed omnibus communis sit, & Reipublicæ conueniat modum in contractibus præscribere; ea de causa defectus in solemnitate bono communi præiudicat. Ergo nullitas ex illa prouenies auctoritate priuata tolli nullatenus potest; ac proinde neque talis contractus Iuramento firmari. Si verò contractus nulli sint ob priuatum bonum ipsorum contrahentium, maior est difficultas, quomodo non possit Iuramento purgari eorum nullitas? Sed adhuc dicendum est, id fieri non posse. Nam cum Iuramentum ex se, & natura sua hanc vim non habeat, sed ex iuris dispositione, & ex dispositione iuris ciuilis non admittatur Iuramentum, ad firmandos nullos contractus, *lege non dubium Cod. de legibus*, ex dispositione autem Iuris Pontificij solum pro alienatione rerum dotalium, & renunciatione hæreditatis paternæ inueniatur admissum, efficitur sane, reliquos alios contractus nullos persistere, & iuramentum illos afficiens, nullam per se obligationem habere.

5. Ex his infertur, minoris alienationem rei immobilis absque iudicis decreto, & mobilis absque auctoritate tutoris Iuramento non firmari; neque testamentum; neque institutionem hæredis; neque donationem inter virum & vxorem, neque donationem vltra quingentos solidos, sine insinuatione; neque donationem omnium bonorum etiam præsentium; neque renunciationem sub Iuramento de alimentis debitis, & alia huiusmodi. Quia omnium horum contractuum obligationes sunt Iure Ciuili nullæ, neque inuenientur Iure Canonico reualidatæ, vt capaces sint firmitatis à Iuramento prouenientis.

Verum, quia communis sententia Iuramento concedit vim confirmandi contractus; placet ea communi sententia supposita aliquos casus examinare, in quibus dubium est inter Doctores an Iuramento confirmentur.

§. IV.

Expenditur casus relatus in Authentica. Sacramenta puberum, Cod. si aduersus venditionem.

SVMMARIVM.

1 *Statuitur litera textus.*
2 *Loquitur textus de contractu minoris super res, quarum dominium & vsumfructum habes.*
3 *An loquatur de contractu valido, an etiam de inualido, affirmant plures de vtroque.*
4 *Probabilius est de solo valido, sed rescindibili.*
5 *Extendatur ne Authent. ad donationem aliosque contractus gratiosos; verius est extendi.*
6 *Non excluditur minor iurans contractum absolutè à beneficio restitutionis concesso in leg. 2. Codice si aduersus venditionem.*
7 *Non est necesse minorem certiorari de nullitate contractus, nec de beneficio restitutionis, tametsi alij contradicant.*
8 *Necessaria est pubertas in minore, vt contractum firmetur, nec sufficit esse proximum pubertati.*
9 *An Iuramentum minoris proximi pubertatis obligationem inducat.*

1. Littera huius Authenticæ breuiter & dilucidè casum præscribit. Inquit enim textus, Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, inuiolabiliter custodiantur. Puberes vocat textus minores viginti quinque annis, sed maiores quatuordecim, si masculi sint; si fœminæ maiores duodecim, hi enim si iurent contractum rerum suarum non retractare inuiolabiliter obseruare debent.

2. Primò ergo est dubium de quo contractu textus loquatur? Clarum est loqui de contractu rerum suarum, idest illarum rerum quarum dominium, vsumfructum, & administrationem habent minores; non verò illarum rerum, quarum vsus fructus est apud Patrem, vel alium tertium, vt bene notauit aliis relatis Gutierr. Authent. *Sacramenta puberum n. 33.*

3. Sed an constitutio loquatur tantum de contractu valido, & rescindibili ob defectum minoris ætatis, non est leuis controuersia. Communis sententia negat de solo illo contractu loqui, sed affirmat decisionem extendi ad contractus nullos; eo quod sint celebrati absque auctoritate tutoris, vel iudicis. Sic Gregorius Lopez *leg. 6. verbo, maior tit. 19. partita 6.* Guttierrez Authent. *Sacramenta puberum à num. 8. vsque ad 14. & à numer. 13. vsque ad 31. & numer. 103. vsque 106.* Antonius Gomez *tom. 2. variarum cap. 14. num. 18.* Molina *lib. 2. de primogeniis cap. 2. num. 28.* Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 12. num. 12. in medio & alij plures apud ipsos.* Mouentur primò: quia dicta Authentica loquitur generaliter & distinctè de contractibus minorum. Secundò, quia debebat addere aliquid nouum legi primæ Cod. si aduersus venditionem. Cum leges non multiplicentur nisi in præiudicium dubiarum declarationum, vel in noui iuris constitutionem, *leg. quod habeo, ff. de Carboniano edicto.* At si dicta lex Authent. non extenditur ad contractus factos sine iudicis vel curatoris auctoritate, nihil superaddit legi primæ Cod. eodem tit. cum ibi clarè & manifestè decisum sit, minorem alienantem prædium cum decreto Prætoris, & iurantem de cætero nullam facturum controuersiam, non posse aduersus suum Iuramentum venire.

4. Nihilominùs credo probabilius virtute supradictæ constitutionis solum firmari contractum minoris validum, nempe celebratum auctoritate prætoris si fuerit de rebus immobilibus; & auctoritate curatoris, si de mobilibus. Sic tenent Donellus *lib. 21. c. 13.* Burgos Depaz *leg. 1. Tauri num. 288.* Basilius Legionensis lib. 11. de sponsalibus *cap. 8. num. 55.* & alij plures relati à Sanchez *lib. 3. sum. cap. 12. num. 8. fine.* Moueor tum ne correctionem legum sine vrgenti fundamento admittam; quæ certe admittenda erat, si Iuramentum firmaret contractus alioquin nullos ipso iure. Tum quia ipsa constitutio clarè denotat, loqui de contractibus validis. Nam verbum non retractandis, supponit contractus valere, indigeréque retractatione, & non tantum nullitatis declaratione. Neque obstant in contrarium adducta. Ad primum negamus, non ita generaliter loqui, quin ex ipsis verbis constet loqui de contractibus validis. Ad secundum fatemur, hanc constitutionem aliquid noui addere legi primæ Cod. si aduersus venditionem Nam lex prima antiqui Codicis solum loquebatur de alienatione rerum immobilium. At hæc constitutio loquitur de quacumque alienatione minoris siue immobilium, siue mobilium.

5. Secundò

5. Secundò dubitatur : an extendatur vis Iuramenti conceſſa in ſupradicta Authentica ad contractum donationis. Et videatur extendi non poſſe ; quia minores prohibiti ſunt donare, eorumque donationes inualidæ ſunt. *Textus in leg. fin.* verſ. *cum autem Cod. ſi maior factus alienationem factam ſine decreto ratam habuerit.* Sed Iuramentum illius Authenticæ non firmat contractum nullum, ſed validum, vt nuper diximus. Ergo confirmat donationem. Cæterum veriùs cenſeo, hunc contractum donationis iuramento firmari. Tum quia hic contractus donationis non eſt abſolutè inualidus, ſed validus; eſto poſſit beneficio reſtitutionis reſcindi, ſi abſque legitima cauſa inueniatur factus. Vt docuit Leſſius *lib. 2. c. 18. dub. 1. num 81.* Tum quia donatio eſt tacita bonorum renunciatio, quæ in cap. *quamuis pactum de pactis in 6.* Iuramento firmatur. Sic tenet plures referens Gutier. in Authentica *Sacramenta puberum n. 118 & ſeqq.* Sanchez lib. 6. de matrimonio *diſput. 38. num. 13.* Molina Ieſuita *diſp. 579. num. 32.*

6. Tertiò dubitatur an excludatur minor iurans contractum à beneficio reſtitutionis conceſſo in *lege 2. Cod. ſi aduerſus venditionem ?* Breuiter reſpondeo, ſi ſimpliciter iurauit contractum, nequaquam excludi. Nam ob Iuramentum ſimpliciter factum vitium minoris tantum ſuppletur. Quocirca vt minor excludi poſſit à reſciſſione contractus ob læſionem vltra dimidium ; hanc etiam reſciſſionem expreſsè excipere debet. Sic aliis relatis Gutierr. Authent. *Sacramenta puberum numero 86. & ſequentibus* Antonius Gomez *tom. 2. variarum cap. 14. numero 20.* Gregorius Lopez *leg. 6. tit. 19. partita 6.* Gloſſ. *por razon de menor edad* Couarr. de pactis 3. *p. §. 4. numero 6.* Molina *tract. 2. de iuſtitia diſput. 579. num. 26.* Intrinſeca autem læſio rarò vel nunquam cenſetur excepta, etſi per Iuramentum excipiatur : quia ſubintelligitur dolo facta. Sic Couarr. Anton. Gomez Gregor. Lopez *ſuprà, & Gutierr. num 92.*

7. Quartò dubitatur : an debeat minor certiorari de nullitate contractus, quem firmat, & de beneficio reſtitutionis; quod Iuramento renunciat ?

Aliqui non contemnendi Doctores quos refert & ſequitur Matienço *lege 1. titul. 11.* Gloſſ. *8. numero 52. & leg. 9. tit. 3.* Gloſſ. *1. num. 5.* Cenſent neceſſarium eſſe. Mouentur : quia nemo cenſetur remittere ius, quod ignorat ; & quia iuramentum non extenditur ad incognita. Sed oppoſitum veriùs exiſtimo cum Couarr. *2. p. §. 1. num. 4.* Anton. Gomez *tom. 2. cap. 14 num. 18. verſ. 5. extende* Gregor. Lopez *leg. 6. titul. 19. partita 6. in* Gloſſ. *curaſſe* Gutierr. Authent. *Sacramenta puberum num. 114. & ſeqq.* Molina Ieſuita *tract. 2. de iuſtitia diſput. 579. num. 25.* Sanch. *lib. 3. ſumm. cap. 12. num 29. fine.* Mouetur ea conſideratione ; quia firmitas huius contractus, & denegatio reſtitutionis non tam oritur ex voluntate iurantis, quam ex diſpoſitione iuris ob iuramentum præſtitum. Sed vt ius hanc firmitatem contractibus concedat, ſolum petit, quod minor iuret, contractui non contraeuenire. Eo namque ipſo decernit inuiolabiliter contractum eſſe obſeruandum. Ergo nulla ſpecialis notitia nullitatis contractus, & beneficij reſtitutionis neceſſaria erat. Et confirmo ex *leg. ſi duo patroni §. idem Iulian. & in §. ſi quis iurauerit ff. de iureiurando* Vbi iuramentum alicuius facti extenditur ad omne ius reſultans ex facto. Sed ex contractu iurato reſultat, (iure ſic diſponente) quod iurans gaudere non poſſit beneficio reſtitutionis. Ergo quamuis illius beneficij notitiam non habeat, aſſerendum eſt priuatum eſſe. Adde ; eo ipſo quo minor iurat contractum, cognoſcit ob minorem ætatem contractum illum infirmum eſſe. Aliàs inutiliter, & fruſtraneè iuraret, ſi ſecluſo Iuramento haberet contractus firmitatem. Et per hæc fit reſponſio ad contrarium fundamentum.

8. Quintò dubitatur : an neceſſaria ſit pubertas in minore vt contractum firmet ? Negant plures grauesque Doctores cenſentes ſufficere quod ſit pubertati proximus. Sic Gregorius Lopez *leg. 6. tit. 19. partita 6.* verbo *maior.* Gutierrez Authent. *Sacramenta puberum numero 117.* Antonius Gabriel. tom 2. communium opinionum *lib. 19. quæſt. 34.* Molina Ieſuita tom. 3. de iuſtitia *tract. 2. diſput. 579. num. 26.* & alij relati à Sanchez lib. 6. de matrimonio *diſputat 38. numero 15. & lib. 3. in Decalogum, cap. 12. num. 27.* Ducuntur argumento ducto ab ſponſalibus, quibus ſi accedit Iuramentum firma ſunt, & in quibus malitia ſupplet ætatem. Cæterum veriùs eſt, deſiderari pubertatem, vt contractus firmetur. Sic docent Fachineus lib. 3. controuerſiarum *cap. 10.* Sanchez *locis allegatis.* Et innumeri apud ipſos. Ratio ea eſt præcipua: quia denegare in contractibus beneficium reſtitutionis minoti, & Iuramenti relaxationem, eſt rigor maximus, qui non debet admitti abſque manifeſto textu, & ratione. At nullus eſt textus qui talem rigorem contractibus impuberum imponat; imò expreſsè omnes textus tam ex iure ciuili, quam ex noſtro regno puberum mentionem faciunt. Ergo contractibus impuberum hoc beneficium reſtitutionis denegandum non eſt. Quod adeò verum eſt, vt etiamſi impubes iuret non reuocaturum contractum, quem pubes factus inierit, non cenſeatur obinde hoc beneficium reſtitutionis ſibi denegati, quia abſolutè non iurat poſt pubertatem, & ita tenet Gregorius Lopez ſupra & Sanchez illo cap. 12. num. 28. Secùs verò dicunt, & benè, ſi pubes factus iuratet contractum ante pubertatem irritum. Quia iam poſt pubertatem apponit Iuramentum, ratione cuius infirmitatem contractibus concedit. Neque aduerſus hanc doctrinam procedit Textus *in cap. ex litteris, el ſeg. de ſponſalibus.* Nam in ſponſalibus non tam ætas quam intellectus ſpectatur; iúſque ipſum diſponit, malitia ætatem ſuppleri. Quod in minorum contractibus diſpoſitum non inuenitur.

9. An verò hoc Iuramentum licet non confirmet contractum, obligationem in conſcientia inducit ? Pendet ex illa quæſtione ; an contractus impuberis obligationem naturalem pariat ? Nam ſi vera eſt illa ſententia, quæ affirmat (iure ſic diſponente) hos contractus omni obligatione carere ; eſſéque omnino nullos ; probabilius cenſeo, Iuramentum non obligare. Quia nullus eſt textus, ex quo colligatur horum contractuum vitium nullitatis purgari. Quod eſt neceſſarium, vt Iuramentum illis appoſitum validum ſit, & obligatorium. At ſi huiuſmodi contractus validi ſint in fauorem impuberis. Iuramentum illos firmans obligationem pariet ; indigebitque relaxatione ; quæ omnino concedenda eſt ; eo ſolùm quo ab impubere ſit præſtitum. Impubertas enim æquam relaxationis cauſam præbet, ac metus, vt bene aliis relatis docuit Sanchez lib. 6. de matrimonio *diſp. 38. num. 17.*

§. V.

Expenditur caſus relatus in capite cum contingat. de Iuramento, & cap. licet mulieres eodem tit. in 6.

SVMMARIVM.

1 *Statuitur littera textus.*
2 *Præmittitur, quid de alienatione fundi dotalis iure ciuili, vel canonico ſtatutum ſit.*
3 *Examinatur an deciſio huius textus extendatur ad fideiuſſionem ? Proponitur communis ſententia.*
4 *Quid ſentiendum ſit.*

1. INnocentius tertius videns aliquas mulieres conſtante matrimonio alienationi rerum dotalium conſentire Iuramento præſtito de non contraueniendo ; poſtea verò ſucceſſu temporis ſoluto matrimonio alienationem velle reſcindere, vtpote contra leges factam, decreuit ; ne via periuriis aperiatur, tale Iuramentum ſine vi & dolo præſtitum ſeruari debere, quam deciſionem Bonifacius VIII. in *cap licet mulieres, de iureiurando in 6.* confirmauit, mandans Epiſcopis aliiſque Eccleſiaſticis iudicibus, vt cenſuris Eccleſiaſticis compellant iudices ſæculares ad obſeruantiam huiuſmodi Iuramenti.

2. Pro cuius caſus explicatione ſupponendum eſt iure ciuili omnem conſenſum à muliere conſtante matrimonio præſtitum de alienatione rerum dotalium ſiue mobilium, ſiue immobilium, quæ æſtimatæ non ſunt æſtimatione, quæ faciat emptionem, nullam eſſe, *lege Iulia, ff. de fundo dotali, & lege vnica §. & cum lex, C. de rerum vxor. actione.* At Ius Canonicum in reuerentiam Iuramenti hanc nullitatem purgauit, & contractus validos reddidit, vt merito Iuramento firmari poſſint.

Conſenſus ergo mulieris in alienatione dotis facta à marito, vel à ſe facta ex conſenſu mariti, reuocari nullatenus poteſt Iuramento firmata ; quin Iuramentum (iure ſic diſponente) excluſit. Sic ex ſupradictis capitibus, *cum contingat & cap. licet mulieres.* Tradit plurimuſque exornat Gutierrez *de Iuramento confirmatorio toto cap. 1.*

3. Sed eſt dubium ; an deciſio huius textus extendatur ad fideiuſſionem ; ita vt mulier pro alio intercedens, & Iuramento interceſſionem confirmans maneat obligata ſtare fideiuſſioni ?

Pro cuius deciſione ſuppono : Mulieribus interdictam eſſe fideiuſſionem, ſiue ſuſceptionem in ſe alieni debiti & nullam redditam, niſi fiat in inſtrumento publico, & coram tribus teſtibus. Habetur expreſsè, *leg. antiqua, §. vltimo, Cod. ad Velleianum.* At ſi facta ſit fideiuſſio, ſeu alieni debiti ſuſceptio ea ſolemnitate, valida eſt, & mulier obligata manet naturaliter, & ciuiliter ; elidere tamen poteſt obligationem ope exceptionis Senatus Conſulti Velleiani ; niſi conſcia huius beneficij illud renuntiaſſet expreſsè. Sic ex communi ſententia tradunt Antonius Gomez tom. 2. variarum *cap. 13. à num. 15.* Gutierrez 1. parte de Iuramento *confirmat. toto c. 2.* Greg. Lopez *lege 2. & 3. titulo 12. partita 5.* Molin. Theologus tract. 2. de iuſtitia *diſputat. 540. per totam.* Matienço *lege 9. titulo 3.*

lib 5. noua collectionis. In fauorem mariti nunquam mulier fideiubere potest spectato iure regio Castellæ *lege 61.* Tauri, *quæ est 9. tit. 3 lib. 5. noua compilationis.* Hoc supposito.

Communis sententia respondet, mulierem firmantem Iuramento fideiussionem, ita manere obligatam, vt nullatenus vti posset beneficio Senatus Velleiani. Quia illud Iuramentum purgat omne vitium, & imbecillitatem fideiussionis. Sicut in contractu minoris, & alienatione fundi dotalis alienatio alioquin irrita Iuramento firmata manet ex *dict. capite cum contingat*, à fortiori fideiussio, quæ alienationi occasionem præbet. Et præterea hoc videtur decisum in *cap. ex rescripto de iureiurando*, vbi mulier jurans fideiussionem compellitur adimplere. Et ita tenet Couarruuias *cap. quamuis pactum de pactis 2 p. §. 3. num. 5.* Antonius Gomez *dicto cap. 13 num. 17.* Gregorius Lopez *leg. 3. titul. 12. parte 5.* verbo *Sabidora.* Gutierrez *1. parte cap. 20 n. 2. & seqq.* Molina Theologus *disp. 540. circa medium* vers. *illud est obseruandum.* Fachineus *lib. 2. controuersiarum cap. 61.*

Aliqui verò ex Doctoribus iis censent, hoc intelligendum esse, dummodo mulier conscia fuerit beneficij Velleiani, secùs si ignorans tale beneficium fideiussionem iurauerit, quia iuramentum extendi non potest ad incognita, *cap. veniens, cap. quintauallis de iureiurando*, ac proinde neque ad renunciationem Velleiani ignorati. Sic Couarruuias *num. 5.* Matienço plurib. relatis *lege 9. tit. 3. lib. 5. compilationis Gloss. 1.* Aliis verò Doctoribus nempe Gregorio Lopez Iachinco Gutierrez, Molinæ & aliis apud ipsos hæc limitatio non probatur; eo quòd Iuramentum vim certiorationis videatur habere; præcipuè cum sensus mulieris iurantis sit, se obligare ex parte sua quantum possit.

4. Ego verò distinguendum existimo, de Iuramento cadente super fideiussionem nullam ex defectu formæ & solemnitatis requisitæ, & de iuramento cadente super fideiussionem validam. De Iuramento inquam cadente super fideiussionem nullam, dicendum existimo; non solum non firmare contractum, sed neque obligatorium esse. Quia est de re vana & inutili; & nullibi inuenitur fructuosa & vtilis facta aduersiente iuramento. Iuramentum enim non purgat vitium formæ & solemnitatis requisitæ in contractibus. At si Iuramentum cadat super fideiussionem validam, validum erit Iuramentum, & obseruandum: firmabitque contractum; dummodo in eo contractu certiorata fuerit mulier Velleiani. Hanc enim notitiam tum iure communi, tum Regio Castellæ, *lege 3. titulo 12. partita 5.* existimo requiri, vt Iuramento censeatur firmatus contractus, & beneficium Velleiani exceptum. Moueor: Quia certioratio expostulatur pro forma. At Iuramentum non supplet formam, vt multis allegatis docet Matienço *lege 9. titulo 3. libro 5. compilation. Gloss. 1. num. 6.* Deinde Iuramentum sequitur naturam actus, cui adhæret vt iura vulgaria; sed fideiussio; in qua expressè mulier non est certiorata beneficij Velleiani, neque expressè est renunciatum, est infirma, & venit rescindenda ope exceptionis. Ergo iuramentum illi accidens, eandem sortitur conditionem. Neque obstat alienationem fundi dotalis firmari Iuramento; quia mulier certiorata fuerit de nullitatis alienatione, *cap. cum contingat de iureiurando*, quia nullibi hæc certioratio expressaque renunciatio contractu. Neque item obstat Textus *in capite ex rescripto.* In quo magnam vim facit Gutierrez & Fachineus. Quia vt constat ex Glossa *eo capite verbo.* Mulierem ea de causa cogebatur implere fideiussionem. Quia non opponebat exceptionem Velleiani. Adde forrè fuisse certioratam de dicti beneficio, & renunciasse; tametsi ex supradicto textu hoc non colligatur; sicut nec contrarium.

§. VI.

Expenditur casus relatus in capite, quamuis pactum de pactis in 6.

SVMMARIVM.

1 *Statuitur littera textus,*
2 *Quid colligatur ex supradicto textu.*
3 *Aliqua vt certa supponuntur.*
4 *Iuramentum quo filij renunciare hæreditatem non patri, sed fratribus non teneret si esset factum absque patris consensu, secùs si ex illius consensu.*
5 *Debet Pater in tali consenju vsque ad mortem perseuerare.*
6 *Si Iuramentum præstes Patri de renunciatione facienda, an debeas præstare illam? Affirmant aliqui & qualiter sit intelligendum.*
7 *An hæc renunciatio iurata ita firma maneat, vt non possit rescindi beneficio legis 2. Cod. de rescindenda venditione. Affirmant plures si maior sit viginti quinque annis.*
8 *Verius est oppositum, & sit satis quibusdam obiectionibus.*
9 *Quid si expressè Iuramento renunciasti beneficio legis secundæ.*
10 *Qualiter supradicta intelligenda sint.*
11 *Renuncians opulentissimæ hæreditati religionem ingrediens non potest allegare enormem læsionem, si dos competens Religioni concedatur.*
12 *Contractus vt dolo præstiti Iuramento non firmantur.*
13 *An hoc procedat in contractibus metu leui celebratis? verius est procedere.*

1. VT Iuramenti vis, & efficacia omnibus innotescat, inquit Pontifex quamuis pactum patri factum à filia, dum nuptui traderetur, vt dote contenta, nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex ciuilis; si tamen Iuramento non vi, nec dolo præstito firmatum fuerit, ab eadem omnino seruari debet, cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.

2. Ex huiusmodi textu satis colligitur, leges ciuiles improbare huiusmodi pacta. Vt constat ex *leg. pactum dotali, Cod. de collationibus* & *leg. pactum quod dotali Cod. de pactis leg. qui superstitis ff. de acquirenda hæreditate, lege vltima ff. de suis & legitimis hæredibus, lege, si quando §. illud Cod. de inofficioso testamento.* Ea præcipuè ratione improbantur hæc pacta; quia censentur exhortationibus parentum, potiùs quam voluntate filiorum fieri. Verum si Iuramento firmentur præsumptio inuoluntaria cessat; & vitium, quod aliàs habebant illa pacta, purgatur.

3. Hæc igitur filiorum renunciatio de legitima sibi competente fieri potest patri à filia vel aliis fratribus. Item fieri potest grauis, vel pretio accepto.

Cum textus loquitur de filia non debes intelligere ad solam filiam dispositionem limitari; cum etiam in filio causa honesta huius renunciationis intercedere possit, vt bene notauit ex communi sententia Couarruuias *de pactis 3. p. §. 1. num. 1.* Gutierrez *ibi* verbo *à filia, n. 4* Item procedit decisio etiam in filia minori viginti quinque annis, & viginti duodecim; & esto sub patria potestate sit. Quia textus generaliter loquitur, & Iuramentum hanc vim habet confirmandi minorum contractus ex Text. in Authentica *Sacramenta puberum.* Sic Couarruuias *dicto §. 1. n. 2. & 5.* & Gutierrez *n. 3.* Deinde non requiritur necessariò hoc pactum fieri dum nuptui filia traditur, nam etiam fieri poterit ante vel post nuptias, dum religionem intrare voluerit & ob alias causas sibi vtiles. Couarr. *§. 2. n. 2.* Gutierrez *ibi num. 1.*

4. Circa huiusmodi textum, ea præcipua est dubitatio; an locum habeat in filia vel filio renunciante hæreditatem non patri, sed fratribus; eamque renuntiationem Iuramento confirmante? Respondeo negatiue. Si consensus patris absit. Quia pactum de hæreditate viuentis est omnino reprobatum, vt pote occasio captandi mortem, *lege vltima Cod de pactis*, neque vllibi inuenitur honestatum? ac Proinde Iuramento confirmari non potest. Sic Couarr. *de pactis 3. p. initio n. 5.* Fachineus lib. 8. Controuersiarum *cap. 70.* Gutierr. *in cap. quamuis pactum num. 2.* Dices legem vltimam improbare pactum succedendi in hæreditate. Ergo non pactum renunciandi successionem? Respondeo negando consequentiam. Nam renunciatio successionis in fratrum fauorem, est fratribus successionem concedere ac proinde est pactum de hæreditate viuentis. Quod absque illius consensu est omnino reprobatum.

Verum si ex consensu parentis hæc renunciatio fiat iam cessat ratio, ob quam *lege vltima Cod. de pactis.* Hæc pacta prohibentur; ac proinde confirmati Iuramento possunt. Sic Couarr. & Gutierr. *locis allegatis.*

5. Solum est dubium: an in huiusmodi consensu debeat pater perseuerare, & renunciatio filij facta fratribus effectum habeat? Couarruuias de pactis 3 *p. initio n. 8. in 4. & 5. casu.* Dubius est, eo quod Iuramentum aliquam possit firmitatem concedere pacto inito & valido. Sed contraria sententia procul dubio tenenda est; nempe sublato consensu patris perire renunciationem, & Iuramenti obligationem. Nam illa renunciatio non solum in fieri sed in conuersari pendet ex consensu patris; eo quòd cutante vita patris semper est in fieri; neque sortitur effectum, quo vsque ipse pater è vita discedat. Sublato ergo consensu patris perit renunciatio; & obligatio Iuramenti, quæ illi erat accessoria. Sic aliis relatis docuerunt Antonius Gomez *lege 22. Tauri num. 31.* Menchaca lib. 3. controuersiarum vsufrequent. *c. 44. n. 23.* Molina de Hispanorum primogeniis, *lib. 2. c. 3. n. 4.* Gutierr. *cap. quamuis de pactis num 3. & 5.*

6. Deinde dubitare potes; si Iuramentum præstes patri de renunciatione facienda, obligaris eam præstare; ita vt Iuramentum relaxari non possit?

Affirmat Couarruuias de pactis 3. *part. initio num 3.* quem sequitur Molina Iesuita tract. 2. de iustitia *disp. 579. num. 13.* Mouetur quia tale Iuramentum æquiualet renunciationi factæ argumento *legis si intra. ff de pactis.* Vbi ex promissione liberationis

liberationis oritur actio, ac si liberatio facta fuisset; ac proinde ex hac promissione Iuramento firmata; expelli potest à petitione hæreditatis & à dicendo nullo testamento in quo præteritus fueris virtute talis promissionis.

Sed hæc censerem intelligenda casu, quo iurares renunciationum facere non simplicem, sed Iuramento firmatam; Nam simplex renunciatio est legibus improbata, & forte ipso iure nulla. Ergo iuramentum de illa præstanda, obligatorium esse non poterat, vt pote de materia vana & inutili. Debet ergo iuramentum fieri de renunciatione valida & à legibus approbata, quæ nulla alia est, nisi quæ Iuramento firmatur.

7. Præterea dubitare; an hæc renunciatio iurata ita maneat iuramento firma vt eam rescindere non possis: beneficio legis 2. Cod. de rescindenda venditione, Communis sententia censet manere omnino firmam, nec rescindi posse, nisi ob enormissimam læsionem si à maiore viginti quinque annis fiat. Sic docet Couar. *cap. quamuis pactum. 3. p. § 4. num. 4. & 5. & lib. 2. variarum cap. 4. num. 5.* Molina de Hispanorum primogeniis *lib. 2. cap. 3. num. 18.* Mouentur. Quia Iuramentum habere potest vim confirmandi contractum, alioquin inualidum & excludendi remedium dictæ legis secundæ. Ergo dicendum est, eam de facto habere, cùm hoc religioni Iuramenti conuenientiùs sit. Excludunt dicti Doctores læsionem enormissimam. Quia hac intercedente censetur dolosa renunciatio. Vt multis relatis tradit Menochius libro 1. de arbitrariis iudic. *quæst. 71. num. 18.* Ac proinde nec confirmanda Iuramento ob defectum consensus. Quæ autem sit læsio enormissima? arbitrio prudentis *Molina* relinquit. Aliis placet, quæ in duplo vel quadruplo excedit. Notanter dixi, Iuramentum debere esse factum à filio maiore viginti quinque annis. Nam si à minore fiat, censet & bene non excludi remedium dictæ legis secundæ nisi expressum fuerit, vt loquendo de minore diximus.

8. Cæterum dicendum existimo, ob Iuramentum absolutè præstitum à maiore viginti quinque annis in hac renunciatione hæreditatis paternæ, non excludi beneficium *legis secundæ Codice de rescindenda venditione.* Sic. expressè Antonius Gomez *tomo 2. variarum capite 14. numero 20. vers. ex quibus notabiliter* Gutierr. Authent. *Sacramenta puberum, num. 87.* Fachineus *lib. 8. controuersiarum cap. 69.* Moueor quia receptissima Doctorum sententia est, quam tradit Seraphinus de priuilegiis Iuramentorum *priuilegio 83. num. 44. &* Menoch. *cons. 29. num. 40. volum. 1.* Iuramentum simpliciter appositum non pugnare duo vitia, sed vnum tantum. Sed Iuramentum in præsenti purgat vitium nullitatis renunciationis inductæ legibus ciuilibus. Ergo non purgat vitium deceptionis, ob quod conceditur remedium *dictæ legis secundæ.* Contrarium dicerem si maior viginti quinque annis iurat contractum validum. Nam tum Iuramentum non videtur adduci nisi ad renunciationem concessam in lege secunda cum ad nihil aliud necessarium fuerit; & in hac parte est verissima sententia Couarruuiæ & Molinæ supra.

Sed obiicit Fachineus supra, renunciatio hæreditatis futuræ ob certam dotem, est quædam transactionis species; argumento *legis de transactionibus*, Sed transactio non rescinditur ob læsionem quamcumque *lege Lucius §. vltimo ff. ad Trebellianum.* Ergo nec renunciatio. Secundo, renunciatio est donatio argumento *legis 1. ff. de transactionibus, lege.* Modestinus *ff de donationibus.* Donatio autem, quia ex libertate nascitur ob læsionem. Tertiò quia hæc renunciatio non est iuris quæsiti, sed quærendi, cuius nulla ratio habenda est, quia est incertum. Quartò ad idem: hæc renunciatio non est iuris, quod de præsenti sit in bonis patris, sed quod mortuo illo obtinendum est. At hoc est incertum; cum fit renunciatio. Ergo læsio allegari non potest. Quintò, parens concedens filiæ dotem præsumendus est bono filius consulere magis quam alius quilibet. Ergo allegari non potest læsio.

His argumentis à Fachineo adductis optimè ipse satisfacit. Ad primum negat, esse transactionem; quia nulla est lis, nec timor litis; sed esse conuentionem? quæ si iniusta sit, & grauem læsionem contineat? meritò rescinditur. Ad secundum nego, esse donationem; quia est renunciatio ob dotem acceptam. Ad tertium concedo esse renunciationem iuris quærendi; & licet incertum sit; at sub ea incertitudine æstimatur de præsenti, in qua æstimatione si læsio contingat, reparanda est. Ad quartum eodem modo respondetur. Ad quintum præsumendum est patrem meliùs, quam alius prouisurum filiis; at si contrarium constet, præsumptio cessat. Maneat ergo firmum ob renunciationem simpliciter iuratam non impediri rescissionem concessam in dicta lege secunda.

9. Maiorem mihi difficultatem ingerit; an si expressè beneficio legis secundæ renunciaueris, censearis exclusus à contractûs rescissione? Et difficultas in eo consistit; quia deceptor obligationem habet in conscientiæ foro, reparandi læsionem. Ergo non est Iuramentum iustum, quo hanc reparationem excludis. Idem si ob enormissimam læsionem non censeris voluntatè consentire contractui, quantumuis Iuramento firmes; eáque de causa agere potes non obstante Iuramento ad contractus rescissionem; similiter ob enormem læsionem censendus es, contractui non consentire, & agere posse ad rescissionem contractus.

Dicendum ergo est, facta renunciatione expressa beneficij legis secundæ te non posse illo vti. Quia est renunciatio cedens in vtilitatem creditoris Iuramento firmata. Creditor namque obligationem non habet rescindendi contractum; sed reparandi inæqualitatem, & deceptionem factam, quam reparare potest; tametsi iudicis auxilio non cogatur ad contractus rescissionem. Ergo cessio illius actionis honesta est, & Iuramento confirmari potest. Qua ratione persuadeor; neque ob enormitatem læsionis te agere posse, si expressè renunciaueris actioni ob enormissimam læsionem prouenienti. Sic Antonius Gomez *tom. 2. variarum cap. 14. num. 20.* Quia hæc actio renunciabilis est. Ergo si sufficienter renunciatio exprimatur, censenda est facta. Neque tunc dolus interuenit, nec præsumi potest; cum satis constet de consensu. Et fortè ob hanc rationem Arias Pinel. *d. leg. 2. Codice si aduersus venditionem 3. p. cap. 1 num. 7. &* 8. & Molin. Theologus *tract. 3. disp. 579. num. 35. ante 4 conclusionem.* Reprobant distinctionem enormis læsionis, vel enormissimæ; subditque Molina ob enormem læsionem & relaxandum esse Iuramentum, & admittendam actionem: actionem inquam credo, ad reparandum inæqualitatem contractus; sed non ad rescissionem contractus.

10. Supradicta procedunt cum hæreditas parentis renunciatur dato renuncianti aliquo pretio. Nam si gratis factum est, allegare non poterit læsionem enormem, nec enormissimam: cum illa renunciatio sit donatio. Et in donatione hæ læsiones intercedere non possunt. Sic Antonius Gomez *dicto tom. 2. variarum cap. 14. num. 20. fine.* Fachineus lib. 8. controuers. *cap. 69. argument. 2.* Ex alio autem capite infirmari potest renunciatio; si renuncianti non remaneant competentia ad sui sustentationem. Item si defuit causa legitima. Molin. Theologus *tract. 2. disp. 579. n 33.* Couarr. de pactis *3. p § 2. n. 6.*

Adde non defuere Auctores graues quos refert ibidem Couarruuias, sentientes filiam renunciantem gratis hæreditatem tametsi Iuramento firmet nullam esse renunciationem. Quia Textus *in cap. quamuis pactum* solum renunciationem dote accepta validauit. Reliquit ergo inualidam aliam renunciationem. Sed hoc non est admittendum, quia ratio textus æquè in vtraque renunciatione procedit, & quia illa dictio *dote contenta* non fuit taxatiua, sed gratia frequentioris vsus apposita. Sic Couarruuias *supr.* & Gutierrez, verbo *dote contenta.*

11. Deinde aduertendum est filium vel filiam, ingredientem religionem, renunciantem opulentissimæ hæreditati, contentam dote competente secundum consuetudinem; nequaquam allegare posse enormem vel enormissimam læsionem; neque ipsam nec monasterium. Non ipsam. Nam ipsa ad illum statum perfectionis competentia bona accipit; & iustissimè, & prudentissimè reliqua admittit. Neque item monasterium allegare potest læsionem; cum illa bona nec sint, nec debeantur monasterio facta renunciatione. Sic Couarruuias de pactis 3. *parte §. 2. num. 5.* Gutierrez *ibi* verbo. *Dum nuptui tradebatur. num. 1.* Molin. lib. 2. de primogeniis *cap. 3. num. 27.* Molin. Iesuita tract. 2. de iustitia *disput. 579. n. 17.*

Tandem in hoc Textu & in *cap. cum contingat de iureiurando & in Authent. Sacramenta puberum.* Excipiuntur contractus alienationis, & renunciationis vi metu & dolo præstitæ; quæ nullatenus firmantur Iuramento; esto Iuramentum dum non relaxatur obligatorium sit. Sic omnes Doctores.

Solum est dubium; an contractus ex metu leui celebrat, Iuramento firmentur? Videntur firmari, neque relaxari Iuramentum posse. Quia ob huiusmodi merum nec admittitur in iudicio actio, ad rescindendum contractum. Ergo signum est firmum manere; non enim denegat rescissionem ob præsumptionem falsam. Secundò in *cap. si verò & cap. verum de iureiurando*, ea de causa conceditur relaxatio Iuramenti, quia grauissimo metu præstitum fuit. Ergo *à* contrario sensu vbi non fuerit talis metus, relaxatio est deneganda. Tertiò quia metus leuis facili negotio incutitur, & facili negotio tolli potest; ideoque in iure nullius est considerationis. Non ergo debet ob illius causam Iuramentum relaxari. Sic tenent Gregorius Lop. *leg. fin. verbo que la fizo titul. 11. partita 3.* Sylvest. *Iuram. 4. q. 7. fine* & alij plures relati à Sanch. lib. 4. de matrimonio *disp. 20. num. 7.*

Cæterum contrarium est omnino dicendum cum ipso Sanch. *ibi n. 8. & aliis ab ipso relatis.* Ratio ea est: quia extorquens contractum metu leui iniustè incusso, iniustitiam committit; quam iure naturæ reparare debet, res in pristinum statum reducendo; ac proinde contractum rescindendo. Sed aduersus hanc obligationem naturalem Iuramentum procedere non potest. Ergo Iuramentum non potest talem contractum firmare. Ergo relaxari ab Episcopo poterit, cum iusta causa relaxandi adsit, quoties turpitudo ex parte creditoris interuenit. Neque obstant in contrarium adducta. Ad primum admitto ob metum leuem denegari actionem in iudicio, ne litibus

omnia implicentur. At officio iudicis ſuccurritur metum paſſo, & contractus reſcinditur. Sanch. lib. 4. de matrimonio *diſput. 9. num. 5.* Gutierrez de matrimonio *cap. 76. num. 7.* Ad ſecundum concedo illis tantum textibus dari Iuramenti relaxationem, & contractus reſciſſionem ob metum grauem; inde tamen non infertur, ſi metus leuis adſit, dari non poſſe relaxationem præcipuè cum Textus *in cap. ſolicitè, & cap. accepta de reſtitutione ſpoliatorum & Authentic. Sacramenta puberum*, pro confirmatione contractus, ſponteneum Iuramentum expoſtulauerint; quod abſolutè non eſt, quod metu leui præſtitum fuerit. Ad tertium dico metum leuem facilè incuti, & facilè tolli poſſe, eaque de cauſa in iudicio non admitti actionem, ad reſcindendum ea, quæ illo metu facta fuerint. Sed quia in foro conſcientiæ adeſt obligatio, ea reſcindendi; ea de cauſa Iuramentum relaxari poteſt.

§. VII.

An Iuramentum habeat vim confirmandi contractus, factos contra prius Iuramentum.

SVMMARIVM.

1 *Contractus qui ſecluſo iuramento validi ſunt Iuramento firmantur, etiamſi contra priùs Iuramentum fiant.*
2 *Explicatur textus in capit dilecto filio de præbendis.*
3 *Quid de actibus omnem ſuam firmitatem à Iuramento recipientibus? Plures cenſent valere.*
4 *Quid ſentiendum ſit, ſub diſtinctione reſpondetur.*
5 *Apponitur duplex limitatio ſuperiori doctrinæ, & reiiciatur.*

1. DIſtinguenda ſunt duo actuum genera, primum illorum, qui ſecluſo Iuramento firmitatem habent. Secundum, qui à Iuramento ſortiuntur firmitatem. Si loquamur de actibus ſecluſo Iuramento validis, quorumque valor pendet ex ſola voluntate diſponentis, validi ſunt, & firmi; tametſi priori Iuramento aduerſentur. Eſt communis ſententia, vt videre eſt in Couarr. *de pactis 2. p. §. 2.* Gutierrez *de Iuram. cap 1. n. 81.* Anton. Gon. *leg. 53.* Tauri *num. 58.* Matienço *leg. 3.* Gloſſ. *13. tit. 10. lib. 5 compilation.* Sanch. lib. 6. de matrimonio *diſput. 13. num. 5. & per totum, & lib. 3. in Decal. cap. 12 num. 31.* Ratio eſt manifeſta: Quia per Iuramentum non adimitur iuranti poteſtas faciendi actum, quem alias validè facere poterat, ſed ſolum ne licitè faciat; vt probat expreſsè. Text. *in leg. ſi quis, in princ. teſtament. verſ. nemo ff. de legatis 3.* ibi. Nemo eam ſibi poteſt legem dicere, vt à priore ei recedere non liceat. Exemplis doctrina comprobatur, Primò. Conſtituiſti procuratorem, iuraſti non reuocare, reuocas; tenet reuocatio; quamuis periurus exiſtas, ſi animo nunquam reuocandi iuraſti. Sic Gloſſ. *celebris in cap. vlt. de procuratoribus in 6.* Matienço *d.* Gloſſ. *13. num. 3.* Sanch. *lib. 6. diſp. 13. num. 5.* Gutierr. *num. 80.* Antonius Gomez *num. 58.* Secundò iuraſti puellæ ſponſalia; contrahis cum alia matrimonium; actus tenet, vt deciditur expreſsè *cap. licet, de ſponſalibus, & tradunt omnes.* Tertiò promiſiſti ſub Iuramento vendere agrum Petro; vel forte vendidiſti; ſed non tradidiſti; alteri verò vendidiſti, & tradidiſti: Tenet hæc ſecunda venditio, & conſtat *ex leg. quoties Cod. de rei vendicatione & leg. traditionibus Cod. de pactis, & probat latè* Couarr. *de pactis 1. p. §. 4. num. 2. & 4 Decret. 1. p. cap. 5. num. 9. & 10.* Azor. *lib. 11. inſtitutionum moral. cap. 9. quæſt. 3.* Matienço *d.* Gloſſ. *13 num. 4.* Sanch *lib. 3 ſum cap. 17. num. 17.* Excipiunt Couarr. Sanch. & alij, niſi prior cui eſt res vendita ſub Iuramento admoneat venditorem extraiudicialiter, vt Iuramentum ſeruet; & de non ſeruando appellet apud iudicem Eccleſiaſticum, tunc enim venditio ſecunda eſt nulla, vt pote facta pendente appellatione. Quartò, communiter adducitur confectio ſecundi teſtamenti aduerſus primum iuratum, quæ ex communi ſententia valida eſt, vt multis allegatis probat Couarr. *in Rubric. de teſtam. 2. p. n. 5.* Gutierr. de Iuram. *2 p. cap... à num. 2.* Antonius Gomez *lege 3. Tauri num. 95.* & clarè videtur decidi *lege regia 25. tit. 1. partit. 6.* ibi. *Ningun ome pueda façer teſtamento tan firme, que no lo pueda deſpues mudar, quando guiſiere, facta el dia que muera.* Non igitur ex Iuramento non reuocandi teſtamentum, conſtituitur teſtamentum irreuocabile; aliis exemplis hoc ipſum confirmari poterat. Sed hæc ſufficiant.

2. Solum obiici poteſt. *Text. in cap. dilecto filio 25. de præbend. & dignitat.* Vbi occaſione electionis duorum ad vnum canonicatum, & præbendam dicitur. Quanquam interdum hi, ad quos ſpectat electio de communi aſſenſu augmentate valeant numerum præbendarum, quoddam ius ſpeciale de nouo creando; niſi forte ſtatutum aliquod obuiaret, quod eſſet Iuramento firmatum; vel cui ſedis Apoſtolicæ confirmatio acceſſiſſet: huiuſmodi clauſula prohibitionis adiecta. Vt ſi quidquam contra id fieret, non valeret. Colligitur ergo ex hoc textu Iuramentum reddere actum nullum, qui aliàs ſecluſo Iuramento validus eſſet. Validè namque augere numerum Canonicorum poſſent. Ob hanc obiectionem plures Doctores, quos refert Sanch. *lib. 3. ſum. cap. 12. num. 33.* Cenſent actus ſpeciales, quorum Laici incapaces ſunt, contra priùs Iuramentum factos, nullos eſſe. Sed certè abſque vllo fundamento procedunt. Alias Epiſcopus iurans non reuocare vicarium, eum reuocare validè non poſſet; & iurans non reuocare licentiam audiendi confeſſionem, nulla eſſet ſubſecuta reuocatio. Quod non eſt dicendum. Quia Iuramento non adimitur facultas variandi actum alias mutabilem; præcipuè cum ſatis tritum ſit Iuramentum ſequi naturam actus cui adhæret. Neque argumentum deſumptum *ex cap. dilecto illam* vim habet. Nam illa verba fuerunt propoſita à parte contraria, ad infirmandam electionem; quibus tamen non fuit nixus Pontifex, ad illam irritam definiendam. Pontifex autem illam electionem irritauit; quia fuit electio duorum ad vnam præbendam ſine diuiſione. Quod erat contra Turonen. Concilium, ibi allegatum. Neque Canonici intenderunt præbendam diuidere, & numerum augere; forte id non poterant, neque ex textu contrarium colligitur. Neque Pontifex definit; an ſi Canonici Iuramentum præſtitiſſent, non augendi numerum, ſibi præiudicare poſſint. Sed id intactum reliquit. Sed gratis conceſſo, quod allegationem illam Pontifex approbaret, & ob eam cauſam infirmaret electionem dicendum eſſet, non potuiſſe illos Canonicos numerum Canonicorum augere; non quia aduerſus Iuramentum de non augendo procedebant; ſed quia procedebant aduerſus ſtatutum in fauorem Eccleſiæ & boni communis à ſe factum: cui derogare non poterant. Dupliciter quælibet communitas (inquit Couarr. *de pactis 2. p. §. 2. num. 5. verſ. ego verò*) ſtatuere poteſt, primo in ſui vtilitatem, alterius, ſeu boni communis, priori ſtatuto, etiam Iuramento firmato; & à Papa confirmato derogare poterit *ex cap. cum acceſſiſſent de conſtitutionibus.* Imò etiam ſi eſſet cum clauſula irritante ex *Textu in cap. ſtatutum §. in nullo, & §. vltimo de reſcriptis in 6.* Vbi permittitur eis, in quorum fauorem latum eſt decretum cum clauſula irritante derogare. Conſentit Sanchez *lib. 3. ſum. cap. 15. n. 6.* Secundò ſtatuere poteſt in fauorem boni communis, cui ſtatuto nequit communitas derogare. Quia ratione iuris acquiſiti ſibi ſublata eſt poteſtas aliter diſponendi. Sic Sanchez & Couar. *ſupr.* Sit ergo certum actum alias validum non reddi infirmum ex eo, quod fiat contra Iuramentum.

3. Verum ſi de actibus, qui omnem ſuam firmitatem accipiunt à Iuramento, ſermo ſit, maior eſt dubitatio; an ſi fiant contra prius Iuramentum validi ſint, & firmi Iuramento confirmati. Verbi gratia iuraſti, non alienare fundum dotalem; neque hæreditati paternæ renunciare alienaſti; vel renunciaſti Iuramento alienationem & renunciationem factam confirmans; eritne alienatio vel renunciatio valida?

Graues Doctores cenſent, valere. Sic Antonius Gomez *leg. 53.* Tauri *num. 58.* Suarez *lib. 2. de Iuramento cap 30. à num. 4.* & eam probabilem reputat Sanch. *lib. 3. in Decal. c. 12. num. 38.* Mouentur: quia ex Iuramento priori non alienandi, non eſt tibi ſublata facultas alienationis faciendæ & Iuramento confirmandæ. Nam Iuramentum priùs ſolum videtur te impedire, alienationem licitè facere; non tamen ſi facias, quod valida ſit. Nam ſi aliqua ratione id impedire poſſet, eſt: quia impediret vires Iuramenti neceſſarij ad valorem alienationis. At Iuramentum non alienandi, non contradicit Iuramento non reuocandi alienationem factam. Aliud enim eſt, alienare; aliud non repetere alienationem. Ergo Iuramentum non alienandi, non contradicit Iuramento, de non repetendo alienationem. Ergo non impedit eius vires.

4. Pro reſolutione aduerte; tripliciter poſſe mulieres Iuramentum facere, non alienandi fundum dotalem; non donandi coniugi; non renunciandi paternæ hæreditati. Primò in gratiam & fauorem hæredem, & ſucceſſorum. Secundò in honorem Dei, vt inde aliquas eleemoſynas, & pia opera præſtent. Tertio in propriam vtilitatem, vt commodiùs viuant.

Si in propriam vtilitatem primum Iuramentum factum eſt, cenſeo veriſſimum eſſe, alienationem factam validam eſſe; & abſque vllo periurio Iuramento confirmari; quia actu ipſo alienationis renuncians Iuramento, quod in tui vtilitatem præſtitiſti; cenſetur enim factum eſſe ſub hac tacita conditione; niſi contrarium tibi vtile eſſe iudicaueris. Sic Sanchez *lib. 3. ſumm. cap. 12. num. 39. in fine.* Antonius Gomez *leg. 52.* Tauri *num. 58.* Et idem eſt ſi Iuramentum, de non alienando, factum ſit in gratiam hæredum, & ſucceſſorum, & non ſit acceptatum. Nam ante acceptationem reuocari pro libito poteſt; & ipſamet alienatione cenſetur reuocatum. Sic Sanch. *illo cap. 12. num. 39.* Et conſentit ex parte Suarez, quatenus cenſet alienationem validam eſſe; contradicit tamen, ſed immeritò; in eo quòd exiſtimet, periurium committi in ſic alienando.

Verum ſi Iuramentum non alienandi, in gratiam alterius factum ſit, & ab eo acceptatum. Communis ſententia defendit, alienationem inualidam eſſe, inualidumque Iuramentum, eam confirmans. Sic tenent poſt alios relatos Couarr. de pactis *2. p. §. 2. num. 4.* Gutierr. de Iuramento *1. p. cap. 1. num. 87.*

&

& *cap.3. num.14.* Suarez *lib.2.cap.30 num.10.* Antonius Comez *lege 52.* Tauri *num. 58.verſ.1.* Sanch. lib.6. de matrimonio *diſp.13.num.6.lib.3. ſum. cap.12. num.39.* Bonacina *tom.2. diſp.4.punct.6.in fine.* Ratio eſt clara; quia alienatio vires habere non poteſt, niſi Iuramento firmetur. At alienatio præiudicans tertio firmari non poteſt Iuramento; cum Iuramentum non obliget in tertij præiudicium, *cap. quamuis pactum de pactis in 6.* Ergo illa alienatio, quæ eſt contra Iuramentum, non alienandi, vires habere non poteſt. Vt pote præiudicans tertio, cui eſt ius quæſitum ex Iuramento accepto. Hæc ratio conuincit, eſto ſolum ſimplici promiſſione acceptata obligatus eſſes, non alienare; quia iam alienatio cedit in præiudicium tertij; & conſequenter Iuramentum illam confirmans. Sic Couarruuias Sanch. Suar *ſuprà.*

At ſi Iuramentum, non alienandi, intuitu pietatis præſtitiſſes: credo probabiliùs, alienationem inualidam eſſe: quia eſt inualidum Iuramentum illam confirmans. Sic expreſsè Sanch. *lib.6. diſput.13. de matrimenio, n.5.* Bonacina Couarr. Gutierr. & alij. Generaliter loquentes non valere alienationem; neque Iuramentum contra priùs Iuramentum. Ratio eſt: quia alienatio ad ſui firmitatem indiget Iuramento, ſed Iuramentum firmare non poteſt alienationem iniquam, & illicitam; non enim Iuramentum eſt vinculum iniquitatis. At illa alienatio iniqua eſt, vt pote contra Iuramentum facta. Ergo firmare non poteſt illam alienationem; quid enim eſt firmare alienationem, niſi velle, & promittere alienationi perſiſtere? Sed iurare perſiſtere alienationis iniquæ, eſt iniquum. Ergo non poteſt eſſe Iuramentum obligatorium. Adde: Non ſolum alienationem contrariam eſſe priori Iuramento; ſed etiam ipſum ſecundum Iuramentum, & ipſius immediatum obiectum. Nam iurans non alienare iurat, ſe non facturum alienationem veram, & validam. Sed alienatio vera, & valida continet eſſentialiter, tum alienationem, tum Iuramentum alienationi non contraueniendi. Ergo non ſolum materialis alienatio, ſed Iuramentum, non contraueniendi alienationi, contrariantur directè priori Iuramento; ac proinde committitur periurium. Nequit ergo ex periurio alienatio confirmari.

5. Dupliciter ſuperior doctrina limitari ſoler, primò: ne procedat, cum is, in cuius fauorem præſtas alienationem, inuincibiliter ignorat, te Iuramento obſtrictum eſſe, ad non alienandum. Quod in dubio præſumendum eſt. Nam æquum non eſt, vt abſque culpa careat vtilitate alienationis illiuſque valore, & fructu. Sic Antonius Gomez *lege 52.* Tauri *num.58.* Antonius Gag. in communibus opinionibus *lib.2.tit.de iureiurando concluſio 1.num.6.* & alij plures relati à Sanch. *lib.6. de matrimonio diſp.13 n.7.& lib.3.ſumm.cap 12.n.42.* Gutierr. de Iuramento *1.p.cap.1. num.88.* Dicens non eſſe ab ea recedendum in iudicando, & conſulendo; eſto in rigore contraria verior ſit. Sed iure optimo hanc limitationem reiiciunt Couarr. de pactis *2. p. §. 2. num. 4.* Seraphinus de priuilegiis Iuramenti *priuileg.75.num.51.* Matienço lib 5. compilation. *tit.10. leg.3.* Gloſſ. *13. num.9.* Sanch. *locis allegatis*, & alij *apud ipſos.* Quia ignorantiâ illius, in cuius gratiam præſtas alienationem, impedire non poteſt periurium, quod in alienando committis. Quo ſtante nequit alienatio confirmari.

Secundò limitatur, ne procedat cum malitioſè priori Iuramento te obſtrinxiſti; vel dolo tacuiſti tempore alienationis. Nam tunc ratione doli commiſſi contractus firmatur. Sic Matienço Couarr. & Gutierr. *ſuprà*, & addit Gutierrez illo *c.1. num.89.* Eſſe optimam cautelam in iis alienationibus, alienantem cogere, iurare non ſolum alienationem; ſed quod Iuramento obſtrictus non ſit ad non alienandum. Nam poſito hoc Iuramento doloſè procedit, ſi fortè Iuramento inueniatur obſtrictus; & conſequenter alienatio confirmabitur. Cæterum omnino dicendum eſt, alienationem firmam non eſſe; quia huiuſmodi dolus non ſaluat à periurio alienationem, & Iuramentum ei appoſitum. Bene tamen ratione doli obligatur alienans ad intereſſe; ſicuti ſi alienatio effectum haberet. Sic Sanch. *lib.3.Decal.cap.12.num.41. in fine.*

PVNCTVM X.

Vtrum tanta ſit obligatio Iuramenti, vt non detur locus compenſationi?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur prima ſententia negans te poſſe vti compenſatione.*
2 *Communis eſt ſententia affirmans.*
3 *Limitant aliqui, vt procedat in debitis poſt Iuramenti obligationem contractis, ſecùs in contractis tempore Iuramenti. Non admittitur limitatio.*
4 *Quid ſi expreſſam intentionem haberes non vtendi compenſatione? Alij affirmant. Alij negant, conciliantur.*
5 *Fit ſatis argumentis num. 1. propoſitis.*
6 *In quibus rebus non detur locus compenſationi?*

PVnctum difficultatis in eo verſatur: an promittens ſub Iuramento pecuniam ſoluendam vti poſſis compenſatione tantumdem debiti, & ſic excuſari à ſolutione & à periurio.

1. Prima ſententia & ſatis communis negat. Sic Innocent. Ioann. Andreas, Anton. Felinus, & alij *in c. adminiſtram el 1. de iureiurando* quos refert & ſequitur cum aliis pluribus Gutierr. *3.p.de Iuramento cap.6. num.5.& 7.* variis rationibus eam comprobant.

Primò ex textu (qui videtur expreſſus) in *cap. ad noſtram de iureiurando el primero.* Vbi accipientes mutuo pecuniam, & concedentes creditori in pignus quaſdam poſſeſſiones, iurarunt, nullum grauamen ſe eſſe illaturos circa eas poſſeſſiones, & reditus, quo vſque ei mutuatam pecuniam perſoluerent. Quo Iuramento non obſtante antequam creditor mutuatam pecuniam percepiſſet, excommunicatione coactus eſt, poſſeſſiones, & reditus in pignus ſibi datos reddere mutuatiis. Summus verò Pontifex mandauit Archiepiſcopo Rothomagen. qui cenſuram tulit, vt eum à cenſura abſoluat, accepta priùs ab eo ſufficiente cautione, quod eius mandato ſtabit. Deinde imperauit, vt mutuatij reſtituant redditus, & poſſeſſiones mutuanti, quoviſque pecunia mutuata perſoluatur; ne in periurio perſeuerent, moleſtiam mutuanti inferentes. Poſtremò præcipit, vt poſtquam pecunia fuerit integrè ſoluta, mutuantem moneat, vt quidquid vltra ſortem conſtiterit, recepiſſe; id totum mutuatiis reſtituat. Quod ſi parere noluerit; iterum excommunicationis ſententia innodetur; quouſque opere compleat. Hæc in illo cap. Ex quo videtur inferri, iurantem abſolutè ſoluere debitum, vti non poſſe compenſatione; neque ei in debitis iuratis ſuffragari poſſe hanc exceptionem, Si quidem iis mutuatiis non permittitur computare in ſortem fructus, quos mutuans ex pignore ſibi dato recepit; ſed eis præcipitur pecuniam ſoluere, ſicut iurarunt. Et poſtea quod repetere poſſit, quidquid vltra ſortem conſtiterit, mutuantem recepiſſe.

Secundò probatur ex Gloſſa communiter approbata in *leg. ſi pecuniam verbo neceſſe habeas ff. de conditionibus cau. dat.* Vbi obligatus ad factum ſub Iuramento non ſatisfacit ſi præſtet intereſſe. Quia intereſſe non venit ex natura primordialis obligationis, ſed ex mora. Vt multis comprobat Couarr. de pactis *1. p. § 4. num.6.* Antonius Gomez *2.tom.variarum cap.2.num.10.* Gutierr. *1. p. de Iuramento cap.39. num.6.* At debitum compenſandum non venit ex obligatione Iuramenti, ſed ex alia obligatione diſtincta, & Iuramento accidentali. Ergo obligatio Iuramenti cum illo debito compenſari non poteſt.

Tertio non poteſt Iuramentum per æquiualens impleri; ſed neceſſariò videtur implendum in ſpecifica forma; eo quòd nemo obligatur rem ſuam, ſeu ſibi debitam commutare. Quapropter in *§. 1. inſtitut. quibus modis tollatur obligatio*, dicitur obligationem tolli ſoluto eo, quod debetur, vel dando aliud pro alio conſentiente creditore. Ergo à contrario ſenſu non conſentiente creditore; etiamſi detur aliud pro alio, non ſoluitur. Ergo iurans ſoluere centum ſibi mutuata, non ſoluit remittendo alia centum creditore non conſentiente. Ergo Iuramento compenſatione non ſatisfacit. Confirmo, compenſatio non eſt vera, ſed ficta quædam ſolutio vt teſtatur Pomponius *lege 3. ff. de compenſationibus* ibi. Intereſt noſtra potiùs non ſoluere quam ſolutum repetere. Sentit ergo conſultus, compenſationem ſolutionem non eſſe. Confirmo ſecundò: in debitis priuilegiatis, vt in depoſito non admittitur compenſatio, *leg. penult. Cod. de depoſitionibus leg. vlt. Cod. de compenſationibus cap. fin. §. ſane de depoſitionibus leg. 27. ad finem tit. 14. partita 5.* Ergo ſignum eſt, non eſſe veram, & propriam ſolutionem. Deinde depoſitarius vti non poteſt compenſatione propter maximam fidem, quam tenetur deponenti ſeruare, vt dixi Gloſſ. *in leg. ob negotium ff. de compenſationibus.* Ergo à fortiori iurans vti non poterit compenſatione; cum maiori & nobiliori fide teneantur, Deo promiſſum ſeruare.

Quartò ſi compenſationi eſſet locus in debitis iuratis; qui ſub Iuramento promiſit, vſuras ſoluere; poſſet vti compenſatione; ſi non omnino antecedenter, tamen cum mediam quantitatem vſurarum ſoluiſſe, v. g. Promiſiſti centum vſurario; ſoluis quinquaginta: poſſes vti compenſatione, & non ſoluere alia quinquaginta. Contrarium autem videtur conſtare ex *cap. debitores de iureiurando*, & *aliis ſæpè repetitis.* Vbi iurans ſoluere vſuras, ne periurus exiſtat, tenetur, eas in integrum ſoluere, & poſtea poterit repetere, ſi velit. Non ergo in debito iurato admitti poteſt compenſatio.

2. Verum affirmatiua ſententia, iurantem ſcilicet ſoluere debitum, poſſe vti compenſatione; eamque exceptionem apponere poſſe, cum debitum ſoluere imperatur, defenditur communiter à Legiſtis & Theologis, mihi probabilior videtur. Sic Bartol. *leg. ampliùs, ff. rem ratam habere.* Panormitanus *in ſupradicto cap. ad noſtram.* Baldus Cumanus, Faber. & alij quos refert & ſequitur Couarr. de pactis, *1. p. §. 5. n 9.& 10.* Petrus Nauarr. lib. 3. de reſtitutione *c. 1. par. 4. dub 9. num. 341.*

in nona editione. Sanch. *lib.* 3. *ſum. cap.* 17. *num.* 15. Molina de Iuſtitia, *tract.* 2. *diſp.* 560. *pag.* 2004. Suar. tom. 2. de religione *cap.* 37 *à num.* 9. Eman. Suar. verbo *Iuramentum num.* 20. Acor. 1. *p. lib.* 11. *cap.* 8. *quæſt.* 10. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *de Iuramento p.* 16. *verſ.* 3. Conſentit Gutierr. ſi debita contractantur poſt iuramentum; deinde ſi compenſanda debita fuerint iurata, *num.* 2. & 8.

Rat o potiſſima ſumitur ex *leg.* 4. §. *ſoluiſſe ff. de re iudic.* ibi. Soluiſſe, accipere debemus, non tantum eum, qui ſoluit; verùm omnem omnino qui ea obligatione liberatus eſt. Sed compenſans debitum, liber manet ab illius ſolutione, *leg. ſi amos ff. de compenſationibus leg. ſi peculium la.* 1. §. *de illo* verſ. *quid ſi hæredi ff. de ſtatu liberis*, vbi ſeruus qui liber efficitur traditis decem hæredi; ſi hæres totidem ſeruo debeat; & ſeruus compenſet, liber manet. Quia compenſando cenſetur tradidiſſe. Ergo compenſans cenſendus eſt ſoluiſſe. Ergo verè Iuramento ſatisfeciſſe. Item in *leg. ſi debitor ff. qui potiores in pignore habentur*, & *in leg. dediſſe ff. de verborum ſignif.* & *leg.* 20. *tit.* 15. *partita* 5. & *aliis Textibus*, quos latè & eruditè congerit Greg. Lop. *d. leg* 20. Cou. Gut. & Mol. *ſuprà*, habetur, compenſationem admitti debere in debiti ſolutionem, & compenſante cenſendum eſſe ſoluiſſe. Deinde probat Bartolus alio efficaci fundamento ſuam ſententiam ex eo, quòd non ſit cenſendus infidelis, & periurus qui iuſtè impeditus eſt à promiſſis implendis, *leg. fin ff. qui ſatisdare cogan.* At promittens tibi ſoluere centum, iuſtè impeditur à promiſſione implenda ex eo, quòd tu totidem debita non ſoluis. Non enim æquum eſt, te velle, aliorum debita exigere, tuis debitis inſolutis.

3. Aliqui Doctores limitant hanc ſententiam, vt procedat in debitis poſt Iuramenti obligationem contractis; ſecùs in contractis tempore Iuramenti. Sic Gutierr. *d. cap.* 6. *num.* 7. Nam ſi tempore quo iurasti creditori ſoluere, etas creditor & poteras tuum debitum alterius debito compenſare; & non obſtante hac potentia iurasti ſoluere; clarè indicaſti, te renunciare compenſationi. At ſi poſt Iuramentum contraxiſti debitum; cum iam res mutatæ ſint, non videtis compenſationi renunciaſſe.

Cæterum veriùs exiſtimo, in vtriſque debitis te vti poſſe compenſatione. Quia rationes ſecundæ ſententiæ, æquè probant, ſiue debita contracta ſint tempore Iuramenti, ſiue poſt. Et quia neceſſe non eſt, ſic iurantem habere intentionem, renunciandi compenſationi; ſed potiùs credendum eſt, ea intentione iurare, quæ ſibi vtilior, & commodior eſt; qualis eſt intentio ſoluendi ſolutione legitima & à iure approbata.

4. Sed quid ſi expreſſam intentionem haberes, non vtendi compenſatione, poſſesne illa vti? Negat Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *de Iuramento p.* 16. *verſ. addit.* Affirmat Sanch. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 16. Sed fœdere diſtinctionis facilè conciliantur, Si enim eam intentionem, non vtendi compenſatione, creditori manifeſtares; ipſéque ſic Iuramentum ſibi factum acceptaret; ſine dubio non poſſes vti compenſatione. Quia in eius fauorem, hac via ſoluendi debitum, renunciaſti, & ſic cenſent plures, factum eſſe in caſu *c. ad noſtram* 1 *de iureiurand.* Verum ſi eam intentionem creditori non declaraſti; tibi obeſſe non poteſt; quominùs compenſatione vtaris, Quia illa promiſſio ſub ea qualitate, non vtendi compenſatione, non fuit à creditore acceptata. Quia ipſi manifeſta non fuit. Deficiente autem acceptatione in promiſſione etiam iurata deficit obligatio. Vt bene probat Sanch. *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 7. Ergo illa promiſſio non vtendi compenſatione, non inducit eo caſu obligationem. Neque obſtat, creditorem acceptare promiſſionem ſibi factam modo ſibi vtiliori. Acceptat inquam modo ſibi vtiliori, quo poteſt; at modus ſibi incognitus, & alienus à natura promiſſionis ſibi poſſibilis non eſt; ac proinde non poteſt acceptare promiſſionem ſolutionis ſub excluſione compenſationis; cum talis excluſio ſibi non fuerit manifeſtata; ſed potiùs incognita; ſitque aliena à communi promiſſione.

5. Reſtat, vt argumentis prioris ſententiæ ſatisfaciamus. Ad primum *ex cap. ad noſtram.* Variè Doctores reſpondent, quorum ſolutiones refert & eruditè impugnat, Couarr. *illa* 1. *p. de pactis*, §. 4. *num.* 10. *verſ. ſupereſt.* Ipſéque tandem dicit in illo capite compenſationem non admitti ante veram debitæ quantitatis ſolutionem. Quia non erat liquidum, & certum quantum creditor ex pignore percepiſſet. Si quidem præcepit Pontifex vt poſtquam pecunia eſſet ſoluta, mutuans compelleretur ſoluere, quidquid conſtiterit deductis expenſis vltra ſortem recepiſſe. Non igitur tunc conſtabat. At qui cum compenſatio locum non habeat, quando debitum certum non eſt. *lege ſi debeas ff. de compenſationibus.* Non potuit in præſenti locum habere. Et licet inde videatur inferri, dari non poſſe, quoties expenſæ deducendæ ſint, quia vſque deducantur, debitum liquidum non eſt; reſpondet ipſe Couar. admittendo ſequelam in promiſſionibus iuratis. In iis enim (ait) exceptionem compenſationis opponi non poſſe, niſi omnino, & ſtatim appareat liquido, quos fructus ex pignore creditor perceperit; hunc eſſe opinatur Iuramenti effectum. Secùs verò dicendum affirmat in promiſſionibus abſque Iuramento; ſi breui tempore iudicis, aut boni viri arbitrio veritas deduci poſſit. Verum hæc ſolutio mihi non probatur. Nam cum Iuramentum ſit promiſſio in acceſſorium, ſequiturque illius naturam; promiſſioque ſoluendi debiti, admittat exceptionem compenſationis; quando breui tempore, ſcilicet intra decem dies iuxta *legem regiam* 20. *tit.* 14. *partit.* 45. probari liquido poteſt, eaſdem conditiones Iuramentum habere debet; niſi per expreſſam intentionem iurantis & à parte acceptatam, fuerint excluſæ. Quapropter reſpondeo cum Molin. tom. 2. de iuſtitia *diſputat.* 560. *pag.* 2005. verſ. *cap. verò* & cum Suar. lib. 2. de Iuramento *cap.* 37. *num.* 17. in illo textu non negari à Pontifice, mutuatarios facere poſſe, pro mutuo debito compenſationem de fructibus, à mutuante ex poſſeſſionibus, & redditibus perceptis. Nam licet præcipiat Archiepiſcopo mutuantem abſoluere illi qui reſtituere poſſeſſiones & redditus; quo vſque pecunia ei à mutuatariis reddatur; inde non infertur, non poſſe mutuatarios compenſare fructus, à mutuante perceptos in ſortem. Præcipitur namque reſtitui mutuandi poſſeſſiones & redditus; eo quod ei fuerint ablati, antequam ſuam ſortem deductis expenſis percepiſſet. Quod erat contra rationem, & contra Iuramentum ab illis mutuatariis præſtitum, de nullo inferendo grauamine ſuper poſſeſſiones & redditus; quo vſque pecunia mutuata illi perſolueretur. Inferebant autem grauamen; ſiquidem poſſeſſiones & redditus ab illo auferebant; abſque eo quòd neque in pecunia, neque in fructibus pignoris ſortem deductis expenſis percepiſſet. Vnde ſi clarè conſtaret mutuantem deductis expenſis integrè ſortem percepiſſe, non præciperet Pontifex, poſſeſſiones & redditus mutuanti reddi. Vel ſi mutuatarij antequam à mutuante pignora auferrent, vellent compenſationem facere de redditibus pignoris, à mutuante perceptis; idque breui tempore iuxta *leg. vlt. Cod. de compenſationibus*, & *cap. bona fideſ. in fine de depoſito*, & *ibi Gloſſam Innocentium*, *Accurſium & alios* taliter quod parati eſſent, ſoluere ſi fructus à mutuante percepti mutuo dato non adæquarent; nullo modo Pontifex ſententiam Archiepiſcopi improbaret neque cenſeret mutuatarios contra Iuramentum venire. Quæ explicatio textus procedit in ſententia communi affirmante, mutuatarios illos iuraſſe, pecuniam integrè ſoluere mutuanti; & inſuper nullum ei grauamen inferre ſuper poſſeſſiones & redditus; quo vſque eſſet ſoluta. Nam ſi dicamus, mutuatarios illos non ſe obſtrinxiſſe Iuramento, de mutuata pecunia ſoluenda; ſed ſolum de non inferendo grauamine mutuanti, quo vſque pecunia illi eſſet ſoluta; nemini dubium eſſe poteſt; quin tunc mutuatariis liceret compenſatio fructuum; quod autem ex illo capite non colligatur, mutuatarios iuraſſe; de ſoluenda pecunia; ſed ſolum de grauamine non inferendo in pignoribus, probat optime Molina *illa diſp.* 560. *in reſponſ. huius Textus circa medium pag.* 2008. & legenti textum facilè conſtare poteſt. Solum difficultatem facere poſſunt illa vltima verba, *cum autem ei pecuniam ſicut iurauerant perſoluerint* in quibus videtur inſinuari Iuramentum fuiſſe de ſoluenda pecunia. At ſi rectè illa verba expendantur; inde non colligitur. Senſus enim illorum verborum eſt, & ex antecedentibus conſtat. Cum mutuatarij pecuniam mutuanti perſoluerint, ſicut iurauerunt, hoc eſt, ſine vllo grauamine illato in pignoribus; ad reſtituendum quidquid deductis expenſis vltra ſortem recepiſſe, conſtiterit mutuans inducatur. Tandem aduerto ſi daremus, (vt aliquibus placet) mutuatarios iuraſſe in illo capite de nullo grauamine mutuanti inferendo; quo vſque ſoluerent pecuniam in ratione pecuniæ diuerſæ à valore fructuum ex pignore perceptorum; idque eſſet mutuanti ſufficienter manifeſtatum, vt ſic promiſſionem acceptaret; tunc certè compenſationis exceptione vti non poſſent. Quia per Iuramentum illi eſſet renunciatum, vi diximus ſupra: In dubio autem nunquam eſt cenſenda compenſatio renunciari; eo quòd in dubio ſemper præſumendum ſit, actum fieri ſecundum propriam naturam, vt bene Menochius de præſumptionibus *lib.* 6. *tota præſumpt.* 10. & promiſſio ſoluendi mutuo acceptum, non ſecum trahit renunciationem compenſationis.

Ad ſecundum concedo, obligatum ad factum non ſatisfacere ſi præſtet intereſſe; non quia intereſſe ex diuerſa radice proveniat; ſed quia moraliter eſt quid diſtinctum, & diuerſum à facto, quod eſt promiſſum. At debiti remiſſio (moraliter loquendo) eſt æquiualens quantitati debitæ ſolutio; eáque de cauſa obligatus ſoluere, ſatisfacit debiti remiſſione.

Ad tertium dico non poſſe Iuramentum per æquipollen impleri. At in compenſatione non per æquiualens ſed per idem adimpletur. Idem enim eſt (moraliter loquendo, & ſecundum æſtimationem humanam) remittere tibi centum, quæ mihi debes, ac ſoluere tibi centum. Ad confirmationem. Primò dico; vocari compenſationem à iure fictam ſolutionem, accepto nomine ſolutionis, provt à compenſatione, & vera debiti ſatisfactione diſtinguitur: eſt tamen vera & rigoroſa ſatisfactio, & propria ſolutio in communi vſu loquendi ex diſputatione, & interpretatione iuris: Et licet hoc in depoſito & in debito regio non admittatur; hoc tamen eſt ex particulari priuilegium illorum contractuum ob bonum commune; ne inquam homi-

nes

nes retardentur à deponendo penes publicos depositarios timore litium, & compensationum; neue solutio debita Regi differatur. Secluso autem hoc particulari priuilegio tam in deposito, quam in debito regio vti posses compensatione, vt rectè Molina *suprà*.

Ad quartum respondeo; non posse, iurantem soluere vsuras, vti compensatione in illis soluendis; quo vsque vsuratius sit debitor, vt in argumento insinuatur. Non est autem debitor quo vsque accipiat. Cum verò vrges datis quinquaginta ex centum vsurario promissis: tum vsurarius est debitor quinquaginta. Ergo potero retinere alia quinquaginta in recompensationem. Respondeo; nequaquam esse concedendum eo quòd in hoc Iuramento vsurarum; quia est de re non debita, exclusa videatur quælibet compensatio cum illo debito iniusto. Alias fere nullius effectus esse, tale Iuramentum. Maior autem est dubitatio, an sic iurans soluere vsuras, vti possit compensatione: si vsurarius aliunde est debitor? Negat Sotus lib.8.de iustitia *quæst.* 1. *artic.* 7. *circa solutionem ad* 3. vers. *fortasse*. Sayro in claui Regia *lib.5.cap.6. n.15.fine*, & Suarez tomo.2. de Religione *lib.* 2. *de Iurament. cap* 37. *num.* 12. in eandem sententiam propendet. Mouentur, quia mutuatarius non iurauit transferre vsurarum dominium sed illarum traditionem. In remissione autem debiti nulla est traditio, sed remittitur, quod est iam traditum: Ergo non satisfacit Iuramento. Nihilominus Molin. *dicta disp.*560. *pag.*2010. vers. *ad confirmationem*, & Sanchez *lib.3.in Decalog.cap.*11.*num* 11. Affirmant & bene, vti posse compensatione sic iurantem. Nam illa remissio debiti, licet non sit materialis traditio; est tamen moralis traditio, & solutio vsurarum. Censeri ergo per illam debet tali debito satisfactum. Si enim (vt bene Sanchez *suprà*) debito iustè contracto hac compensatione fit satis; cur ergo debitum iniustum potiori priuilegio gaudere debet.

6. Restat notandum; compensationem non in omnibus debitis locum habere; sed solum in illis rebus, quæ functionem suscipiunt; quæque ex parte vtriusque sint eiusdem rationis, & speciei æqualisque valoris, & bonitatis. Vt ex his, quæ notat Panormitanus *in c. bona fides de depositis, n. vlt.* & Greg. Lop. *leg.*11.*tit.*14 *partita* 5. & Molin. *disp.illa* 560 *pag.*2012. est perspicuum. Vnde si tibi debeo tres modios tritici indeterminatos, & tu mihi tantumdem debes; possum vti compensatione; secùs si ego triticum, & tu oleum, aut pecuniam. Quia non sunt eiusdem rationis & speciei. Non enim iustum est, te cogi acceptare pecuniam, aut oleum, quod debes, pro tritico, quod ego debeo. Aliàs posset debitor tritici satisfacere, reddendo oleum, aut pecuniam quod est absurdum. Verum etsi in his rebus diuersæ speciei locus non sit compensationi; est tamen locus retentioni; donec debita pecunia soluatur. Vt expressè traditur in *leg. si non sortem* §. *si centum ff. de conditionibus indebiti*, ibi Ager autem retinebitur, donec debita pecunia soluatur. Et ita tradit Panormitanus *ibi num.* 8. Molin. *dicta disp.*560 *pag.*2013. Et tunc si exigis à me triticum tibi debitum; ego vti possum remedio reconuentionis, vt mihi soluas pecuniam debitam. Et neque censeor periurus in non soluendo, quo vsque tu paratus sis cum effectu soluere, habet enim Iuramentum soluendi, hanc tacitam à iure conditionem, nisi ex aliquo titulo legitimam excusationem habeam. Vt probat Suarez lib.2.de Iuramento *c.*37.*n.* 11. Vide Andream Fachineum *lib.*11.*controuersiarum c.*7.

Alij itidem sunt casus, in quibus compensatio locum non habet. Vt in debitis ad commune bonum, qualia sunt, quæ debentur ad munitiones, ad fontium, pontiumque constructionem, ad bella aut in tributum, aut fidei commissum, vt habetur *leg. in ea, Cod. de compensationibus & leg.*26.*tit.*14. *partita* 5. & ibi Gloss. aut quæ debentur alicubi in pœnam ex condemnatione delicti aduersus illum commissi. *leg. vltima Cod. de compensationibus & leg.*27.*tit.*14.*partita* 5. Et latiùs tradit Molin. *illa disp.* 560.*circa finem.*

PVNCTVM XI.

Vtrum obligatio Iuramenti ita sit personalis, vt nullomodo transeat ad hæredes vel successores?

SVMMARIVM.

1 *Ex parte iurantis non extenditur obligatio Iuramenti ad eius successores, bene tamen obligatio contractus.*

2 *Obligatio promissionis per iniuriam extorta non transit ad hæredes iurantis.*

3 *Ex parte eius, cui Iuramentum præstatur, transit iuramentum ad eius hæredes.*

4 *Explicatur textus in c. finali de foro competenti lib.*6.

5 *An relaxatio iuramento ad effectum agendi à iudice Ecclesiastico, possit coram ipso examinari iustitia contractus. Affirmant aliqui, verius est oppositum.*

6 *Laïcus iuramento firmans contractum non amittit forum Laïcale tametsi Ecclesiasticum impediatur.*

7 *Excipiendum est iuramentum soli Deo præstitum Vel cum dubium est de obligatione iuramenti, dubium inquam iuris.*

DE obligatione Iuramenti in honorem solius Dei facti, quia cum voto coincidit, tractatu sequenti agemus. Modo de obligatione Iuramenti, in fauorem hominum præstiti, instituitur disputatio, an ad successores extendatur.

1. Dicendum ergo est, ex parte iurantis obligationem contractus. Sic post alios antiquiores Couarr. *cap.requisiti num.*2. *de testamentis & cap.quamuis pactum de pactis in* 6. 1. *p.* §. 5. *num.*4. Gutierr. Authent. *Sacramenta puberum, à num.*15. *& de iuram.*3.*p.cap.*12.*num.*7. Antonius Gomez *tom.*2. *variar. cap.* 14. *num.* 19. Matiençó lib. 5. recopilationis *tit.*12. *leg.*3. Gloss.13.*num.*10. Sanchez *lib.*3. *sum. cap.*13. *num.*1. *& lib.*4. *cap.* 15 *num.* 14. Suarez lib 2. de Iuramento *cap.*31.*num.*12. Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 4. *punct.*15. *num.* 1. Ratio prioris partis; nempe obligationem Iuramenti ad hæredes iurantis extendi non posse, est manifesta, quia votum, & Iuramentum esse non potest sine intentione & voluntate & vouendi, & iurandi. Sed qui voluntatem & intentionem non habuit iurandi (qualiter non habuerunt successores iurantis) obligari Iuramento non potest. Ergo obligatio Iuramenti ex ratione Iuramenti non extenditur ad successores. Secunda pars conclusionis, nempe obligationem contractus ad successores extendi, etiam est clara. Quia hæc obligatio fundatur in iure acquisito parti, & est obligatio iustitiæ, quæ ad successores transmittitur iuxta Textum *in lege necessariò* §. *quod si pendente ff. de periculo & commodo rei venditæ.*

2. Ex hac ratione infertur obligationem promissionis iniuriosè extortæ, Iuramentóque firmatæ, nequaquam ad hæredes iurantis transire. Quia ex hac promissione nullum ius promissario acquiritur. Ergo non est vnde iurantis hæredes obligari possint, cum ipsi ex religione Iuramenti non obligentur. Sic Doctores *supra* relati. Dices ex Iuramenti religione obligantur hæredes illius, qui iurauit dare aliquam eleemosynam pauperi in honorem Dei, tametsi pauperi nullum fuerit ius acquisitum. Ergo nullum esse ius promissario acquisitum in promissione iurata iniuriosè extorta impedire non potest hæredum obligationem.

Respondet Sanch. *lib.*3 *in Decal. cap.*13. *num.*5. Negando consequentiam, & rationem differentiæ assignat in eo, quod Deus acceptat Iuramentum, de danda eleemosyna pauperi, non solum ob Iuramenti religionem, sed etiam ob vtilitatem pauperis, quam acceptationem non præstat in Iuramento iniuriosè extorto. Non enim acceptat hoc Iuramentum quatenus redundat in vtilitatem extorquentis, sed potiùs illam vtilitatem detestatur. Cæterum etsi hoc verum sit, difficultatem non soluit. Nam siue Deus acceptet Iuramentum in vtilitatem eius, cui iuratum est, siue non, in vtroque casu obligationem religionis in iurante inducit, & nullam aliam. Ergo in vtroque casu, vel in neutro ad hæredes iurantis transire debet obligatio. Dicendum igitur est, hæredes illius, qui eleemosynam pauperi iurauit, obligatos esse non ex vi Iuramenti, & ex obligatione religionis, sed ex obligatione iustitiæ quæ orta est ex additione hæreditatis, iure sic disponente. Ius namque Canonicum, & Ciuile non permittit hæredem hæreditatem adire, nisi sub conditione exequendi vota, & Iuramenta defuncti. *Argum. cap. licet de voto, & cap. si hæredes de testamentis*, & expressè *cap. ex parte de censibus*, & clariùs *ex leg.* 2 *ff. de pollicitationibus*, vbi. Qui decimam partem bonorum vouit, si decesserit ante solutionem; hæredem illius hæreditario nomine decimis obstrictum esse. Voti enim obligationem ad hæredem transire constat. At nullibi reperitur obligationem Iuramenti per iniustitiam extorti ad hæredem transire, nec sub ea conditione hæreditatem concedi. Ergo non est affirmandum, cum obligatio Iuramenti strictam habeat interpretationem.

3. Si verò sermo sit ex parte eius, cui Iuramentum præstatur etiam est constans sententia, ad hæredes transire actionem à defuncto habitam. Sic Doctores *num.*1.*relati.* probarique facilè potest, primo *ex c.veritatis de iureiurando.* Vbi Iuramentum fidelitatis extenditur ad successores; etiamsi illorum non fuerit facta mentio expressa, vt notauit Abbas & ibi Doctores communiter. Secundò ex *leg. si pactum* 9.*ff de probationibus*, Vbi deciditur pactum cum eius hærede; licet illius expressa mentio non fiat; si aliunde non constet contrariam fuisse contrahentium intentionem, vt notat Suar. lib.2. de Iuramento *cap.*31. *num.*14. Video tamen aliquando, id iure exigi Iuramentum nouiter fieri; cum est nouus successor illius, cui factum est. *vt in c. longinquitate* 12. *quæst.* 2. vbi professionem suam in conspectu Ecclesiæ renouare, & *in c.*1. § *præterea, de prohibita feudorum alienatione*, & aliis relatis à Couarr *de pactis* 1. *p.*§.5.*num.*5.*vers.* 6. Hoc tamen non est; quia illud Iuramentum

ramentum ad ſucceſſores non extendatur ; ſed propter nouam recordationem Iuramenti nouamque recordationem fidelitatis & obedientiæ : Vnde ipſe Couarr. in *verſ.* 8. notat non teneri feudatarium renouare Iuramentum , ſed ſolum recognitionem illam feudi domino facere *iuxta c. veritatis de Iureiurando*, ibi minimè compellantur.

4. Ex hac generali doctrina inferunt aliis relatis Couarr. de pactis 1. *p.* §. 5. *n.* 6. Gutierr. Authentica *Sacramenta puberum , num.* 1. *& de Iuram. confirmat.* 3. *p. c.* 12. *à n.* 4. & Sanch. *lib.* 3. *in Decalog. c.* 13. *à num.* 11. explicationem Textus *in c. fin. de foro competenti in* 6. vbi deciditur , ratione Iuramenti poſſe Laicum coram Iudice Eccleſiaſtico conueniri. Explicant inquam , vt talis deciſio locum habeat in iurante , non in eius hæredibus ; eo quòd ſolum iurans religione iuramenti obſtringatur. Quod adeò verum eſt , vt licet mora fuerit lis coram iudice ſæculari de contractu iurato , poſſit nihilominus Iudex Eccleſiaſticus adiri , vt cogat partem & iudicem ſæcularem ad Iuramenti obſeruantiam. Neque ei poteſt obiici litis pendentia vt cum Ioanne Andrea, Maranta. Gutierr. docet *Sanch. d. c.* 13. *num.* 14. Hæres verò iurantis coram iudice Eccleſiaſtico poterit conueniri , ſi non conueniatur actione orta ex contractu cum prædeceſſore celebrato , ſed conueniatur ex officio iudicis compellentis conſcientiam defuncti exonerare. Ad hoc enim officium iudex Eccleſiaſticus Laicus perſonas compellere poteſt , iuxta *c. à nobis el ſeq. de ſententia excommunicationis.* Ibi. hæredes quoque ipſius ad ſatisfaciendum pro ipſo , ſi monitione præmiſſa noluerint , per diſtrictionem Eccleſiaſticam compellantur. Imò etiamſi contractus iuratus non fuerit, poterit iudex Eccleſiaſticus , hæredem defuncti cogere ad eius debita , & obligationes ſatisfaciendas. Quia illa actio non procedit ex Iuramento , ſed ex officio & obligatione , quam habet iudex Eccleſiaſticus procurandi voluntatem teſtatoris executioni mandari. Sic Gutierr. *d. cap.* 12. *num.* 7. Sanchez *num.* 12. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *de Iuramento quæſt.* 1. *punct.* 15. *num.* 4.

5. Sed eſt dubium ; an relaxato iuramento per iudicem Eccleſiaſticum , ad effectum agendi , poſſit coram ipſo litigari de valore contractus ? Affirmant Bald. Iaſon & alij relati à Couarr. *lib.* 1. *variarum c.* 4. *num.* 8. & Gutierr. *de Iuram. confirmat. illæ* 3. *p. c.* 12. *num.* 6. Mouentur : quia iudex cauſæ præparantis eſt cauſæ præparatæ iudex ; eo quòd vnum ex alio ſequatur. At iudex Eccleſiaſticus eſt iudex cauſæ præparantis , nempe relaxationis Iuramenti. Ergo eſt iudex cauſæ præparatæ , nempe reſciſſionis contractus. Contrarium tamen tenendum eſt cum Couarr. & Gutierr. *ſuprà* , & Sanch. *illo c.* 13. *num.* 15. eo quod Textus *in cap. fin. de* foro *competenti lib.* 6. Solum ob obſeruantiam Iuramenti concedit , poſſe Laïcum coram iudice Eccleſiaſtico conueniri. Relaxato autem Iuramento iam ceſſat illius obſeruantia , ſolúmque de reſcindendo contractu agitur. Ergo ſolum iudex ſæcularis cognoſcere poteſt ; niſi fortè contractus ad forum Eccleſiaſticum pertineat ; qualis eſſet ſi controuerſia moueatur , an ſit contractus vſurarius , ſymoniacus , vel illicitus iuxta *c. venerabilem de electione.* Adde ſi iudex Eccleſiaſticus , eo quod fuerit iudex cauſæ præparantis , ſcilicet relaxationis Iuramenti , poſſet etiam eſſe iudex cauſæ præparatæ ; eadem ratione , & fortiori dicere poſſumus , non ſolùm iurantem , ſed etiam eius hæredes poſſe conueniri coram iudice Eccleſiaſtico ; eo quòd iudex ſit originis , & cauſæ , vnde ille contractus vim habuerit ſcilicet Iuramenti.

6. Tandem aduerto , Laïcum iurantem , tametſi ratione Iuramenti apud iudicem Eccleſiaſticum conueniri poſſit , non tamen ob id forum ſuum amittere. Quia Iuramentum non mutat forum ſed addit forum fori. Quocirca coram iudice ſæculari conueniri poterit ; ac ſi non iuraſſet. Sic Gutierr. aliis relatis *d. c.* 12. *num.* 5. Sanch. *illo c.* 13. *num.* 16. Vnde poterit coram iudice ſæculari de obſeruantia Iuramenti tractare , etiamſi materia feudalis exiſtat. Item cogi poteſt coram illo ad pœnam periurij. Deinde compellere poteſt turpe Iuramentum recipientem vt illud relaxet. Sic Gutierr. *ſupra.*

7. Ab hac doctrina excipiendum eſt Iuramentum ſoli Deo præſtitum , de cuius obſeruantia ſolus iudex Eccleſiaſticus agere poteſt , eo quòd per tale Iuramentum ſoli Deo & non homini ius acquiratur. Eſt enim illa cauſa omnino ſpiritualis. Sic Gutierr. *d. c.* 12. *num.* 10. Sanch. *c.* 13. *num.* 16. Idem eſt ſi dubium eſſet , an Iuramentum ſit obligatorium , vel non ? Solus iudex Eccleſiaſticus cauſam definire poteſt , vt pote omnino ſpiritualem. Quid enim ſpiritualius eſſe poteſt , quam Iuramenti vires , & obligationem inueſtigare ? Sic Abbas *c. cum contingat de iureiurando , num.* 15. Molina de iuſtitia *tom.* 1. *diſp.* 149. *pag.* 844. Sanch. *lib.* 1. *de ſponſalibus diſp.* 32. *n.* 18. *& lib.* 3. *ſum. cap.* 13. *num.* 13.

PVNCTVM XII.

An Iuramentum per Procuratorem præſtari poſſit ?

SVMMARIVM.

1 *Poſſe per procuratorem præſtari , niſi contrarium iure vel conſuetudine cautum ſit.*
2 *Procurator debet habere ſpeciale mandatum ad iurandum, & ſignata cauſa.*
3 *Si abſit hoc mandatum non obligatur Dominus.*
4 *Quid in procuratore minoris ampliùs requiratur.*
5 *Aliqui ſunt caſus excepti quibus Iuramentum per procuratorem præſtari non poteſt.*

1. POſſe Iuramentum per procuratorem præſtari , niſi contrarium iure , vel conſuetudine cautum ſit , conſtans eſt Doctorum ſententia. Ex Textus *in cap. mutuantes* 14. *quæſt* 4. *c. tibi domino* 63. *diſt. & cap. optatum* 100. *d. c.* 1. §. *verum de ſtatu regularium lib.* 6. *c. vltimo de Iuramento calumniæ in* 6. & aliis. *vbi* Gloſſ. & Doctores. Ratio eſt, quia ad Iuramentum ſolum requiritur inuocatio Dei in teſtem cum intentione. Sed qui per Procuratorem iurat , medio illo inuocat Deum in teſtem cum intentione (vt ſupponitur.) Ergo eſt Iuramentum. Si enim media ſcriptura vel nuntio poteſt actum internum iurandi manifeſtare , cur non media alia perſona ? Neque obſtat Iuramentum eſſe actionem perſonalem , & ex illa ſolum iurantem obligari , nam etiam matrimonium eſt actio perſonalis, & contrahentem ſolum obligat , & nihilominus per procuratorem præſtatur. Quia procurator non ſuo nomine , ſed nomine alterius contrahit , & iurat. Neque inde fit , procuratorem ſcienter vel ſub dubio falſum Iuramentum præſtantem grauiter non peccare peccat nempe , non quia propriè ſit periurus, ſed quia Domini periurio cooperatur. Secùs ſi bona fide procedat. Sanch. *lib.* 4. *in Decalogum cap.* 13. *n.* 26. Bonacina *tom.* 2. *diſput.* 4. *quæſt.* 1. *punctо* 20. *num.* 3.

2. Quapropter vt procurator nomine alterius licitè & validè iuret , debet habere ſpeciale mandatum ad iurandum in tali vel tali cauſa ; neque ſufficit mandatum generale ad iurandum in quacumque partis cauſa. Quia in Iuramento tam aſſertorio , quam promiſſorio neceſſario requiritur veritas , quam teſtari non poteſt procurator nomine alterius iurans , niſi ei conſtet , mandantem pro certo eam habere ; aut ex animo promittere. Vnde Franciſc. Suar. lib. 2. de Iurament. *c.* 31. *num.* 6. Requirit mandatum ad iurandum ita ſpeciale , ſicut ad matrimonium contrahendum. Et conſentiunt Couarr. de pactis , 1. *p.* §. 5. *num.* 8. Matiençо *lib* 5. *recopil. tit.* 10. *l.* 6. Gloſſ. 2. *num.* 15. & latius *leg.* 8. *tit* 11. Gloſſ. 14 *num.* 2. Iulius Clarus *lib.* 4. *receptarum* §. *feudum quæſt* 49. *fine* 1. Sanch. *lib.* 3. *ſum. c.* 15. *n.* 19. *fine & alij apud ipſos.* Probantque ex *c. vltimo de procuratoribus in* 6. Video tamen placere pluribus , quos refert Couarr. *loco allegato* , ſufficere procuratori , vt Iuramentum de calumnia præſtet , habere mandatum generale ad omnes cauſas , & ſpeciale ad iurandum de calumnia ; etiamſi non exprimatur cauſa , ſuper quam Iuramentum præſtandum ſit. Verum (vt ipſemet Couarr. probat) ſuſtineri non poteſt ob rationem dictam. Nam ſi Dominus in particulari non conſentit , neque cauſam expreſſit ; qua ratione certus eſt procurator , Dominum ſub Iuramento requiſitum id fore aſſeueraturum ; iiſúe defenſionibus vſurum , nullamúe calumniam in perſecutione illius adeſſe ? Certè id cognoſcere non poteſt ea certitudine , quæ ad obſtringendum Dominum Iuramento requiritur.

3. Quod ſi procurator ex ſolo mandato generali , & non ſpeciali circa hanc , vel illam cauſam , Iuramentum præſtet , & grauiter peccat , & Dominus obligatus non manet ex vi illius Iuramenti. Quia defuit in Domino conſenſus ; ſolúmque tenebitur ex ratione contractus ob generalem facultatem ad contrahendum ; ſi contractus eſt aliàs firmus ſecluſo Iuramento. Sic cum Caietano , Soto P. Ledeſma docet Sanch. *illo cap.* 13. *num.* 19. *fine.* Bonacina *d. diſput.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 10. *circa finem.*

4. Hæc generaliter dicta ſint ; at ſi Procurator nomine minoris contracturus eſt , & conſequenter contractum Iuramento firmaturus ; debet non ſolum ſpeciale mandatum circa cauſam ſpecialem habere ; ſed inſuper requiritur , vt ipſamet commiſſio & inſtitutio procuratoris Iuramento firmetur à minore. Aliàs ſi contractus in eius vtilitatem non cedit , poterit beneficio reſtitutionis vti. Sic Albericus Authentica *Sacramenta puberum num.* 6. Antonius Gabr. in communibus opinion. *lib.* 2. *tit. de minoribus concl.* 5. *num.* 21. *ampliat.* 10. Sanch. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 12. *num.* 25.

5. Dixi in principio Iuramentum per procuratorem præſtari poſſe niſi contrarium iure , vel conſuetudine cautum ſit. Quia

ſunt

sunt aliqui casus in quibus videtur non esse permissum interposita persona iurare; hi sunt cum à iure cauetur, vt propria manu tactis Euangeliis, aliisve solemnitatibus Iuramentum præstetur, iuxta Textum *in c. si verò el segundo de sententia excommunicationis*, & docet Couarr. de pactis 1. p. §. 5. n. 8. Azor. 1 p. lib. 11. c. 7. quæst. vlt. Sanch. c. 13. num. 23. Bonacina dicta disp. 4. quæst. 1 p. 10. num 4. Item si testificari debeas in aliqua causa; hæc enim testificatio medio procuratore non permittitur. Couarr. Azor. Sanchez & Bonacina *suprà*. Iuramentum verò fidelitatis quo Vasallus Domino feudi fidelitatem promittit, benè potest per procuratorem præstari, per Textum *in cap. 1. §. verum de statu regular. in 6.* Et licet ibi requiratur Domini consensus; hoc tamen est quando Vasallus potest commodè per seipsum præstare Iuramentum. Si enim legitimè impeditus esset, etiam Domino inuito posset Iuramentum hoc per procuratorem præstare. Sic alios allegans Couarr. de pactis 1. p. §. 5 num. 8. 8. Matiençó *lib. 5. recopilat. tit. 10 l. 6.* Glossa 2. num. 15. Sanch. *lib. 3. c. 13. num. 21.* Suar. lib. 2. de Iuram. *c. 31. num. 7.* Bonacina *tom. 2. disp. 4. quæst. 1. p. 10. in fine.*

PVNCTVM XIII.

An Iuramenti obligatio antequam præstetur impediri possit?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur ratio difficultatis in potestate ciuili.*
2 *Potest potestas ciuilis vires Iuramenti impedire.*
3 *Sic factum est in Regno Castellæ, & Portugalliæ.*
4 *Quis sit finis harum legum?*

1. DE potestate ciuili est dubitatio. Nam de Ecclesiastica nemini dubium esse potest, cum id factum fuerit in Trid. *sess. 25. c. 26. de regular.* Vbi redditur Iuramentum irritum appositum renuntiationi bonorum à nouitio factæ ante bimestre præcedens professionem. Ratio verò difficultatis est: quia Iuramenti obligatio est spiritualis. Nequit ergo sæcularis, & ciuilis potestas de ea disponere. Deinde ciuilis potestas impedire non potest Ecclesiasticam iurisdictionem. At si vires Iuramenti impedire posset iurisdictionem Ecclesiasticam impediret; cum medio Iuramento iurans efficiatur iurisdictionis Ecclesiasticæ. Ergo.

Ob has rationes plures Doctores censent potestatem ciuilem prohibere tantum posse, Iuramentum apponi; nunquam tamen impedire. Imò neque impedire posse vires illius, si contractibus aliàs licitis apponatur, tametsi contractus, quibus Iuramentum apponitur irritos, & nullos reddiderit. Sic docere videtur Couarr. *de pactis* 2. p. §. 1. *num* 8. Barbosa *leg.* 1. §. 1. *num.* 70. & 71. *ff. soluto matrimonio expresiè* Suar *lib.* 2. *de matrimon c.* 30 *num.* 15. Parladorus *lib.* 2. *rerum quotidianarum cap.* .... Vsualdus ad Donellum *lib.* 21. *c.* 13. *in notis litera A. in fine, & litera P.* Mouentur: quia ex eo quod Iuramentum afficiat contractus iure positiuo inualidos, non efficitur ipsum Iuramentum inualidum esse; aliàs Iuramentum soluendi vsuras, illásque non repetendi esset inualidum, cum afficiat contractum iure validum.

2. Cæterum dicendum est; non solum posse potestatem ciuilem vires Iuramenti impedire, sed etiam sic factum esse in Regno Castellæ, *l.* 10. & 11 *tit.* 1. *lib.* 4. *compilat.* & in Regno Lusitaniæ testatur Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 149. vers. *ex his collig.* & vers. *quoad potestatem.* Pinellus *leg.* 2. *C. de rescindenda venditione* 3. *p cap.* 1. *num.* 11. Gutierr. in Authent. *Sacramenta puberum à num.* 46. & 151. Matiençó *lib.* 5. *compilat tit.* 2. *l.* 2. Gloss. 3. *num.* 7. & 12. & latiùs *l.* 22. *tit.* 8. Gloss. 8. & *l.* 1. *tit.* 13. Gloss. 5. Sanch. *lib.* 3. *c.* 22. *num.* 10. Lessius *lib.* 2. *c.* 42. *dub.* 12. *num.* 55. & 56. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 1. *de Iuram. punct.* 17. *num.* 1. Basilius Legionens. lib. 12. de sponsalibus *cap.* 8. *à n.* 38.

Quòd id fieri possit videtur omnino manifestum. Lex námque ciuilis reddere potest inhabilem ad acceptandam promissionem hac vel illa forma præstitam. Sed absque acceptatione promissorium Iuramentum obligationem non inducit. Ergo. Deinde potest lex ciuilis condonare, seu remittere obligationem eo ipso, quòd intentetur. Cum enim Iuramentum promissorium non obliget, si is, in cuius fauorem est præstitum, statim remittat obligationem, eadem ratione non obligabit si superior nomine ipsius eandemmet obligationem remittat. Præterea impedire potest Iuramenti obligationem, si ipsius executionem ob bonum publicum prohibeat. Quia hac prohibitione facta executio Iuramenti illicita est. Cessat ergo illius obligatio; cum esse non possit Iuramentum vinculum iniquitatis. Adde, eo ipso quo lex contractum nullum, irritum faciat, impedit Iuramenti obligationem. Non enim Iuramentum obligatorium esse potest, cuius materia vana est, & inutilis, prætermitti námque debet honestas in obiecto Iuramenti, vt Iuramentum licitum & obligatorium sit. At posita nullitate contractus nulla honestas in obiecto Iuramenti relinquitur. Non fidelitatis, & iustitiæ; cum nullum ius parti acquiratur. Non charitatis propriæ; quia nulla adest ibi redemptio vexationis, vt in vsurarum contractu, non religionis, quia Iuramentum non constituit suum obiectum in materia religionis; sed in suo genere immutatum relinquit. Ergo obligatorium esse non potest.

3. Ob has rationes censeo; non solum potestatem ciuilem posse vires Iuramenti impedire; sed in facto in Regno Castellæ, & Portugalliæ impedisse. Nam in *leg.* 10. & 11. *tit.* 1. *lib.* 4. *nouæ collectionis*, statuitur sub grauibus pœnis imponendis, tum iurantium creditori, tum Tabellioni; ne contractibus apponatur Iuramentum, etsi appositum fuerit, obligatio annullatur. Annullata ergo obligatione contractus, & personæ redduntur inhabiles ad contrahendum, & obligatio omnino remittitur, & materia prohibetur, & incapax obligationis redditur, cessat ergo Iuramenti obligatio. Deinde *l* 22. *titul.* 11. *lib.* 5. *recopilat.* prohibentur filiifamilias & minores emere, alióve titulo accipere ad creditum per se, vel per interpositam personam; imò etiamsi maiores sint, non possunt se obligare soluere dilata solutione ad tempus, quo hæreditatem adierint, & omnes hæ obligationes, & contractus annullantur. In Regno verò Portugalliæ cauetur, nullum esse contractum, cui Iuramentum apponatur sine licentia Regis consilij, vt testatur Pinelus, & Molina locis supra allegatis.

4. Finis harum legum non est impedire extensionem iurisdictionis Ecclesiasticæ; sed obuiare fraudibus quæ ob recursum in iis contractibus iurisdictionem Ecclesiasticam solent interuenire, vt ex ipsismet legibus constat, qui finis sanctissimus est; neque libertati Ecclesiasticæ præiudicat & ex iis patet ad rationem dubitandi num. 1. positam; excipiuntur in supradictis legibus aliquot casus quibus Iuramentum apponi potest. Primus, cum Laici redditus Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum conducunt. Secundus, si contractus secluso Iuramento nulli sint, vel rescindendi. Tertius; si celebrentur venditiones, alienationes, & donationes perpetuæ, compromissa, contractus dotis, & arrharum; si vnus ex contrahentibus clericus sit. Vide Gutierr. Authent. *Sacramenta puberum, C. si aduersus venditionem à num.* 159. Vbi tractat, qua ratione transgressores harum legum excusari à pœna possint.

Ad fundamentum Suar. Couarr. & aliorum respondeo; prohibito & annullato contractu Iuramentum prohibitum, & annullatum esse, vtpote cadens supra materiam indebitam; neque exemplum de contractu vsurarum valet, quia ibi honestatur illa promissio soluendi vsuras; tamesi nulla sit ob vexationis redemptionem: Et ita pertinet ad charitatem propriam quod in aliis contractibus nullis, præcipuè cum nulli sint ob bonum publicum; locum non habet.

PVNCTVM XIV.

Qua ratione Iuramentum interpretandum sit?

SVMMARIVM.

1 *Semper interpretandum est Iuramentum, vt quoad minùs fieri possit obligationem inducat.*
2 *Explicatur textus in cap. clericus, de iureiurando.*
3 *Item lex diem proferre ff. de arbitris, qui iurans stare sententiæ arbitri latæ certa die, an obligetur si dies prorogetur? Aliqui affirmant: Verius est non obligari.*
4 *Iuramentum restringendum est iuxta naturam actus super quem cadit.*
5 *Iurans dare Petro equum, non teneris dare, si Petrus quod promisit, non seruat.*
6 *Qualiter intelligatur Iuramentum de fidelitate alicui præstanda, illique non esse contrarium?*
7 *Iurans parere sententiæ potest appellare.*
8 *Iurans obedire superiori, cessat obligatio, si ab officio remoueatur.*
9 *Iurans stare sententiæ arbitri sub certa pœna, non obligatur ad vtrumque.*
10 *Iurans non expellere conductorem, expellere potest si pensionem biennio non soluerit.*
11 *Iurans fideiussionem soluere, non debet quousque principalis excutiatur.*
12 *Iurans soluere pecuniam mutuatam, poterit intra biennium exceptionem opponere non numerata pecunia.*
13 *Iurans dare aliquid absenti non obligatur quousque ipse, vel alius, nomine ipsius valide acceptet.*
14 *Iurans non resignare beneficium vel non commutare, non obligatur religionem ingrediens.*

15 *Admissus*

15 *Admiſſus in Collegium Anglorum, & iurans confectis ſtudiis ad patriam redire, poteſt religionem ingredi.*

16 *Iurans tuis concollegis ferre auxilium quomodo intelligatur?*

17 *Quid de Iuramento non ingrediendi primum, non ſedendi nobiliori loco?*

18 *Iuramentum obligat rebus in eodem ſtatu permanentibus.*

19 *Promiſiſti ſub Iuramento puellæ coniugium, fornicatur, deobligaris.*

20 *Iuraſti non nocere inimico, ſubintelligitur ſi ipſe nouam cauſam non dederit.*

21 *Iuraſti reſidere in Eccleſia, intelligitur, niſi neceſſitas, vel vtilitas Eccleſiæ aliud cogat.*

22 *Iuraſti non alienare inconſulto ſuperiore, potes, ſi ſuperior adiri non poteſt & neceſſitas vrgeat.*

23 *Iuraſti non petere beneficium, poteris illud acceptare.*

24 *Iurans non acceptare gradum doctoratus in alia vniuerſitate, ſubintelligitur ex vi illius licentiæ.*

25 *Renuntias ſub Iuramento ius habitum, & ſperatum, ſubintelligitur de iure, quod ſperas ex cauſa de præſenti.*

26 *Iuraſti non diuidere ſocietatem, intelligitur, niſi ſocius ſit rixoſus.*

27 *Iuraſti ſtare mandato alicuius, intelligitur, niſi immoderatum præcipiat.*

28 *Iuramentum debet reſtringi, ne cenſeatur factum in tertij præiudicium.*

1. QVæſtionem aliquibus regulis generalibus abſoluemus. Prima regula eſt, ſi de intentione iurantis conſtat, nulla indiget Iuramentum interpretatione. At ſi hæc intentio manifeſta non eſt, ſemper interpretandum eſt Iuramenta, vt ſeruata proprietate verborum, quoad minus fieri poſſit, obligationem inducat. Prior pars regulæ ex terminis liquet, cum intentio, vel reſtrictio Iuramenti ex intentione iurantis deſumenda ſit. Secunda pars probatur; quia creaturam liberam aſtringi, & obligari ad aliquid determinatè faciendum, vel omittendum, odioſum illi eſt, & graue. Ergo eſt facienda ſtricta interpretatio. Colligitúrque *hæc regula ex capite ad noſtram* 21. *de iureiurando*, ibi, nos Iuramentum tuum benignè interpretari volentes & *cap.* 1 *eodem titulo in 6. & ex lege quidquid aſtringenda ff. de verborum obligationibus*, vbi dicitur obligationem promiſſionis, & ſtipulationis ſtrictè eſſe interpretandam. Et ita notat Abbas *c. cum clerici de verborum ſignificatione in fine*, & *in capite clericus de iureiurando*. Syluester *Iurament.* 3. *q.* 3. Suarez tom. 2. de Religione *lib.* 2. *de Iuramento c.* 32. *num.* 7. *& eſt omnium.*

Neque obſtat Textus *in c. veritatis de iureiurando*, vbi Iuramentum fidelitatis extenditur ad ſucceſſores. Nam ibi non fit extenſio vltra proprietatem, & rigoroſum ſenſum verborum. Quia Iuramentum illud non fit Prælato, quatenus talis perſona eſt, ſed quatenus tali dignitate fulget, & conſequenter ad omnes ſucceſſores extenditur; etiamſi in formula Iuramenti nulla mentio facta eſſet ſucceſſorum, vt probat *Gloſſa ibi* teſtatur & probat Couarruuias *de pactis* 1. *parte* §. 5. *num.* 5. & in ſimili de Iuramento obediendi Prælato docet Sanchez *aliis relatis lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 7. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 1. *de Iuramento p.* 15. *num.* 3.

2. Ex hac regula conſtat deciſio caſus relati in *c. clericus de iureiurando*, vbi clericus iurans ſtatuta in Eccleſia ſua edita ſeruaturus, promittens per idem Iuramentum, ſtatutum, quod poſt modum ſubſecutum eſt, fideliter obſeruare; deciditur non teneri ad illius obſeruantiam ex debito præſtiti Iuramenti, ſed ſolum ex promiſſione ſimplici. Quia cum primum Iuramentum non ſe extenderit ad ſtatuta edenda, ſed ſolum ad ſtatuta edita; non poteſt ipſe pro ſua voluntate illud extendere, niſi expreſsè vellet aliud nouum Iuramentum præſtare, & ita tradunt vniuerſi Doctores ibi provt refert & ſequitur Couarruuias *de pactis* 1. *parte initio num.* 5. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 4. *num.* 22. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 1. *& cap.* 17. *num.* 20. Suarez *lib.* 2. *de Iuram cap.* 32. *num.* 11.

Adde, eſto non adderet illa particula *edita*, ſed abſolutè iuraret ſeruare ſtatuta ſuæ Eccleſiæ, affirmant ſupradicti Doctores non extendi ad edenda ob rationem dictam. Quia ſtrictè Iuramentum interpretandum eſt. Deinde neque extenditur ad ea, quæ non ſunt in vſu, neque ſeruantur, quia hæc ſtatuta propriè cenſeri non debent. Gutierrez *de Iuramento* 2. *p. c.* 38. *n.* 14. Sanchez aliis relatis *lib.* 3. *c.* 14. *num.* 8. Leſſius *ſupra*. Bonacina *tom.* 2. *diſput.* 4 *quæſt.* 1. *punct.* 16. *verſ. ex quo licet inferre*. Quod verum eſt; eſto in particulari petatur Iuramentum, ſeruandi aliquod ſtatutum, quia ſemper intelligitur peti de ſeruando illo, provt receptum eſt, & ſecundum obligationem quam habet. Sanchez & Bonacina *ſupra.*

3. Secundò infertur, quid dicendum ſit ad caſum relatum in *lege diem proferre lege ſi cum dies ff. de arbitris*, vbi agitur de compromittentibus litem in arbitrum vt certa die illam definiat, iurantibúſque ſtare ſententiæ ab illo intra illum diem latæ; an inquam obligentur Iuramento ſi compromiſſi dies prorogetur? Affirmant Antonius Gab. *lib.* 2. *communium opinionum titulo de dilationibus concluſio* 2. *n.* 11. *& ſequentibus* Suar. *lib.* 2. *de Iuramento c.* 36. *fine*. Thuſcus verbo *compromiſſum concl.* 518. *n.* 5. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 16. *num.* 9. Mouentur: quia prorogato termino compromiſſi non videtur nouum pactum iniri, ſed ad nouum diem extendi; deinde iurans ſoluere debitum intra certum terminum, ſi à creditore terminus prorogetur Iuramentum obligat. Ergo ſimiliter prorogato termino compromiſſi, & compromiſſum antea factum, & Iuramentum illi annexum obligare debet. Cæterum verius cenſeo oppoſitum; prorogato inquam termino compromiſſi, & compromiſſum, & Iuramentum factum extingui; aliúdque denuo fieri; tametſi moraliter cenſeatur idem. Quia fit cum eiſdem qualitatibus & conditionibus iuxta *legem non ex omnibus*, §. *vltimo, lege non diſtinguemus* §. *dies ff. de recept. arbitr.* Sic optimè aliis relatis probat Couarruuias *de pactis* 1. *parte initio num.* 6. *& ſequentibus*. Sanchez *lib.* 3. *ſumm. cap.* 17. *num.* 23. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 8. *quæſt.* 12. Ratio ea eſt: compromittentes ſolum iurant obedire ſententiæ ab arbitro latæ illa die ſignata. Si ergo illa die ſententia non profertur, obligatio Iuramenti ceſſat. Nam ſententia, quam arbiter alio die profert, fortè diuerſa eſt ab ea, quam proferret illo die ſignato. Ergo terminus ſignatus obligationem extinguit, non prorogat. Confirmo primò: quia illo die ſignato iuriſdictio arbitri finita eſſet, niſi compromittentes iuriſdictionem prorogarent. Ergo prorogatio termini nouam iuriſdictionem arbitro concedit, & parendæ nouæ ſententiæ obligationem continet. Et hoc verum habet ſiue finito termino compromiſſi, ſiue intra illum fiat prorogatio. Semper enim nouum pactum fit, nouáque iuriſdictio conceditur: ac proinde nouo Iuramento indiget, quia priùs extinctum eſt.

At ſi compromittentes ſtare ſententiæ arbitri ea forma à principio litem decidendam promitterent ſub Iuramento, vt poſſint ipſi vel iudex arbiter terminum prorogare; credo certiſſimum, ex prorogatione termini non eſſe nouum compromiſſum, nec nouum Iuramentum, nec nouam arbitri iuriſdictionem, ſed ſolum terminum prorogatum non compromiſſum, nec Iuramentum ab initio factum. Sic Couarruuias *d.* 1. *parte de pactis initio num.* 6. *verſ.* 7. Sanch. *lib.* 3. *c.* 17. *n.* 23. Et in hoc ſenſu eſt vera ſententia Gabriel Thuſci, Suar. & Bonacinæ *n* 4. *relata*. Secùs ſi compromiſſum factum eſſet abſque illa clauſula prorogandi terminum.

Neque obſtat iurantem ſoluere debitum intra certum terminum, termino à creditore prorogato Iuramento obligari. Nam eſto id concedamus, quod alij negant, apud Sanch. lib. 4. cap. 55. num. 5. eſt longè diuerſa ratio de compromiſſo abſolutè facto. Nam prorogatio termini in ſolutione debiti debitum non extinguit, ſed idem prorſus perſeuerat; neque terminus ibi apponitur ad finiendam obligationem; ſed potiùs ad illius executionem ſolicitandam. Secùs eſt in obligatione compromiſſi cuius terminus vt ſupra probatum eſt, finit obligationem, non vlterius prorogat & ſollicitat. Sic Sanch. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 24. *tametſi contrarium ſentiat lib.* 4. *cap.* 55. *num.* 7. *& 9.*

4. Secunda regula ſit; Iuramentum reſtringendum eſt iuxta naturam actus, ſuper quem cadit. Vnde omnes reſtrictiones, & conditiones, quas propoſitum, vel promiſſio habet ex iure, vel ex recepta conſuetudine, omnes illas habere cenſendum eſt Iuramentum. Quia acceſſorium, quale eſt Iuramentum, ſequitur naturam principalis, cui adiungitur; iuxta *regulam iuris* 42. *lib.* 6. Neque alia intentio iurantis præſumenda eſt, & tradit latè Couarr. *de pactis*, 1. *p.* §. 4. *n.* 1. *& ſequentibus*. Gutierrez 1. *p. de Iuramento confirmat. c.* 37. *num.* 2. *&* 3. Sanchez *lib.* 3. *c.* 17. *num.* 13. Suarez *lib.* 2. *de Iuramento c.* 32. *n.* 2. Leſſius *lib.* 2. *c.* 42. *dubio* 4. *num.* 22. Bonacina *tom.* 2. *diſput.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 16. *in principio*. Neque obſtat Iuramentum, aliquando confirmare actum inualidum; quominus dicamus Iuramentum ſequi naturam actus, ſuper quem cadit; ſequitur in quam naturam primordialem ipſius, non accidentalem, & extrinſecam. Vt bene explicat Couarruuias *dicto* §. 4. *nu.* 1. Gutierrez *cap.* 37. *num.* 5.

5 Hanc regulam variis exemplis confirmo. Primò ſi iuraſti Petro dare equum; ipſe tamen non ſeruat, quæ promiſit; non teneris dare, habetur *capite ſicut* §. *Iuramentum de iureiurando, & capite peruenit* 2. *eodem titulo* ibi. Nec tu ei aliquatenus teneris ſi conſtat eum conditione minimè paruiſſe. Quod verum habet non ſolum quando tua promiſſio facta eſt intuitu alterius promiſſionis, & ab ea dependenter. In quo caſu omnes affirmant, ſed etiam quando abſolutè promiſeris. Quia hæc abſoluta & liberalis promiſſio habet tacitam conditionem, niſi alius ingratum ſe oſtendat, vt oſtenditur non implens promiſſum. Sic Sanchez aliis relatis *libro* 3. *ſumma capite* 16. *numero* 16, *& lib.* 4. *capite* 2. *num.* 32 Molina *de iuſtitia tomo* 2. *diſp.* 272. *ad finem*. Bonacina *tomo* 2. *diſputat.* 4. *quæſtione*

quæstione 1.punct.15. numero 2. & probat Textus *in lege finali, Codice de reuocanda donatione*, & *lege cum proponas 2.Codice de pactis cum aliis à Glossa ibi adductis.* Vbi dicitur licere frangere fidem illam non seruanti. Quod si iam promissum donasti reuocare non poteris nisi in illis quatuor casibus, qui referuntur in *lege 10.titulo 4.partita 5.* Videlicet si te donatarius vituperauit, aut accusauit de crimine capitali famoso, vel de quo, si probaretur, penderet maior pars tuorum bonorum, vel infamiam incurreres. Secundus qui tentauit te percutere. Tertius, si magnum tuis bonis damnum intulit. Quartus, si tuam mortem captauit.

6. Secundò: si iurasti fidelitatem alicui, illique non esse contrarium, subintelligitur nisi ius tuum, vel tuorum vel Ecclesiæ petere defendereve necessarium fuerit. Habet enim hæc promissio hanc subintellectam conditionem, vt constat expressè ex *cap.petitio de iureiurando.* & notat Silvester *Iuramento 3.quæst 3.*

7. Tertiò si iurasti parere mandatis Ecclesiæ, vel iudicis, staréque eius sententiæ, poteris appellare si te iniustè grauatum sentias. Quia hoc generale Iuramentum non excludit rationabilem appellationem, constatque ex *cap.prout nobis de dolo*, & tradit Glossa *in capite ad hæc, el secundo de appellationibus*, & ibi Decius & aliis relatis Ioan.Gutierrez de Iuramento *1.p.cap.37.num.25.* Silvester *supra*, & verbo *Iuramentum 4.num.1.§.decimo quarto.*

8. Quartò si iurasti obedire superiori, ipsèque ab officio remoueatur, cessat tua obligatio obediendi. Quia ex iure supponitur ad obligationem iurisdictio in superiore vt possit præcipere. Probatque Textus *in cap. venerabilem in fine de electione* & notauit Lessius *lib.2. cap.42. dub.4. num.22.*

9. Quintò iurans stare sententiæ arbitri sub certa pœna non obligatur ad vtrumque: Sed tantum obligatur parere sententiæ, vel soluere pœnam. Sic Innocentius, & Gloss. *in cap.per tuas de arbitris.* & consentit Silvester *supra quæstione 4.* & aliis relatis *Padilla lege cum proponas numero 2. Codice de transactionibus.* Probabile satis est, Iuramentum ad vtrumque extendi & ad parendum sententiæ, & ad subeundam pœnam, argumento *legis si quis maior Cod. de transactionibus* & tradit Molina *tract.2.de iustitia.disp.556.* & *tract. 5.disp.36.num.6.*

10. Sextò iurans non expellere conductorem domus vel agri, potest expellere si biennio conductionis pensionem non soluerit. Quia hic contractus habet hanc tacitam conditionem, vt conducto biennio non soluens expelli valeat. *lege quæro §. inter locatorum ff. locati & in lege... Codice eodem titulo* & probat *lex 6. titul.8. partita 5.* & licet in *lege 5. antecedenti* omissio solutionis annuæ sufficiat, ad remouendum conductorem, id intelligi debet quando conductio est facta ad biennium, vel triennium, secùs si ad longum tempus. Sic Gregorius Lopez *dicta lege 5.* Antonius Gomez *2. tomo cap. de locatione & conductione, num 6.* Couarruuias *2.p.in Rubrica de testamentis numero 11.* Gutierrez *1.parte capite 37. numero 10.* Sanchez *libro 3.summ. capite 17.num. 14.*

11. Septimò, iurans contractum fideiussionis, non se obligans instar principalis, soluere non debet, quousque Principalis debitor excutiatur. Quia hanc habet tacitam conditionem iuxta *legem decem ff. de verborum obligationibus, lege vltima in principio ff. si certum petatur.* Sic Couarruuias de pactis *1.p.§.4. num.4.& §.3. num.10.* Sanch. *d.c. 17.num.14.*

12. Octauò iurans soluere pecuniam sibi mutuatam, poterit intra biennium exceptionem opponere non numeratæ pecuniæ: Quia sub ea conditione censendus est obligatus soluere, si sibi fuerit pecunia numerata; habetur expressè *lege vltima Cod. de non numerata pecunia & lege 27. titulo 11. partita 3.* & multis relatis docent Couarruuias *de pactis 1. parte §. 3. numero 10.* Gutierrez *1. parte de Iuramento, capite 37. per totum.* Verum si iurans non solum iurauerit pecuniam sibi mutuatam soluere; sed etiam eam accepisse, non poterit postea exceptionem non numeratæ opponere. Quia sibi opponeret periurium. Sic pluribus firmat Gutierr. *num.8.* Couarr. *d.§.3. num 10.* Quapropter vt bene testatur Couarr. *loco allegato* in Hispania nunquam admittitur exceptio non numeratæ pecuniæ ad effectum, vt creditori incumbat onus probandi intra biennium numeratam fuisse. Tum quia debitores testantur in obligatione illam accepisse, tum quia huic exceptioni in Instrumento obligationis renunciant, quod optime fieri potest. Iuxta *legem regiam 9. titulo 1. partita 5.* tametsi iure communi satis dubium sit, an secluso Iuramento valeat huius exceptionis renunciatio, vt constat ex his quæ tradit Antonius Gomez *lege 53.* Tauri *num.52.* Couarruuias *libro 2. variarum cap.4.num. 3.* Menchaca *de successionum creatione §.29.num.6.*

3. Nono, promittens sub Iuramento aliquid absenti, tenetur, quo vsque ipse, vel alius valide nomine ip-

sius acceptet, imò etiam si iurasset non reuocare promissionem posset reuocare. Quia hæc promissio, cuius naturam sequitur Iuramentum, reuocabilis est, quo vsque per acceptationem firmetur. Sic multis relatis Sanchez *lib.1. de sponsalibus disput.7. & lib.3. in Decalogum cap.9. numero 10.* Lessius *lib.2. cap.12. dub.7. & c.42. dub.4. num.22.* Bonacina *tom.2. disputat.4. quæstione. 1. punct.16. vers. quinto.* Adde etiam si esset accepta promissio, poterit reuocari si donator post eam liberos habuerit, iuxta *legem si vnquam Cod. de reuocanda donatione* & tradit aliis relatis Tiraquellus *in d. lege si vnquam in principio. num.168.* Couarruuias *de pactis 1.p. §.4. num.4.*

14. Decimò: iurasti non resignare beneficium in fauorem alterius, vel non commutare absque ordinarij consensu? non te obligat, si religionem fueris ingressus. Quia hæc occasio tacitè censetur excepta? eo quod finis, ob quem ordinarius illud Iuramentum solet exigere, est ne beneficiati accipientes beneficium, & manentes in sæculo cum pensione renuncient itetúmque alia beneficia obtineant. Sic Sanchez *lib. 3.cap.17.n.11.* ex parte Basilius Legionensis *lib.12. cap.8.n.27. fine.*

15. Vndecimò: admissus in Collegium Ybernium vel Anglicanum iurasti post absoluta studia ad patriam redire, poteris religionem ingredi non obstante Iuramento. Quia hic status, vtpote maioris perfectionis semper censetur exceptus. Sic Basilius Legionensis *lib.12. de sponsalibus cap. 8. num.27.* Si tamen iurares religionem non ingredi quin priùs superiorem moneres, obseruare debes Iuramentum. Quia hæc monitio iùstissimas causas habere potest, & ob illam non impeditur religionis ingressus, cum possis superiore monito, & inuito ingredi; sed præstat prudentem & maturum ingressum. Basilius Legionensis *loco allegato.*

16. Duodecimò: admissus in Collegium, iurasti collegis tuis auxilium ferre, quoties opportunum fuerit; subintelligitur dummodo alius dignior non sit. Quia aliàs non esset licitum Iuramentum, nec obligatorium Basilius Legionensis *d. lib.12 de sponsalibus cap.8.num.27.*

17. Decimò tertiò: si vrbanitatis causa iurasti non ingredi primum, non sedere nobiliori loco, non præcedere, &c. non teneris, si alter roget, vel illi molestum sit. Quia subintelligeris iurasse non accipere primum locum, quantum in te est, sed rogatum. Adde tertium in cuius gratiam iurasti, te rogando, vt primum locum accipias, Iuramentum remittit. Quia id facere potest, vtpote in eius gratiam factum. Sic Toletus *lib.4. cap. 22. vers. tertius casus.* Sanch. *lib.3. summ.cap.4.num.20.& cap.9.num.18.* Bonacina *tom.2.disp.5. q.1.punct.16.num.2. vers. quarto.* Lessius *lib.2.cap.42. dub.4. num.22.* Clauis regia *lib.5.cap.5.*

18. Tertia Regula est; Iuramentum obligat, rebus in eodem statu permanentibus; secùs si notabiliter fuerint secundum intentionem iurantis mutatæ. Sumitur ex *cap. breui de iureiurando.* Vbi de iurante defendere res Ecclesiæ (inquit Pontifex) teneri Iuramento, nisi difficultas existat, propter quam requisitus non possit Ecclesiæ subuenire. Item colligitur, *cap. petitio cap. veniens eodem titulo, capite cum inter de renuntiatione.* Et pluribus firmat hanc regulam Tiraquellus *in lege si vnquam C. de reuocanda donatione n. 166. sequenti.* Gutierrez *de Iuramento 1. p. cap.29. n.6. & cap.71. num.6.* Ratio ea est: quia Iuramentum obligat secundum intentionem iurantis. Mutatis autem notabiliter rebus non censetur quis intentionem habuisse se obligandi. Ergo non tenetur Iuramento. Quæ verò mutatio notabilis sit, vt censeatur iurans deobligatus ab obseruatione Iuramenti, non potest certa regula definiri; sed prudentis arbitrio est æstimanda, vt rectè notauit Sanchez *in simili de voto lib.4.cap.2.num.22.* Subiiciam aliquos casus, ex quibus alij deduci possunt.

19. Primò: promisisti puellæ coniugium, cognoscis post modum fornicatam esse; deobligaris à promissione etiam iurata, vt habetur expressè, *capite quemadmodum de iureiurando.* Et idem est si infamiam, lepram, morbum incurabilem; aut paupertatem notabilem deuenerit. Sic Lessius *lib. 2.cap.42.dub.4.num.22. multis allegatis.* Gutierrez *lib. 1. de Iuramento cap.37.n.2.* imò num.3. in fine, approbate videtur iurantem ducere aliquam excusari à Iuramento, si inueniatur postmodum non habere dotem competentem, quia sub ea conditione videtur Iuramentum emissum esse.

20. Secundò facta pace cum inimico iurasti te illi non nociturum; non obligaris, si ipse nouam causam dederit inimicitiæ, aut fuerit ex bannitis: intelligitur enim illa promissio solum ex causa præterita, ita Bart. *in lege qui seruum, de verborum obligatione.* Ant. Gomez *lege 22.* Tauri *num.20.* Lessius *loco allegato.* Sanchez *lib.3. in Decal.cap.17. num.6.*

21. Tertiò iurasti residere in Ecclesia; potes Iuramento non obstante te absentare pro necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ, *cap. ex parte tua, de clericis non residentibus*, & *ibi* Glossa & omnes.

22. Quartò, iurasti non alienare bona Ecclesiæ sine licentia Papæ vel superioris; poteris vrgente necessitate ea alienare, si superior adiri non possit, vt affirmat Silvester aliis relatis verbo *Iuramentum 3. q.4.* Argumento *legis tutor qui repertorium ff. de administratione tutorum*, vbi ex causa necessitatis potest tutor, administrare bona pupilli inuentario non confecto, quod aliàs necessitate cessante non potest.

23. Quintò: iurasti non petere beneficium à te renuntiatum, poteris illud accipere si tibi denuo conferatur *cap.2. de renuntiatione.* Quia vt ibi notat Gloss. Abbas, *n.9.* Antonius *n.4.* Immola, *n.2.* Sanch. *lib.3. cap.17. n.4.* Subintelligitur illud Iuramentum ex causa tempore renuntiationis præexistente.

24. Sextò: promotus ad gradum licentiatus in aliqua vniuersitate si iurasti non acceptare gradum doctoratus in alia academia; subintelligitur ex vi illius licentiæ; si enim velles gradum licentiatus iterum in alia academia recipere, gradum doctoratus in illa accipere poteris. Sic Abbas *dicto cap.2. de renuntiatione n.11.* Antonius Gomez *leg.22.* Tauri *num.10.* Sanch. *illo cap.17. num.5.*

25. Septimò renuntians sub Iuramento ius habitum, & speratum: subintelligi debet de iure, quod speras ex causa pro tunc existente. Vnde non censeris renuntiasse iuri ex noua causa & spe superueniente. Nam illud sperare non poteras. Sic Sanch. aliis relatis *dicto cap. 17. num.7.*

26. Octauò: iurasti non diuidere societatem; intelligitur, nisi socius sit rixosus, vel molestus. Ita relato Bartol. *in leg si conuenerit ff. pro socio*, *docet* Silvester *verbo Iuram.3. num.1. vers. & quarto*, ex qua resolutione satisfacit Silvester illi quæstioni: An pupillus prouocare possit socium ad diuisionem, *leg. si pupillorum, ff. de rebus eorum, qui sub tutela, vel cura sunt.* Respondet inquam intelligi debere, nisi habeat socium odiosum, vel molestum; Et ita affirmat explicandam esse clausuram apponi solitam in testamento, *vt fratres diuidere non possint.*

27. Nonò, iurasti stare mandato alicuius; intelligitur, nisi ipse immoderatum præcipiat, argumento *cap. quintauallis, de iureiurando cap. veniens eodem tit.* Quapropter iurans stare sententiæ arbitri; subintelligitur, nisi immoderatum præcipiat; & iurans stare dicto & Iuramento alterius de expensis, & interesse; subintelligitur si rationabiliter arbitretur. Et alia plura exempla subiicit Gutierr. *de Iuram. 1.p. c. 37. à n.10. & 13. argum legis si libert. ita iurauerit ff. de oper. libertus, & l.27. tit.11. partit.3. & leg.24. tit.4. partit.3.*

28. Quarta regula est: Iuramentum debet restringi, ne censeatur factum in tertij præiudicium. Habetur *cap. venientes c. cum tuis, c. cum contingat, de iureiurando, & c.2. eod. tit. in 6. c. quamuis pactum de pactis lib.6.* Ratio est manifesta: quia Iuramentum alteri præiudicans illicitum est; obligare ergo non potest. Subiicio exempla; iurasti secretum alicui seruare, non teneris; quando est alteri nociuum, sed poteris reuelare iis, qui prodesse, & non obesse possunt, textus in *cap. hoc videtur 22 q.3. sic* Sanch. *c.17. n.25.* Azor. *1.p. lib. 11. cap.8. q.6.* Bonacin. *tom.2. disp 4 q.1. punct.16. num.2. fine.* Item iurasti creditori non recedere à loco, nisi priùs debitum illi soluas, vocaris à superiore quando soluere non potes, debes ad superiorem recurrere. Quia Iuramento præiudicare iurisdictioni superioris non poteras. At hoc intelligendum est, quando absque eius consensu expresso vel tacito Iuramentum præstitisti; eo quòd in loco illo resideres absque eius licentia, vel casu, quo ex licentia illius resideres, non contraxisti debitum ex necessitate sustentationis, sed potiùs, vt in ludis & comessationibus insumeres; in hoc ergo casu Iuramento non recedendi à loco, præiudicare superioris iurisdictioni non poteras, secus verò si ex illius licentia illo in loco resideres, & ad vitam degendam debitum contraxisti; quia tunc ipse superior tacitè Iuramento consensum præstat. Sic Silvester *verbo Iuramentum 4 q. 6. circa fin.* Sanch. *lib.3. c.17. n.12.* Suar. tom. de Religione lib.2. *de Iuramento c.34. n.7.*

PVNCTVM XV.

Qualiter Iuramentum dubium interpretandum sit.

SVMMARIVM.

1 *Si dubius es, an Iuramentum emiseris, non obligaris.*
2 *Si de intentione iurandi dubites, certus verba Iuramenti protulisse, obligaris.*
3 *Si dubium sit licitane sit materia, consulendus est superior, si adiri potest.*
4 *Si dubites; an executioni mandatum sit, vel res sint notabiliter mutatæ, obligaris.*

1. HÆc difficultas decisa est, *1.p. tract. 1. disp.3. de conscientia* dubia à punct.9. & sequentibus, sed ibi dicta breuiter in præsenti præstringemus. Multiplex dubium esse potest. Primò dubitare potes, an Iuramentum emiseris. Secundò, an habueris intentionem iurandi. Tertiò, an cadat supra materiam capacem. Quartò, an executioni mandatum sit? Vel res notabiliter mutatæ.

1. Si dubites an votum, seu Iuramentum emiseris, communis sententia affirmat, & bene; te non esse obligandum, quia in tui fauorem stat libertatis possessio, quæ certò astringenda non est, dum vinculum Iuramenti dubium sit. Quæ ratio probat non solum cum est dubium negatiuum, ita vt in neutram partem valeas producere assensum; sed etiam quando est positiuum, esto te magis inclines, votum emisisse; dummodo pro contraria parte non desint probabiles rationes, votum non esse emissum, quia semper est vinculum dubium, quo tua libertas astringi non debet. Sic Sanchez *aliis relatis, lib.1. in Decalogum cap.10. num.36. & lib.4. cap.1. num.16. & lib.1. de sponsalibus disp.9. num.11.* Idem est, quando certo tibi constat, protulisse verba quæ possunt in sensu iuratorio, & non iuratorio accipi; dubitas tamen in quo sensu illa acceperis. Quia semper est possessio pro tua libertate, quæ absque certo vinculo non est absolutè & certo astringenda. Sic Alciatus in rubrica de Iuram. *num.5.* Caietanus *2.2. quæst.89. art.7.* Couarruuias *de pactis, 1.p. §.2. num.2. fine.* Suarez *lib.2. de Iuram. cap 33. num.3.* Et probat textus in *cap. clericus de iureiurando.* Vbi Pontifex in illis verbis *promitto per idem Iuramentum*, interpretatur non iurare denuo, neque antiquum Iuramentum ad nouam materiam extendi; cum tamen verba sint satis dubia; possentque in alio sensu interpretari.

2. At si de intentione iurandi aut te obligandi dubitas, certus tamen verba Iuramenti protulisse, teneris Iuramento. Quia non es præsumendus fictionem commisisse, ne delinquere præsumaris, quod verum habet; esto coactus iuraueris, vt latius dixi illa *disp.3. punct.10.*

3. Quod si dubites; an Iuramentum sit de materia licita vel illicita; superiorem consulere debes, si adiri potest puta ipse loco Dei, cui est Iuramentum præstitum, succedit; ac proinde resoluere debet, quid Deo gratum sit, si verò superiore consulto adhuc dubium perseuerat, excusaris à Iuramenti executione. Quia Deo grata non est executio, quæ periculum turpitudinis continet, *dixi punct.11.*

4. Verum si dubites; an executioni mandatum sit Iuramentum, vel an res sint ita notabiliter mutatæ, vt te ab illius executione excusent; teneris Iuramentum exequi si dubium vincere non potes. Quia ab obligatione certa non est æquum, te excusari ob causam dubiam. Suarez *lib.2. de Iuram. c.33. num.7. & 8.* Hinc fit, si iurasti ingredi religionem minorum nudis pedibus incedentium, incutisti morbum gallicum, vel alium grauem, quo durante excusaris à Iuramento; at si restitutus ad pristinam sanitatem dubites, possisne onera religionis subire ob infirmitatem præteritam, teneris sane. Quia obligatio est certa, quam excutere non debet excusatio dubia. Sic Sanch. *lib.4. de voto cap.16. num.37. relato.* Manuel. Rodriguez *2. tom. sum. cap. 95. num.5.* Affirmante laborantem illo morbo gallico nunquam censeri ad pristinam sanitatem restitui; ac proinde, qui semel in illum incidit à voto suæ religionis excusari.

DISPVTATIO III.

De Iuramenti relaxatione, irritatione, & commutatione.

IRritatio Iuramenti est actus, quo superior omnino aufert obligationem à subdito: differt à dispensatione, seu relaxatione, Primò; quia relaxatio est actus Iurisdictionis temporalis, vel spiritualis in subditum, irritatio verò est actus potestatis dominatiuæ. Secundò: quia irritatio ad sui valorem nullam causam expostulat. Relaxatio verò sine causa nulla est, à commutatione verò differt tam irritatio, quàm relaxatio. Quia irritatione & relaxatione extinguitur, aut suspenditur Iuramenti obligatio. At commutatione non extinguitur, sed in aliam materiã transfertur, in his omnes Doctores conueniunt.

PVNCTVM

PVNCTVM I.

Quæ Iuramenta in honorem Dei præstita irritari, relaxari, commutarive possint, & à quibus?

SVMMARIVM.

1 *Gaudens potestate irritandi vota potest hæc Iuramenta irritare.*
2 *Quid de potestate dispensandi? Si sit potestas ordinaria omnes admittunt ad hæc Iuramenta extendi.*
3 *Si delegata plures negant.*
4 *Limitant aliqui hanc sententiam in Iuramentis, quæ non sunt voto accessoria.*
5 *Probabilius est, potestatem dispensandi in votis extendi ad Iuramenta in honorem Dei præstita.*
6 *Fit satis oppositio fundamento.*
7 *Propria auctoritate possunt hæc iuramenta in rem euidenter meliorem, imò æqualem commutari.*

1. CVm Iuramentum in honorem Dei præstitum naturam voti imitari dixerimus, superiori *disput. punct.* 1. inde colligitur gaudentes potestate irritandi vota Deo facta, gaudere etiam potestate irritandi Iuramenta, sumitur ex *cap.* 30. *numeri* ibi, æqua potestas tribuitur patri & mariti relaxandi vota & Iuramenta, & ita docent. D. Thomas 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. *ad* 3. & ibi Caietanus, Siluester verbo *Iuramentum*, 5. *q.* 7. Azor. 1. *p. lib.* 11. *institutionum moralium c.* 10 *fine.* Toletus *lib.* 4. *sum. c.* 23 *num.* 1. Lessius *lib.* 2. *de iustitia c.* 42. *dub.* 12. *numero* 61. Sanch. aliis relatis *lib.* 3. *cap.* 19. *numero* 2. Ratio est manifesta: quia potestas irritandi prouenit ex potestate dominatiua in personam vel in materiam promissam. Qui ergo ob potestatem dominatiuam in personam, vel in materiam promissam irritare vota potest; poterit & Iuramenta, quæ naturam voti imitantur. Qui autem hi sunt, loquentes de voto. dicemus.

2. De potestate dispensandi & commutandi, maior est difficultas an habentes potestatem dispensandi vel commutandi vota, habeant potestatem dispensandi Iuramenta in honorem Dei præstita.

Et quidem si loquamur de habentibus potestatem ordinariam, recepta est omnium sententia affirmans potentem dispensare, vel commutare vota, posse etiam Iuramenta eius materiæ Deo præstita. Sic Sanchez *lib.* 3. *de Iurament. cap.* 19. *numero* 5. & *lib.* 8. *de matrimonio disput.* 2. *numero* 16. Basilius Legionensis *lib.* 8. *de matrimonio c.* 11. *num.* 1. Azor. 1. *p. lib.* 11. *cap.* 10. *q.* 2. At si loquamur de potestate delegata.

3. Prima sententia negat, quam tradit Nauarrus *sum. c.* 27. *num.* 275. *vers.* 16. Azor. *tom.* 1. *sum. lib.* 11. *c.* 10. *q.* 2. Petrus de Ledesma 2. *tom. sum. tract.* 11. *cap.* 4. *difficultate* 4. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 1. *punct.* 17. *num.* 11. Mouentur; quia Iuramenti vinculum est diuersum à vinculo voti, vt *super. disp. diximus.* Ergo concessa potestate soluendi vinculum voti, non debet censeri concessa potestas soluendi vinculum Iuramenti; tametsi vinculum Iuramenti minùs sit quam vinculum voti. Illa namque regula, cui conceditur maius concedi censetur id quod minus, procedit, cum illud, quod minus est, continetur in maiori tanquam pars in toto, aut species in genere. At cum vinculum Iuramenti hac ratione in voto non contineatur, effici videtur facultatem concessam dispensandi, vel commutandi vota ad Iuramenta hæc non extendi. 2. Priuilegium gratis concessum, & præcipuè ad tollendam obligationem naturalem, & diuinam strictè interpretandum est iuxta textum in *cap porrò de priuilegiis c. cum in illes* 17. *& c. cui de non Sacerdotali* 27. *de præbendis lib.* 6. Ergo priuilegium dispensandi in votis non est extendendum ad Iuramenta. 2. Ex stylo curiæ speciale priuilegium conceditur ad commutanda vel dispensanda Iuramenta vltra priuilegium commutandi, vel dispensandi in votis, vt manifestè constat ex compendio priuilegiorum nostræ societatis. Verbo *commutatio.* §. 1. Et notauit Azor. *d. q.* 2. *in fine.*

Hanc sententiam extendunt supradicti Doctores specialiter Azor. & Bonac. *supra*, esto Iuramentum votum confirmet, illique sit accessorium. Nam eo ipso (inquiunt) redditur illud votum nouo illo vinculo superueniente ita roboratum, & confirmatum, vt potens dispensare vel commutare vota, illud commutare, vel dispensare non possit. Quia facultas dispensandi vel commutandi vota, intelligitur de votis simplicibus non de qualificatis, qualia sunt Iuramenta.

4. Secunda sententia temperat præcedentem media via procedens: distinguit inter Iuramenta voto accessoria, quæque ad firmandam promissionem assumuntur, & inter Iuramenta, quæ voto accessoria non sunt, & ad firmandum bonum propositum assumuntur. Priora Iuramenta censet ex facultate dispensandi vel commutandi vota posse dispensari, vel commutari, secus verò posteriora. Sic videtur tenere Lessius *lib.* 2. *c.* 42. *dub.* 12. *n.* 60. vers. *sed vtendum.* Sanch. *lib.* 8. *de matrimonio disp.* 2. *n.* 23. & *lib.* 4. *de voto c.* 53. *n.* 18. & 20. Priorem partem probant: quia eo ipso qua Iuramentum sit voto accessorium, promissionémque confirmet, sublato voto, & promissione ipsum corruere necesse est. Sed potens dispensare in votis, potest votum, cui Iuramentum accedit dispensare; cum ex aduentu Iuramenti non mutetur eius natura. Ergo potest in Iuramento illi accessorio. Secundam partem probant fundamentis prioris sententiæ adductis.

5. Tertia sententia, cui adhæreo, (etsi duæ præcedentes sint satis probabiles,) affirmat, priuilegium concedens commutationem, aut dispensationem votorum extendi ad Iuramenta in honorem Dei præstita, siue accessoria sint voto, siue non sic expressè Suar. *tom.* 2. *de Religione tract. de voto lib.* 6. *c.* 14. *à num.* 19. Basilius Legionensis *lib.* 8. *de matrimonio c.* 11. *à numero* 4. Emanuel Sà, verbo *votum*, *de voti irritat. numero* 16. probabilem reputant Sanch. & Lessius *supra.* Ratio præcipua est: quia hæc Iuramenta ob affinitatem cum votis vota in communi hominum æstimatione reputantur. Vt satis colligitur ex Textu *in cap. peruenit el segundo de iureiurando.* Vbi dicitur propositum aut promissum non infringit, qui in meliùs commutat. Nomine enim propositi, aut promissi non solum votum, sed Iuramentum intelligitur; tum quia sub titulo de iureiurando ponitur, tum quia certissimum est, Iuramentum, cuius Deus creditor est, posse in meliùs commutari, quia illi est gratiùs. Ergo priuilegium respiciens vota hæc Iuramenta respicit.

6. Hinc solutum est fundamentum præcipuum prioris sententiæ. Nam esto vinculum Iuramenti distinctum, & diuersum sit à vinculo voti: in communi hominum æstimatione æquiparantur. Ad secundum nego priuilegium, dispensari concessum, esse strictè interpretandum, vt latè probaui *tract. de leg. disput. de priuilegio, & dispensationibus:* tametsi priuilegium dispensando concessum strictè interpretatur. Neque obinde fit, priuilegium in bulla cruciata concessum ad vota commutanda, non extendi ad Iuramenta. Tum quia priuilegia bullæ, quia sunt remuneratoria & in fauorem publicum latam admittunt interpretationem. Tum quia hæc Iuramenta ob affinitatem & similitudinem cum votis sub votis comprehenduntur, argumento *legis tantum ff. de seruo corrupto, iuncta lege si quis seruo, Cod. de furtis.* Ad tertiam respondeo; illud fieri, non quia necessarium, sed vt securiùs procedatur; & scrupuli cessent, præcipuè cum probabile multo sit, gaudentem potestate dispensandi, vel commutandi vota, non posse Iuramenta.

Propria verò auctoritate poteris hæc Iuramenta sicut & vota in rem euidenter meliorem commutare, cum non dicatur propositum seu promissum infringere, qui in meliùs illud commutat. Vt dicitur in *d. cap. peruenit, el segundo de iureiurando.* Et ita tenet Toletus *lib.* 4. *sum. c.* 23. *n.* 3. *in noua editione.* Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 7. *punct.* 4. *colum.* 5. *ad finem.* Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 7. *punct.* 17. *n.* 10. Sanch. *lib.* 3. *sum. c.* 19 *num.* 9. Emanuel Sà, verbo *Iuram. num.* 33 *& alij apud ipsos.* Addunt Sanch. & Bonacina supra, (quod latiùs tract. seq. examinabimus) idem esse dicendum de re euidenter æquali, quia posita hac æqualitate redditur Deo, quòd illi æquè gratum est; ergo fit illi satis. Secùs verò est in promissione hominibus facta, quibus æquè gratum est, quod in se est æquè bonum, aut melius, vnde non tenentur acceptare rem æqualem, aut meliorem ea, quæ sibi promissa est, sed in eadem specifica forma debet Iuramentum impleri.

PVNCTVM II.

Quæ Iuramenta in fauorem hominum præstita irritari possint, vel remitti, & à quibus?

SVMMARIVM.

1 *Personæ quæ potestatem habent dominatiuam, irritare possunt Iuramenta de materia sibi subiecta, & exemplis manifestatur.*
2 *Remissione seu condonatione creditoris de materia sibi promissa cessat Iuramenti obligatio.*
3 *Possit ne creditor Iuramentum præstitum principaliter in honorem Dei remittere si cedat in sui fauorem obligatio, sub distinctione respondetur.*

1 REgula ab omnibus Doctoribus recepta est, omnes illas personas quæ potestatem habent dominatiuam, irritare posse subditorum Iuramenta de materia sibi subiecta.

cta. Probo discurrendo per singulas personas. Primò. Pontifex irritare potest Iuramenta de alienandis, vel non alienandis rebus Ecclesiæ, de renuntiando beneficio, de non augendo numero Canonicorum, de non acceptando gradu Doctoratus in alia Academia, & similia. Quia sunt de materia dispositioni Pontificis subiecta; ac proinde censetur semper excepta potestas superioris, *c. venientis de iureiurando.* Sic Couarr. *de pactis 1.p. §.3. num.5.* vers. 8. Sanch. *lib. 3. in Decal. c. 20. num.1.* Neque ad irritationem horum Iuramentorum vlla causa exigitur; sufficiens enim causa est, negandi tibi vsum materiæ subiectæ Pontificis dispositioni, quod verè illa materia suæ dispositioni subiecta sit. Sic Silvester verbo *Iuramentum 5. q.2.* Azor. *1.p. lib.11. institutionum moralium c.9.q.9. & c.10. in fine.* Sanch. *lib.3. sum. c.20. num.1.* tametsi alij contrarium sentiant.

Secundò Episcopus in sua Diœcesi potest irritare Iuramenta, quæ ipso inconsulto beneficiarij præstiterint de materia eius dispositioni subiecta, vt si iurarunt, non acceptare præbendam, neque Ecclesiæ seruire, poterit Episcopus, si iudicauerit conueniens cogere, vt acceptent, sicut coëgit Gregorius Florentium Archidiaconum, *c. Florentium 85. distinct.* Et notauit Sanch. *dicto lib.3. sum. c.19. num.7.*

Tertiò: Prælatus regularis potest quodcunque Iuramentum à religioso factum irritare. Quia ratione voti obedientiæ plene religiosi voluntas est Prælato subiecta: ita vt absque illius consensu nihil firmum stare possit. Sic Sotus *lib. 8. de iustitia q.1. art.9. ad finem corpor.* Petrus de Ledesma *2. tom. sum. tract.11. c.4. dub.1.* quos refert, & sequitur Sanchez *lib.3. in Decalog. c.20. num.3.*

Quartò, vir ea Iuramenta vxoris in fauorem tertij irritare poterit, quæ fuerint de materia suæ dispositioni subiecta. Cum autem marito non solum sua bona, sed etiam bona dotalia vxoris ei subiecta sint, *leg. doce ancillam, C. de rei vendicat.* Efficitur sane, quodcumque Iuramentum de his bonis disponens irritari à marito posse. Sic Matienço, Gutierr. Sanchez, & alij statim referendi. Imò credo, hæc Iuramenta spectato iure Castellæ nulla indigere relaxatione: eò quòd obligatoria non sint. Prohibita namque est vxor sine licentia viri contractum, vel distractum habere, *leg.2. tit. 3. lib.5. compilat.* Ergo Iuramentum, afficiens talem contractum, obligatorium esse non potest, vtpote factum in viri præiudicium, & contra legis prohibitionem ex Textu *in c. cum contingat de iureiurando, c. quamuis pactum de pactis in 6.* & ita tenet Matienço *d.l.2. Gloss.1. in fine num.18.* Gutierr. Authent. *Sacramenta puberum, à num.42. & 1.p. de Iuramento confirmator. c.1. n.34.* Molina *tom.2. disp.343. vers. de vxore,* Sanch. *lib. sum. c.20. n.3.*

Aduertendum tamen est bona vxoris durante matrimonio dispositioni mariti subiecta esse. Quia ad sustinenda matrimonij onera conceduntur, *lege pro oneribus, C. de iure dotium.* At matrimonio dissoluto cessat subiectio; neque de illis maritus disponere potest, ex quo fit si vxor disponat de suis bonis in tempus, quo matrimonium fuerit dissolutum, vel morte viri, vel propria, ipsámque dispositionem Iuramento firmet; non videtur maritus tale Iuramentum irritare posse. Quia non cedit in eius præiudicium, neque est de materia, quæ eius dispositioni subiecta sit spectato tempore, pro quo sit dispositio. Sic Gutierr. *d.c.1. num.34. fine* Sanch. *d.c.20. num.3.* Burgos de Paz *cons.2. num.97.*

Quintò, Dominus respectu serui irritare eius Iuramenta potest, si vergant in eius præiudicium. Imò censeo, hæc non indigere relaxatione, vtpote obligatione carentia. At Iuramenmenta de materia, quæ fuerit extra eius dominium, irritare non poterit, quia in illa materia non procedit seruus vt seruus, sed vt liber. Sanchez *dicto c.20 d.3. fine.*

Sextò parentes & tutores quæcunque Iuramenta, quibus pupilli, seu impuberes firmant contractum rerum suarum, irritare possunt. Quia secundum probabilem sententiam non firmant contractum. Imò spectata nostra sententia cum nulla obligatio, nec ciuilis, nec naturalis sit in iis contractibus, nulla indigent hæc Iuramenta relaxatione, vtpote cadentia supra materiam vanam & inutilem. Iuramenta verò, quibus puberes suarum rerum contractum firmant, non poterunt parentes, nec tutores irritare. Quia ratione Iuramenti extracta est materia ab eorum dispositione, & minores dispositione legis facti sunt maiores per Iuramentum. Quapropter non conceditur illis restitutio in integrum; etiamsi ex contractu læsi sunt, vt bene aduertit Lessius *lib.2. c.42. dub.12. n.61. ex lege 1. & 2. C. si aduersus venditionem.*

2. Secunda Regula est; remissione seu condonatione creditoris, de materia sibi promissa, cessare Iuramenti obligationem. Quia cessat fundamentum illius. Deus enim in tantum obligari iurantem vult, in quantum is, in cuius gratiam fit, optat esse obligatum, si igitur is remittit obligationem, & Deus remittere censetur. Posse autem eum, in cuius vtilitatem cedit Iuramentum, hanc remissionem facere, nemini potest esse dubium: cum cuilibet datum sit, debita sibi remittere. Hæc autem remissio non est propriè relaxatio, aut irritatio. Quia neque est actus iurisdictionis spiritualis; nec potestatis dominatiuæ, vt bene dicunt aliis relatis Sanch. *lib.3. c.19. n.1. & c.20. n.4.* Bonac. *disp.4. q.1. de Iuramento punct.17. n.3.* Est tamen actus dominij in materiam promissam; eáque de causa ad irritationem reducitur. Quapropter vt hæc remissio cum habeat, debet materia Iuramenti in vtilitatem remittentis cedere. Nam si in honorem Dei cedit, etsi occasione hominis oblata sit, vt si iurares Petro te ingressurum religionem, locum habere non potest hæc remissio, vt aliis relatis docet Sanch. *d.c.20. n.5. & lib.1. de matrimonio disp.52. n.9. ad primum.*

3. Difficultas verò est: an possit creditor Iuramentum præstitum principaliter in honorem Dei remittere, eò quòd tota obligatio in sui gratiam & fauorem cedat. Verbi gratia intuitu pietatis promisisti sub Iuramento alicui pauperi eleemosynam, poteritne pauper obligationem remittere?

Et quidem si pauperem non determinasti; clarum est nullum esse qui possit obligationem remittere. Quia illud Iuramentum Deo est factum, & inducit rationem voti; neque res promissa cedit in gratiam huius pauperis determinati, sed huius vel illius, ergo nullus est in particulari, qui possit remittere. Sic Sanchez *d.lib.3 summ. c.20. num.8.*

Verum si pauperem determinasti; probabilius est, & mihi certum remittere posse obligationem, nolendo promissum acceptare. Quia illud Iuramentum censetur tacitam conditionem habere; dummodo velit promissum acceptare is, de cuius commodo agitur. Non enim, (vt bene ait Lessius statim allegandus) intendis inuitum ad beneficium acceptandum cogere, vel nolenti obtrudere. Ergo si ille nolit, vel condonet, non obligaris; cessat enim conditio, sub qua obligatio inducta est.

Quod verò Thomas Sanchez *lib.1. de consalibus disp. 52. num.7 fine 8. & 9.* & Suar. *lib.2. de Iuram. c.39. num.8. 11 & 12.* Insinuant posse pauperem remittere obligationem iustitiæ remanente obligatione Iuramenti si velit promissum impleri, mihi non probatur. Nulla enim ex supradictis Iuramentis obligatio iustitiæ, aut fidelitatis in promittente oritur comparatione pauperis, sed tota obligatio est comparatione Dei; esto in pauperis vtilitatem cedat. Quapropter nulla alia via potest pauper obligationem remittere nisi vel condonando promissum, vel nolendo illud acceptare.

PVNCTVM III.

An in Ecclesia sit potestas relaxandi Iuramenta homini præstita.

SVMMARIVM.

1 *Certum est, hanc in Ecclesia esse potestatem.*
2 *Quæ sit legitima causa huius relaxationis.*
3 *An Iuramentum soluendi ea, quæ ludo ad creditum sunt acquisita, possit relaxari? Negat Sanchez, verius est oppositum.*
4 *Ob turpitudinem creditoris relaxari Iuramentum potest.*
5 *An procedat hæc doctrina, si turpitudo versetur in exigendo Iuramento, & non in re iurata? Negant aliqui, sed contrarium est dicendum.*
6 *Concedi potest ab Episcopo relaxatio Iuramenti leui metu extorti.*
7 *Possunt supradicta Iuramenta post commissum periurium relaxari.*
8 *Potest peti hæc relaxatio sine manifestatione commissi periurij.*
9 *Priuilegio bullæ, & aliis priuilegiis concedentibus potestatem dispensandi in votis iuratis, hæc Iuramenta iniquè extorta relaxari non possunt, vt probabilius defenditur.*

1. CErtum est Christum Dominum potestatem relaxandi Iuramenta in Ecclesia reliquisse, vtpote ad animarum salutem & rectam Ecclesiæ gubernationem necessariam. Solum est spectandum; an adsit causa iusta huius relaxationis. Nam ea secluſa nequit Pontifex hanc remissionem concedere. Quia Deus, cuius nomine eam concedit, non approbabit, priuare namque hominem absque rationabili causa iure sibi quæsito iniustum est. Ex quo fit, Pontificem non solum non posse absque causa legitima Iuramenta in gratiam hominum facta relaxare, sed nec commutare. Quia vnum pro alio inuito creditore solui nequit, *l. mutuum ff. si certum petatur.* Sic Abbas *c. pervenit, el segundo de iureiurando,* Silvest. verbo *Iurament, 4.q.20.* Angel. *eod.5. num.33.* Sanch. *lib.3 sum. c.21. num.3.*

2. Si autem roges. Quæ sit legitima causa huius relaxationis?

tionis? Respondeo duplicem in genere esse aliam, quæ bonum commune directè respicit; aliam, quæ pœnam creditoris. Bonum commune directè respicit, si obseruatio Iuramenti bono communi obstet, vt si iurasses non denuntiare, non accusare, non contra testari. Hæc enim Iuramenta obstant rectæ administrationi. Quia obstant ne crimina detegantur, & puniantur; ne iudicium rectè exerceatur; ne defendatur innocentia; & ne iniquitas opprimi possit. Quare hæc Iuramenta à quolibet auctoritatem quasi Episcopalem habente relaxari optime possunt. Imò credo regulariter nulla indigere relaxatione, vtpote nullam obligationem inducentia. Ad huiusmodi causam reducuntur omnia Iuramenta cadentia super contractus lege prohibitos; præstat enim sufficientem relaxationis causam legis transgressio. Si fortè necessaria fuerit, quod dixerim, quia vt super. disputat. probatum est Iuramentum licitum, & obligatorium esse non potest, nisi promissionem validam confirmet; aut in redemptionem vexationis apponatur.

3. Ex his inferri potest: an Iuramentum soluendi ea, quæ ludo vetito sunt acquisita, vel quæ in Hispania in ludo ad creditum acquiruntur, possit ab Episc. relaxari?

Sanch. *lib.* 1. *de sponsalibus disp.* 31. *num.* 2. Censet relaxari non posse. Mouetur, quia ex communiori sententia non tenetur recipiens hanc pecuniam restituere. Ergo nullam turpitudinem committit, ergo nullam præbet causam relaxationi.

Verùs tamen censeo relaxari hoc Iuramentum posse, vtpote in fraudem legis emissum, & turpitudinem continens aduersus leges saltem cum de facto acceptatur. Sic aliis relatis docet Gutierr. 1. *p. de Iuram. confirmat. c.* 53. *num.* 8. & probabile reputat Sanch. *lib.* 3. *in Decal. c.* 21. *num.* 10. *& lib. de sponsalibus disput.* 32. *num.* 24. Plures Doctores pro hac parte adducit. Imò existimo hoc Iuramentum relaxatione non indigere; quippe quod cadit supra materiam indebitam. *Leges enim Castella* 8. *&* 9. *tit.* 7. *lib.* 8 *recop.* Ita has promissiones & obligationes prohibent, vt prorsùs irritas & nullas faciant. Ibi. *Damos por ningunas qualesquier obligationes scripturas promessas que las tales personas cerca desto hicieren.* Ex quibus verbis (in eo iudicio) manifestè efficitur, recipientem sic acquisita retinere non posse; obligatúmque esse si recipiat, restituere. Quia alienum recipi non potest, nisi debeatur. At vi illius promissionis non debetur eo ludo acquisitum, cum promissio nulla sit. Ergo recipi non potest. Deinde Iuramentum de illa solutione facienda nullum est; quia est de actu quodam vano & inutili, neque ex redemptione vexationis honestato. Et ita tenet Vasquez opuscul. de testament. *c.* 3. *dubio* 2. *n.* 40.

4. Secunda causa, ob quam Iuramentum in vtilitatem hominum factum relaxari potest, est turpitudo eius cui præstitum est, vel quia iniquè exegit, vel quia delictum commisit dignum priuatione iuris acquisiti; pertinet enim ad bonum Ecclesiæ delicta punire & iniustitias tollere, fraudésque remouere.

Et quidem posse relaxari Iuramentum in pœnam delicti commissi nemini esse potest dubium. Si enim delinquens puniri potest ob delictum bonis propriis acquisitis; à fortiori puniri poterit acquirendis, eáque de causa Iuramentum fidelitatis & obedientiæ excommunicato præstitum remittitur in *c. non sanctorum c. iuratos* 15. *q.* 6. Et notauit Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 12. *num.* 64.

Posse autem relaxari Iuramentum, quia iniquè extortum est, constat. Quia eo Iuramento nullum ius parti, in cuius vtilitatem cedit, acquiritur; sed solum Deo. Præstat ergo Dei vices gerens obligationem remittere; ne iniustus ex iniustitia facta commodum consequatur néve iurans iniustè vexetur. Quod verum habet, etiamsi turpitudo non sit commissa à creditore, sed ab alio tertio. Quia iam tertius iniustitiam commisit, & iurans iniustè vexatur, quæ est potissima causa huius relaxationis.

Hanc relaxationem concedere potest non solum Pontifex, sed Episcopus, & qui potestatem quasi Episcopalem habent. Sic aliis relatis Couarr. *de pactis* 2. *p.* §. 3. *num.* 2. *in principio.* Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 149. *fol.* 742. Aragon. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *circa solutionem ad* 3. Suar. *lib.* 2. *de Iurament. c.* 41. *num.* 6. *&* 7. Sanch. *alios referens lib.* 1. *de sponsalib. disp.* 32. *num.* 15. *& lib.* 3. *in Decal. c.* 21. *num.* 6. Neque obstat *c. si verò & t. verum de iureiurando*, vbi dicitur, hæc Iuramenta à summis Pontificib. solere relaxari, quia vt bene respondet Abbas *eo c. verum num.* 2. & Alex. de Neuo *num.* 3. & Sanch. *illa disp.* 32. *n.* 15. Pontifex narrat factum; non tamen reseruat sibi eam potestatem; ac proinde censenda est Episcopis concessa, iuxta *c. nuper de sententia excommunicat.*

5. Restant tamen aliquot difficultates examinandæ. Prima: an superior doctrina procedat, cum turpitudo versatur in modo exigendi Iumentum, non in re iurata, vt contingit quando creditor debitorem cogit metu, vi, vel fraude iurare soluturum debitum legitimum? Negant aliqui sed absque fundamento. Quare dicendum est relaxationem concedi posse. Quia in petitione illius Iuramenti fecit creditor iniuriam, & consequenter tenetur illam quoad fieri possit reparare. At nulla alia via aptiori reparari potest quam Iuramenti remissione. Tenetur ergo ipse eam facere, sin minus prælatus. Nam certissimum est (vt inquit Suarez *lib.* 2. *de Iuram. cap.* 41. *num.* 51.) Quoties superior cogere potest creditorem, ad remittendum Iuramentum, posse ipsum remittere: Adde satis bono communi expedire hanc relaxationem concedere, ne iniustè vexantes effectum suæ iniquitatis obtineant, & ne vexati grauentur sine causa.

6. Secunda difficultas: an concedi possit ab Episcopo hæc relaxatio si metu leui Iuramentum extortum sit Sanchez *lib.* 4. *de matrimonio disp.* 20 *num* 9. Refert, duas oppositas sententias, quarum prima negat concedendam esse relaxationem, eo quòd in *cap. si verò, de iureiurando & in cap. verum eodem tit.* de grauissimo metu mentio fiat. Secunda verò sententia affirmat concedendam esse relaxationem, quia Iuramentum metu etiam leui factum sponte non præstatur, quam spontaneum consensum requirit Iuramentum vt relaxari non possit. *cap. si licitè, &c. accepta de restitutione spoliatorum*, & Authentica *Sacramenta puberum. Cod. si aduersus venditionem.* Pro vtraque sententia plures Doctores Sanchez refert, eos tamen sic conciliat, vt negatiua sententia procedat in foro externo; eo quòd in illo foro non admittatur rescissio contractus ex metu leui. Secunda verò procedat in foro conscientiæ, quia adest turpitudo ex parte recipientis taliter, quod in illo foro nequit sic metum incutiens retinere ea via acquisita, sed obligatus est restituere, ficut si metus grauis incussus esset, consonat huic sententiæ Suar. *lib.* 2. *de Iuram. cap.* 41. *num.* 19.

Addo, esto hoc verum sit, nihilominus etiam in foro externo datur huius Iuramenti relaxatio, quando non ad petitionem partis procedit iudex, sed ex officio, tunc enim conuenientissimum est, hanc relaxationem concedere, ne iniustitiæ etiam leuissime effectum habeant.

7. Tertia difficultas est, an supradicta Iuramenta possint post commissum periurium relaxari.

Communis sententia Canonistarum negat esse concedendam. Sic Cardinalis *cap. debitores de iureiurando, fine.* Vbi Immola *num* 8. Abbas *cap.* 1. *eodem tit. num.* 3. & ibi Felinus *num.* 28. Federicus Senensis Anchartanus & alij quos sequitur Couarr. de pactis 2. *p.* §. 3. *num.* 2. & addit Felinus supra *num.* 3. Neque partem posse remittere, postquam a tera pars in periurium incidit. Couarruuias verò dicit, posse remitti à parte obligationem Iuramenti, quæ remanet; non tamen commissum periurium; nisi forte quoad pœnam. Limitant tamen hæc omnia Felinus & Panormitanus supra, vt procedant quando perseuerat in periurio; vt si iurasti soluere tempore determinato; neque soluisti; censeris, dum non soluis, perseuerare in periurio, quia perseuerantia posita, non potest tibi beneficium relaxationis concedi; sed debes soluere; esto postea possis repetere. Secùs verò dicunt supradicti Doctores esse, si ex aliqua causa à periurio excusaris, vel quando ipsum periurium non trahit tractum successiuum; sed semel commisso, ab eo desistis; vt si iurasti non contrauenire venditioni; contrauenisti; vt si iurastis; peccasti. At si desistis periurium non continuas; poteris tunc relaxationem Iuramenti obtinere. Fundamentum horum Doctorum desumitur ex *capit. quia frustra* 14. *de vsuris* ibi Frustra legis auxilium inuocat, qui committit in legem, qui ergo committit in legem Iuramenti frustra petit illius relaxationem.

Cæterum concedi posse relaxationem Iuramenti iniquè extorti post commissum periurium, non solum in foro conscientiæ (in quo non existimo locutos supradictos Doctores) sed etiam in foro externo tenet. Sanch. *lib.* 1. *de sponsalibus disp.* 32. *num.* 16. Suar. tom. 2. de Relig. *lib.* 2. *de Iuramento cap.* 41. *à num.* 22. *vsque in finem & alij apud ipsos.* Ratio est, quia ex commisso periurio non tollitur potestas in relaxante. Non enim turpitudo alterius superiori obesse poterat. Ergo poterit relaxare, ac si nullum esset commissum periurium. Neque obstat supradictum *cap. quia frustra.* Fatemur enim non posse vti beneficio legis, qui committit in legem, qualiter committit vsurarius, qui virtute litterarum recuperare sibi debita intendit; & tamen non vult ipse restituere quæ debet. Hic enim non vtitur beneficio litterarum ad exequendum peccatum, sed ad perseuerandum in illo. At petens relaxationem Iuramenti, etiam commisso periurio, intendit excutere peccatũ imò quando eam petit, non perseuerat in peccato periurij, & consequenter non committit in legem; etiam si in illam commiserit; quia vt bene dicit *Suarez illo cap.* 41. *n.* 23 obligatio soluendi non ita vrget pro singulis momentis; quin possit quis & dolere de transgressione Iuramenti & proponere illud non ampliùs committere, vel soluendo vel statim sine mora quærendo relaxationem. Quare dum illam quærit, periurium non committit. Quia Iuramentum semper intelligitur factum sub conditione, petendi relaxationem, si causa subsit. Adde nulla lege periurum reddi incapacem talis

relaxationis ; licet enim propter commissum periurium puniri possit ; non tamen invenitur punitus in denegatione relaxationis. Cur ergo id affirmandum est?

Ex qua doctrina infero cum Suar. *d. lib. 2. de Iuramento c. 41. num. 26.* non esse talem relaxationem nullam ; esto petatur sine manifestatione commissi criminis. Quia hoc non per se confert ad iustitiam , vel causam relaxationis ; & qui illam petit , potest aliter pœnitentiam agere de commisso periurio; sicut si fecisses votum ingrediendi religionem intra annum, illúdque violasses, posses sequenti anno (causa sufficiente existente) petere dispensationem , etiam tacita transgressione voti. Quia nullibi cauetur hanc transgressionem esse manifestandam. Neque dum illam relaxationem procuras , reus es voti ; quia iam facis , quod in te est, vt à voto liber existas. Secundò infero ipsum creditorem posse condonare Iuramentum , & totum suum debitum non obstante peccato debitoris. Quia propter periurium debitoris priuandus non est creditor iure suo , liberè disponendi de rebus suis, & remittendi gratis sua debita. Et hinc sumit Suar. & bene , argumentum quòd id possit facere superior , qui voluntatem subditi quasi eminenter in sua potestate continet; imò poterit cogere creditorem , vt relaxaret iuxta *textum in cap. 1. de iureiurando* , non obstante mora vitiosa debitoris : Tum quia textus nihil distinguit ; an cogendi sint ante commissum periurium relaxare Iuramentum , vel post. Tum etiam quia peccatum debitoris nullum ius dedit iniquo creditori ; neque liberauit illum à debito relaxandi. Potest igitur eodem modo cogi. Nam interuentio periurij non diminuit potestatem relaxandi Iuramentum iniquè extortum. Hanc coactionem facere potest iudex Ecclesiasticus etiam in sæculares creditores iuxta *d. c. 1.* & docet ibi Abbas *n.* 3. Alex. de Neuo *n.* 8. Couarr. 1. *variar. c. 4. num.* 4. Et hoc est optimum remedium quoties creditor noluerit tale Iuramentum remittere , vel quoties debitori molestum fuerit ad creditorem accedere pro relaxatione.

Quarta difficultas. An priuilegio bullæ & aliis priuilegiis concedentibus potestatem dispensandi in votis iurasti , possint hæc Iuramenta inique extorta remitti ? Respondeo videri probabile id fieri posse. Quia ex his nullum ius parti est acquisitum , sed Deo ; ac proinde tanquam vota iurata regulanda sunt. Sic Bartholomæus de Ledesm. *dub. 13. de matrimon. post* 3. *conclusionem pag.* 1354. Manuel. Rodriguez 1. *tom. summ. 2. editione c. 231. num. 4. & c. 189. num. 9. & c. 244. num* 4. Emanuel Sà verbo *Iuramentum num.* 32. indicat Toletus *lib. 4. cap. 23. n. 2. & 3. in principio.* Oppositum tamen est longè probabilius ; eò quòd hæc Iuramenta non fiant Deo , & in eius gratiam ; sed homini , ac proinde non habent rationem voti , sed Iuramenti. Quapropter per bullam , aut quoduis aliud priuilegium concedens relaxationem voti si iurasti hæc Iuramenta relaxari non poterunt. At si priuilegium concederet relaxationem Iuramentorum absque tertij præiudicio ; sane hæc Iuramenta comprehenderet ; cum ex eis nullum ius tertio acquiratur ; ac proinde eorum relaxatio absque præiudicio tertij fit. Et ita docet relato Petro de Ledesma Sanch. lib. 1. de sponsalibus *disp. 32. num. 17. & lib. 3. sum. c. 21. num. 16.* Suarez *lib. 2. de Iurám c. 41. num. 13.*

PVNCTVM IV.

Qualiter Iuramenta apposita contractibus in quibus dolus incidit, possint à iudice Ecclesiastico relaxari ?

SVMMARIVM.

1 *Si fiant ab impubere esto doli capace relaxari possunt ab Episcopo.*

2 *Secùs facta Iuramenta à puberibus nisi læsi fuerint vltra dimidium.*

3 *Quid si minores iurauerint , non contrauenire contractui , nec ratione minoris ætatis , nec læsionis , neque alia ratione.*

4 *Si Iuramenta præstentur à maioribus viginti quinque annis , non possunt ob enormem læsionem relaxari : secùs ob enormissimam.*

5 *Quæ sit læsio enormissima ?*

6 *Solum in contractibus reciprocis datur rescissio contractus ob enormem , vel enormissimam læsionem.*

7 *Si contractus Iuramento præstitus fuerit geminatus , aliqui negant posse dari relaxationem , probabilius est oppositum.*

8 *Non est locus rescissioni contractus nec relaxationi , si deceptor velit iustam æstimationem rei supplere.*

9 *In Romana curia non conceditur relaxatio ad effectum agendi in obligationibus cameralibus.*

10 *Præstita absolutione Iuramenti ad effectum agendi si postea declaretur contractus iustus , obligat Iuramentum secùs si iniustus declaretur.*

11 *An in illis casibus , in quibus ob læsionem enormem , vel enormissimam potes agere ad rescissionem contractus vel pretij supplementum indigeas iuramenti relaxatione , videris non indigere.*

12 *Contrarium defendit communis sententia.*

13 *Conciliantur supradictæ sententiæ.*

1. HÆc Iuramenta fieri possunt ab impubere , à pubere , & à maiore si fiant ab impubere , quantumuis doli capax sit , & proximus pubertati ; possunt ab Episcopo relaxari , quia ob defectum minoris ætatis contractum non firmant. Sic Sanch. *lib. 3. summ. c. 21. n.* 18. Non caret probabilitate , vt ex *super. disp.* constat hæc Iuramenta relaxatione non indigere. Quia obligatoria non sunt ; eo quòd cadant super contractus à iure reprobatos.

2. Si verò hæc Iuramenta à puberibus fiant ; quia habent vim firmandi contractus , ac si tales contractus essent à maioribus celebrati , ex Textu in Authent. *Sacramenta puberum* non poterunt ab Episcopo relaxari , nisi fortè læsi fuerint vltra dimidium. Nam hac læsione stante potest Episcopus relaxationem Iuramenti concedere , vt illa concessa possint agere ad contractus rescissionem , aut iusti pretij supplementum. Quia ex Iuramento absolutè præstito, quo puberes iurant non contrauenire contractui , non videntur excludere beneficium *l. 2. Cod. de rescindenda venditione.* Et ita docent multi quos referunt & sequuntur Couarr. de pactis 3 *p.* §. 4. *num.* 6. Molina lib. 2. de primogeniis *c. 3. num.* 21. Anton. de Padilla *in leg. 2. num.* 33. Gutierr. de Iuramento 1. *p c. 26 num.* 8. & in Authent. *Sacramenta puberum à num.* 86. Anton. Gomez. 2. *tom. variar. c. 14. de restitut. minorum num.* 20. Matiençó *l. 5. recopil. tit. 11. l. 1.* Gloss. 8. *num.* 50. Sanch. *l. 3. sum. c. 21. n.* 18. Quod à fortiori procedit si limitare iurarent : scilicet , se non contrauenturos ratione minoris ætatis ; tunc si enormiter læsi sint , possunt agere etiam absque Iuramenti relaxatione, vel ad rescissionem contractus , vel ad supplendum iustum pretium ratione læsionis. Sic Sanch. *illo c. 21. num.* 18. *cum* Conar. *eo.* §. 4. *num.* 6. Matienzo *eadem* Gloss. 8 *num.* 51. Ratio est: Quia apponendo illam limitationem clarè indicarunt solum velle stare contractui ratione ætatis , non verò ratione læsionis , alteriúsve causæ.

3. Verum si minores expressè iurauerint , se non contrauenturos contractui , neque ratione minoris ætatis , neque ratione læsionis, aut alia ratione non poterunt absolui à Iuramẽto ratione enormis læsionis; quia huic expressè renuntiauerunt; bene tamen potest absolui ratione enormissimæ læsionis, quia huic censendi non sunt renuntiare. Sic Sanch. *li. 3. c. 21. n.* 18. & Gutierr. Authent. *Sacramenta, n.* 88. *& alij apud ipsos.* Si autem læsio enormis (hoc est vltra dimidium existimationis) contingat simul cum metu reuerentiæ & obsequij paterni , aut maritalis poterunt à Iuramento absolui, & agere ad contractus rescissionem ratione enormis læsionis. Quia metus ille reuerentialis iunctus læsioni præstat præsumptionem doli , & oppressionis, & defectum liberi consensus. Sic Couarr. *d. 3. p.* §. 4. *num.* 7. Alciatus *in c. cum contingat. n.* 2. *& num.* 81. *de iureiurando , & aliis relatis* Gutierr. Authent. *Sacramenta puberum , num.* 93. *&* 94.

4. Quòd si supradicta Iuramenta confirmatoria contractus præstentur à maioribus 25. annis eo casu , quo præstari possunt ; non poterit eis beneficium relaxationis concedi ob enormem læsionem ; sed tantum ob enormissimam. Quia enormi læsioni appositione Iuramenti censentur renuntiasse ; secùs enormissimæ. Quia hæc dolo æquiparantur. Sic Couarr. *multis allegatis de pactis 3. p.* §. 4. *num.* 4. *&* 5. Padilla *d. leg. 2. C. de rescindenda venditione num.* 32. Gutierr. Authent. *Sacramenta puberum num.* 92. *& de Iuramento 1. p. c. 26. num.* 5. *&* 7. Molina lib. 2. de primogeniis *c. 3. num.* 18. Sanchez *d. cap. 21. num.* 18.

5. Quod si inquiras , quæ sit censenda enormissima læsio ? Alij quos refert *Molina illo n.* 18. Existimant esse læsionem vltra quadruplum , vel saltem triplum iusti pretij ; ipse tamen arbitrio iudicis relinquit ; Couarr. verò *lib. 2. variar. c. 4. n.* 5. cum Cassiodoro *decis. 1. titul. de emption.* Padilla *lege 2. C. de rescindenda venditione num.* 43. Gutierr. *dicto cap. 26. n.* 7. Quibus consentire videtur Sanchez *illo cap. 21. num.* 18. Existimant læsionem enormissimam iudicandam esse , quæ in duplo excedit iustum pretium. Vnde testatur Couarruuias in Prætorio Granatensi se vidisse in prima , & secunda supplicationis instantia decisum esse , hanc læsionem enormissimam contigisse , cum domus valoris ter mille, & quingentorum aureorum vendita fuit mille & quingentis aureis , & in prætorio Rotæ refert ex Cassiodoro iudicatum , hanc læsionem contigisse ; cum res valoris bis mille & trecentorum aureorum , solis mille fuit vendita , & hæc videtur verior sententia

6. Debes

6. Debes tamen aduertere, non esse locum rescissioni contractus, nec relaxationi Iuramenti ob enormem vel enormissimam læsionem in contractibus gratuitis; sed solum in reciprocis; vbi interuenit, do vt des, facio vt facias. Quia donator clarè intelligit, se læsum esse in tota illa quantitate, & sciens vult, id beneficium in alium conferre. Sic Menchaca *lib.* 1. *controuersiarum vsufrequentium cap.* 13. *numero* 5. Molina *lib.* 2. *de primogeniis cap.* 3. *numero* 30. Sanchez *lib.* 3. *summ. cap.* 21. *num.* 19. Et nos diximus super, disputat. punct. 5.

7. Secundò aduerte aliquibus placere, non posse contractum rescindi nec relaxationem Iuramenti obtineri, etiam ob enormissimam læsionem si iuramento præstito fuerit geminatus. Sic Decius *cons.* 181. *colum. penult. & fin.* Couarruuias de pactis 3. *p.* §. 4. *num.* 6. *octau. conclusione.* mouentur ex Authent. *sicut à me, & ex lege si mulier Cod. ad Senatusconsultum Velleianum.* Vbi quamuis mulier fideiubendo pro alio obligari non possit; quin ei competat exceptio Velleiani; si tamen in eadem causa bis se obligauerit, tenet obligatio, & cessat exceptio. Sic videtur dicendum in supradictis contractibus iuratis. Nam minor vel maior iurant contractum; esto minori competat exceptio *legis* 2. *Codice de rescindenda venditione*, ratione enormis læsionis, & maiori exceptio læsionis enormissimæ. Si tamen geminent obligationem, cessabit exceptio, & Iuramenti relaxatio. Admittit hanc doctrinam Gutierrez in Authentica *Sacramenta*, *num.* 99. Eo casu, quo secunda obligatio fiat post biennium primæ; secus si in eodem instrumento, vel intra biennium fieret. Quia Textus in Authentica, *siue à me*, *& in lege si mulier*, non absolutè loquuntur, sed quoties mulier post primam intercessionem à se factam biennio elapso fecit secundam intercessionem pro eadem causa; vel dedit pignus, vel intercessionem. Quia ex interuallo temporis ius præsumit fideiussionem mulieri vtilem esse.

Cæterum verius existimo ob geminatam obligationem, etiam cum interuallo biennij, non priuari iurantem potestate petendi rescissionem contractus, & Iuramenti relaxationem illis in casibus, in quibus aliàs petere poterat. Quia nullibi cauetur talis effectus; & cum fraudibus faueat, non est absque claro fundamento asserendus, neque ex supradictis legibus. *Siue à me*, *& lege*, *si mulier.* desumi potest argumentum. Tum, quia illa decisio est specialis in illo casu. Tam quia est diuersa ratio. Nam in contractu fideiussionis mulieris, de se nulla est deceptio. Neque ob deceptionem conceditur exceptio Velleiani, sed ob mulieris fragilitatem, & imbecillitatem. At in læsione enormi, & enormissima deceptio est, & defectus consensus; & ob eam causam rescissio contractus, & relaxatio Iuramenti conceditur. Ergo quantumuis obligatio multiplicetur, non impediet hanc rescissionem & relaxationem. Neque enim æquum erat, ob repetitam iniuriam priuari deceptum iure sibi concesso reparandi deceptionem, potius ob geminatam deceptionem celeritis relaxatio Iuramenti, & rescissio contractus concedenda erat. Sic defendit pluribus relatis Burgos de Paz *cons.* 18. *n.* 22.

8. Tertiò aduerte; non esse locum rescissioni contractus, nec relaxationi Iuramenti ratione enormis, vel enormissimæ læsionis, si deceptor velit iustam æstimationem rei supplere. Quia tunc nullus est dolus, ratione cuius debeat contractus rescindi. Sic Gregorius Lopez *leg.* 56. *tit.* 5. *partita* 5. *fine*, *& leg. fin. tit. vlt. part.* Couarruuias 3. *parte de pactis* §. 4. *num.* 7. Sanch. *lib.* 3. *summ. c.* 21. *n.* 22.

9. Quartò aduerte cum Couarruuia *d. num.* 7. & Sanch. *num.* 14. in Romana curia ex stylo signaturæ non concedi relaxationem Iuramenti, etiam ad effectum agendi, in Iuramento præstito in obligationibus conceptis in forma Cameræ Apostolicæ.

10. Quintò aduerte: præstita absolutione Iuramenti ad effectum agendi, si plenatio iudicio pronuncietur contractum esse validum manere iurantem obstrictum vinculo Iuramenti; ac si relaxatum non fuisset. Quia solum ad effectum agendi, hoc est, ad intentandam rescissionem contractus, vel pretij supplementum fuit data absolutio. Verum si in iudicio summario præstita absolutione ad effectum agendi, tandem plenario iudicio contractus iudicetur iniustus, & rescindendus; licet tutius sit, peti iterum absolutionem à vinculo Iuramenti absolutè; non tamen necessaria est. Quia primo absolutio ad effectum agendi hunc sensum habet, vt liberè agat contra illum contractum, si illius maliciam probauerit. Sic expressè Couarr. *lib.* 1. *variarum capit.* 4. *num.* 6. Sanch. *lib* 3. *summ. cap.* 21. *num.* 23.

11. Sed adhuc est grauis difficultas; an in illis casibus in quibus ob læsionem enormem vel enormissimam potes agere ad rescissionem contractus vel pretij supplementum, indigeas Iuramenti relaxatione? Videris non indigere, vel posse agere non obstante Iuramento. Quia ea de causa in illis casibus agere potes: quia non censeris Iuramentum ad illos casus extendere; censeris enim iurare, te perseueraturum in contractu, dummodo læsus grauiter, aut grauissime non fueris. Ergo etiam si agas absque relaxatione, Iuramentum non violabis. Et confirmo; ea de causa, minor, qui expressè iurauit stare contractui, illique non contrauenire ratione minoris ætatis, potest absque relaxatione Iuramenti contrauenire ob læsionem enormem, quia ob hanc causam non censetur iurasse, non contrauenire. Sed idem præsumitur de minore absolutè iurante, & de maiore comparatione læsionis enormissimæ. Ergo in omnibus his casibus nulla est necessaria Iuramenti relaxatio: Et specialiter probatur in casu enormissimæ læsionis, eo quòd stante hac læsione est dolus & fraudis præsumptio. Argumento Textus *in leg. Lucius* §. *omnes ff. quæ in fraudem creditoris*, sed stante dolo nullum est Iuramentum, vt superiori disputatione diximus. Ergo in illo casu cessat Iuramenti obligatio. Sic tenet Rolandus à Valle *cons.* 59. *num.* 27. *lib.* 1. *& cons.* 60. *num.* 68. *lib.* 4. *& plures relati ab* Arias, Pinelo, Couarr. & Gutierr. statim allegandis.

12. Contraria sententia, nempe in supradictis casibus opus esse relaxatione Iuramenti, vt ad contractus rescissionem agere possis ex læsione enormi, si minor sis, & ex læsione enormissima si sis maior, est communis, & in praxi recepta. Sic Arias Pinellus *in repetitione legis secundæ*, *Cod. de rescindenda venditione* 1. *parte cap.* 1. *num.* 8. Gutierr. Authent. *Sacramenta puberum*, *num.* 96. Couarruuias 3. *parte* §. 4. *num.* 8. *&* 1. *parte de Iuramento cap.* 26. *num.* 6. Matienço *lib.* 5 *recopilationis tit.* 11. *leg.* 1. Glossa 8. *num.* 51. Antonius de Padilla *dicta leg.* 2. *num.* 32. Sanch. *lib.* 3. *sum. cap.* 21. *num.* 18. *&* 28. Mouentur, quia iurans stare contractui videtur iurasse, nunquam contrauenire, dum Iuramentum relaxatum non fuerit.

13. Cæterum supradictis sententias facilè conciliare possumus, si affirmemus primam in foro interno procedere, & secundam in foro externo. Nam cum in foro interno veritas spectetur, & præsumptiones cessent, si iurans certus est se enormiter, vel enormissimè læsum esse, poterit ad rescissionem contractus vel pretij supplementum procedere non obstante Iuramento. Quia non censetur iis renunciasse. At in foro externo cum præsumptiones ibi locum habeant, præcipuè cum veritas inuestigata non est, nequaquam sic iurantes permitti possunt agere ad contractus rescissionem, qui Iuramentum ad effectum agendi relaxetur. Quia cum intentant contractus rescindere, non constat in illo foro de læsione, & consequenter non constat cessare Iuramenti obligationem. Ergo est concedenda relaxatio sin minùs impeditur actio ob periurij periculum.

PVNCTVM V.

Quæ requirantur vt Iudex Iuramenti iniquè extorti relaxationem concedat.

SVMMARIVM.

1 *Requiritur causæ cognitio.*
2 *Quæ cognitio dubia, an certa? media via proceditur.*
3 *Citanda est pars ad huius Iuramenti relaxationem, quando absolutè conceditur.*
4 *Quando ad effectum agendi tantum, aliqui affirmant, verius est citationem non requiri.*
5 *Potest relaxatio Iuramenti per procuratorem peti, imò ipso iurante, non petente concedi.*

1. PRimò ad relaxationem concedendam requiritur in relaxante causæ cognitio. Hæc enim relaxatio est quædam dispensatio iuris naturalis, & diuini tertio præiudicantis; non igitur fieri potest absque causæ legitimæ cognitione. Sic omnes Doctores.

2. Solum est difficultas, quæ cognitio requiratur; an certa, an sufficiat dubia?

Eman. Sà verbo *Iuramentum num.* 32. Affirmat, dubiam sufficere pro relaxatione Iuramenti ad effectum agendi; ideo enim permittitur contractus rescissionem intentare; quia dubium est, in tali contractu iniustitiam interuenire.

Innocentius verò & alij à Felino cap. 1. num. 17. de iureiurando censent cognitionem certam de iniustitia contractus requiri. Quia cum is, in cuius fauorem Iuramentum præstitum, ius habeat, vt sibi Iuramentum seruetur, non debet hoc iure priuari absque manifesta iniustitia. Priuatur autem, quoties relaxatur Iuramentum, etiam ad effectum agendi. Ergo id fieri non potest absque cognitione certa de iniustitia.

Cæterum media via procedendum est, ad relaxationem Iuramenti, ac effectum agendi, requiri & sufficere cognitionem probabilem de iniustitia contractus. Sic aliis relatis Sanch. *lib.* 3. *summ. cap.* 21. *num.* 27. Et in primis requiri hanc

cognitionem, nec ſufficere dubiam. Sic probo: Quia in caſu dubij in fauorem poſſidentis iudicandum eſt, præcipuè cum ex hoc iudicio excludatur delictum. At poſito Iuramento in cuius gratiam factum eſt, poſſidet, ne contra illud iurans actionem intentet. Ergo ab hac poſſeſſione excludi non debet ob dubium de iniuſtitia. Præterea videtur iniquum in caſu dubio præſumere iniuſtitiam; & iudicium ferre; ac ſi commiſſa eſſet. Deinde quodlibet Iuramentum, eo ipſo quod homini ſit, relaxari non poteſt; ſolum ab regula generali excipiuntur Iuramenta iniquè extorta, ſed dato Iuramentum in gratiam hominis eſſe factum, eſt regula, quod relaxari non poſſit. Ergo ab hac regula ob dubium iniuſtitiæ excipi non debet. Quod verò ſufficiat cognitio probabilis; ea mihi ratio perſuadet. Quod ſi certa eſſet requiſita. Epiſcopus concedens relaxationem Iuramenti ad effectum agendi, ſimul declararet, contractum eſſe reſcindendum, vtpote clarè iniuſtum. Non igitur ad hanc relaxationem eſt neceſſaria ea certa notitia. Reſtat ergo, vt probabilis ſufficiat, quæ per ſummariam informationem etiam vnico teſte deponente habetur.

3. Secundò requiri poteſt, ad hanc relaxationem concedendam citatio partis, cuius intereſt; nempe illius, in cuius gratiam Iuramentum præſtitum eſt. Et quidem ſi relaxatio eſſet concedenda in integrum, ita vt in totum extingueret Iuramenti obligationem; omnes Doctores cenſent, fieri non poſſe abſque partis citatione. Quia conceſſa hac relaxatione ſimul contractus reſcinditur, & iurans liber ab obligatione declaratur. Quod fieri abſque citatione partis, eſſet ſententiam ferre contra inauditam partem; quod eſt abſurdum.

4. Difficultas ergo eſt: an ſi relaxatio non in totum, ſed ſolum ad effectum agendi, vel excipiendi concedatur, debeat neceſſariò pars citari? Affirmat Felinus *cap. 1. à num. 23. de iureiurando.* Paz *in practic. 2. to. præludio 2. num.* 38. Didacus Petez *in leg. 1. tit. 2. lib. 3. ordinamenti col.* 814. verſ. *quaro* 16. Ratio ea eſt: quia citatio neceſſaria eſt, quoties tractatur de alterius præiudicio *c. 1. de cauſa poſſeſſionis & propriet.* Clementina *Paſtoralis de re iud. & leg. vnoquoque ff. de re iud.* ſed in hac relaxatione agitur de præiudicio partis, cum moleſtetur vocatione, & obligatione iuſtificandi contractum. Ergo fieri non poteſt abſque citatione.

Nihilominus verius eſt, citationem non requiri. Sic docuit pluribus relatis Couarr. *lib. 1. var. c. 4. num. 6.* Gut. in Authent. *Sacramenta puberum num.* 112. Sanch. *lib. 3. in Decal. c. 21. num.* 28. Ratio eſt: quia hanc relaxationem Prælatus concedere ex officio poteſt, eo ſolum; quod ſummatiè probatum fuerit, iniuſtitiam in contractu intercueniſſe. Vt tenent plures Doctores in *c. 1. de iureiurando.* Sed in his, quæ Prælatus ex officio facere poteſt, quæque plenam probationem non exigunt, citatio neceſſaria non eſt. Ergo. Item hæc citatio ad nullum effectum vtilis eſſe poteſt. Siquidem pars conſentire non tenetur in relaxatione, imò potius ipſa diſſentiente conceditur, vt in iudicio examinetur contractus; & inuentus iniuſtus reſcindatur; ſin minus iurans tanquam calumnioſus condemnetur; & expenſas ſoluat, quas altera pars litigando & contractum defendendo fecit. Ex quo ſit parum, aut nihil præiudicati ei, in cuius gratiam iuratum eſt.

5. Tertiò aliqui requirunt, vt ipſemet iurans per propriam perſonam relaxationem Iuramenti peteret; eo quòd eſt perſonale vinculum. Sed hoc nullo modo eſt concedendum; ſed per procuratorem peti poteſt. Imò iurante abſente, & ignorante Iuramenti relaxatio concedi à ſuperiore poteſt. Ex Textu *in leg. Labeo ff. de iureiurando*, & ita aliis relatis tradit Sanchez *dicto cap. 21. num. 37.*

PVNCTVM VI.

Quis ſuperior remittere, aut relaxare poteſt Iuramenta homini præſtita.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus, capitulum ſede vacante, & vicarius generalis, ſi iudex ſit contractus, poteſt relaxationem concedere.*

2 *Iudex Eccleſiaſticus loci, in quo contractus eſt celebratus, poteſt relaxationem concedere, ſi petatur pro foro externo, ſecùs ſi pro conſcientiæ foro.*

3 *Si relaxatio abſolutè concedatur, ſolum iudex, qui reum citare poteſt, eam valet concedere.*

4 *Iudex ſecularis non poteſt propriam relaxationem concedere.*

5 *Quid ſit probandum, vt iudex Laicus compellat ad Iuramenti relaxationem, vel ipſe Iuramentum remittat.*

6 *A quo ſuperiore facienda eſt hæc Iuramenti remiſſio.*

7 *Ad hanc abſolutam remiſſionem debet Laicus iudex, partem citare, ſecùs ſi remiſſionem concedat ad effectum agendi.*

8 *Iudex Laicus interpretari Iuramentum poteſt.*

9 *Qualiter iudex Laicus cognoſcere poſſit de nullitate relaxationis ab Eccleſiaſtico factæ.*

DE ſuperiore Eccleſiaſtico, & ſæculari quæri poteſt, quis ſit, qui poteſtatem habeat relaxandi, vel remittendi Iuramenta, quæ remitti vel relaxari poſſunt.

1. Si de ſuperiore Eccleſiaſtico loquamur, conſtat, Epiſcopum, & capitulum ſede vacante id poſſe, & generaliter omnem habentem iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Vnde Vicarius Generalis Epiſcopi hæc Iuramenta poterit relaxare. Quia habet cognitionem cauſarum *cap. 2. de officio vicarij in 6.* & cum cauſæ cognitio eſſe non poſſit abſque hac relaxatione, poterit hanc relaxationem, vt quid acceſſorium expedire, ita Baldus *c. 1. de iureiurando initio*, & *ibi* Alexand. de Neuo *num. 29.* Quos ſequitur Sanch. *lib. ... ſumm. cap. 21. num.* 32. Limitat tamen & bene Sanchez vt intelligatur, vicarium generalem poſſe, hanc relaxationem concedere; dummodo ſit iudex legitimus contractus iurati, & relaxatio petatur pro foro externo. Nam ſi ſolum pro conſcientiæ foro petatur relaxatio, aut vicarius non ſit iudex legitimus illius contractus: nequaquam poterit ex vi vicariatus hanc relaxationem concedere. Quia hæc relaxatio eſſet directa iuramẽti diſpenſatio: & in generali vicariatus cõmiſſione poteſtas diſpẽſandi nõ clauditur.

2. Dubium tamen eſt: an Prælatus loci, in quo irritus eſt contractus; an Prælatus iurantis; an eius, cui iuratum eſt, poſſit hanc relaxationem concedere? Breuiter reſpondeo. Primò: ſi relaxatio petatur pro foro externo, iudex Eccleſiaſticus loci, in quo contractus eſt celebratus, poterit relaxationem concedere. Quia ratione contractus ſortiuntur contrahentes eo in loco forum, *cap. fin. de foro competenti*, & iudex contractus, Sic Sanch. *dicto cap. 31. num. 21. cum Felino cap. finali de foro competenti, num.* 24. Quod ſi pro foro conſcientiæ petatur relaxatio, iudex loci in quo contractus eſt celebratus nihil poteſt. Quia in illo foro non contractus; ſed domicilium iuriſdictionem præſtat. Sanch. *loco citato.*

Secundò reſpondeo; ſolus Prælatus iurantis poteſt concedere relaxationem Iuramẽti pro conſcientiæ foro, vel ad effectum agendi. Quia hæc relaxatio eſt diſpenſatio nomine ipſius Dei. Debet ergo diſpenſans ſuperior eſſe eius, quo cum diſpenſat, & eius obligationem remittit: cum in illum iuriſdictionem exerceat.

3. At ſi relaxatio non pro conſcientiæ foro tantum, nec ad effectum agendi, ſed abſolutè concedatur, ad reſcindendum contractum, & eximendum iurantem ab omnimoda obligatione, ſolum iudex, qui reum citare poteſt, poterit relaxare. Quia ad hanc relaxationem citatio partis neceſſaria eſt vt diximus. Vnde Epiſcopus iurantis Iuramentum relaxare poterit omnino, ſi pars, cui eſt facienda citatio, ſit eius ſubditus, aut ſit in eius territorio, ſecùs verò ſi abſens ſit. Quia extra territorium nequit fieri citatio, niſi de conſenſu ſuperioris illius loci, *lege extra terminum ff. de iuriſdictione omnium, iudic.* Felinus & Sanch. *ſupra.*

4. Si verò loquamur de ſuperiore ſæculari nullus eſt, qui poſſit relaxationem propriam concedere. Quia hæc conceſſio eſt actus ſpiritualis iuriſdictionis, cuius ſæcularis eſt incapax. Eſt enim directa vinculi Iuramenti remiſſio nomine Dei. Sic notauit Suarez *lib. 2. de Iuramento cap. 41. num. 16. circa medium.* Sanchez *lib. 3. cap. 22. num.* 15. At eſto relaxationem propriam concedere non poſſit, poteſt tamen nomine partis obligationem remittere. Si enim ſæcularis Princeps poteſt cogere ſubditum, vt Iuramenti obligationem remittat, & ipſe nolente ſubdito remittere poterit. Quia ſuperior ſupplere poteſt conſenſum, quem ſubditus tenetur præſtare. Qua ratione, ſi ſuperior vendat tuam domum ad ſoluendum tuis creditoribus, teneris de euictione, ac ſi ipſemet vendidiſſes. *lege ſi ob cauſam Cod. de euictione.* Quia factum iudicis reputatur factum partis. Et ita tenet Couarruuias *lib. 1. variarum cap. 4.* Molina *tom. 1. de iuſtitia diſp.* 149. verſ. *dixi deinde* Emanuel Sà verbo *Iuramentum, num. 29.* Sanch. *lib. 3. ſum. c. 21. n. 1. & 15.*

5. Vt autem ſuperior Laicus ſubditum compellat ad Iuramenti remiſſionem, vel ipſe nomine ſubditi remittat, debet priùs probare in illo Iuramento ex parte recipientis turpitudinem intercueniſſe, & rem per Iuramentum promiſſam ad iudicium ſæculare ſpectare. Si enim dubium ſit: an in Iuramento detur turpitudo; vel rei promiſſæ cognitio ad iudicium ſæculare alioquin non ſpectat; poteſtas Laica remittere Iuramentum nequaquam poterit. Sic Couarr. *dicto lib. 1. variar. cap. 4. num. 5.* Gregorius Lopez *lege finali verbo. Que la fizò tit. 11. partita 3.* Gutierr. Authent. *Sacramenta numero* 160. Sanch. *lib. 1. de matrimonio diſput. 32.*

numero

numero 18. *& lib.* 3. *ſumm. c.* 22. *numero* 1. *&* 15.

6. Hæc tamen condonatio, ſeu Iuramenti remiſſio neceſſariò facienda eſt à ſuperiore ipſius, cui eſt iuratum. Siquidem condonatione hac exercetur in ipſum iuriſdictio loco ipſius obligationem condonando. Sic Molina *d. diſp.* 149. *colum.* 5. Sanchez *d. cap.* 22. *num.* 17. Ex quo fit, ſi is, cui iuratum eſt, fidelis ſit, & Laycus, poſſe ſuperiorem iudicem illius tam Eccleſiaſticum, quam Laycum remittere, & condonare obligationem. Quia eſt cauſa mixti fori. Si verò clericus ſit is, cui iuratum eſt, ſolus Eccleſiaſticus iudex poteſt remittere, ſi infidelis; ſolus illius ſuperior, non iudex Eccleſiaſticus. Quæ omnia docet Sanch. *d. c.* 22. *n.* 19. & Suar. *lib.* 2. *de Iuram. c.* 41. *n.* 16. *circa medium.*

7. Sed eſt aduertendum, condonationem hanc abſolutam Iuramenti fieri non poſſe à Layca vel Eccleſiaſtica poteſtate abſque partis citatione. Siquidem omnino ab obligatione Iuramenti liberat & contractum diſſoluit. At ſi remiſſio Iuramenti non eſſet abſoluta, ſed limitata, nempe ad effectum agendi; partis citatio neceſſaria non eſt, vt ex ſuperiori puncto conſtat. Poſſe autem Laycam poteſtatem remittere Iuramentum ad effectum agendi, docet expreſsè Molin. *tract.* 2. *de iuſtitia diſp.* 149. *pag.* 848. verſ. *iuxta hactenus dicta fine.* Quia ſi is, cui præſtitum eſt Iuramentum, poteſt non obſtante eo facultatem concedere, vt res iudicio diſcutiatur, iuſta ne ſit, ita poteſtas publica tam Layca, quam Eccleſiaſtica eandem concedere poteſt.

8. Deinde iudex ſæcularis & legiſlator ciuilis interpretari poteſt Iuramentum de materia ſæculari fori; an ſcilicet obliget, vel non. Quia Princeps ſæcularis ac ciuilis legiſlator ius habet, interpretandi humanas diſpoſitiones eorum, in quos ius habet ferendi leges; ita vt poſſit conuentionum, promiſſionum, teſtamentorum & ſimilium actuum verba interpretari; quia interpretatione facta etiam Iuramentum ipſum interpretatur, cum Iuramentum iis actibus humanis appoſitum eodem modo ſit intelligendum, ac ipſe actus. Siquidem iurans id Iuramento firmat quod ſimplici verbo promiſerat. Ita Couarr. *i. p. §.* 3. *n.* 8. verſ. *tertium illud.* Sanch. *lib.* 3. *c.* 22. *num.* 3.

9. Denique inquiri poſſet; an iudex ſæcularis cognoſcere poſſit de nullitate relaxationis Iuramenti ab Eccleſiaſtico iudice conceſſæ? Felinus *cap.* 1. *de iureiurando num.* 12. *& cap.* 2. *num.* 3. *de ſponſalibus*, Paz *in ſua pract.* 2. *p. prælud.* 2. *n.* 38. Sanch. *l.* 3 *ſ. cap.* 22. *num.* 4 Affirmant id fieri poſſe, ſi relaxatio ab Eccleſiaſtico iudice conceſſa, ſit euidenter nulla, vel iniqua. Sed hoc cautè intelligendum eſt. Si enim nullitas vel iniquitas relaxationis non appareat; ſed probatione & examinatione indiget, admittendum non videtur, poſſe ſæcularem de tali relaxatione cognoſcere; ne iudex ſæcularis ſuperior fiat Eccleſiaſticæ poteſtati.

DISPVTATIO IV.

De Adiuratione.

ADIVRATIO affinis eſt Iuramento, eo quòd ſit diuini Numinis conteſtatio, de ea quatuor diſputanda ſunt, quid ſit, & quotuplex, quæque conditiones ad eius honeſtatem requirantur? Secundo, qui adiurare poſſunt? Tertiò, qui adiurari? Quartò qui modus ſeruandus ſit in adiuratione dæmonis.

PVNCTVM I.

Quid ſit adiuratio, quotuplex, quæ eius conditiones, & qualiter ab oratione & Iuramento differat?

SVMMARIVM.

1 *In qua ſignificatione adiuratio in præſenti vſurpetur.*
2 *Definitur adiuratio & explicatur.*
3 *Duplex eſt adiuratio, ſolemnis & priuata.*
4 *Item deprecatiua & imperatiua.*
5 *Ad honeſtatem adiurationis veritas, iuſtitia, & iudicium requiruntur, & qualiter veritas.*
6 *Qualiter iuſtitia requiratur.*
7 *Qualiter iudicium.*
8 *Modus in adiuratione ſeruandus eſt.*
9 *Ad quam virtutem adiuratio pertineat.*
10 *Qualiter ab oratione, & Iuramento differat.*
11 *Aliquando adiuratio Iuramento miſcetur.*

1. SI nomen adiurationis ſpectemus æquiuocum eſt; ſumitur namque ſæpe pro Iuramento, ita vt idem ſit adiurare, ac iurare cum aliqua tamen vehementia ac firmitate. Sed de hac ſignificatione non eſt ſermo in præſenti, latè enim in ſuperioribus dictum eſt. Deinde ſumitur adiuratio pro eo, quod eſt ad iurandum inducere. Sed neque de ea in hac ſignificatione tractamus. Quia hæc ſignificatio cum Iuramento coincidit. Quare adiurationem in præſenti ſumimus, pro conteſtatione diuini numinis ad aliquid faciendum, vel committendum, ſiue Iuramentum petatur, ſiue non.

2. Adiuratio ergo ſic ſumpta definitur. Vt ſit conteſtatio rei ſacræ, vt eius reuerentia, amore, vel timore promoueatur adiuratus, ad aliquid faciendum vel omittendum. Sic D. Thom. ab omnibus receptus 2. 2. *q.* 90. *art.* 1. Adiutatione namque diuinum numen conteſtamur. Et quaſi præſens adducimus, vt eius præſentia, & authoritate permoueatur adiuratus facere, quod petimus vel imperamus; eáque de cauſa in adiuratione tria inueniuntur adiurans, adiuratus & is per quem adiuratur, eſto non ſemper realiter diſtincta ſint vt videbimus.

Notanter dixi; adiurationem eſſe conteſtationem rei ſacræ, vt comprehenderem non ſolum conteſtationem Dei, ſed etiam ſanctorum, per quos fieri poteſt adiuratio, ſed diuerſo modo. Nam cum fit adiuratio conteſtando Deum, vel ſanctos, vt ad ipſum relatos eſt propria, & perfecta adiuratio, vtpote quæ ſummam vim, & authoritatem habeat, ad rem optatam impetrandam. Quando verò fit conteſtando ſanctos ſecundum ſua merita, & dignitatem propriam abſque ſpeciali ad Deum habitudine, adiuratio propria non eſt; eſto ad illam reducatur. Quia non habet illam ſummam vim & efficaciam, ad impetrandum; eſto magnam habeat. Exemplo Iuramenti declaratur, ſi enim Deum, vel ſanctos, vt ad Deum relatos teſteris, propriè Iuramentum facis. Quia infallibilem veritatem in teſtem adducis. Si autem ſanctos ſecundum ſuam propriam excellentiam teſteris; non Iuramentum, ſed teſtimonium humanum, & de ſe infirmum inducis. Sic in conteſtatione Dei, & ſanctorum dicendum eſt.

Dixi conteſtationem rei ſacræ, vt excluderem conteſtationem rei humanæ, ſeu profanæ. Si enim per viam Patris ab amico petas beneficium, non adiuratio, ſed amicabilis obſecratio eſt, pertinens ad humanam & politicam amicitiam. Quæ omnia latiùs tradit Suar. tom. 2. de Relig. *lib.* 4. *de adiuratione cap.... per totum* Sanch. *lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 2.

3. Duplex eſt adiuratio; alia ſolemnis; alia priuata. Solemnis eſt, quæ fit ex præſcripta forma ab Eccleſia inſtituta, & à miniſtris ad id conſecratis. Priuata eſt, quæ ſolemnitate caret.

4. Rurſus adiuratio ſiue ſolemnis, ſiue priuata eſt duplex deprecatiua, & imperatiua, deprecatiua; qua conteſtatione rei ſacræ alterum deprecantur. Imperatiua; qua imperamus. Prioris exempla ſunt, illud *ad Romanos* 12. obſecro vos per miſericordiam Dei vt exhibeatis, &c. Item vſus Eccleſiæ in lætantis & orationibus: conteſtantur enim merita Chriſti, & ſanctorum, vt Deus permoueatur poſtulata concedere. Poſterioris exempla ſunt illud *Geneſis* 24. Vbi Abraham adiurauit ſeruum per Dominum cœli, & *Geneſis* 27. Vbi Iacob filium ſuum Ioſeph adiurauit, vt non ſepeliret illum in Ægypto, & Paulus 1. *ad Timotheum* 4. adiurauit Timoth. per aduentum Chriſti & regnum eius, vt prædicaret verbum Euangelij opportune & importune, *&* 1. *ad Theſſalonicenſes vlt.* Theſſalonicenſes adiurauit, vt epiſtola illa legeretur; & hac adiuratione inique Princeps Sacerdotum adiurauit Chriſtum per Deum viuum *Matth.* 26. Ad huius generis adiurationem debent reduci exorciſmi Eccleſiæ, quibus dæmones adiurantur.

5. Vt autem adiuratio honeſta ſit, eas conditiones Doctores expoſtulant, quæ in Iuramento; nempè veritatem, iuſtitiam & iudicium; ſed diuerſimodè; veritas namque expoſtulatur. Primò ex parte rei conteſtatæ, hoc eſt per veram rem ſacram; & non per fictitiam & falſam conteſtatio fiat. Si enim per Iouem & Iupiter, quaſi per verum Deum obſecrares, aut imperares; non adiutationem, ſed idololatriam committeres; & conſequenter grauiſſimum peccatum. Requiritur ergo ad adiurationem veri numinis inuocatio. Secundo expoſtulatur veritas in animo adiurantis, vt ſcilicet procedat ex vero animo obtinendi poſtulata, vel imperata; alias in vanum, & quaſi irriſoriè diuina auctoritas conteſtaretur, ſed hoc regulariter

peccatum

peccatum veniale non excedit ; cum non videatur ex hac fictione diuinus honor grauiter læsus, vt bene dicit Suar. *tom. 2. de Religione lib. 4. de adiuratione cap. 4. num. 7.* Sanch. *lib. 2. in Decal. cap. 42. n. 5.* Tertiò expostulatur veritas ex parte causæ motiuæ ad adiurandum, ne ex causa ficta & falsa, sed potiùs vera præstes adiurationem. Quod si hæc fictio in detrimentum graue proximi cedat, vt contingit cum fingendo paupertatem, diuites obsecras nomine Christi contestato, clarum est, te peccare non solum contra iustitiam eleemosynam fictè extorquendo, sed etiam contra religionem, diuinum numen inuocando in velamentum tuæ malitiæ & iniustitiæ. Sed an hoc peccatum contra religionem mortale sit? Negat Sanchez dicens id sibi fere certum esse. Mouetur, quia ille actus eleemosynæ, vt à diuitibus procedit, bonus est. Ergo Deo non grauem irreuerentiam irrogas, diuinam eius auctoritatem contestans, ad mouendum diuites ad illum actum, tametsi ex parte tua iniquitatem habeat. Sed mihi probabilius videtur, peccatum graue committi ; non quatenus diuinam auctoritatem contestaris ad mouendum diuites ad actum bonum: Nam ex hac parte, nec veniale videtur, sed quatenus contestaris diuinam auctoritatem ad iniquam eleemosynam recipiendam. Videris enim eius auctoritatem grauiter contemnere, illam assumens, vt medium ad tuam iniquitatem patrandam. Sic Suar. *dicto lib. 4. de adiuratione cap. 4. num. 7.*

6. Deinde expostulatur in adiuratione iustitia quæ in eo consistit, vt res postulata vel impetrata iusta & honesta sit. Nam vti inuocatione diuini nominis ad rem turpem obtinendam iniuriosum est Deo. Siquidem hac inuocatione denotas iniquitatem gratam illi fore. Ideo enim illius auctoritatem inuocas, quia credis ob reuerentiam, amorem vel timorem eius, facilius obtenturum, quod postulas. An verò sit peccatum mortale vel veniale? Communis sententia respondet, ex grauitate materiæ esse desumendum ; sicut & in Iuramento promissorio, & voto rei iniquæ. Si materia imperata, vel postulata grauiter inhonesta sit ; obsecratio mortalis erit, si leuiter sit inhonesta ; erit venialis. Sic Suar. *lib 4. de adiuratione cap. 4. num. 8.* Sanch. *lib. 2. cap. 42. num. 5.* Bonacina *tom. 2. disp. 4. quæst. 1. punct. vlt. num. 11.*

7. Deinde ad honestatem adiurationis iudicium requiritur, hoc est, vt cum debita consideratione fiat. Non enim decet passim, & sine occasione nomen Dei & sanctorum contestari; sicut in Iuramento diximus. Quare sicut ibidem dictum est : defectum huius conditionis non excedere culpam venialem ; ita in præsenti est affirmandum. Sic Valent. 2. 2. *disp. 6. q. 7. punct. 2. q. 1.* Suar. *tom. 2. de religione lib. 4. de adiuratione c. 4. n. 9.* Sanch. *lib. 2. c. 42. n. 5.*

8. Præter has tres conditiones modus adiurationis seruandus est, vt adiuratio honestatem habeat. Aduerte namque, imperando, quem obsecrando, debes adiurare, illicitum esse. Debes ergo modum debitum personæ adiuratæ seruare. Quod bene notauit Suar. *dicto cap. 4. n. 9. & c. 1. n. 3.*

9. His conditionibus positis ; clarum est, adiurationem honestam esse. Quia est inuocatio nominis Dei, vel sanctorum, ad res honestas facilius obtinendas, ex debito fine, & occasione vrgente. Vnde ergo honestas deficere potest? Quod si roges, ad quam virtutem pertineat? D. Stinguendum est, si ex inuocatione diuini nominis, & ob reuerentiam illi debitam contendens rem postulatam, vel imperatam obtinere, ad religionem pertinet. Quia Deus ipse in se colitur, & honoratur. Si verò ex inuocatione sanctorum, & ob reuerentiam illis debitam, quatenus tales sunt, obsecratio, vel imperium fiat, ad virtutem Duliæ vel Hyperduliæ pertinet ; sicut pertinet cultus Virginis, & Sanctorum, quando in se spectantur. Sic Suar tom. 2 de Religione *lib. 4. de adiuratione cap 1. n. 5.* Si autem ex contestatione vitæ, alterius ve rei humanæ fiat obsecratio, iam diximus ad amicitiam humanam pertinere ; ac proinde de illa in præsenti non est sermo. Non enim auget, nec minuit culpam, si aliqua committatur in obsecratione.

10. Ex dictis colligitur differentia adiurationis. Ab oratione namque differt. Quia adiuratio formaliter non est petitio ; sed abstrahit à petitione, imperio & obiurgatione. Quod si solam adiurationem deprecatiuam cum oratione comparemus ; ab illa etiam differt : Quia talis adiuratio formaliter non est petitio ; sed est ratio petendi. Contestatione enim Dei Christi, & sanctorum à Deo beneficia petimus tanquam ob rationem, ob quam Deus ad concedendum petita moueri possit. A Iuramento differt adiuratio. Quia adiuratio interponitur, vt ratio alteri motiua ad obtinendum effectum. Interposito enim Christi nomine intendis adiuratum mouere, vt postulationi annuat, vel imperio obediat. At Iuramentum non alteri interponis, sed tibi ; & non ad obtinendum ; sed ad verum asserendum vel efficiendum, quod asseris vel promittis. Sic Suar. tom. 2. de Religione *lib. 4. de adiuratione c. 1. à num. 8.* Sanch. *lib. 2. Decalog. c. 42. n. 1.*

11. Aduerto tamen ; aliquando adiurationem cum Iuramento misceri, vt patet ex illo *Genes. 24.* Vbi Abraham seruum suum adiurauit, & simul ad iurandum compulit eob filium suum Ioseph *Genes. 47. & 50.* Sed hoc accidentale est, neque ad veram adiurationem requiritur. Adiurare namque potes, quin ad iurandum compellas, & compellere potes ad iurandum, quin adiures. Non igitur adiuratio continet Iuramentum, neque Iuramentum etiam promissorium continet adiurationem. Suar. *dicto c. 2. num. 10.* & Sanch. *cap. 42. num. 1.*

PVNCTVM II.

An adiurationis sit aliquod præceptum.

SVMMARIVM.

1 *Per se ex vi iuris diuini & naturalis nullum est præceptum: bene tamen per accidens ex obligatione officij, & Ecclesiæ institutione.*
2 *Ex parte adiurati nulla est obligatio obediendi adiurationi, si adiuratio obsecratiua sit.*
3 *Est tamen obligatio obediendi, si præceptiua fuerit.*
4 *Hæc obligatio non ex adiuratione formaliter, sed ex præcepto, cui annexa est adiuratio, nascitur.*

1. BReuiter respondeo ; per se & ex vi iuris diuini, & naturalis nullum præceptum. Quia cultus, qui per adiurationem Deo præstatur, aliis modis suppleri potest. Ex alia parte, ad obtinenda diuina beneficia, necessaria non est ; cum non adiurationi, sed orationi, simplicique petitioni promissa sint. Per accidens tamen ex obligatione officij, & ex Ecclesiæ institutione præceptum est adiurationis. Ministri namque Ecclesiæ obligati sunt ex officio, obsessis à Dæmone suburnire exorcismis Ecclesiæ. Quæ posita illa necessitate hoc remedium inter omnia est efficacissimum. Item tenentur horas canonicas recitare, Sacramenta fidelibus ministrare. Sed in horum administratione, & in illarum recitatione plures adiurationes continentur. Ergo iam ex institutione Ecclesiæ est præceptum adiurationis. Sed sicut dixi, hoc est per accidens, & ex obligatione officij ; non ex natura adiurationis. Sic Suar. *lib. 3. de adiuratione c. 4. à n. 2.* Sanch. *lib. 2. summ. cap. 42. n. 4.*

2. Sed an ex parte adiurati sit aliquod præceptum obediendi adiurationi?

Maius dubium est : Et quidem si adiuratio obsecratiua est, nullum est præceptum obediendi adiurationi. Quia nomen Dei ibi adducitur, ad augendam deprecationem, illamque efficaciorem reddendam ; non ad incitandam eius naturam. Si igitur deprecatio obligationem non inducit, vt de se constat ; neque etiam diuini nominis contestatione vestita illam inducere debet. Suarez tom. 2. de Religione *lib. 4. c. 4. n. 13.* Sanch. *lib. 2. summ. c. 42. num. 12.*

3. At si adiuratio sit præceptiua superioris ad subditum in iis, in quibus præcipere potest ; clarum est, præceptum inducere, cuius transgressio mortalis vel venialis erit pro grauitate vel leuitate materiæ imperatæ. Sic Suarez *à num. 14.* Sanchez *n. 14.* Bonacina *tom. 2. disp. 4. q. 1. punct. vlt. n. 6.* Sed illud præceptum non ex adiuratione, sed ex imperio prouenit. Siquidem adiuratione secluſa imperium, & præceptum vim haberet obligandi.

4. Dubium autem est, an ob adiurationem illi adiunctam inducat in adiurato specialem obligationem religionis, ita vt non solum peccet contra iustitiam, castitatem, vel obedientiam ob transgressionem præcepti ; sed etiam contra religionem ob transgressionem præcepti adiuratione vestiti? Respondeo negatiuè ; quia adiuratio etiam præcepto coniuncta solum habet, excitare adiuratum ad executionem præcepti. Non igitur ipsa præceptum imponit. Item adiuratus restituere, obligationem non habet exequendi restitutionem sub ratione adiurationis. Nam sub quocunque fine restitutionem exequitur obligationi satisfacit. Ergo adiuratio non inducit obligationem religionis distinctam à præcepto, cui adiungitur ; tametsi intra illam speciem faciat vt efficaciùs obliget. Aliàs si specialem religionis induceret, superfluum esset petere ab adiurato Iuramentum exequendi rem præceptam ; sicuti Abraham expostulauit à seruo suo *Genes. 24.* & Iacob à Ioseph *Genes. 47.* Et passim iudices à reis & testibus adiuratis de veritate manifestanda. Signum igitur est, adiurationem etiam præcepto coniunctam non inducere specialem in adiurato obligationem religionis. Sic Suar. *lib. 4. de adiuratione dicto cap. 4. in fine.* Sanchez *lib. 2. summ capite 42. num. 24.*

PVNCTVM III.

Qui adiurare & adiurari possunt.

SVMMARIVM.

1 *Omnis creatura intellectualis præstare potest adiurationem.*
2 *Non omnibus datum est, adiurare solemniter, sed gradu exorcistæ insignitis.*
3 *Sola creatura intellectualis adiurari potest.*
4 *Quorum comparatione adiuratio deprecatiua vel imperatiua facienda est.*
5 *Qualiter creaturæ irrationales adiurentur.*
6 *Per se mortale est creaturas irrationales adiurare directè.*
7 *Aliquando irrationabilia adiurantur non obsecratione, nec imperio morali, sed physico; debet tamen adiuratus cognoscere, se supernaturali virtute præditum esse.*

1. CErtum est omnem creaturam intellectualem, & solam illam præstare posse adiurationem. Quia quælibet illarum contestari Deum vel Sanctos potest. Et nulla alia. In primis Deus ipse contestatione sui nominis, & sanctorum mouere creaturas potest ad aliquid faciendum, & consequenter potest adiurare. Idem est de Angelis; sanctis hominibus, & dæmonibus. Omnes namque repræsentare aliis nomen Dei, & sanctorum possunt, vt illius amore, vel timore moueantur ad aliquid faciendum.

2. Aduerto tamen; adiurare solemniter, non omnibus datum esse, sed solum ministris ab Ecclesia consecratis: quales sunt insigniri gradu exorcistæ. Nam licet alij possint dæmonem adiurare, sed non publicè, & solemniter; & qualiter ministri consecrari præstant. Sed priuatim, & per fidem in Christum, & eius sanctissimi nominis inuocationem; tametsi exorcismos Ecclesiæ recitent. Suar. *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 10. Sanch. *lib.* 2. *summæ cap.* 42. *num.* 18.

3. Deinde euidens est omnem creaturam intellectualem & solam illam adiurari posse. Priorem partem probo discurrendo breuiter per omnes creaturas intellectuales. Deus enim, & per ipsum & per sanctos adiurari potest; quatenus inuocato eius nomine & sanctorum meritis ab ipso beneficia petis. Est enim illa petitio, & oratio: quatenus est rei honestæ supplex postulatio: adiuratio; quatenus illa inuocatione mouere Deum ad concessionem petiti intendis. Neque obstat, Deum à seipso non esse distinctum, quominùs possit sui inuocatione & repræsentatione moueri, ad concedendum. Omnia enim propter semetipsum operatus est. Dominus; quid mirum, si repræsentata eius bonitate moueatur efficaciùs ad concedendum. Quia efficaciùs petimus, & postulamus. Angelos verò & homines clarum est adiurari posse. Siquidem repræsentatione Dei & sanctorum moueri possunt, ad præstandum postulatum, vel imperatum. Solum de dæmonibus, & damnatis est difficultas; qua ratione possint adiurari; eo quod nec amore, nec timore Dei moueantur; sed omnia ex odio operentur. Sed omnino dicendum est, adiurari quatenus contestatione diuini nominis, eiúsque virtute coacti præstant, quæ sibi imperantur. Probaríque potest ex exorcismis Ecclesiæ ad hunc effectum institutis. At quia non amore virtutis, nec voluntariè præstant; propria adiuratio non est; sed quandam cum adiuratione similitudinem habet. Vt bene notauit Valent. 2. 2. *disp.* 6. *q.* 8. *punct.* 2. Sanchez *lib* 2. *cap.* 42. *num.* 15.

4. Sed quia duplicem diximus esse adiurationem, deprecatiuam & imperatiuam, est aduertendum: imperatiuam nunquam fieri posse nisi comparatione subditorum; & in his, in quibus adiurandi subduntur, aliàs nomen Dei iniquè assumeretur, ad imperandum, quod imperari nulla ratione potest; ac proinde esset peccatum non solum iniustitiæ contra proximum, quia iniustè præcepto cogitur; sed etiam contra religionem; eò quod diuinum nomen vsurpetur ad prædictam vim & iniustitiam inferendam. Sic Suarez *tom.* 2. *de religione lib.* 4. *de adiuratione cap.* 4. *num.* 12. Sanch. *lib.* 2. *summ. cap.* 42. *num.* 23. Quapropter Deus nunquam adiurari potest imperando, sed obsecrando. Quia est suprema potestas nemini subiecta. Econtra verò ipse neminem adiurare potest obsecratione, sed imperio. Angeli verò sancti & viatores adiurari inuicem possunt, sed obsecratione, non imperio; nisi in aliquo casu iurisdictionem, & potestatem ad imperandum habeant. Tandem dæmones adiurari possunt ad hominibus, non obsecratiuè, sed imperio absoluto, & efficaci; quæ ompia per se sunt manifesta.

5. Dixi solum creaturam intellectualem adiurari posse. Quia intellectu carenti repræsentari nihil potest, cuius repræsentatione moueatur. Sic omnes Doctores. Quapropter cum sal, & aqua exorcisantur, non ipsa, sed Deus, & dæmon adiurantur. Deus; vt in eorum vsu assistat, fauorem præstans. Dæmon, vt fugiat, & à nocendo desistat. Et idem est, cum adiurantur nubes, grandines locustæ, aliáque nocentia. Non enim per se hæc adiurantur. Quia adiurationis capaces non sunt, sed Deus ipse adiuratur, ne illa nocentia permittat, & dæmon adiuratur, illis vrendo nobis noceat. Sic Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 90. *art.* 3. Valent. *disput.* 6. *q.* 8. *punct.* 2. *ad finem.* Sanch. *lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 38. Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 13. *n.* 72. Suar. tom. 2. de Religione *lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 12. & 13. Bonacina *disp.* 4. *quæst.* 1. *punct. vlt. num.* 3.

6. Quod autem peccatum sit, has creaturas irrationales adiurare per se, & directo sermone ad ipsas, quasi ipsa nobis nocerent? Non constat inter Doctores. Mihi probabiliùs est, per se mortale esse. Quia grauis videtur esse irreuerentia, exorcismos Ecclesiæ, aliáque diuina verba applicare frustra, vanè, & inutiliter, & rei omnino incapaci. Regulariter culpam venialem non excedit ob simplicitatem adiurantis. Bonacina & Sanchez *supra.* A mortali vero nunquam excusarem ad vsum aliquibus locis introductum, has creaturas irrationales adiurandi. Vocantur enim ad iudicium simul cum plebe cui nocent, & constituto ex vtraque parte procuratore, & aduocato, accusantur; iudices recipiunt accusationes, defensionem; ac tandem auditis rationibus ex vtraque parte excommunicantur, & anathematizantur. Quod certè ridiculum est, & omnino superstitiosum. Siquidem indicatur ipsas creaturas irrationales capaces esse iudicij. Si autem pugna, & controuersia non cum ipsis irrationabilibus, sed cum dæmonibus, qui præsumuntur illa mouere, ageretur; vanum etiam est, & superstitiosum. Non enim accusatio, excommunicatio, aut sententia in illos effectum habere potest. Præterquam quod sæpe non à dæmone, sed à Deo hæc irrationabilia mouentur, & hominibus nocent, vel in pœnam peccati commissi, vel ad eorum correctionem, vel ad alios fines à diuina prouidentia præordinatos. Neque obstat, aliquando illa irrationabilia sententiæ latæ obedire. Quia fortè id dæmon præstat, vt hæc superstitiosa, & vana hominibus efficaciùs persuadeat. Sic Sotus lib. 5. de iustitia *quæst.* 12. *art.* 2. *fine & lib.* 8. *quæst.* 3. *art.* 3. *fine.* Nauarrus *lib.* 5. *consilio, tit. de sententia excommunicationis consilio* 2. *per totum in* 2. *editione* Valent. 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 8. *punct.* 2. *fine.* Sanchez *lib.* 2. *summ. c.* 42. *n.* 39.

7. Aduerto tamen; aliquos supernaturali virtute præditos hæc irrationabilia adiurare non obsecratione, neque imperio morali, sed physico & efficaci. Sicut enim Christus dominus propria virtute imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas; ita eius serui virtute ab illo accepta his imperare possunt. Suar. tom. 2. de Religione *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 14. Sed qualiter constare possit; an virtute diuina; an ope dæmonis hæc præstentur; cum de superstitione instituo sermonem latè explico.

PVNCTVM IV.

Quis modus seruandus sit in adiuratione dæmonis?

SVMMARIVM.

1 *Quæ conditiones seruanda sunt in hac adiuratione vt licita sit.*
2 *Dæmones non sunt obsecrandi, sed imperandi, & obiurgandi, neque ad alium finem nisi ad eum, qui est à Christo præordinatus, & à legitimo ministro.*
3 *Non potest dæmoni aliud imperari nisi vt à nocendo desistat.*
4 *Proponitur quædam obiectio.*
5 *Quæ possunt dæmonibus præcipi, & interrogari, vt respondeant.*
6 *Quæ sunt vana, inutilia & fortè nociua nequaquam interrogari possunt.*
7 *An vnam, vel alteram rem vanam ex curiositate interrogare, sit mortale? Negant plures.*
8 *Verius est esse mortale.*
9 *Non licet petere à Dæmone superiore, vt inferiorem è corpore pellat.*
10 *Quid si dæmon superior simul cum inferiore in corpore hominis assistat?*
11 *Licitum est à dæmone in corpore humano existente petere signum sui egressus.*
12 *Qualiter liceat adiuratori amandare dæmonem in infernum, vel in desertum locum.*
13 *Qualiter liceat annuere dæmoni offerenti egressum ex homine, si permittatur in alium ingredi.*
14 *Licet conniuere dæmoni petenti ne relegetur in infernum, neue nouis cruciatibus affligatur.*

15 *Qualiter*

15 *Qualiter liceat vexare energumenum flagellis, dehonestare opprobriis.*

16 *Quæ medicamenta energumeno applicari possunt.*

17 *Vno dæmone expulso frequenter omnes expelluntur, sed non ex necessitate.*

18 *Non habet ex necessitate determinatam corporis partem qua egrediatur.*

19 *Exorcismi Ecclesiæ non habent virtutem infallibilem pellendi dæmonem, sed quando fuerit conueniens.*

20 *Qualiter dæmon in dæmoniaco assistat, & in illum habeat potestatem.*

1. FRequenter Dæmones adiurantur tam priuatim quam solemniter. Vt autem hæc adiuratio absque periculo erroris fiat, seruandæ sunt sequentes conditiones. Prima; ne obsecratione sed imperio, & obiurgatione adiuratio fiat ad obtinendum finem à Christo præordinatum. Tertio; vt à legitimo ministro procedat. His ergo conditionibus seruatis adiuratio licita & honesta erit prout Ecclesiæ vsus confirmat. Expendo singula.

2. Primò debes adiurando dæmonem, imperare, & obiurgare non obsecrare. Obsecrare namque est, societatem cum illo habere, operibúsque illius malignis communicare, & quasi te illi subiicere. Quod omnino est prohibitum. Item dæmon nihil sponte facit nisi in odium Dei, & quod credit in tui perniciem cessurum fore. Ergo nulla ratione licet petere, quod ita iniquè præstandum est, & tibi præiudicare potest. Sic Diuus Thomas 2.2. *quæst.* 90. *art.* 2. *& ibi* Caietanus *art.* 1. Sotus *lib.* 8. *de iustitia quæst.* 3. *art.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 13. *num.* 70. *&* 71. Suar. *tom.* 2. *de Religione lib.* 4. *de adiuratione c.* 1. *num.* 8. *&* 9. Valent. 2.2. *disput.* 6. *quæst.* 8. *punct.* 2. *quæst.* 2. Sanch. *lib.* 2 *sum c.* 42. *num.* 19.

Secundò adiurandi sunt dæmones, ad finem tamen à Christo præordinatum. Sic Doctores supra relati. Ratio est manifesta. Nam si ad alium effectum adiurarentur, cum ille effectus obtineri non possit virtute & potestate naturali adiurantis vt de se constat; neque etiam virtute diuina à Christo accepta vt suppono; infertur sane, ab ipso dæmone esse obtinendum. Quod est iniquum.

Tertiò adiurandi sunt à legitimo ministro. Et quidem si iuxta formam ab Ecclesia præscriptam adiurentur publicè & solemniter; solis exorcistis datum est: si priuatim; omnibus est concessum. Vt supra diximus.

3. Ex his infertur, te non posse aliquid aliud dæmoni imperare, nisi, vt à nocendo desistat. Quia in sacra scriptura ad solum hunc effectum inuenitur, reliquisse Christum in sua Ecclesia potestatem supra spiritus malignos; vt constat ex illo *Marci vltimo.* In nomine meo dæmonia eiicient, *&* *Lucæ* 10. Dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, &c. Neque astruenda est potestas sine fundamento. Sic Suarez, Lessius, Sanch. Valent. & alij *supra.*

4. Dices: plures Sanctissimi viri exorcizando dæmones residentes in humanis corporibus actiones aliquas alienas ab expulsione imperant, pluréque interrogationes faciunt, quæ non videntur ad expulsionem conducere. Ergo non sola potestas ad expellendos calcandósque dæmones, Ecclesiæ relicta est.

5. Ex solutione huius obiectionis pendet perfecta huius adiurationis intelligentia. Concedo aliquos viros sanctissimos dæmonibus obsequia præcepisse ab expulsione distincta; cedentia tamen in eorum confusionem, & proximorum vtilitatem. Sed hoc speciali instinctu Spiritus sancti ob virtutem supernaturalem quam habebant à Deo communicatam, vt fuit communicata S. Antonio primo Eremitarum parenti. Secluſa ergo potestate nemini licet, aliud dæmonibus imperare, quam vt à nocendo desistant, & quæ ad hunc finem consequendum apta esse videntur. Concesso namque fine, & media censentur concessa. Sic Siluester verbo *adiuratio q.* 5. Valent. 2.2. *disp.* 6. *quæst.* 8 *punct.* 2. *vers. ad secundum respondeo.* Lessius *lib.* 2. *c.* 42. *dub.* 15. *n.* 17. Sanch. *lib.* 2. *c.* 42. *n.* 23. Vnde licebit dæmoni præcipere, vt manifestet, quod nomen habet; tum vt adiuratio ad eum directè dirigatur; tum vt expulsio clarius eluceat. Item quæ causa fuerit sui in hominem ingressus: quia illa remota fortè egredietur, vt omnes præcipiantur exire. Siluester Lessius & Sanchez *supra.*

6. Alia autem vana & inutilia & fortè nociua; quæque ad expulsionem non conducunt, culpa est à dæmone interrogare. Quia ad ea interroganda non est data exorcistis potestas. An verò hoc semper sit graue peccatum, non ita certum est. Et quidem in aliquibus casibus indubitatum est, graue esse peccatum. Primò: si ex interrogatione aliquod occultum peccatum proximi timetur manifestandum. Quia dare occasionem absque necessitate, vt proximus infametur, iniustum est. Secundò: si interrogationes etiam vanarum rerum & inutilium multiplices. Quia adest periculum, quod dæmon iis interrogationibus aliquos errores misceat; & præcipuè, quia est signum amicitiæ absque necessitate cum dæmone longos miscere sermones. Tertiò: si adsit finis addiscendi, quia est dæmonis honoratio eum velle habere magistrum. Quod à fortiori procedit; si certam fidem eius responsis concedas. Nam licet dæmoni fides dari possit in iis, quæ exorcismis Ecclesiæ coactus manifestat; secùs in aliis, quæ ipse sponte dicit. Quartò: si deprecatiuè, & non imperatiuè interroges. Quia interrogatio deprecatiua est signum amicitiæ. Sic docet Sanchez aliis relatis *lib.* 2. *summ. c.* 42. *n.* 25. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punct. vlt. n.* 9.

7. Verum ex leuitate & curiositate vnam vel alteram rem vanam interrogare non deprecando, sed imperando, neque fidem certam adhibendo plures grauissimíque Doctores censent, non excedere culpam venialem. Sic Siluester verbo *adiuratio q.* 5. *in fine, & quæst.* 7. Caietanus 2.2. *q* 90. *art.* 1. *ad finem* Sot. *lib.* 8. *de iustitia q.* 3. *art.* 2. *circa solutionem ad secundum.* Nauarrus *sum. cap.* 12. *n.* 28. Valent. 2.2. *disp.* 6. *quæst.* 8. *punct.* 2. *circa finem* vers. *ad tertium.* Suar. *tom.* 2. *de Religione lib.* 4. *de adiuratione c.* 2. *n.* 9. *fine.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 13. *n.* 71. Sanch. *lib.* 2. *sum. c.* 42. *n.* 25. Bonacina *num.* 25. Bonacina *dicto tom.* 2. *disp* 4. *q.* 1. *punct. vlt. n.* 9. Ratio ea est: Quia hæc interrogatio non videtur notabile signum benevolentiæ, & amicitiæ cum dæmone. Idem quod dictum est de vana interrogatione affirmat Caietanus *eo art.* 1. *ad finem*, & Armilla verbo *inuocatio n.* 20. & Sanch *n* 25. *in fine.* Dicendum esse de petitione alicuius vani operis præstandi à dæmone, vt exorcista imperet dæmoni in energumeno existenti, vt moueat lapidem, aliudve vanum faciat.

8. Cæterum verius existimo; per se loquendo quamlibet interrogationem, quæ ad expulsionem non conducit, quamlibétque petitionem vani operis præstandi, mortale peccatum esse. Quia hæc petere non potes imperio, sed deprecatione. Non enim habes potestatem compellendi dæmonem, hoc præstare. Quia non habes potestatem naturalem, vt de se constat. Nulla enim humana potestas ei comparari potest. Neque etiam habes potestatem à Christo acceptam; qui solum ad expulsionem, & conculcationem dæmonis eam concessit. Ergo non imperio, sed deprecatione petis; tametsi verbis imperationis vtaris. Petere autem deprecando ipsemet Sanchez docet semper esse mortale. Ergo semper est mortale illa interrogatio, & petitio. Et confirmo: Dæmon nec cogitur interrogationi respondere, neque opus illud postulatum præstare; sed sponte respondet, & postulatum præstat. At cum nihil dæmon sponte faciat, quod ob eius obstinationem non sit ex odio Dei & ad obscurandam eius gloriam, & nostram perditionem captandam, graue peccatum esse videtur absque necessitate occasionem dare; hæc peccata tam grauia committendi; quibus dehonestatur Deus, & nos offendi possumus.

9. Aliæ sunt actiones de quibus Doctores dubitant, an ad expulsionem dæmonis conducant; & consequenter an licitæ sint?

Primò dubitatur de petitione, qua à dæmone superiore peteres, vt inferiorem in corpore hominis residentem pellat; Videtur, hanc petitionem licitam esse. Quia maxime conducit expulsioni; imò est ipsius expulsionis petitio. Cæterum omnino dicendum est hanc petitionem illicitam esse casu, quo dæmon superior simul cum inferiore in corpore hominis non resideat. Nam peteres à dæmone beneficium, ad quod præstandum cogi non potest. Non enim tibi data est potestas à Christo cogendi dæmonem superiorem, vt inferiorem expellat; fortè enim expellere non potest; sed solum data est tibi potestas, expellendi eos, qui in corporibus extiterint. Ergo petere illam expulsionem à dæmone superiore, est velle ab eo beneficium habere, ac proinde illicitum. Deinde in hac petitione arguis, indigere auxilio dæmonis superioris ad inferioris expulsionem; exorcismos adiurationésque Ecclesiæ insufficientes esse ad illum dæmonem inferiorem expellendum. Ergo nulla ratione hoc licere potest. Neque obstat, hanc petitionem conducere expulsioni, vt inde inferas tibi licere. Quia solum ea, quæ expulsioni conducunt ex potestate à Christo accepta licita tibi sunt, non ea, quæ ex voluntate dæmonis conducunt, qualis est hæc petitio. Et ita tenet Sotus *lib.* 8. *de iustitia q.* 3. *art.* 2. Suar. tom. 1. de Religione *lib.* 2. *de superstitione cap.* 18. *num.* 8. Lessius *lib.* 2. *c.* 44. *dub.* 6. *n.* 46. Sanch. *lib. sum. cap.* 42. *num.* 21.

10. Verum si dæmon superior in corpore hominis assistat simul cum inferiore affirmat Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 1. *de Iuramento punct. vlt. num.* 5. cum Sylueſtro verbo *adiuratio quæst.* 5. Licitum tibi esse, ei imperare vt secum inferiorem pellat, nullumque sui cæcus vestigium in corpore relinquat. Quia hæc non videtur esse beneficij petitio, sed recessus, & fugæ perfectæ mandatio. Cæterum spectandus attentè est modus præcepti. Si enim superiori dæmoni præcipias, vt perfectè exeat cum omnibus satellitibus suis; clarum est, licitum esse præceptum. Quia tunc non solum ipsi, sed omnibus eius satellitibus expulsionem præcipis. At si superiori dæmoni præcipias, vt exeat è corpore & exeundo pellat secum quemcumque

que dæmonem inferiorem ibidem existentem, videtur non licere. Quia illo modo petendi conuinceris, te non expellere dæmones inferiores; sed dæmonem superiorem illos ad tui petitionem expellere; indigereque auxilio dæmonis, ad illos expellendos. Eáque de causa Sotus, Suar. Lessius, Sanch. reliquíque Doctores absolutè affirmant, non licere dæmoni superiori præcipere, vt inferiorem pellat. Præterquam quod tale præceptum superfluum est. Nam si virtus adiurationis efficax fuit, ad pellendum superiorem dæmonem; à fortiori inferiorem pellere poterit. Nulla ergo necessitas est, petendi à superiore vt inferiorem expellat.

11. Secundò dubitatur: an licitum tibi sit, petere à dæmone signum aliquod sui egressus è corpore; nempe vt extinguat lucernam vel vitrum frangat? Non desunt, qui affirmant hoc esse illicitum. Quia absque eo quod egrediatur, extinguere potest lucernam, & vitrum frangere, & quodlibet aliud signum præstare vt credatur exisse, & decipiat. Item illud signum supponit expulsionem, non expulsioni deseruit. At potestas accepta à Christo est ad expellendos dæmones. Ergo non est ad signum, quod expulsioni succedit. Et ita tenet Sotus *lib. de iustitia q.3. art.2. circa solutionem ad secundum.* Cituelo *de superstit.3. p. c.* 8. Nihilominùs tenendum est, hoc licitum esse: quia hoc probat vsus Ecclesiæ in sacerdotali Romano. Vbi cauetur in exorcismis pro obsessis à dæmone, hoc signum expostulari posse. Ratio ea est; quia licet hoc signum aliquando fallax esse possit; at rarò hæc fallacia contingit, cum in eius postulatione modus seruatur ab Ecclesia præscriptus. Et licet expulsioni absolutè non conducat, conducit tamen vt nobis expulsio innotescat. Credendum autem est, Christum dominum reliquisse Ecclesiæ suæ potestatem ad manifestam dæmonis expulsionem, & consequenter ad petendum signum, quo expulso manifestaretur. Sic noster Tyræus de Dæmoniacis, *cap.46.num.23.& c.52.num.4. & c. 53 num.4* Martinus Delrio *lib.6.disquisition.magicarum c.3. litera B.in fine. & cap.2. quæst.3. sect.3.in 4.remedio* Sanchez *lib.2.cap.42.n.28.* Bonacin. *tom.2.disp.4.quæst.1.de Iuramento punct.vlt.n.14.*

12. Tertiò dubitatur; an liceat adiuratori dæmonis præcipere, vt abeat in desertum locum; vel in infernum; neque inde egrediatur? Videtur id licitum non esse. Quia solum videtur datum hominibus, dæmones eiicere non terminum eiectionis designare. Alias eiecti & expulsi cogi possint non redire, cuius contrarium relato Abulensi 1. *Reg.16. quæst.41.* docet Sanchez *dicto lib.2. cap.42. num.28.* Dicendum ergo est exorcistas solum egressum dæmonis imperare posse. Quia solum pro egressu data est nobis potestas, iuxta illud *Marc. vlt.* In nomine meo dæmonia eiicient. Terminum verò egressus imperare non licet, nisi sub conditione diuini beneplaciti ob rationem dictam. Quia ad designandum dæmonibus locum, nobis non est data potestas. Sic noster Thyreus de Dæmoniacis *cap.46 num.23.* Delrius *lib.6. disquisit. Magicarum cap.3 litera B fine.* Sanchez illos referens *lib.2. sum. cap.42. num.27.*

13. Quartò dubitatur: licitum-ne sit annuere dæmoni offerenti egressum ex homine, si permittatur, in alium ingredi? Respondet Sanch. *lib. Decal. cap.42. num.36.* cum Thyræo *de Dæmoniacis cap.vlt.à num.8. & sequentibus* regulariter non licere. Quia est in proximi damnum. At licitum esse quadruplici concurrente conditione. Prima; vt is, quem dæmon possessurus est, sit pessimus, & eo supplicio dignus. Secunda, vt adiurans habeat imperium in eum, quem dæmoni traditurus est; atque potestatem in ipsum dæmonem, summúmque ius ad ipsum expellendum quandocumque libuerit. Tertia; vt adsit boni maioris spes. Quia scilicet speratur, fore, vt hac ratione proximus iuuetur; qui aliis rationibus iuuari posse non videbatur. Quarta; vt absit voluntas placendi dæmoni; sed id tantum fiat ad vtendum ipso tanquam lictore & carnifice. Ratio autem; quare concurrentibus iis conditionibus, licitum esse videatur, petitioni dæmonis annuere, ea est, quia rem de se honestam petit, & quæ secluſa illa occasione solum ob bonum proximi præstari poterat, sicuti fecit Paulus qui illum turpem hominem tradidit Satanæ ad tempus, vt spiritus saluus fieret.

Verum hæ conditiones rarissimè inueniuntur. Vbi enim reperitur adiurator eam potestatem supra dæmones habens, vt quoties sibi libuerit, eos efficaciter expellat? Vbi qui cognoscat, à dæmone possidendum dignum esse illo supplicio; illóque supplicio emendandum, & corrigendum? Quando ergo prædictæ conditiones concurrerint, verissima est supradicta doctrina. Difficultas ergo est an secluſis illis conditionibus adhuc liceat petitioni supradictæ annuere? Ratio dubitandi ea est, quia ex duobus malis minus est permittendum. Ergo si ingressus petitus à dæmone præsumatur non ita nociuus, ac est præsens possessio, promitti poterit ingressus quem postulat, vt possessionem relinquat. Dices, in præsenti non solum adiurantem permittere ingressum, sed illum concedere; & ad ipsum cooperari; Siquidem ex illius consensu, & voluntate fit. Cooperari autem, & consentire in rem ita proximo nociuam, iniustum est, esto inde bonum sequatur. Ergo nullatenus licet. Item minus malum permittendum non est, quando maius malum vitari potest absque illius permissione. At expulsione dæmonis ab illo homine, quem de facto possidet, virtute adiurationis Ecclesiasticæ fieri potest, si conueniens sit; quin dæmon alium hominem possideat. Ergo non est permittenda illius possessio, vt antiquum possessorem relinquat. Deinde nulla ratione licet, petere à dæmone vt loco possessionis, quam de præsenti habet aliam alterius deterioris hominis accipiat. Quia non sunt facienda, nec petenda mala, vt inde eueniant bona. Ergo nec licitum est, tali petitioni à dæmone factæ annuere. Quia idem esse videtur. Præterea annuens supradictæ petitioni, exorcismos Ecclesiæ inhonorat, innuens efficaciam ad expellendum dæmonem non habere. Siquidem alia via ad expulsionem vtitur. Denique in hoc casu dæmon relinquit antiquum domicilium coactus, sed sponte, & sub conditione onerosa, & proximo nociua. Ergo non est credendum, in gloriam Dei, & in vtilitatem nostram fore cessurum; cum semper omnia in odium Dei, & in perniciem nostram operetur.

Huic obiectioni respondebis negando consensum illum esse cooperationem ad ingressum, sed solum illius permissionem & acceptationem, quæ ob vitationem maioris mali sufficienter videtur honestari. Ad confirmationem primam concedo, minus malum non esse permittendum, quando maius vitari facile potest. At cum adiurator expertus sit, illo in casu dæmonem adiurationibus Ecclesiæ difficulter obedire, minus malum permittit, vt maius vitetur. Ad secundam confirmationem negabis; idem esse annuere petitioni dæmonis, vt loco professionis præsentis aliam minus nociuam acquirat; ac idipsum ab eo petere. Quia in priori casu permittis, in secundo inducis. Ad tertiam confirmationem dices, ex acceptatione supradictæ petitionis dæmonis non inhonorari exorcismos Ecclesiæ. Non enim negas illis virtutem ad expellendum dæmonem; sed illa concessa experiris expulsionem impediri ob causam tibi ignotam, & ad vincendam illam difficultatem admittis petitionem dæmonis. Ad vltimam nego, sponte dæmonem antiquum domicilium relinquere. Non enim relinquit nisi exorcismis Ecclesiæ coactus. Siquidem coactus petit loco domicilij relinquendi, vt aliud succedat. Non igitur in acceptatione huius petitionis appareat clara turpitudo, posito quòd ingressus de nouo petitus minus nociuus sit, quam possessio de præsenti habita. Hæc disputationis gratia dicta sint, iudicium doctioribus remitto.

14. Illud tamen est omnino certum, licitum esse conniuere dæmoni petenti ne relegetur in infernum; neve nouis cruciatibus affligatur. Quia hæc petitionis acceptatio, nec Deo, nec proximo iniuriam infert: Et illa posita facilius dæmon expellitur. Ergo Sic Sanchez *cap.42. num.36.* Bonacina *tom.2. disp.4. quæst.1. de Iuramento parte vltim. num.13.* Addunt tamen hi Doctores, esto licitum sit adiuratori, his petitionibus nullam turpitudinem continentibus annuere; non tamen esse obligatorium; eo quod non sit simpliciter necessaria ad expulsionem harum petitionum acceptatio. Sed hoc difficultate non caret. Nam esto necessaria non sit ad expulsionem absolutè; est tamen maximè conueniens, seu necessaria ad facilem expulsionem, seu ne diu dæmoniacus torqueatur. At charitas videtur obligare, huic damno proximi mediis licitis subuenire.

15. Quintò dubitatur: an licitum sit energumenum vexare flagellis, dehonestare opprobriis, aliáve similia facere?

Breuiter respondeo; licitum esse si prudenter & moderatè fiat, ea inquam moderatione, vt potiùs in conculcationem dæmonis, quam in afflictionem energumeni cedat. Nam cum illæ actiones ea solum ratione ad expulsionem dæmonis conducant; quatenus dæmon illis conculcari se sentit; videns ob suam causam energumenum vilipendi; eiúsque corpus male tractari: esto grauiter energumeno molesta non sint, effectum habere possunt. Sic Thyreus *de Dæmoniacis cap.46. à n.31.* Sanchez *lib.2.cap.32.n.30.* Bonac. *tom.2.disp 4.q.1.de Iuram. parte vlt.num.12.*

16. Sexto dubitatur de medicamentis, quæ energumeno applicari solent: an id licitum sit? Respondeo licere; si debita intentione fiat, & absque periculo satis infirmi. Nam cum certum sit, nulla medicamenta virtutem habere dæmonem expellendi, non possunt ex directa intentione applicari, sed solum applicati possunt ad pellendos humores, & nociuas dispositiones; quibus vtitur dæmon ad infirmum vexandum. Vnde tenetur adiurator naturam illorum medicamentorum cognoscere; ne loco leuaminis damnum energumeno inferat. Aliàs medico applicanda relinquat. Sic Sanchez *lib.2. summ. c.42. n.10. & 31.* Bonacina *tom.2. disp.4. de Iuramento q.1. punct. vlt. num.12.*

17. Septimò dubitatur: an expulso vno dæmone omnes

expellantur? Respondeo frequenter & in plurimum expelli. Quia ita probat vsus, & ratio esse potest; quia exorcismi Ecclesiæ, & inuocatio rerum sacrarum omnibus æquè molesta sunt; & eandem comparatione omnium efficaciam habent. Nihilominus tamen hoc necessariam non est; sed contingere potest, exeunte vno dæmone alios in corpore manere. Quia (vt statim dicam) efficacia exorcismorum Ecclesiæ ad expellendos dæmones, non est absoluta, sed diuinæ prouidentiæ at temperata spectatis circunstantiis rerum contingentibus. At diuina prouidentia iudicare potest, esse conueniens, vt aliquo dæmone exeunte alius remaneat; sicut iudicauit expediens vt vno ingresso alij non ingrederentur. Ergo non est simpliciter necessarium, vt expulso vno dæmone omnes expellantur. Sic Thyreus *de Dæmoniacis cap.*55. Sanchez *lib.*2. *cap.*42. *num.*8. Bonacina *tom.*2.*disp.*4.*q.*1. *de Iuramento, punct. vlt.n.*15.

18. Octauò dubitatur: per quam corporis partem dæmon pellatur? Respondeo ex necessitate per nullam determinatè pelli. Quia cum sit spiritus, & in corpore assistat totus in toto, & totus in qualibet parte, non indiget ostio ad sui exitum. Frequenter autem credo cogi exire per inferiorem corporis partem in eius confusionem, & vituperium. Sic Thyreus *de Dæmoniacis cap.*9. Sanch. *lib.*2. *c.*4. *num.*7. Bonacina *tom.* 2. *disput.*4. *q.*1. *de Iuramento, parte vltima n.* 16. Ex quo fit superstitiosum esse dæmoniaci pilos radere, vt dæmon facilem egressum habeat. Sic Victoria *de Magia num.*16. Sanch. *c.*42.*num.*33.

19. Nonò dubitatur: an exorcismi Ecclesiæ virtutem infallibilem habeant, dæmonem expellendi? Affirmat Valent. 2.2.*disp* 6.*q.*7. *punct.*2. *q.* 2. esse valde probabile; solumque ex indignitate ministri, vel eius, qui curandus est, impediri effectum Nam cum huiusmodi effectum ex opere operato habeant, sicuti Sacramenta iuxta illud, *in nomine meo dæmonia eiicient.* semper illum habere debent, nisi ex aliquo cap. impediantur. Quod aliud esse non potest præter indignitatem ministri, & eius, qui curandus est. Cæterum probabilius est, hanc virtutem exorcismis, esto ex opere operato competat, non competere infallibiliter; sed frequenter, & provt diuinæ prouidentiæ conueniens fuerit. Sæpe enim ob aliorum vtilitatem, & exemplum, & energumeni fructum permittit Deus, ne dæmones exorcismis expellantur absque vlla ministri, & eius, qui curandus est indignitate, vt ex historiis sanctorum constat, & tradit Augustinus *lib.*83. *q.*79. Ergo hæc expulsio non competit exorcismis infallibiliter. Sic optimè Valent. 2.2.*disp.*6.*q.*8. *punct.*2.*colum.*2. *vers.* Nihilominus. Delrius *lib.*6. *disquisition. Magicaniarum c.*2. *q.*3. *sect.*3. *remed.*4. Thyreus *de Dæmoniacis cap.*47. *num.*6. Sanchez *lib.*2.*cap.*42.*num.*16.

20. Decimò dubitatur: qualem potestatem dæmones in dæmoniacos habeant? Suppono, dæmonem dupliciter homini assistere posse, exterius, vel interius. Si solum exterius assistat, non dicitur homo dæmonem habere. Alias omnes sancti, & Christus Dominus haberent dæmonium, essentque dæmoniaci; cum sæpe illis dæmonium assistat, tentando, & vexando; quod est blasphemum; requiritur ergo vt interius assistat, & potestatem aliquam habeat in illud corpus. Eius assistentia regulariter est in corde vt inde prauos motus excitet, aliquando corpori assistit, totus in toto, & totus in qualibet parte, non vnitus, sed per se stans, sicut motor & gubernator nauis naui assistit. Illius tamen assistentia non ita fixa est; quin aliquando cesset. Sed quia statim reddit, ideo reputatur continua; Sicut cum virtute Magiæ alicui loco alligatur; non ita intelligendus est alligari, vt nunquam illum locum deserat; deserit namque sæpe; sed quia sæpe reuertitur, & ita veloci cursu, vt vix percipiatur deseruisse locum; ea de causa dicitur ibi alligatum esse. Sic Sanch. *lib.*2.*c.* 42 *num.*7. Bonacina *tom.*2.*disp.*4.*q* 1.*punct.vlt.*

Hoc suppositio, dubitationi respondeo; potestatem, quam dæmon habet in corpus, cui interius assistit, limitatam esse, & iuxta diuinæ prouidentiæ præscriptum Alias grauissima damna inferret, & omnes dæmoniaci perirent. Regulariter autem permittitur dæmoni, vt corpus illud vexet, affligat, prauósque motus excitet. Ex quibus non leuiter anima à virtute retardatur; tametsi nulla vis voluntati inferatur. Sic Sanch. & Bonacina *supra.*



TRACTA

TRACTATVS XV.

VIRTVTIS RELIGIONIS, QVI EST DE VOTO.

VOTVM, ſicut & Iuramentum ad virtutem Religionis pertinere, in comperto eſt apud omnes. Quod quâ ratione contingat, in ſequentibus explicabimus. Votum aliquam cum Iuramento habet ſimilitudinem. Vt conſtat ex iis, quæ ſuperiori Tractatu dicta ſunt. Eáque de cauſa explicata eſſentia Iuramenti, voti naturam pergimus explicare. Duplicem diſputationem hic Tractatus continebit. Prima aget de illius eſſentia, & obligatione. Secunda de illius diſſolutione.

DISPVTATIO I.

De eſſentia voti & illius obligatione.

PVNCTVM I.

Quid ſit votum.

SVMMARIVM.

1 *Apponuntur variæ ſignificationes voti.*
2 *Votum in ſignificatione propria aſſumptum definitur.*
3 *Quæ ſit differentia inter votum & promiſſionem homini factam.*
4 *Ex actu intellectus & voluntatis conſtat votum.*

1. SI nomen voti ſpectemus; æquiuocum eſt: Duplicem enim habet ſignificationem. Significat namque voluntatem, ſeu deſiderium alicuius boni honeſti obtinendi. Iuxta illud Plinij *epiſt.* 45. Hanc ego vitam voto & cogitatione præſumo, id eſt, hanc ego vitam opto, & cogitatione præſumo euenturam; & illud *Prou.* 31. Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte votorum meorum, in quem nimirum (vt ait Theodorus Peltanus) omnia mea deſideria, & vota & ſtudia tendunt. Hinc certum eſt, voti compotem dici eum qui deſiderium ſuum aſſecutus eſt; eáque rem pro voto ſuccedere, ſi pro deſiderio ſuccedat. Deinde preſſiùs & propriùs *votum* ſignificat promiſſionem Deo factam & inducentem obligationem. Conſtat ex illo Ciceron. 3. *de natura Deor.* Nonne animaduertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempeſtatis effugerint? Et 1. *de legibus.* Diligentia votorum ſatis in lege dicta eſt, ac voti ſponſio quo obligamur Deo; pœna verò violatæ religionis iuſtam excuſationem non habet. Idem manifeſtè liquet ex ſacris litteris *Deuteronom.* 23. inquit Textus. Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus; & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri (id eſt vouere) abſque peccato eris. Quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſeruabis, & facies, ſicut promiſiſti Domino Deo tuo; & *Numeri* 30. Ibi cum ſe voto obſtrinxerit &c. & *Eccleſ.* 5. Si quid vouiſti Deo; ne moreris reddere; diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio. Ex hac poſteriori ſignificatione vtpote magis propria ortum habuit prima ſignificatio vt bene Ambroſius Calepinus aduertit, verbo *votum.* Cum enim ea, quæ magnopere deſideramus, adhibitis votis à Deo petere ſolemus. Factum eſt, vt vota accipiamus pro optatis. Sed eſt tranſlatitia ſignificatio, & aliena à præſenti inſtituto. In præſenti ergo votum ſumitur pro promiſſione Deo facta.

2. Sic ſumptum votum definitur communiter à Doctoribus, vt *ſit promiſſio deliberata, & ſpontanea Deo facta de meliori bono.* Priora verba ponuntur loco generis. Quia mediis illis votum conuenit cum promiſſione homini facta. Ab illa verò diſtinguitur, ex eo quòd fiat Deo; & quod fiat *de meliori bono.* Sic colligitur ex Diuo Thoma 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 1. *concluſione* & traditur expreſsè *leg.* 1. *tit.* 8. *partita* 1. Ibi *voto tanto quiere dezir como promeſſa que homo face à Dios.* Gregor. Lopez *ibi* Abbas cæterique Doctores *in cap. literarum de voto,* Silueſter cæteráque ſummiſtæ verbo *votum.* Nauarr. *c.* 12. *n.* 24. Ioan. Gutierr. *lib.* 2. *canonicarum quæſt. c.* 22. *num.* 1. Azor. 1. parte inſtitutionum moralium *lib.* 11. *c.* 12. aliàs 13. *q.* 1. & *ſeqq.* Leſſius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 1. *in principio.* Suarez *tom.* 2. *de Religione tract.* 6. *de voto in proœmio & in principio.* Greg. de Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 6. *partita* 1. Sanch. lib. 4. in Decalog. *c.* 1. *num.* 1. Bonac. *tom.* 2. *diſp.* 4. *q.* 2. *de voto punct.* 1. & *alij plures.* Qui ex ſupradicta definitione colligunt, ad votum quinque requiri. Primò deliberationem, hoc eſt, libertatem. Secundò; propoſitum, id eſt voluntatem vouendi. Tertiò; promiſſionem, id eſt ipſam voluntatis determinationem. Quartò; vt Deo fiat promiſſio, Quintò: vt fiat de meliori bono. Quas conditiones in ſequentibus explicabimus.

3. Debes tamen aduertere, hanc eſſe differentiam inter promiſſionem homini factam, & eam, quæ Deo, quæque voti rationem habet. Quod promiſſio homini facta neceſſariò indiget verbis ſeu nutibus, quibus ſufficienter explicetur; quia alias acceptari ab hominibus non poteſt. At promiſſio Deo facta hac explicatione non indiget; quia Deo omnia ſunt manifeſta. Sic S. Thom. *dicta q.* 88. *art.* 1. Abbas *in c. literar. n.* 2. *de voto* Nauarr. *c.* 12. *num.* 26. Ioan. Gutierr. *lib.* 2. *canonic. q. c.* 22. *n.* 3. Azor. *lib.* 11. *c.* 12. *q.* 1. & 7. Sanchez *lib.* 4. *c.* 1. *n.* 44. & *omnes.*

4. Quod ſi inquiras, quo actu, an intellectus, an voluntatis, votum compleatur. Breuiter reſpondeo; vtroque actu, & intellectus, & voluntatis completi; ſed præcipuè voluntatis. Ad votum namque præcedit expreſſa, vel tacita cognitio de voti natura, & eſſentia. Illiúſque conuenientia, quia abſque hac cognitione voluntas; nec ſe mouere poteſt, nec ſuſcipere obligationem. Sed hac cognitione poſita ſi voluntas ſe determinet ad vouendum, verbi gratia, caſtitatem, hoc actu vouet, & promittit; volo, ex nunc Deo obligatum eſſe, ad caſtitatem ſeruandam. In quo actu formalis voti ratio conſiſtit. Nam cum illa voluntas efficax ſit, & in Deum relata, ipſique cognita, neceſſariò obligationem parit, quod ſi poſt hanc voluntatem locutio in intellectu ſeu verbis ſuccedat, qua hæc voluntas explicetur, id ad excitamentum ſeruoris, & non ad voti eſſentiam, & valorem, ſpectato iure naturæ, pertinet; Sic latiſſimè docet Suar. *tom.* 1. *de Relig. tract.* 6. *de voto lib.* 1. *c.* 13. *per totum. fauet Açor.* 1. *p. lib.* 11. *cap.* 12. *quæſt.* 8.

PVNCTVM II.

An propositum exequendi rem honestam in cultum Dei sufficiat ad votum.

SVMMARIVM.

1 *Suadetur sufficere propositum.*
2 *Contrarium statuitur.*
3 *Satisfit contrariis.*

1. DIximus votum esse *promissionem*; sed an id necessariò sit, vel solum propositum sufficiat; non satis apud Doctores constat. Videtur namque ad votum sufficere propositum, exequendi rem honestã in cultum Dei. Quia hoc propositum obligationem inducit. Quod probat Textus in *c. qui bona* 17. *q.* 1. Vbi inquit Gregor. mag. Qui bona agunt si meliora agere deliberent; & post deliberata non faciunt; licet in prioribus bobis perseuerent, in conspectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione. Sed cadere in conspectu Dei, est culpam coram illo cõmittere saltem leuem: iuxta illud *prouerbiorum* 24. *n.* 16. Septies in die cadit iustus; & illud; qui stat videat ne cadat, ergo propositum obligationem inducit. Idem probatur ex *c. consulto de Regularibus.* Vbi consultus Innocentius tertius. An suscipiens habitũ regularem teneatur in religione perseuerare; vel possit, ad sæculum reuerti. Respondet, sic esse distinguendũ; vel is, qui conuertitur proposuit absolutè vitã mutare, vt sic in habitu regulari omnipotenti Deo de cætero famuletur; vel conditionaliter experiri obseruantiam regularem; vt ita demũ si intra annum ei placuerit, profiteatur ordinis disciplinam, aut fortè si nõ placuerit, moribus emendatis ad statũ reuertatur primum, in primo casu debet, vt regulariter viuat, ad laxiorem saltem regulam pertransire. Ergo ex proposito absoluto oritur obligatio; idem probatur ex *c. statuimus eodem tit. de regularibus*, vbi inquit Greg. IX. Nouitios posse liberè ad priorem statum intra annum redire, nisi euidenter appareat, quod tales absolutè voluerint vitam mutare & in religione perpetuò Domino seruire. Ergo ex sola voluntate nascitur obligatio. Deinde probatur ex illo *Luc.* 9. Nemo mittens manum ad aratrũ & respiciens retro aptus est regno Dei. Si igitur non est aptus regno Dei qui manum, hoc est, voluntatem ad bonũ applicuit, & postea retrocedit; manifestum est, voluntatem, & propositum alicuius boni obligationem inducere. Et ratio esse potest, quia eo ipso quò in gratiam Dei, bonum faciendum, proposuisti, obligaris illud exequi, ne inconstantiæ, infidelitatis, & mendacij arguatis. Adde non satis cõstare, quid promissio superaddat proposito exequendi rem, & in quo à proposito distinguatur. Ergo vel propositũ inducit obligationem, vel nullã inducit promissio. Fauet huic parti ea definitio vori quã refert D. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. Quæq; ab antiquis Doctoribus erat approbata nempe, votũ est cõceptio boni propositi, ex animi deliberatione firmata, qua quis ad aliquid faciendum, vel non faciendũ, se obligat. Ergo ex solo bono proposito deliberatione firmato; absque promissionis fundamento votum resultat, & obligatio: Sic sentiunt communiter Canonistæ cum Gloss. *in c. litterarum de voto*, verbo *proponens* & *c. consulti*, & *c. statuimus. de Regul.* fauet Palud. 4. *dist* 38. *q.* 1. *art.* 1. *num.* 11. D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. *initio* & alij plures relati à Gut. *lib.* 2. *canonic. q. c.* 22. *n.* 32.

2. Cæterum omnino dicendum est, solũ propositum quantũuis absolutum, & efficax non sufficere ad votũ. Quia non inducit obligationem quæ ad votũ necessario requiritur. Hæc enim obligatio nasci debebat ex aliqua lege extrinseca imponente obligationem omnibus illis, qui de bono aliquo faciendo, bonũ propositum conceperint, vel ex propria voluntate proponentiũ; vel ex natura ipsius propositi. At ex nullo capite hæc obligatio nascitur. Non quidem ex lege; nulla enim talis ostendi potest. Non ex propria proponentium voluntate, cũ hæc solum sit faciendi, quod proponunt, non tamen se obligandi. Neq; item ex natura ipsius propositi. Alias si proponeres firmiter seruare diuina præcepta, duplici peccato peccares, quodlibet violando, primò aduersus præceptum violatũ, secundo aduersus obligationẽ proposito inductam. Item si aliquod consilium Euangelicum seruare proponeres, v. g. Dare eleemosynam pauperi petenti, (esto non grauiter indigeret) vel audire missam singulis diebus, & hæc emitteres, peccares & non vtcumq. sed grauiter, quia illa materia grauis est, & sufficiens ad peccatũ mortale, vt cõstat, si facto voto omitteretur. Ergo si propositũ hanc similiter obligationem inducit, illius transgressio mortalis erit. Quæ omnia sunt absurda, efficitur ergo propositum ex se nullam inducere obligationem, & consequenter ad votũ non sufficere. Et ita tenent post alios antiquiores Siluest. verbo *votum* 1. *q.* 2. Nau. *c.* 12. *n.* 26. Gut. lib 2. canon. q *c.* 22. *à n.* 32 Azor. 1 p. instit. moral. *l.* 11 *c.* 12. *q.* 5. Cou de pactis 1 *p* § 3. *n.* 11. Valent. 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 1. *in solutione ad secund.* Sãch l. 4. de voto *c.* 2 *n.* 20. Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 1. *de voto c.* 2. *n* 3. Lessius *l* 2 *cap.* 40. *dub.* 4. *n.* 21. Bonac. *to.* 2. *disp.* 4 *q.* 2. *de voto punct* 1. *in principio.* Et videtur manifestè conuinci ex *c. litt.* Vbi de quedã morbo laborante dicitur, si vltra propositum mutandæ vitæ, non est progressus in voto, non teneri.

3. Neque obstant in contrariũ adducta, Negamus enim propositum aliquã per se obligationem inducere, & ad textũ in *c. qui bona* facilis est solutio. Qui enim bonum proposuit non exequitur, cadit à deliberatione, non casu continente culpam, sed casu relinquente perfectionis viã. Ad textum in *c. consulti, & in c. statuimus & similia.* Dicendum est, ibi propositum pro voto sumi. Quia sumitur propositũ cum intentione se obligandi. Antiquitus enim ex eo solum, quo quis habitum Religionis nouitiorum susciperet, protestans velle ad solutè vitam mutare, censebatur votum facere perseuerandi in Religione, & cum de hoc voto per illam protestationem publicè constaret, cogebatur ad illius obseruantiam, nec permittebatur recedere absque legitima causa. Vel saltem absque transitu ad religionem laxiorem: postea tamen (vt bene aduertit Lessius *illo c.* 40. *dub.* 4. *n.* 22.) Statutum fuit vt nouitius liber relinqueretur ad sæculum redire, nisi de voto expresso perseuerandi in religione constaret. *c. litterarum de voto & c. qui post votum eodem tit. in* 6. Verba illa Christi *Luc.* 9. nihil aduersus nostram sententiam concludunt Germanus enim sensus illorum est, qui Christum sequi decernit in officio prædicationis, si ad alia sæcularia animum applicat, tali officio (quod regnum Dei vocatur) aptus non erit, sicuti non est aptus ad arandum, qui iniecta ad stiuam manu, retrò oculos vertit. Ex qua expositione non infertur, aliquam ex proposito obligationem nasci, cuius omissio culpam inducat. Sic explicat Maldonatus *super hunc locum.* Vide Suarez latissimè supradicta verba expendentem *lib.* 1. *de voto cap.* 2. *à n.* 18. *vsque in finem.*

Ad Argumentum ex ratione petitum. Respondeo; negando ex desertione boni propositi de re non obligatoria, lædi constãtiam, fidelitatem, vel veritatem. Nam constantia, provt est virtus obligationem inducens, solum inclinat ad perseuerandum in bono obligatorio; in bono autem non obligatorio inclinat ad perseuerãdum; dũ non adest causa legitima retrocedendi. At illa stante cessat inconstantia. Quia prudentis est, mutare consilium. Quod si absque vlla legitima causa recessus fiat, culpam continet. Quia negari non potest, inordinatum esse, à via inchoata perfectionis deflectere absque vlla causa. Quia saltem est actus otiosus. Non tamen hæc inordinatio culpam venialem excedit: vt benè docuit Lessius lib. 3. de iustitia cap. 3. *dub.* 6. *in fine.* Suar. *tom.* 2. *de Religion. lib.* 1. *de voto c.* 2. *n.* 7. Neque enim desistere à bono proposito, aduersatur fidelitati, aut veritati. Hæ namque virtutes solum obligant ad exequendum ea, quæ firmiter exequenda proposita sunt, nihil autem firmiter, & inuariabiliter proponitur exequendum, nisi quod promissione voto, vel Iuramento firmatur, vt constat ex dictis. Ergo promissione, voto, vel Iuramento seclusis; virtus fidelitatis, aut veritatis non obligat. Et ratio à priori est. Nam proponẽs aliquid faciendum absque vlla promissione nemini obstringitur. Non ergo fidelitatem lædere potest, deinde non asserit rem illam absolutè & inuariabiliter esse factum, sed esse facturum spectato, animo, quem de præsenti habet Quod verum est, quamuis postea mutato animo ab illa facienda desistat. Ergo veritatem non lædit. Ad confirmationem de distinctione propositi à promissione latissimè respondet Valent 2. 2. *disp.* 6. *q* 6. *punct.* 1. *q.* 1. Ego verò in eo distingui existimo, vt propositum, solam intentionem faciendi opus, contineat: promissio verò superaddat illi intentioni voluntatem alteri se obligandi. Nam (vt statim dicemus,) absque hac voluntate promissio non subsistit. Ad secundam confirmationem adest æquiuocatio in illa antiqua definitione voti. Animi inquã deliberatione firmatur boni propositi conceptio tanquam ex cõditione, sine qua non. Quia absque deliberatione seu libertate firmari non potest; sed non tanquam ex causa formali. Quia deliberatio non est formalis causa ob quam propositum firmatur, sed voluntas se alteri obligandi superaddita proposito. Hæc est, quæ firmitatem constituit; ac proinde cum dicitur votum esse propositum deliberatè firmatum, addendum est; firmatum voluntate se obligandi, seu firmatum promissione.

PVNCTVM III.

An promissio vera requiratur ad votum, vel sufficiat simulata.

SVMMARIVM.

1 *Qualiter simulatio contingit.*
2 *Si promissio est absque animo, & intentione trahendi obligationem, non constituit votum.*
3 *Si est, absque animo exequendi rem promissam, aliqui tenent votum non constituere.*
4 *Contrarium est probabilius.*
5 *Fit satis rationibus num.* 3. *adductis.*
6 *Explicatur quale peccatum sit vouere aliqua simulationem ex supradictis.*

1. Constat

1. CONstat ex præcedenti puncto promissionem ad votum requiri; neque sufficere propositum. Quia inquirendum; qualis debeat hæc promissio esse: an vera, an simulata sufficiat? Simulatio contingere potest tripliciter. Primò si promittas verbo tenus & non animo; Secundò, si promittas animo promittendi sed non animo te obligandi executioni. Tertiò; si promittas animo te obligandi, sed non animo exequendi rem promissam, videndum ergo est, an posita aliqua harum simulatione obligatio voti impediatur.

2. Et primò verius est posita prima, & secunda simulatione voti obligationem impediri. Quia ea simulatione posita solum quoad apparentiam est promissio. Ergo solum, quoad apparentiam est votum. Antecedens manifestum est, cum solum verbotenus promissionem facis, & animo longè à promissione es. Sed idem est, cum animum expressum habes, non te obligandi. Nam eo ipso habes animum non promittendi; siquidem promissio absque obligatione subsistere non potest. Deinde omnis obligatio voti ex intentione vouentis procedit. Quia est lex priuata, quam quisque sibi imponit. Ergo si vouens nullam sibi imponere obligationem intendit, votum nullam inducit obligationem, & ita tenet in præsenti, Nauarr. *c.*12. *n.*27. Açor. 1. p. instit. moral. *lib.*11. *c.*12. aliàs 13. *q.*9. Sanch. *lib.*4. *de voto c.*1. *à n.*23. Lessius *lib.*2. *c.*40. *dub.*1. *n.*6. Valent. 2.2. *disp.*6. *q.*6. *punct.*1. *post medium.* vers. *Respondeo concedendo.* Bonacin. *to.*2. *disp.*4. *q.*2. *de voto punct.*1. *à n.*12. Suar. *tom.*2. *de Relig. lib.*1. *de voto c.*3. *à n.*3. *præcipuè* 7. *&* 10.

Procedit superior doctrina, siue conscius sis naturæ voti, siue non; rectè docuerunt Suar. Lessius, Bonac. & Sanch. *suprà.* Nam si conscius sis naturæ voti, eo ipso cognoscis, te promittere non posse; quin obligatio subsequatur. Si igitur expresè, & absolutè obligationem excludis, manifestè conuinceris, nolle promittere; sed promissionem simulare. Quando verò ignarus fuisti, ex promissione obligationem nasciturnc clarè constat, te obligatum non esse, si expressam habuisti voluntatem, non te obligandi. Quia hæc lex non se extendit vltra tuam intentionem. Dixi; si expressam habuisti voluntatem non te obligandi. Nam si eam non habuisti, obligatus manebis. Quia cósendus es, promittere voluisse, intentione promissioni accommodata, & qualem habent rectè promittentes. Sic Suar. *d.l.*1. *de voto c.*3. *n.*9.

Verum si de tertia simulatione loquamur; quæ consistit in defectu intentionis exequendi rem promissam. Valent. 2.2. *disp.*6. *q.*6. *punct.*1. *à* vers. *Si autem dicatur*, affirmat hanc simulationem voto obstare. Mouetur primò; authoritate D. Thom. *q.*88. *art.*1. Dicentis ad votum tria esse requisita, deliberationem voluntatis, propositum, & promissionem. Propositum inquam non tantum te obligandi, sed etiam exequendi rem promissam. Qui enim homini, vel Deo promittit, priùs deliberat de conuenientia promissionis & deliberatione, & consultatione facta, firmiter statuit factarum, non vtcumque, sed sub obligatione. Ergo votum supponis propositum faciendi: imò ex illo sequitur, inquit Diuus Thom. loco allegato. Secundò illud est de essentia voti, quod est de essentia promissionis. Sed de essentia promissionis non solum est obligatio, faciendi rem promissam, sed etiam propositum illam faciendi. Non enim promittere potes, quin significes, te animum habere rem promissam faciendi. Ergo in promissione hic animus includitur, & consequenter in voto. Tertiò si promitteres absque animo implendi promissum, & tuam dispositionem promissario manifestares, procul dubio non tam promissor, quam illusor censendus fores; neque promissarius tali promissione contentus esset, nisi stultissimus esset. Ergo de ratione vera promissionis est animus, rem promissam faciendi. Quartò vix contingere potest quod animum habeas te obligandi in promissione, si cares animo exequendi promissum; ad quidem enim subis obligationem, nam exequi non intendis.

4. Nihilominus probabilius est, veram promissionem, & votum esse posse absque animo exequendi rem promissam; Sic pluribus relatis Thom. Sanch. *lib.*1. de sponsalibus *disp.*9. *& lib.*4. *de voto c.*1. *n.*23. Azor. dicens esse certum. 1. *p. l.*11. *c.*12. *q.*9. Gutier. canon. *q.l.*2. *c.*22. *n.*30. Suar. to.2. de Relig. *l.*1. *de voto c.*4 *n* 3. Vbi affirmat, se nullum alium auctorem inuenisse, qui Valentiæ sententiæ in terminis patrocinaretur Less. *l.*2. *c.*40. *dub* 1 *n.*7. Bonac. *to.*2. *disp.*4. *q.*2. *de voto punct.*2. *n.*14. *& alij apud ipsos.* Ratio ea est: quia executio operis promissi, & obligatio ad illud sunt distincta, vt per se patet. Ergo potest adesse animus, exequendi promissum. Ergo potest esse promissio absque animo promissum exequendi. Nam promissio, in animo suscipiendi obligationem, consistit. Et confirmo præcipere sub dicto potes aliquod opus quin voluntatem habeas, vt illud exequatur, vt manifestè constat in præcepto Abrahæ imposito, de sacrificando filio suo, in quo Deus voluntatem habuit, obligandi Abraham ad sacrificium; non tamen habuit voluntatem, vt sacrificium executioni mandaretur. Ergo similiter poteris obligationem tibi imponere ex voto, ad aliquid faciendum; quin voluntatem habeas, exequendi illud. Confirmo secundo exemplo illorum, qui sacros ordines suscipiunt perseuerando in concubinatu, qui certè voto castitatis tenentur; tametsi caruerint animo illam seruandi. Confirmo tertiò; exemplo emptionis & venditionis, qui contractus validi esse possunt absque animo traditionis. Quia illi contractus non in traditione, sed in obligatione ad traditionem consistunt. Cum ergo votum, non in executione rei promissæ, sed in obligatione illam exequendi consistat, potest absque dubio esse; quin adsit animus executionis, modo adsit animus obligationis.

5. Neque rationes contrariæ vrgent. Ad primam concedo, pro voto licitè faciendo, propositum faciendi rem promissam requiri. At pro voti essentia & valore sufficit propositum faciendi votum, & inducendi super se obligationem. Ad secundam nego de ratione promissionis esse propositum rem promissam faciendi & ad probationem respondeo. Verum esse, promittentem, ipsa promissione significare, se habere animum exequendi promissum, sed non directè, & per se, sed indirectè & consequenter; quatenus habens animum verè promittendi, (qui animus est de essentia promissionis) consequenter debet habere animum fideliter promittendi, seu exequendi promissum. Ergo hic animus solum indirectè, vt consequenter in promissione clauditur sed non essentialiter. Ergo illius defectus obstare non potest promissioni obligati; sicuti non obstat Iuramenti promissorij obligationi; quod illud præstiteris absque animo implendi. Ad tertiam concedo; illusorem potiùs quam verum promissorem te fore præsumendum, si eam voluntatem, non implendi promissam, promissario manifestares. Quia iusto titulo præsumeret, te non habere voluntatem promittendi. At si clarè cognosceret, te volutatem promittendi habere, non te illusorem, sed verum promissorem iudicaret; optimèque posset eam promissionem acceptare. Quia ex illa sic acceptata ius acquirit, vt sibi promissum impleatur; potestque te compellere, promissis stare; esto voluntatem non habueris, promissum exequendi. Ad quartum concedo: Frequenter & in plurimum deficiente animo exequendi promissum, deficere animum, imponendi sibi obligationem. Quia animus exequendi obligationem, & animus se obligandi, solent esse coniuncti, sed aliquando contrarium contingit, vt experientia demonstrat, & ratio concludit, id fieri posse.

Sed inquires quale peccatum sit vouere aliquo simulato modo ex supradictis? Respondeo; in professione religionis, & ordinis sacri susceptione clarum est, te peccaturum mortaliter, quocunque ex supradictis modis simulationem committas. Nam esto obligatus non sis statum religionis assumere; ordinéve sacro insigniri. At eo ipso, quo hæc liberè assumis, obligaris assumere eo animo, & voluntate, quam Ecclesia & religio præscribit. Aliàs Ecclesiæ, & Religioni grauem iniuriam infers, vtpote quæ se reputant deceptas. Sic Reginald. *lib.*8. *praxis n.*261. Bonac. *tom.*2. *disp.*4. *quæst.*2. *de voto punct.*1. *num.*15. Suar. *tom.*2. *l.*5. *de voto cap.*1. *num.*6. Sanch. *lib.*4. *de voto c.*1. *n.*38.

Extra hos verò casus solum credo, esse peccatum veniale vouere verbis absque animo vouendi seu se obligandi. Et quidem esse aliquod peccatum constat. Quia negari non potest, esse quidem inordinatum, verba menti non conuenire. Quòd autem non excedat venialem culpam, inde probatur. Quia illa simulatio proximo non præiudicat, vt suppono, nec Deo grauem irreuerentiam irrogat; eo quòd comparatione illius nulla esse potest fictio, & deceptio; cum ipse satis perfectè cognoscat nullum ibi adesse votum; esto exteriùs quoad homines appareat. Ergo non apparet, vnde malitia grauis oriatur. Sic docet Regina. & Bonac. *suprà &* Suar. *l.*5. *de voto c.*1. *n.*4. 5. *&* 6. *&* Sanch. *d. c.*1. *n.*38. Excipe nisi repromissa per votum turpis sit, de quo *punct.*8. §.4.

Si verò fictio contingat in proposito, exequendi promissum, dicendum est, esse mortale peccatum, vel veniale, provt materia voti grauis, vel leuis sit. Si enim votum non implere veniale tantum peccatum sit. Quia est votum de materia leui, propositum non implendi, eandem malitiam habebit. Quia est solum voluntas de peccato veniali committendo. Sic Suar. *d. l.*5 *c*1. *n.*7. Regin. & Bonac. *supr.* Sanch. *aliis relatis. l.*4. *de voto c.*1. *n.*37.

PVNCTVM IV.

Quæ deliberatio seu libertas ad votum necessaria sit?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur dubitandi ratio.*
2 *Libertas sufficiens ad peccatum mortale necessaria est ad votum.*
3 *Fit satis rationi dubitandi.*
4 *Ad votum sufficit deliberatio virtualis.*
5 *Vouere absque plena deliberatione aliquando est culpa mortalis, aliquando venialis, aliquando nulla.*

1. REquiri libertatem ad votum, in comperto est apud omnes. Quia est lex quam sibi vouens imponit. Quæ autem libertas necessaria sit, & sufficiat; non satis exploratum est. Nam si dicas eam libertatem requiri, & sufficere, quæ ad peccatum mortale sufficiens fuerit, obstat. Quia cum hac deliberatione compatitur leuis consideratio in vouendo, & consequenter diuinæ maiestatis offensio; qualis adest, cum calore iracundiæ, aliáve passione percitus votum emittis. Ergo non sufficit ad votum. Quia voto colitur diuina Maiestas, non offenditur. Deinde in votis sic factis adest periculum trãsgressionis. Non igitur censendus est Deus, ea admittere. Ex alia etiam parte non videtur tantam libertatem ad votum requiri; saltem vt obliget sub veniali culpa. Nam si imperfecta deliberatio votum violare potest, cur non poterit votum introducere? Aut cur maior libertas ad promittendum, quam ad seruandum promissum desideranda est?

2. Cæterum dicendum est, eam libertatem, quæ ad peccatum mortale sufficit, sufficere ad votum. Sic docent cum D. Thom. & aliis antiquioribus Nauar. *sum. c.* 12. *n.* 24. Gut. l. 2. canonicarum q. *c.* 22. *num.* 8. Valent. 2. 2 *disp* 6 *q.* 6. *punct.* 1. *colum. penult.* vers. *in contrarium est.* Lessius *l.* 2 *c.* 40. *dub.* 1. *num.* 2. *& seq.* Suar. tom. 2. de Religion. *l.* 1. *de voto c.* 6. *n.* 4. *&* 8. Azor. *to.* 5. *l.* 11. *c.* 12. *q.* 3. Sanch. *l.* 4. *c.* 1. *num.* 2. Et videtur decidi in *c. sicut nobis, de Regular.* Vbi ad votum obligatur, qui maximè pressus infirmitate vouit, sed non est credendum, tunc adesse ita perfectam deliberationem, vt omnia timetur. Idem colligitur *ex c. veniens de voto.* Vbi votum commutatur, quia in puerili ætate absque plena deliberatione factum est. Ad idem est quod traditur in *c. sunt qui opes* 17. *q.* 4. Vbi qui opes quasdam Ecclesiæ contulerunt tumultuario mentis impulsu de temeritate reprehenduntur, sed sacrilegi iudicantur, si renocent donationem. Ratio ea est: quia libertas sufficiens vt diabolo deuincti simus, sufficere debet vt Deo obstringamur. Aliàs si ad votum requisita esset ea matura, & exacta deliberatio, quæ omnem circunstantiam conuenientiæ, & disconuenientiæ in vouendo ponderaret; nullus ferè esset, qui verum votum emitteret. Sufficit ergo ea deliberatio, quæ ad meritum, & demeritum necessaria est.

Quod verò hæc requiratur, nec sufficiat semiplena libertas; tenent expressè Lessius, Suar. & Sanch. supra; & ratio esse potest. Quia imponere alteri, vel sibi obligationem aliquid faciendi, etiam sub culpa veniali; est res ita grauis vt meritò requiratur plena in imponẽte libertas. Deinde non satis percipi potest; quomodo ex semiplena deliberatione oriatur obligatio leuis, exequendi rem promissam, si res promissa grauis sit. Nam semiplena deliberatio in promittendo non restringit obligationem materiæ promissæ accommodatam.

3. Ad primam partem rationis dubitandæ in contrarium. Respondeo; votum factum ex calore iracundiæ, & absque matura & perfecta deliberatione peccatum esse; sed non obinde sequitur, votum non esse. Quia solùm extrinsecè & in circunstantia vitiatur non in substantia; eáque de causa rectè dixit Valent. *d. disp. 6. q. 6. punct. 1. circa finem vers. ad illud*, tale votum admitti à Deo quoad obligationem, sed non quoad præmium, sicut cum ex fine vanæ gloriæ moueris vôtum emittere acceptat Deus tuum votum ad obligationem, sed non ad præmium. Ad confirmationem concedo; in his votis sic calore iracundiæ factis frequenter adesse periculum transgressionis, nisi postea maturè ratificentur sed inde non infertur, à Deo non acceptari, acceptantur vtique, vtpote cadentia in eius honorem; poterunt tamen à Prælato nomine ipsius Dei ob illam causam relaxari; illa enim præcipitatio in vouendo iustam causam præbet relationis. Ad secundam partem rationis dubitandi nego, imperfectam deliberationem sufficere ad votum. Et ad probationem respondeo minorem libertatem requiri, ad violandum votum, quam ad illud introducendum. Quia violatio voti grauis, vel leuis non solum ex grauitate vel leuitate materiæ promissæ, sed ex quantitate libertatis desumitur. At obligatio voti, solum ex quantitate materiæ promissæ sub intentione se obligandi, desumenda est.

4. Sed inquires an deliberatio virtualis ad votum sufficiat? Sufficere deliberationem virtualem constat ex his, quæ diximus *tr.* 2. *de peccat. disp.* 1. *&* 2. Hæc enim deliberatio ad conferenda, vel recipienda Sacramenta sufficiens est; debet ergo ad votum sufficere. Quapropter si ex animo emittendi votum te disponis ad vouendum, & tempore, quo votum emittis, distraheris, non obinde redditur inualidum votum. Quia illa formalis vouendi in virtute, & in effectu à se relicto manet; ac proinde reddit votum validum. Alias raræ essent actiones humanæ validæ, si formalis aduertentia ad valorem requisita esset. Et ita tenent expressè pluribus relatis, Sanch. lib. 1. de sponsal. *disp.* 8. *n.* 21. *& lib.* 4. *de voto c.* 1. *n* 6. Suar. li. 1. de voto *c.* 10 *n* 4 *& sequent.*

Solum aduerto, te debere vsu rationis gaudere, cum votum emittis. Aliàs si tui compos non es, cum votum emittis, validum votum esse non potest: Quia eo tempore solum verba promissoria proferri possunt: ac proinde solum potuisti habere intentionem, ea proferendi; non tamen potuisti habere intentionem, ea proferendi cum debita aduertentia, & consideratione, & consequenter nunquam potuisti habere voluntatem, eo tempore vouendi: Sic Sanch. *d. c.* 1. *num.* 6. *fine* Suarez d. lib. 1. de voto *c.* 10. *à num.* 9. Si autem ante carentiam vsus rationis promissionem faceres de seruanda (v.g.) castitate, si tempore, quo cares vsu rationis verba promissoria castitatis proferres; credo sine dubio, te esse obligatum posita conditione. Quia tunc non emittis votum cum tui compos non es; sed solum apponis conditionem, vt votum antea factum obligationem habeat. Suar. *supra n.* 10.

5. Rursus inquires; quale peccatum sit, vouere absque plena deliberatione? Et breuiter respondeo; frequenter esse solam venialem culpam. At aliquando esse mortalem venialem; aliquando nullam. Probo singula & quidem esse culpam, ferè omnes Doctores supponunt; eo quod obligatio voti grauissima sit, neque deceat, sine prudentia & consideratione illam subire. Sic Caiet. 2 2. *q.* 88. *art.* 1. paulò ante solutionem ad obiecta Valent. *disp. 6. q. 6. punct. 1. circa finem* vers. *quod si quæras* Sanch. *lib.* 4. *de voto c.* 1. *n.* 9. Suar. *tom.* 2. *de Religione lib.* 5. *c.* 1. *num.* 2. Esse verò frequenter solum venialem; inde probatur: Quia vbi non adest nisi defectus prudentiæ in promittendo, culpam venialem excedere non potest. Sic Valent. Suar. & Sanch. *suprà*. Quod verò aliquando (sed rarò) possit esse mortale, defendunt Suar. & Sanch. *supra*, ea moti ratione. Quia potest promittens expertus esse, se exponere periculo transgrediendi votum, cum leui consideratione ductus vouit Ergo ob tale periculum peccabit mortaliter in vouendo, sed hoc mihi non probatur. Quia periculum transgrediendi votum non ex præcipitatione in vouendo, sed ex praua voluntatis affectione oritur. Aliàs si illud periculum transgressionis sufficeret, vt in voto emittendo mortaliter peccares; cum hoc periculum esse possit in voto emisso plenè deliberatè; etiam huius voti emissio mortale peccatum esset. Quod non est dicendum. In illo verò casu admitterem, peccatum mortale committi in sic præcipitanter vouendo; quando ob præcipitationem te exponeres periculo vouendi illicita, aut impossibilia. Quia hæc Deo promittere, graue peccatum est. Ergo graue erit peccatum te exponere periculo hæc promittendi, & cum hoc succedat ex inconsideratione & præcipitatione in vouendo, manifestum est: tunc graue peccatum committi, si illo modo votum emittatur. Sed hoc rarò succedit. Quia periculum hoc præuideri debet ante votum.

Subdunt verò Sanch. & Valent. *loco cit.* Aliquando nullam culpam committi in sic inconsideratè, & præcipitanter vouendo; nempe, cum materia voti leuis est. Quia ad rem tantulam (inquiunt) non requiritur matura deliberatio. Sed hoc dictum non probo. Quia hæc culpa ex modo vouendi prouenit, non ex materiæ grauitate. Sed hic modus præceps, & inconsideratus vouendi reperitur æquè in voto materiæ leuis, ac in voto materiæ grauis. Ergo vtrobique est idem peccatum. Et ita reliqui Doctores huius limitationis non meminerunt.

Præterea inquires; si dubius sis de voto emisso, vel de animo vouendi, vel de deliberatione ad ipsum requisita tenearis? Sed huic interrogationi satisfecimus tr. 1. de conscientia, *disp.* 3. *punct* 9. 10. 11. *&* 12. Nihilque vltra notandum occurrit.

PVNCTVM V.

An metus impediat libertatem requisitam ad votum.

SVMMARIVM.

1 *Præmittitur qualis sit metus.*
2 *Metus à Deo seu à causis naturalibus prouenientes non impedit voti valorem.*
3 *Idem est de metu à causa libera incusso, sed non ad extorquendum votum,*
4 *Metus grauis incussus etiam iustè ad extorquendum votum iure naturæ annullare votum qui sentiant.*
5 *Verius est ob nullum metum iustè incussum annullari votum.*
6 *Probabilius est iure naturæ ob metum iniustè incussum votum non annullari.*
7 *Proponuntur quædam obiectiones.*
8 *Fit illis satis.*
9 *Qualiter doctrinam limitet Basilius Legionensis.*
10 *Reiicitur limitatio.*
11 *Quid iure Ecclesiastico? Proponitur prima sententia affirmans, omnia vota esse nulla.*
12 *Secunda negat esse aliquod votum nullum ipso iure, esto*

veniat

veniat relaxandum.

13 *Tertia (cui adhærendum est) concedit professionem religionis esse irritam, & non alia vota.*

14 *Probabilissimum est votum Religionis assumendæ hoc metu conceptum esse nullum.*

15 *Ex metu leui non irritatur professio.*

1. PRo hac difficultate præmittendum est ; metum alium esse grauem, alium leuem ; alium prouenientem à Deo, seu à causis naturalibus ; alium ab extrinseco illatum, tum iustè, tum iniustè ; alium illatum ad extorquendum votum, alium non ; de quibus latè diximus, 1.*p. huius operis tr. 2. de pecc. disp.* 1. *à punct. 6. & seqq.* & ex ibi dictis facile est præsenti difficultati satisfacere.

2. Dicendum ergo est : si metus à Deo seu à causis naturalibus prouenial, tu verò vt malum cuites, voueas, votum validum est, tam iure naturæ quam Ecclesiastico. Quia esto per simplicem affectum nolis votum facere, si alia via vitare malum illud possis : at quia censes, vel id esse impossibile ; vel difficillimum, prudenti consideratione votum eligis vt medium ad malum vitandum, valet ergo votum. Et ita definitur *cap. sicut nobis de Regularibus, & tradunt omnes.*

3. Idem est dicendum : cum ab extrinseco metus incussus sit, siue iustè, siue iniustè ; si tamen incussus non est, ad extorquendum votum. Quia est eadem ratio. Cum eo casu liberè assumas votum, vt medium salubre, ad malum vitandum. Quod medium Deo gratum est ; tametsi occasio illius ei grata non sit. Sic tanquam certum tradit Suar. *lib. 2. de voto c. 7. num.* 8. Sanch. *lib. 4. sum. c. 3. n. 5.* Lessius *lib. 2. de iust. c. 40. dub. 3. n. 16.* Azor. 1 *p. lib. 11. c. 15. q. 7.* Bonac. *to. 2. disp. 4. q. 2. de voto punct. 3. num. 4.*

4. Difficultas ergo est : an metus incussus ad votum extorquendum, votum annullet ; Et quæstio procedere potest de nullitate spectato iure Ecclesiastico, vel naturali. Item de metu iustè vel iniustè incusso, ac denique de metu graui, & metu leui.

Et primò loquendo spectato iure naturæ non desunt graues Doctores, qui sentiant, metum grauem incussum etiam iustè ad extorquendum votum, annullare illud. Sic Manuel Rodrig. *2. to. summa c. 93. num. 3. & 5.* Ludou. Lopez *1. p. instructorij c. 45.* vers. *sed ibi addit, Vega 2. tom. sum. c. 129. casu 17.* Reputatque satis probabile Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 13. n. 1. & 2. & lib. 4. de voto c. 3. num. 20.* Mouentur : quia votum ob eius perfectionem incapax est illius extrinsecæ coactionis. Quare & si aliquis habeat potestatem minandi accusationem, vel mortem, nunquam tamen potestatem habet, minandi ea, ad votum extorquendum. Huic sententiæ consensit Couarr. 4. *decret. 2. p. c. 3. § 5. num. 5.* Quoad professionem religionis, eo quod hic status, sicut & matrimonij ob eius difficultatem, & perpetuitatem, omnimodam in assumente libertatem requirat.

5. Cæterum verius est ; ob nullum metum iustè incussum vota annullari. Quia postulans votum huiusmodi metu illato potiùs censendus est votum offerre vt medium, ad vitandum malum ortum ex natura delicti, aut aliàs, quam metum inferre. Quæ ratio procedit etiamsi ad professionem vel matrimonium cogat, quia in hac petitione nulla est coactio, sed potiùs oblatio cuiusdam beneficij, & remedij mali tibi imminentis. Vt latius dixi, 1. *p. huius operis tr. 2. de pecc. d. 1. punct.* 10. Et ita tenet in præsenti Emanuel Sà verbo *votum num.* 8. Sanchez lib. 4. de voto *c. 3. num.* 21. Lessius *lib. 2. c. 40. dub. 3. num.* 15. Bonac. *2. tom. disp. 4. q. 2. punct. 3. § 1. num. 7.* vers. *dixi iniustè incusso.* Suar. *tom. 2. lib. 1. de voto c. 7. num. 16.*

6. De metu graui iniustè incusso ad extorquendum votum, (esto plures censeant iure naturæ votum irritare, vt videri potest apud Doctores statim referendos) verius & probabilius censeo, vota omnia valere. Sic docuit Azor. 1. *p. lib. 11. c. 15. q. 6.* Bonac. *dict. punct. 3 § 1. num. 6.* Suar. *lib. 1. de voto c. 7. nu.* 12. Sanch. *lib. 4 c. 3. num. 9.* Lessius *lib. 2. c. 4. dub. 3. num.* 18. Basil. Legion *lib. 7. de impedim. ordinis, c. 29. num. 5. & alij apud ipsos.* Ratio est : Quia neque ex iniuria, neque ex defectu libertatis potest votum iure naturæ annullari. Ergo ex nullo capite. Antecedens probo quoad defectum libertatis. Talis namque metus non tollit libertatem sufficientem ad meritum, & demeritum, sed possunt cum illo opera bona & mala compati. Ergo non tollit, quin sic coactus validè vouere possit. Deinde imminutio libertatis æquè prouenit ex metu iusto, ac ex metu iniusto. Si ergo metus iustus non impedit libertatem ad votum requisitam ; nec illam impedire debet metus iniustus. Et hinc infertur, non impediri voti valorem ex iniuria. Nam iniuria commissa in tantum impedire valorem voti poterat, quatenus impediret causas illius adesse, nempe deliberationem ex parte vouentis, & honestatem rei promissæ. Cum ergo hæc non impediantur neque voti valor impeditur. Item quia iniuria ex metu leui orta voti valorem impediret cum sit eiusdem rationis. Et confirmari hæc ratio potest ex his, quæ tractatu præcedenti diximus de Iuramento metu graui extorto, quod obligationem inducit ob reuerentiam diuini nominis. Cum autem in voto eadem vel maior videatur adesse reuerentia ob diuinam maiestatem inuocatam, cui est facta promissio, dicendum est, votum obligare.

7. Sed obstat primò. Quia Deus non acceptat sacrificia coacta, sed spontanea, nec seruum coactum, sed spontaneum requirit. Secundò : quia acceptans supradictum votum videtur esse iniuriæ &. coactionis approbatur. Tertiò : si coactus ab aliquo tertio promittas mihi centum daturum ; non videris obligatus donare. Quia per iniuriam promisisti. Ergo similiter non tenebit promissio Deo facta : quia per iniuriam facta est. Quartò : metus grauis à qualibet obseruantia voti facti excusat. Ergo etiam excusat, ne sic factum obliget. Qua enim ratione non censetur vouens, se obligare voluisse ad voti obseruantiam posito graui metu ; censendus est, nec voluisse à principio voti obligationem sibi imponere posito tali metu.

8. Hæc tamen non compellunt à sententia communi recedere. Ad primam concedo, non acceptare Deum sacrificia coacta nec seruum coactum absolutè & simpliciter ; secùs si coacta non absolutè, & propriè ; sed solum secundum quid ; & propriè & in rigore voluntaria existant ; qualiter existunt, quæ ex metu fiunt. Ad secundam nego, esse, aut videri Deum approbatorem iniuriæ, & coactionis ; tametsi acceptet sic iniuria extortum. Quia vt supremus dominus sic vouentem cogere poterat ? & iniuriam alterius permittendo vti valet in vtilitatem vouentis, & in alios honestos fines. Ad tertiam nego, te non manere obligatum mihi, cui particeps iniuriæ non fui ex tali promissione ; manes vtique sed exceptione doli ab altero commissi me compellere potes, & promissionem factam irritare. Quia est contractus natura sua solubilis ; quales sunt omnes (matrimonio excepto) inter homines celebrari. At respectu Dei vti non potes exceptione iniuriæ, & coactionis à tertio commissæ, vt promissum non impleas. Quia promissio Deo facta est natura sua insolubilis, nisi pro voluntate ipsius Dei ob eius honorem & reuerentiam. Quartum argumentum optime probat, vouentem graui metu coactum præsumi posse non habere intentionem vouendi, sed solum simulandi votum, at posito quod in foro conscientiæ hanc intentionem habet, votum obligat.

9. Supradictam doctrinam ex parte limitat Basilius Deleon. lib. 4. de matrim. *c. 11. num.* 15. In voto castitatis, paupertatis, & obedientiæ factis in religionis professione metu extorta, quæ sic facta nulla est, & consequenter nec vota, quæ sunt de eius essentia subsistent. Quod autem professio metu extorta nulla sit, hac consideratione sibi videtur, ostendi. In professione non solum est traditio ex parte profitentis, sed religionis obligatio in futurum de professo retinendo. At hæc obligatio, quæ est quædam promissio, non subsistit, si professus coactè se tradit. Nam in tantum subsistere poterat, in quantum professo vtilis & grata foret ; sed inuito consentienti talis esse non potest ; potius enim talis obligatio sibi molesta esset, quam grata ; & potius nociua, quam vtilis. Ergo non subsistit professio, & consequenter nec vota, quæ sunt de illius substantia.

10. Sed hæc limitatio omnino reiicienda est, sicuti illam reiiciunt reliqui omnes Doctores. Quia fundamentum quo nititur friuolum est, & inane. Concedamus enim gratis, vota subsistere firma promissione religionis de professo retinendo, quod non est ita certum, vt Basilius existimat. Siquidem satis sufficere videtur, quod ipsa religio quantum est ex parte sua se obliget, ad professum retinendum, vt vota firma sint. Adde traditionem professi, per vota antecedentem esse huic obligationi. Ergo ex illa illorum valor dependere non potest. Sed probemus clarè, obligationem religionis firmam esse & à professo aceptari vt sibi gratam & vtilem. Nam professus non alia via obligationem religionis acceptat, nisi quatenus votis se religioni tradit. Vbi enim est alia acceptatio ? Sed metus non tollit, quin valide se religioni tradat. Ergo nec tollit quin valide acceptet. Deinde professionem emittens ex metu ideo se tradit religione. Quia sibi vtile, & gratum est, ad vitandum malum imminens. Ergo eadem ratione acceptare obligationem religionis poterat, & sibi vtilem, & gratam reputare.

Ex his à fortiori infertur ex metu leui nulla vota iure naturæ irrita reddi. Quia metus leuis minorem iniuriam irrogat, & voluntarium non ita diminuit.

11. Restat videndum ; an iure Ecclesiastico vota metu coacta irrita sint ?

Variæ de hac re sunt sententiæ. Prima, & communis affirmat omnia vota metu graui facta iure Ecclesiastico irrita esse. Sic post alios antiquiores quos referunt tradunt. Sotus lib. 7. de iustitia *q. 2. art. 1. in solutione ad primum finem & in solutione ad secundum in principio.* Valent. *disp. 6. q. 6. punct. 4 circa finem.* Nau. *c. 12. num. 52. & comm. 2. de Regularibus n. 13.* Azor. 1. *p. lib. 11. c. 15. quæst. 7.* Sanch. *lib. 4. c. 3. num. 12.*

Leſſius *li.2.c.40. dub.3. num.*18. Emanuel Sà verbo *votum*, *num.*8. & verbo *metus num* 2. Mouetur ex *c. perlatum* aliàs 1.*de his quæ vi.* Vbi de puella metu mortis à marito compulſa profeſſionem emittente, & poſtea mortuo marito matrimonium contrahente, inquit Pontifex, debere compelli ad religionem, ſi non conſtiterit ex graui metu conſenſiſſe, nec liberè ratificaſſe. Ergo à contrario ſi conſtiterit graui metu conſenſiſſe, nec libere ratificaſſe, ad religionem compellenda non erat. Supponit ergo Pontifex, metum grauem irritare profeſſionem. Cum ergo eadem ratio videatur eſſe in reliquis votis, omnia vota dicenda ſunt irrita. Item in *c. cum dilectus eodem tit.* Canonici inſularum votum emiſerunt cum Iuramento, de obſeruanda regula Ciſtercienſium, & volentes mutare hoc propoſitum impediuntur à Pontifice. Quia eorum obſeruantia non vergit in diſpendium ſalutis æternæ, nec graui metu ad ſic vouendum, & iurandum fuerunt compulſi. Ergo ſi graui metu compulſi eſſent, non eſſent cogendi.

12. Secunda ſententia extreme oppoſita negat, vllum votum irritum eſſe, ſed venire relaxandum. Sic Card. *c.2. q.1. caſu 4. de his quæ vi.* Sylueſter verbo *metus q.8. ſine* & verbo *votum 2.q.12.* Ratio ea eſt: quia nullibi conſtat, ius poſitiuum, vllum votum irritare. Ergo non eſt aſſerenda hæc irritatio, cum ſit derogatoria iuris naturalis. Antecedens probo expendendo textus, quibus hæc irritatio nititur. Textus namque in *c. perlatum*, ſolum de profeſſione loquitur. Ergo non eſt ad vota ſimplicia extendendus. Imò nec profeſſionem irritat, neque ſupponit irritam. Non enim decidit quid eſſet faciendum, ſi conſtaret, puellam metu coactam ſumpſiſſe velum, neque poſtea liberè ratificaſſe; ad ſummum colligitur per argumentum à contrario non eſſe compellendam ad religionem, ſi hoc conſtaret. Quod optime ſtare poſſet cum obligatione voti. Quia loco compulſionis relaxatio erat concedenda ob metum incuſſum. Minus efficax eſt textus in *c. cum dilectus*. Nam ibi nullum fuit votum, ſed quædam promiſſio, (quæ votum vocatur) Ciſtercienſibus facta & Iuramento firmata. Sed dato ibi votum & Iuramentum factum fuiſſe; textus ſolum dicit, obſeruandum eſſe. Quia nec obſeruatum vergit in diſpendium ſalutis æternæ, neque fuit graui metu factum. Ex quo non liceret colligere, votum factum graui metu non eſſe obſeruandum. Aliàs probaret, Iuramentum metu graui factum irritum eſſe. Quod falſum eſt, vt ſuperiori tractatu diximus. Solum enim liceret inferri, ob talem metum eſſe facilè diſpenſandum. Alia item iura, quæ indicant conſenſum coactum conſenſum non eſſe, vt eſt textus in *c. cum locum de ſponſalibus* facilè explicantur; ſi dicas, non eſſe conſenſum plene, & perfectè liberum; Siquidem mixtus eſt inuoluntario. Ergo nullus eſt textus, hanc irritationem probans. Ergo non eſt aſſerenda.

13. Tertia ſententia, (cui tanquam probabiliori adhæreo) affirmat, profeſſionem religionis metu graui factam irritam eſſe; reliqua vero vota etiam illud, quod in ſuſceptione ſacri ordinis aſſumitur valida eſſe, venireque relaxanda. Sic docet Baſilius Legion lib.7. de impedimento ordinis *c.19. n.9.* Suar. to.2.de relig.lib de voto *c.8. à num.5.* iunctis iis quæ tradit tom.3. de relig. *lib.6. c.4. num.6.* Ratio prioris partis eſt. Quia eſto in ſupradicto *c. perlatum* expreſsè non irritetur profeſſio religionis coacta; at ſatis ſupponitur, irritam eſſe aliis decretis præcipuè ab Eug. 11. in ſyno generali *c.ſicut qui monaſteria* 20. *q.*1. ibi ſicut qui monaſteria elegerunt, à monaſteriis egredi non permittantur, ita hi, qui inuiti ſine inuitæ offenſionis cauſa ſunt intermiſſi, niſi volentes non teneantur, quia quod non petunt, non obſeruant, *& in c. præſens* 20.*q.*3. vbi de Lamberto, quem pater coëgit monaſticam vitam profiteri, inquit Nicolaus Papa præſentem clericum nomine Lambertum minime debere exiſtimauimus, ſub tali violencia fieri monachum. Quod enim quis non elegit, nec optat; profecto non diligit; quod autem non diligit, facile contemnit, nullum quippe bonum niſi voluntarium, &c hoc ipſum clarè ſupponitur à Tridentino *ſeſſ.25. de reg. c.*10. Vbi conceditur quinquennium ad reclamandum de nullitate profeſſionis ob vim & metum, & ante debitam ætatem factæ. Secunda pars concluſionis, nempe nullum aliud votum iure Eccleſiaſtico irritum eſſe, ea conſideratione perſuadeor. Quia effectus irritationis eſt odioſus; ac proinde abſque firmo fundamento non introducendus: at nullum in iure reperitur fundamentum, quo reliqua vota præter profeſſionem religionis irritentur, vt expendenti textus clarè conſtare poteſt, ergo non ſunt cenſenda irrita.

Aduerte ſub profeſſione religionis vota poſt biennium in Societate Ieſu emiſſa comprehendi debere. Quia verè conſtituunt, religioſum: ac proinde in ſtatu de ſe perpetuo quantum eſt ex parte Religioſi; quæ fuit ratio, ob quam vota ſolemnia in profeſſione emiſſa irrita ſint. Adde tempore Eugenij non ſolemnia ſed ſimplicia vota religioſum ſtatum conſtituebant, & ita tradit Baſil Legion. *li.7.c.29. num.*10.

14. Sed eſt dubium; an votum religionis aſſumendæ metu graui factum inualidum ſit? Affirmat Suar. tanquam probabiliſſimum to.2.de relig. *lib.1. de voto c.8. num.*10. & vere ita eſt. Mouetur ea efficaci ratione; quia ſi illud votum validum eſſet, obligaret facere profeſſionem nullam. Nam obligaret facere profeſſionem vi illius voti, ſed illud eſt coactum, ergo profeſſio facta virtute illius voti eſt profeſſio coacta; at profeſſio coacta nulla eſt, ergo obligaret ad faciendam profeſſionem nullam. Hoc autem eſt impoſſibile. Quia actus nullus, & illicitus, non eſt obiectum capax obligationis. Ergo illud votum validum eſſe non poteſt. Hæc tamen nullitas non tam prouenit ex eo, quod factum fuerit votum coacte, quam ex eo, quod illa coactio redundet in ipſius voti obiectum, illúdque reddat nullum & illicitum.

15. Reſtat dicendum de metu leui: an ex illo vota ſolemnia religionis irritentur? & breuiter, reſpondeo, nullomodo irritari, quod clare colligitur ex *dict.cap. perlatum de his quæ vi, & ex cap. inſinuante, qui clerici vel vouentes.* Ex quibus iuribus conuincitur ſententia Nauar. *li.1. conſiliorum tit. de iis quæ vi conſ.3. num* 3. *& conſ. 5. num.*4. *conſ.*9. *num.* 2. & *lib.3.de contr. coniug. conſ.3. num.*4. *in poſtrema edit.* aſſerentis iure naturæ profeſſionem leui metu irritari. Quia ſi iure naturæ inualida eſſet talis profeſſio; ius canonicum non poterat illi valorem concedere & virtute illius matrimonium datum diſſoluere, vt de facto fecit. Aſſerendum ergo eſt; ex metu leui neque profeſſionem neque vllum votum irritari, ſic Sotus de iuſtit *li.7.de iuſtit.q.2.art.1.ad ſecund. ſine.* Val. 2.2. *diſp. 6.q.6 punct.4. circa fin.* Azor.1. *lib.11. inſtitut. moral. cap.*15. *q.*7. Emanuel Sà verbo *metus, num.*3. Sanch. *lib.4.c.7. num.*14. Suar. *to.3. de Relig. li.6. c.4. num.*13.

PVNCTVM IV.

Qualiter error vel ignorantia impediat voti libertatem, & conſequenter eius valorem.

SVMMARIVM.

1 *Multiplex error eſſe poteſt.*
2 *Si ignorantia vel error eſt in obligatione voti, votum non tenet.*
3 *Et idem eſt de ignorantia, ſeu errore in materia promiſſa.*
4 *Ignorantia ſeu error circumſtantiarum non impedit voti valorem, niſi redundet in materiam promiſſam.*
5 *Si error adſit circa finem voti, voti valorem impedit; ſecus ſi adſit circa occaſionem, ſeu cauſam impulſiuam.*
6 *Qualiter cognoſces quando error eſt occaſio, quando finis voti.*
7 *Quid in caſu dubio.*
8 *Explicatur textus in cap. Magno de voto.*

1. MVltiplex error, vel ignorantia eſſe poteſt. Primus & præcipuus verſatur circa voti eſſentiam, vt ſi ignores votum obligare; vel credis non obligare ſemper, ſed quouſque violetur. Secundus verſatur circa materiam eius. Tertius circa aliquas conditiones & circunſtantias. Quartus circa cauſam motiuam, vel impulſiuam voti, quibus explicatis conſtabit, quæ mutatio veram obligationem voti ceſſare faciat.

2. Si de prima ignorantia, ſeu errore loquamur qua credis votum non obligare, vel non obligare ſemper: procul dubio hæc ignorantia valorem voti impedit, quia ea poſita non vis obligari: obligationem enim velle non potes, niſi prænoſcas. Quia nihil eſt volitum, quin præcognitum. Cum igitur nunquam cognoueris natiuam voti obligationem & eſſentiam; nequaquam illam voluntariè amplecti potuiſti, ſic docuit Leſſ. *li.2.c.40. dub.2. num.*11. *fin.* Sanch. *li.4. de voto c.*1. *num.*16. Suar. *to.2. de Relig. li.*1. *c.*11. *nu.6.* Excipe tamen niſi ignorans obligationis voti velles votum emittere. Nam per hanc voluntatem ignorantiam depellis voti obligatione amplecteris. Sic Sanch & Suar. *ſup.* Et credendum eſt, te eo modo votum emittere, quoties tibi non conſtante voti emiſſionem errorem illum habuiſſe. Quia ſemper præſumi debes velle actum facere qualiter eſſe petit. Quod ſi certus es te erraſſe circa voti ſeu iuramenti obligationem, dubitas autem, an ab illo errore ceſſaueris per admonitionem ante vel poſt voti emiſſionem, non teneris voto. Quia iam tibi conſtat de ratione excuſante ab obligatione, & conſequenter votum non poſſidet. Neque præſumendum eſt, errorem pulſum eſſe niſi probetur. Sic Sanch. lib. 4. de voto *c.22. n.22.*

Hinc infertur ſi Religioſus profiteretur credens profeſſionem non obligare in perpetuum, ſed pro voluntate ipſius reſcindi poſſe; nullam eſſe talem profeſſionem. Quia voluntariè non vult profiteri; cum non velit profeſſionis eſſentiam. Sic docuit Suar tom.3. de Relig. *lib.6.c.5. num.*5. Nunquam tamen talis error præſumendus eſt.

3. Idem quod dictum eſt de ignorantia, ſeu errore obligationis voti, dicendum eſt de ignorantia materiæ, ſeu obiecti voti;

voti, impedire inquam voti obligationem. Quia impedit quod obiectum voti sit cognitum, & consequenter quod sit volitum. Sic omnes Doctores.

Variis exemplis conclusionem declaro; si voueas ire Hierosolymam credens absque nauigatione ire posse, non teneris voto. Quia erras in obiectio voti. Non enim voues viam, quæ necessaria est, vt Hierosolymam peruenias; sed aliam tuo errore confictam. Idem est, si existimares Hierosolymam prope esse; cùm tamen longè distet. Quia longam viam voto amplexus non es. Sic Suar. li. de voto *c.* 11. *n.* 9. Les. *li.* 2. *c.* 40. *dub.* 2. *n.* 11. Sanch. *li.* 4. *Dec. c.* 3, *n.* 11. Bonac. *to.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 3. §. 2. *n.* 3. Deinde si voueas religionem Cartusianorum, vel Minimorum, credens ibi liberè vesci carnibus; nequaquam obligatus maneres, etiam ad sumendam aliam religionem, in qua licitum est vesci carnibus. Quia tuum votum non fuit de religione absolutè, sed de tali religione Cartusianorũ, vel Minimorũ, in qua hæc licentia vescendi carnibus adesset. Cum tamen nulla sit talis religio, cessat votum ex defectu materiæ promissæ. Sic Suar. tom. 2. de Relig. *lib.* 2. *de voto c.* 11. *num.* 12.

4. Verum si de errore, seu ignorantia circunstantiarum loquamur; non impedit voti valorem, nisi talis ignorantia in obiectum voti redundet. Sic docuit aliis relatis Lessius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 2. *n.* 10. & 13. Suar. to. 2. de Relig. *lib.* 1. *de voto c.* 11. *à n.* 9. *& sequent.* Supponit Sãch. *li.* 4. *Dec. c.* 3. *n.* 8 *& sequent.* Bonac. *to.* 2. *disp.* 4 *q.* 2 *punct.* 3. §. 2. *n* 4 Ratio est manifesta; quia ignorantia solum causat inuoluntarium obiectum ignoratum. Si igitur obiectum voti ignorantum non est, sed solum sunt ignorata extrinseca illius; nequaquam votum inuoluntarium erit, sed voluntarium. Quod procedit, tametsi circunstantiæ essent tales, vt nequaquam votum emitteres, si illas cognosceres. Quia illa habitualis dispositio non te impedit, quominus obiectum voti absolutè amplectaris, vt manifestum est in eo, qui inimico pauperi eleemosynam tribuit, non dandam si cognosceret, inimicum esse. Et ratio est: Quia voluntas conditionalis non posita conditione nihil possit inesse. Sed talis est supradictus affectus *nollem dare eleemosynam huic pauperi, si scirem esse inimicum.* Dum enim non cognoscis esse inimicum, absolutam voluntatem non habes, non dandi eleemosynam: Potius namque habes, voluntatem illi donandi. Secus verò esset, si diceres: nolo dare si de facto sit inimicus. Quia cum eo tempore conditio vera sit, voluntas donandi omnino cessat. Sic Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *circa fin.* vers. *ad hoc dicitur.* Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 2. *art.* 1 *ad* 3. Mol. *to.* 2. *disp.* 272. vers. *quartum valde.* Les. *li.* 2. *c.* 40 *dub.* 2. *n.* 10. & 11 *circa fin.* Sanch. *lib.* 4. *sum. c.* 2. *num.* 6. & 10. Valent. 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 4 *in fine.* Suarez tom. 2. de Religione *lib.* 1. *de voto c.* 12. præcipuè *num.* 9 & 10.

Dixi noranter nisi circunstantia ignorata redunder in voti obiectum; quia sæpe circunstantiæ sunt ita graues, vt erat illa de abstinentia à carnibus, vt merito censeri possint immutare obiectum. Quando autem id contingat prudentis arbitrio relinquitur, ponderata obiecti qualitate. Neque certa regula id definiri potest vt bene notauit Suarez *tom.* 1. *de Religione lib. cap.* 1 *num.* 13.

Neque obstat promissiones aliósve humanos contractus quibus dolus causam dedit, etiamsi dolus commissus non sit in substantialibus, esse irritos, seu in irritum reuocari; sicut tractatu præcedenti *disp.* 2. *punct.* 5. diximus, vt inde inferas vota supradicto errore commissa inualida esse, aut arbitrio in contractibus ob supradictum errorem ex iure positiuo prouenit: At in votis nullum est positiuum, quod illa reddat. Sic Lessius *li.* 2. *c.* 40. *dub.* 2. *num.* 13.

5. Denique si error adsit circa finem voti, valore eius impedit. Secus si error adsit circa occasionem, & causam impellentem ad vouendum. Sic ex communi sententia tradit Suar. tom. 2. de Relig. *li.* 1. *de voto c.* 11. *num.* 14 Les. *li.* 2. *c.* 40. *dub.* 2. *n.* 11. Sanch. *li.* 4 *sum. c.* 2. *n.* 45. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 13. Ratio prioris partis est. Nam finis voti est formalissimum voti obiectum. Ergo si in illo error adsit, obiectum voti voluntarium esse non potest; ac proinde votum non tenebit. Explico conclusionem. Triplex finis in voto considerari potest. Primus est communis omnibus votis, qui est diuinus cultus, & honor, si deficiat nequaquam votum subsistere poterit; quia non remanebit materia voti capax. Secundus est specialis & intrinsecus materiæ per votum promissæ qui si deficiat, mutatur obiectum promissum, & consequenter cessat promissio. Exemplo declaro, finis intrinsecus eleemosynæ est alienæ miseriæ subleuatio, qua subleuatione cessante eleemosyna esse non potest. Si igitur voueres dare Petro eleemosynam, credens illa indigere, cum tamen verò non indigeat, quia diues est; voti obligatio cessat. Quia cessat voti obiectum, quod fuit eleemosyna. Tertius finis est extrinsecus alias; sed quia prætenditur per tale votum obtineri, ad illius voti obiectum formaliter pertinet. Explico, credebas beneficium vacare, & gratia illud obtinendi eleemosynam promisisti; cum tamen beneficium non fuerit vacans; promissio non tenet. Idem est, si peregrinationem promisisti ob inuisendum amicum, quem ibi adesse credebas; cum tamen non adfuerit. Idem si votum feceris ob recuperandam filio salutem, quem credebas infirmari; cum tamen non fuerit eo tempore infirmus, vel iam fuerit mortuus; votum non tenet. Et ratio est manifesta. Nam illa eleemosyna seu peregrinatio non absolutè promittitur, sed promittitur tanquam medium ad impetrandum beneficium, videndum amicum, recuperandam filio sanitatem; quæ cum sint impossibiha promissio non tenet.

Sed quid si non solum ob supradictos fines, sed etiam ob alios verè existentes votum emitteres? Distinguendum est; si expressam voluntatem haberes, te obligandi ad votum ob quemlibet finem, qui adesset, clarum est, te esse obligatum, si aliquis ex finibus appositis verè existit. At si hanc expressam voluntatem non habes, & vterque finis est verè finis voti, eo quòd per votum obtinere illum intendas quodlibet deficiente obligatio voti impeditur. Quia alias esset obligatio ad impossibile, Sanch. *lib.* 4. *c.* 2. *n.* 40.

Secunda pars conclusionis scilicet errorem commissum circa occasionem, & causam impellentem ad votum, votum non irritare, facilè probatur. Nam huiusmodi error non occultat voti obiectum, & substantiam. Ergo non potest illud inuoluntarium reddere. Ergo nec nullum. Deinde huiusmodi error supponit voluntatem vouentis determinatam ad eliciendum votum ob alium finem. Ergo solum mouere potest voluntatem, vt facilius & libentius votum emittatur. Ergo non est causa voti. Siquidem eo deficiente adhuc votum fieret; tametsi non ea facilitate & alacritate.

6. Quod si inquiras, quomodo cognosces, quæ sint occasiones voti, quæ finis illius? Respondeo illa esse finem voti, quæ per votum obtinere intendis, & illa esse occasionem, quæ tempore voti existunt, vel præsumis existere, & te ad vouendum excitant, vt in exemplo de eleemosyna facienda religioso pauperi ob eius miseriam subleuandam constat. Subleuare namque illius miseriam, est finis obtinendus per votum, at probitas non obtinetur per votum, sed iam existens te excitat ad vouendum, ac proinde voti occasio est, non finis. At quia sæpè aliqua per votum obtineri intenduntur, quibus tamen deficientibus votum persistit, difficillimum est, explicare eo casu, quomodo ea à fine voti & illius obiecto excludantur? Qua in re mihi non occurrit alia firmior regula ea quam supà posuimus, Supradicta inquam excludi debere ex voluntate formali & expressa, qua illis non obstantibus voluntatem te obligandi habes. Nam si hac voluntate cares, percipere non possum, quomodo ea, quæ per votum obtinere intenduntur, non sint finis illius, & obiectum, & consequenter votum medium ad illorum impetrationem, quæ si impossibilis sit, votum non reddatur nullum.

7. In casu autem dubio: an aliqua habeant rationem finis, an verò sint occasio voti emittendi, spectandum est, an illis deficientibus verus finis voti persistat. Nam si hoc ita est credo potius reputanda esse occasionem voti, quam finem. Quia hæc præsumptio fauet valori actus, & pro illo in foro externo iudicaretur, dum vouens non probauerit ea, quæ deficiunt, causas esse finales, non impulsiuas. At si illis deficientibus non relinquitur finis voti, clarè constat, ea finem esse, & non tantum occasionem. Siquidem absque fine votum esse non potest. Sic Syluester verbo *votum* 2. *q.* 8. Azor. 1. *p. instit. moral. lib.* 11. *c.* 15. *q.* 13. Sanch. *lib.* 4. *de voto c.* 2. *n.* 51. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *de voto punct.* 3. *in fine.*

8. Iuxta hanc doctrinam explicatur Textus *in c. magna de voto*, vbi Episcopus Trecensis votum Hierosolymitanæ peregrinationis fecerat animo, & voluntate obtinendi libertatem suæ Ecclesiæ ope & auxilio Comitis Campaniæ, qui finis omnino defuit morte illius comitis tempore voti, & dicendum est votum subsistere non potuisse. Quia non apparet Episcopum expressam voluntatem habuisse ob deuotionem sanctorum locorum peregrinationem suscipiendi independenter ab impetratione auxilij comiti campaniæ, sed potius huic fuit finis principalis peregrinationis promissæ. Quo cessante facilius potuit (inquit Pontifex) cessare, & effectus. Neque obstat illud votum commutari quia commutatur ob dubium, quod poterat esse, si fortè independenter ab auxilio comitis votum emisisset, & ad maiorem securitatem Episcopi, sed non ob necessitatem. Sanch. *lib* 4. *de voto c.* 2. *n.* 43. E contra procedit Textus *in c. ex parte el segundo de conuersione coniugatorum.* Vbi mulier quæ matrimonium ratum contraxerat, credens falso eius sponsum leprosum esse, vt illius habitationem fugeret, velum viduitatis suscepit, in quo si votum religionis emittat, perseuerare cogitur. Quia ille error non est in causa finali obtinenda per votum, sed in causa excitante & mouente ad vouendum quod satis indicat Pontifex cum dicit, licere mulieri ad religionem transire, quamuis falsa sit causa, per quam ad susceptionem veli prædicta mulier est inducta: cum fine qualibet tali causa idipsum religionis obtentu facere potuisset. Suarez tom. 2. de Religione *lib.* 1. *de voto c.* 11. *fine.*

PVNCTVM

PVNCTVM VII.

An votum soli Deo faciendum sit.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur dubitandi ratio.*
2 *Resoluitur quæstio.*

1. VIdetur non soli Deo, sed etiam sanctis vota fieri. Quia fiunt professiones in eorum cultum, & honorem cedentes. Quod confirmat aliquarum Religionum vsus, vouendo castitatem, paupertatem, & obedientiam non solum Deo, sed etiam Beatæ Mariæ aliisque sanctis.

2. In hac re solum de nomine esse potest quæstio, sed non de re, vt bene aduertit. Valentia 2.2. *disp.6.q.6.punct.3.vers.3. dubium est.* Nam si votum sumas pro cultu recognoscente diuinum numen, à quo tanquam ab authore omnium bonorum aliquid impetrare intendis, vel pro impetratis gratias referre, clarum est hoc modo soli Deo vota fieri. Quia solus Deus est, qui hac ratione coli potest. Quod si tunc sancti inuocantur in illa promissione, & voto; inuocantur vt testes promissionis factæ, vel vt mediatores ad deferendum votum, vel vt intercessores ad impetrandum à Deo, quæ per votum desiderantur. Verum si non hac ratione votum seu promissio sumatur, sed quatenus cedit in cultum, & honorem sanctorum, vt illos in necessitatibus mediatores habeas, vel vt illis pro beneficiis acceptis te gratum ostendas; sanctis fieri potest; sicut enim sancti spectata propria excellentia gratiæ & gloriæ, quam habent orari & adorari possunt, cur non etiam coli promissione de bono opere ipsis facto? Sed quia huiusmodi promissio sanctis facta confirmatur frequenter promissione facta Deo: Vouemus enim Deo facturi, quidquid sanctis promittimus; ea de causa omne votum factum sanctis Deo fieri dicitur. Sic D. Thom.2.2. *quæst.* 88. *art.5. ad tertium quem testatur* Sanch. *lib.4. sum. c.1. n.41. ab omnibus esse receptum* Azor. *lib.11. instit. moral. cap.22. q.13.* Suar. *latissimè to.2. de Relig.lib.1.de voto c.16. Annot.5.* Bonac.*to.2.disp.4.q.2.de voto punct.2.n.17.* optimè Val.2.2. *disp.6.q.6. punct.3. in secunda assertione* vers.3. *dubium.*

Quando verò Prælato locum Dei tenenti obedientiam promittis, votum Prælato non fit, etiam illo modo, quo fieri potest sanctis spectata eorum excellentia. Quia non in Prælati cultum & honorem promittit, sed Deo promittis obedientiam tuo Prælato seruandam. Sic Sayro in Claui Regia *lib.6.c.1.n.11.* Bonac. *dicto puncto.1.n.17.* Si autem alicui homini in eius vtilitatem aliquid promittas absque relaxatione ad Deum; vt si dicas, promitto tibi me non lusurum; promissio humana & ciuilis est, non votum. Sic Nauarr. *summæ lat. c.12.n.25.* Sanch. *lib.4. summæ c.1.n.42.*

PVNCTVM VIII.

Quæ materia Deo & Sanctis offerri per votum possit?

VLtima particula quæ in definitione voti apponitur est, vt sit de meliori bono. Quapropter examinandum est: an votum necessario sit de bono, & de bono possibili, Secundò: an debeat esse de bono pertinente ad consilia, vel possit esse de bono pertinente ad præcepta. Tertiò, qualiter debeat esse de bono meliori.

§. I.

Qualiter votum debeat esse de bono possibili?

1 *Impossibilia promitti Deo non possunt.*
2 *An votum non peccandi sit impossibile.*
3 *Pro resolutione apponitur distinctio.*
4 *Votum non peccandi mortaliter, validum est.*
5 *Votum non peccandi nec mortaliter, nec venialiter inualidum est.*
6 *An saltem obliget ad mortalia vitanda? Affirmat Suar.*
7 *Negat Sanchez.*
8 *Quid sentiendum sit.*
9 *Fit satis oppositæ rationi.*
10 *Deciditur quæstio: An votum rei partim possibilis, partim impossibilis obliget.*
11 *Votum de vitando aliquo genere peccatorum venialium obligat, sed non est consulendum.*
12 *Votum vitandi omnia venialia quantum in te est, aliqui censent valere, verius est oppositum.*
13 *Votum fatendi omnia venialia valet.*
14 *Promittere Deo rem impossibilem, per se solum est veniale.*

1. REgula est ab omnibus recepta. Impossibilia Deo promitti non posse. Quia ad illa facienda non potest suscipi obligatio Regula, *nemo potest de regulis iuris in 6. & leg. impossibilium ff. eodem tit.* Quod non solum votum habet in absolutè impossibilibus; sed de iis, quæ comparatione promittentis impossibilia sunt. Nam eo ipso non poterit promittens ad illa se obligare. Hinc constat; qualiter alienum factum promittatur; promittitur namque non absolutè, sed vt promittenti subiicitur. At nulla alia ratione subiicitur, nisi appositione curæ, & diligentiæ vt efficiatur. Ergo promittens factum alienum censendus est promittere suam diligentiam, & curam serio apponere, vt tale factum fiat, vt latius diximus superiori tractatu de Iuramento. Et tradit in præsenti Suar. tom 2.de Religione *lib.2.de voto c.1.in fine n.7.* Sanch.*li.4.de voto c.5.n.9.*

2. Sed est dubium; an sub hac materia impossibili comprehendatur votum nunquam peccandi? Videtur namque comprehendi. Quia spectata humanæ naturæ fragilitate, & ordinariis Dei auxiliis nullus est, qui possit omne peccatum vitare. Ergo illud votum est de re impossibili. Econtra verò videtur tale votum de re possibili esse. Quia est de vitando peccato, quod si vitari non possit, peccatum non esset.

3. Pro resolutione aduerte multipliciter hoc votum non peccandi fieri posse. Primò; si votum fiat non peccandi mortaliter. Secundò; si fiat, non peccandi mortaliter, nec venialiter. Tertiò; si votum fiat, non peccandi absolutè. Quartò; si fiat, non peccandi venialiter in hac materia determinata, vel in hoc genere peccatorum?

4. Si votum fiat non peccandi mortaliter; validum est, vtpote de re possibili non vitibus naturæ, sed gratiæ, quæ omnibus ea vti volentibus, diuinámque misericordiam implorantibus patata est. Quæ ratio probat, hoc votum validum esse; tametsi fiat ab homine fragili, & peccatis debito, & periculum transgressionis habente. Nam hoc periculum cum non proueniat ex voto, sed ex praua dispositione vouentis, quam diuina gratia superare vouens potest, & tenetur; voti' obligationem non impedit. Sic Nauar. *sum.c.12. num.65.* Sotus lib.7. de iustitia *quæst.1.art.3.* Lessius *c.40.dub.7. num.31.* Sanchez *lib.4.c.5.num.16.* Suar.tom.2.de Religione *lib.2.de voto c.3. num.2.* Azor.*lib.11.c.13.q.4.* Verum etsi tale votum validum sit; at consulendum non est frequenter ob periculum transgressionis; rarus enim est præcipuè ex his, qui in sæculo vitam degunt, qui peccato mortali toto vitæ tempore abstineat. Sic Nauarrus, Sotus, Suarez, Sanch. *locis allegatis.*

5. Si verò votum fiat, non peccandi mortaliter nec venialiter, seu non peccandi, alicui videbitur validum esse, etiam, secundum votum, quod includit. Quia lex diuina obligat, vitare omnia peccata mortalia, & venialia: aliàs non peccares si propositum haberes peccandi aliquando venialiter. Sed ad id, ad quod lex diuina obligat, obligare per votum potes, vtpote ad rem perfectam, & possibilem. Ergo potes te obligare, non solum ad vitanda peccata mortalia, sed etiam venialia. Nihilominus tenenda est communis sententia, tale votum quoad collectionem omnium peccatorum inualidum esse. Sic docuit Sotus dicto lib.7.de iustitia *q.1.art.3.* vers.*vtrum verò votum*, Valent.2.2.*disp.6.q.6.punct.2.* vers.*si autem quærat.* Sanch.*lib. 4.summæ cap.5.num.10.* Lessius *lib.2. c. 40. dub.7. num.31.* Suar.*lib.2. de voto c.3.num.5.* Ratio ea est; quia etsi vitare omnia peccata mortalia, & venialia sit tibi (speculatiue loquendo) physicè possibile; at moraliter & spectato communi rerum cursu, & auxiliis à Deo concessis impossibile est, vt experientia demonstrat. Sed ad ea, quæ sic sunt impossibilia, lex humana positiua obligare non potest. Ergo neque votum. Neque obstat legem diuinam naturalem ad vitanda omnia illa peccata obligare, vt manifestè probat ratio dubitandi; Vt inde inferas, te per votum obligare posse. Quia illa obligatio est velut proprietas rationalis naturæ; ac proinde non mirum si solam potentiam physicam spectet. Quia rationali naturæ, qua talis est, accidentaria est moralis impossibilitas proueniens ex appetitu rationi non subiecto. At obligatio voti, & cuius vis legis positiuæ cum subsequatur hanc moralem impossibilitatem, illam spectat; ac proinde cum illa compati non potest.

6. Maior dubitatio est: an tale votum obliget ad partem, saltem ad vitanda peccata mortalia? Affirmat vt magis probabile Suar. *li.2.de voto c.3.num.16.* Mouetur: quia quo ad illam partem possibile est tale votum; & cum sit pars omnino distincta, & separabilis ab alia parte non peccandi venialiter; credendum est; ex huius coniunctione aliam non vitiari. Item quia illud votum nunquam peccandi mortaliter, nec venialiter; æquiualet duplici voto, alteri non peccandi mortaliter, alteri

non

non peccandi venialiter. At si hæc duo vota separatim fierent, valeret vtique votum non peccandi mortaliter, tametsi votum non peccandi venialiter irritum sit & nullum. Ergo similiter votum peccandi, valebit qua parte peccata mortaria respicit; tametsi non valeat, quâ parte venialia peccata spectat. Quia vtile per inutile vitiari non debet. *Regulæ iuris* 37. *de regul. iuris in* 6. Præterea interpretatio facienda est pro valore actus, *cap. Abbate de verborum significatione leg. quoties, ff. de reb. dubiis.* Si autem huic voto obligationem ad vitanda mortalia concedamus; esto negamus illi obligationem vitandi venialia, votum tenet. Ergo tale votum sic est interpretandum.

7. Contrarium defendit aliis relatis Sanch. *lib.* 4. *de voto c.* 5. *n.* 10. Et moueri potest ea ratione. Quia sic vouens per modum vnius collectionem omnium peccatorum vitare intendit. Ergo constituta impossibilitate aliquot peccata vitandi, votum non videtur ex vlla parte tenere. Quia comparatione vouentis non habet partes, cum omnes per modum vnius Deo offerantur. Et confirmo; si illud votum qua parte respicit vitationem peccatorum mortalium subsistere debet. Quia hæc vitatio & possibilis est; & separari potest à vitatione venialium. Cum autem in ipsis peccatis venialibus plura sint, quæ vitari possunt & ab aliis sint separabilia; efficitur sana votum quoad illa tenere. Hoc autem esse non potest. Tum quia non est maior ratio de illis peccatis quam de aliis; cum quodlibet in particulari sumptum vitabile sit. Tum denique quia omnia illa per modum vnius offeruntur vitari.

8. Cæterum in hac re dicendum est si expressam voluntatem habuisti, non te obligandi vitare mortalia nisi simul obligatus maneres omnia venialia vitare, votum non tenet. Quia non purgatur conditio, sub qua obligationem intendebas suscipere. Sed rarò quis hanc voluntatem habet potiùs enim intendit, se obligare quantum obligari potest. Qui enim amore virtutis & reuerentiæ Deo debitæ promittit, non peccaturum, offert Deo vitate omnes, & singulas eius offensas, & peccata quæ per se, & ex natura rei ab aliis separantur, censendus est offerre vitare. Ergo vouens non peccaturum censendus est obligatus ad non peccandum mortaliter; quia & peccatum mortale à veniali separatur, & obligatio vitandi mortalia ab obligatione vitandi venialia frequenter seiungitur.

9. Neque fundamentum adductum pro sententia Sanchez obstat huic doctrinæ. Illud namque verum est; quoties vouens expressam intentionem habuerit non se obligandi ad partem, quin ad totum obligetur. Quod non est credendum: Quia est alienum ab vsu & stylo, quo solent homines similia vota emittere. Confirmatio verò magis vrget, cuius sequelam Suarez *l. de voto c.* 3. *fine*, concedit, & ad impugnationem respondet; esto in peccatis venialibus non sit maior ratio horum quam illorum vt ex vi voti vitandi venialia, teneatur vouens hæc potius, quam illa vitare. Quia tamen prudentis arbitrio hæc determinatio fieri potest, obligat votum illa parte quæ fuerit determinata. Quod exemplo illius, qui vouet totam quadragesimam ieiunare, confirmat; cum tamen solam partem possit. Qui certè ad partem tenetur & cum non sit maior ratio vnius, quam alterius; ad illam partem tenetur, quam prudens arbitrium determinauerit. At mihi verius apparet, sequelam negandam esse. Est enim longè diuersa ratio in peccatis mortalibus, ac in venialibus. Nam peccata mortalia collectiuè, & diuisiuè vitari possunt, & obligatio vitandi illa, separabilis est, & de facto separatur frequenter ab obligatione, vitandi venialia; neque in vna obligatione est eadem ratio, ac in alia. Secus verò contingit in obligatione vitandi venialia, quæ cum suscipi non possit comparatione omnium, & ex voti nulla determinentur, obligatio non subsistit. Neque præstat; quod prudens arbitrium possit illa determinare, vt in exemplo ieiunij quadragesimalis dictum est, si ex vi voti, & natura illius determinata non sunt. Nam ieiunium quadragesimale ex se & natura sua possibile est, & ex vi voti totius quadragesimæ ieiunium determinatur; ac proinde votum illius validum est ex se: Quod autem in hoc indiuiduo totum possibile non sit, sed solum pars; id est per accidens; eaque de causa non impedit voti valorem absolutè; sed solum facit, vt ex prudentis arbitrio determinatio, quam votum habet ex se, temperetur. E contra est in voto nunquam peccandi venialiter; quod ex se & natura sua neque ad omnia peccata venialia, neque ad aliqua determinatum est.

10. Hinc decidenda est illa grauis difficultas; an votum de re partim possibili, & partim impossibili valeat quoad partem possibilem; Et dicendum est; non valere, si vouens expressam voluntatem habuit, non se obligandi ad partem possibilem, quin ad totum maneret obligatus. Quia votum est lex quam sibi vouens imponit, & vltra illius intentionem extendenda non est. Sic Lessius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 7. *num.* 31. Suar. lib. 2. de voto *c.* 2. *à n.* 7. *&* 12. Verum si de hac expressa voluntate non constat; spectanda est materia promissa, quæ si partes habeat separabiles, & obligationes partis, possibilis ab alia comparte impossibili non pendeat spectato communi stylo, & vsu vouendi, votum quoad illam partem possibilem tenet; esto nullum sit quoad partem impossibilem. Secus verò si partes inter se copulentur. Sic Suarez & Lessius *supra*. Ratio est: quia quisque præsumi debet vouere intentione accommodata obiecto. Exempla voti habentis partes separabiles sunt; si mulier quæ viuente marito & absque eius consensu vouit castitatem. Nam obligata manet, ad non petendum; tametsi ad non reddendum obligari non potuerit, vt colligitur. *Ex cap. quidam & c. placet de conuersatione coniugat.* Item vouens tota quadragesima ieiunare; cum tamen solam partem possit; obligatur ad partem. Et vouens graues pœnitentias, & afflictiones carnis subire, obligatur ad ea, quæ prudentis arbitrio commode præstare possit. Item si vouens mille aureos, te in eleemosynam daturum, nec possis nisi centum; teneris ad centum. Quia centum promisisti, impossibilitas namque vnius partis non impedit obligationem partis possibilis per se distinctæ & separabilis. Idem est, si modus, sub quo obiectum voti est promissum, impossibilis esset, ob illius namque impossibilitatem valor voti non impeditur. Quia impossibilitas accessorij non cedit in principale. Qua de causa si vouens ire Romam genibus flexis, nudo capite, cilicio indutus vel alia conditione impossibili obligatus esses Romam ire reiecta illa conditione impossibili. Et promittens ieiunare pane & aqua, si non potes in pane & aqua debet seruare formam Ecclesiastici ieiunij. Sed hoc intelligendum est, vt bene aduertit Suar. *dicto lib.* 2. *de voto c.* 2. *num.* 11. Casu quo modus ille impossibilis potiùs grauaret, quam leuaret difficultatem obiecti principalis promissi. Nam eo casu tota difficultas, quæ in obiecto promisso amatur, & insuper amatur difficultas modi, qui vt possibilis apprehenditur. At si modus, sub quo obiectum promittitur difficultatem illius notabiliter minuit, si modus impossibilis est, cessat obiecti promissi obligatio. Quia esto obiectum separabile sit ab illo modo, at non est censendum ex intentione vouentis separari. Quia non est censendus, ad obiectum ita difficile se velle obligare. Exemplo peregrinationis Romanæ Suarez manifestat. Qui enim promitteret ire Romam equitando, credens possibilitatem habere eundi tali modo, si postea contingat, illum modum esse impossibilem, cessat obligatio peregrinationis. Nam peregrinatio pedestris notabiliter difficilior est equestri peregrinatione. Non igitur est censendus illam vouere. Exemplum voti habentis partes inseparabiles est, si voueas monasterium ædificare, & paupertate superueniente non possis nisi partem, non teneris ad partem. Quia per modum vnius censendus es, ædificationem monasterij promisisse. Suar. *lib.* 2. *de voto c.* 2. *num* 5. Sanch. *li.* 4. *num.* 10. *num.* 7. Paul. Laym. *li.* 4. *tr.* 4. *c.* 2. *num.* 3. Et generaliter quoties votum quoad partem principalem promissam implere nequis, non obligaris ad accessorium. Quia principali corruente accessorium cessat. Hac ratione (inquit Paulus Laym.) Si vouisti ieiunare in vigilia Natiuitatis Virginis, & non potes, non teneris à carnibus abstinere. Quia abstinentiam à carnibus non vouisti per se, sed quatenus constituit Ecclesiasticum ieiunium, à quo cum excuseris, censeris à carnium abstinentia excusatus. Item si à carnibus abstinere non possis, non teneris abstinere à repetita comestione. Præterea si ob lucrandum iubilæum vouisti confessionem, non teneris confiteri, si lucrari iubilæum non possis. Deinde si vouisti peregrinationem cilicio indutus, non teneris induere cilicium, si peregrinari non potes. Quia hæc omnia sunt accessoria.

11. Denique votum esse potest, de vitando aliquo genere peccatorum venialium. Et quidem regulariter hoc votum validum esse; sed nequaquam ob periculum consulendum communis est sententia, vt aliis relatis docent Azor. *li.* 11. *c.* 13. *q.* 4. Lessius *li.* 2. *c.* 40. *dub.* 7. *num.* 31. Suar. *lib.* 2. *de voto c.* 3. *n.* 4. Sanch. *li.* 4. *c.* 5. *num.* 18 Ratio est clara: Quia spectato communi ordine gratiæ potest quis vnum vel alterum genus peccatorum venialem vitare, præcipuè si sint peccata ex plena aduertentia & deliberatione. Notantur dixi regulariter. Quia sunt aliqua genera peccatorum venialium, quæ longo tempore vitari vix est moraliter possibile, qualia (inquit Sanchez supra) sunt, quæ committuntur in cogitationibus luxuriæ, infidelitatis, iudicij temerarij, vel in cibo & potu sumendis, & verbis otiosis; attenta enim humana fragilitate vix hæc vitari possunt; præueniunt namque plenam aduertentiam, & deliberationem; eaque de causa si per se sumantur materia voti esse non possunt; bene tamen in consequentiam & quatenus in materia absolutè promissa comprehenduntur. Consentit Suarez *d. lib.* 2. *de voto c.* 3. *num* 11. *&* 12.

12. Sed quid dicendum de voto, quo promitteres quantum in te est, omnia peccata venialia vitare? Affirmat Sanch. *lib.* 4. *de voto c.* 5. *num* 13. Lessius *li.* 2. *c.* 40. *dub.* 7. *num.* 31. *in princ.* Validum esse; quia talis promissio habet obiectum possibile, conuenitque cum proposito vitandi omnia peccata venialia, quantum cum diuina gratia, & humana fragilitate id fieri possit, quod propositum passim habent viri timorati; obligatque specialem curam, & diligentiam adhibere. Cæterum verius

credo

etedo tale votum nullum esse. Quia est de obiecto humana ratione incognoscibili. Quis enim cognoscet quando debitam diligentiam adhibet præcipuè in peccatis, quæ ex surreptione contingunt, quæque præueniunt plenam aduertentiam & consideratione? At votum, cum obligationem inducat, debet esse de re certa & determinata, & vouenti cognoscibili. Secùs verò est in proposito, quod, quia obligatorium non est, eam distinctionem non postulat.

13. E contra est votum fatendi omnia venialia. Quod quidem validum est. Quia est de materia possibili & determinata. Non enim intelligitur factum de fatendis omnibus venialibus absolutè, sed de fatendis iis, quæ facta mediocri diligentia memoriæ occurrerint. Quod possibile est, cognitu facile. Sicuti præceptum Ecclesiasticum de fatendis mortalibus non obligat fateri omnia, sed ea, quæ facta diligentia competenti, memoriæ occurrerint, aliàs esset præceptum impossibile. Sic Sotus 4. *distinct.* 18. *q.* 1. *art.* 3. *ante quintam conclusionem* Azor. 1. *p. lib.* 11. *c.* 23. *q.* 4. *in fine.* Sanch. *lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 20. Si verò post factam confessionem aliqua oblita memoriæ occurrerint, in sequentem confessionem reseruanda sunt, obligatus es ea fateri statim, esto sacram Eucharistiam sis susceptorus. Quia illius susceptionem non impediunt, & votum intelligitur factum de fatendis venialibus quæ tempore confessionis memoriæ occurrerint. Sic Sanchez *loco allegato.*

14. Inquires; quale peccatum sit promittere Deo rem impossibilem? Respondeo, per se solum culpam venialem esse, quæ in eo consistit, vt promissionem simules, si impossibilitatem rei promissæ cognoscas. Non enim ex animo promittere potes, quod esse impossibile cognoscis. Si tamen rei promissæ impossibilitatem ignoras culpabiliter, & ex illa ignorantia promittas impossibile, adhuc non videtur talis promissio bona intentione facta culpam venialem excedere. Quia nec cedit in grauem Dei offensam, neque in proximorum damnum aut scandalum. Sic expresè Suar. *lib.* 5. *de voto c.* 2. *n.* 3.

§. II.

Qualiter votum debeat esse de re bona & honesta.

SVMMARIVM.

1 *Certum est votum de re bona, & honesta debere esse.*
2 *Non potest esse de re indifferente dum indifferens est.*
3 *Debet adesse honestas voti tempore, quo votum emittis.*

1. REgula est ab omnibus recepta, votum debere esse necessariò de re bona & honesta. Quia debet esse de re grata Deo, cui votum fit. Alias illam non acceptabit. Deo autem gratum esse non potest, quod non fuit bonum, & honestum. Quia cedere non potest in eius cultum & obsequium. Ergo.

Hinc fit nullum actum indifferentem dum in ea indifferentia persistit voti materiam esse. Quia actus indifferens ad minùs honestus non est, & consequenter incapax diuini cultus & obsequij. Sic D. Thomas ab omnibus receptus 2. 2. *q.* 88. *art.* Notanter dixi si in ea indifferentia persistit. Nam si ob aliquam circumstantiam ea amittit, & honestus redditur, apta voti materia erit. Exemplo res declaratur. Non ingredi hanc domum, indifferens est ex se; at si talis ingressus sit tibi occasio peccandi bonum & honestum est non ingredi; ac proinde materia voti esse tunc potest. Item non ludere cum Petro, relicta facultate ludendi cum aliis, indifferens est, & incapax voti; at si Petrus tibi sit occasio rigandi, vel iurandi, optimè potes te voto obstringere ad eius consortium vitandum. Sic Caietanus 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. *dub.* 5. & *in sum.* verbo *votum c.* 2. *fine.* Sotus lib. 7. de iustitia *q.* 1. *ad tertiam circa* 2. *concluf.* Nauar. *sum. c.* 12. *n.* 28. *& sequenti.* Azor. *lib.* 11. *c.* 13. *q.* 5. Val. 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 2. *diffic.* 3. Toletus *lib.* 4. *sum. c.* 17. *n.* 17. Sanch. *lib.* 4. *sum. c.* 7. *à n.* 2. *&* 5. Suar. *tom.* 2. *de Relig, lib.* 2. *c.* 4. *à n.* 5. Lessius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 7. *n.* 40.

Aduertendum tamen est; vt res indifferens fiat honesta, non sufficere, vt ad honestum finem illam referas nisi ipsa illi fini consequendo apta & conueniens iudicetur. Quia tua extrinseca relatio rem non immutat. Hac enim ratione votum fœminæ non nendi die sabbathi in honorem Virginis relicta facultate aliis operibus seruilibus vacandi nullum est. Quia non cedit specialiter in cultum Virginis. Qui enim cultus est, quod ab hoc opere abstineas, si aliis insernias? Excipe tamen nisi te hoc opus potiùs, quam aliud impediret diuinis vacare, & vt ad hunc effectum expeditus esses, voueres ab illo opere abstinentiam. Quia tunc valeret votum abstinendi ab illo opere ob illum finem. Quia illi fini bono & honesto consequendo apta & conueniens est illius operis abstinentia. Sanch. *d. lib.* 4. *cap.* 7. *num* 6. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *c.* 2. *num.* 8. Idem est de voto non edendi capita animalium ob cultum & honorem Ioannis Baptistæ. Idem de non edendis carnibus igni assis ob honorem S. Laurent. Non enim abstinentia hæc cedit in cultum & honorem horum sanctorum facultate relicta edendi aliis cibis. Sic Nau. *c.* 12. *n.* 37. Azor. *dicta q.* 5. Sanch. *d. l.* 4. *c.* 7. *à n.* 6. *& sequent.* Excipe nisi specialiter ad supradicta edenda potiùs quam ad alia affectus esses, & vt te hac voluptate priuares, votum emitteres. Quia tunc illa abstinentia ad virtutem pœnitentiæ pertinet. Sanch. *d. c.* 7. *n.* 8. *fine.* Laym. *suprà.* Idem est si in honorem alicuius sancti voueas taurorum agitationem, aliósve similes ludos publicos, non tenet votum. Quia solum ex tua relatione & non ex se videntur sanctorum honori ij publici ludi conferre. Sic Sanch. *d. c.* 7. *n.* 13. Suar. *lib.* 2. *de voto c.* 4. *n.* 7.

E contra contingit in voto abstinendi ab hoc opere seruili die festo, vel non fornicandi cum hac fœmina, vel non furandi à Petro. Quia horum abstinentia cum sit res præcepta bonum est; ac proinde capax obligationis voti; tametsi alias occasiones æquè efficaces habeas illorum præceptorum transgressionis. quia cuiuslibet occasionis peccandi præcisio est bonum, & honestum, & voti materia Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *c.* 4. *n.* Sanchez *cap.* 7. *n.* 17.

3. Deinde aduerto, honestatem in obiecto promisso debere adesse tempore, quo votum emittis. Nam si illo tempore non est, votum non obligat, neque obligabit; esto successu temporis honestatem habeat. Sic Lessius *lib.* 2. *de iustitia c* 40. *n.* 41. Sanch. *lib.* 4. *c.* 7. *n.* 19. Ratio est manifesta: quia tempore quo votum est, debet habere obiectum obligationis capax quod esse non potest sine honestate. Capacitas autem postea succedens impertinens est; cum eo tempore non emittatur votum, neque à voto antea facto fuerit spectata. Sed quid si promiseris nunquam in aliquam domum ingressurum ob periculum peccandi cum fœmina, quam ibi adesse credebas cum tamen non adsit? Respondeo; si postea successu temporis ibi habitat, obligatus eris illuc non ingredi. quia illud votum à principio validum fuit, & obligatorium quia fuit votum abstinendi ab illa domo, quoties adfuerit ibi occasio peccandi. Sanch. *l.* 4. *c.* 7. *n.* 19.

§. III.

Qualiter votum de re honesta ob finem malum vel indifferentem validum.

SVMMARIVM.

1 *Si finis rei promissæ malus sit, votum non tenet, secùs si sit finis ipsius vouentis.*
2 *Item dicendum de fine indifferente.*
3 *Quid dicendum de voto eleemosynæ faciendæ si ex bello iniusto incolumis euadas? Aliqui sentiunt valere, probabilius est oppositum.*
4 *Non videtur idem dicendum de voto in gratiarum actionem emisso pro victoria iniustè parta,*
5 *Quid de voto priori voto seu præcepto contrario.*
6 *Valet votum ob finem temporalem assequendum.*
7 *Vouere ob finem turpem, qui solius voti, & non rei promissæ finis sit, esse veniale contra religionem.*
8 *Si res promissa turpis mortaliter sit, vel ob finem mortaliter turpem promittatur mortale est.*
9 *Si res promissa turpis venialiter sit, vel ob finem venialiter turpem promittatur mortale est secundum veriorem sententiam.*
10 *Secùs est dicendum de promissione rei indifferentis.*

1. DVplex finis in voto spectari potest: alius, qui sit rei promissæ per votum, id est qui executione rei promissæ obtineri intenditur; alius, qui est finis ipsius vouentis, quoque ad vouendum excitat, & actu vouendi obtineri procuratur. Si finis rei promissæ per votum malus sit, votum inualidum est. Secùs si sit finis ipsius vouentis. Sic Caietanus 2. 2. *q.* 88 *art.* 2. *dub.* 4. *&* 5. *& in summa* verbo *votum c.* 2. *in fin.* Nau. *sum. c.* 12. *n.* 30. *& sequent.* Sotus *lib.* 7. *de iustitia q.* 1. *art.* 3. *dub.* 1. *circa quintam conclusionem.* Suar. tom. 2. de Religione *lib.* 2. *de voto c.* 4. *n.* 3. *&* 4. Sanch. *l.* 4 *sum. c.* 6. *n.* 13. Lessius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 7. *n.* 15. Azor. 2. *p. lib.* 11. *c.* 13. *q.* 3. Valent. 2. 2. *disp.* 6 *punct.* 2. *diffic.* 2. Toletus *lib.* 4. *sum. c.* 17. *n.* 16. *& alij apud ipsos.* Ratio prioris partis est; quia quando rei promissæ finis malus est; absolutè malum & inhonestum est, quod promittitur. Nam sic promittens non se obligare intendit ad illam rem secundum se, sed quatenus medium est ad talem finem prauum obtinendum. At hoc modo sumpta res honesta mala redditur. Ergo votum illius validum esse non potest Hinc est si voueas eleemosynam aut religionem aut aliud opus bonum vt medio illo obtineas victoriam iniustam, fornicationem

vanam

vanam gloriã & cætera. Votum malum eſt. Nam eſto eleemoſyna, & religio bona ſint. At non ſunt bona, ſed mala quatenus ſub tuam intentionem cadunt. Quia ea intendis vt medium finis prauis obtinendi. Secunda pars concluſionis: nempe validum eſſe votum eſto finis promiſſionis malus ſit, ſic probatur: Obligatio voti ſicut & Iuramenti non ex honeſtate ipſius actus in diuiduo deſumitur (alias votum & Iuramentum inconſideratè emiſſum nullam induceret obligationem, quod eſt abſurdum (ſed deſumitur ex honeſtate obiecti promiſſi; acceptat enim Deum promiſſum: Quia bonum eſt, & ille gratum, tametſi malè promittatur; ac proinde ille actus etſi actus religionis, & voti ex ſpecie & obiecto, quod ſufficit ad obligationem inducendam eſto in indiuiduo malus ſit.

2. Idem quod dictum eſt de fine praua, dicendum eſt de voto ob finem indifferentem. Quia finis indifferens vanus eſt & conſequenter opus, ob illum finem conſequendum, cedere non poteſt in cultum & honorem Dei; ac proinde non poteſt eſſe materia voti. Sic Sanchez *lib. 4. de voto cap. 7. n. 25.* Suar. *lib. 2. de voto cap. 4. num. 5.* Paulus Layman. *lib 4. ſum. tract. 4. cap. 2. n. 10.*

Sunt tamen aliqua vota, de quibus non conſtat an finem honeſtum, vel turpem habeant.

3. Primò eſt votum eleemoſynæ faciendæ ſi ex bello iniuſto, quod aggredi determinatus es, incolumis & ſaluus euadas; & idem eſt, ſi ex concubina, quam prætendis cognoſcere, filius naſcatur? Suppono hæc non præciſè vt conditionem ſpectari nam eo caſu certi iuris eſt, votum tenere; ſed ſpectari vt finem conſequendum à Deo promiſſione eleemoſynæ, & ipſius executione.

Communior ſententia affirmat, votum validum. Sic aliis relatis Sanchez *lib. 4. Decal. c. 6. n. 13.* Suar. *lib. 2. cap. 5. n. 14. & 16.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 7. num. 38.* Layman. *lib. 4. ſummæ tract. 4. c. 2. n. 7.* Mouentur: Quia res promiſſa in hoc voto bona eſt, & finis, ſub quo promittitur, etiam eſt bonus. Bonum namque eſt, & petitione dignum, incolumem & ſaluum euadere poſito bello iniuſto; & bonum eſt, prolem habere ex ſuppoſitione illiciti concubitus. Et licet in re hi fines ſupponant actus illicitos, & iniuſtos; at in intentione vouentis non videntur ſupponi, ſed præſcindi, & ſeparari.

Sed veriùs videtur tale votum nullum eſſe. quia ea eleemoſyna oblata non intendis incolumitatem abſolutè obtinere, ſed bello iniuſto, & filium ex illicito concubitu. Ergo votum pro his impetrandis habet finem turpem. Siquidem in incolumitate optata imbibis bellum iniuſtum, & in filio illicitum concubitum. Et conſimo, filius, quem optas impetrare, eſt medio illicito concubitu. Ergo intentio, obtinendi talem filium, ſeparari non poteſt ab intentione illiciti concubitus. Et idem eſt de incolumitate orta ex bello iniuſto. Nam licet iniuſtum bello non ſit medium ad incolumitatem, eſt tamen medium ad illam incolumitatem quam deſideras. Quia deſideras incolumitatem, quæ terminus ſit belli iniuſti. Simile quippiam de voto facto à ludente ludo illicito ſi in ludo vicerit, & lucrum reportauerit, & à meretrice ſi abuſu ſui corporis magnam pecuniam obtinuerit. Hæc omnia vota irrita ſunt, & blaſphema vtpotè pro impetratione turpi. Conſentit Sanch. *lib. 4 ſum. c. 6. n. 16 & 21.*

4. Secundò eſt votum emiſſum in gratiarum actionem pro victoria iniuſta iam parta, vel pro filio ex concubina procreato? Communior ſententia defendit, hoc votum inualidum eſſe, & blaſphemum. Quia eo indicas, Deum auctorem fuiſſe iniuſtitiæ, & turpitudinis. Si enim per votum excitare Deum non potes vt victoriam iniuſtam concedat, & filium donet ex illicito concubitu, quia horum auctor non eſt, quomodo poteris pro his gratias illi referre? Ergo qua ratione vnum votum eſt irritum, etiam & aliud. Et ita æquè de vtroque voto loquuntur. Sanchez lib. 4. de voto *c. 6. n. 13. & 15.* Leſſius *c. 40. dub. 7. n. 37.* Layman. *lib. 4 ſum. tract. de voto c. 7. n. 2.*

Cæterum veriùs videtur, hoc votum per ſe validum eſſe. Sic expreſsè Suarez *to. 2. de Religione lib. 2. de voto. c. 5. n. 19.* Ratio ea eſt. Quia non eſt cenſendus agere gratias pro victoria iniuſta ea parte, qua iniuſta fuit; & à ſe proceſſit; ſed pro illa victoria quatenus à Deo proceſſit. Secundum hanc rationem bonum qui eſt, & honeſtum. Ergo in eius laudem votum offerri poteſt. Neque obſtat ante partam iniuſtam victoriam te non poſſe votum offerre Deo pro illa obtinenda; tametſi non videatis illud offerre pro ea parte, qua iniuſta eſt, & à te procedit; ſed pro ea parte, qua à Deo proceſſura eſt. Quia eſt longè diuerſa ratio. Nam eo ipſo quo offers votum, ad impetrandum auxilium à Deo ad iniuſtam victoriam, intendis Deum habere cooperatorem, & adiutorem tuæ iniuſtitiæ, & iniquitatis. Quod eſt Deo iniuriosum. At iniuſtitia, & iniquitate iam facta optimè potes auxilium Deo ab ea præſcindere, & pro illo gratias agere & votum offerre; & à fortiori potes præſcindere ab iniquitate effectum victoriæ, ſcilicet incolumitatem, honorem recuperatum, & in gratiarum actionem horum bonorum votum Deo offerre.

5. Tertiò eſt votum priori voto, præcepto, & promiſſioni contrarium; an inquam tale votum materiam honeſtam habeat;

Breuiter reſpondeo, vt in ſimili dixi de Iuramento. Ex ſola contrarietate in actu vouendi non impediri voti valorem; ſi alias habeat materiam aptam. Exemplo rem declaro. Promittis Deo (ne temerè & inconſideratè voueas) nullum votum emiſſurum abſque confeſſarij conſilio; vel tibi hoc à ſuperiore præceptum eſt; & abſque conſilio confeſſarij votum emittis validum eſt votum; ſi alioquin habet materiam proportionatam. Quia contrarietas priori voto, vel præcepto, ſolum efficit, vt actus vouendi malus ſit, & peccatum; non tamen impedit illius obligationem, quæ ex honeſtate materiæ promiſſæ, & acceptatione Dei naſcitur. Sic Sylueſt. verbo *votum 2. q. 7.* Azor. *1. p. lib. 11. c. 13. q. 6.* Sanch. *l. 4. ſum. c. 8. n. 14.* Layman. *l. 4. ſum. tract. 4. de voto c. 2. n. 5. q. 3.* Suarez *l. c. 11. num. 5.* At ſi materia ſecundi voti contraria ſit priori voto, nequaquam validum eſſe poteſt. Quia eſſet de re iniqua, vtpotè de voti validi violatione. Quod ſi dicas; ſecundum votum poteſt eſſe de re meliori vel æquali. Reſpondeo eo caſu non eſſe contraria priori. Nam votum obligat ad rem promiſſam ſeruandam, dum meliorem & Deo gratiorem vel ſaltem æqualem non ſubrogas. At ſubrogata re meliori per ſecundum votum priùs votum ceſſabit, & ſecundum obligabit. Suar. *to. 2 de Relig. lib. 2. de voto c. 4. n. 10.* Si verò voti materia contraria ſit promiſſioni homini facta nullum alteri debita. Suar. *loco allegato n. 12.* Hinc à fortiori conſtat, ſi voti materia aduerſetur præcepto ſuperioris inualidum eſſe tale votum. Quia non admittit Deus voluntariam obligationem contrariam obligationi quam ipſe imponit.

6. Quartò eſt votum ob finem temporalem conſequendum; an inquam tale votum validum ſit? Verbi gratia voues eleemoſynam, ſi impetres à Deo diues matrimonium, filios ex illo, officium honorificum in Republica, valet-ne tale votum? Ratio dubitandi eſt: quia votum cuius materia promiſſa indifferentem finem habet, nullum eſt, vt diximus. At horum bonorum conſecutio ſi in ea præciſè ſiſtitur, videtur bonum indifferens. Ergo votum pro his bonis conſequendis nullum eſt. quia eo ipſo, quo per votum intendantur conſequi, non ſolum votum, ſed res per votum promiſſa, ad ea conſequenda dirigitur. Si quidem non tam promiſſione, quam rei promiſſæ executione intendis excitare Deum, vt beneficium petitum concedat. Ergo votum ob talem finem nullum eſt.

Cæterum tenendum eſt validum eſſe tale votum. Quia eius finis non indifferens, ſed honeſtiſſimus eſt. Conſecutio namque horum beneficiorum imbibit illorum diuinam donationem. Si igitur hanc habet pro fine, quid honeſtius? Alias nulla eſſent vota illorum, qui infirmitate vel alio periculo conſtituti pro incolumitate obtinenda vouerent caſtitatem vel Religionem. quod eſt contra communem ſenſum. Sic expreſsè. Layman. *l. 4. ſum. tract. de voto c 2. n. 10.* Videtur fauere Sanchez *l. 4 c. 7. n. 25.* Illud tamen votum cenſerem finem indifferentem habere, quo voueres ieiunium vt ſumptibus parceres, vel voueres eleemoſynam vt auaritiæ opinionem tolleres. quia in hoc fine non inuoluis aliquam actionem, quæ honeſtatem habeat. Sic Sanch. *d. c. 7. num. 25.*

7. Sed inquires quale peccatum ſit vouere rem turpem, vel indifferentem, vel ob talem finem vouere;

Omiſſis variis placitis dicendum eſt, Primò, ſi finis ſit ſolius voti, & non materiæ per votum promiſſæ, vltra peccatum, quod fuerit in deſiderio illius finis, peccatum veniale tantum committi aduerſus votum, & religionem. Sic Suar. tom. 2. de Relig. *lib. 5. de voto c. 1. n. 8. & 9.* Et quidem eſſe peccatum aduerſus religionem conſtat. Quia aſſumere votum ob Dei offenſam, quod ex genere ſuo ad illius cultum ordinatur abuſus eſt religionis. Quod verò hic abuſus præter malitiam prouenientem ex fine ſolum ſit peccatum veniale contra religionem inde probatur. Quia hæc malitia in eo ſita eſt, vt modum debitum vouendi inficias; & cum hæc infectio ex fine extrinſeco proueniat, neque in voti materiam redundet; illiúſve obligationem minuat, efficitur per ſe in materia religionis culpam venialem non excedere.

8. Secundò dicendum eſt; ſi res promiſſa turpis mortaliter ſit, vel ob finem mortaliter turpem promittatur, quod idem eſt, omnes ſentiunt peccatum eſſe mortale aduerſus religionem, præter malitiam praui deſiderij. Nam vel ſic promittens rem promiſſam offert Deo vt illi gratam vel vt ingratam? Si vt gratam; quæ maior iniuria, & blaſphemia excogitari poteſt, quam facto ipſo teſtari rem turpem & inhoneſtam ſummæ bonitati placere? Si autem illam offerat vt ingratam, non offert, ſed minatur, minari autem Deo graue malum, graue peccatum.

Quod verum eſſe credo, eſto ſolum verbo tenus abſque animo implendi vel promittendi promiſſionem facere. Nam illa exterior promiſſio, ſeu potiùs comminatio blaſphema eſt, & Deo grauiter iniuriosa. Verba enim blaſphemiæ non petunt voluntatem inferendi Deo malum, ſufficit, ſi ex ſe hanc voluntatem indicent, & vt ſic proferantur. Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 5. de voto c. 2. n. 7.*

9. Tertiò dicendum eſt ; peccatum mortale eſſe, ſi res promiſſa turpis venialiter ſit, vel ob finem turpiter venialem promittatur ; eſto plures Doctores ſentiant, ſolum eſſe culpam venialem. Sic Leſſius *lib.2.cap.40. dub.7. num.39.* Suar. tom.2. de Relig. *l.3. de voto c.2. à num.9.* Ratio eſt eadem ac in præcedenti concluſione. Nam quæcumque res turpis quantumuis minima oblata Deo tanquam cedens in eius cultum grauiſſimè eius ſummam bonitatem offendit. Si autem tanquam illi malum, & ingratum offeratur, vel potiùs comminetur, blaſphemiam continet, attribuendo Deo, quod illi conuenire non poteſt.

Aduertendum tamen eſt frequenter has promiſſiones iniquas, etſi ſub nomine voti fiant, non eſſe promiſſiones, nec comminationes Deo factas; ſed eſſe Iuramenta, quibus in malo propoſito te firmare intendis. Vt ſi dicas voueo Deo, me vindicaturum; præſtat enim hunc ſenſum, iuro Deo me vindicaturum; & tunc eſt graue vel veniale peccatum pro grauitate, vel leuitate materiæ, vt ſup tractat. diximus. Sic Leſſius & Suarez *locis citatis.* Layman. *lib.4.tract.4.de voto c.2.n.6.*

10. Quartò dicendum videtur, proceſſionem rei indifferentis vel ob finem indifferentem ſolum eſſe culpam venialem. Quia licet ex vi, & modo promiſſionis res indifferens vt grata Deo offeratur ; cum tamen grata non ſit, quia tamen poſitiuè ingrata non eſt, nec contumelioſa, non videtur culpam excedere venialem. Suar. tom 2. de Relig. *lib.5.c.2.n.14.*

Quintò dicendum eſt ; executionem ſupradictorum votorum eamdem malitiam continere, ac continet illorum omiſſio. Nam executio ex obligatione voti, eſt voti facti approbatio. Sic relati Doctores.

§. IV.

An votum poſſit eſſe de rebus præceptis.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur dubitandi ratio.*
2 *Catholica veritas eſt, eſſe poſſe de rebus præceptis.*
3 *Satisfit rationi dubitandi.*

1. RAtio dubitandi ea eſt : quia votum aſſumis ad firmandam tuam voluntatem, illamque obligandam executioni operis promiſſi. Sed comparatione operis præcepti eſt firmata tua voluntas, & obligata executioni talis operis ſuperioris præcepto, & voluntate. Ergo opus præceptum non poteſt eſſe voti materia. Quod ſi dicas nullum eſſe inconueniens voluntatem tuam præcepto ſuperioris firmatam, & obligatam firmari, & obligari alio titulo. Nempe promiſſione tua, obſtat ; quia hæc obligatio indicat priorem obligationem præcepti diminutam eſſe. Et præterea nulla obligatio naſci poteſt, niſi à lege, vel præcepto ; & conſequenter à ſuperiori voluntate. Ergo obligatio, quæ ex voto naſcitur, ex præcepto ſeu lege naturali naſcitur. Ergo votum non ſuperaddit obligationem præcepto. Ergo non poteſt eſſe votum de opere præcepto. Alias præcepto obligationem adderet.

2. Cæterum Catholica veritas eſt, votum propriiſſimè eſſe poſſe de operibus præceptis. Sic D. Thom. quem ferè omnes ſequuntur 2.2.6.88. *artic.2.* Et ibi Caietanus *dub.1.* Valent. *diſp.6.qu.6.punct.2 ad finem.* Nauarrus *cap.12.n.25.* Azor. 1.*p lib.11.cap.13.q* 1. Sanchez *lib.4 ſum.cap.5.num.6.* Suar. tom.2. de Religione lib.2. *de voto cap.6. à n.4.* Leſſius *lib.2.cap.40. dub.7.n.47. & ſequentib.* Layman. *lib.4. ſum. tract.de voto cap.2.n.9. & alij apud ipſos.* Ratio eſt manifeſta; quia opera præcepta ſunt honeſta, vt Deo ita grata vt oppoſita grata non ſint. Ergo ſunt apta vt Deo in cultum eius offerantur. Hæc enim oblatio libera, & ſpontanea non impeditur ex præcepto. Quia præceptum non cogit ad obligationem ; neque voluntatem neceſſitat, ſed liberam relinquit abſolutè, vt opus præceptum exequatur.

3. Neque obſtat ratio dubitandi, cui bene ibi ſatisfactum eſt. Et ad impugnationem nego, ex ſuperaddita obligatione voti indicari obligationem præcepti diminutam eſſe in ſuo genere ; eſt enim in ſuo genere plena, & perfecta ; neque aliquid addi poteſt. Sed ſolum indicatur non comprehendere omnem obligationem, quæ actui præcepto ineſſe poteſt. Poſſe autem. Nam cuilibet actui plures obligationes adeſſe poſſunt ; potes enim Iuramento obſtringi ad ſeruandum ieiunium ex præcepto temperantiæ debitum, & ad ſeruandam fidem diuinam ex præcepto fidei debitam, & ad ſeruandam promiſſionem homini factam ex iuſtitia, vel fidelitate humana debitam, & in profeſſione religionis, Religioſi obligantur ad ſeruandam caſtitatem, alioquin debitam ex præcepto naturali. Non igitur vna obligatio alteram impedit ; ſed potiùs virtutem promouet & voluntatem in bono firmiorem reddit ; vtpotè pluribus vinculis obſtrictam. Ad ſecundam impugnationem concedo obligationem voti formaliter, & immediatè orti ex præcepto naturali, quo obligari fidelem eſſe in iis, quæ Deo promiſeris. At quia hæc obligatio in libera promiſſione fundatur non impedit obligationem præcepti abſolutè impoſiti. Nam præceptum abſolutum non obligat ad operis præcepti executionem titulo fidelitatis, ſicuti obligat votum ; eaque de cauſa obligatio, quæ ex voto naſcitur, cuilibet præcepto abſolutè ſumpto aduenire poteſt.

§. V.

Qualiter votum debeat eſſe de meliori bono.

SVMMARIVM.

1 *Votum debet eſſe de re meliori.*
2 *Vota conſiliis Euangelicis oppoſita nulla ſunt.*
3 *Qualiter votum non vouendi validum eſſe poſſit.*
4 *Per ſe eſt validum votum non petendi diſpenſationem.*
5 *Ex voto non petendi diſpenſationem non manet obligatus commutationem vel irritationem non petere ; eſto probabiliter alij oppoſitum ſentiant.*
6 *Quid de voto non aſcendendi ad Epiſcopatum ? Proponitur non valere tale votum.*
7 *Validum eſt tale votum ſi recta via procedas.*
8 *Fit ſatis dubitandi rationi.*
9 *Idem eſt dicendum de voto cuiuſlibet prælaturæ ſiue ſæcularis ſiue regularis.*
10 *Votum abſtinendi à cibis delicatis, à recreatione honeſta regulariter valere.*
11 *Valet votum inſeruiendi perpetuò in Xenodochio.*
12 *Votum de matrimonio contrahendo abſolutè eſt inualidum.*
13 *Idem eſt, ſi fiat animo non conſummandi ſed religionem aſſumendi.*
14 *Si ad ſedandas tentationes & vitandos frequentes lapſus fiat, plures cenſent valere, alij negant, quod eſt probabilius abſolutè loquendo.*
15 *Si animo ducendi fœminam pauperem fiat nullum eſt ; ſecùs ſi fiat ſub conditione, & quando ſic fieri cenſendum eſt.*
16 *Quid de hoc votò ? Promitto non recitaturum niſi flexis genibus, non ingreſſurum religionem, niſi hanc, non dare eleemoſynam niſi huic pauperi ? Affirmat Sanchez valere, probabilius oppoſitum.*
17 *Si negatio excludit materiam voto ineptam validum eſt.*

1. COmmunis eſt omnium ſententia cum D. Thoma 2.2. *quæſt.88.art.2.* Ad votum non ſufficere rem promiſſam eſſe bonam, & honeſtam : ſed debere eſſe meliorem, quam ſua contradictoria. Ne obligatus ſis ad omittendum id, quòd melius & perfectius eſt, & Deo gratius. Quod nec diuino obſequio, nec noſtræ perfectioni conſonum eſt. Neque obſtat ; rem honeſtam, & maius bonum ex ſe impedientem gratam eſſe Deo, & iuxta eius voluntatem mandari executioni poſſe vt inde inferas votum valere. Quia aliud eſt te rem honeſtam maius bonum impedientem exequi liberè, aliud exequi ex obligatione ; quando ergo talem rem honeſtam ex obligatione exequeris ; eo ipſo obligaris perfectiorem & Deo gratiorem omittere. quod non contingit, quando abſque obligatione exequeris.

2. Ex quo fit ; omnia vota conſiliis Euangelicis oppoſita nulla eſſe, qualia ſunt vota non ſuſcipiendi ordines, non ingrediendi religionem, non mutuandi, non fideiubendi, non erogandi eleemoſynam, & ſimilia. Tum quia hæ negationes per ſe nullam habent honeſtatem. Tum quia ex ſe impediunt maioris boni executionem. Cum conſilia ſemper ſint de meliori bono. In his omnes Doctores conueniunt, quos ſuperuacaneum cenſeo referre.

3. Sunt tamen aliqua vota de quibus dubium eſt an meliori bono opponantur.

Primò dubitatur de voto non vouendi ? Et quidem ; ſi ſic abſolutè ſumatur, meliori bono opponitur ; ac proinde nullum eſt ; opponitur namque contradictoriè votorum emiſſioni ; ad quam Deus conſulit & inclinat. At ſi votum fieret ſub aliqua circumſtantia excludente temeritatem, & imprudentiam in vouendo valeret vtique votum vt ſi votum emitteres non vouendi abſque conſilio confeſſoris ; vel niſi verbo, aut præcepto, aut coram aliquibus perſonis. Quia conditiones hæ non impediunt votum ; ſed votorum emiſſioni conditionem conuenientem apponunt, ad eorum temeritatem vitandam. Sic Azor. 1.*p.lib.11. cap.13. quæſt.6.* Sanchez

pluribus

pluribus relatis *lib.4.cap.8.n.14.* Lessius *lib.4. de iustitia cap. 40. dub.7. n.45.* Suar. *lib.2. de voto cap.11. num.5.* Si verò absque his circunstantiis voueas, peccas; Quia votum transgrederis. Sed regulariter non videtur mortale. Quia non est materia grauis. Lessius & Sanchez *suprà.* Votum autem sic emissum etsi peccaminosum sit tenet; si alioquin sit de re meliori. quia peccatum commissum in vouendo non tollit voti valorem vt supra dictum est. Et tradit Sanch. *cap.8.num. 16.* Quod si immemor prioris voti votum emitteres, distinguendum est; si cum priùs votum emisisti, expressam habuisti voluntatem non solum non vouendi absque illis circumstantiis, sed nec te obligandi, si fortè voueres, votum non tenet. Quia prior illa voluntas, non te obligandi perseuerat; nec censetur retractari noua voti emissione. Siquidem illius non recordaris. At si illam voluntatem non habuisti; valet vtique votum. Quia nihil est, quod valorem illius impediat. Sanch. *d.cap.8.n.17.* Suarez *lib.2.cap.11.n.5.*

4. Secundò dubitatur de voto non petendi dispensationem? Et quidem si sub aliqua limitatione emittatur; clarum est valere: Vt si voueres non petendi voti relaxationem absque causa legitima; quia est votum de non faciendo peccatum. Si quidem petere vel concedere voti relaxationem absque causa peccatum est. At si hanc limitationem non exprimis, sed generaliter voues, non petiturum dispensationem. Sanchez *lib.4. de voto cap.8.n.21. cui fauet* Sotus *lib.8. de iustitia qui 1.art 9.circa finem vers finem est autem hic.* Negat valere. Mouetur: Quia vouenti aliquando melius & vtilius est, petere dispensationem, quam illam non petere, nempe quando adest periculum transgressionis. Ergo ad illum casum non se potuit votum extendere. Ergo nec se extendit ad non petendam dispensationem, quando hæc maior vtilitas cessat. Probatur hæc vltima consequentia. Quia per modum vnius omnes casus vtiles, & inutiles comprehenduntur; neque apparet, quo iure, ac consuetudine ad solos casus vtiles extendatur.

Cæterum verius credo, hoc votum esse validum, & obligare; quoties non fuerit vtilius vouenti petere dispensationem. Quia votum habens materiam diuiduam, & separabilem, aliam aptam, ineptam; si ea, quæ apta est, frequentius & in plurimum contingat; credendum est, diuisibiliter & separabiliter eam aptam materiam respicere, dum de contraria intentione expressè non constat. quia hic respectus est materiæ proportionatus, & fauet valori actus. Neque obstat. Votum non fideiubendi, non mutandi absolutè prolatum inualidum esse; tametsi habeat materiam aptam, & ineptam. Quia in voto non fideiubendi, nec mutuandi per se, & frequenter materia inepta respicitur; cum fideiubere & mutuare per se consilij opera sint. At in voto non petendi dispensationem, per se materia apta respicitur; nempe firmari in obligatione voti absque spe liberationis. Et ita votum non petendi dispensationem validum esse potest; tametsi votum non mutuandi inualidum sit. Sic docet Suar. *Lib.2. de voto cap. 11.n.6.*

Sed quid dicendum de voto non petendi dispensationem ab alio, quam à Pontifice, neque, concessa vtendi. Respondeo valere tale votum. Quia hoc voto non aufers ab inferioribus potestatem dispensandi, sed à te aufers potestatem illos pro dispensatione adeundi quod per se conueniens est, vt sic votum securius dispensetur. Sanch. *lib.4. cap. 8. num.34.*

5. Sed an ex voto non petendi dispensationem obligeris ad non petendam irritationem vel commutationem? Respondet Sanchez *lib.4. de voto cap.8. n.31.* Ex vi voti non petendi dispensationem aut irritationem commutationem puram non excludi: quia commutatio non tollit absolutè vinculum voti, sed in aliud subrogat & commutat. At vouens non petere dispensationem, vel irritationem, libertatem à vinculo voti sibi interdixit; non autem subrogationem; & hoc verissimum est: Secùs verò censet de voto non petendi commutationem, quod affirmat ad non petendam dispensationem vel irritationem extendi. Nam qui sibi imperfectam libertatem à voto interdicit à fortiori censetur sibi interdicere liberationem plenam & perfectam. Quod si votum sit de non petenda dispensatione, affirmat extendi ad non petendam irritationem & è contra; quia animus sic promittentis est, non liberari à voti obligatione.

Verum etsi hæc probabilia sint; at credo voto non petendi commutationem non prohiberi dispensationem, neque voto non petendi dispensationem prohiberi irritationem, vel è contra. Moneor; quia hi modi omnino sunt distincti, neque vnus in alio includitur. Non enim qui habet potestatem vota commutandi, ea dispensare potest; neque qui potestatem habet dispensandi ea potest irritare vel è contra. Ergo ex parte obiecti & materiæ promissæ vnum in alio non includitur. Sed obligatio voti non desumitur ex solo animo promittentis, nisi talis animus in obiecto & materia promissa exprimatur. Ergo quamuis vouens non petere commutationem vel dispensationem intenderit, nunquam liberari à voto; quia tamen id non expressit, sed solum expressit non liberari à voto illo modo, censendus est, solam hanc voti liberationem sibi interdixisse.

Aduertendum tamen est; si causa subsit obtinendi dispensationem à principali voto, non impediri efficaciter ex voto non petendi dispensationem. Quia huius vltimi voti, quod reseruatum non est, petere dispensationem potes, & illo sublato secundum dispensari poterit. Item potest vtrumque votum Prælato manifestare, vt ipse ex officio præstet dispensationem, si vtiliorem tibi esse iudicauerit. Sanchez *lib.4.cap.8. n.36.* Suar. *lib 2.cap.11. n 6.*

6. Tertiò dubitatur de voto non ascendendi ad Episcopatum, an validum sit? Ratio dubitandi ea est; quia qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat. Ergo illius susceptio bona est, ergo illius priuatio bona esse non potest. Et confirmo; Episcopatus status est perfectionis. Ergo nequis te obligare ad illum non assumendum; quia esses obligatus viam perfectioni præcludere, & statum Ecclesiæ perfectissimum fugere; & fortè ea de causa Gregorius magnus *cap.vnico 85.d.* mandat inquiri de quodam Archidiacono Florentino, qui ad Episcopatum fuerat electus, an iusiurandum præbuerit nunquam se ad Episcopatum accedere. Non autem eam inquisitionem facere præciperet, si tale Iuramentum seu votum honestum esset. Ergo dicendum est tale votum non valere. Sic Gloss. *in dicto cap.vnico* verbo *sacrosanctis.* Nauarrus *summæ cap.12.num.16.* Siluest. *Iuram.4.num.1.* Azor. *1.p.lib.11.institutionum moral.cap.5.qu.1.*

7. Dicendum tamen est, tale votum validum esse si recta intentione fiat; hoc est, si fiat de non procurando vel acceptando Episcopatum, quantum est ex parte tua, nisi necessitas vel vtilitas Ecclesiæ, vel præceptum superioris vrgeat. Sic Diuus Thomas *2.2. qu.185. art.1. & 2.* Gutierrez *d. Iuramento 1. p. cap.72.n.9.* Sotus *lib.10. de iustitia qu.2. art.2. ad tertium.* Cordoüa *qu.154. sum.* & Manuel. *2. tom. sum. cap.94. m.15.* Sanchez *lib.4.cap.8.num.37.* Suar. *lib.2.de Iuram.cap.13.n.13. & lib.2.de voto cap.11.n.10. & 11.* Layman. *lib.4.summ.tract.4.de voto cap.2.in fine n.14.* Ratio est; quia sic votum conceptum & viam præcludit ambitioni, & vtilitati Ecclesiæ non præiudicat. Negari namque non potest Episcopatum ob splendorem honoris; & diuitiarum, & animarum regimen multis periculis esse expositum; ac proinde tibi si propriam vtilitatem spectes commodiùs & vtiliùs esse illum fugere exemplo Augustini & Gregorij & aliorum sanctissimorum PP. qui hunc statum totis viribus respuebant; vt bene expendit Gregorius *lib.35. moral. c.13.* Ecclesiæ autem hoc votum non præiudicat, cum non impediatur ex tali voto sic vouentes præficere, cum sibi vtile esse iudicauerit. Imò Ecclesiæ valde vtile est tale votum: Reddit enim ministros aptiores, & vtiliores ad regimen obeundum. Nam quo magis ab ambitione remoti sunt; eo digniores fiunt, & exactiùs officia exercent.

8. Neque obstat ratio dubitandi. Admitto desiderare Episcopatum esse opus bonum ab eo, qui irreprehensibilis, & qualitates habet ab Apost. ad Timotheum 3. & ad Titum 1. requisitas; quas de se nemo debet præsumere; sed esto sit opus bonum & perfectum; est tamen periculosum; ac proinde consultiùs est cuilibet particulari, illum ex parte sua respuere, quam appetere. Ad confirmationem dico, Episcopatum statum esse perfectionis; non quia ad perfectionem promouet, sed quia perfectionem in assumente supponit. Cum autem nullus de se debeat præsumere eam perfectionem habere, quæ tanto statui conueniat, optime facit, si eum statum perfectissimum respuat vtpotè illo indignus. Ad textum in *c.vnico.* Dico Gregorium inquisitionem fecisse, an ille Archidiaconus iurauerit ad Episcopatum non ascendere; non quia tali in Iuramento peccatum commiserit, sed vt videret, an fuerit conueniens sic Iuramento obstrictum ad Episcopatum promouere, an potiùs eum in sua humilitate conseruare.

9. Idem quod dictum est de voto non procurandi vel acceptandi Episcopatum, dicendum est de qualibet prælatura siue sæculari, siue regulari; ac proinde validum esse votum quod faceres non acceptandi prælaturam nisi necessitas vel vtilitas Ecclesiæ seu religionis vrgeat vel præceptum superioris cogat. Quia hoc voto humilitatem conseruas, & ambitionem fugis, & religioni commodum affers; cum paratus sis regimen accipere sublata omni negotiatione, quoties ipsa religio iudicauerit, & ita clarè indicat Suar. *lib.2. de voto cap. 11.num.10. fine.* Vbi votum non suscipiendi ordines iudicat inualidum: Validum tamen votum non suscipiendi beneficium, aut quodcumque regimen animarum. Nam in voto suscipiendi ordines non adest illud periculum, quod in susceptione beneficij & regiminis animarum cernitur. Sanch. Layman. & alij generaliter de prælatura loquuntur, & rationes eædem prorsùs militant.

10. Quartò dubitatur de voto non comedendi delicatè,

non assumendi aliquam ludi recreationem honestam, an validum sit? Supponimus enim vti cibis delicatis quando valetudini conuenit, honestum esse, & idem est de recreatione aliqua honesta in leuamen naturæ assumpta. Hinc ergo oritur ratio dubitandi; priuatio enim actus honesti honestatem non habet formaliter, ergo supradictum votum de priuationibus supradictis inualidum est. Deinde nulla est virtus moralis, cuius exercitum consuli non possit, & à superiori præcipi. Ergo consuli & præcipi potest recreatio honesta & cibi vtilioris sumptio. Ergo potest de iis esse votum, ergo de oppositis votum esse non potest.

Cæterum verius est hæc vota frequenter nullius valoris esse. Sic docuit Sanch. *lib.1. de sponsalibus disp.4.num.4.5.* Lessius *lib.2. de iustitia cap.40. dub.5. num.43.* Suar. *tom. 2. de Religione lib.2. de voto cap.8. à num.5.* indicat Azor. *1. p. institutionum moralium lib.11. cap.13.quæst.7.* Ratio ea est; quia licet moderata recreatio, & temperata cibi delicati sumptio actus virtutis sint; at cum ob aliquam circunstantiam specialem non sunt valdè necessaria, meliùs & vtilius animæ est, ab his abstinere. Quia eorum abstinentia & corporis mortificatio, & pœnitentiæ virtutis exercetur, & anima disponitur vt nobilioribus virtutis operibus incumbat remotis impedimentis quæ illi obstare possent. Qua ratione votum paupertatis validum est. Nam esto bonum esse possit, diuitias habere; quia tamen solent impedimento esse melius est carere. Dixi *frequenter illa vota inualida esse*; vt tacitè excluderem aliquem casum specialem in quo ob charitatem propriam, vel alienam, vel ob alium rectum finem iudicaretur meliùs recreari, quam à recreatione abstinere, quòd rarò contingit. Vide Suar. *dicto cap.8.num.9.* Ad rationem dubitandi respondeo carentiam honesti honestatem habere posse: Non quatenus carentia est, sed quatenus in illa carentia actus virtutis moraliter exercetur. Ad confirmationem concedo, omnem actum virtutis consuli & præcipi posse, vt quid honestum; sed non vt meliùs & vtiliùs; ad votum autem requiritur non bonum vtcumque, sed cuius contradictorie oppositum non sit melius.

Illud tamen omnino certum est, si voueres te moderatè lusurum, aut cibum sumpturum casu quo has actiones exerces; valere votum; quia voues rem meliorem scilicet non committere culpam. Suarez *lib.2. cap 8. n.5.* Layman. *lib.4. summ.tract.4.de voto cap.2.n.11.*

11. Quintò dubitatur de voto inseruiendi perpetuò in Xenodochio, an validum sit? Ratio dubitandi est; quia obstare videtur religionis ingressui & consequenter meliori bono. Sed omnino dicendum est, validum esse tale votum; eo quòd eius contradictorie oppositum non sit meliùs. Non enim meliùs est non seruire Xenodochio, quam ibi pauperibus inseruire. Et licet stante tali seruitio non posses religioni addici; quia tamen illud seruitium omittere poteras & loco illius religionem assumere; ea de causa illud votum non est meliori boni impeditiuum. Alias votum ingrediendi religionem laxiorem nullum esset. Quia eius ingressus compati non potest cum ingressu religionis strictioris. Hæc enim contrarietas valori voti non obstat: Si quidem meliùs est ingredi religionem laxiorem, quam nullam ingredi; esto non sit meliùs quam ingredi strictiorem; ac proinde in omnibus his votis hæc implicita conditio imbibitur, nisi opus perfectius elegeris. Et ita tenet Suarez *lib.2. de voto cap.7.num.6.& cap. 9. n.22. fine.* Valent.2.2. *disp 6.q.6.punct.2.concluf.2.* Sanch. *lib.4 de voto cap.8. n.4. & sequent.* Paulus Layman. *lib.4. summæ tract.4 cap.2.n.12.* Et alij communiter.

12. Sextò dubitatur de voto matrimonij contrahendi, an inquam tale votum validum sit. Omnes Doctores sentiunt tale votum absolutè sumptum inualidum esse. Quia excludit virginitatem & cœlibatum, qui est status perfectior iuxta Tridentin. *sess. 24. canon.10.* Esset tamen hoc votum validum, si alias matrimonium esset in præcepto quale esset, si violasses puellam sub fide data de matrimonio contrahendo, vel si sperares inde bella inter Principes Christianos cessatura, vel multos infideles ad fidem esse conuertendos. Quia tunc votum non impedit meliorem statum, sed te aliunde impeditum, & obligatum firmiorem in obligatione reddit: Quod honestissimum est. Quid enim honestius esse potest præceptorum diuinorum obseruatione. Sic tanquam indubitatum tradunt Suarez tom.2. de Religione *lib.2. de voto cap.9. num.8.* Sanch. lib.1. de sponsalibus *disp.4. num.1. & lib.4. summ. cap.8.n 51.* Gutierr. de matrimonio *cap.4.n.6.* Azor. *1. p.lib.11. cap.13. quæst.9.* Paulus Layman. *lib.4. summ tract.4. de voto cap.2.n.12.*

De triplici casu est specialis inter Doctores controuersia; an votum de matrimonio contrahendo validum sit? Primò si fiat animo non consummandi, sed religionem petendi. Secundò; si fiat in remedium frequentis lapsus & deprauatæ consuetudinis peccandi, Tertiò si fiat causa pietatis, qualis reperitur ducendo pauperem vel meretricem.

12. De primò casu. Sotus lib.7. de iustitia *quæst.1. art. verſ.3. sed ait saltem.* Affirmat tale votum validum esse, si vtrumque votum castitatis emissum sit. Ratio esse potest quia tale votum non videtur statim perfectiorem impedire, siquidem relinquit liberum religionis ingressum. Quo à fortiori procedit cum ex parte vtriusque votum castitatis emissum sit. Tunc enim nec cælibatus impeditur eo voto. Alias sanctissima Virgo & Ioseph non rectè in matrimonio contrahendo processissent.

Sed omnino dicendum est, tale votum inualidum esse docuit Sanch. lib.1. de sponsalibus *disput.4. num.1. & lib.4. cap.8.num.52.* Suarez *d. cap.9. num.6.* Layman. *cap.2.num. 11.* Gutierr. *de matrimonio cap.4. num.7.* Et ratio ea est; quia matrimonij contractus constituit contrahentem in periculo violandi castitatem; & recedendi ab statu cælibatus; Ergo non est gratior Deo quam illius carentia. Non enim gratius esse potest, quod viam perfectionis difficiliorem reddit. Hæc ratio conuincit, esto contrahentes inter se conuenerint de Religione assumenda, vel de castitate seruanda etiam castitatis voto emisso. Quia semper adest periculum recedendi à tali proposito & castitatem violandi, quod periculum quia in sanctissima Virgine & Ioseph aberat, & eorum matrimonium in fines perfectissimos à diuina prouidentia dirigebatur, viam perfectionis nec præclusit, nec difficiliorem reddidit. Quando autem ab vno coniuge altero ignorante matrimonium contraheretur animo aduolandi ad religionem, certiùs est, votum de tali matrimonio validum esse non posse. Quia est de contractu grauiter coniugi præiudicante; ratus enim esset, qui eo animo cognito vellet contrahere, ne maneret periculo suspicionis expositus, ob aliquod vitium defectum esse. quod periculum non subiit quando bona fide contractus celebratur.

14. Grauior est difficultas in secundo casu quando te sentis ita fragilem & ad carnis peccata procliuem, vt vix contineri possis; an tunc votum de matrimonio contrahendo validum sit? Affirmat Caietanus 2.2. *quæst.88. art.2. dubio vltimo.* Nauarrus *cap.12. num.43.* Bellarmin. *lib.2. de Monach. cap. 14. circa finem.* Valent. *disp.6. quæst.6. punct.2. difficult.4.* Azor. *1. p. lib.11. c.13. quæst.9.* Toletus *lib.4. summ. cap.17. num.18.* Sanchez lib.1. de sponsalibus *disp.4.num.7. & lib.4. summ.c.8. num.53.* Gutierr. de matrimon. *cap.4. n.8. & alij apud ipsos.* Mouentur; quia posita illa facilitate peccandi consultius & vtilius tibi est matrimonium contrahere, quam cælibem existere; & vt rem vtiliorem tibi prudens confessarius consulere potest. Ergo potes te obstringere voto ad illud assumendum.

Contrarium huius sententiæ defendit Sotus *l.7. de iustitia quæst.1. art.2.* verſ. *contra hanc autem* Aragon. 2.2. *quæst. 88. artic.2. circa 5. conclusionem assertion. 2. & plures Neotherici docti.* Fundamentum est: Quia adhuc posita illa facilitate & peccandi consuetudine votum de matrimonio contrahendo impedit maius bonum formaliter, nempe vitam cælibem & religionis statum. Ergo à Deo acceptari non potest. Et confirmo; si stante illa facilitate & peccandi consuetudine votum castitatis, vel religionis emitteres; quis auderet dicere inualidum esse votum, esto esset inconsideratum? Si igitur votum castitatis vel religionis validum est, votum matrimonij castitati contradictorie oppositi validum esse non potest. Adde stante tali voto licitum tibi est, religionem ingredi. Ergo non obligat.

Ex his sententiis secunda mihi verior videtur absolutè loquendo, & priorem admitterem eo solo casu, quo nolles oratione, pœnitentiis aliisve remediis vti ad tentationes vincendas. Matrimonium namque ea solum ratione tibi vtiliùs esse potest, quam cœlibatus; quatenus est medium ad tentationes temperandas & lapsus excusandos. At non est vnicum medium cum sint plura diuinæ voluntati gratiora, & acceptiora. Ergo si illis vti vis non obligaris medium matrimonij assumere. Ergo solum obligari potes casu quo nolis aliis remediis vti, quæ est solum quædam conditionalis obligatio; quam pro tua voluntate potes infringere. Et ita tenent Suarez tom.2. de Religione *lib. 2. cap.9. à num. 12.* Lessius *lib.2. cap.40. dub.7. num.45.* Coninch.3. *part.tom.2. disp.22. dub.10.* Paulus Layman. *lib.4. summ.tract.4. cap.2. num.12.*

15. De tertio casu certa res est; votum absolutè sumptum ducendi pauperem meretricem titulo pietatis & misericordiæ inualidum esse. Quia huiusmodi titulus non excusat, quin res promissa excludat à vouente statum perfectiorem & continentiam Deo gratiorem. At si hoc votum non absolutè sumatur sed conditionaliter, scilicet hac forma, si matrimonium ducturus sum, ducam pauperem; validum est & firmum; quia ex vi illius non obligaris ad matrimonium, sed matrimonio ex tua voluntate assumpto obligari ad perfectissimum vsum ipsius. Sic tradit Sanchez lib.1. de sponsalibus *disp.4. num.12. & lib.4. in Decalog. cap.8. num.54. & 55.* Suarez *lib.2.de voto cap.9.n.18.* Layman. *lib.4. sum. tract.4. de voto cap.2.n.12.*

Solum

Solum est difficultas; an votum prolatum sub hac forma absoluta, promitto Deo me ductutum puellam pauperem, habeat supradictum sensum conditionatum, si aliquam ducturus sum promitto ducere pauperem? Affirmat expressè Suar. *n.*21. & mouetur quia sic vouens intendit se obligare quantum potest; cum ergo non possit se obligare ad matrimonium absolutè, censendus est voluisse se obligare ad illud sub conditione. At mihi probabilius est ad nihil manere obligatum: Quia verba illa sunt absoluta, quibus per modum vnius matrimonium cum puella paupere promittitur. Ergo dum de conditionata intentione non constat, sine fundamento in sensu conditionato explicantur; præcipuè cum obligatio voti affirmari non debeat nisi de illa clarè constet. Et ita tale votum ad nihil obligare docuit Sanchez *locis allegatis.*

16. Septimò dubitatur de hoc voto. Promitto me nullam aliam religionem ingressurum nisi hanc. Promitto non recitaturum nisi flexis genibus. Promitto non dare eleemosynam minorem decem aureis; an inquam hæc vota valida sint? Affirmant Sanchez *lib* 4. *de voto cap.* 8. *num.* 47. Mouetur quia hoc est votum conditionatum obligans ad rem perfectam, scilicet ad ingressum in religionem, ad eleemosynam abundantem, ad recitationem reuerentem, & licet alia bona excludant; id est consequenter & non directè. Deinde consultius est cuilibet ad opem pietatis sub conditione obligari quam omnino liberum esse; sed ex vi illorum votorum obligatur vouens sub conditione pietatis exercere. Ergo valent illa vota.

Cæterum probabilius reputo illa vota inualida esse. Quod Sanchez censet probabile. Moueor quia hæc vota ad summum hunc sensum conditionatum præstant, si aliquam religionem ingrediar, promitto hanc assumere, si decreuero eleemosynam facere non faciam minorem decem aureis, si orationes fudero, flexis genibus fundam. Sed in hoc sensu conditionato tacitè sed indirectè promittitur materia voto inepta, ita vt ab hac inepta materia non potest promissio separari. Ergo illa vota inualida sunt. Minorem probo. Non enim solum promittitur ingressus in hanc religionem, sed etiam promittitur non ingressus in alias; nec, solum promittitur eleemosyna decem aureorum sed nulla alia minor; non solum recitatio flexis genibus, sed nulla alia. Aliàs non esset peccatum ingredi aliam religionem, eleemosynam minorem dare, & orationes sedendo fundere. Sed quoties materia apta voto cum inepta coniungitur, ita vt ex intentione vouentis sint inseparabiles, votum non tenet. Ergo supradicta vota nullius sunt valoris. Deinde hæc vota retrahunt ab operibus bonis absolutè, & solum sub conditione pendente à propria vouentis voluntate obligant ad opus perfectum. Ergo non cedunt in Dei obsequium, neque in vouentis vtilitatem. Ex his solutum manet fundamentum contrarium.

17. Illud tamen optimè aduertit Sanchez *dicto cap.* 8. *num.*48. Valida esse vota si negatio excluderet materiam voto ineptam, vt si promitteres non recitare nisi attente, non dare eleemosynam nisi ex recto fine; quia per hanc negationem excludis recitationem sine attentione, & eleemosynam ex sinistro fine. Ad idem est cum promittis nullam aliam ducere nisi pauperem; excludis matrimonium omnium aliarum nisi pauperis quæ est exclusio materiæ voto ineptæ. Sanchez *suprà n.* 55.

PVNCTVM IX.

Vtrum emissio voti illiusque executio sit actus à religione elicitus.

SVMMARIVM.

1 *Votum ex se opus est laudabile & meritorium.*
2 *Emissio voti à religione elicitur, executio imperatur.*

1. NEmini dubium esse potest, votum ex se esse opus laudabile & meritorium. Quin Deum honorat & vouentem in bonò firmat vt dixit D.Thom.2.2. *q.*88. *art.*4. Ex quo euidenter sequitur melius esse facere aliquid ex voto, quam sine voto. Nam factum ex voto fit ex effectu religionis debitum cultum Deo reddendi & ex magis firma & immutabili voluntate in bonum. Ergo est melius. Sic D.Thom. *ab omnibus receptus dicta q.*88. *art.*6. Et licet ex diminutione libertatis meritum diminuatur, non inde est inferendum ex voti obligatione diminui; quia obligatio voti non minuit libertatem sed illam supponit.

2. Difficultas autem est cuius virtutis actus sit tam emissio voti quam illius executio?

Breuiter dicendum, emissionem voti à virtute religionis elici, executionem imperati. Sumitur ex D. Thom. *dicta q.*88. *art.*3. & 5. & tradit expressè Suarez tom.2.de Religione *lib.*1.*de voto cap.*15. *num.* 5. & 9. Ratio prioris partis est. Quia ea, quæ Deo promittimus, eo fine promittimus, vt eum honoremus. Quia ea promittimus, eò quòd ei bona sint. Non possunt autem esse bona nisi quatenus in eius honorem cedunt. Ergo necessario in promissione honor diuinus spectatur. Ergo est actus à religione elicitus. Posterioris partis ratio ea est; quia executio promissi ex obligatione promissionis à promissione ipsa imperatur. At elicitur ab illa virtute ad quam alias promissum pertinet. Quia promissio non mutat honestatem rei promissæ, sed illa supposita Deo in illius cultum offert. Promittis namque & promissum exequi secundum suam rationem & honestatem. Verbi gratia in promissione ieiunij & castitatis promittitur temperantiæ. Ergo executio promissi ab illa virtute elicitur, ad quam alias promissum pertinet; tametsi à religione imperetur. Quod fit; quoties exequeris promissum eo animo vt votum impleatur.

PVNCTVM X.

Quotuplex votum sit?

SVMMARIVM.

1 *Ex parte promissionis diuiditur votum in absolutum & in conditionatum.*
2 *Deinde in simplex & solemne.*
3 *Item in externum & internum.*
4 *Ex parte rei promissæ diuiditur in necessarium & liberum, commune & singulare.*
5 *Deinde in reale, personale & mixtum.*
6 *In affirmatiuum & negatiuum.*
7 *In perpetuum & temporale.*
8 *In reseruatum & non reseruatum.*

EXplicata voti essentia (vt factum est in superioribus) ad eius diuisionem explicandam accedimus. Votum ergo diuidi potest vel ex parte promissionis, vel ex parte rei promissæ.

Ex parte promissionis diuiditur votum primo & præcipuè in votum absolutum & in conditionatum. Absolutum est, quod absolutam habet obligationem. Conditionatum, quod obligationem habet ab aliqua conditione pendentem. Cum enim sub conditione votum emittis, obligationem vis suscipere posita conditione & non aliàs. Aduerte tamen aliquando votum absolutum non satis à conditionato distinguis; quando scilicet voti absoluti obligatio pro aliquo tempore suspenditur; vt si voueas ingredi religionem cursu studiorum consummato, vel post annos pubertatis: hoc enim votum absolutum est; quia absolutè ad religionem obligaris; tametsi ad executionem obligationis tempus opportunum expectes; ac proinde tempus illud non obligationem suspendit, sed executionis obligationem; secùs est in votis conditionalibus, quorum conditio quia ex parte rei promissæ se tenet, obligationem eius suspendit, quorum vsque apponatur. Colliges autem horum votorum differentiam, tum ex modo promissionis, tum ex affectu vouentis. Nam vota absoluta etiamsi executio differatur, fiunt ex affectu rei promissæ; at conditionalia regulariter fiunt non tam ex affectu rei promissæ; quam ex affectu obtinendi vel vitandi conditionem.

Hinc fit plura vota conditionalia esse, quæ videntur absoluta; & è contra plura absoluta, quæ apparenter sunt conditionalia. Quapropter summopere considerandus est affectus vouentis. In dubio autem sumenda est præsumptio ex communiter contingentibus. Exemplis rem declaro. Si voueas religionem, si vigesimum annum attigeris, si cursum studiorum consummaueris, si non animo expresso impetrandi à Deo vitam, hoc votum emiseris, iudicandus es religionem absolutè vouere; & terminum illum appositum esse ad commodam voti executionem. quia id frequenter contingit. Suarez *lib.*6. *cap.*22.*n.*7.

Ad idem est votum assumendæ religionis, si Pater vel Mater obierit. Quia mors parentis pro termino commodo exequendæ obligationis apponitur Suarez *d. cap.*22. *num.*6. & 7. Sanchez *lib.*4. *sum. cap.*40. *num.*82. Illud verò votum quo promitteres religionem, si tuus frater natu maior habuerit filios sub dubio est; an præsumendum sit absolutum an conditionatum? Regulariter enim non emittitur ex affectu impetrandi filios fratri, sed ex affectu absoluto religionis commodiori tempore exequendæ; quando scilicet domus successorem habeat; sed quia hic affectus ad religionem est valdè diminutus & imperfectus; vis enim potiùs successorem esse fratris; quam te religionem ingredi; ea de causa inquit Suar. *num.* 8. & Sanchez *num.*83. Basilius Legionens. *lib.*8. *cap.* 9. *num.* 18. conditionale debere præsumi. Ego verò censerem potiùs absolutum esse præsumendum. quia absolutè

religionem intendis, & successionem fratris non obligationi religionis præfers, sed illius executioni, sicuti cum promittis fieri religiosus, cum pater obierit & non antea, vitam enim patris non præfers religioni sed illius executioni.

Rursus hoc votum conditionale subdiuidi potest in purum conditionale, & in conditionale pœnale. Conditionale pœnale est, quando rem promissam promittis exequi quasi in pœnam si crimen aliquod commiseris; verbi gratia promittis religionem ingredi si luseris. Non enim religionem optas; imo illam aliquomodo auersaris. At quia optas à ludo abstinere, illam sub conditione si luseris promittis, vt timore obligationis incurrendæ de religione suscipienda, à ludo abstineas. Purum conditionale est, quando conditio apponitur præcisè vt conditio, vt si dicas; promitto religionem ingressurum si salutem recuperauero, si pater meus consenserit, si hoc peccatum vitauero.

2. Secundò diuiditur votum in simplex & solemne. Solemne est, quod Ecclesia sic disponente perpetuitatem habet, & vouentem inhabilem reddit ad actus voto repugnantes; cuiusmodi est votum in ordine sacro emissum & in Religionis professione. Simplex est quodlibet aliud carens supradictis conditionibus; tametsi aliquibus cæremoniis & solemnitatibus Ecclesiasticis fiat. Votum verò solemne subdiuiditur in expressum & tacitum. Expressum est, quod verbis exprimitur. Tacitum, quod susceptione voluntaria alicuius signi cui ipsum annexum est, emitti censetur. Sic suscipiens ordinem sacrum votum castitatis tacitè emittit & professorum habitum gestans expleto anno probationis professionem emittere censetur.

3. Tertiò diuiditur votum ex parte promissionis in votum externum & internum, in publicum & occultum; quæ diuisio & accidentalis est & per se manifesta, & explicatione non indiget.

4. Ex parte vero rei promissæ primo diuiditur votum in necessarium & liberum; voco necessarium quod est de re quæ ex necessitate præcepti exequenda erat; liberum quod liberè exequi & omitti poterat. Quod aliis terminis dici solet commune & singulare; commune, quia de rebus ad salutem necessariis, quæque omnibus sunt communes, emittitur. Singulare, quia est de rebus ad consilium pertinentibus, quarumque obligatio pro singulorum arbitratu suscipitur. Ad votum commune reducunt alij promissionem quæ fit in baptismo seruandi legem & renunciandi operibus satanæ. Sed vt bene ostendit Caietanus 2.2. *quæst.* 88. *artic.* 2. Quem ferè omnes sequitur ibi, nullum votum baptizatus emittit, sed solum obligationem legis Euangelicæ acceptat, illamque seruare proponit non inducendo sibi nouam obligationem, sed acceptando eam, quam lex Euangelica imponit: Alias quilibet Christianus duplex peccatum committeret transgrediens quodlibet præceptum aliud aduersus illam virtutem cuius est præceptum, & aliud aduersus votum in baptismo emissum, quod est contra communem sensum Nauarrus *cap.* 12. *num.* 31. Azor. 1. *p. lib.* 11. *cap.* 14. *quæst.* 3. Suarez *lib.* 3. *de voto cap.* 2. *num* 6. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 2. *num.*.. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 6. *num.* 29. Ad idem est promissio, quam pœnitentes in Sacramento confessionis faciunt de peccatis vitandis; est enim propositum firmum, esto sub nomine promissionis declaretur: Quia non intendunt nouam sibi obligationem imponere, sed impositam proponunt seruare. Sanchez *d. cap.* 2. *num.* 31.

5. Secundò ex parte rei promissæ diuiditur votum in reale, personale, & mixtum. Reale est, cum res externa promittitur scilicet pecunia, equus, domus, &c. Personale cum actio emanans à persona, Mixtum cum id, quod promittitur, partim est reale, partim personale.

6. Tertiò diuiditur in affirmatiuum & negatiuum; affirmatiuum est, cum res positiua promittitur nempè oratio, eleemosyna. Negatiuum cum negatio promittitur, vt cum promittis abstinentiam à cibo, à matrimonio, à coitu, à furto aliisque vitiis.

7. Quartò diuiditur in perpetuum, & temporale; quæ est diuisio accidentalis & solum tempus spectans. Temporale dicitur; quia pro limitato tempore fit; perpetuum, quia pro tota vita obligatio suscipitur.

8. Ad idem est accidentalis diuisio voti in reseruatum, & non reseruandum, quæ diuisio potestatem dispensantis non voti naturam spectat. Vide de his diuisionibus. Siluestrum verbo *votum* 1. *quæst.* 5. Suarez tom. 2. de Relig. *lib.* 1. *de voto cap. vltim. & lib.* 2. *cap* 12. Azor. 1. *part. institutionum moral. lib.* 11. *cap.* 14. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 6. *à num.* 29.

PVNCTVM XI.

Quæ & qualis sit voti obligatio?

SVMMARIVM.

1 *De fide est votum ad sui executionem obligare.*
2 *Ex suo genere grauis est hæc obligatio.*
3 *Ex sola intentione vouentis suppositâ materiæ grauitate plures censent non posse limitari obligationem.*
4 *Probabilius est posse.*
5 *Fit satis fundamento num.* 3. *adducto.*
6 *Ex leuitate materiæ leuiter votum obligat.*
7 *Vnde grauitas vel leuitas materiæ in votis sumenda sit?*
8 *Qualis sit obligatio voti, an fidelitatis tantum, an etiam illius virtutis ad quam pertinet materia promissa? Solus fidelitatis est obligatio, tametsi Sanchez contrarium sentiat.*
9 *Fit satis fundamentis contrariis.*
10 *Qualiter ad solos actus externos vitandos & non ad internos te voto obstringere possis?*

1. DE fide est & lumine naturali notum obligare votum ad illius executionem. Nam si fides data hominibus obligat vt seruetur, quantò magis data Deo. Obligat autem ex virtute fidelitatis, quæ comparatione Dei est vera religio; colitur namque Deus & honoratur seruando quod illi promissum est. Ratione enim promissionis debetur Deo cultus promissus. Ipseque Deus ius habet eum exigendi à promittente; non quia promittens ius Deo concedat, quod antea non haberet, vt contingit in promissionibus humanis, quibus promittens promissario ius nouum concedit, sed quia promittens materiam cultus Deo debiti promissione determinauit. Deo namque ob eius diuinam excellentiam & supremum dominum debetur cultus & honor; sed qui cultus & qui honor; non est determinatus. Promittens autem sua promissione illum determinat; ac proinde illa facta iam Deo ille cultus debetur, quod debitum est debitum ex fidelitate & veracitate. Si promissionem spectes; at est debitum iustitiæ, qualis comparatione Dei esse potest, si ius ipsius respicias.

2. Hæc autem obligatio voti ex suo genere grauis est. Quia graue est Deo fidelitatem præstare & cultum debitum exhibere. Sic tenent omnes Doctores explicantes in hunc sensum illa verba Pauli 1. *ad Timoth.* 5. habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, & definitur ab Innocent. III. *in cap. licet de voto.*

Difficultas verò est an ex intentione vouentis, vel ex materia promissa leuis esse possit?

3. Et quidem ex sola intentione vouentis suppositâ materiæ grauitate plures Doctores censent limitari non posse obligationem ad solam culpam venialem. Sic Sotus *l.* 7. *de iustit. q.* 2. *art.* 1. *in corp.* Cordoüa *in sum. quæst.* 1. 88. *in punct.* 1. Vasq 1. 2. *disp.* 158. *c.* 4. *num.* 34. Basil. Legion. *l.* 12. *de sponsal. c.* 2. *num.* 12. Et fauent omnes illi qui negant in legislatore hanc potestatem ferendi legem in re graui. Neque obligantem grauiter. Mouentur. Quia posito voto obligatio illius à diuina à naturali immediatè prouenit; lex namque diuina obligat promittentem fidelem esse in promissis. Sed obligatio legis diuinæ & naturalis semper est iuxta materiæ grauitatem. Ergo obligatio voti leuis esse non potest posita materiæ grauitate. Et confirmari potest à simili ex Iuramento. Si enim Iuramentum præstes de materia graui, coarctare non potes obligationem sed necessariò grauiter obligari debes. Ergo similiter in voto. Item in contractu sponsalium, & in professione religionis, & in voto castitatis in ordinibus sacris emisso non potes obligari leuiter; ergo intentio vouentis non limitat naturalem voti obligationem. Deinde in leui materia non potes velle te grauiter obligari, ergo neque in graui materia potes velle leuiter.

4. Contrarium docuit Sanch. *l.* 1. *de sponsal. disp.* 9. *num.* 6. Suarez *tom.* 2. *de Relig. l.* 4. *de voto c.* 4. *n.* 7. & mihi est probabilius. Probo, quia lex in materia graui potest leuiter obligare vt *tract.* 1. *de peccat. disp.* 2. *punct* 8 probauimus. Ergo votum, quod est quædam lex priuata leuiter obligare poterit. Sicut enim ex intentione legislatoris nascitur obligatio legis sic ex vouentis intentione obligatio voti. Ergo iuxta eius intentionem commensurari debet. Et explicatur amplius, liberum est promittenti se velle obligari; cum obligatio promissionis ex voluntate illius pendeat. Ergo liberum est nolle totam obligationem subire.

Dices promittenti liberum esse promittere, & consequenter se velle obligari. At posita promissione neque liberum illi esse nolle obligari neque obligari diminutè. Quia promissio

est

est assertio rei futuræ promissario insinuata, cuius obligatio non pendet ex asserentis voluntate sed ex virtute veracitatis & fidelitatis obligantis veram reddere assertionem.

Respondeo promissionem non solum esse assertionem rei futuræ promissario insinuatam, sed insuper connotare voluntatem suscipiendi obligationem faciendi illam. Alias non video quomodo ex illa assertione potius quam ex proposito obligatio nascatur. Qui enim firmiter proponit in confessione vitare peccata non solum voluntatem desiderij habet illa vitandi, sed virtute illius desiderij asserit vitaturum. At quia per huiusmodi desiderium & assertionem non intendit nouam obligationem subire, illa assertio & desiderium vim voti & promissionis non habet. Requiritur ergo ad veram promissionem voluntas suscipiendi obligationem; imò in hac voluntate promissio consistit; ergo potest promittens velle limitatam obligationem subire.

5. Ex his soluitur oppositum fundamentum. Concedo obligationem promissionis ex lege diuina & naturali oriri, sed dependenter à voluntate promittentis, quæ cum solùm sit ad venialem culpam, lex diuina ad illam solam obligabit. Ad confirmationem de Iuramento respondeo, esse disparem rationem. Nam Iuramentum consistit in adducendo Deum in testem seu fideiussorem, quod cum non suspiciat magis nec minùs, eius obligatio ex voluntate iurantis limitari non potest: At cum votum formaliter consistat in voluntate se obligandi ad rem quam asseris futuram exequendam, & in obligatione sit magis & minus, potest ex intentione promittentis leuis esse; esto materia grauis sit. At secundam confirmationem concedo, in contractu sponsalium, & in professione religionis, & in voto castitatis in ordinibus emisso non posse promittentem velle se leuiter tantum obligare; quia hæc voluntas est contra naturam & solemnitatem talium contractuum; ac proinde voluntate illa posita nihil efficitur. Secùs verò est, quando res promissa non petit hanc grauem obligationem. Ad tertiam confirmationem concedo, in leui materia non posse te velle grauiter obligari; quia non acceptat Deus talem voluntatem vtpote perfectioni spirituali non conducentem, sed potius salutis periculum afferentem; & quia est de materia incapaci talis obligationis; bene tamen acceptat leuem obligationem in graui materia. Quia & vouenti vtilis est, & Deo honorifica, & materia promissa capax est illius minoris obligationis; quia maioris est capax. Suar. *lib. 4. de voto cap. 4. in fine.* Sanchez *lib. 4. sum. cap. 12. num. 6. & alij.*

6. Verum ex leuitate materiæ posse votum leuiter obligare, eiusque transgressionem non excedere culpam venialem censent communiter Doctores, & videre est in Soto *l. 7. de iustit. q. 2. art. 1.* Nauarr *sum. c. 12. num. 40.* Suar. *l. 5. de voto c. 4. num. 5.* Valent. *2. 2. disp. 6. q. 6 punct. 4. q. 2.* Azor. *1. p. l. 11. instit. moral. c. 15. q. 4* Sanch. *l. 4. sum. c. 12. num. 5.* Lessio *l. 2. c. 40. dub 9.* Layman. *l. 4 tract. 4 c. 3. n. 2.* Ratio est: quia obligatio voti est obligatio fidelitatis, quam vouens contrahit implendi promissum, sed hæc obligatio suscipit magis & minus pro materiæ grauitate. Ergo ex leuitate materiæ leuis effici potest. Item communis est in omnibus præceptis obligationem ex suo genere grauem fieri venialem ex leuitate materiæ. Quod si dicas, hoc esse probandum comparatione voti dari leuem materiam. Nam esto leuis in se sit, at non videri leuem eo ipso, quo per votum Deo sacratur; sicut in mendacio leui contingit quod in se quidem leuis materia est: At vt sub Iuramentum cadit, grauissima est: Facilè fiet satis, si aduertas in periurio assertorio ideo mendacium leue non esse leuem materiam, quia mendacium Deo tribuitur quantum est ex parte iurantis; & mendacium siue graue sit siue leue æquè cum summa & infallibili veritate pugnat: At non reddendo promissum Deo nihil Deo attribuis eius bonitati aut veracitati contrarium, sed solum te ostendis infidelem, & illius maiestatis cui fidem dedisti quasi contemptorem. Quod si leuis materia sit, leue esse potest.

7. Vnde autem hæc leuitas materiæ in votis sicut & in reliquis præceptis desumenda sit? Latè diximus, *1. p. tract. 2. disp. 2. de peccatis punct. 7. & sequentibus*, neque aliquid speciale notandum occurrit, & ibi doctis consentit Suar. *in præsenti lib. 5. cap. 4. 5. & 6.* Lessius *l. 2. cap. 40. dub. 9.* Sanch. *lib. 4. c. 12. n. 12. & sequent.* Vbi duplicem regulam generalem constituit, quibus grauitas vel leuitas materiæ declaratur: Prima; illam esse grauem materiam de qua est præceptum, vel potest esse præceptum sub graui culpa obligans, Quia votum obligat instar præcepti. Secunda; grauitatem, vel leuitatem materiæ promissæ ex honestate ipsius omnibus circunstantiis pensatis desumendam esse; quia hac ratione grauiter vel leuiter in cultum diuinum cedit Exquibus regulis infert votum sumendi Eucharistiam & audiendi vel dicendi sacrum vel confessionem faciendi grauiter obligare; quia & grauiter cedunt in cultum Dei, & ex illis esse potest præceptum. Secùs verò dicit & bene de voto confitendi venialia quando de facto confessio facienda est; & de voto recitandi ter orationem dominicam vel Angelicam etiam intuitu lucrandi indulgentiam plenariam. Deinde infert in voto non bibendi vinum, illam esse grauem materiam, quæ esset, si præcepto Ecclesiastico vsus vini prohiberetur. Quare si in ea quantitate sumeretur, quæ ad prandium communiter sufficit temperatè vino vtentibus, grauiter peccaretur; secùs si minor quantitas; nisi fortè esset votum de ieiunando in pane & aqua. Præterea infert in voto eleemosynæ, grauitatem vel leuitatem metiendam esse ex fine intento. Si enim commodum temporale pauperis vel Ecclesiæ respexisti; illa erit grauis materia, quæ graui furto sufficeret; & leuis, quæ leue furtum constituerer. At si aliquid faciendum in honorem Dei respexisti, ex illius grauitate vel leuitate grauitas vel leuitas materiæ promissæ desumenda est. Qua ratione subdit; votum erogandæ eleemosynæ ad faciendum sacrum, grauem materiam esse. Quia in ordine ad diuinum cultum grauis materia est quoddam sacrum.

8. Posito votum ex se grauiter obligare, & aliquando tum ex intentione vouentis, tum ex materia promissa leuem obligationem inducere; restat inquirendum, qualem obligationem inducat; an fidelitatis tantum, an etiam illius virtutis, ad quam pertinet materia promissa? v. g. Promittis sacrum facere, ieiunium seruare, eleemosynam tribuere, obligatus es non solum ex fidelitate seruare promissum, sed etiam ex speciali virtute religionis, temperantiæ, vel liberalitatis?

Affirmat Sanch. *l. 4. de voto, c. 11. n. 6.* Casu quo ex speciali affectu illius virtutis, ad quam pertinet materia promissa votum emitteres; consentit Valent. *2. 2. disp. 6. q. 6. punct. 4. q. 1. concluf. 2.* Mouetur: quia legislator præcipiens actum, obligat præcepto illius virtutis, cuius est actus præceptus; præcipiens enim ieiunium obligat ex virtute temperantiæ, & præcipiens sacrum audire, obligat ex virtute religionis. Sed votum est quædam lex priuata. Ergo hanc sibi obligationem imponit. Secundò generaliter probatur transgressioni voti semper adiunctam esse malitiam contrariam honestati rei promissæ. Nam violans ieiunium promissum non solum est infidelis, sed intemperans; siquidem ex nimio & inordinato affectu comedit quæ & quando comedere non debebat; & vxor quæ ligata voto castitatis petit debitum, non castitatis actum sed luxuriæ præstat, cui nimis videtur affecta & sic de aliis. Ergo transgressioni voti semper adiungitur malitia aduersus materiam promissam ac si præcepta esset. Tertiò si verum est in transgressione votorum nullam aliam malitiam reperiri præter infidelitatem in non seruandis promissis, non esset necesse declarare in confessione materiam voti transgressi, sed satisfieri sufficienter dicendo transgressus sum votum in materia graui. Consequens videtur esse contra communem praxim. Ergo signum est vltra malitiam infidelitatis aliam adesse.

Nihilominus dicendum est, votum de re alias non præcepta solam obligationem fidelitatis inducere, quantumuis vouens intendat per votum habere rectitudinem virtutis materiæ promissæ. Sic optimè docuit Suar. *l. 4. sum. c. 3. num. 11.* & secluſa speciali vouentis intentione docuit Sanchez *l. 4. sum. c. 11. num. 23.* Et bene Caietan. *2. 1. q. 88. art. 5. dub. vlt.* Ratio est, quia vouens quantumuis afficiatur ad materiam promissam non potest illius habendæ aliam obligationem sibi imponere nisi quatenus Deo illam promittit. Sed ex hac ratione solum nascitur naturalis obligatio fidei seruandæ absque speciali obligatione ad materiam; illam enim accidentaliter respicit. Ergo ex vi voti sola est obligatio fidelitatis. Hinc colligere potes transgressiones omnium votorum eiusdem esse speciei infimæ, quia eorum malitia tota consistit in non seruandis promissis. Quod verò promissa diuersa sint, parum interest ad huius transgressionis considerationem. Sic Caiet. *d. art. 5. dub. vlt.* Sanch. *d. c. 11. n. 23.* Suar. *c. 3. n. 9.*

9. Neque obstant contraria argumenta. Ad primum dico esse disparem rationem legis & voti. Nam lex non extrahit materiam præceptam à propria ratione virtutis, sed in illa necessitatem imponit: quia media illa intendit subditos studiosos efficere. At votum, quia cultum Dei respicit, non imponit necessitatem in honestate materiæ promissæ, sed illa honestate supposita diuino cultui offert & consecrat. Et ex hac oblatione necessitas executionis oritur.

Ad secundum respondeo cum Suar. *d. l. 5. c. 3. n. 12.* Transgressionem voti ieiunij voluntarij esse posse actum temperantiæ per se spectatum si sumatur quoad actum exteriorem. Quia potest fieri cum mediocritate ad honestatem illius obiecti requisita. Sed concesso in hac parte excessum esse: non inde infertur grauis culpa aduersus temperantiam. Quia comparatione temperantiæ non est excessus grauis, esto grauis, sit comparatione voti emissi. Ad tertium negant sequelam plures, quos taciro nomine refert & sequitur Lud. Lopez. *1. p. instruct. c. 3 colum.* Suar *l. 5 de voto, c. 3. num. 9. fin.* Quia non solum est obligatio fatendi malitiam peccati, sed qualiter illa malitia contracta est, quando inde iudicium confessoris multum variari potest. tum ad cognoscendam grauitatem delicti, tum ad medicinam applicandam. Econtrà alij sentiunt non esse necesse explicare

materiam transgressionis, sed materia aliunde explicata si fortè ex aliis præceptis necessaria & obligatoria fuit, satisfacere obligationi transgressionem voti absolutè explicando. Sic docuit Nauarr. *sum.c.6.ad finem &cap. consideret de pœnitent. distinct.5.in princ.n.*104. Henric. l.5. de pœnitentia,*c.5. n.*4. Eman. Sà verbo *confession* 31. Lessius, *l.2.c.*40.*dub.9.in fine, n.*61. Sed optimè distinguit Sanch. *d. l.*4. *sum. c.*11. *num.*24. Iuxta diuersas sententias de obligatione confitendi circunstantias aggrauantes: retenta enim sententia negante has circunstantias necessariò confitendas esse, vera est sententia Nauar. & aliorum. At retenta sententia docente eas esse confitendas, vera est sententia. Suar. & Lud. Lopez. Sed adhuc posita hac sententia subdit Sanch. non esse opus explicare materiam promissam, sed satis esse si dicas te transgressum esse votum vel Iuramentum in materia notabiliter aggrauante. Quia ad voti transgressionem per accidens est hæc vel illa materia.

10. Rursus inquires; an ad solos actus externos vitandos & non ad internos de voto obstringere possis?

Negat Sanchez *lib.*4.*sum.cap.*11.*num.*12. eò quod sit obligatio ad impossibile. Prohibitio namque actu externo, consequenter videtur prohibitus internus, qui circa illum versatur. Dicendum tamen est supradictam sententiam veram esse, si vouens expressè voluerit, vt nequaquam velit se obligare ad vllum actum internum vitandum. Nam talis voluntas est de obiecto impossibili. Qui enim promittit non fornicari, consequenter promittit non habere voluntatem fornicandi. Nam voluntas fornicandi est voluntas transgrediendi promissionem factam. Non igitur stare potest, promissio de vitanda fornicatione, quin sit promissio de vitanda etiam voluntate illius. At si vouens hanc expressam voluntatem non habet, sed solum se obligandi ad vitandos actus externos; probabiliùs censeo votum valere & vouentem manere obligatum ad vitandos actus internos transgressioni voti directè repugnantes, sed non alios. Quia hæc obligatio & possibilis est & intentioni vouentis accommodata. Quare si votum est de vitanda fornicatione, vel pollutione, obligatur vouens ex vi voti non habere voluntatem fornicandi, vel polluendi; non tamen obligatur ex vi talis voti ad fugiendas delectationes morosas de fornicatione vel pollutione. Quia illæ delectationes nec directè aduersantur huic voto vt de se constat; neque etiam indirectè, siquidem non sunt de fornicatione vel pollutione circunstantia voti affectis, sed absolutè sumptis. Vasq. *1.2.disput.*112.*cap.*2. *num.*9.

PVNCTVM XII.

Qualiter votum obliget cum eius materia determinata non est?

SVMMARIVM.

1 *Votum semper obligat iuxta intentionem vouentis.*
2 *Cum de intentione vouentis non constat spectanda est materia promissa, & iuxta illam censendum est votum obligare.*
3 *Si hac spectata dubium est, verba secundum communem sensum accipienda sunt, & iuxta illum obligatio voti mensuranda.*
4 *Votum benignè quoad fieri possit interpretari debet.*
5 *Vouens recitare rosarium, obligatur ad tertiam illius partem.*
6 *Qualiter intelligatur votum audiendi singulis diebus sacrum.*
7 *Quid de voto virginitatis seruandæ.*
8 *Vouens religionem non obligatur ex vi illius ad castitatem.*
9 *Vouens peregrinationem satisfacit peregrinatione equestri.*
10 *Quid si mercede conductus aut causa alterius negotij peregrinationem suscipias?*
11 *Qualiter obliget ieiunij votum.*
12 *A voto ieiunandi sextis feriis, vel alio die te excusare si dies natalis Domini inciderit plures affirmant. Sed contrarium est verius.*
13 *Vnum tantum peccatum committitur in huius voti transgressione.*
14 *Violans ieiunium ex obligatione voti an peccet quoties carnes comedit illo die? Negat Sanchez n....*
15 *Probabilius est oppositum.*
16 *Fit satis oppositofundamento.*
17 *Vouens ieiunium potest ouis & lacticiniis vesci extra quadragesimam, vel si habet bullam.*
18 *At in quadragesima & priuilegio secluso obligatus est ab his abstinere ex vi voti; tametsi contrarium Sanchez censeat.*
19 *Qualiter obliget votum ieiunandi in pane & aqua.*
20 *Quid dicendum de voto abstinendi à carnibus?*
21 *Quid de abstinendo à vino?*
22 *Votum de se perpetuum est; esto videantur verba indeterminationem significare.*
23 *Ob indeterminationem rei promissæ votum non vitiatur.*
24 *Determinandum est ad minimam quantitatem & qualitatem vtilem sub re promissa contentam.*
25 *Qualiter obliget votum de re indeterminata quoad indiuiduationem, v.g. calicem vnum ex pluribus quos habes?*
26 *An si vnus solus remaneat ex pluribus qui fuerunt sub disiunctione promissi, debeas integrè illum soluere? Negat Sanchez, probabilius est oppositum.*
27 *Sed quid si rem determinatam promiseris; dubitas tamen, cui ex duabus Ecclesiis, vel pauperibus? Affirmat Sanchez te posse applicare cui volueris. Verius credo te obligatum esse diuidere.*
28 *Qualiter obliget votum duplicis rei sub disiunctione promissæ?*

1. PRo huius difficultatis solutione statuendæ sunt aliquæ regulæ generales in quibus Doctores conueniunt. Prima regula est; votum obligare secundum intentionem vouentis neque amplius extendi. Nam hæc obligatio voluntariè assumitur, ac proinde excedere non potest propriam voluntatem. Constat hæc regula ex illo Deuteron 23. *Facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es.* Et tradunt omnes.

2. Secunda est, cum de intentione vouentis expressè non constat, spectanda est materia promissa, & iuxta illius naturam censendum est votum obligare. Quia quilibet præsumendus est eam obligationem subire velle, quæ materiæ promissæ accommodata sit. Sic ex communi omnium sententia supponit Suar. lib.4. de voto *cap.*7. *num.*2. *&* 6. Layman *lib.*4. *de voto cap.*3.*num.*3.

3. Tertia regula est, si intentio vouentis & materia promissa inspecta dubium est, qualis sit voti obligatio, verba promissionis secundum communem & frequentem vsum spectanda sunt, & iuxta illum obligatio voti interpretanda est. Colligitur ex illo Deut.23. *illaqueatus es verbis oris tui.* Et ratio est: quia semper quis est præsumendus facere velle, quod verbis explicat iuxta *leg. Labeo ff. de supellectil.* leg. ibi Nemo dicere præsumitur quod non sentit. Sic Caietanus 2.2.*quæst.*88. *art.*2.*dubio* 4. Suar. *d.cap.*7.*n.*16.*conclusio* 3. Sanch. *lib.* 4. *de voto cap.*11. *num.*29. Layman. *loco allegato.* Debet tamen vouens sensum verborum scire; alias non poterit illum intendere. Vt bene notauit Sanchez supra. Sed hæc scientia semper præsumenda est. Quia semper præsumi debet vsurpans verba ad explicandos conceptus; & sensum verborum intelligere & illis vti in sensu communiter recepto.

Quarta regula est; si supradictis omnibus consideratis adhuc dubia est voti obligatio, votũ benigne interpretandum est. Vt quoad fieri possit minus obliget. Colligitur ex cap. *ex parte de censibus* & tradunt ibi Doctores & Azor.1.*p.li.*11.*c.*20.*q.*2. Suar.*li.*4.*de voto c.*7.*n.*18. Sanch.*li.*4.*de voto c.*11.*n.*3. Laym. *d.li.*4.*tract.*4.*c.*3.*n.*3. Ratio est: quia obligatio non est imponenda, nisi de ipsa clarè constet, ob periculum transgressionis. Has regulas late confirmauimus *super. tract. disp.* 2. *punct. vlt.* Vbi de interpretatione Iuramenti, & faciunt quæ *tract.*3.*de legibus* vbi de earum interpretatione locuti fuimus. Solum est difficultas qualiter hæ regulæ ad casus aliquos singulares applicentur. Vt ergo hoc intelligatur, discurramus per frequentiores.

5. Primò deducitur vouentem recitare Rosarium Beatæ Virginis obligatum esse attente recitare. Quia sine attentione nulla est oratio Valent. 2.2. *disp.*6.*q.*6. *punct.*4. *q.*3. Sanchez *lib.*4.*de voto c.*11.*num.*30. Paulus Layman. *lib.*4.*tract.*4.*cap.* 3.*num.*3. Suarez *lib.*4.*de voto cap.*7.*num.* 18. At non est obligatus integrum Rosarium recitare nisi id expressè intenderit; sufficit si tertiam partem recitet. Quia secundum frequentiorem vsum sub nomine Rosarij tertia pars intelligitur. Suar. *lib.*4 *de voto cap.*8. *num.*5. Sanch. *lib.*4.*cap.*13. *n.* 15. Sed an satisfaciat alternatim recitando cum socio? Affirmat Azor lib.10.institutionum moral.*cap.*7.*qu.*10. Bonacin.*disp.*4. *q.*2.*punct.*6. *num.*27. Quia modus ille recitandi conformis est consuetudini Ecclesiæ etiam in Rosarij recitatione vt patet ex vsu religionis Camaldulen. Vbi illius religiosi alternatim Rosarium recitant. Sed contrarium verius cum Nauarr. *cap. quando de consecrat.distinct.*5. *cap.*10.*à num.*22. Sanch. *lib.*4 *cap.* 11.*num.*38. Quia Rosarium communi vsu & consuetudine non alternatim recitatur. Ergo votum de illius recitatione non est præsumendum fieri de recitatione extra vsum & consuetudinem. Eadem ratione vouens Rosarium non credo satisfacturum si solum mente & non voce recitaret; quia de recita-

tione

tione vsitata, quæ est vocalis credendum est votum fieri dum contrarium non constat. Sanchez *d. cap.* 11. *num.* 36.

6. Secundò deducitur vouentem singulis diebus sacrum audire satisfacere diebus festiuis vnicum sacrum audiendo. Quia esto illud sacrum debitum sit ex præcepto Ecclesiastico, & voto etiam deberi potest; & non est credendum vouentem voluisse duplici sacro audiendo esse obligatum. Suar. *l.* 4. *de voto c.* 7. *n.* 14. Ad huius autem voti satisfactionem eadem attentio & integritas requiritur, quæ requisita est ad satisfactionem Ecclesiastici præcepti. Quia satis commune est apud Doctores votum obligare instar præceptum & legis si de tali materia lata esset vt multis citatis probat. Sanch. *l.* 4. *de voto cap.* 11. *num.* 31.

7. Tertiò deducitur vouentem virginitatem perpetuò seruare obligatum esse à qualibet venerea delectatione abstinere, etiam si semel vel iterum deliquerit. Quia sub nomine virginitatis censendus est castitatem promisisse. Qui enim virginitatem vouet promittit nullam admissurum delectationem qua integritatem sui corporis & animæ amittere possit. Quod verò illam amiserit, per accidens est, & obligationem voti non minuit. Secùs verò dicendum esset si expresè intenderet solum se obligare ad vitandum primum actum venereum & alios ex consequenti. Sed in casu dubio hæc intentio non est præsumenda. Sic multis relatis docuit Sapch. *lib.* 9. *de matrimonio disp.* 33. *num.* 7. & *lib* 4. *de voto cap.* 21. *num.* 22. Suar. *lib.* 4. *de voto cap.* 7. *n.* 5 & 5. Valent. 2. 2. *disp* 6. *q.* 6. *punct.* 4. *post medium vers. secundum quod notari debet.*

8. Quartò deducitur vouentem religionem ingredi aut ordines sacros suscipere non esse obligatum ex vi talis voti castitatem seruare. Quia non vouet castitatem, sed statum cui castitas est annexa; ergo illo statu non assumpto cessat castitatis obligatio. Sic Caietanus 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. Suar. *lib.* 4. *de voto cap.* 7. *n.* 15. Valent. *loco allegato.*

9. Quintò deducitur vouentem peregrinari ad Diuum Iacobum, satisfacere peregrinatione equestri; tametsi tempore voti cogitauerit pedester peregrinari. Quia equestris peregrinatio vera peregrinatio est, & cogitatio tempore voti concepta non inducit obligationem; quia non ex cogitatione sed ex promissione obligatio nascitur. Sanch. *l.* 4. *de voto*, *c.* 11. *n.* 31. *iuncto num.* 5. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 6. *num.* 15. & 16. Sed quid si mercede conductus vel causa alterius negotij, aut curiositatis vel vi coactus peregrinationem suscipias? Sanch *l.* 4. *c.* 11. *num.* 68. Negat in omnibus te voto satisfacere. Quia tu vouisti peregrinationem voluntariam religiosam, & piam. Sed peregrinatio assumpta per vim non est peregrinatio voluntaria & religiosa, & multò minùs quæ solo titulo curiositatis, aut alterius negotij profani assumitur; quæ verò ob stipendium non tam est peregrinatio ex pietate quàm ex iustitia. Ergo in iis casibus non satisfacis voto peregrinationis.

10. Verùm hæc doctrina vniuersaliter non est vera. Et primò si vis illata non tollit tibi integram libertatem, esto illam diminuat, voto satisfacies sic coactus peregrinando. Quia absolutè peregrinationem piam voluntariè suscipis. Deinde expedito alicuius negotij aut curiositas impedire satisfactionem voti potest, quando solus ille finis peregrinationis adesset; secùs si cum ipso adesset voluntas inuisendi reliquias. Nam tunc iam esset peregrinatio religiosa saltem quoad actus substantiam; neque ab hoc dicendi modo dissentit Sanch. *loco allegato.* Item non video, qua ratione obligatio iustitiæ ob stipendium acceptum impediat voti satisfactionem; cum obligatio voti & iustitiæ in eandem materiam cadere possint, & obligatio iustitiæ religiosam peregrinationem esse non impediat. Si enim ex voto obligatus esses, singulis diebus sacrum facere; cur non poteris pro illo faciendo stipendium accipere? Sicut è contra si stipendio obligatus es sacrum facere, potes & voto ad illud faciendum te obstringere.

11. Sextò deducitur qualiter obliget ieiunij votum? Breuis responsio est, obligare eo modo, quo obligaret præceptum Ecclesiasticum si de eo ieiunio latum esset. Quia cum votum sit quædam lex priuata, quam sibi vouens imponit, nulla aptior dari potest mensura illius obligationis quàm legis mensura. Suar. *lib.* 4. *de voto cap.* 7. *num.* 9. Sanch. *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 31. Hinc fit vouentem ieiunium obligari à carnibus & à repetita refectione. Quia hæc sunt de essentia Ecclesiastici ieiunij. Item debere hora consueta vesci, possèque colatiunculam vespertinam sumere. Sed an in vigilia nativitatis in qua latior hæc refectio promittitur præcepto ieiunij ligatis; permittatur voto ligatis? Dicendum est permitti. Quia nemo censendus est nisi id clarè exprimat se velle obligare ad ieiunium aliter quàm Ecclesia obligat. Sanch. *l.* 4 *cap.* 11. *num.* 65. Secundò fit vouentem omnibus diebus alicuius mensis vel anni ieiunare non esse obligatum ieiunare diebus dominicis. Quia non est censendus se velle obligare contra consuetudinem Ecclesiæ receptam, Sanch. *lib.* 1. *sum. c.* 37. *num.* 20. Bonacin. *tom.* 2. *disput.* 4. *q.* 2. *punct.* 6. *num.* 25. Tertiò fit vouentem ieiunare in vigilia alicuius sancti, ipsáque sit dominica non obligatur eo die ieiunare sed sabbato antecedenti. Quia sic obligaret præceptum Ecclesiasticum de tali ieiunio. Bonacin. *d. punct.* 6 *num.* 26. Azor. 1. *p. l.* 11. *cap.* 20. *q.* 5. Quartò fit vouentem abstinere à carnibus, obligatum esse abstinere à iure quo coactæ sunt; quia Ecclesia præcipiens à carnibus abstinentiam & iuris abstinentiam præcipit. Quia illarum substantiam continet. Sanch. *l.* 4. *de voto c.* 11. *num.* 48. Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. *num.* 23. Quintò fit vouentem abstinere à vino vel carnibus aliquo die; peccare quoties eo die carnes comederit vel vinum biberit. Quia est obligatio instar præcepti Ecclesiastici obligantis semper & pro semper. Sic Layman. *l.* 4. *tract.* 4. *c.* 3. *nu.* 3. Azor. 1. *p. l.* 11. *c.* 20. *quæst.* 8. Nauarr. *c.* 12. *num.* 53. Sanch. *l.* 4. *c.* 11. *num.* 41. *iuncto c.* 13. *num.* 35. Sumptio verò tam primæ quam secundæ absolutionis in Missa non est aduersus hoc votum; quia votum non debet excludere consuetudinem Ecclesiæ receptam. Azor. 1. *p. l.* 11. *c.* 20. *q.* 7. Sanch. *l* 4. *c.* 11. *num.* 43. Bonacin. *disp* 4. *q.* 2. *punct.* 6. *num.* 11. Sextò fit violantem ieiunium promissum carnium comestione vel repetita refectione deobligatum esse à ieiunio, & posse sæpius comedere; quia ieiunium seruare est impossibile. Layman. *d. lib* 4 *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 3.

12. Restant tamen circa hanc ieiunij materiam aliqua difficiliora examinanda. Primum; an à voto ieiunandi omnibus sextis feriis sabbato vel alio die excuseris si dies natalis Domini inciderit? Affirmant te excusatum. Molin. tom. 2. de iustit. *disput.* 272. vers. *exempla sunt.* Azor. 1. *p. l.* 11. *institut. moral. c.* 20. *q.* 3. Mouentur quia si illius diei tempore voti meminisses, non est præsumendum te voto ad ieiunium obligaturum. Cæterum veriùs est te esse censendum obligatum nisi expresè diem illum exceperis. Sic Sanch. *lib.* 4. *de voto c.* 11. *num.* 60. Suar. *lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 8. in hanc partem inclinat Vasq. 1. 2. *disp.* 30. *cap.* 4. *num.* 26. Reginald. *lib.* 8. *num.* 290. Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 6. *num.* 9. Ratio ea est. Quia votum illud ex modo quo pronunciatum est diem illum comprehendit, vt constat, sed exceptio Ecclesiæ solam præcepti obligationem sustulit; non autem voti obligationem, vt manifestè colligitur *ex cap fin. de obseruatione ieiunij* ibi. *Qui nec voto, nec regulari obseruantia sint adstricti.* Ergo votum obligat ac si nulla ab Ecclesia illius diei exceptio facta esset. Neque obstat vouentem, si illius diei recordaretur, fore illum excepturum. Quia obligatio vel deobligatio voti desumitur ex eo quòd vouens faceret, sed ex eo quod de facto fecit & promisit.

13. Sed an voto vel regulari obseruantia astrictus ad seruandum ieiunium omnibus sextis feriis, si feria illa sexta, qua Domini natalis incidit, carnes comedat duplex peccatum committat, aliud contra votum vel regularem obseruantiam (si regularis obseruantia ad peccatum obligat) aliud contra Ecclesiæ præceptum? Affirmat Metina *lib.* 1. *sum. cap.* 14 §. 10. *fol.* 99. Mouetur; quia Pontifex solum excepit à præcepto & obligatione abstinendi à carnibus qui nec voto nec regulari obseruantia obstricti sunt. Inquit enim, *illi qui nec voto nec regulari obseruantia sunt astricti in 6. feria, si festum Natiuitatis Dominica die ipso venire contigerit carnibus propter festi excellentiam vesci possunt secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis.* Ergo astricti voto vel regulari obseruantia à præcepto non excusantur. Nihilominus oppositum probabilius est, nulla alia obligatione astrictum voto vel regulari obseruantia teneri abstinere à carnibus præter obligationem voti vel regularis obseruantiæ. Sic docuit plurib[us] relatis Sanch. *l.* 4. *cap.* 11. *num.* 64. Quia generalis consuetudo præceptum de abstinentia illo die sustulit ob festi excellentiam. Neque ex supradicto textu contrarium colligitur. Cum ibi solum dicat Pontifex eos, qui nec voto nec regulari obseruantia obstricti sunt, non esse obligatos abstinere à carnibus illa feria sexta. Quia alij astricti voto vel regulari obseruantia verè sunt obligati non obligatione præcepti, sed obligatione, quam votum vel regularis obseruantia illis inducit.

14. Secundò examinandum est; an emisso voto ieiunandi aliquo die, illóque violato carnium comestione vel repetita refectione obligatus sis ex vi voti à carnibus abstinere, ita vt si carnes secundò comedas pecces contra votum? Negat Sanch. *l* 4. *de voto c.* 11. *num.* 42. neque improbabile reputat Laym. *l.* 4. *sum. tract.* 4. *c.* 3. *num.* 3. Mouetur: quia hic vouens ieiunium in tantum vouet abstinentiam à carnibus, quatenus illa abstinentia ad ieiunium necessaria est. Ergo soluto ieiunio cessat obligatio quæ accessoria erat. Neque obstat (inquiunt) quod lex Ecclesiastica eo ipso quo ieiunium iniungit, abstinentiam à carnibus omnimodam præcipere; ita vt violato ieiunio nulla ratione illis liceat vesci. Quia hanc abstinentiam præcipit non quatenus ieiunium præcipit; aliàs solos obligatos ieiunare astringeret, sed alio præcepto generali distincto. At cum vouens solo voto ieiunij abstinere à carnibus obligetur; cessante obligatione ieiunij cessat illa abstinentia. Et confirmatur si vouens ieiunium obligatus esset abstinere à carnibus eo modo, quo Ecclesia obligat fideles, cum præceptum ieiunij imponit; excusatus à ieiunio promisso ob laborem aliquem superuenientem, non excusaretur à carnium abstinentia; etsi

ille

lle dies non esset extinctiuus obligationis ieiunij, sed illo transacto obligatio ieiunandi remaneret, vouens esset obligatus duplici die à carnibus abstinere tum illo, quo ieiunium directè promisit; tum illo, qui loco illius subrogatus est. Consequens autem videtur durum; cum solum vnico die ieiunare promiserit, & consequenter vnico die à carnibus abstinere. Ergo, &c.

15. Cæterum verius censeo vouentem ieiunium obligatum esse à carnibus abstinere eo modo, quo obligat præceptum Ecclesiastici ieiunij; ac proinde toties peccare aduersus votum, quoties carnes comederit. Sic tanquam commune & certum tradit Suar. *l.4. de voto c.7.num.9.& num.* 12. Inquit contrarium dicere absurdissimum esse & contra omnes. Ratio ea est; quia de ratione ieiunij Ecclesiastici est vnica tantum comestio & abstinentia à carnibus in omnibus horis illius diei. Ergo vouens ieiunium vouet non comesturum ampliùs quam semel & in nulla hora illius diei carnes; ergo quacunque hora illius diei carnes comedat, peccat, quia esto violauerit ieiunium, non violauit omnimodo, quo potest. Dices verum esse in ieiunio illum vtrumque contineri, & abstinentiam à carnibus & à duplici comestione, sed vnum dependenter ab alio: ac proinde violato ieiunio ex vna parte cessare ex alia. Sed hoc absque firmo fundamento dicitur; contrarium enim ex præcepto Ecclesiastici ieiunij colligitur, cui votum assimilari debet. In illo namque præcepto ieiunij abstinentia duplicis comestionis annectitur abstinentiæ à carnibus, sed non è contra; quia excusatus à carnium abstinentia excusatur à duplici comestione; non tamen excusatus à duplici comestione excusatur à carnium abstinentia: imò potius quoties carnes comederit, toties peccabit. Ergo idem est dicendum de voto.

16. Neque rationes contrariæ vrgent. Ad primam fateor vouentem abstinentiam à carnibus eatenus illam vouere quatenus necesse est ad Ecclesiasticum ieiunium. At quia ad Ecclesiasticum ieiunium necessaria est abstinentia à carnibus semper & pro semper toto illo die; ea de causa toties peccatur, quoties hæc abstinentia violatur. Ad replicam dicimus Ecclesiasticum ieiunij præceptum præcipere abstinentiam à carnibus, nisi iam præcepta supponatur. Ad confirmationem concedo, excusatum à duplicis comestionis abstinentia non excusari à carnium abstinentia; & cum vrges, ergo obligatur duplici die à carnibus abstinere, tum die per votum signato; tum alio, in quem obligatio transit; concedendum est, neque debet esse durum; eò quòd hæc obligatio est per accidens ob voti in die signato excusationem vel transgressionem.

17. Secundò dubitabis; an vouens ieiunium possit ouis & lacticiniis vesci? Et quidem extra tempus quadragesimæ illis in locis, in quibus consuetudo non viget ab his abstinendi, optime vesci potest. Quia non est præsumendum vouentem voluisse se obligare ad strictiorem ieiunij formam. Idem dicendum est ob eandem rationem de voto ieiunij in quadragesima vel illis in locis in quibus viget ab his abstinendi consuetudo, si habeas Bullam cruciatæ. Habentes namque bullam excusantur ab obligatione abstinendi ab his, quam excusationem vouens non est præsumendus reiicere. Sed potiùs credendus est voto se voluisse obstringere ad seruandum ieiunium ea forma, qua ex præcepto Ecclesiastico teneretur. Manuel Rodrig. *1.tom.summ.cap.*184.*num.*10. Sanchez aliis relatis *lib.*4.*cap.*11.*num.*49.

18. Difficultas; an carens bulla obligetur ex vi voti ab ouis & lacticiniis abstinere in quadragesima aliisve temporibus, in quibus ex consuetudine ab his abstinetur?

Negat Sanchez *d.cap.*11.*num.*37. Ea motus ratione; quia sic vouens solum obligatur ad seruandum ieiunium eo modo, quo ab Ecclesia institutum est. At Ecclesia in præcepto ieiunij hanc abstinentiam non præcepit, sed alio distincto præcepto, quod obligat excusatos à lege ieiunij, & in diebus dominicis, ad cuius præcepti obseruantiam vouens ieiunium non debet censeri obligatus.

Cæterùm verius censeo sic vouentem obligatum esse ab his abstinere, ita expressè tradit Cordoüa *summ.q.*168.*punct.* 2. Ludouicus Lopez *2.p. instructorij de ieiunio fol.*714. Azor. *1.p.lib.7.c.*10.*q.*2.*fine & lib.*11.*cap.*20.*quæst.*6. Suarez *lib.*4. *de voto cap.*7.*num* 9.*fine.* Ratio ea est: quia licet abstinentia ab ouis & lacticiniis supponatur præcepto ieiunij quadragesimalis, at quia hoc necessariò supponitur & tanquam pars integralis talis ieiunij: ea de causa vouens illo tempore ieiunare, censendus est votum emittere de ieiunio sub illa forma. Neque Ecclesiasticum quadragesimale ieiunium est sola abstinentia à duplici refectione, sed etiam abstinentia à carnibus, & ab his, quæ à carnibus originem ducunt. Per quæ ratio contraria soluitur.

19. Præterea dubitatur de voto ieiunandi in pane & aqua qualiter obliget; Et respondeo obligare, ne aliud comedas, aut bibas, quod si pisces, leguminaue comederis hora consueta, aut vinum biberis peccas; sed non ob inde excusaris seruare Ecclesiasticum ieiunium, cum possis. Quia non es censendus Ecclesiasticum ieiunium promisisse dependenter ab illa circunstantia & conditione. Bene tamen conditio illa & circunstantia promissa est dependenter & à ieiunio. Quia ieiunio violato nulla est obligatio, eam abstinentiam vtpote accessoriam seruandi. Sanch. *lib.*4. *sum. cap.*11 *num.* 47. Difficultas est; an circunstantia illa violata, eo quòd semel vinum biberis, possis sæpiùs bibere absque voti transgressione? Affirmat Sanch. *loco allegato*; eò quod iam sit impossibile illam circunstantiam seruare; sicut enim promittens ieiunare si bis comedat, à ieiunio excusatur, & potest sæpius comedere: Quia violato ieiunio impossibile est illud seruare, ita videtur dicendum de sic vouente. Sed verius censeo oppositum. Quia illa abstinentia ab omnibus aliis cibis annectitur ieiunio promisso pro toto die & singulis eius partibus, ac proinde dum perseuerat obligatio Ecclesiastici ieiunij promissi perseuerat obligatio huius abstinentiæ.

20. Sed quid dicendum de voto abstinendi à carnibus, an comprehendat abstinentiam à lacticiniis & ouis, & votum abstinendi à lacticiniis comprehendat abstinentiam ab ouis, vel à carnibus? Breuiter respondeo per se non comprehendere. Quia sunt res omnino distinctæ; & licet in præcepto Ecclesiastico vniantur, non inde infertur in voto vniri debere; cum hæc obligatio pro intentione vouentis suspiciatur, qui specialem finem habere potest in vna obligatione potiùs quam in alia suscipienda. Sic Emanuel Sà verbo *votum num.*25. Sanch. *lib.*4. *cap.*11. *num.*46. Aduerte tamen, votum abstinendi à lacticiniis si emissum sit pro diebus, quibus vsus carnium est prohibitus, censeri debere emissum dependenter ab illa prohibitione. Quare illa cessante vel ex dispensatione vel ex necessitate cessabit huius voti obligatio Sanch. *d. cap.* 11. *num.*58.

21. Quid de voto abstinendi à vino? Obligat sub grauì culpa ne bibatur in ea quantitate, quæ vino temperatè vtentibus sufficeret pro vna comestione. Non tamen obligat abstinere à ceruisia quia ceruisia vinum non est; tametsi votum emissum sit fine ebrietatem vitandi. Quia finis extrinsecus voti sub voti obligationem non cadit. Sanch *d.cap.*11. *num* 44.

22. Septimò deducitur qualiter obliget votum alicuius rei inde terminatæ? Pro quo suppono indeterminatum esse posse quoad tempus, quia non exprimis pro quo tempore vis te voto obstrictum esse. Secundò esse potest quoad quantitatem vel qualitatem ipsius rei. Tertiò quoad eius indiuiduationem. De prima indeterminatione nulla est dubitatio. Nam esto verba indeterminationem sonent re ipsa votum determinatum est, vt in perpetuum obliget. Sic vouens castitatem censetur in perpetuum illam vouere. Et vouens ieiunare sextis feriis censetur pro semper vouere dum contrarium non exprimit. Secus verò dicendum esset si ieiunium vel eleemosynam absque vllo signo distributiuo promitteres; quia tunc vnico ieiunio vel eleemosyna satisfaceres.

23. De secunda determinatione est difficultas; qua ratione voto non obstet: Et ratio difficultatis est; quia res sic promissa mandari executioni non potest, cum nihil in re constitui possit, quod non sit quoad quantitatem, qualitatem, & indiuiduationem determinatum. Deinde in leg. *qui triticum leg. qui insulam, & leg.ita stipulatus. ff. de verborum obligatione & leg. legato generaliter ff. de legatis* 1. Ob incertitudinem rei promissæ vitiatur legatum, ergo similiter vitiari debet votum Præterea si ex vi voti nulla est determinatio facta, satisfieri voto poterit cuiuslibet rei etiam inutilis oblatione, quod videtur absurdum.

Dicendum tamen est ob indeterminationem rei promissæ non vitiari votum. Sic docet Abbas *cap.ex parte num.* 5. *de censibus & ibi* Anton. *num.*7. Azor. 1. p. institutionum moralium *lib.*11. *cap.*20. *quæst.*2. Suarez tom.2. de Relig. *lib.*4.*de voto cap.*7. *num.*15. concluf. 4. Sanch. lib.4.*de voto cap.*13.*nu.* 3. *& sequentibus.* Ratio est quia illud votum est de re honesta & possibili. Ergo obligat, & licet possibile non sit exequi sub illa indifferentia, quâ promissa est, hoc non tollit voti obligationem. Quia ipsum votum obligat tollere illam indifferentiam, vt res promissa executioni mandari possit. Alias votum ingrediendi religionem inualidum esset, quod nullo modo est dicendum. Nam licet ex vi voti nulla religio determinetur; determinatur tamen vouens aliquam eligere. Ex quibus constat solutio ad primam rationem contrariam. Ad secundam Anton. & Abbas *in d.cap.ex parte.* Admittunt promissiones profanas ob incertitudinem vitiari, secus promissiones spirituales & pias ob earum pietatem: Has enim (inquiunt) ex æquitate Iuris Canonici validas esse, vt latè probat Tiraquellus *de priuilegiis pia causa priuileg.*55. *num.vnico*, & colligitur *ex lege cum post*, §.*gener ff. de iure dotium.* Vbi dos generaliter promissa arbitrio prudentis determinatur inspecta facultate promittentis & dignitate personæ in cuius fauorem fit. Adde non semper ex iure ciuili promissionem incertam vitiari, sed solum quando eo reducitur incertitudo, vt nullius momenti sit res oblata. Vt ex Gloss. & Bartol. *in leg.legato ff. de legatis* 1.*& in leg.cum post* §.*gener ff.de iure dotium* notat Suar.

d.cap.

d.cap.7.in fine, quod in voto locum habere non potest; cum semper res vtilis, & quæ in cultum Dei cedat, offerenda sit. Ad tertiam negamus rem inutilem offerri posse: tum ob reuerentiam Dei, cui sit promissio; tum vt vera promissio reddatur. Quia nemo censetur quantumcumque generaliter promittat, rem inutilem promittere. Quia res promissa vtilis promissario esse debet; quia debet esse illi grata.

24. Sed est dubium qualiter hoc votum determinandum sit? Breuiter respondeo ad minimam quantitatem, & qualitatem vtilem sub re promissa contentam determinandum esse, nisi ex recepta consuetudine vel ex aliis circunstantiis contrarium colligatur. Sic docuit Valent. 2.2. *disput.6.qu.6.punct.4.qu.3.* Azor. 1.*p.lib.*11 *cap.*20.*qu.*2.& *quæst.*10.Suarez *lib.*4. *de voto capit.*7. *num.*18. vers. *Nihilominus.* Sanch. *lib.* 4. *de voto cap.*13. *num* 8.*& sequentibus.* Layman. *lib.*4. *sum. tract.*4. *cap.*3.*num.*3. Bonacina *tom.*2.*disp.*4.*q.*2. *punct.*6.*num.*15. & 31. Ratio est: Quia votum solum obligat, vt promissum seruetur, quod verificari optimè potest, si in minima quantitate vtili promissum impleatur; idque probat Textus *in capite de censibus.* Vbi de voto in quo mensura tritici D. Iacobo & eius ministris promissa est, decidit Pontifex fieri satis, si minima reddatur, nisi aliud consuetudo generalis expostulet; & subdit Pontifex rationem; quoniam cum huiusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt à vitis Ecclesiasticis exigenda. Ergo à fortiori ab ipsomet Deo benignius votum exigendum est ne rigorosa exactione à votis emittendis homines retardentur. Adde probabile satis esse, legatum indeterminatè relictum non esse donandum secundum maiorem quantitatem sed secundum minorem, ne nimium hæres grauetur; quem præsumitur testator quam nimium grauare voluisse. Vt constat ex *leg. nummis* 83. *ff.de legatis* 3. ibi. *Nummis indistinctè legatis receptum est vt exiguiores legati videantur.* Ergo à fortiori est idem dicendum de voto, ne vouens præsumatur se nimium voluisse grauare. Dixi *nisi ex consuetudine maior quantitas promissa esse censeatur*: Quia ex consuetudine optime colligitur intentio vouentis, & colligitur ex supradicta *leg. nummis*, ibi. *Si neque ex consuetudine patris familias, neque ex regione vnde fuerit, neque ex contextu testamenti possit apparere.* Hinc fit promittentem calicem alicui Ecclesiæ debere donare argenteum; quia est inferioris qualitatis ex iis quibus Ecclesia vti solet, *cap.vt calix de consecratione distinct.*1. Sic Azor. 1.*p.lib.*11. *instit. mor. cap.*20. *q.*10. Sanch. *lib.*4.*cap.*13.*num.* 13. Layman. *lib.* 4. *summ. tract.*4. *cap.*3. *num* 3. *in fine.* Excipe nisi promittens esset nimis pauper, & in illa Ecclesia stannei calices essent; quia tunc censeri posset stanneum calicem promittere. Layman *supra.* Item fit promittentem oleum non esse obligatum dare optimum; & promittentem panem pauperibus satisfacere si donet vsitatum & sic de reliquis. Suar. *lib.*4. *de voto cap.*8. *num* 9.

25. De tertia indeterminatione quoad indiuiduationem est difficultas qualiter votum obligare possit? verbi gratia promittis Ecclesiæ vnum calicem, vel seruum ex iis quos habes; quem ergo obligatus es tribuere? Dicendum est, te posse eligere quem malueris; quia cum non constet de determinatione tuæ voluntatis, non est cur ad pretiosiorem obligeris. Sanch. *lib.*4.*cap.*13.*num.*19.Bonacin.*disp.*4. *quæst.*2. *punct.*6. *num* 32.

26. Difficultas autem est: an si ante voti adimpletionem pereant reliqui calices vel serui, & solus vnus remaneat, tenearis integrè ad voti executionem? Negat Sanch. *loco alleg. cum* Molina *to.*2.*de iust.disp.*270.vers.*quando res vna.* Moueturr: Quia calix vel seruus remanens non est magis promissus quam alter ex his, qui perierunt, cur ergo quilibet ex his, qui perierunt perire debet integrè promittenti & non voti obligationi? Pereat ergo & voti obligationi & promittenti; & consequenter superstes remaneat & promittenti voti obligationi; ac proinde diuidatur. Idem, quod tradunt ij Doctores de vouente ipsius hærede qui in ius defuncti succedit, non esse inquam obligatum calicem vel seruum remanentem integrum donare, sed dimidiatum in valore.

Cæterum verius credo tam vouentem quam ipsius hæredem obligatum esse tradere calicem vel seruum remanentem. Sic Bonacina *disp.*4.*q.*2. *punct.*6. *num.*34. Moueor: Quia in supradicto voto nullus calix vel seruus est determinatè promissus, sed quilibet est promissus, sub disiunctione præstat enim hunc sensum, dabo vnum ex calicibus, quos habeo; dabo inquam hunc vel illum. Ergo remanente vno calice remanet tota materia sufficiens ad voti executionem. Tenetur ergo vouens votum integrè implere. Neque fundamentum Molinæ & Sanchez vrget; concedo namque non esse magis promissum calicem remanentem, quam eos, qui perierunt, sed omnes æquè sub disiunctione esse promissos. At non inde infertur; obligationem voti perire debere. Quia cum voto determinatè addicti non fuerit, obligatio voti integra perseuerat, quoties perseuerat materia executioni voti sufficiens.

27. Sed quid dicendum, si rem determinatam promiseris, dubites tamen cui ex duabus Ecclesiis promiseris, poteritne applicare, cui malueris? Affirmat Sanch. *lib.*4. *de voto cap.* 13. *numero decimooctauo, fine.* Mouetur: Quia tota obligatio voti nascitur ex voluntate vouentis. Cum ergo vouens nesciat, quam ex illis Ecclesiis determinauerit; non est, cur eius obligatio determinata censeatur. Neque est simile de eo, qui obligatus est rem aliquam restituere; ignorat autem, cui è duobus debeat, quam tenetur pro ratione dubij singulis diuidere; quia singuli illi posito dubio habent ius iustitiæ. At Ecclesiæ, quibus per votum res est promissa, nullum ius habent, sed totum ius penes Deum in cuius honorem res promissa est, residet. Sed verius credo te obligatum esse rem diuidere, cognoscis namque rem illam vni ex illis Ecclesiis determinatè promisisse; quòd verò postea ignores, cui promiseris, non tollit quominus vni ex illis determinatè debita fuerit ex determinatione, quam tu reuocare non potes. Ergo neque tollit quominus illi donari debeat. Cum ergo cognoscere non possis, cui ex illis debeatur, recta ratio postulat, vt pro qualitate dubij rem diuidas; Siquidem hæc diuisio in tui damnum non cedit, & ex alia parte debito contracto satisfacit meliori modo possibili. Alias si vni Ecclesiæ rem integrè tradis, periculo te exponis tradendi rem, cui non debet. Secus verò est, cum à principio Ecclesia, cui res donanda est, determinata non fuit; quia tunc relinquitur arbitrio vouentis & ipsius hæredis determinatio vt bene dicit Sanchez *d.c.*13.*n.*18.*in principio.*

28. Octauò deducitur; qualiter obliget votum duplicis rei sub disiunctione promissæ? Et quidem si tempore voti aliqua ex illis sit inepta materia voti, vt si voueas te futurum religiosum, vel furaturum; votum corruit. Quia in promissione disiunctiua nulla pars determinatè eligitur, sed promittens electionem sibi reseruat; & ad partem, quam elegerit, se obligat. Hanc autem electionem facere non potest si vna ex materiis promissa inepta sit. Ergo corruit tota eius obligatio. Sanch. *lib* 4. *summ.cap.*10. *num.*17. *& sequentibus.* At si tempore voti disiunctiui vtraque materia promissa apta sit, si promittas Ecclesiæ donare calicem vel seruum; contingit autem quod voto illo emisso perit calix vel seruus; obligatis sane tradere partem superstitem, vt expresse de humanis promissionibus dicitur in *leg. Stichum aut Pamphilum* 95. §. 1. *ff. de solutionibus, lege non vtique* 3. *ff. de eo qui certo loco leg. regia* 23. *tit.*11. *partita* 5. Ratio ea est: Quia obligatus fuisti vnum ex illis duobus donate quod implere optime potes vno ex illis remanente. Ergo teneris. Et hoc quidem verissimum est si in mora fuisti eligendi, antequam res illa periret, vel tua culpa perit. Quia eo ipso vis totam obligationem in remanentem transferre. Neque enim iustum est, vt ex tua culpa commodum reportes, & promissarius damnum.

At si non fuisti in mora eligendi, neque tua culpa perit, alicui videbitur te esse deobligatum à voto. Quia res in eum statum deueniunt quem si à principio haberent tempore voti emissi, votum nullum effet. Deinde obligatio non fuit calicis vel serui determinatè, sed vnius ex illis, quem elegeris: Supponitur ergo electio ad determinatam obligationem. Ergo reddita impossibili electione absque tua culpa obligatio determinata esse non potest. Præterea si scires vnam ex illis rebus promissis fore perituram, præsumi non potest te votum emissurum de tradenda determinatè illa re, quæ remanet. Non ergo es censendus obligatus. Nihilominus dicendum est te obligatum esse, non quidem ad tradendam determinatè rem superstitem, vt bene probant rationes adductæ, sed ad tradendam illam; vel æstimationem illius quæ periit. Sic docuit Glossa in dicta lege *non vtique* verbo *solum ff. de solutionibus.* Gregorius Lopez *leg.*23.*fine tit.* 11. *partita* 5. Antonius Gomez tom.2.variar.*c.*11.*num.*40.Molina tom.2.de iustitia *disp.*270. vers. *quando*, quos refert & sequitur Sanch. lib.4. de voto *cap.*13.*num.*25. Et probat Textus *leg. cum res* 49. vers. *qua ratione ff. de legatis* 1. Ratio ea est: quia ex eo quod obligeris rem superstitem, vel æstimationem illius, quæ periit donare, non obligaris amplius quam à principio obligatus fuisti: Siquidem loco rei peremptæ succedit æstimatio, & inter æstimationem illius & rem superstitem conceditur tibi electio. Notanter dixi *æstimationem illius rei quæ perit.* Nam in votis personalibus non est locus æstimationi. Non enim qui promittit ingredi religionem, vel seruire Xenodochio; & post votum inutilis, & Xenodochij seruitio, satisfaciet donando Xenodochio quantum eius ministerium æstimabitur; quia non vouit Xenodochij seruitium ob vtilitatem Xenochij, sed præcipuè ob vtilitatem spiritualem propriam, quæ non est pecunia æstimabilis; ac proinde inutilis factus Xenodochio tenetur religionem ingredi. Sic Sanch.*lib.*4.*de voto cap.*13 *n.*32.

Hoc tamen limitandum est, dummodo rem, quæ perit, antequam pereat, non elegeris electione perfecta, quam nullatenus variare possis; quod non aliter fit, quam volendo obligationem alternatiuam fieri determinatam; quod est virtute nouum votum emittere. Illa ergo electione posita cessauit obligatio alternatiua & successit rei peremptæ obli-

gatio;

gatio, quod pluribus exornat. Sanchez *d. cap.* 13. *à numero* 20.

Aduertendum tamen eſt maximè, vota ſæpè videri alternatiua. Cum tamen ſint conditionalia. Quia vouens ad vnum tantum ſe obligare intendi; vt ſi diceres, voueo hoc anno me vindicare vel religionem ingredi. Non enim vindictam Deo vouere viſi ſed vindicta non poſita voues religionem; clarius ſi voueres non fornicari vel religionem ingredi; voues enim religionem ſi fortè fornicatus fueris; idem eſt, ſi promitteres poſt annum vel poſt biennium religionem ingreſſurum; præſtat enim hunc ſenſum, ſi poſſuero poſt annum religionem ingrediar; ſin minus poſt biennium. In caſu autem dubio ſi vſus fuiſti verbis diſiunctiuis, ſub diſiunctione cenſendus es obligatus, & non conditionaliter: quia ſemper mens præſumi debet verbis accommodari. Vide Sanch. *d. cap.* 10. *num.* 20. 21. & 22. & *cap.* 13 *num.* 21. & 22.

PVNCTVM XIII.

Pro quo tempore votum obliget ad ſui executionem?

SVMMARIVM.

1 *Si ſignatur tempus non obligat ante illius aduentum.*
2 *Non teneris tempus præuenire.*
3 *Sed debes præuenire impedimentum intra obligationis tempus occurrens.*
4 *Si non habet votum tempus determinatum debet impleri cum primum commode poſſit.*
5 *Occaſio rationabilis eſt differendi voti executionem ſi ſpes ſubſit quòd melius & vtilius poſtea exequendum ſit.*
6 *Votum ingrediendi religionem, & ſeruiendi in Xenodochio minus differendum eſt.*
7 *Quæ dilatio in votis graue peccatum conſtituat.*

1. DVpliciter votum emittere potes. Primò ſignando tempus ad ſui executionem; vt ſi voueas religionem intra annum, ieiunium omnibus ſextis feriis, eleemoſynam omnibus ſabbathis. Secundò abſque vlla temporis determinatione; vt ſi voueas religionem, ieiunium, eleemoſynam faciendam. Si primò modo votum emittas; clarum eſt te non eſſe obligatum quo vſque tempus ſignatum aduenial. Quia non habes intentionem te obligandi ante illud tempus.

2. Dubium nonnullum eſt; an tenearis tempus ſignatum præuenire, ſi præſumas eo tempore impediendum eſſe? Negatiuè reſpondendum eſt; quia menſura obligationis voti eſt intentio vouentis, & cum hæc ſolum ſit pro tempore ſignato, ſolum eo tempore obligatio aſtruenda eſt. Quod à ſimili ex præceptis Eccleſiaſticis conuinci poteſt. Qui enim præuidet die Dominica impediendum eſſe à Miſſæ auditione non tenetur die ſabbathi miſſam audire, & præuidens impediendum à ieiunio alicuius vigiliæ non eſt obligatus præuenire ieiunium die antecedenti. Quia præceptum ſolum eſt de miſſa & ieiunio illis diebus ſignatis, non de aliis. Ergo idem eſt dicendum de voto. Et ita tenet cum communi ſententia Suarez *lib.* 4. *de voto cap.* 14. *à numero quinto.* Bonacina *tom.* 2. *diſput.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 5. §. 1. *num.* 13.

3. Verum quia tempus executioni voti ſignatum latitudinem habere poteſt, qualem habet votum ingrediendi religionem intra annum ieiunandi tribus diebus in menſe, vel hebdomada. Habet enim latitudinem totius anni, menſis, vel hebdomadæ ad ſui executionem. Si in termino huius latitudinis cognoſcas te habiturum impedimentum; teneris terminum illum præuenire. Quia non præuenis tempus obligationi ſignatum; cum totus annus obligationi exequendæ ſignatus ſit; ſed præuenis tempus ineptum obligationis executioni. Quod exemplo præceptorum Eccleſiaſticorum confirmari poteſt. Nam obligatus intra annum confiteri, ſi præuideat vltimo menſe impediendum eſſe, tenetur ante confeſſionem facere; & obligatus die feſto miſſam audire ſciens poſt horam octauam eſſe impediendum, obligatus eſt ante audire. Sic dicendum eſt in voto. Et ratio omnium eſt: quia votum ſicut & præceptum obligat vt in toto illo tempore impleatur, quod fieri non poteſt, niſi in tempore apto executioni mandetur. Sic Suar. *lib.* 4. *de voto cap.* 12. *num.* 7. Bonacina *d. diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct* 5. §. 1. *n.* 13. Sanchez *lib.* 4. *de voto cap* 14. *n.* 18. Layman. *lib* 4. *tract.* 4. *c.* 3. *num.* 5. *q.* 4.

4. Si autem votum fiat abſque illa temporis determinatione, obligat vt quamprimum commodè fieri poſſet, executioni mandetur. Sic tradunt vt certum, Siluester verbo *votum* 2. *quæſt.* 2. & 5. Armilla *ibi num.* 16. Sà *num.* 28. Valent. 2. 2. *diſput.* 6. *q.* 6. *punct.* 4. *quæſt.* 3. *in tertia circunſtantia* Azor. 1. *p. lib.* 11. *inſtitut. moral. cap.* 15. *quæſt.* 10. Sanch. *lib.* 4. *Decalog. cap.* 14. *num.* 5. Suar. *tom.* 2. *de Religione lib.* 4. *de voto cap.* 12. *à num* 6. Bonacina *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 5. §. 1. *in principio.* Layman, *loco citato.* Et colligitur ex illo Deuteronom. 23. *cum votum voueris Domino, non tardaueris reddere. Quia requiret illud Dominus Deus tuus; & ſi moratus fueris reputabitur tibi in peccatum,* & Eccleſ. 5. *Si quid vouiſti Deo ne tardaueris reddere; diſpliceat enim ei infidelis & ſtulta promiſſio.* Ratio ea eſt, quia obligatio voti naſcitur ex promiſſione & acceptatione Dei. Ergo promiſſio, facta abſque vlla dilatione, & ſic à Deo acceptata obligationem executionis inducit abſque vlla dilatione. Præterea ſi prædictum votum non obligat rem promiſſam ſtatim exequi, non poterit dari initium ſuæ obligationis, ſed redderur inane. Quia obligatio voti non ſumitur ex neceſſitate, rei promiſſæ ſecundum ſe; ſed ex ſola voluntate vouentis. Si igitur vouens nullum tempus executioni determinauit, credendum eſt velle ſe obligare exequi quamprimum poſſit. Deinde eo ipſo, quo promiſſio facta eſt, debetur promiſſum Deo, & poteſt Deus illud expoſtulare; nam debitum ſine termino exigere creditor poteſt, quoties ſibi placuerit. Iuxta *legem promiſſor.* §. 1. *ff. de conſtitut. pecun.* ibi *ſi ſine die conſtituas, &c. confeſtim agi tecum poteris ſi ſtatim vt conſtituiſti non ſoluas.* At Deus ſemper inſtat pro executione voti; quia ſibi grata eſt. Ergo ſtatim illi reddenda.

Ex quo conſtat fallacem & incertam eſſe regulam, quam tradit Caietanus 2. 2. *quæſt* 88 *art* 3. *fine* Nauarr. *c.* 12. *n.* 42. Ludouicus Lopez 1. *p. inſtructorij cap.* 44. Reginal. *lib.* 18. *ſum. num.* 286. Nempe votum pro tunc obligare, quando vouentis conſcientiam pro eius executione remordet. Nam vt bene dicit Sanch. Azor. Suar. Bonacina & *alij locis allegatis* hæc regula timoratis ſtricta eſt; at negligentibus ſuæ ſalutis eſt nimis lata; quippe qui nullis ſcrupulis vrgentur.

Dixi *obligare votum ad ſui executionem quamprimum commodè fieri poſſit.* Quia votum quo nullum tempus executioni determinatur, ſic ex æquitate explicandum venit, vt credatur vouens voluiſſe ſe cum hoc temperamento obligare. Iuxta *leg. quod dicimus ff. de ſolutionibus.* Ibi *Statim ſoluere cum aliquo temperamento temporis intelligendum eſt.* Idem conſtat ex *leg. ratum eodem tit.* Ibi, *Statim, ſiue cum primum; cum quodam temporis ſpatio accipi debet*; quod nec maximum nec minimum ſit, & intellectu potius (id eſt boni viri arbitrio) quam locutione exprimi poſſit vt habetur in *leg. continuus §. cum ita ff. de verborum obligat.* Et ita docent Sanch. *d. cap.* 14. *num.* 5. & 6. Suar. *l.* 4. *c.* 12. *n.* 12. & 13. Bonacina *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. *in principio* Azor. 1. *p. lib.* 11. *cap.* 15. *quæſt.* 10. Layman. *lib.* 4. *ſum. tract.* 4. *cap.* 3. *num* 5.

Ex quo fit occaſionem rationabilem eſſe differendi voti executionem ſi ſpes ſubſit, quod melius & vtilius ea dilatione poſita votum exequuturus ſis. Vt tradit Siluester verbo *votum* 2. *q.* 3. Sanchez *alij relatis cap* 14. *num.* 8 Layman. *d. c.* 3. *nu* 5. Bonacina *punct.* 5. *num.* 2. Quare ſi ad religionis labores perferendos, eiuſque aſperitates ſuſtinendas ſatis idoneus non ſis, ſperas autem fieri ſi differas, poteris differre. Sanch. *num.* 9. Layman *num.* 5. Bonacin. *num.* 3. At idem eſt ſi differas ob literarum eruditionem, quam in religione æque obtinere non potes, & religioni eſt vtilis Cordoüa *ſumm. quæſt.* 39. Sanch. *num.* 11. Layman *num.* 5. *fine.* Quia id videtur in honorem Dei cedere. Item ſi parentes ægrè ferant tuum in religionem ingreſſum, ſperas autem dilatione eſſe temperandum, affirmant Sanch. *num.* 13. Bonacina *num.* 2. Eſſe ſufficientem dilationis cauſam. Sed in his omnibus, cautè procedendum eſt, ne nimia ſit dilatio, néve periculum adſit, nunquam votum exequendi, vt ſæpè ex huiuſmodi dilationibus contingit.

6. Illud tamen præ oculis habendum eſt, votum ingrediendi religionem, & ſeruiendi in Xenodochio minori tempore differendum eſſe, quam votum peregrinandi, dandine aliquam eleemoſynam. Quia hoc votum peregrinationis, eleemoſynæ dilatione non minuitur, ſed totum integrè impletur. At votum religionis vel perpetui in Xenodochio ſeruitij dilatione minuitur; ita vt quo magis differatur executio, eò minùs de voto redditur. Quia maiori tempore Deo obſequeris cum obligatus ſis perpetuò inſeruire. Sic Sanch. *d. cap.* 14. *num.* 22. Layman *lib.* 4. *tract* 4. *cap.* 3. *num.* 5. *quæſt.* 4. Suarez 3. *tom in* 3. *p. diſputat.* 31 *ſect.* 2.

7. Quæ autem dilatio, tum in votis religionis, tum in illis, quæ integrè implentur mortale conſtituat? Non faci è definies. Plures namque Doctores iudicant dilationum duorum vel trium annorum in voto religionis abſque periculo obliuionis vel impedimenti vel vltetius dilationis non eſſe mortale. Sic Petrus de Ledeſma 2. *tom. ſumm. tract.* 10. *cau.* 3. *dub. penultim.* Armilla verbo *votum num.* 16. Man. 2. *tom. ſum. cap.* 95. *n.* 9 In votis verò, in quibus nihil ex dilatione omittitur implendum, cenſent tunc eſſe mortalem, quando adeſſet ex dilatione periculum nunquam ea exequendi: parum enim videtur intereſſe, quod hoc vel illo tempore votum reddatur, ſi

tota

tota res promissa redditur, & tempus designatum non sit. Sic D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 1. §. 1. & indicat Sanchez *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 31. Sed hæc ita lata probanda non censeo, sed existimarem dilationem sex mensium in voto religionis, vel perpetui in Xenodochio seruitij post nactam opportunitatem illud exequendi, esse notabilem. Quia cedit in diminutionem grauem diuini cultus & propriæ vtilitatis: minor autem dilatio non videtur censenda notabilis ob difficultatem tanti operis, & perpetui sacrificij exequendi. Sic expressè Sanch. lib. 4. de voto *cap.* 14. *num.* 22. In reliquis autem votis ex dilatione non diminutis censerem dilationem duorum vel trium annorum esse notabilem. Nam licet res promissa integrè exequenda sit; eius tamen executionem tanto tempore contra voluntatem Dei creditoris differre, grauem deordinationem continet. Quod probari potest ex dilatione debiti hominibus promissi. Quod nullus negabit grauem culpam constituere.

PVNCTVM XIV.

An votum non impletum tempore designato desinat obligare?

SVMMARIVM.

1 *Distinguitur duplex designatio temporis, & sub ea distinctione quæstioni fit satis.*

2 *Qualiter cognoscetur votum ligari tempori ita vt illo transacto non obliget.*

3 *Vouens ieiunare hoc mense sextis feriis, vel sabbatho, non tenetur, si omittat, aliis diebus ieiunare, imò neque alio mense.*

4 *Sæpe votum alligatur tempori ob propriam vouentis vtilitatem.*

5 *Supradicta doctrina in votis realibus & personalibus locum habet.*

6 *Personalia vota frequenter tempori alligantur, secus realia.*

7 *Votum non obligat ad compensationem cum impotens es ad illud exequendum.*

1. DVpliciter tempus executioni voti designare potes: Primò; animo ne vltra illud executio differatur. Secundò; animo ibi finiendi obligationem. Si primo modo votum emiseris, & tempore designato non impleas, manes obligatus implere; sicuti si Petro deberes centum soluere intra mensem, neque soluis: non obinde liber à solutione existis, sed potius grauius & efficacius vrgeris. Quia debitum, integrum quoad substantiam perseuerat, illúdque implere potes: habuisti enim duplex debitum aliud rei promissæ exequendæ; aliud exequendi illam intra tale tempus, licet hoc vltimum iam impleri non possit; primum impleri debet iuxta legem *Celsus* §. *idem ait*, *ff. de recept. arbitris & l. traiectitia* §. *de illo ff. de actionibus & obligation. & l. magna Codice de contrahenda & commit. stipulat.* Quia independenter ab obligatione temporis promissum est. Tempus namque in illo voto designatum fuit ad excitandam executionem non ad finiendam illam. At si animo finiendi ibi obligationem, tempus designaueris; sicuti in præceptis Ecclesiasticis audiendi missam & ieiunandi designatur; si eo tempore votum non impletur, extinguitur eius tota obligatio. Quia sic est promittentis voluntas, iuxta quam obligatio vel deobligatio voti metienda est. Sic Doctores communiter. Caietanus 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 12. *dubio vlt.* Aragon *ibi artic.* 3. *dub. vlt.* Valent. *disput.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 4. *circa finem* vers. *tertium.* Vasquez 1. 2. *disput.* 146. *cap.* 2. *fine* Suar. *lib.* 4. *de voto cap.* 13. *à num....* Sanch. *lib.* 4. *cap.* 14. *numero vigesimo quinto.* Azor. 1. *p. lib.* 11. *cap.* 15. *quæst.* 11. Bonacin. *disput.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 5. §. 1. *num.* 5.

2. Difficultas autem est; qualiter cognoscetur votum alligari tempori, ita vt illo transacto amplius non obliget, quando vouens de sua intentione certus non est?

Breuiter respondeo; quoties circunstantia temporis specialem deuotionem communiter continet, & in illius memoriam votum emittis principaliter; si eo tempore votum non impleas, extinguitur obligatio. Quia impleri non potest, v. g. promisisti ieiunare vigilia alicuius sancti ob eius deuotionem, & honorem, feria sexta ob memoriam passionis Christi, sabbatho ob Beatissimam Virginem: Si de facto non ieiunasti, cessat tibi obligatio altero die ieiunandi; quia licet ieiunium implere possis, non quale promisisti. Sic aliis relatis docent Sanch. *l.* 4. *de voto cap.* 14. *numero vigesimo octauo* Suar. *lib.* 4. *cap.* 13. *numero quinto* Bonacin. *disputat.* 4. *quæstion.* 2. *punct.* 5. *à n.* 6.

3. Hinc fit vouentem ieiunare hoc mense feriis sextis, vel sabbatho non esse obligandum aliis diebus ieiunare, esto culpabiliter omiserit; quia communiter hæc ieiunia in honorem passionis Christi, vel Beatæ Virginis promittuntur; ac proinde tempori alligata, Dubium tamen est; an alio mense impleri debeant; siquidem honor Christi & Beatæ Virginis idem est, siue vno mense, siue alio ieiunium præstetur. Dicendum nihilominus est, non esse improbabile cessare obligationem. Quia esto cultus Christi & Beatæ Virginis idem in specie sequatur; at quia non est idem numero & in individuo cum eo, qui promissus est, sed omnino distinctus; ea de causa cessat obligatio. Quando enim promittis in honorem Beatæ Virginis omnibus sabbathis huius mensis ieiunare, ieiunium horum sabbathorum non aliorum promittis. Ergo his sabbathis absque ieiunio transactis impossibile est quod promissum impleas. Sanch. *lib.* 4. *cap.* 14. *numero* 32. Bonacina *disput.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 9. Idem dicendum est de voto peregrinationis ob lucrandum iubilæum, illo transacto cessare obligationem; quia non potest suscipi peregrinatio, qualis promissa est. Sanch. *cap.* 14. *num.* 29. Bonacina *punct.* 5. *num.* 7. Notanter dixi votum alligari tempori specialem deuotionem continenti, si principaliter ob eius deuotionem fiat. Nam sæpe contingere potest signari tempus ob eius deuotionem, sed non principaliter, vt si promittas ingredi religionem in die sancti Ioannis Baptistæ ob eius specialem honorem; non cessat tibi obligatio tametsi illo die non ingrediaris; quia censeris principaliter ob status perfectionem, diuinum obsequium, & propriam vtilitatem votum emittere, & secundario ob honorem S. Ioannis. Suar. *lib.* 4. *de voto cap.* 13. *num.* 5. Bonacina *disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 5. §. 1. *num.* 7.

4. Secundo respondeo sæpe votum alligari tempori non ob eius specialem deuotionem sed ob propriam vouentis vtilitatem, intendit enim vouens bonis operibus assuefieri, & ex hac intentione vouet octauo quoque die confiteri, ieiunare, aliúdue opus bonum efficere, omittit, non videtur teneri alio sequenti tempore. Quia videtur esse præter eius voluntatem sic grauari. Sic Suar. *d. cap.* 13. *num.* 6. Bonacina *d. sp.* 4. *quæst.* 1. *punct.* 5. *num.* 8. Quod verissimum credo in votis perpetuis vbi similis obligatio succedit ac ea quæ prætermissa fuit. Sanch. *cap.* 14. *num.* 34. At in votis in perpetuis non ita facilè hanc libertatem admitterem. Nam in dubio hæc vota tempori non alligantur, vt Suar. *d. num.* 6. *fine* Bonacin. *num.* 11. & finis voti idem prorsùs perseuerat.

5. Sed inquires; an supradicta doctrina non solum in votis personalibus sed realibus locum habeat? Respondeo probabilius esse illam habere. Quia negari non potest, eleemosynam promitti posse occasione lucrandi iubilæum, vel in subsidium alicuius festiuitatis celebrandæ. Item promitti potest eleemosyna omnibus sextis feriis & sabbatho in honorem passionis Christi & Beatæ Virginis, sicut enim ieiunium ob huiusmodi finem promittere potes, cur non eleemosynam? Ergo sicut ieiunij obligatio cessat si signato tempore non impleatur & obligatio eleemosynæ eo modo assumptæ cessare debet. Quia iam eleemosyna, qualis promissa est, impleri non potest. Sic Suar. *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 9. Vasq. 1. 2. *disp.* 146. *cap.* 2. *in fine.* Sanchez *lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 36. Bonacina *disp.* 4. *q.* 2 *punct.* 5 *n.* 9.

6. Solum aduerto hanc esse differentiam in votis personalibus & realibus; quod personalia vota maximè si perpetua sint, tempori frequenter alligantur non solum quando emittuntur ob specialem deuotionem temporis; sed etiam quando emittuntur ob propriam vouentis vtilitatem. At realia vota secluſa deuotione temporis ratò ob vtilitatem vouentis alligantur tempori, nec cessat eorum obligatio. Et ratio differentiæ; quia in votis personalibus grauaretur maximè vouens si prorogaretur obligatio prætermissa; secus verò contingit in votis realibus. Colligitur ex Sanch. *lib.* 4. *de voto cap.* 14. *num.* 37. Bonacin. *disput.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 5. §. 1. *numero* 10. *fine.*

Deinde aduerte: in omnibus illis casibus, in quibus impotens es ad voti executionem siue cum culpa siue absque illa te non obligari ad aliquam compensationem. Quia nulla est lex Ecclesiastica, aut diuina, quæ talem compensationem statuat; & ex voto talis obligatio non oritur; cum vouens solum ad executionem rei promissæ se intenderit obligare, & ita tenet Diuus Thomas 2. 2. *qu.* 88. *art.* 3. *quæstion.* 1. *ad* 1. Suarez *lib.* 4. *cap.* 15. *numero septimo*, Bonacina *tom.* 2. *disput.* 4. *q.* 2 *punct.* 5. §. 3. *fine.*

PVNCTVM XV.

Vtrum obligatio voti ita personalis sit vt solum vouentem adstringat ab ipsoque solo impleri possit?

SVMMARIVM.

1 *Obligatio voti solum vouentem adstringit.*
2 *Proponitur quædam obiectio de voto à populo facto seruandi festum, &c.*
3 *Fit satis obiectioni.*
4 *Votum personale à solo vouente impleri potest.*
5 *Reale communis sententia defendit per alium posse impleri.*
6 *Explicatur communis sententia, & sub distinctione respondetur.*
7 *Cum in voto mixto aliqua pars redditur impossibilis, cessat votum, si per modum vnius promittitur, secus si diuisim.*
8 *Explicatur textus in cap. Quod super his de voto.*

1. COmmunis & certa sententia est, votum siue personale, siue reale solum vouentem astringere posse. Quia solum astringere potest eum, qui intentionem habuit se obligandi; & cum nullus alius eam intentionem habere possit nisi qui verè vouet, & promittit; efficitur sane nullum alium præter vouentem astringere posse. Deinde alienum factum nullus promittere potest; quia aliena voluntas nemini efficaciter & absolutè subiicitur; neque ob eandem rationem alienas diuitias promittere potest, quia suæ dispositioni non sunt subiectæ. Ergo nullus præter vouentem astringi voto potest. Sic Siluester verbo *votum* 2. *quæst.* 9. *Sotus lib.* 7. *de iustitia qu.* 2. *art.* 1. *ad* 5. Suar. lib. 4. de voto *cap.* 9. *à num.* 2. Sanch. *lib.* 4. *de voto cap.* 15. *num.* 14. Paulus Layman *l.* 4. *summæ tract.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 5. *& alij.* Et sumitur ex illo Deuteronomij 23. *Quod semel egressum est de labiis tuis obseruabis & supr.* 65. *Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea*; quasi ea sola obligationem imponat quæ labiis propriis pronunciantur.

2. Sed obiicies, sæpe populus ob aliquod beneficium acceptum vouet, ieiunium, vel possessionem obseruandam, ad cuius voti obseruationem omnes tenentur etiam religiosi exempti & successores. Sed non tenentur ex vi præscriptæ consuetudinis cum ante tempus consuetudini præscribendæ designatum teneantur. Neque etiam tenentur ex vi legis, aut statui cum populus in materia spirituali legem statuere non possit. Ergo tenentur ex vi voti. Ergo alieno voto alij astringi possunt. Secundò filij astringuntur voto parentum nomine ipsorum emisso iuxta *cap. licet de voto*; alias vanè & illicitè pro filiis parentes vouerent peregrinationem, ieiunium & similia, si filij parentum voto non obligarentur. Tertiò votum emissum à tuo procuratore, non procuratorem emittentem, sed te cuius nomine emittit, obligat; ergo votum obstringere potest alium à vouente.

3. Sed hæc facilia sunt. Ad primum dico, emisso voto à maiori parte communitatis & acceptato ab Episcopo populum obligari, etiam illos, qui voto non consenserunt non in vi voti; sed in vi legis ab Episcopo media illa acceptatione promulgatæ. Suar. *lib.* 4. *de voto cap.* 9. *num.* 10. *&* 11. Ad secundum nego filios astringi parentum votis nisi in ea vota consenserint, vt satis colligitur ex *d. cap. licet.* Vbi Filius Regis Hungariæ cogitur peregrinationem Hierosolymitanam, quam eius pater vouerat, exequi, non alia ratione, nisi quia assumpto crucis signaculo se impletorum sine dilatione qualibet promiserat. Debet ergo filius consentire vt voto parentum teneatur. Neque obinde fit parentum vota inania esse cum promittunt filios peregrinaturos vel ieiunaturos. Non enim censentur ipsi filiorum facta promittere, sed propria nempe curaturos vt filij eam peregrinationem ill'udue ieiunium promissum præstent. Quæ diligentia laudabilis est & materia voti esse potest. Ex quo fit nequaquam filios obligatos esse religionem suscipere tametsi parentes vouerint eos esse religioni dicandos. Quia solum vouent dicatoros quantum ex parte sua cui obligationi satisfaciunt si seriò & efficaciter suadeant. Nam præcepto cogere non possunt cum solum de iis quæ ad bonos mores domus reique familiaris gubernationem pertinent præceptum possint imponere.

Dixi nisi ipsi filij consenserint. Nam tunc non est mirum quod ipsi obligentur. Quia non obligantur ex voto parentum sed ex proprio. Ille enim consensus & paterni voti approbatio est tacita voti emissio. Et sic explicari debent plures textus relati 2. quæst. 1. Præcipuè textus in cap. additis, cap. Monachum, cap. Quicumque; cap. Quem progenitores. Vbi filius alligatus manet monasterio tum propria professione tum paterna deuotione ab ipso inquam filio approbata vt rectè dixit Cœlesti. III. *in cap. cum simus* 14. *de Regularibus* & tradit Gloss. *in cap. additis* 20. *quæst.* 1. Sed est dubium an hunc consensum censeatur filius præstare ex eo tantum quod illo præsente eius pater votum emittat & taceat? Negatiuè respondendum est; tum quia taciturnitas non præsumit consensum in iis quæ sunt oneris & obligationis, tum quia parentibus non competit filios voto alligare, quia votum est res ad perfectionem pertinens ac proinde ex propria voluntate suscipienda. Non igitur consensus præsumitur ex sola taciturnitate seu negatiuo dissensu. Sanch. *l.* 4 *cap.* 15. *num.* 24. Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 5. § 2. *num.* 19. Ad tertium dic votum emissum à tuo procuratore te obligare; quia tu medio illo emittis; neque procurator vouet, sed tuum votum, tuúmque consensum declarat; vel dic (quod in idem recidit) te vouere & obligari tuo procuratore consentiente & non aliter; ac proinde semper verum est nullum alium à vouente voto obstringi.

4. Ex his decidenda est secunda pars quæstionis; an inquam à solo vouente votum impleri possit? Et quidem si votum sit personale, certissimum est, nullum alium implere illud posse. Quia nullus implere potest votum nisi exequendo rem promissam. Sed res promissa in voto personali est actio propria vouentis non alterius. Ergo nullus alius à vouente votum personale implere potest. Sic *omnes Doctores referendi.* Quapropter si vouens impotens sit ad votum implendum, non tenetur curare vt alius loco illius impleat. Quia hanc obligationem per votum non suscepit; neque alterius executio est proprij voti emissi satisfacto. Quod quidem verissimum est, siue culpabiliter, siue absque culpa in hanc inpotentiam deuenerit. At si cum votum emittit, se cognoscit impotentem ad illius executionem affirmant Abbas *in cap. licet de voto num.* 13. Siluester *verbo votum* 2. *quæst.* 10. Nauarr. *sum. cap.* 12. *num.* 55. Sanch. *lib.* 4. *de voto cap.* 2. *num.* 26. Layman *lib.* 4. *sum. tract.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 5. *Corol.* 4. obligationem esse implere votum per alium. Quia dum contrarium non constat, præsumendum est hanc fuisse eius intentionem, nempe votum per alium implere; ne vanè & irritoriè censeatur voluisse. Sed hoc fundamentum leue est ad talem præsumptionem astruendam cum nullum ex verbis indicium huius obligationis colligatur. Siquidem non alienum factum sed proprium promiserit. Credendum ergo potius est, temerè & arroganter promisisse, quam contra verba promissionis obligationem voluisse contrahere. Suar. *lib.* 4. *de voto cap.* 10. *num.* 7. *fine.* Bonatina *disp.* 4 *q.* 2. *punct.* 5. § 3. *num.* 2.

5. Si verò votum reale sit; communis sententia docet, votum per alium impleri posse; quia cum huius voti executio consistat in exhibitione rei promissæ, v.g. calicis, supellectilis, alteriúsve eleemosynæ donandæ, & hæc parum interfit quod fiat ab hoc vel ab illo; ea de causa impleri per alium à vouente potest. Sic Abulens *cap.* 30. *n.... quæst.* 97. *quem refert & sequitur* Sanch. *lib.* 4. *cap.* 15 *n.* 6. Bonac. in *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. § 3. *n.* 3. Ex qua doctrina infert Bonacin. & Sanch. plurimus relatis vouentem, qui non potest votum reale implere per se, obligatum esse procurare per alium implere.

6. Cæterum hæc distinctione indigent; in primis certissimum esse debet, votum reale ex aliena pecunia nec iure, neque facto impleri posse. Quia alienam pecuniam donare nec vouisti, nec potuisti vouere; eo quod tuo arbitrio & dispositioni non subdatur, ergo alienæ pecuniæ donatione tuo voto satisfieri non potuit. Dices si Petrus sciens te vouisse datum calicem Ecclesiæ, calicem donet, vt te ab obligatione voti liberet, tu liber manes à voto dum ratum habes; etiamsi te ignorante calix datus fuerit vt ex communi sententia supponunt Suar. & Bonacina *supra.* Ergo voto reali ex alienis satisfieri potest. Respondeo negando hanc vltimam consequentiam. Nam cum Petrus tuo nomine calicem Ecclesiæ donat, tacitè priùs tibi donat calicem, & tibi donatum Ecclesiæ donat, vt proprium; tui inquam donationem & exhibitionem tu consentis, dum supradictam donationem ratam habes. Sic indicat Layman. *l.* 4 *sum. tract.* 4. *c.* 3. *q.* 5. *corel.* 3. *num.* 8. Deinde certum esse debet, si impotens factus sis donare calicem promissum deobligatum esse à petenda eleemosyna, vt satisfacias. In quo ferè omnes conueniunt. Quia obligari non potes ad ea, quæ tuum statum dedecent, & ita grauia sunt: Imò certum esse debet, te deobligatum esse rogare amicos, vt nomine tuo satisfaciant. Quia tu (vt suppono) solum voluisti calicem donare, sub qua promissione non comprehenditur petere ab amicis, vt nomine tuo donent; sunt enim hæc longè diuersa Sic Suar. *lib.* 4 *de voto cap.* 10 *num.* 10. Præterea certum esse debet, votum reale medio procuratore impleri posse, in quo hoc votum à personali longè diuersum est. Nam personale etsi per procuratorem emitti possit, non tamen impleri; quia eius materia est actio & functio personæ. At reale, cum eius materia sit res à vouente extrinseca, impleri medio alio potest. Et in hoc sensu est verissima communis sententia votum reale & impleri per alium posse & deberi. Et notanit

Layman

Layman 14. *summ.tract 4.c.3. q.5. num.10. vers. his intellectis fine*, Denique certum esse debet satisfieri voto reali posse, tametsi fini illius non satisfiat. v. g. promisisti peralium aliquas missas, dedisti sacerdoti stipendium, vt ea sacra faceret; ipse verò accepto stipendio omisit, tu sufficienter voto satisfecisti; quia tuum votum nec fuit, nec esse potuit de sacris faciendis cum effectu, sed de illis fieri procurandis medio communiter vsitato, qualis est stipendij contributio. Item vouisti mittere aliquem vt nomine tuo limina Apostolorum inuiseret, conuenisti cum Petro vt præstaret hoc officium; ipse verò acceptis sumptibus necessariis omisit; tu liber manes ab obligatione: quia quantum est ex parte tua feciſti opus promissum. Item cum sis Prælatus Religionis vouisti orationes tuorum subditorum, satis facis si modo communiter vsitato eas fieri præcipias. Sic Suar. *lib.4. de voto cap.10.num.8.*

7. Quæ dicta sunt de voto personali & reali dicenda sunt de voto mixto, quod ex reali & personali coalescit. Solum est dubium; an si vnum ex illis reddatur vouenti impossibile, obligatus sit aliud exequi? Cui dubitationi fecimus satis, cum de voti materia locuti fuimus: spectandum namque est an illo voto promissa diuisim vel coniunctim promissa sint? Si diuisim & per modum plurium promissa fuerint, vt contingit, si voueres peregrinari ad D. Iacobum & ibi lampadem offerre; facto vno ex illis impossibili aliud implendum est. At si coniunctim & dependenter vnum ab alio promiseris, reddito vno impossibili alterius obligatio cessat. Sæpè autem vnum votum ab alio pendet; quia est accessorium illius & non è contra; sed tunc inspiciendum est, quod sit principale, quod accessorium, vt inde percipias, quod subsistat reddito alio impossibili. Ac cessorium namque dependet à principalis sed non econtra; ac proinde reddito principali impossibili accessorium cortuit. Sed non contra Suar. *l.4. c.10. à numero duodecimo*, Sanch. *l.4. cap. 15. numero decimotertio, & 30.* & Layman. *l.4. sum. tract.4. c.3. quæst.5. numero vndecimo*, Bonacin. *tom.2. disp.4. q.2. punct.5. §. 3. num.6. & sequentibus.*

8. Solum obijci potest Textus *in cap. quod super his, de voto* vbi Pontifex de iis, qui votum emiserant eundi in subsidium terræ sanctæ & propter infirmitatem, vel paupertatem, vel aliam iustam causam votum non possunt vtiliter adimplere, sic distinguit inter illos, qui temporalem, & eos qui perpetuam impedimenti causam censentur habere. Quod primis indulgenda sit dilatio; secundis sit redemptio iniungenda; ac rerum facultate pensata quas possunt, aut quas facturi essent expensas, personarum præterea compensato labore in subsidium terræ sanctæ transmittant, exequentes per alios, quod per se nequeunt adimplere. At expensæ, quas ij vouentes facturi erant, sunt accessoriæ voto recuperationis terræ sanctæ. Ergo facta militia impossibili adhuc accessorium obligat. Respondeo dupliciter, primò; illo tempore votum subsidij terræ sanctæ ea conditione emitti, vt si vouentes per se militare non possent, alium loco sui substituerent, seu sumptus necessarios ad hunc effectum conferrent; ac proinde mirum non est, quod esto vouentes ire personaliter non possint, obligentur ad sumptus. Sic Innocent. *in c. licet de voto* Abbas *in c. d. cap. quod super his num.5.* Nauarr. *sum. 12.num.55.* Layman *l.4. tract.4. de voto c.3. fine.* Secundò respondeo obligari sic impotentes ad expensas, non quia accessorium obliget reddito principali impossibili; sed quia non erat certum, esse principale impossibile; ea de causa voti commutationis expensæ exiguntur. Sic aliis relatis docuit Suar. *l.4. de voto cap.11. num.17.*

PVNCTVM XVI.

An obligatio voti transeat ad hæredes.

SVMMARIVM.

1 *Voti personalis obligatio cum persona extinguitur.*
2 *Obligatio exequendi votum reale transit ad hæredem siue voluntarium, siue necessarium.*
3 *Quid si testator velit hæredem eximere à prædicta obligatione? adhuc hæres obligatur.*
4 *Obligatio hæredis non excedit vires hæreditatis.*
5 *Nec debet esse cum præiudicio legitimæ.*
6 *Ad executionem huius obligationis compelli potest hæres tum excommunicatione, tum priuatione hæreditatis.*
7 *Quid quando monasterium hæres constitutum est.*
8 *Quid si religiosus vellet vota realia professione non extingui? adhuc extincta manent.*
9 *Per vota biennij Societatis Iesu non extinguntur vota antea facta, sed suspenduntur.*
10 *Post debita iustitiæ & ante legata pia debet hæres vota soluere.*
11 *Cum sunt plura vota neque hæreditas sufficit ad omnia; votum de re meliori & quod prius constiterit emissum esse adimplendum.*
12 *Si non constat, quod votum melius sit neque quod prius fuit factum placet Sanchez diuisionem faciendam esse. Probabilius est hæredem eligere posse.*
13 *Quando multi sunt hæredes, nemo tenetur in solidum.*
14 *Donatarius non tenetur vota donantis exequi.*
15 *Quid dicendum de legatario.*

1. REgula est à Doctoribus recepta, voti personalis obligationem cum persona extingui, neque ad hæredes transire posse. Quia hæc obligatio actiones vouentis respicit; ac proinde nequit in alterum deriuari. Potest tamen ad similem actionem, nempè ad similem peregrinationem, simile ieiunium, aliúdve personale seruitium ad quod erat testator obligatus, hæres obligari. Primò; si sua sponte id promittat. Qualiter obligatus fuit filius Regis Hungariæ in *cap. licet de voto.* Et de hac obligatione nemini esse potest dubium; cum hæc promissio, si Deo fiat, sit noua voti emissio; si fiat testatori ab illoque acceptetur, erit ex iustitia vel saltem ex fidelitate. Secundò; obligari potest hæres præcepto testatoris. Sicut enim ad legata aliaque pia opera obligatur, cui non obligari poterit ad suscipiendam peregrinationem nomine defuncti? Sed distinguendum est de hærede necessario, & voluntario; hæres inquam necessarius grauari non potest à testatore in iis, quæ hæreditati coniuncta non sunt. Neque testator dominium non habens in hæredem de eius actionibus disponere potest. Si verò sit hæres voluntarius; tunc subdistinguendum est, si sub ea conditione hæreditatem concedat, vt votum peregrinationis nomine suo exequatur; absque dubio tenetur, si acceptat hæreditatem, eam peregrinationem suscipere. Quia cum liberum fuerit testatori, cum hæredem instituere, potuit institutionem sub hac vel illa conditione facere Sanch. *lib.4. de voto c.15. num.17.* Layman *l.4. sum. tract. 4. cap. 3. numero 13. concluſ. 2.* Si verò non sub ea conditione sed absolute hæreditatem concessit; præcepit tamen hæredi, vt peregrinationem nomine ipsius susciperet; solum ex gratitudine obligatus est peregrinationem exequi non ex iustitia. Suar. *lib.4. de voto cap.11. numero tertio.*

2. Secunda regula est æquè à Doctoribus recepta, obligationem exequendi votum reali transire ad hæredem siue necessarium, siue voluntarium iuxta vires hæreditatis salua hæredis legitima. Sic Siluest. *verb votum 2. quæst. 11.* Nauarr. *summ.cap.12.num.56.* Lessius *l.2. de iustit. cap. 40. dub.10. num.65.* Sanch. *l.4. de voto cap.15 num.25.* Layman. *l.4.tract. 4.c.3.num.12.g.6* Suar. *l.4.cap.11.num.6. & alij* Sumiturque *ex cap.ex parte de censibus, & cap.1. de solutionibus.* Vbi filius cogitur, ad soluenda vota parentum, & *in c. si hæres de testam.* Puniuntur hæredes non adimplentes vota defuncti, & *leg. 2. ff. de pollicitationibus* dicitur. Qui decimam partem bonorum vouit, si decesserit ante solutionem, hæredem illius hæreditario nomine decimis obstrictum esse. *Voti enim obligationem* (inquit textus) *ad hæredem transire constat.* Ratio est: quia defunctus, cum votum reale emisit, obligatus fuit suis bonis illud exequi. Ergo si de facto exequutus non est; hæres in bonis illius succedens eiusque personam repræsentans eam obligationem subiit. Sicut enim in iuribus & actionibus defuncti succedit, succedere debet in oneribus & obligationibus hæreditati annexis; tametsi nulla res specialiter sit obligata. Hæc autem obligatio hæredis non est ex virtute religionis, & voti; quia ipse non vouit, sed est iustitiæ, qua adeundo hæreditatem obligatus est defuncto, eius vota & obligationes exequi.

3. Dices ergo si testator vellet hæredem eximere ab obligatione soluendi sua vota realia, hæres adeundo hæreditatem obligatus non esset. Nam hac voluntate posita cessat contractus cum testatore & obligatio inde orta. Propter hanc rationem non desunt, qui censeant illo casu hæredem deobligari. Nam licet ipse testator non possit seipsum ab obligatione voti eximere, non inde infertur non posse hæredem; quia hæredis obligatio non ex voto, & promissione; sed ex hæreditatis additione sub hoc onere à testatore concessa, pascitur. potest ergo testator hæreditatem ab hoc onere; eximere, & liberum hæredem relinquere. Sed dicendum est, in voluntate testatoris id constitutum non esse. Neque enim iustum erat, posse testatorem hæredem suum à debitis soluendis Deo liberare; cum tamen non posset liberare à debitis homini soluendis; vtrorumque enim solutioni hæreditas obnoxia est. In voluntate ergo testatoris constitutum est hæredem instituere. At illa constitutione facta & hæreditate adita non est in eius voluntate obligationem debita realia soluendi impedire. Quia hæc obligatio ex additione hæreditatis (iure communi sic disponente) immediatè nascitur. Sic docet post

alios Suar, *l.4. de voto cap.11. num.13.* Sanch. *l.4. de voto c.15. num.28.* Bonacin. *tom.2. diſp.4. q.2. punct.5. §.2. n.12.* Paulus Layman *l.4 ſum.tract.4.de voto c.3.q.6.num.12.* Hoc autem vt bene aduertit. Suar. *d. c.11. num. 12.* Procedit cum votum reale factum eſt abſque vlla reſtrictione temporis. Secùs ſi ſolum ad vitam vouentis eſſet factum; vt ſi vouens diceret, promitto in vita mea Eccleſiam ædificaturum, ſin autem non fecero, nolo ad hæredes obligationem tranſire. Quia tunc cum morte teſtatoris extinguitur obligatio. Et ſic credendum eſt factum eſſe cum teſtator hæredem ab obligatione ſoluendi ſua vota liberat; quia non præſumendum teſtatorem ſuæ æternæ ſalutis ita eſſe immemorem, vt fauore hæredis velit in æternum perire. Quare niſi manifeſtè ex verbis voti contrarium colligatur, credendum eſt, votum non abſolutè ſed ſub reſtrictione ſupradicta emiſſum fuiſſe.

4. Hæc obligatio hæredis non excedit vires hæreditatis: quia ratione hæreditatis acceptæ hæc obligatio naſcitur; ac proinde excedere illam non poteſt. Sic aliis relatis docent Layman *num.13.* Bonacina *num.6.* Sanchez affirmans eſſe omnium, *lib.4. cap.15. num.36.* Quod procedit etiamſi inuentarium non confecerit. Nam *lex finalis Cod. de iure deliberand.* Præcipiens hæredibus inuentarium non conficientibus vt debita defuncti ſoluant vltra vires hæreditatis, fundatur in præſumptione fraudis, quam credit committere inuentarium non conficientes; ac proinde ceſſante hâc fraude obligatio ceſſat. Sanch. & Bonacin. *ſuprà* Adde eſto condemnetur, non eſſe obligatum in conſcientia ſoluere; quia ſententia ſicut & lex ob fraudem præſumptam fertur. Sanch. & Bonacin. *locis allegatis.*

5. Deinde hæc obligatio ſaluam debet relinquere hæredis ſiue deſcendentis ſiue aſcendentis legitimam. Quia hæc legitima grauari à teſtatore non poteſt ex debito voluntaria; quale eſt votum, aliúdve pium legatum. Et licèt tempore, quo teſtator viuit, poſſit hanc legitimam hæredis minuere votis, aliſque minutis eleemoſynis; non inde infertur hæredem poſt mortem teſtatoris grauari poſſe. Nam teſtator dum viuit eſt dominus illius legitimæ, cuius dominium ceſſat poſt eius mortem. Sic tradunt Gregor. Lop. *leg. final. in fine tit.8. partit.1.* Couarr. *cap.ſi hæres numero nono, de teſtament.* Sanchez *lib. 6. de matrimon. diſput.36. quæſt.1. numero ſeptimo, & l.4. c.15. num.38.* Paulus Layman *lib. 4 tract.4. c.3.q.6. num.13.* Bonacin. *diſput.4.quæſt.2.punct.5. §.2.num.5.*

6. Ad executionem huius obligationis hæres compelli poteſt, tum excommunicationis cenſura tum priuatione hæreditatis; tametſi non promiſerit. Quia defectus promiſſionis non impedit, quia hæres obligatus ſit ex iuſtitia. Ad obligationes autem iuſtitiæ ex hæreditate prouenientes merito compelli poteſt hæres priuatione hæreditatis, vtpote illa indignus, & cum hæc obligatio ortum habeat ex voto, & ſic de materia ſpirituali excommunicatione compelli poteſt ad illius executionem. Præterea ad executionem vltimarum voluntatum hac viâ procedi poteſt. Sic docent Abbas *in cap. licet de voto num. vltimo ibi* Anton. *num.7.* Sylueſter verbo *votum 2. quæſt.11. dicto 2.* Azor. *1.p. lib.11. c.15. quæſt. 15. fine.* Sanch. *lib.4.c.15.nu.26.* Bonacin. *tom.2.diſp.4.q.2. punct. 5.§.2.num.4.*

7. Reſtant tamen aliquot difficultates examinandæ pro plenjori ſuperioris doctrinæ intelligentia. Prima eſt: an caſu quo monaſterium conſtitutum ſit hæres vouentis debeat hæc vota realia perſoluere? Et quidem ſi conſtitutum ſit hæres ob mortem vouentis, nemini eſt dubium obligatum eſſe. Si autem conſtitutum ſit ob profeſſionem vouentis in religione approbata, communior ſententia tenet eſſe deobligatum, niſi ab eo in cuius vtilitatem hæc vota facta ſunt fuerint acceptata. Sic Sanch. *l.4. ſum.c.15. num 32.* Bonacin. *d. §.2. num.7.* Ratio prioris partis eſt: quia profeſſione religionis, omnia vota tam perſonalia quam realia extinguntur iuxta communiorem ſententiam. Sed vota extincta tempore additæ hæreditatis non tenetur hæres ſoluere. Ergo nec monaſterium neque quilibet alius hæres tenetur vota religioſi profeſſi exſoluere. Si autem à parte fuerint acceptata, inquiunt ſupradicti Doctores obligatum eſſe monaſterium: quia eſt ius iuſtitiæ acquiſitum parti, quod profeſſione religionis non extinguitur. Sed hoc intelligendum eſt caſu, quo vouens vltra promiſſionem & votum Deo factum præſtitiſſet promiſſionem parti. Nam ſi hæc promiſſio deficeret, nullum ius iuſtitiæ parti acquiritur, ſed Deo; quantumuis pars in cuius gratiam votum factum eſt, illud acceperit: quia non propriè promiſſionem acceptat; cum parti promiſſio non dirigatur, ſed acceptat rem promiſſam quæ in eius vtilitatem cedit. Sic colligitur ex Leſſio *l. 2. de iuſtitia cap.40 dub.16. num.194. & 107.*

8. Sed quid ſi ille religioſus vellet ſua vota realia profeſſione non extingui, maneret ne hæres obligatus? Affirmat Bonacin *d §. num.9.* Quia illa vota non manent extincta; ſiquidem non extinguntur irritatione ſuperioris, vt de ſe conſtat: neque etiam profeſſi commutatione: quia ad hunc extinctionis modum commutantis conſenſus requiritur. Cæterum verius eſt omnino extingui. Nam vota emiſſa ante profeſſionem religionis profeſſione extinguntur non irritatione, nec commutatione, aliáue relaxatione, ſed ſolutione, illorum perfectiſſima, quam talem eſſe obligationem Deo perpetuò inſeruiendi reputat ius. Vt bene dixit Palud. *in 4. diſtinct.38. q 4. art.1. concluſ. 6.* Vnde profeſſi conſenſus hanc ſolutionem immutare non poteſt. Sic Sanch. *lib. 4. cap. 15. num.32.*

9. De emittentibus vota biennij, & coadiutorum formatorum in Societate Ieſu ſubdit optimè Sanch. *ſuprà num. 33.* Nulla vota antea facta ipſo iure extingui, ſed ſuſpendi; iuxta canon.22. primæ congreg. Poſſunt tamen ex proprio conſenſu in ſocietatis ingreſſum commutari, vtpote in rem omnino perfectiorem, vt latiùs infra.

10. Secunda difficultas eſt: qualiter vota defuncti hæres ſoluere teneatur? Reſpondeo; poſt debita iuſtitiæ & ante legata pia. Sic bene Sanch. *c.15.num.3-9.* Layman *l.4 tract. 4.c. 3.quæſt.6.num.13.* Bonacin. *diſp.4.q.4.punct. 5. §.2. num.16.* Ratio prioris partis eſt: quia Deus non acceptat oblata cum præiudicio iuris tertij quæſiti. Neque bona defuncti reputantur ex quibus vota hæres ſoluere debet niſi quæ deducto ære alieno ſuperſunt, *leg. mulier iuncta* Gloſſ. verbo *aliena ff. de iure dot.* Adde debita iuſtitiæ extrahi ex toto cumulo hæreditatis ſecùs vota; debent ergo debita iuſtitiæ votis præferri. Secunda pars concluſionis nempe vota quibuſcunque legatis piis præferenda eſſe; eſt manifeſta. Quia vota defunctum obſtringunt, non autem legata.

11. Sed quid dicendum cum pluribus votis defunctus fuerit obſtrictus, neque hæreditas ſeu pars hæreditatis, ex quibus veniunt ſoluenda, ſufficit eorum ſolutioni? Non deerunt qui exiſtiment obligatum eſſe hæredem pro rata diuidere. Argumento ſumpto ex legatis, quorum integræ ſolutioni ſi hæreditas non ſufficiat pro rata eſt diuiſio facienda. Nam obligatio hæredis ad ſoluenda vota eſt eiuſdem rationis, ac obligatio ſoluendi legata, cum vtraque ſit iuſtitiæ orta ex additione hæreditatis. Quapropter ſtare optimè poteſt, quod defunctus obligatus ſit, votum de re manifeſtè meliori priùs exequi. Et in caſu dubio quod priùs emiſſum eſt; & tamen hæres hanc obligationem non habet. Quia defunctus directè obligatus eſt Deo ex vi voti & promiſſionis; ac proinde mirum non eſt, quod obligetur exequi, quod Deo gratius fuerit. At hæres non obligatur Deo, ſed defuncto; & conſequenter et omnibus, in quorum vtilitatem vota ſunt facta. Ergo quod ipſius gratius fuerit, debet exequi. Credendum autem eſt, gratiùs fore ſi pro rata fiat diuiſio. Ergo hæc facienda eſt.

Cæterum omnino tenendum eſt hæredem obligatum eſſe votum de re meliore præferre, & in caſu dubio votum quod priùs conſtiterit eſſe emiſſum. Sic docuit Sanch. *d. c. 15. num. 41.* Bonacin. *punct.5. §. 2. numero decimoquarto.* Ratio eſt: quia hæres defuncti perſonam repræſentat. At defunctus illa vota eo ordine obligatur exequi. Neque huic obligatur exequi. Neque huic obligationi obſtat, quod hæres ob additam hæreditatem defuncto obligetur; quia obligatur defuncto iuxta ipſius defuncti obligationem, & voluntatem, quæ alia eſſe non poteſt niſi ſupradicta.

12. Quod ſi non conſtiterit, quod votum meliùs ſit, neque quod priùs emiſſum: cenſet, Sanch. *lib.4. de voto cap.15. numero 41.* Obligatum eſſe hæredem pro rata diuidere. Nam licet defunctus in illo caſu electionem facere poſſit; non inde infertur poſſe hæredem. Nam defuncto ſupradicta electio conceditur; quia Deum creditorem habet, cui æquè gratum eſt votum vnum integrè implere quam duo vota æqualia dimidiatè. At hæres non Deum creditorem, ſed defunctum habet, cui ob additam hæreditatem obligatus fuit, & conſequenter obligatus eſt omnibus aliis, in quorum vtilitatem votum cedit, ob quam rationem hæres neque commutationem, neque diſpenſationem, irritationem; vt votorum facere poteſt, quæ defuncto conceduntur.

Sed veriùs cenſeo hæredem in ſupradicto caſu eligere poſſe ſicut & poterat defunctus. Quia ea obligatio religionis, quæ in defuncto erat, tranſlata eſt in hæredem, & facta obligatio iuſtitiæ, non tamen aliquo modo immutata eſt. Neque obſtat, hæredem obligari teſtatori & aliis, in quorum vtilitatem vota ſunt facta: quia non obligantur niſi cum qualitatibus, quibus teſtator Deo obligabatur. Quod verò non poſſit petere commutationem vel irritationem, id prouenit; quia eius obligatio non eſt voti, ſed quaſi contractus exaditione hæreditatis prouenientis. Sic tenet Bonacin. *tom.2. diſput 4. q.2 punct. 5. §. 2. numero 15.* Limitat tamen ibi Bonacin. & conſentit Sanchez *illo cap. 15. numero quadrageſimo primo.* Vt non procedat ſi ab his, in quorum gratiam facta ſunt vota, fuerit acceptata. Tunc enim non electio ſed diuiſio pro rata (inquiunt) facienda eſt. Sed hæc limitatio intelligenda eſt qualiter difficult. 1. diximus.

13. Tertia

13. Tertia difficultas est: an quando multi sunt hæredes, quilibet teneatur in solidum, vota defuncti soluere? Respondeo; neminem teneri in solidum: quia solum tenetur quatenùs est hæres; & cum solum in parte sit hæres, pro ea parte vota soluere debet. Colligitur ex *leg. in executione* 85. vers. *secunda ff. de verborum obligationibus.* Sanchez *l.*4. *c.*15. *nu.* 42. Et testatur esse omnium. Duplicem limitationem hæc doctrina pati potest. Prima; si res Deo promissa sit apud vnum ex hæredibus; quia tunc ipse tenetur insolidum. An habebit actionem aduersus alios hæredes, vt sibi partem eorum hæreditati correspondentem soluant, habetur in *leg.*2. *ff. de verborum obligat.* & tradit Sanchez *num.*44. Secunda; si alij hæredes nolint soluere videtur teneri quilibet in solidum. Quia debitis & legatis soluendis quælibet pars hæreditatis addicta est, & quilibet hæres obligatus. Ergo nolente vno hærede soluere, alius obligatur eius malitiam supplere: quia æquum non est ob illius malitiam debita maneant insolura. Si autem non ex malitia, sed ex impotentia alij hæredes soluendo non sunt, crederem cohæredem obligatum non esse nisi pro quantitate hæreditatis vota persoluere; quia esto illa pars hæreditatis addicta sit votorum solutioni non tamen integrè sed cum alia comparte.

14. Quarta difficultas. An donatarius teneatur vota donantis exequi? Respondeo non teneri tametsi donans impotens fiat ad vota implenda. Sic expresè Sanchez *lib.*4. *de voto cap.*15. *num.*34. Bonacina *disp.*4. *quæst.*2. *punct.*5. §.2. *n.*21. Suar. *libr.*4. *de voto capit.*16. *num.*10. *& sequent.* Ratio est: quia donatario hæc obligatio non competit nec ratione rei acceptæ; cum hæc, esto Deo determinate promissa sit, propria donatarij facta est ob dominium à donante in ipsum translatũ. Neque etiam ex illicita rei donatæ acceptione, nam hæc ad summum est contra religionem ob cooperationem ad peccatum donantis, non contra iustitiam; ac proinde ex illa nasci non potest obligatio satisfaciendi. Neque item prouenire hæc obligatio potest ex tacito contractu cum donante inito, sicuti de hærede dictum est: Quia solum de hærede id iura disponunt; eò quod personam defuncti repræsentet non autem de donatario. Ergo donatarius ab obligatione satisfaciendi vota donantis exemptus est.

15. Quinta difficultas: an idem dicendum sit de legatario? Videbitur alicui idem esse dicendum; quia nec ex re accepta, nec ex iniusta acceptione, neque ex contractu hæc obligatio specialiter in legatario quam in donatario oriri potest. Nihilominùs longè diuersa est ratio legatarij & donatarij. Donatarius namque dominium rei donatæ & Deo promissæ acquirit ob traditionem illius sibi factam, quæ esto illicita sit vtpote voto contraria; est tamen valida & firma. At legatarius dominium legati acquirere debet ex valore promissionis in testamento factæ, quæ si nulla est, petit legatum. Est autem nulla, si sit de materia voto contraria: quia tunc est promissio de re illicita; ac proinde nullius valoris. Hoc posito si legatarius accipiat rem in specie Deo promissam, existimo obligatum esse rem Deo tradere quia nullum habet titulum eam retinendi; cum nulla fuerit promissio seu legatio. Si autem res legata determinatè Deo promissa non fuerit, maior est difficultas; an legatum subsistat casu, quo hæreditatis vires non sufficiant votis satisfaciendis. Et verius credo, legatum non subsistere. Quia sic legans peccat, cum velit rem, ex qua voto est satisfaciendum, legatario donare. Ergo talis legatio, quæ est vera rei legatæ promissio non subsistit. Præterea testator vel credit votis satisfieri posse ab hærede non obstante legato vel non? Si credit, & de facto satisfieri non potest, legatum est contra voluntatem testatoris; ac proinde nullum; si non credit; promissio est de re illicita, & consequenter nulla. An verò legatario concedenda sit æstimatio rei legatæ, si vires hæreditatis ad id sufficiant vt res per votum promissa Deo reddatur? Probabiliùs censeo concedi debere, ne videatur legans actum vanum & illicitum facere. Sanchez *lib.*4. *de voto cap.*15. *num.*44.

PVNCTVM XVII.

Qualiter votum conditionale obliget?

SVMMARIVM.

1 *Statuitur doctrina certa de voto sub conditione necessaria, vel turpi, vel de præterito vel de præsenti.*
2 *Votum sub conditione de futuro contingenti honesta emissum, suspenditur eius obligatio ad aduentum conditionis.*
3 *Quando censeatur impleri hæc conditio, si pater consenserit.*
4 *Conditionem sufficere, impleri æquiualenter placet Sanchez.*
5 *Probabiliùs videtur in specifica forma impleri debere.*
6 *An vouens impedire possit conditionis euentum.*
7 *Qualiter peccet impediens conditionem sub qua votum obligare debet.*
8 *An sit contra votum religionis sub beneplacito patris, procurare ne pater consentiat?*
9 *Quid de vescente cibis noxiis ne obligetur voto facto assumendi religionem, si sanitatem recuperauerit?*
10 *Quid de voto assumendi religionem si te Deus à peccato præseruauerit?*
11 *Culpabiliter impediens conditionem: an teneatur voto sicut si de facto conditio apposita esset? Alij affirmant, alij negant.*
12 *Quid sentiendum.*
13 *Dicatus religioni dum Prælatus retinere voluerit si iniquis mediis repulsam obtinet securus non manet.*

1. MVltiplex est conditio quæ votis apponi potest, contingens, necessaria, impossibilis, de præsenti, vel de futuro, honesta, vel turpis, dependens à propria, vel ab aliena voluntate. Conditio de præsenti, vel de præterito in votis apposita non reddit votum conditionale; quia non suspendit eius obligationem; ac proinde de iis conditionibus non est sermo in præsenti. Ad idem est votum sub conditione futura necessariò; quia hæc conditio habetur pro impleta, cum impediri nullatenùs possit. Azor. 1. *p. l.* 11. *c.*15. *qu* 9. *post medium versic. item si turpis.* Sanch. *l.*4. *de c.*23. *num.*5. E contrà conditio impossibilis nullum reddit votum: quia ea posita nunquam votum obligare potest; eo quod vori conditionalis obligatio à conditione pendeat. Neque obstat conditiones impossibiles à contractu matrimonij excludi, *cap. fin. de conditionibus appositis.* Itémque à dispositione vltimarum voluntatum, 3. *impossibilis instit. de hæred. instituendis.* Vt inde inferas à votis excludendas esse. Quia solum in matrimonio, & vltimis voluntatibus hoc inuenitur dispositum, cuius dispositionem cognoscere debet contrahens, vt conditio impossibilis censeatur pro non adiecta. Cum autem in votis nulla talis dispositio inueniatur; non poterit in votis pro non adiecta censeri. Sic aliis relatis docet Sanch. *l.*4. *c.*23. *num.*8. Bonacin. *disp.*4. *q.*2. *de voto punct.*2. *concluf.*2. Deinde votum sub conditione turpi regulariter nullum est; vt votum de eleemosyna facienda, si vindictam sumeres, si fœminam ad turpem actum obtineres: Quia esto eleemosyna bona sit; at promissa vt medium ad conditionem turpem obtinendam mala est. Lessius *lib.*2. *c.*40. *dub.*5. *num.*36. Sanch. *lib* 4. *c.*16. *num.*17. Bonacina *concluf.* 3. Dixi *regulariter*; quia regulariter hæc conditio turpis induit promissionis finem. Nam si solum vt pura conditio apponeretur, voti obligationem non impediret. Sanchez & Bonacina *supra.*

2. Si verò sub conditione futura contingente, & honesta votum emittatur, ante impletam conditionem voti obligatio suspensa est. Quia vouens noluit, se obligare nisi conditione existente. Illa verò posita obligat votum ac si tunc absolutè esset emissum. Quia posita conditione definit esse conditionatum & transit in absolutum; ac proinde sola ea mora, quæ culpam grauem constitueret in executione voti absolutè emissi, eadem constituit in hoc voto post conditionem impletam. Sic expresè Sanch. *lib.*4. *de voto cap.*22. *num.*28. Sed est aduertendum, conditionem, sub qua votum factum est, sæpe non esse vnam, sed multiplicem; vt si voueas eleemosynam, si beneficium obtinueris, & frater tuus saluus ex infirmitate euaserit. Quando ergo multiplex conditio voto apponitur, inspiciendum est; an copulatiuè fuerit apposita, an disiunctiuè? Si copulatiuè; omnis conditio impleri debet antequam votum obliget; secùs si disiunctiuè. Quia ad veritatem copulatiuè vtriusque patris complementum expostulatur; ad veritatem verò disiunctiuè vnius partis complementum sufficit. Conditionem autem appositam esse copulatiuè vel disiunctiuè, ex verbis colligendum est. Si sub conditione & vel sub dictione, vel votum conceptum sit. Quod si verborum recorderis, credere potes copulatiuè appositam fuisse. Vt rectè dixit Sanch. *lib.*4. *c.*23. *num.*20.

3. Dubium tamen est quando censeatur conditio impleri vt votum incipiat obligare? Et specialiter dubitant Doctores de voto religionis à filio facto sub hac conditione *si pater consenserit?* Affirmant plures, si sincerè votum patri declaratum sit, neque contradicat, censeri appositam esse conditionem. Quia conditio illa, si pater consenserit, non positiuum consensum, sed negatiuum dissensum continet. Præstat enim hunc sensum; nisi pater meus ægrè ferat, & contradicat, religionem ingrediar: animus namque filij vouentis est mœstitiam patris vitare. Sic aliis relatis docent Sanch. *l.*4. *c.*23. *num.*14. Layman *l.*4 *tract.*4. *c.*6. *concluf.*4. Ex qua doctrina inferunt suprà dicti aliqua, quæ non satis cohærent. Primò impletam esse conditionem *si pater consentiat* declarato filij voto; esto postea dissentiat; sicut non impletur conditio si dissentiat, esto postea consentiat. Secundò infert Sanchez non esse impletam conditionem, nec posse impleri si tempore

voti mortuus fuerit pater, vel antequam præstare possit assensum vel dissensum.

Ego verò credo verissimum esse intentionem communem filiorum in hac conditione apponenda, esse vitare mœstitiam parentum; ac proinde non tam positiuum eorum consensum, quam carentiam dissensus expostulare, æquivalereque hanc conditionem *si pater consenserit* huic *si pater non contradixerit*. Quo posito verius censeo impletam non esse hanc conditionem, si primò consentiat, & postea dissentiat, modo dissensus sit, antequam filius religionem ingrediatur. Quia ex vi illius conditionis non vult filius se obligare ad religionis ingressum stante patris dissensu. Et quidem de hac conditione expressa *si pater non contradixerit*, id expressè affirmat Sanch. *d.c.*23. *num.*34. At hæc conditio si pater consenserit non positiuum consensum sed carentiam dissensus toto tempore ante ingressum religionis significat. Ergo idem est dicendum de hac conditione, si pater consenserit, ac dicitur de hac conditione, si pater non contradixerit; nempe non impleri hanc conditionem quandocunque ante ingressum pater dissentiat. Si verò Pater tempore voti mortuus fuerit, vel antequam dissensum præstiterit, conditio censebitur impleta; quia patris dissensus esse non potest sub cuius carentia religio promittitur.

4. Deinde dubitari potest: an conditio debeat in specifica forma impleri an sufficiat æquivalenter? Affirmat Sanch. *aliis relatis l.*4. *de voto c.* 23. *num.* 27. Sufficere æquivalenter; dummodo per illam æquivalentiam sequatur idem effectus intentus. Nam eo casu non spectatur conditio in se, sed quatenùs via est, & dispositio ad faciliùs effectum obtinendum. Si ergo hæc dispositio, & facilitas alia via obtinetur, conditio æquivalenter impleta est, & intentio vouentis satisfacta. Quod non leuiter confirmatur ex *leg. seruis Cod. de legatis* 3. Vbi fideicommissum legatum seruo sub conditione, si ex testamento libertatem obtinuerit, & filiofamilias, si morte patris effectus fuerit sui iuris, esse validum, quacunque ex parte seruus libertatem obtinuerit, & filius familias sui iuris effectus fuerit. Quia hic effectus qui obtineri prætendebatur. Quod verò hac vel illa via proueniat per accidens est. Hinc infert Sanchez obligari voto religionis illum, qui se ingressurum in religionem promisit; quando soror eius matrimonio collocata fuerit; sit de facto ipsa obiit, vel in religione professionem fecit, vel cum fratribus diuitibus fuerit absque necessitate sui præsidij; quando solum ea causa suum in religionem ingressum differt, ne sororem destitutam & desertam relinquat. Idem infert teneri voto religionis, si vouit ingredi, quando pater obierit: Quia existimabat præ paupertate, parentis toto vitæ tempore fore ei necessarium. At postea pater venit ad pinguiorem fortunam; ac proinde cessat finis, ob quem differt religionis ingressum. At idem est (inquit Sanchez) si quis eleemosynam voueret, si ex certa negotiatione lucrum haberet, non sine obtinendi à Deo illud lucrum, sed gratia commoditatis eleemosynam faciendi; esse inquam obligatum voto si de facto lucrum aliunde compararet. Ratio omnium est: quia sic vouens intendit religionem ingredi, nisi pater eius, vel soror impedimento fuerit, eleemosynam præbere, si diuitiæ superfuerint. Quæ intentio sine dubio in supradictis casibus impleta est, esto materialis conditio impleta non fuerit.

5 Cæterum verius censerem conditionem in specifica forma impleri debere, & non sufficere æquipollenter. Nam satis commune, & tritum est conditionem in specifica forma impleri debere iuxta *legem qui hæredi* §. 1. *& leg. Mauius ff. de conditionibus & demonstrationibus*. Quia conditio induit formam. Et licet ab hac regula excipiantur conditiones, quæ tanquam dispositiones, & media ad effectum intentum assumantur, vt non sit necessarium in specifica forma impleri, si æquè alia via effectus obtinetur. Vt latè probat Menochius de præsumptionibus *lib.*4. *de præsumptione* 185. *an.*6. Sarmiento *libr.*2. *selectarum capit.* 1. *an.* 12. Id non ex natura rei, sed ex iuris dispositione habetur. Cum autem in votis, & illorum obligationibus nulla talis dispositio inueniatur, asserendum est conditiones oppositas illorum obligationibus in specifica forma impleri debere. Cum enim tota votorum obligatio non ex lege, vt in humanis contractibus, sed ex intentione vouentis pendeat; & hæc astricta sit illi conditioni; non videtur sufficere, quod altera loco illius opponatur; esto finis intentus æquè imò perfectiùs obtineatur. Explico doctrinam in supradictis exemplis. Vouens religionem quando soror collocata fuerit in matrimonium, vel quando pater mortuus fuerit animo non relinquendi sororem, vel patrem desertum; vel vouens eleemosynam si ex hac negotiatione lucrum reportet; quia alias non existimabat commoditatem habiturum, non vouet religionem nec eleemosynam, quando finis obtinetur vtcumque, sed quando tale medium apponitur ad illum obtinendum; non enim dicit; ingrediar religionem, quando soror, vel pater meo præsidio non indiguerit; hic namque est finis intentus in illa conditione, sed non est ipsa conditio. Sed dicit; ingrediar religionem, quando soror matrimonio competenti collocata fuerit, & pater obierit; ac proinde conditio non est de fine, sed de aliquo determinato medio ad finem. Ergo tali medio non posito esto aliunde finis obtineatur, non impletur, conditio sub qua votum obligat. Iis ergo positis.

6. Triplex difficultas examinandi venit. Prima an vouens sub conditione futura contingente teneatur expectare conditionis euentum, vt sic voto obligetur, vel possit se inhabilem reddere ad voti executionem euenientе conditione? Qua in re dicendum est. Si conditio, sub qua votum factum est, à tua voluntate libera pendet, non teneris expectare conditionis euentum, sed potes statum incompatibilem assumere; secùs si dependeat conditio ab alterius voluntate. Sic expressè Sanchez lib.4. de voto *cap.*21.*num.*11.*& c.*23.*num.*28. Bonacina *disp.*4. *q.*2. *punct.*2. *num.*5. vers. *secunda est*. Ratio prioris partis est. Quia conditio à tua voluntate pendens tuæ voluntati remittitur. Ergo liberum tibi est eam numquam apponere, & consequenter eius euentum non expectare. Hinc fit, si promisisti religionem si luseris hoc anno, te posse ante impletam conditionem matrimonium contrahere. Quia non teneris expectare conditionem, sed potiùs teneris ab illa abstinere. At idem est, si promiseris eleemosynam, quoties è domo exieris, aut illac transieris; poteris velle, te esse impeditum à domo exire, aut illac transire. Quia per hanc voluntatem nihil voto contrarium appetis. Cum solum appetas numquam implere conditionem tibi remissam, sub qua voto obligari voluisti. Posterioris partis ratio ea est: Quia si conditio, sub qua voto obligaris ab alterius voluntate pendet, neque eius voluntatem eludere, & impotentem reddere ad te obligandum. Alias frustrà, vanè, & inutiliter sub aliena voluntate obligationem subires, si eam posses pro libito elidere, & frustrare. Hoc tamen limitandum est, nisi conditionem apponi fuerit moraliter impossibile. Quia tunc non teneris conditionis euentum expectare cum vanè expectes. Sanchez *d. capit.* 23. *numero* 28. Bonacina *disput.*4. *quæst.*2. *p.*2. *num.* 5, vers. *prima*.

7. Secunda difficultas est; qualiter peccet contra votum impediens conditionem, sub qua obligare debet? Certum est nullum esse peccatum, si impediatur conditio à propria pendens, ob rationem superiùs dictam. Nam eo ipso, quo propriæ voluntati iudicio remissa est, potest pro libito impediri vel non impediri. Sanch. lib.4. de voto *cap.*23.*num.*40. *&* 41. Suarez tom.2. de Relig lib.4. *de voto cap.*17.*num.*15. Layman lib 4. tract. 4. de voto *cap.6. quæst.* 1. Quod verissimum est; quando conditio sub qua votum obligat, nulla lege præcipitur, vel præcipitur contrarium. Si autem conditio ab alterius voluntate pendeat, & lege prohibita sit, certum est, te obligatum esse totis viribus conari conditionem impedire; vt si promiseris religionem, si tuus filius in fornicationem lapsus fuerit. Non enim religio esse potest contraria charitati; ac proinde neque impedire, quin fornicationem filij procures euitare. Sic Sanch. *cap.*23. *num.*43. At si conditio nulla lege prohibita sit, alicui videbitur, non esse contra votum eius euentum impedire. Quia per votum non te obligasti ad non impediendum conditionem, sed solum ad exequendum posita conditione. Nihilominùs omnino dicendum est, te obligatum esse ex vi voti conditionem non impedire. Sic Sanchez affirmans esse omnium *lib.*4. *cap.*23. *num.*45. Suar. *cap.*17. *num.*16. Bonacina *disput.*4. *quæst.*2. *punct.*2. *num.*5. Layman *lib.* 4. *tract.*4. *cap.*6. *quæst.*1. *concluſ.*2. Ratio est manifesta: quia vouens sub conditione ab alterius voluntate pendente, in eius voluntatem sui voti obligationem remittit. Ne igitur hæc remissio inanis sit, cogitur voluntatem alterius non impedire.

8. Hinc oritur dubium; an facias contra votum de religione assumenda sub conditione paterni consensus, si de facto procures precibus, & rationibus ne consentiat? Respondeo contra votum non esse: quia hæc consensum paternum absolutè non impediunt; siquidem illum liberum ad consentiendum relinquunt. Esset autem contra votum, si per vim aut fraudem consensus impeditetur. Idem est si sub alterius consilio votum esset emissum. Sic docuit Suarez *d. lib.*4. *cap.*17.*&* 18. Layman *lib.*4. *tract.*4. *cap.*6. *concluſ.*2. Sanch. *lib.*4. *cap.*23. *num.* 54. Subdit tamen Sanch. peccare contra votum, si petas à parente ne consentiat. Sed non placet? quia hæc petitio patris voluntatem non cogit; ac proinde non impedit eius liberum consensum, sub quo tanquam sub conditione religio promissa est.

9. Deinde est dubium de voto facto assumendi religionem, si integram sanitatem recuperaueris; an sit contra votum immoderatè vesci, cibis noxiis vti, media necessaria & consueta ad recuperandam salutem non apponere? Et quidem si hæc facetes animo subterfugiendi voti obligationem, peccas contra votum, qui conuinceris manifestè irrisoriè religionem Deo promisisse sub conditione quam malitiosè de medio tollis. Sic Layman *cap.*6. *quæst.* 1. *in fine indicat*, Sanch.

cap.

*cap.*13. *num.*51. Suar. *lib.*4. *cap.*17. *num.*19. Si verò animo subterfugiendi voti obligationem, sed passione ductus cibis vescaris, vel media ad salutem consueta non apponas; credo, te non peccare contra votum de religione assumenda. quia ex vi huius voti non est credendum, te voluisse obligari, ad procurandum salutem aliter quam antea obligatus esses; neque ad mutuandum tuum ordinarium modum procedendi. Sic expresse Suarez, Sanchez & Layman. *suprà.* At idem est, votum Religionis sub conditione si doctus euaseris; teneris namque non abstinere à litteris eo animo, vt voti obligationem fugias. At si ab illis abstineas ob ingenij tarditatem, & continuum laborem; non videris voto contrarius Sanchez *num.*50.

10. Præterea est dubium de voto assumendi religionem, si te Deus integro anno à peccato mortali committendo præseruauerit; an pecces contra votum, quoties peccatum mortale committis? Videtur ex superioribus dicendum, te contra votum facere, si ex industria vt voti obligationem fugias, delinquas. Secùs si passione ductus. Quia hoc voto solum obligari potes, ne malitiosè & in voti fraudem conditionem præseruationis impedias; non autem si eam impedias, qualiter set luso voto impedire. Quia ad hæc vitanda non censeris obligatus. Alias votum illud non esset conditionale, sed absolutum; siquidem obligaret absolutè non impedire Dei à peccatis præseruationem, qua præseruatione posita obligatio religionis absoluta est. Suar. *lib.*4. *cap.*17. *num.*14. Layman. *cap.*6 *concl.*2. Sanch. *lib* 4. *cap.*23 *num* 53.

Addendum tamen est cum Suarez *num.*11. non videri improbabile sic vouentem non violare dictum votum peccando mortaliter, tametsi peccet malitiosè vt voti obligationem fugiat. Quia conditio, sub qua religio promissa est, integrè videtur pendere à diuina voluntate & non ab humana. Promittis enim religionem, si Deus eam gratiam, quâ de facto peccatum euites, non qua euitare potes, concedat. At huius gratiæ concessio integrè à diuina voluntate pendet, non ab humana. Ergo humana voluntas peccans huic gratiæ concessioni non aduersatur. Nam eo ipso, quo peccat, conuincitur non habere gratiam qua de facto peccatum euitet; quæ fuit conditio sub qua religio promissa est.

Fateor autem sic peccantem verè peccare contra religionem, præter peccatum quod committit aduersus illam virtutem aduersus quam procedit. Tum quia abutitur voto sumens ex illo occasionem delinquendi cum quia Spiritui sancto, cuius fuit ad votum inducere & ad illius executionem promouere, resistit. Sic Suar. *lib.*4. *cap.*17 *num.*14 *fine.*

11. Tertia difficultas est: an in supradictis casibus culpabiliter impediens voti conditionem, teneatis, voto ac si de facto conditio impleta esset? Plures affirmant, te obligatum esse voto, si ex culpa graui (esto non ex industria vt voti obligationem fugias) conditionem euites. Sic supplementum Gab.4. *d.*38. *quæst.*1 *art.*3. *concluſ.*2. Tabiena verbo *votum* 2. *q.*2. Angelus *eodem* 1. *num.*10. Quia iam per te stat, quominùs conditio impleatur. Alij addunt hanc culpam debere esse ex malitia, & non ex infirmitate. Sic Syluester verbo *Votum* 2. *q.*2. *dicto* 1. Manuël.2. *tom. summæ cap.*98. *ad finem.* Moueutur: quia si impedire conditionem ex infirmitate sufficeret ad obligationem, semper votum obligaret. Alij præterea addunt hanc malitiam debere esse in voti fraudem, ita vt impedias conditionem animo vitandi voti obligationem. Sic Nauar. *cap.*12 *num.*24. Sanch. *aliis relatis lib.*4. *cap.*32. *num.*47. & 53. Bonacin. *disput.*4 *quæst.*2. *punct.*2. *num.*6. & 7. Probant primo ex *regula iuris* 66. *de regulis iuris in* 6. Cum non stat per eum, ad quem pertinet quominùs conditio impleatur, haberi debet, perinde ac si impleta fuisset. At per Deum non stat, quominùs salutem recuperes, & peccatum euites, sed tua culpa (vt suppono) hæc contingunt, ergo conditio debet censeri impleta, vt pluribus exemptis exornat Glossa *ibi.* Clarius habetur, *leg. in executione* 85. §. *finali*, *ff. c. verborum obligationibus* ibi. Quicumque sub conditione obligatus curauerit, nec conditio existeret, nihilominùs obligatur. Secundò probant hac ratione si voueas religionem sub conditione ab altero ponenda, quamque licitè impedire non potes, tacitè obligaris ad religionem; si per ipsum non steterit talem conditionem apponere: Alias non esses obligatus conditionis euentum expectare. Ergo obligaris si malitiosè conditionem impedias; quia non per alium sed per te stat, quominùs conditio impleatur. Et confirmant hoc exemplo promisisti Titio decem se fores tuas ingressus fuerit, illi verò volenti ingredi ostium claudis; teneris decem dare, ac si de facto fuisset ingressus: quia per ipsum non stat, quominùs conditio impleatur.

Contrariam sententiam defendit Maior *in* 4. *d.*38. *quæst.*1. Corollario 7. Suar. *lib.*4. *de voto cap.*17 *num.*20. Et valde probabilem reputat Layman. *lib* 4. *tract* 4. *cap.*6. *quæst.*3. Nempè sic vouentem sub conditione & malitiosè impedientem conditionis euentum non esse obligatum ad voti executionem. Nam obligari potest, eò quod conditio impleta sit? Et hoc non, quia supponimus malitiosè conditionem esse impeditam. Vel obligatur ad peccatum commissum in conditione impedienda; & hoc minùs verum est: quia hoc peccatum solam obligationem pœnitentiæ non restitutionis, & satisfactionis affert. Ergo ex nullo capite otiri potest obligatio promissam exequendi, in quo est dispar ratio promissionis humanæ & diuinæ. Nam humana promissio, sub conditione pendente ex alterius voluntate obligat, si lædatur ad satisfactionem, & recompensationem. Quia læditur promissarius in bonis sibi vtilibus, quorum compensatio fieri potest, ac debet. At diuina promissio violata solum ad pœnitentiam obligat, non ad recompensationem. Quia Deus promissionis violatione nullum in bonis sibi vtilibus detrimentum patitur; ac proinde nihil est quod recompensationem petat. Solum denegatur ei cultus & honor debitus, qui pœnitentia repetatur.

12. Inter has sententias hæc posterior mihi probabilior apparet. Nam cum toto obligatio voti pendeat ex intentione vouentis, & in voto conditionali non sit nisi sub implera conditione efficitur conditionem impleri debere ad obligationem absolutè contrahendam. At eo ipso quo conditio impediatur, non impletur. Ergo votum illud conditionatum obligare non potest. Quod si dicas verum esse conditionem non impleri secundum sensum materialem & expressum; impleri tamen secundum sensum formalem à vouente intentum, quoties non stat per eum ad quem pertinet, conditio impleri? Obstat; nam esto hæc regula locum habeat in promissionibus humanis, quarum obligatio multum ex dispositione iuris positiui pendet. At in promissionibus diuinis locum habere non potest, quarum obligatio tota ex intentione vouentis pendet; intentio autem vouentis & se obligantis, v. g. ad religionem sub hac conditione, si eius pater expressè consenserit; non est, si per patrem consensus non steterit. Quia hæc est conditio negatiua, alia positiua. Hæc latiùs patens, quam illa, quæ fuit in voto apposita. Et idem argumentum fieri potest de illa conditione, si Deus mihi salutem dederit; si à peccatis præseruauerit. Quæ non censentur impletæ quandoque non obtinetur salus, neque à peccatis præseruatio; esto per Deum non steterit, quominùs implerentur. Explicatur ampliùs; si voueres religionem sub aliqua ex prædictis conditionibus ea expressa intentione vt de facto & formaliter vt sonat, impleretur, clarum videtur esse te non manere obligatum ea sic non impleta; tametsi per eum ad quem pertinet, non steterit. At hæc intentio semper est præsumenda. Tum quia verbis expressis magis conuenit. Tum quia voti obligatio non latè strictè interpretanda est.

13. Ex hac doctrina fortè inferet aliquis, te hospitalis vel monasterij obsequio ex voto dicatum sub conditione dum Prælatus illius retinere voluerit, manere liberum & absque vlla obligatione quomodocumque libertatem extorqueas, etiam malè seruiendo, monasterium turbando, & iniquè procedendo. Quia iam Prælatus te retinere non vult. Sed est absurda illatio, & omnino reiicienda, vt expressè illam reiicit Lessius *lib.*2. *cap.*30. *dub.*20. *num.*148. Quia non impletur conditio apposita ad illius voti exemptionem. Votum enim illud vt religiosum sit, sub hac forma debet intelligi conceptum; nempe seruiendi hospitali vel monasterio dum Prælatus illius quantum est ex parte sua te retinere voluerit. At cum coactus tuo iniquo modo procedendi dimittit, quantum est ex parte sua te retinere volebat. Ergo conditio illa honestans dimissionem non impletur. Quod euidentiùs procedit si non solum ex voto obligeris, sed etiam ex promissione facta monasterio & ab illo acceptata ex traditione religiosa, (vt contingit in Societatis Iesu religiosis, qui per vota biennij religioni traduntur animo perpetuo ibi manendi dum Religionis Prælatus eos retinere voluerit.) Nam facta illa promissione vel traditione contra iustitiam peccas iniquè dimissionem extorquens. Eò enim ipso, quo te obligasti ibi manere, obligatus fuisti modum vitæ ibi præscriptum seruare; quod si ex industria non serues, contra promissum facis; ac proinde si expellaris, securus non es, sed debes emendatione proposita redire, si fortè Prælatus te admittere velit ab eoque instanter admissionem postulare.

PVNCTVM XVIII.

Qualiter votum pœnale obligationem inducat?

SVMMARIVM.

1 *Obligatorium est hoc votum.*
2 *Dupliciter emitti potest.*
3 *Non manes obligatus ad pœnam si inuincibiliter ignoras, te fuisse ad illam obligatum.*
4 *Si emiseris votum vitandi fornicationem sub peregrinationis pœna, & tollatur priùs votum, secundum pœnale cessat.*

5 *Ad impetrandam prioris voti dispensationem non est necessariò mentio facienda accessorij.*

6 *An voti pœnalis obligatio de prima vice sit intelligenda latè examinatur.*

1. REuocanda sunt in memoriam, quæ de hoc voto diximus punct. 10. qui hoc votum emittit, ad rem promissam affectus non est; potiùs illam auersatur, ideóque obligationem sibi imponit eam, exequendi, si forte aliquod delictum, quod cuitare intendit, commiserit, v.g. intendis fugere fornicationem, & vt efficaciùs præstes, voues peregrinationem, ad quam affectus non es, si in illam incideris, vt timore contrahendi peregrinationis obligationem à fornicatione arcearis. Esse autem hoc votum validum, & honestum, & commisso delicto obligare absolutè, nemini potest esse dubium. Quia materia promissa & conditio sub qua promittitur honestæ sunt, neque maioris boni impeditiuæ. Vt ex communi sententia probat Caietanus 2.2. *qu.*88. *art.*2. Couarr. *de pactis* 1. *p.* §.3. *num.vlt.* Suar. *lib.*4. *de voto cap.*17. *n.*3.

2. Dupliciter hoc votum pœnale præstare potes. Primò; si solum voueas pœnam nempe peregrinationem casu, quò delictum commiseris; non autem voueas vitare delictum sub hac peregrinationis pœna. Primum votum est simplex pœnale: quia solum est de pœna suppósito delicto. Secundum est duplex; quia est de vitando delicto & simul de pœna si vitatum non fuerit. Votum verò de vitando delicto absolutum est non conditionale. Secùs votum de pœna; quia non obligat nisi suppósito delicto. Vnde quacumque ratione delictum excusetur, contrahi non potest obligatio ad pœnam.

3. Sed est dubium; an manens obligatus ad pœnam si cum committis delictum inuincibiliter ignores te ad illam fuisse obligatum? Respondeo, te non manere obligatum. Quia pœna, quæ non est propria delicti, neque per se delicto annexa contrahi non potest, quin saltem cognoscatur lex per quam lata est. Vt pluribus firmaui *tract.*2. *de peccat. disp.*1. *punct.*17. Si ergo ignoras te peregrinationem promisisse, si fornicationem commiseris, illiúsve votum transgressus fueris, ignoras legem, per quam pœna lata est; non igitur illam contrahere potes. Et ita tenet in præsenti Sanchez *lib.*4. *de voto cap.*22. *n.*18. Layman. *lib.*4. *tract.*4. *cap.*5. *corol.*3. Subdunt tamen te esse obligatum pœnam subire saltem si non sit grauissima, si voti recorderis esto pœnæ obliuiscatis? quia sufficit cognitio legis, per quam pœna moderata imposita est, esto pœna non cognoscatur. Sed non satis percipio quomodo hæc doctrina in præsenti stare possit. Neque enim videtur votum pœnale cognosci posse, quin pœna cognoscatur. Fateor namque te cognoscere posse sub voto promisisse fugere fornicationem, ignorare autem, an sub pœna aliqua hanc fugam promiseris? Sed non inde infertur te cognoscere legem, & ignorare pœnam per legem impositam. Nam quando ignoras sub pœna aliqua promisisse fornicationem fugere, ignoras legem, cui pœna annexa est. Quia hæc pœna huic voto, & non voto fugiendi fornicationem annectitur. Si igitur ex ignorantia legis excusaris à pœna illius in præsenti ex ignorantia pœnæ promissæ, excusaris ab illius incursu, cum non possit esse ignorantia pœnæ promissæ quin ignoretur promissio illius, & consequenter lex per quam imponitur.

4. Secundò dubitabis: an eo casu, quo votum duplex emiseris vitandi inquam fornicationem sub pœna peregrinationis sublato voto de vitanda fornicatione per dispensationem vel irritationem sublatum censeatur votum de pœna incurrenda si deliqueris? Dixi *de pœna incurrenda* nam si cum pœna sit incursa: quia primum votum transgressum est, constat manifestè sublato voto vitandi fornicationem, non tolli votum de pœna incursa. Quia iam est ab illo omnino independens. Et notauit Sanchez *lib.*4. *de voto cap.*22. *num.*9. *post medium.* Layman. *lib.*4 *tract.*4. *cap.*5. *corol.*2. Ratio difficultatis est: quia est duplex votum, quorum vnum ab alio non pendet. Potest namque esse obligatio ad pœnam, quin sit obligatio ex voto vitandi fornicationem. Et è contra potest esse obligatio vitandi fornicationem, quin sit obligatio subeundi pœnam. Ergo credendum est sic hæc vota emissa esse.

Nihilominùs Sanch. & Layman. *suprà* defendunt sublato voto vitandi fornicationem tolli votum peregrinationis subeundæ. Quia hoc votum emittitur vt accessorium priori & in illius perfectam obseruationem. Et placet mihi hæc sententia. Nam esto independenter ab illo emitti possit, non est præsumendum; eo quod frequenter & in plurimum vt accessorium emittatur.

5. An autem ad impetrandam dispensationem voti principalis mentionem facere debeas accessorij, non caret difficultate; eò quod ob huius accessum materia voti principalis securior reddita sit; ac proinde dignior; & Deo gratior, & frequenter maiori causa indiget ad sui relaxationem. Quod exemplo illius, qui promisit Romanam peregrinationem sacco indutus illustrati potest, qui certè obtinere non potest dispensationem supradictæ peregrinationis, quin circunstantiam illam manifestet. Cæterum satis probabile est, voti accessorij mentionem non esse necessariò faciendam in dispensatione, seu commutatione voti principalis. Quia hæc mentio ideo facienda erat, quia votum accessorium aliquo modo annecteretur materiæ vi principalis, eamque digniorem & gratiorem Deo redderet. At non sic se habet hoc votum pœnale. Non enim annectitur voti principalis obseruationi sed potiùs illius transgressioni. Quia non obligat quousque votum principale transgressum fuerit: ac proinde materiam voti principalis nec digniorem, nec gratiorem Deo reddit, esto vouentem in illius obseruatione securiorem reddat. Secùs verò est in exemplo adducto de voto Romànæ peregrinationis cum sacco. Quia hæc circunstantia in obseruatione voti peregrinationis intrat ita vt votum principale sine illa obseruari non possit; ideoque huius est mentio necessariò facienda; non illius; Sic Sanch. *d.cap.*22. *num.*9. Consentit Layman. *lib.*4. *tract.*4. *cap.*5. *corol.*2.

6. Tertiò dubitabis; an quoties violas votum, seu materiam in cuius obseruationem votum pœnale emisisti, pœnam incurras: vel tantum illam incurras prima vice? v.g. promisisti, si luseris, peregrinationem Romam, Religionem ingredi, eleemosynam facere, dubium est; an ad multiplicationem delicti multiplicanda sit pœna?

Negat Emanuel Sà in summa verbo *votum num.* 26. *in vtraque editione.* Ratio esse potest: quia pœnè multiplicandæ non sunt absque manifesta ratione, neque obligatio voti in casu dubio extendenda est. Sed positis supradictis verbis est satis dubium, te velle obligari ad pœnam illam subeundam quoties luseris. Quia solum ex illis colligitur, te velle obligari ad illam pœnam subeundam, si de facto luseris: quod vnica vice completur. Ergo sic est interpretandum. Et confirmo cum voues absolutè vigilia alicuius sancti ieiunare, de prima vigilia sequenti tantum intelligitur nisi aliquod vniuersale signum addat. Vt tradit Sanchez *lib.*4. *sum.cap.*14. *num.*40. Bonacina *disp.*4. *quæst.*2. *punct.*5. §.1. *num.*5. Ergo similiter votum de pœna subeunda si luseris, de primo ludo videtur intelligendum. Quia voti obligatio extendenda non est. Quod quidem satis probabile esse censeo quando solum est votum de subeunda pœna in casu ludi; non tamen est votum de ludo vitando. Consentit Layman. *lib.*4. *tract.*4. *cap.*5. *conclus.*2. *fine.*

At si votum sit de vitando ludo & casu quo illum non vitaueris subiturum talem pœnam, maior est difficultas: an de sola prima vice votum pœnæ debeat intelligi? Negat Sanchez *cap.*22. *num.*21. Layman. *suprà concl.*1. Mouentur: quia votum illud pœnale est accessorium voto non ludendi. Sed votum non ludendi est de sola prima vice. Ergo neque illud votum pœnæ subeundæ debet esse. Et confirmo votum pœnæ assumis ad te continendum à ludo: sed intendis non solum semel sed in perpetuum te à ludo continere. Ergo votum pœnæ non vnico ludo sed omnibus annexum est.

Dices, ex eo quod votum pœnæ accessorium sit voto non ludendi; non inde infertur pœnam multiplicandam esse pro qualibet voti transgressione. Potest enim sub vna singulari & ineuitabili pœna promitti perpetua ludi vitatio, & tunc illa pœna sic promissa te continere potest in perpetuum à ludo, dum illam non contrahis. Esto post illius incursionem cesser.

Ob hanc rationem existimo, si pœna, quam per votum promittis grauissima sit, quæque iterari non solet qualis est religionis, peregrinationis Romanæ Hierosolymitanæ, aut exorbitantis eleemosynæ de prima vice tantum votum intelligendum esse. Sic expressè Sanch. *d.cap.*22. *num.*21. De aliis verò pœnis moderatis verius est cuilibet transgressioni suam pœnam correspondere ad illamque subeundam te obligare velle. Quia hac ratione efficaciùs te à delicto præseruas, & in bono contines.

PVNCTVM XIX.

Quæ personæ voto obstringi possunt.

SVMMARIVM.

1 *Omnes homines ratione vtentes voto obstringi possunt nisi impediantur. Impediuntur tamen aliqui pro voto religionis.*

2 *Ecclesia habet potestatem inhabilitandi aliquos ad votum.*

3 *Neminem inhabilem fecit nisi pro statu religioso.*

4 *Præmittitur quædam distinctio pro intelligentia dicendorum.*

5 *Votum de materia præcepta validum est à quocumque subdito emittatur.*

6 *Votum de materia interdicta nullum est.*

7. *Votum*

7 *Votum de re honesta & solum prohibita quoad modum valet.*
8 *Debet licentiam petere.*
9 *Non teneris in petitione licentia votum manifestare.*
10 *Qualiter obliget religiosi votum de aliqua eleemosyna praestanda ?*
11 *Quid de voto vxoris, filiifamilias serui ?*
12 *Qualiter obliget votum Episcopi de Religione assumenda & peregrinatione praestanda ?*
13 *Quid de Parrocho ?*
14 *Quid de aliis clericis ?*
15 *Si prohibitus sis vouere , votum tenet , si sit de materia apta.*

1. REgula certissima est, omnes homines ratione vtentes voto obstringi posse, nisi specialiter impediantur. Sic D. Thomas ab omnibus receptus 2.2. *quæst* 88.*artic.*8. & 9. Ratio est manifesta : quia vtens ratione rem honestam,& gratam Deo promittere potest, quam si Deus acceptet, eo ipso voto obstrictus est. Dubium tamen est ; an sint aliqui quorum promissiones alias de re honestissima Deus non acceptat? Et respondeo esse. Non enim acceptat professionem religiosi ante sexdecim annos completos, vel nouitiatu non expleto. Vt decidit Trid. sess. 25. *de regularibus cap.*15.*cap. ad nostras de regularibus cap.*1. & 2. *eodem tit. in* 6. *cap.*1.20. *quæst.*1. & *cap. Puella* 20. *quæst.*2. Quia ob perpetuitatem & perfectionem status religiosi conueniens fuit, ne ante eam ætatem, & absque annali probatione assumeretur, néve Ecclesia aliter assumptum acceptaret. At non acceptato statu nec vota, quibus innititur, acceptantur. Neque de hac potestate & de facto vllus Catholicorum dubitare potest.

2. Præter huiusmodi casum religiosi status non inuenitur in iure alius,in quo vota emissa de materia honesta nec maioris boni impeditiua ab Ecclesia non acceptentur ; tametsi potuerit plura ex illis non acceptare. Sic latè expendit Suarez *lib.*3. *de voto cap.*3. & 4. Et in primis quod potuerit Ecclesia inde probatur. Potest namque Ecclesia, cui Deus suas vices commissas habet , nolle acceptare votum suorum fidelium nisi sub hac vel illa conditione factum. Quæ repugnantia in hoc inueniri potest ? Sicut enim nulla inuenitur in eo, quod voti facti obligationem remittat , vti facit dispensando , neque etiam inueniri debet quod obligationem remittat antequam fiat. Sic docuit Suarez *dicto capit.*2. *numer.*8. Sanchez *lib.*4.*cap* 24 *num.*44. Quod non solum verum habet de votis externis, & manifestis, sed etiam de votis internis & occultis tum promissione tum materia. Quia omnia hæc dispensare Ecclesia potest. Ergo etiam potest antecedenter annullare. Neque obstat Ecclesiam non posse iudicare de actibus internis, neque circa illos iurisdictionem exercere ; quia hoc intelligitur de iudicio & iurisdictione forensi secùs de iudicio & iurisdictione bonum animarum respiciente, neque onus aliquod hominibus imponente sed potiùs ab onere liberante Sanchez *cap.*24. *num.*40. Suarez *lib.*3.*cap.*3 .*num.*11. Hanc tamen potestatem nullatenùs Ecclesia exercere potest nisi iusta causa intercedente. Nam hæc antecedens remissio nomine Dei fit, & per potestatem iurisdictionis ab ipso concessam illis verbis, *quodcunque solueris in terris erit solutum & in cœlis.* Deus autem non censetur velle vt absque causa ius sibi acquirendum remittatur. Præcipuè cum hæc remissio per legem fiat, eáque personæ ad sic vouendum maneant inhabilitatæ. Sanchez *n.*45. Suarez *num.*14. Quod si inquiras ; quibus datum sit non acceptare vota nisi sub hac vel illa conditione ? Respondeo summo Pontifici tantum hoc datum esse. Quod probat consuetudo recepta. Nunquam enim Episcopi aliíve Prælati hanc antecedentem legem statuerunt. Neque conueniens erat, illius statuendæ potestatem habere ; cum hæc potiùs vniuersalè Ecclesiæ regimen quam particulare respiciat. Suarez *cap.*3. *n.*12. Sanch. *cap.*24. *n.*47.

3. Verum nullum esse casum præter religionis statum, & vota illi annexa, in quo Ecclesia fideles suos inhabiles ad vouendum constituerit, cum communi sententia probat Suarez *d. lib.*3 *cap.*4. & *sequentibus* Sanch. *cap.*24.*num.*47. & *toto cap.*25. Quaptopter quælibet vota facta ab Episcopis & Clericis beneficiatis de materia aliàs honesta,neque Ecclesiæ præiudiciali,valida sunt, & omnino firma. Item omnia vota religiosorum , filiorum , impuberum , vxorum , seruorum de materia maius bonum non impediente. Quia horum subiectio non impedit vouendi potestatem ; esto illam infirmam relinquat.

4. Vt autem hoc clariùs eluceat, distinguenda sunt vota, quæ huiusmodi personæ emittere possunt , vt inde colligatur, nullum esse votum pro quo emittendo inhabiles factæ sint. Primò potest esse votum de materia præcepta quæ multiplex est. Alia cuius executionem nullatenus superior impedire potest, vt si voueres non furari , vel missam diebus festis audire. Alia in qua superior dispensare solet. Alia quæ non absolutè præcipitur , sed præcipitur , ne fiat absque licentia superioris. Secundò potest esse votum de materia,quæ nulla lege præcipitur aut prohibetur. His positis.

5. Dicendum est primò;votum de materia præcepta,cuius executionem nullatenus impedire superior potest , validum est , eiusque valor à superioris consensu non pendet. Sic D. Thomas 2.2. *quæst.*88.*art.*8.& 12. *ad secundum* Suar. *lib.*3. *cap.*5. *à n.*3.& *cap.*6.*à n.*3. Sanch. *lib.*4.*cap.*25. *à n.*2. & 6. Lessius *lib.*2.*cap.*40. *dub.*13. *à num.*73. Ratio est clara ; quia huiusmodi vota nec perfectionem impediunt , nec superioris iuri præiudicant. Ergo nullum est caput , ex quo irrita sint.

Dices esse irrita ex defectu consensus superioris , si fiant à subditis , quorum voluntas plenè est superiori subiecta , qualem habent religiosi comparatione suorum Prælatorum : Hi enim voto obedientiæ ita suam voluntatem superiori tradiderunt , vt nec velle nec nolle habeant ; sed ex illius quem vice Dei super caput suum posuerunt , & cuius imperio se subiecerunt, voluntate dependeant. Vt dicitur *cap.si religiosus de electione in* 6. & fauet *cap. Monacho* 20. *qu.*4. Vbi ex Basilio refertur. Monacho non licere vouere sine consensu Abbatis; si autem vouerit , frangendum est votum. Eandem subiectionem habent impuberes ex iuris dispositione comparatione suorum parentum vel tutorum. Facta autem hac subiectione non videntur hi subditi , vllum votum emittere posse absque superioris consensu. Quia iam de sua voluntate , quæ propria non est, sed aliena disponunt , illamque obligatione onerant absque consensu illius, cuius dispositioni subiicitur. Et ita tenet Valentia 2.2. *disput.*6.*quæst.*6. *punct.*6. *post principium & quæst.*1. Sed respondendum est subiectionem religiosorum & impuberum non impedire ipsis liberum vsum suæ voluntatis circa res licitas,& honestas & iuri superiorum non præiudicantes. Esset enim talis subiectio dura , & irrationabilis , & exequendi impossibilis. Solum enim impedit , ne ita liberè suo arbitrio vtantur ; quin possint à superioribus impediri , & ita intelligendus est textus *in cap. si religiosus.* Ad textum verò *in cap.Monacho.* Respondeo primò. Esse dubiæ authoritatis ; quia neque est alicuius consilij , neque in operibus Basilij inuenitur (tametsi id insinuet Gratianus. Sed concesso habere textum firmam auctoritatem, respondeo cum Gloss. & Doctoribus statim referendis. Non esse monacho licitum vouere sine consensu Abbatis absinentiam, quia ob defectum huius consensus alij scandalizantur. Et ita tenent aliis relatis Sanchez *lib.*4. *cap.*25. *num.*6. & 22. Lessius *lib.*2. *cap.*40. *dub.*13. *num.*74. Suar. *lib.*3. *cap.*5. *à num.*3. Sayro in Claui Regia lib 6. *cap.*15.*num.*22. Paulus Layman. *lib.*4. *sum. tr.*4. *ca.*7. *n.*4.

6. Dico secundò ; votum religiosi , impuberis , vxoris , serui de materia illis absolutè interdicta nullum est ; non quia ad vouendum sint incapaces , sed quia materia talis voti incapax est obligationis. Quod de voto rei interdictæ , quia mala certissimum est. At de voto rei interdictæ , quia si rectæ gubernationi conuenit , non caret difficultate. Quia in iis sæpè datur dispensatio. Ergo sub conditione dispensationis potest esse voti materia ; sicut potest esse materia promissionis humanæ : Sæpè enim impediti matrimonium contrahere obligantur sub conditione , si Pontifex dispenset. Cur ergo non poterunt sub prædicta conditione Deo obligari per votum ? Nihilominus dicendum est neque de hac materia valere votum regulariter , non ex incapacitate vouentium , sed ex incapacitate materiæ promissæ. Nam dum in ea dispensatur , clarum est , non esse materiam voto aptam. Quia votum non aduersatur præcepto. Posita autem dispensatione esto licitè & absque peccato mundari votum executioni possit ; non tamen regulariter est melius ea dispensatione vti ; potiùs enim melius est præcepto , & regula generali confirmari , quam ab illa per dispensationem eximi. Quod non solum verum habet , quando præceptum & regula obligaret ad culpam : sed etiam quando ad nullam culpam per se obligaret ; adhuc melius est, regulariter loquendo regulam communem obseruare , quam ab illius obseruatione , per dispensationem se subtrahere. Ex hinc constat esse disparem rationem voti ab humana promissione. Promissio namque humana sub illa conditione , si superior dispensauerit , valida est ; quia in ea non spectatur quid melius & honestius sit, sed quid sit promissario vtile , modo sit honestum. At in votis semper spectatur quod melius est, & Deo gratius , & consequenter de materia , quæ dispensatione indiget , votum esse non potest. Sic tradunt Suarez *lib.*3. *de voto cap.*6. *à num.*19. Sanchez *lib.*4. *sum. cap.*25. *num.*10.

7. Dico tertiò ; votum de re honesta & solum prohibita quoad modum valet , v.g. prohibet Prælatus , ne eorum subditi tali vel tali die ieiunent absque eius licentia. Votum de ieiunio faciendo sub intellecta conditione , si Prælatus consenserit , validum est. Quia ieiunium cum licentia non prohibetur , sed potiùs consulitur. Et concessio licentiæ non est relaxatio præcepti , sed illius obseruatio & executio. Sic

Suarez

Suar. *lib.3. de voto cap.6.num 9.* Sanchez *lib.4. de voto cap. 25 num.8. & 10. lib.2.* Leſſius *lib.2. cap.40. dub.13.num.74.* Layman. *tract 4.cap 7.num.6.concl.4. & alij apud ipſos.*

8. Teneris ſic vouens ex vi talis voti licentiam à ſuperiore petere. Quia promiſſum abſque illa licentia voti materia non eſt; vt ergo voti materia ſit, illa licentia ſub re promiſſa continetur. Ergo etiam continetur petitio illius, vtpote medium moraliter neceſſarium ad eam obtinendum. Neque obſtat, vouentem ſub conditione deobligatum eſſe procurare conditionem, ſed ſatisfacere ſi expectet illius euentum. Quia hoc fallit cum conditio apponitur vt honeſtans materiam promiſſam, qualiter in caſu præſenti. Item cum conditio in alterius voluntatem remiſſa à vouentis actione pendet; vt ſi promiſeris religionem ingredi ſub conſenſu parentis, debes parentis conſenſum explorare. Alias irriſorie voueres, ſi ad hæc obligatus non eſſes. Sic Suarez *lib.3.cap.6.num.12.* Sanchez *lib.4. cap.25. num.24* Layman. *cap.7. num.7.* Quod intelligendum eſt, niſi expreſsè intentionem haberes, non te obligandi ad petendam licentiam, ſed ſolum ad opus faciẽdum, quando licentia generaliter data fuerit: quia votum non obligat vltra vouentis intentionem Suar. *num.13.* Sanchez *n.25.* Layman. *num.7.* Si autem res promiſſa tempore voti emiſſi nulla ad executionem licentia indigebat, & voto emiſſo indiget; quia nouiter interdicta eſt fieri abſque licentia, non teneris licentiam petere. Quia hæc licentia non continebatur in re quatenus fuit promiſſa; ſed tuum votum ſuſpenditur, quo vſque neceſſitas petendi licentiam ceſſet. Sanchez *n. 26.* Suarez *num. 13.* Layman. *num.7.* Si verò tempore promiſſionis licentia promiſſum indigebat, ſed tu ignoraſti, votum non tenet. Quia promiſſum abſque licentia mandari executioni non poteſt; licentiam autem in promiſſione non comprehendiſti, quia illius indigentiæ fuiſti ignarus. Sanch. aliis relatis *num.27.* Layman. *d. num.7.* Licentia autem ſi ſemel negata fuerit, iterum petenda eſt, ſi ſpes ſubſit, eam obtinendi, & voti obligatio perſeueret. Sanchez *n.31.* Suar. lib.6.de voto *cap.7.num.15.* Layman. *d. cap.7. num.7.* verſ. *cæterum.* Quod intelligendum cenſeo, quando non præſumitur in perpetuum negaſſe. Nam facta negatione in perpetuum materia interdicta eſt & voti obligationi pro eo tempore ſatisfactum. At hæc negatio cum non ſit per modum legis morte ſuperioris negantis finitur. Eaque de cauſa teneris à ſuperiore ſucceſſore licentiam expoſtulare. Vt latè probat Sanch. lib.9. de matrim. *diſp.43 num.8.* & notauit lib.4. de voto *cap.25. n.31.* Quæ omnia intelligenda ſunt, quando ſuperior ignarus voti executionem negaret aut impediret. Nam ſi voti conſcius illius executionem in perpetuum negaret votum extinguitur; quia illa negatio non ſuſpenſio ſed irritatio eſt, ſi fiat à ſuperiore habente poteſtatem irritandi.

9. Solum eſt inter Doctores controuerſia; an teneatis, cum petis licentiam votum factum manifeſtare? Affirmant Valent. *diſp.6. q.6. punct.6. q.2.* Sayrus l.6. in Clavi Regia *cap.5.num.20.* Leſſius *lib.2.c.40. dub.13.num.73.* Azor.1. *p. lib.11.c.p.16. qu.6.* & alij relati à Sanch. *lib.4. cap.25. n.28.* Mouentur: quia hæc voti manifeſtatio conducit regulariter loquendo, vt facilius licentia concedatur, & caſu, quo neganda ſit, prudentius negetur. Teneris ergo eam manifeſtationem facere; quia teneris licentiam eo modo petere quo credis obtinendam eſſe, vel eſſe prudenter negandam. Alias conuinceris non habere animum & verum propoſitum, votum exequendi. Sed contrarium probabilius cenſeo, niſi te expreſsè ad manifeſtandum votum obligaſſes. Quia ex vi voti ſolum fuiſti obligatus licentiam petere. Ad petitionem autem licentiæ, illiuſque conceſſionem neceſſaria non eſt voti manifeſtatio; ſiquidem ceſſante voto & peti & concedi licentia poterat. Neque obſtat facilius licentiam obtinendam fore, ſi votum manifeſtaretur. Quia ad hanc facilitatem præſtandam non fuiſti obligatus. Adde incertum eſſe, ex manifeſtatione voti licentiam facilius eſſe concedendam; fortè concedetur difficiliùs. Quia ægrè ferunt ſuperiores, hæc vota illis inconſultis emitti. Et ita tenet Nauarrus *cap.12.num.69.* Suar. lib.3.de voto *cap 6.n.15.* Sanchez alios referens *cap.25. n.29. & 30.* Layman. *lib 4.tract.4.cap.7.* verſ. *ſed quæſtio eſt.*

10. Ex hac doctrina deciditur, qualiter obliget votum religioſi de aliqua eleemoſyna præſtanda? Et quidem ſi bonorum, ex quibus eleemoſyna facienda eſt, adminiſtrationem habet, qualem habent conuentus Prælati, neque eleemoſyna excedit facultatem ſibi præſcriptam; clarum eſt valere votum dum à ſuperiore maiore non interdicitur, ſi autem excedit; valet votum ſub ea conditione ſi ſuperior licentiam dederit. Quia non alio modo eleemoſyna prohibetur. Et idem eſt dicendum de ſubditis, ſi eleemoſynam promittant ex rebus ſuo proprio vſui applicatis, valere inquam promiſſionem ſub ea conditione ſi ſuperiori placuerit; ac proinde obligatos eſſe licentiam petere niſi iam ex præſcripta conſuetudine conceſſa ſit. Sic docent Suarez lib.3.de voto *cap.7. & n.3.* Sanch. *lib.4.cap.25.n.13.& 14.*

Quod ſi religioſus promittat eleemoſynam ex bonis, quorum adminiſtrationem non habet, vt ſunt bona conuentus Suar. *d. lib.3. c.7. num.5.* Reſpondet, regulariter eſſe votum irritum & imprudens. Quia ſolum obligare poteſt ad monendum ſuperiorem vt eleemoſynam faciat, cuius monitio regulariter non expedit niſi occurrenti aliqua graui neceſſitate eleemoſynæ faciendæ. Sed placet mihi ſententia Sanch. *lib.4. de voto cap.25. num.16.* Regulariter illud votum validum eſſe. Quia non obligat ad monendum ſuperiorem vt ipſe eleemoſynam faciat, ſed ad petendam facultatem ex bonis conuentus illam faciendi. Si enim votum ſit eleemoſynæ excedentis facultatem quam habes, ſentit Suarez valere ſub ea conditione ſi ſuperior conceſſerit, idem prorsùs tenetur dicere de voto eleemoſynæ ex bonis conuentus; cum bona ſemper maneant conuentus; neque de illis diſponere religioſus poſſit niſi pro facultate ſibi conceſſa. Si autem in aliquo caſu ob ſpeciales circumſtantias crederetur, petitionem vel imprudentem eſſe, vel non eſſe concedendam, votum non obligabit vt bene dixit Sanch. *d.cap.25.num.16 fine.*

11. Sed quid dicendum de voto vxoris, filij familias, ſeruì eleemoſynæ præſtandæ? Et quidem ſi ſint de bonis illorum propriis, quorumque liberam adminiſtrationem habent, ita validum eſt, vt neque contradicente marito, patre, aut domino ceſſet illius obligatio. At ſi ſint de bonis mariti, parentis, aut domini vel quorum ij adminiſtrationem habent, obligat votum ſub ea conditione, ſi ea ſic alienari permiſerint. Quia ſub ea conditione promiſſum honeſtum eſt nec maioris boni impeditiuum. Sic Suar. *cap.7.num.6.* Sanch. *cap.25. num.14. & 15.*

12. Secundò deciditur; qualiter obliget votum Epiſcopi, & Parochi aliorumque Clericorum de Religione aſſumenda & peregrinatione præſtanda? Nam cum Epiſcopo prohibitum ſit abſque Pontificis licentia Epiſcopatui renunciare ex *cap. niſi cum pridem de renunciatione c.p. licet §. ſi verò de Regularibus* ob ſpirituale vinculum inter Epiſcopum & Eccleſiam *cap. inter corporalia de tranſlatione Epiſcopi cap. ſicut 7. quæſt.1.* Efficitur votum Epiſcopi de religione aſſumenda ſub conditione licentiæ à Pontifice impetrandæ debere fieri. Alias erit nullum. Sub illa verò conditione validum eſt. quia eſt de re, quæ regulariter cuilibet ad ſuam propriam perfectionem magis conuenit. Sic Azor.1. *p. lib.11. cap.16. quæſt.3.* Suar. lib.3. de voto *cap.4. num.8.* Sayro in Clavi regia *lib.6. cap.5.n.24.fine.* Sanchez *lib.4.cap.25.n.36.*

Votum verò peregrinationis ſi in præiudicium muneris Epiſcopalis non cedat; eo quod mandare executioni poſſit tempore quo Epiſcopis permittitur à ſuis Eccleſiis abeſſe validum eſt abſolutè nulla ſubintellecta conditione. At ſi peregrinatio ita longa futura ſit, & diuturna, vt hanc reſidentiam iure diuino præſcriptam impediat, votum illius nulla ratione obligare poteſt, niſi ſub conditione licentiæ à Pontifice impetrandæ. quia ſecluſa hac conditione eſt quid illicitum. At ſub ea conditione exiſtimant Suarez *l.3.cap.4 à n.4.* Sanchez *cap.25.num.39.* valere. quia peregrinatio non eſt prohibita Epiſcopis, ſed ſolum prohibetur illis, ne illam præſtent abſque licentia. Cæterum veriùs cenſeo tale votum regulariter non valere vtpote de re impeditiua maioris boni. Maius bonum abſolutè loquendo cenſetur eſſe, Prælatum in Eccleſia ſua reſidere, vt pro paſcendis ouibus vigilare, quam longis peregrinationibus incumbere. Item ſuperiùs diximus de re abſolutè interdicta ſub conditione diſpenſationis votum eſſe non poſſe. At votum peregrinationis impedientis reſidentiam præceptam eſt votum de re abſolutè prohibita, & quæ ſolum ex diſpenſatione licet. Nam eſto peregrinatio non ſit in ſe prohibita; eſt tamen prohibita non reſidentia, & Epiſcopus vouens peregrinationem abſolutè vouet non reſidere, quando alias tenetur: quod fieri non poteſt niſi poſita diſpenſatione; & ita hoc votum eſſe inualidum docuerunt Syluester verbo *votum 2. qu.1.* Azor.1. *p. lib.11. cap.16. quæſt. 2.* Sayro in Clavi Regia *lib.6. cap.5. num.24.* & alij relati à Suarez *dicto cap.4. num.4.* & à Sanch. *cap.25.n.38.* Neque obſtat Textus in *cap. magnæ de voto.* Vbi votum Hieroſolymitanæ peregrinationis ab Epiſcopo factum validum reputatur; ſiquidem fit grauis pro illo commutatio. Nam omiſſis aliis ſolutionibus quas Doctores adhibent; credo illud votum validum eſſe. Quia peregrinatio aſſumebatur pro ſubſidio impetrando in Eccleſiæ propriæ defenſionem; quo caſu non eſt interdicta abſentia cum ex interpretatione iuris reſidere cenſeatur qui pro ſuæ Eccleſiæ vtilitate abeſt, *cap. ex parte 2. de clerico non reſidente.* Eáque de cauſa dixi *regulariter* votum peregrinationis diuturnæ non valere, vt cum caſum & ſimilem excipe-rem.

13. De Parochis aliiſque clericis beneficium habentibus reſidentiam requirens, ſentiunt communiter Doctores non poſſe religionem vouere niſi ſub conditione petendi ab Epiſcopo licentiam tametſi opus non fuerit eam ab illo impetrare. Quia abſque petitione huius facultatis tranſitus ad religionem videtur illis interdictus. Argumento *cap. licet de regularibus cap.admonet de renunciatione.* Sic Azor. 1. *p. lib.11. cap.16. quæſt.3.*

*quæſt.*3. Graſſis 2.*p. deciſ. lib.*2. *cap.* 11. *num.*24. Sayro in Ciaui Regia *lib.*6. *cap.* 5. *num.*25. Suar. loquens de Parochis *lib.*3. *cap.*4. *num.* 10 & alij plures relati à Sanch. *lib.*4. *cap.*25. *num.*48. Verum vt rectè ipſe Sanchez probat nullus eſt textus ex quo hæc obligatio petenti licentiam ab Epiſcopo colligatur, Nam Textus in *cap. licet*, loquitur de regularibus tranſeuntibus ad ſtrictiorem religionem, & ſic non eſt ad rem. Textus verò in *cap. admonet* prohibens dimiſſionem Eccleſiarum Epiſcopo inconſultò intelligitur de dimiſſione extra caſum religionis à iure conceſſum, vt indicat ibi Gloſſ. Ex alia parte eſt textus ferè clarus & manifeſtus in *cap. duæ* 19. *quæſt.*2. in quo Vrbanus ſecundus liberè permittit quoſlibet clericos ad religionem tranſire; neque ab Epiſcopo reuocari poſſe. Cum igitur nullius licentiæ petendæ mentionem fecerit; non eſt cur hoc onus illis ſit imponendum. Et ita relatis Innocent. Hoſtienſ. Anton. Cardinali, Abbate, *in d. cap. licet*, docet Sanch. *num.*48.

Quod ſi de voto peregrinationis loquamur, idem prorsùs dicendum eſt, ac de Epiſcopis diximus cum eadem ſubſit obligatio reſidendi ob quam peregrinatio ſuſcipi non poteſt abſque Superioris licentia. Fateor tamen in Epiſcopo ſtrictiùs reſidentiam obligare & difficiliùs abſentiam honeſtari poſſe, quam in Parochis; & in his, quam in Canonicis aliiſque Clericis ex iure reſidentibus.

14. Tertiò deciditur, quid ſit ſentiendum de aliis Clericis? Reſpondeo & votum peregrinationis & religionis emittere poſſe abſolutè, illiúdque exequi Epiſcopo inconſulto. Quia in nullius muneris obligatorij præiudicium cedunt. Colligitur ex Sanchez, Suar. aliiſque Doctoribus relatis. Neque obſtat textus in *cap. non oportet de conſecrat. diſt.*5. Vbi conſilium Laodicen. inquit. Non oportet miniſtrum altaris vel etiam Laïcum ſine Canonicis litteris ideſt ſimata aliquo proficiſci. Nam inde non infertur quemlibet Clericum non poſſe inconſulto Epiſcopo peregrinari. Tum quia ille textus non præceptum ſed concilium & directionem conuenientem continet, vt indicant illa verba, *non oportet*. Tum quia illæ literæ pacificæ & commendatitiæ, quæ ex præſcripta forma antiquitus omnibus Clericis & Laïcis concedebatur, concedebantur, iam ceſſarunt, & ſolum Clericis vt poſſint ad ordines, & miniſteria Eccleſiaſtica admitti iuxta Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.*16. *de reformatione*. Quo fine ceſſante nulla apparet, obligatio portandi has litteras. Suarez *lib.*3. *cap.*4. *n.*9. Sanch. *cap.*25. *num* 44.

15. Dico vltimo, vota de materia quæ nulla lege prohibetur neque maius bonum impedit, valida ſunt à quocumque emittantur. Concluſio ex terminis liquet. Solum eſt difficultas ſi prohibitus ſis vouere abſque ſuperioris licentia; an votum factum alias de materia apta validum ſit? Reſpondeo validum eſſe. Quia eſto modus promittendi malus ſit, promiſſio quoad rei promiſſæ obligationem tenet & à Deo accepratur. Quia ad hunc effectum ſola honeſtas rei promiſſæ ſpectatur. Et ita tradit Suar. lib 3 de voto *cap.*6. *num.*25. Sanch. *lib* 4. *cap.*24. *num.*52. Layman. *lib.*4. *tract.*4. *cap.*7. *num* 9. verb. *qui habent*. Excipiendum tamen eſt, niſi illa prohibitio ſimul eſſet irritatio, quam non omnes Superiores facere poſſunt, ſed illi tantum, qui dominatiuam habent poteſtatem; & ratione illius promiſſionibus faciendis valent contradicere, & factas infirmare, de quibus latiùs infrà.

PVNCTVM XX.

Vtrum obligatio voti ceſſat ceſſante cauſa ob quam factum eſt vel notabili mutatione ſuperueniente.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio voti ceſſat ceſſante cauſa finali.*
2 *Sed non ceſſat ceſſante impulſiua.*
3 *Ea mutatio quæ rem promiſſam re, vel æſtimatione prudenti diuerſificat, obligationem voti ceſſare facit.*
4 *Quando hæc contingant.*
5 *Ob periculum grauis nocumenti non præuiſi obligatio voti ceſſat.*
6 *Notanda eſt pro ceſſatione voti an mutatio perpetua ſit vel temporalis.*

1. REgula eſt ferè ab omnibus Doctoribus recepta; obligationem voti ceſſante ceſſante cauſa finali ob quam factum eſt. Quia hæc ceſſante promiſſio non ſubſiſtit. Sic Abbas *cap. magna de voto num.*14. Tiraquel. *tract. ceſſante cauſa in fine principij* Azor. 1.*p. l.*11. *c.*15. *qu.* 13. Suarez lib.4. de voto *c.* 18. *num.*3. Sanch. *l.*4. *cap.*2. *num.* 42. *& alij*. Exemplis regulam manifeſto; ſi voueas dare Petro eleemoſynam quotidianam, & ipſe diues fiat, ceſſat tibi obligatio. Quia ceſſante paupertate ceſſat eleemoſyna, quæ fuit res promiſſa. Item vouiſti peregrinari ad impetrandam amici ſanitatem, mortuus eſt ante inceptam peregrinationem, non teneris peregrinari. Quia peregrinationem, quam promiſiſti, præſtare non potes; non enim promiſiſti peregrinationem vtcunque, ſed quæ eſſet medium ad ſalutem amici impetrandam. Idem eſt, promiſiſſes eleemoſynam in redemptionem Petri captiui, ſi ante datam eleemoſynam Petrus fugit, vel mortuus eſt. Quia non ſubſiſtit eleemoſyna qualiter fuit promiſſa. Idem, ſi vouiſſes non ingredi aliquam domum ob vitandum peccati periculum, ceſſabit obligatio ceſſante periculo. Quia ceſſat interdictum ingreſſus qualiter promiſſum eſt. In his Doctores conueniunt vt videre eſt ſpecialiter apud Suarez *loco citato*.

2. Notanter dixi ceſſare obligationem voti *ceſſante cauſa finali*. Quia ſi impulſiua ceſſat, non ceſſat obligatio. Differentia autem inter cauſam impulſiuam, & finalem cum vtraque moueat voluntatem, & conſequenter vt finis ſpectetur; ea eſt. Quia cauſa impulſiua potius mouet ad vouendum, quam ad exequendum votum. At finalis ab executione voti reſpicitur ita vt pro illius varietate diuerſa ſit executio. Si autem contingat, duplicem eſſe cauſam finalem, quarum vna deficiat alia ſubſiſtente, ſpectandum eſt, an vtraque copulatiuè an diuiſiuè fuerit ſpectata, quod ex natura rei promiſſæ & ex modo promittendi colligendum eſt vt latiùs diximus *punct.*8. §.3. cum de fine voti locuti ſumus.

3. Secunda regula æquè à Doctoribus recepta eſt; ea mutatio quæ materiam promiſſam diuerſam in re vel in prudentum hominum æſtimatione conſtituit, voti obligationem ceſſare facit. Sic colligitur ex Valent. 2. 2. *diſp.*6. *q.*6. *punct.*4. *circa finem*. Sanch. *lib.*4. *cap* 2. *à num.* 20. Suar. *lib.*4. *cap.* 19. *num.*4. *& ſequentibus*. Bonacina *diſp* 4 *q.*2. *punct.*7. §.1. *num.*2. *& aliis*. Ratio eſt; Quia conſtitura materia promiſſa diuerſa in re, vel in prudentum hominum æſtimatione prudenter cenſeri non poteſt impleri poſſe, quod promiſſum eſt. Ergo ceſſat illius implendi obligatio.

4. Difficile autem eſt explicatu; quando prudentum æſtimatione promiſſum ſit, vt ſic ceſſet obligatio voti. Nam regula illa, quam multi Doctores tradunt quos refert Sanchez *lib.*4. *cap.*4. *num.*18. *&* 23. Tunc promiſſum diuerſum eſſe, quando ſi illa diuerſitas tempore voti emiſſi contingeret, vel cognoſceretur, non emitteretur votum, incerta eſt. Quia incertum eſt, an votum emittendum eſſet, vel non. Et præterea quia multæ ſunt circunſtantiæ extrinſecæ, quibus tempore voti cognitis, votum non fieret, ſed non obinde ceſſat voti obligatio. Non enim promitteres eleemoſynam pauperi ſi moribus perditum cognoſceres, aut tibi eſſe inimicum; & tamen ob illam ſuperuenientem cognitionem non infirmatur promiſſio. Quia obligatio, vel deobligatio promiſſionis non eſt deſumenda ex promiſſione vel non promiſſione quæ futura foret, ſed ex ea, quæ facta eſt. Alias nihil firmum ſubſiſteret vt benè probant Sanchez *d. c* 2. *num.*6. *&* 7. *&* *num.*19. *&* 22. Suar. *lib.*4 *c* 19. *num.*8. *& ſequentibus*. Quapropter eam diuerſitatem prudentum hominum æſtimatione affirmatem, eſſe ſufficientem, quæ rem conſtitueret in alio ſtatu moraliter diuerſo vel ob difficultatem ex parte ipſius rei promiſſæ ſuperuenientem, vel ob alias circunſtantias ei denuò adhærentes. Quia ad rem ſic mutatam non eſt cenſendus vouens intendiſſe ſe obligare. Sic Suarez & Sanchez *locis allegatis*. Vnde vouens religionem in iuuentute ſi ad ſenectutem perueniat quando voto exequendo aptus non eſt ob virium defectum, non obligatur vt notauit aliis relatis Sanchez *cap.*2. *num.*50. Suarez *cap.*19. *num.*15. *fine*. Notanter dixi quando ex parte rei promiſſæ difficultas notabilis eſſet; vt excluderem difficultatem quæ ſolum naſcitur ex libera vouentis voluntate, & praua illius inclinatione, qualem habent aliqui vouentes caſtitatem, cuius obſeruatio ob deprauatam eorum inclinationem & peccatorum multiplicationem ſibi difficilis facta eſt. Non enim hæc difficultas à voti obſeruatione liberat, tametſi diſpenſandi occaſionem præbeat. Suar. *cap.*19. *num.*9.

Si verò dubium ſit: an promiſſum ita mutatum ſit, vt moraliter diuerſum cenſeri debeat, in fauorem votum iudicandum eſt. Quia dubia excuſatio certam obligationem tollere non poteſt. Sic Sanchez *cap.*2. *num.*34. *&* 52. Quod intelligendum eſt, quando mutatio prouenit ex difficultate ſuperueniente, vel ex aliis circunſtantiis, quæ honeſtatem materiæ non mutant. Nam ſi honeſtam illius dubiam reddunt, ceſſat illius obligatio: quia non poteſt eſſe gratum Deo exequi rem, de qua dubitatur, an illi offenſa ſit. Sanchez *dicto cap.*2. *num.*34.

5. Ex dictis colliges, ob periculum vitæ, honoris alteriúſve grauis detrimenti ſuperuenien, vel denuò cognitum poſt votum emiſſum voti obligationem ceſſare. Vt multis allegatis docet Suar. *lib.*4. *cap.*20. *num.*1. Secùs verò ſi non obſtante illo periculo voueres, quando virtuti conſonum eſt tali periculo offerri. Quia in priori caſu promiſſum notabiliter mutatur, ſecùs in ſecundo.

6. Sed eſt aduertendum, ſupradictam mutationem rei promiſſæ aliquando eſſe perpetuam (hoc eſt) pro toto tempore

quo

quo votum impleri potest, aliquando esse temporalem pro aliquo tempore determinato. Item aliquando mutatio seu impedimentum afficit totam materiam promissam, aliquando partem. Si mutatio perpetua est & comparatione totius materiæ promissæ, votum extinguitur. Si autem mutatio temporalis sit, pro eo solum tempore obligatio suspenditur, manente obligatione quoad aliud tempus in quo impedimentum cessat, & votum impleri potest; sicut manet obligatio cum votum diuiduum est & mutatio in parte diuidua & separata contingit. Sic Suarez lib.4. de voto *cap.19 num.5.* Sanchez *cap. 2.num.24.* Nauarr. *cap. 12. num.39.* Valent. *disp.6. quæst. 6. pun.4.vers. secundum quod.* Bonacin.*disput.4 quæst.2. punct. 7.§.1.num.6.& alij apud ipsos.*

Punctum XXI.

Quale peccatum sit obligationem voti violare?

SVMMARIVM.

1 *Per se graue peccatum est.*
2 *Pœnitere de voto facto non est per se voti violatio.*
3 *Est tamen regulariter peccatum veniale.*

1. EX his quæ diximus de voti obligatione constat per se graue peccatum esse voti obligationem violare (hoc est) promissum non implere. Aliquando tamen ex leuitate materiæ leue peccatum esse, ibique remissiuè notauimus quando materia grauis vel leuis sit, si plures actus leues respiciat.

2. Solum est aliqualis difficultas; an pœnitere de voto facto, sit voti obligationis violatio. Cui difficultati breuiter respondeo; per se violationem voti non esse. Quia cum hoc dolore & tristitia, compati potest voluntas efficax promissum exequendi, sicut de facto esse potest voluntas absoluta exequendi præceptum, tametsi sentias & doleas tali te præcepto grauari. Ergo dolor & tristitia præcepti & voti, illorum violatio non est. Sic D. Thomas 2.2. *qu.88.art.6. ad secundum.* Siluester verbo *votum* 2. *quæst.*20. Suar. *lib.5. de voto, cap.7. conclus.*2. Sayrus in Claui Regia *libr.6. cap.6. num.*12. Nauarr. *cap.*12.*num.*35. Bonacin. *disp.*4.*q.*1. *punct.*5. §.4.*n.*14. *& alij apud ipsos.* Notanter dixi *per se* non esse voti violationem. Nam si ex dolore & tristitia, quod votum feceris, periculo exponeris, non exequendi promissum; clarum est violari votum; quia votum, sicut & quodlibet præceptum obligat firmum propositum de illius executione habere, neque periculo transgressionis exponi, sed hoc est per accidens. Sic Suar. *d.lib.5.cap.7.num.7.*

3. Maior autem est difficultas; an hic dolor & tristitia sit saltem veniale peccatum? Suarez *dicto cap.7.num.4. & sequentibus.* Videtur negare. Mouetur; quia ex obiecto nullam malitiam continet. Siquidem non apparet præceptum, cui talis dolor & tristitia aduersetur. Sicut enim nullum fuit præceptum vouendi, ita nullum præceptum esse videtur perseuerandi in eo voto, & sicut à principio poteras nolle vouere, sic post votum factum potes nolle vouisse: quia vtriusque actus idem obiectum est. Ergo ex parte obiecti dolor & tristitia de voto facto nullam malitiam continet. Ex parte verò finis sæpe hic actus honestari potest. Si enim cognoscas votum tibi fore damnosum; eo quod ob tuam malitiam occasio sit peccata multiplicandi, dolere de voto facto ob illum finem, non videtur illicitum, sed potiùs honestum. Dicendum ergo est regulariter dolere de voto facto peccatum veniale esse. Tum quia hic dolor aliquo modo infirmat propositum voti exequendi. Tum quia retrahit hominem à via perfectionis assumpta. Tum quia frequenter habetur ex proprio amore quo vis onera & obligationes vtiles & sanctas excutere, ac proinde ex fine non licito. Si tamen aliquando de voto, seu præcepto doleres ob transgressiones factas, credo talem actum virtuosum esse; quia non tam est dolor de voto seu præcepto, quam de illorum transgressione. Ad rationem contrariam Respondeo dolere de voto, per se & directè præcepto non aduersari; sic tamen indirectè; aduersatur, inquam, præcepto aduersandi votum, quod obligat ne illius executionis propositum aliqualiter infirmetur, vt regulariter infirmatur per hunc dolorem. Quapropter etsi nulla fuerit obligatio emittendi votum, poterat esse de perseuerando in illo, alias posses pro libito illius obligationem excutere. Neque est simile nolle vouere, ac nolle vouisse. Nam est viam perfectionis non accipere, aliud ab ea incœpta deflectere, illiúsque pœnitere quod regulariter inordinatum esse videtur.

DISPVTATIO II.

De voti Relaxatione.

EXPLICATA essentiâ voti, illiúsque obligatione, restat explicandum qualiter dissolui possit. Conuenire autem sæpè hanc obligationem dissolui, in comperto est apud omnes. Et probat manifestè humanæ naturæ conditio, cui solet votum ob eius fragilitatem potiùs obesse, quàm prodesse. Triplici ergo via hæc relaxatio fieri potest, irritatione, dispensatione, & commutatione, de quibus in hac disputatione dicendum est.

Punctum I.

Quid sit irritatio, quotuplex, & vnde ortum habeat?

SVMMARIVM.

1 *Expenditur definitio irritationis.*
2 *Duplex est irritatio, alia directa, alia indirecta, & qua sit harum differentia.*
3 *Irritatio quando sit actus iurisdictionis, quando dominij.*
4 *Ex iure potiùs positiuo, quam naturali ortum habet irritatio.*

1. IRritatio (vt constat ex Doctoribus in discursu referendis) *est actus liber quo is, à quo votum pendet, tollit voti obligationem.* Pro cuius intelligentia supponendum est, dupliciter te vouentem dependere posse in voto, ab alterius voluntate. Primò; si tua voluntas taliter alteri subiecta sit, vt numquam censearis te obligari velle nisi sub tacita conditione si alter consenserit vel non repugnauerit. Quod contingere potest, vel ex natura & conditione intrinseca tuæ personæ quæ integrè alteri subiecta est, vt filius impubes parenti, religiosus Prælato; vel quia liberè te subiecisti alterius consensui & voluntati nolens obligari nisi quatenùs alteri placitum fuerit. Sed inter hos modos est magna differentia: nam quando conditio de alterius consensu inhibita in voti obligatione fundatur in natura & conditione personæ, illam excutere non potes; secùs quando fundatur in voluntaria intentione vouentis. Secundò pendere potes in voto ab alterius voluntate si in materia promissa ab eo dependeas. Pendere autem potes, vel quia illius dominium seu administrationem habet, vel quia illam prohibere potest. Quando ergo priori modo subiectus alteri es, possunt tua vota pro arbitrio eius irritari; quippe quæ emissa fuerunt sub tacita conditione illius consensus, vel non dissensus. At quando solum in materia promissa ab altero pendes, solum irritari tuum votum potest, quatenùs subtrahi vel prohiberi potest materia promissa.

2. Hinc fit; duplicem esse irritationem, alteram directam & propriam, alteram indirectam & impropriam. Directa est, quæ ex subiectione voluntatis fit. Quia hæc respicit actum vouendi, illúmque de medio tollit. Indirecta est, quæ materiam promissam respicit impediendo illius executionem, quæque potiùs suspensio quam irritatio vocatur. Hæ autem irritationes, vt bene dixit Suar. libr. 6. de voto *capit.*1. *num.*4. maximè differunt. Nam irritatio ob voluntatis subiectionem si absoluta sit, votum extinguit, nec permittit vlteriùs reuiuiscere. At irritatio ob impedimentum appositum materiæ promissæ per se non extinguit votum, sed illius obligationem suspendit, dum impedimentum durat; solet autem durante illo impedimento votum extingui, quia eo tempore cessat aptitudo illud exequendi; sed hoc est per accidens. An verò votum de materia dominio alterius subiecta verè & propriè irritetur; infra dicemus.

3. Deinde irritatio proueniens ex subiectione voluntatis non est actus iurisdictionis; sed dominij; quatenùs Superior actione potestatis dominatiuæ habet ius, ne subditus obligetur aliter, quam pro suo consensu & voluntate. At irritatio ex promissa

promissa materia proueniens; aliquando est actus iurisdictionis, aliquando dominij. Est autem iurisdictionis tum spiritualis, tum temporalis; spiritualis quando Pontifex, vel Episcopus materiam promissam prohibet, vel aliquid cum illius executione incompatibile præcipit, temporalis; quando Rex vel Magistratus iustè præcipit aliquid ex quo executio voti redditur impossibilis. Item hæc irritatio seu suspensio est actus dominij, tum proprij tum improprij: improprij est; quando herus ob ius quod habet famuli imperandi, illis præcipit aliquid executioni voti incompatibile: est actus dominij proprij, si is, qui potestatem habet dominatiuam nolit votum irritare, sed illud pro tempore suspendere.

4. Sed vnde hæc irritandi potestas ortum habeat, an ex iure Pontificio, an potiùs ex naturali, difficultate non caret. Aliquibus Doctoribus nec contemnendis videtur ex iure naturali ortum habere: Sic Sotus libr. 7. de iustitia *quæst.* 3. *art.* 1. *columna* 3. Sayro in Claui Regia *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 7. Petrus de Ledesma 2. *tom. sum. tract.* 10. *cap.* 7. *dub.* 2. *in d.* 3. Azor. 1. *part. lib.* 11. *cap.* 17. *quæst.* 3. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto *c.* 6. *num.* 2. & 3. loquens de potestate parentum in filiorum vota, & *cap.* 7. *à n.* 3. loquens de Prælatis religiosorum tametsi concedat ius humanum præscripsisse tempus, in quo possint parentes vota filiorum irritare. Mouentur: quia filius naturaliter subditur patri, & seruus domino, & vxor viro, & religiosus Prælato. At hæc subiectio est radix huius potestatis. Ergo à iure naturali prouenit hæc potestas.

Dicendum tamen est ex iure potiùs positiuo quam naturali ortum habere potestatem irritandi. Et quidem si loquamur de potestate irritandi indirecta (hoc est) impediendi executionem materiæ promissæ; cum hæc sæpiùs impediatur ex iuris-dictione iure positiuo concessa; vel saltem ex dominio iure gentium introducto, manifestum est, non ex iure naturali; sed potiùs ex iure positiuo ortum habere; sed quia hoc ius positiuum naturali est conforme, & illo posito ius ipsum naturale dictat, votum manere irritum indirectè seu suspensum; ea ratione dici potest, ex iure naturali irritationem prouenire. Quod si de irritatione directa & propria loquamur, facilè etiam probare possumus ex iure positiuo prouenire. Discurramus ergo per singulas personas, in quibus locum habet hæc irritatio. Et in primis de religionis, tria vota substantialia religionis ex iure positiuo religiosum statum constituunt, reddúntque religiosum ita subiectum Prælato, vt nullum votum emittere possit firmum, & stabilè. Deinde non omnia vota religiosorum possunt Prælati regulares irritare; siquidem votum assumendi strictiorem religionem irritare non possunt, *cap. licet de regularibus*, & sicut hoc votum fuit exceptum à potestate dominatiua, poterant alia excipi. Pendet ergo ex voluntate Pontificis limitate vel extendere potestatem irritandi vota Superioribus concessam. Ergo hæc potestas ex iure Pontificio oritur. Item de filiisfamilias constat, ius naturæ non magis dictare puberes subiici in votis realibus quam in personalibus, neque magis in promissionibus homini factis quam Deo; & tamen vota realia irritari possunt à patre etiam post pubertatem facta, & non personalia; & promissiones pupillorum homini factas non potest pater irritare, vt in promissione sponsalium contingit; cum tamen votum reale & personale irritare possit. Signum ergo est ex iure positiuo hanc prouenire potestatem. Et ita in religiosis & filiisfamilias tradit expressè Gabriel Vasquez 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *disput.* 165. *cap.* 4. *num.* 29. Lessius de iustitia libr. 2. *c.* 40. *dub.* 10. *num.* 74. Dicunt namque hi Doctores & bene, directam potestatem irritandi à Pontifice ortum habere. Quia ipse Pontifex consuetudine sic declarante statuit, vt religiosi, & filiifamilias in suis votis tacitam conditionem includerent, si Superior consenserit aut non contradixerit. Posita autem hac conditione naturaliter requiritur in Superioribus potestas ea irritandi, sicut si iurares tali die peregrinaturum, si Petrus consenserit; ex tua voluntate oritur quod Petrus possit tuum Iuramentum irritum efficere. At ea voluntate & concessione facta naturali iure sequitur in Petro talis potestas. Consentit his Sanchez libr. 4. de voto *cap.* 24. *num.* 32. Non feci mentionem de vxoribus, & seruis: quia non satis constat eorum vota posse directè irritari, sed solum quatenùs præiudicant marito vel domino.

PVNCTVM II.

Quibus competat propria & directa potestas voti irritandi?

SVMMARIVM.

1 *De Pontifice proponitur ratio dubitandi.*
2 *Resoluitur hanc potestatem non habere quatenùs talis est.*
3 *Habet tamen potestatem indirectam.*
4 *Et sit satis fundamento num.* 1. *adducto.*
5 *Nemo potest sua propria vota irritare neque alteri irritanda committere.*

QValiter potestas directa & propria irritandi competat Prælatis religiosorum parentibus respectu filiorum marito respectu vxoris, & domino comparatione serui in sequentibus examinandum est. Nunc de aliis inquirimus in quibus est nonnulla dubitatio.

1. Primò inquiro de Pontifice aliisque Ecclesiæ Prælatis; an gaudeant hac potestate ratione iurisdictionis sibi à Christo concessæ? Non desunt qui affirment. Quia ad rectam gubernationem Ecclesiæ videtur expedire, vt fideles in suis votis ita Pontifici, aliisque Prælatis subiiciantur, vt secundum eorum beneplacitum obligentur & non aliter. Quia ratione frequenter dicitur in Iuramentis & votis auctoritatem Pontificiam exceptam esse, sed ex hoc modo subiectionis oritur potestas directa vota irritandi in Prælatis respectu religiosorum, & in patre respectu filiorum. Ergo etiam in Pontifice aliisque Prælatis comparatione suorum subditorum debet esse. Item potest Pontifex vota antecedenter irritare præscribendo conditiones, quibus non seruatis cessat obligatio. Ergo poterit postquam facta sunt; quia eiusdem rationis videtur hæc potestas. Sic Gloss. *in cap. quemadmodum de iureiurando* verbo *Conditio.* Metina *de sacrorum homi. Continentia lib.* 5, *c.* 44. *ad finem.* Namas *methodo curationis*, 3. *p. c.* 44. § 41. *fine.*

2. Sed omnino tenendum est, non posse Pontificem directè vota Christianorum irritare. Quia nullibi habetur, hanc potestatem à Christo datam esse; neque erat regimini Ecclesiæ necessaria, neque conueniens; potiùs enim decebat fideles liberos relinquere, vt firmiter Deo obligarentur. Siquidem ex hac libertate non impediebatur, quin posset Pontifex iusta causa intercedente eos ab obligatione voti per dispensationem eximere, aut illorum executionem per potestatem præceptiuam impedire. Non igitur illa potestas erat conueniens, Pontifici concedi facultatem irritandi omnes promissiones hominibus factas. Nihil enim esset firmum & stabile, & ideo tanquam certum tradunt. D. Thom. 2. 2. *q* 88. *art.* 12. *in corpore, & ibi* Caietan. Nauarr. *c.* 12. *num.* 79. Suar. *l.* 6. *c.* 2. *num.* 3. *& sequent.* Azor. *l.* 11. *c.* 17. *q.* 3. Lessius *l.* 2. *c.* 40. *dub.* 13. *in fine*, *num.* 81. *in* 2. *editione.* Vasq. 1. 2. *disp.* 165. *a* 4. Sanch. *l.* 4. *c.* 24. *num.* 18. Bonacin. *disput.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. § 2. *à num.* 2. *& alij plures apud ipsos.*

Hinc à fortiori constat, non posse alios inferiores Prælatos & multo minùs Reges & Principes temporales vota suorum subditorum directè irritare. Quia minore potestate in suos subditos gaudent quam Pontifex. Et ita notarunt omnes Doctores relati.

Si verò loquamur de potestate indirecta, quæ ex prohibitione materiæ prouenit, ea vota fidelium poterit Pontifex irritare, quæ regimini Ecclesiæ obstiterint; quæque de materia specialiter sibi subiecta disposuerint. Qua ratione irritat vota Episcoporum & Clericorum præiudicantia muneri sibi commisso. Alia verò nec hoc modo indirecto irritare poterit. Sic aliis relatis docuit Suar. l. 6. de voto *cap.* 2. *num.* 6. *& sequenti.* Lessius *l.* 2. *c.* 40. *dub.* 13. *fine num.* 81. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 19.

Neque obstant fundamenta num. 1. relata. Negamus namque illam potestatem conuenientem esse, & concessione Christi vllum fundamentum habere. Auctoritas verò Pontificis in votis & Iuramentis de materia specialiter suæ dispositioni subiecta intelligitur excepta absolutè in aliis in ordine ad dispensationem, vel commutationem & sic iusta causa intercedente. ad confirmationem nego Pontificem ex iurisdictione à Christo accepta irritare antecedenter fidelium vota directè, sed indirectè irritat statuendo legem præscribentem conditiones necessarias obligationi, quam legem non pro suo arbitrio, sed iusta causa intercedente ferre debet.

5. Secundò dubitatur; an superiores potentes vota subditorum irritare, possint sua propria; aut aliis irritanda committere? Breuiter respondeo cum Sanch. *l.* 4. *de voto cap.* 24. *n.* 60. non posse. Quia nemo potest votum emittere sub conditione sui consensus & beneplaciti; destruit enim hæc conditio strictam voti obligationem. Sed necessariò debet emittere sub conditione beneplaciti alterius; sicuti subditi emittunt sub beneplacito suorum superiorum in quo conditione potestas irritandi innititur. Ergo nemo potest sua vota irritare. Neque obstat ea dispensari posse; quia dispensandi potestas iurisdictioni nititur, quam Deus concedere potest superioribus etiam comparatione suorum votorum; ea inquam remittendo, quæ ipsi causa iusta intercedente remiserint.

PVNCTVM III.

Ad quæ vota irritatiua poteſtas extendenda ſit?

SVMMARIVM.

1 LAta eſt hæc materia eâque de cauſa in varias quæſtiones diuidenda eſt. Prima an poteſtas irritatiua extendatur ad vota interna & futura. Secunda; an extendatur ad vota emiſſa ex licentia ſuperioris. Tertia; an extendatur ad vota emiſſa tempore ſubiectionis nec tunc irritata. Quarta; an extendatur ad vota ſubiectionis tempore emiſſa, implenda tempore libertatis. Quinta; an ad vota emiſſa tempore quo vouentes erunt ſui iuris. Sexta: An ad vota executioni mandata, & ad promiſſiones humanas, & ad vota realia defuncti quæ in hæredes tranſierunt.

§. I.

Extendatur-ne poteſtas irritandi ad vota interna & futura.

SVMMARIVM.

1 *Extenditur ad vota interna.*
2 *Extenditur ad vota futura.*

1. REgula certa eſt, hanc poteſtatem ad vota interna extendi. Nam cum tota hæc poteſtas nitatur conditioni, quam ſubditi apponunt in ſuis votis, ſi ſuperiori placitum fuerit, & ſuperior circa vota interna ſibique non manifeſta diſplicere poteſt, poterit ſane ea irritare. Quid enim obſtat quominùs ſuperior dicat ſubdito religioſo, ſi hoc vel illud votum feciſti; in hanc vel illam rem commuto; quod ſi commutationem non accipis, nolo te eſſe obligatum ſed omnino irritato & annullato? Poteſt ergo ad vota interna irritatio extendi. Neque obſtat ſuperiorem non poſſe præcipere actus internos, neque iuriſdictionem circa illos exercere. Quia iuriſdictionem præceptiuam & punitiuam exercere non poteſt; eo quòd ad illam exercendam cognitio actuum, qui præcipi & puniri debent requiratur; quæ cognitio non deſideratur in irritatione. Aliud namque eſt imponere obligationem; aliud ab obligatione liberare; ad imponendum obligationem requiritur poſſe de re obligationi adſtricta iudicare, & ad illam cogere & compellere, quod nullo modo circa actus internos fieri ab hominibus poteſt. At cum in irritatione nullum onus imponatur, ſed liberatur ſubditus ab obligatione; nulla deſideratur cognitio; & conſequenter nulla eſt cauſa, quominus poteſtas ſuperioris ad vota interna irritanda extendatur. Quod non ſolum verum exiſtimo de poteſtate irritandi, ſed etiam de poteſtate diſpenſandi & commutandi. Nam eſto ad abſolutam & licitam commutationem debeat commutanti & diſpenſanti votum manifeſtari, vt cognoſcat, an iuſta ſit commutatio iuſtáve cauſa diſpenſationis; poterit nihilominùs commutans & diſpenſans dicere, ſi tali voto interno ligatus es illud in hanc rem commuto, vel in illo diſpenſo, ſi hæc cauſa, quæ iuſta eſſe cenſetur ad diſpenſandam, adſit. Et ita docent poſt alios relatos. Vaſquez 1.2. *diſput.* 160. *capit.* 4. *numero decimoſeptimo*, Suar. 5. *tom. in tertia parte diſputat.* 4. *ſection.* 2. *à numero octauo*, & de Relig. tom. 2. lib. 6. de voto *capit.* 7. *numero octauo*, Sanchez *libr.* 4. *capit.* 24. *numero quadrageſimo.*

2. Eadem fermè certitudine tenendum eſt, poteſtatem irritatiuam extendi ad vota futura. Nam quicumque gaudens poteſtate dominatiua poteſt nolle, vt vota emittenda à ſubdito eſque priùs non communicata nulla & irrita ſint. Sed hac poſita voluntate ſi ſubditus aliqua vota emittat ſuperiore inconſulto irrita ſint & inania, vtpote quibus deficit conſenſus ſuperioris ſub cuius conditione emittuntur. Ergo poteſtas irritandi ad vota futura extendi poteſt. Et ita tenet Sanchez *lib.* 4. *capit.* 24. *numero quadrageſimo nono*, & Suar. lib. 3. de voto *cap.* 3. *numero decimoquinto, fine.* Layman. *lib.* 4. *ſumm. tract.* 4. *cap.* 7. *numer.* 6. *concluſ.* 3. *verſ. ex quo.*

§. II.

An extendatur irritatiua poteſtas ad vota emiſſa ex licentia ſuperioris.

SVMMARIVM.

1 *Dupliciter licentia concedi poteſt. Item concedi poteſt à ſuperiore maiore vel æquali.*
2 *Quid dicendum ſi ſuperiore maior dedit licentiam, quid ſi inferior?*
3 *Idem ſuperior irritare votum poteſt valide tametſi licentiam concefferit.*
4 *Explicatur doctrina per ſingulos ſubditos. Et primò de religioſis.*
5 *Deinde de filiisfamilias.*
6 *Item de votis vxoris.*
7 *Item de votis ſeruorum.*
8 *Communis ſententia affirmat eſſe peccatum mortale reuocare abſque cauſa legitima licentiam datam.*
9 *Non caret probabilitate eſſe ſolum culpam venialem.*
10 *Quid dicendum de ſuperiore in officio ſuccedente?*
11 *Quæ ſit cauſa legitima reuocandi licentiam datam.*
12 *Quando ſuperior cenſeatur ſubdito concedere licentiam vouendi.*
13 *Probabile eſt taciturnitatem ſufficere cognito voto.*
14 *Probabiliùs eſt oppoſitum, ſi abſit conſenſus internus.*
15 *Illo tamen addito plures cenſent votum factum eſſe de licentia ſuperioris; probabilius oppoſitum.*

1. SVppono dupliciter ſuperiorem concedere poſſe licentiam ſubdito votum emittendi & exequendi. Primò; pro tempore quo ſibi viſum fuerit; & ita debet præſumi concedi, cum abſolutè concedatur. Quia hic modus conceſſionis minùs præiudicat ſuperioris auctoritati. Secundò; addita promiſſione eam non reuocandi. Deinde ſuppono licentiam concedi poſſe à ſuperiore, à maiore, æquali, vel inferiore eo, qui eam licentiam reuocare intentat, votique executionem impedire.

2. Si Prouincialis v.g. tibi conceſſit facultatem votum aliquod emittendi, localis ſuperior votum illud nullatenùs irritare poteſt. Quia in tantum vota ſubditi irritantur à ſuperiore, quatenùs iis ſuperioris voluntas contradicit. At ſuperiore maiore conſentiente nulla eſt inferioris Prælati contradictio. Ergo conſentiente Prouinciali localis ſuperior votum irritare non poteſt. Et ita pro certo Suar. *lib.* 6. *de voto cap.* 8. *num.* 1. Sanchez *aliis relatis lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 4. Bene tamen poterit iuſta cauſa intercedente executionem impedire, quouſque Prouincialis conſulatur. Quia hæc poteſtas ſuperioribus immediatis cenſetur conceſſa vt muneri ſuo ſufficienter ſatisfaciant Sanch. *d. cap.* 27. *num.* 4.

Si autem localis ſuperior licentiam emittendi, exequendíque votum dederit, etiam addita promiſſione non reuocandi; poterit Prouincialis votum irritare. Quia illo contradicente tollitur inferioris Prælati conſenſus, & conditio beneplaciti ſuperioris, ſub qua votum à ſubdito emiſſum eſt, ceſſat. Suar. *dicto cap.* 8. *num.* 3. Sanch. *cap.* 27. *n.* 5. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 4.

3. Quod ſi de irritatione facienda ab eodem ſuperiore, vel æquali eo, qui licentiam dedit, ſermo ſit, veriùs exiſtimo fieri poſſe validè, tametſi promiſerit licentiam non reuocaturum. Quia huius licentiæ conceſſione non eximitur ſubditus à ſubiectione, neque fit ſui iuris, vt ſtatim probabimus diſcurrendo per ſingulos ſubditos. At ſubiectione durante omnes ſubditi actiones ſuperioris beneplacito ſubduntur. Ergo ſubditur votum factum, & conſequenter illud irritare poterit, ac ſi licentiam non dediſſet; ex eo autem, quod ſuperior promiſerit licentiam non reuocaturum, ſolum infertur, non poſſe eundem ſuperiorem abſque peccato infidelitatis eam reuocare niſi grani cauſa intercedente; non tamen infertur, validam non eſſe reuocationem, & votum irritare non poſſe, ſi contradixerit. Quia poſita contradictione verum eſt, conditionem, ſub qua emiſſum eſt, non ſubſiſtere. Et ita tenent generaliter loquentes de omnibus gaudentibus poteſtate dominatiua Cajetanus 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 8. *dub.* 2. Nauar. *ſum.* 12. *n.* 73. Azor. 1. *p. lib.* 11. *c.* 17. *quæſt.* 6. Valent. 2.2. *diſp.* 6. *qu.* 6. *punct.* 6. *quæſt.* 3. Eman. Sà verbo *votum n.* 2. Sanch. aliis relatis lib. 9. de matrimonio *diſp.* 40. *num.* 4. & *lib.* 4. *in Decal. cap.* 27. *à num* 9.

4. Sed vt doctrina data clarior fiat, deſcendamus ad ſingulos ſubditos, quorum vota ſuperiores irritare poſſunt. Primum locum obtinent religioſi vtpote qui ſtrictiùs religioni Prælatis ſubiiciuntur. Horum enim vota ex ſuperioris conſenſu

emiſſa

emissa irritare ipse Prælatus poterit, tametsi promiserit nunquam irritaturum. Quia ea concessione & promissione facta non infirmatur eius dominium per professionem subditi acquisitum, sed æquè illæsum perseuerat. Ergo poterit æquè votum irritare, ac si licentiam non concessisset. Et ita de hoc casu tenent Doctores nuper relati. Et Suar. *lib.6.cap.8.num.6.* Sayro in Clavi Regia *libr.6.cap.10.num.12.* Et alij innumeri quos refert & sequitur. Sanch. *lib.4.cap.27.num.9.*

5. Secundum locum obtinent filiifamilias impuberes, quorum vota, si ex licentia parentis vel tutoris emissa sint, non non desunt graues Doctores, qui sentiant; nullatenùs irritari posse. Nam fundamentum huius irritationis est eorum iudicij imbecillitas, leuitásque in vouendo, quod fundamentum cessare videtur posita parentis vel tutoris discreta approbatione. Sic Lessius libr.2. de iustitia *cap* 40. *dub.*10. *numer.*75. Suarez lib.6. de voto *cap.*8. *num.*7. Sed oppositum probabilius docuit Angelus verbo *votum* 2. §.9. Sylvester *eodem* 4. *q.*2. *dicto* 6. Sanch. *lib.9. de matrimon. disp.*40. *num.6. & libr.4. de voto cap.*27. *num.*18. *&* 21. Layman *libr.4. summ. tractat.4.cap.7. num.*17. Nam esto fundamentum ratione cuius parentibus conceditur potestas irritandi, sit imbecille impuberum iudicium, & hoc iudicium consensu & discretione parentum approbantium eorum vota firmetur in illo actu: quia tamen non absolutè & secundum se firmatur; ea de causa non cessat in parentibus potestas impuberes gubernandi, & regendi; ac proinde vota irritandi si id iudicauerint expedire. Adde neque etiam in illo actu ius reputare impuberum iudicium satis esse firmatum, quod optimè comprobat Sanch. *locis allegatis* hoc argumento. Minoribus concessum est, si lædantur, beneficium restitutionis ob fragile & debile eorum iudicium *leg.1. ff. de minoribus.* At hoc beneficium non amittunt; tametsi auctoritate curatoris & interuentione iudicis contraxerint *leg.1. & 2. Cod si tutor interuenerit, leg.1. titul.25. partita* 3. & multis comprobat Gutierr. *de Iuramento 1.p. cap.5. num.5.* Sanch. *lib.6. de matrimon. disput.* 38. *num.*11. Quia auctoritas tutoris, & iudicis, & licentia patris efficiunt actum mero iure valere; non tamen beneficium restitutionis excludunt, similiter in præsenti dicendum est, licentiam & facultatem vouendi impuberi concessam efficere votum mero iure valere; non tamen priuare patrem vel tutorem potestate illud irritandi, neque priuare posse. Verum si de votis filiorum puberum loquamur, cum horum sola vota realia pater irritare possit, dicendum est, si pater solum concesserit licentiam, hæc vota emittendi nullo alio addito, posse ea vota irritare. Quia solum intelligitur concessa pro patris beneplacito. Sic Suar. *libr.6. de voto c.5. num.*12. Iunctis iis quæ dixit *c.4. num.*19. Sanchez *libr.4. cap.27. numer.*15. Quod si pater licentiam ad hæc vota concessit promittens tacitè vel expressè non reuocaturum, & à fortiori si expressè affirmet filium quoad illam partem à sua potestate eximere, non poterit irritare. Quia filius verè in illa parte exemptus. Filio namque potest pater concedere liberam bonorum administrationem remittendo ei vsufructum bonorum aduentitiorum, *leg. cum oportet, Codice de bonis quæ liberis.* Ergo à fortiori poterit concedere liberam administrationem illius partis, cuius tam amplam licentiam concessit. Et ita expressè notauit Sanch. *lib.4.cap.27.num.*11.

6. Tertium locum obtinent vota vxoris ex licentia mariti emissa, quæ licentia, si simpliciter concessa sit, non impedit, quin maritus ea irritare possit, si ea posset licentia non concessa. Quia non censetur concessa nisi pro illius beneplacito vt sic minùs præiudicet. Et sumitur ex *cap.*30. *Numer.* iuncta explicatione Augustini relati *in cap. manifestum* 33. *q.* 5. & Ambrosij *in cap. fin. eadem causa & quæstione*, & docent Innocentius, Panormitanus, & alij *in cap. scripturæ de voto.* Suar. *lib.6. de voto cap.4.n.19.* Sanchez *plures referens cap.27. n.*11. At si licentia concessa sit sub promissione non reuocandi, censeo diuersimodè esse loquendum. Nam si sentiamus virum sola ea vota vxoris irritare posse, quæ sibi in gubernatione domus & matrimonij vsufuerint præiudicantia; censeo data hæc licentia, & facultate nullatenùs illa vota irritare maritum posse; quia ob iuris cessionem ei non præiudicant. Layman *libr.4. tract.4. cap.7. num.*15. Verum, si sentiamus, maritum omnia vota vxoris irritare posse non ob sui præiudicium, sed quia vxoris caput est; quomodocumque licentiam concedat, non perdet potestatem irritandi. Quia non desinit esse caput vxoris. De voti viri ex licentia vxoris emissis dicendum est; si fuerint emissa ex simplici licentia, non obinde impediri irritationem. Quia præsumi debet licentia concessa esse pro concedentis beneplacito. Si autem sub promissione non reuocandi; irritare non poterit. Quia ea promissione facta executio votorum ei præiudicare non potest; & cum sola vota mariti sibi præiudicantia possit mulier irritare; efficitur hæc non præiudicantia irritare non posse.

7. Quartum locum obtinent vota seruorum ex licentia dominorum emissa. Si enim licentia solum simpliciter concessa fuit, non impedit potestatem ea irritandi ob rationem sæpè repetitam. Quia concedens licentiam, intendit quoad minus fieri potest, cedere iuri proprio; & consequenter solum intendit dare facultatem, & libertatem ad vtendum illa re dum sibi contrarium visum non fuerit. Sic Doctores *num.3. relati.* At si licentia sub promissione non reuocandi fuerit concessa, irritare vota non poterit; quia non sibi præiudicant, & illa in parte seruus est sui iuris. Nam cum possit dominus libertatem seruo simpliciter concedere; à fortiori poterit concedere libertatem in aliqua particulari materia siue reali siue personali qua libertate concessa, cessat fundamentum irritationis. Sanch. *lib.4.cap.27.num.21.fine.*

8. Sed inquires; quod peccatum committat reuocans absque legitima causa licentiam concessam? Communis sententia affirmat esse mortale, si materia voti grauis sit. Sic Caietanus 2.2.*q.*88. *art.*8. *dub.*3. Aragon. *ibi post 6. conclusionem.* Nauar. *c.*12. *n.*73. Layman *l.4. tract.4. c.7. num.*18. Sanchez pluribus relatis *lib.9. de matrimonio disput.*40. *num.7. & lib.4. de voto cap.*27. *n.*28. Fauétque *lex regia* 8. *tit.*8. *partita* 1. Mouentur ex illo *num.*30. Vbi de marito consentiente voto vxoris & postea contradicente dicitur portabit ipse iniquitatem eius, idest culpam, & pœnam, quam vxor portare debebat si votum transgrederetur, vt explicant Gloss. Lyra, Abulens. Hugo, Vatablus, Caietanus & alij *ibi*, At mulier si votum transgrederetur in materia graui peccatum graue committeret. Ergo idem committit vir impediens absque causa voti ex sua licentia emissi executionem. Deinde superior tribuens licentiam subdito vouendi, illius voti particeps est. Quia in illud consentit. Ergo reuocans sine causa censendus est quasi illius transgressor. Item hæc reuocatio cedit in Dei irreuerentiam; siquidem materia ei promissa & dicata & superioris licentia firmata, sine causa tollitur. Denique vel licentia concessa fuit ad beneplacitum concedentis; & de hoc modo concessionis quæstio esse non potest, cum non astringatur concedens in concessione perseuerare; vel concessa fuit sub tacita vel expressa promissione non reuocandi; & tunc reuocatio sine causa est contra iustitiam vel saltem contra fidelitatem in re graui. Ergo est mortale.

9. Nihilominùs probabilitate non caret solum culpam venialem esse absq; vlla causa reuocare licentiam sub promissione tacita vel expressa non reuocandi datam & votum sic factum irritare. Tenet expressè Sotus *lib.7. de iustitia quæst.*3. *art.1. colum.*8. *&* 9. Rosella verf. *votum* 3. *num.*2. Suar. *lib.6. de voto cap.4. ad finem*, & probabile reputat. Sanch. *cap.27. num.*32. Layman *l.4. tract.4. cap.7. num.*18. Ratio ea est. Quia hæc reuocatio, & irritatio non est contra iustitiam; siquidem ex licentia vouendi non amisit superior ius, quod habebat in personam subditi, ratione cuius ei competit irritandi potestas; ac proinde violans promissionem non reuocandi, contra iustitiam non peccat. Quia ea promissione non acquisiuit subditus ius, ne à superiore gubernaretur, néve illi maneret subiectus. Ad summum est contra fidelitatem, quæ per se secundum probabilem sententiam ad culpam tantum venialem obligat. Adde hoc peccatum infidelitatis excusari posse, si ipse, cui est data facultas vouendi & promissio facta de ea non reuocanda, cedat & consentiat reuocationi. Neque etiam hæc reuocatio & irritatio est grauiter contra religionem. Quia superior non vouit, neque irritando votum, facit, vt subditus votum transgrediatur; cum potiùs faciat, vt votum non sit, neque obliget, quod de se malum non est. Quapropter tota malitia sita esse videtur in quadam leuitate, & inconstantia animi, qua rem vel personam Deo dicatam absque vlla causa à dedicatione retrahit, & à via perfectionis excludit. quod cum non fiat per violentiam, sed per vsum suæ potestatis dominatiuæ non videtur grauem culpam constituere. Neque obstat *lex num.* 30. Vbi de marito reuocante consensum præstitum dicitur, portabit ipse iniquitatem eius; quia non portat iniquitatem eius formaliter, hoc est peccatum vxoris commissum in transgressione, cum nullum sit; sed portat iniquitatem eius materialiter, hoc est portabit illam transgressionem materialem, quam facit vxor, vt de illa reddat rationem, quæ sine iusta causa facta fuerit, vel dic illam legem esse in hac parte cæremonialem, ac proinde cessasse.

10 Supradicta procedunt, quando idem superior, qui licentiam vouendi dedit, reuocat; nam si illius successor reuocauerit; ita licitè & validè præstare potest, ac si votum emissum esset absque licentia. Vt optimè tradit Suar. *lib.6. de voto cap.* 8. *num. vlt.* Sanch. *lib.4 cap.27. num.*36. Vnde Prælatus religionis in officio succedens poterit irritare vota cum licentia prædecessoris emissa, ac si absque vlla licentia emissa essent; & vir succedens in matrimonio poterit vota vxoris ex licentia prioris mariti emissa, & tutor, vel curator vota pupilli & minoris ex licentia parentis facta. Quia successor non fuit particeps illius voti, cum in illud non consenserit. Consensus autem prædecessoris astringere non potuit potestatem æqualem succedentis; cum par in parem non habeat imperium *cap. innotuit de electione.* Ergo est liber ad illa irritanda. Ex quibus fit, subditum petentem irritationem voti

facti ex licentia superioris, si eam irritationem petat à successore in officio, non teneri manifestare se vouisse ex licentia data. Quia talis licentia (vt diximus) non minuit potestatem superioris. Si verò eam petat ab eodem superiore, manifestare tenetur, si ipse superior datæ licentiæ immemor sit. Quia difficiliùs multo irritationem concedet, cum obligetur considerare, sit ne causa sufficiens concedendi irritationem? Vt bene aduertit Sanchez *lib.4. cap.27. numero 36.* Et addit; causa sufficiet re vera proposita valere irritationem; etiamsi licentia concessa teneatur. Quia ob id solum eius expressio opus erat.

11. Quod si inquiras; quæ causa sit sufficiens reuocandi licentiam, & irritandi votum cum licentia emissum? Respondeo; si reuocatio, & irritatio facienda est à successore illius, qui licentiam dedit, eam solum causam desiderare, quæ requiritur ad irritanda vota sine licentia emissa; quæ minima est, & in multorum sententia nulla, vt postea videbimus. At si facienda est ab eodem superiore, grauior causa desideratur prudentis arbitrio iudicanda. Quia ratione licentiæ concessæ est ille superior quasi particeps voti. Non tamen requiritur æqua causa, ad dispensandum; quia dispensatio absque causa nulla est, secùs irritatio. Suar.*lib.6. de voto cap.8. num.9.* Sanchez *lib.4.cap.27.num.30 & lib.9.de matrimon. disp. 40. num.7.circa finem.*

12. Rursus petes; quando censeatur superior concedere subdito licentiam vouendi? Respondeo, censendum esse concedere non solum quando conscius voluntatis subditi tribuit facultatem vouendi, sed etiam quando votum factum approbat, in illóque consentit. Sic Sanch. affirmans esse omnium *libr.4.de voto c.27.num 42.* Et rationem reddit. Quia quoties consensus non requiritur ad actus valorem, potest præstari ante & post & in ipso actu, vt multis allegatis probat Matienzo *lib.1.recopilat. titul.3.leg.5.Gloss.1. num.1. & 2.* Quod in hoc casu contingit cum votum subditi ante consensum superioris validum sit, & obligatorium. Solúmque ab illo consensu pendeat, vt firmitatem accipiat, ne possit licitè absque graui causa reuocari. Non tamen censetur licentia concedi ad votum ex eo, quòd impetres licentiam ad rem voto promissam exequendam, v.g. impetrasti licentiam ad ieiunandum omnibus sextis feriis, ad donandum aliquid ex tua legitima vel ex bonis monasterij, non ob eam causam censendus es impetrasse licentiam vouendi ieiunare, aut donationem facere. Quia res sunt omnino diuersæ, neque vna ex alia sequitur. Non enim ex facultate exequendi rem honestam, sequitur faciendum esse votum, cum votum astringat vouentem ad rei promissæ executionem sub graui culpa, & potestatem superioris limitet, ne possit absque graui causa executionem impedire. Neque obstat, dantem facultatem ad contrahendum censeri dare facultatem ad promittendum iuxta *legem oratio ff. de sponsalibus.* Quia vt rectè dicit Sanch.*l.9.de matrimon. disput.40.num.10.post medium & libr.4 sum.cap.27.num.43.* Promissio & pactum contrahendi regulariter, & vt in plurimum præcedit in humanis contractum, & est via & dispositio ad illum. At votum nec regulariter præcedit opus, neque est via ad illud, cum sit alterius ordinis; & consequenter licentia data ad faciendum opus, non includitur votum tale opus exequendi.

13. Difficultas tamen est; an sufficiat taciturnitas & dissimulatio Superioris cognito voto? Probabile est sufficere ex regula. *Qui tacet consentire videtur*, & probat Textus *in cap.30.Numer.* Vbi dicitur. Quod si audiens vir tacuerit & in alterum diem distulerit sententiam, quidquid vouerat (scilicet vxor) reddet; neque potest eius votum iam pro libito irritari. Sic Innocentius *cap.scripturæ de voto num 4.* Ioannes Andreas *num.4.* Cardinalis *q.12.* Valentia *disp.6.q.6. punct.6. q.1.* Sayro in Claui Regia *lib.6.c.10.n.16.* & alij relati à Sanch. *d.c.27.n.47. & lib 9. de matrimonio disp.40.n.9.* Addúntque ij Doctores debere Superiorem audito voto contradicere statim, vel saltem eo die. Nam eo transacto non esse locum contradictioni.

14. Nihilominùs probabilius est, taciturnitatem absque consensu interno Superioris neque sufficere ad voti confirmationem; neque illius esse signum sufficiens. Prior pars conclusionis clara est; quia votum subditi nulla alia via firmatur, quam Superioris consensu. Quia sub illius conditione emittitur. Ergo consensu deficiente infirmum manet. Secunda conclusionis pars probatur. Quia consentire in votis subditorum non est fauorabile Superiori sed subdito; siquidem eo consensu posito non potest pro libito votum irritare, sed indiget graui causa. At regula illa; *Qui tacet*, in fauorabilibus intelligitur. *Locus verò Numer.* inferens consensum ex sola taciturnitate vnius diei cæremonialis erat; ac proinde talis dispositio cessauit; & quocunque tempore est locus contradictioni dum non fuerit datus consensus. Et ita docuit D.Thom. *in 4. dist.32. fine* Suar.lib.6.de voto *c.6.n.14. & c.4.n.20.* Sanchez aliis relatis *libr.4.cap.27.n.46.*

15 Verum si taciturnitati addatur consensus internus, & vouenti non manifestus, sentiunt Doctores non pauci sufficere, vt tale votum dicatur factum de licentia Superioris. Sic indicat Suarez *vtroque loco*, Sanchez *expressè num.47.* Ratio est; quia est apposita conditio ad voti firmitatem requisita, quæ erat Superioris consensus; neque vllibi cauetur, quod debeat esse manifestus. Adde talem consensum aliquo modo manifestari nempe taciturnitate. Nam licet taciturnitas, & dissimulatio in præiudicantibus non sit iudicium sufficiens consensus; tamen quia hæc taciturnitas efficit validum actum, & firmum: præsumptio pro valore actus potior est & præferenda vt ex multis probat Menoch.de præsumptionibus lib 1.*quæst.29.n.3.* & *latius lib.6.tota præsumptione 4.* & *de arbitrariis lib.2.casu 472.num.2.*

Cæterum cum necessarium sit, vt Superior consentiens in votis subditi, subdito talem consensum manifestet per se, vel per literas, vel per nuntium propriú vt affirmat idem Sanch. *dicto cap.27.num.5.in principio*, licet *lib.9.de matrimon.disp.40. num.10.* in medio contrarium videatur sentire.) Quia hic consensus est fauor & gratia subdito facta; ac proinde debet ipsi intimari vt prosit iuxta Text.*in cap. si tibi absenti de prabendis in 6.* & alij relati à Sanch. *lib.3. de matrimon.disp.36. num.2.* At cum taciturnitas non sit sufficiens iudicium consensus in præiudicantibus sibi, vt ipsemet Sanch. probat *lib. 1. de matrimon.disp.5.num.5.* absolutè non est dicendum, concessam esse licentiam subdito ex eo, quod Superior audito voto taceat, & dissimulet, etiamsi internum habeat consensum; si tamen alio signo præter taciturnitatem consensum non manifestet. Neque obstat, præsumptionem pro valore actus omnibus aliis præsumptionibus præferendam esse. Id enim est verum in actibus elicitis ab eadem persona & sibi facientibus; non tamen in actibus sibi præiudicantibus Adde ex parte vouentis etiamsi Superior consensum non præbeat, sed suspendat, validum esse votum, & obligatorium. Ergo ex illa parte firmitatem habet. Neque obstat secundò, Superiorem vouentem non irritare vota subditi manere obligatum ad ea non irritanda, etiamsi votum subdito non manifestet. Quia votum superioris neque est lex, neque gratia facta subdito, & ideo non est opus ei intimari. At consensus & licentia ad vouendum est gratia & quasi quædam donatio facta subdito, debet ergo intimari. Hæc autem intimatio debet fieri à superiore immediatè, vel per nuncium ad id specialiter destinatum. Quia voluntates Superiores & subditi debent aliquo modo vniri.

Illud tamen est omnino certum, teneri subditum votum exequi si videat superiorem non contradicere cum possit. Quia talis non repugnantia licet non sit approbatio voti vtpote damnosa Superiori; est tamen permissio rei promissæ exequendæ. Sanch. *dicto cap.27.in fine num.vltimo.*

§. III.

An irritatiua potestas extendatur ad vota emissa tempore subiectionis, neque tunc irritata?

SVMMARIVM.

1 *Eximi potest quis à subiectione absolutè, & simpliciter, vel secundum quid.*

2 *Vota subditi exempti irritari non possunt.*

3 *Vota religiosi creati Episcopi non possunt à Prælati regularibus irritari, idem est de votis religiosi electi, vel transeuntis ad aliam religionem, comparatione priorum Prælatorum.*

4 *Vota realia filiorum puberum non possunt à parentibus irritari si sui iuris facti sunt.*

5 *Quid de votis ante pubertatem emissis, neque in pubertate confirmatis?*

6 *Quid de potestate curatoris ad irritanda vota personalia minorum in pueritia emissa.*

7 *Quid de potestate matris?*

8 *Vota vxoris tempore matrimonij emissa, nec tunc irritata non possunt irritari tempore diuortij.*

9 *Idem est de votis seruorum si libertatem consequantur.*

10 *Quando censeantur vota confirmari.*

11 *Votum personale impuberis, si post pubertatem commutetur, non potest à parente irritari.*

12 *Quid si vouens redeat ad prius votum?*

13 *Quid de voto emisso ab impubere implendo post pubertatem, vel sub conditione tunc contingente?*

14 *Quid si hæc conditio sit pœnalis?*

15 *An votum puberis non petendi irritationem voti emissi in impubertate sit illius confirmatio?*

16 *Quid de voto disiuncto & indeterminato, determinato tamen post pubertatem?*

1. Dupliciter

1. DVpliciter subditus eximi potest à subiectione. Primò absolutè. Secundò comparatione superioris determinati, v. g. religiosus creatus Episcopus non eximitur absolutè à subiectione, cum Pontifici vt regularium supremo Prælato maneat subiectus, esto exemptus sit à potestate Prælatorum regularium; at filius emancipatus & sui iuris, integrè à patria potestate eximitur, & vxor diuortio celebrato ob viri adulterium & seruus impetrata libertate. Quæstio ergo est; an vota emissa à religioso, à filio, ab vxore, à seruo tempore, quo ij subiecti erant, possint irritari transacto subiectionis tempore ab eisdem Prælatis, ac si tempus subiectionis lapsum non esset?

2. Dicendum est si integra illorum Prælatorum potestas extincta, vel suspensa sit, nequaquam vota irritare poterunt. Secùs verò si non sit extincta vel suspensa. Quia fundamentum irritationis est dominatiua potestas. Sic expressè tradit Sanchez *lib.4. cap.30. num.7. &* 8. Layman. *libr.4. tract. 4. cap. 7. numero* 11. & alij Doctores *in illationibus referendi.*

3. Hinc infertur, nullum Prælatum regularem posse irritare vota religiosi in Episcopum assumpti. Quia assumptione Episcopatus à Prælatorum regularium potestate religiosus exemptus est. At quia exemptus non est à Pontifice, vtpote supremo regularium Prælato; ea de causa Pontifex illius vota irritare poterit, sed nullus alius Sic Suar. *l.6. de voto c. 7. num.*10. Sanch. *cap.30. num.*21. Layman. *d.cap.7. num.*11. Vnde non probo quod docet Sà *verb. voti irritatio num. 5.* Nempe Prælatum regularem irritare posse vota religiosi, facti Episcopi nec in Episcopatu confirmata. Non probo, inquam, quia communis potestas regularis Prælati in religiosum per assumptionem Episcopatus est extincta. Si verò depositio Episcopatu ad religionem redeat, iam poterunt Prælati regulares vota ante Episcopatum emissa irritare. Quia iterum in eorum subiectionem religiosus rediit; imò poterunt irritare vota tempore Episcopatus emissa, vtpote facta à vero religioso & consequenter sub conditione beneplaciti sui superioris quicumque fuerit. Sanchez *dicto cap.30. num.* 22. Idem ferè quod dictum est de religioso Episcopo, dicendum est de eo qui in perpetuum à religione iustè electus est. Quia hac electionis sententia à regimine & gubernatione Prælatorum regularium excluditur, & ab illorum dominio separatur. Secùs verò dicendum videtur, si solum pro limitato tempore eiiceretur ad triremes, vt pœnam alicuius delicti lueret: tunc enim non à religione separatur, sed extra loca religiosa constituitur ad pœnas debitas sustinendas; ac proinde manet eisdem Prælatis subiectus, illique eius vota irritare poterunt. Sanch. *dicto cap.30. à num.*25. *& sequentibus.* Ad idem est, si religiosus ad aliam religionem iustè transiret, non poterunt Prælati prioris religionis vota ibi emissa irritare. Quia per transitum perfectum qualis est professio, est eorum iurisdictio extincta; per transitum verò imperfectum scilicet nouitiatum est suspensa; quippe qui eo durante nec eum regere gubernatéve possunt. Sanchez *d. cap.30. num.*28. *& sequentibus.*

4. Secundò infertur vota realia filiorum puberum non posse à parentibus irritari postquam sui iuris effecti. Quia cessat in parentibus fundamentum irritationis, quod est bonorum filij administratio. Sic Suarez *lib.6. de voto cap.5. num.*13 *& cap.6. num.*11. Sanch. *l.4. cap.30. num.*12. Idem est de votis personalibus filiorum impuberum post pubertatem confirmatis. Quia ratione confirmationis exempta fuerunt à parentum iurisdictione; sicuti si tempore pubertatis fuissent de nouo emissa. Sanch. & Suar. *supra.*

5. Difficultas autem est de votis ante pubertatem emissis nec in pubertate confirmatis, possintne pater, curator & mater, ea post pubertatem & emancipationem irritare? Negant Sotus lib.7. de iustitia *quæst.3.art.2.dub.vlt.* Aragon. 2.2.*q.*88. *art.9.fine.* Rosella *verb.votum* 2. *num.*13. *concluſ.*3. Alcozer *ſum. cap.16. concluſ.*5. & probabilem reputat Sanch. *lib.4. ſumm. cap.30. num.*4. Fundamentum est; quia esto impuberum vota emissa fuerint sub tacita conditione. Si parenti placuerint; at hæc conditio subintelligenda est cum addito; si parenti, inquam, placuerint dum personam filij gubernat, sicuti in votis realibus in pubertate emissis intelligitur, quæ tamen transacta pubertate non irritantur. Deinde parenti non competit gubernatio filij in votorum personalium obligatione post pubertatem, nam ea obtenta filius ea in parte est sui iuris. Ergo nequit illius vota in impubertate emissa irritare post pubertatem. Nam hæc irritatio inniti debet potestati dominatiuæ. Alias posset irritare emissa tempore pubertatis. Nihilominùs probabilius censeo patrem irritare posse filiorum impuberum vota post eorum pubertatem, vel emancipationem si tempore pubertatis confirmata non sint. Sic Caietanus 2.2.*q.*89.*art.*5. *post principium* Nauarr. *c.*12. *num.*71. Sayro Claui Regia *l.6.cap.*10. *num.*26. Sanch. *lib.*4 *cap.*30.*num.*9. Lessius *l.*2.*c.*40.*dub.*14. *num.*83. *in* 3.*editione.* Bonacin.*diſp.* 4. *quæſt.*2. *de voto punct.*7. §.2. *num.*19. Suar.lib.7. de voto *cap.6.num.*8. Valent.2.2.*diſp.6. q.6. punct.6. quæſt.vlt.* Azor 1.*part.lib.*11.*cap.*17.*quæſt.*7. *& alij plures apud ipſos.* Ratio est; Quia occasio ob quam ius concessit parentibus posse irritare impuberum vota fuit; vt illis in obligatione contracta in ætate ita debili & infirma subueniretur; at si parentes non possent post pubertatem impuberes vota irritare, non satis prouisum esset eorum imbecillitati; cum eo tempore astringantur impuberes obligatione contracta in ætate debili & infirma. Ergo dicendum est, parentes hanc potestatem semper habere, & confirmari efficaciter potest ex *cap.vlt.de ſententia excommunicationis.* Vbi conceditur Episcopis potestas absoluendi à sententia excommunicationis pueros, qui ante pubertatem clericos percusserint; tamersi; post pubertatem petierint absolui. Quia non spectatur tempus, in quo petunt absolui; sed in quo fuit delictum commissum. Sic non debet spectari tempus in quo irritatio petitur, sed in quo obligatio contracta fuit. Neque obstant contraria. Ad primum. Nego vota impuberum habere illam conditionem si patri placuerit restrictam ad tempus impubertatis; quia nullo iure talis restrictio fundatur; neque erat conueniens. Neque est simile de votis realibus filiorum puberum. Nam hæc non irritatur ob conditionem prouenientem ex modo imperfecto vouendi sicut irritantur vota impuberum; sed irritantur ob conditionem prouenientem ex materia promissa, cuius administratio patri competit durante filij subiectione, ea verò transacta cessat administratio, & consequenter cessat potestas ea vota realia irritandi. Ad secundum. Concedo parenti post pubertatem non competere gubernationem filij in votis post pubertatem factis; nego tamen non ei competere in votis ante pubertatem emissis; siquidem sub illius beneplacito quatenus pater est, fuerunt emissa. Cum autem esse patris non amiserit, neque amittit potestatem deobligandi filium ab illis votis.

6. De curatore autem plures sentiunt non posse post pubertatem vota personalia minoris in pueritia emissa irritare. Quia curator datus est ad gubernationem minoris in bonorum administratione non in persona *lege in copulandis* 9. *Codice de nuptiis.* Ibi. Nec curatoris; qui solum rei familiaris sustinet administrationem, cuius officium durat vsque ad vigesimum quintum annum completum quo tempore finitur pubertas, sed irritare vota personalia est actio spectans personam minoris non eius bona. Ergo curator hac potestate non gaudet. Item illa vota fuerunt emissa sub conditione, si patri placuerint, & illo defuncto si placuerint tutori; non autem emissa fuerunt sub conditione, si curatori placuerint: quia tempore, quo fuerunt emissa non erat dabilis curator. At tutoris officium cessat obtenta pubertate. *Inſtitut. quibus modis tutela finitur in principio.* Ibi pupilli pupillæque cum puberes esse cœperint à tutela liberantur. Ergo cessat in tutore potestas ea vota irritandi. Neque transit in curatorem. Tum quia sub beneplacito curatoris non fuerunt emissa. Tum quia curator non succedit patri in gubernatione filij tempore impubertatis, sed pubertatis. Et ita tenet Suarez *lib.6. de voto capit.6. num.* 24. Cæterùm probabiliùs credo posse curatorem minoris vota illius in pueritia facta nec in pubertate confirmata irritare, sicut poterat pater si viueret. Sic docuit Sanch. *lib.4. cap.30. num.*15. Layman *lib.4.ſum.tract.4.cap.7. num.*11. Lessius *lib.* 2.*cap.*40.*dub.*14.*num.*83.*in* 2.*editione,* Emanuel Sà verbo *votum ibi de voti irritatione,num.5.* & *alij plures*, tametsi nomen tutoris pro curatore vsurpent. Ratio est; quia curator succedit in gubernatione filij in potestate, quæ patri conuenire debebat eo tempore si viueret. Sed probatum est numero præcedenti patrem irritare posse vota filij puberis ante pubertatem emissa nec post pubertatem confirmata. Ergo idem poterit curator. Neque obstant contraria. Ad primum nego curatorem gaudere tantum potestate tes minoris administrandi directè & per se. Quia indirectè gaudet potestate administrandi personam; sicut tutor primo & per se datur ad personam pupilli gubernandam, secundariò ad gubernanda illius bona, vt constat ex §. *datus inſtitut. de excuſat. tutor.* & ratione huius potestatis indirectæ potest curator vota personalia minoris in pueritia facta nec post confirmata irritare. Ad secundum dico vota impuberum habere conditionem *ſi patri placuerint* & consequenter; si placuerint illi qui in eius potestate successerit; ac proinde si placuerint curatori casu, quo extincta non fuerint tempore curatoris. Neque obstat non posse dari curatorem eo tempore, quo fuerunt emissa; quia curator non succedit parenti pro eo tempore, sed pro tempore pubertatis in potestate, quæ tunc parenti competeret; & cum hæc extendatur ad vota antea emissa, etiam extenditur potestas curatoris.

7. De matre, si curatrix sit, idem est dicendum, ac de illis curatoribus. At si hoc officium non exerceat; tametsi nullus sit curator vota impuberis post pubertatem non poterit irritare. Quia matri qua mater est nulla filij puberis gubernatio à iure conceditur, neque personæ neque bonorum. Sanchez *l.4. c.*30.*num.*17.

8. Tertiò infertur; vota vxoris tempore matrimonij emissa

nec tunc irritata nullatenùs posse durante diuortio irritari; tametsi confirmata non fuerint. Quia vt inferiùs videbimus maritus sola ea vota vxoris irritare potest, quæ sibi præiudicauerint. At durante diuortio nullum possunt præiudicium afferre. Ergo ea irritare non poterit. Præterea quia ratione diuortij eximitur mulier etiamsi nocens sit à subiectione viri. At diuortio cessante vel per remissionem iniuriæ vel per simile delictum innocentis; cum res redeant ad pristinum statum, irritare poterit vir vxoris vota tempore matrimonij emissa, ac si nullum esset factum diuortium, emissa verò tempore diuortij vel antea emissa sed tunc confirmata poterit vir irritare eodem modo ac potest si essent emissa matrimonium contractum. Quod si petas; an liceat innocenti instaurare matrimonium per remissionem iniuriæ vt vota nocentis irritet, vel vt à nocente sua propria vota irritentur? Respondeo vt nocentis vota irritet, bene posse. Quia vota nocentis iuri quod habet innocens matrimonium instaurandi impedire non possunt. At nullatenus poterit matrimonium instaurare vt à votorum propriorum obligatione eximatur, si ea sint, quæ obstent obligationibus coniugij instaurari; qualitèr votum religionis vel castitatis obstat. Quia ad illorum votorum executionem astringitur vtpote omnino liber & expeditus. Nequit ergo hanc obligationem propria voluntate excutere. Consentit his Sanchez *cap.*30. *à num.*18.

9. Quartò infertur vota serui tempore seruitutis emissa nec tunc irritata non posse à domino irritari concessa seruo libertate. Quia iam non est dominus, sed persona particularis; neque illa vota serui emissa fuerunt sub conditione, si placuerint Domino quatenus Petrus est, sed quatenus Dominus est. Sic Lessius *lib.*2. *cap.*40. *dub.*14. *num.*86. *in* 2. *editione* Suar. *lib.*6. *cap.*6. *n.*11. *fine.* Sanchez *aliis relatis lib.*4. *cap.*30 *n.*32. Tametsi absque fundamento contrarium sentiant Valent. *disp.* 6. *q* 6. *punct.*6. *quæst. vlt.*

10. Sæpius diximus in hoc puncto posse irritare Superiorem nempe parentem vota filiorum dummodo post subiectionem confirmata non sint. Inquires ergo quando censeantur vota in subiectione emissa post subiectionem confirmari? v.g. emissa in pueritia, confirmari post pubertatem? Breuitèr respondeo, non censeri confirmata per approbationem parentis, (tametsi contrarium sentiant Suarez *lib.*6. *cap.*6. *num* 15. & 16. Sayro lib.6. in Claui Regia *cap.* 10. *num.*28.) Quia hæc approbatio nec supplet perfectè imbecillitatem iudicij impuberis, nec priuat parentem potestate gubernatiua filij sed solum præstat ne pro libito & absque causa licitè irritare possit filij vota Sanchez *cap.*30. *num.*36. Deinde non censetur confirmata ex eo quod vouens voluerit illa exequi. Quia hæc voluntas non immutat obligationem antea contractam, sed illi quantumuis infirmæ annexa est. Sic Nauarr. *cap.*12. *numer.*71. Azor 1. *parte*, *lib.*11. *cap.*17. *quæst.*7. Valentia 2.2. *disp.*6. *q.*6. *punct.*6. *quæst. vltima.* Suar. *cap.*6. *n.*12. & 13. Lessius *lib.*2. *cap.*40. *dub.*14. *num.*83. Sanch. *lib.*4 *sum. cap.*30. *num.*38. Neque item censentur confirmata, tametsi sæpe renouarentur, seu repetantur vt firma, credendo firma & inirritabilia esse. Quia huiusmodi repetitio est approbatio prioris vinculi; non alicuius noui constitutio; & ignorantia seu error tollit voluntarium; ac proinde impedit ne firmentur amplius quam sint. Nauarrus & Lessius *supra* & Sanchez 30. *num.*43. Quapropter tunc vota confirmata censebuntur, quando vouens conscius infirmitatis priorum votorum se obligare vult firmiter, & irreuocabiliter, vel vult se obligare, ac si nunquam obligatus esset. Quia hæc voluntas æquiualet nouæ voti emissioni. Idem esset si immemor prorsùs priorum votorum ea denuò emitteret. quia est emissio omnino à priori impendens. Sic Lessius, Nauarrus, Suarez & Sanchez *locis allegatis.*

11. Rursus ad perfectam prædictæ doctrinæ intelligentiam proponit Sanchez *dicto cap.*30. *à num.*46 aliquot difficultates. Prima; an votum impuberis post pubertatem commutatum propria vel Superioris auctoritate in opera personalia possit irritari à parente? Cui difficultati respondeo cum eodem Sanchez *num.*48, Nequaquam posse. Quia nec potest votum in impubertate emissum, vtpote quod est per commutationem extinctum; neque subrogatum, quia subrogatum emissum non est ab homine imbecillitatem iudicij habente, sed ab homine qui in emissione voti personalis est sui iuris. Neque obstat subrogari priori voto tempore impubertatis facto, vt inde colligas eadem conditiones habere debere iuxta regul. *subrogatum sapit naturam eius cuius loco subrogatur*, *leg. vnica Cod. de rei vxoriæ actione.* Quia hoc intelligi debet rebus in eodem statu permanentibus, quod in præsenti non contingit; cum votum subrogatum emittatur tempore habili ad firmiter vouendum, & illud cuius loco subrogatur emissum fuerit tempore inhabili. Alias seruo commutante votum præiudiciale domino in opera non præiudicantia posset à domino hoc secundum votum irritari vtpote subrogatum priori quod ipse Dominus irritare poterat. Et votum ieiunij & orationis quod fuit à Pontifice subrogatum loco castitatis promissæ, esset Pontifici reseruatum: sicut votum castitatis, quæ nullatenus sunt admittenda.

12. Verum quia potest vouens relicta materia subrogata ad prioris obligationem redire. Quia commutatio est fauor vouenti factus; & fit sub eo onere & conditione, quod subrogati obligatio acceptetur & retineatur; est dubium; an ob commutationem & subrogationem factam impediatur pater ab irritatione, quam poterat facere illius voti, quod fuit commutatum & subrogatum? Distinguit Sanchez *num.*47. Si vouens (inquit) conscius fuit, quando acceptauit commutationem, posse illius voti in impubertate emissi irritationem à parente impetrari, censendum esse votum confirmare nec amplius irritabile esse. Quia acceptando commutationem videtur velle denuò in priori obligatione persistere; tametsi quoad diuersam materiam. Siquidem remedio faciliori vti poterat ad se eximendum ab illa obligatione: Secùs verò est si ignarus fuit huius irritationis remedij. Cæterum credo veriùs siue ignarus siue conscius fuerit irritationis remedij posse à parente irritari: ac si nulla commutatio præcessisset vt ipsemet Sanchez paulò inferiùs *num.*49. docet. Quia acceptans commutationem non intendit priùs votum, quod commutat firmare; sed intendit illius obligationem susceptione minoris obligationis extinguere. Ergo acceptatione commutationis nulla potuit voto priori firmitas accrescere. Ergo æquè irritabile est, ac si nunquam commutatio præcessisset.

13. Secunda difficultas est de voto ab impubere emisso implendo post pubertatem vel sub conditione contingente tempore pubertatis; an inquam hoc votum sit à parente irritabile? Quia in re Sanchez *à num.*50. multiplici vtitur distinctione; si votum (inquit) est absolutum, & eius executio in tempus pubertatis differtur, vt si impubes voueat se ingressurum religionem, cum pubes fuerit; poterit à parente irritari; quia illud votum absolutè est ab impubere emissum neque pubertas illius naturam immutat sed signat executionis tempus. Idem dicit Sanchez & bene de voto impuberis emisso sub conditione implenda tempore pubertatis pendente tamen à voluntate alteriùs, vt si impubes voueret religionem, si Deus cum aliquo beneficio tempore pubertatis afficeret, quia executio illius conditionis non ponit, obligationem, sed ab obligatione antea posita purgat conditionem. Verum si votum emissum sit sub conditione non pœnali pendente à voluntate vouentis vt si impubes voueret rosarium recitare quando Virginis imaginem inuiseret, & post pubertatem imaginem visitaret memor prioris voti, affirmat Sanchez non posse tale votum rosarij à parente irritari. Quia censendum est post pubertatem emissum; eo quod ex se nullam inducebat obligationem, sed tota obligatio arbitrio vouentis remittebatur, qui liber erat ad ponendam, vel non ponendam conditionem. Igitur apponens liberè conditionem censendus es velle obligari, & votum antea factum approbare, & quasi denuò emittere. Quod intelligendum est (inquit Sanch.) *dicto cap.*3. *num.*53. sub duplici limitatione. Prima; si ex appositione illius conditionis votum integrè esset completum. Nam si restaret complendum, eo quod conditio haberet tractum successiuum pro illa parte qua completum esset, posset irritari. Quia pro illa parte est votum in impubertate factum neque; appositione conditionis firmatum. Secunda; vt apponatur conditio ex affectu directo ad rem promissam. Nam cum confirmati voti nouam exigat circa illud voluntatem, si conditio apponitur non ex animo confirmandi votum se aliundè, votum non manet firmatum, vt si visitat Virginem non animo contrahendi obligationem rosarij, sed curiositatis aut recreationis causa. Quod à fortiori procedit cum obligatio voti apponitur in pœnam conditionis appositæ. Nam tunc non apponitur conditio ex affectu contrahendi obligationem sed potiùs ex displicentia illius. Ergo appositio talis conditionis non est voti firmatio.

14. Ex quo infert Sanchez si impubes voueres religionem in pœnam si luseris, vt pubes factus ludis memor promissionis factæ, votum religionis non firmas, sed irritabile manet à patre, ac si conditio in impubertate esset apposita. Quia non fuit apposita ex affectu contrahendi obligationem, sed potiùs ex illius displicentia. Hæc vltima limitatio, (etsi probabilis sit ob tanti viri authoritatem) mihi non probatur, sed veriùs credo, votum illud religionis manere firmum; ac si in pubertate esset emissum. Quia appositione voluntaria conditionis absolutè & efficaciter approbat votum & vis illius obligationem subire, (esto per simplicem displicentiam contrarium velis) quia vis efficaciter conditionem, cui est obligatio necessariò annexa. Tota autem firmatio voti in appositione conditionis consistere debet. Quia inde nascitur obligatio. Non in affectu vel displicentia rei promissæ, qui est per accidens conditioni appositæ & consequenter rationi firmali determinandi obligationem.

15. Tertia difficultas est; an votum emissum post pubertatem, non petendi irritationem voti in impubertate emissi sit illius confirmatio? Cui difficultati Sanch. *num.*55. respondet, voto præcisè non petendi irritationem votum non firmari. Quia non excluditur irritatio propria sponte à superiore, vel ad petitionem alterius concedenda. At si votum sit non vtendi

irritatione,

initatione, irritationem excludi, & votum firmari: quia hoc voto tacitè intendit vouens perpetuo obligari, & irritationi non subiacere. Placet mihi hæc decisio. Nam voto non petendi irritationem non immutatur votum; cum non versetur circa illius obiectum. At voto non vtendi irritatione votum factum immutatur, & aliud denuò emittitur. Nam quid aliud est votum non vtendi iritatione, nisi votum exequendi rem promissam; tametsi huius promissionis irritationem habeas? Sed sub hac circunstantia antea obligatus non eras. Ergo quamuis cessaret priùs votum irritatione, non cessat hoc votum non vtendi irritatione denuò superadditum, & irritationi non subiectum; sicut non cessat directè votum non petendi irritationem, tametsi irritatio prioris voti fiat.

16. Quarta & vltima difficultas est de voto disiunctiuo & indeterminato vt si promittas religionem vel castitatem & post pubertatem determines castitatem; vel si promittas ieiunare vno die mensis & post pubertatem diem determines, an eo ipso censeatis priùs votum confirmare? Et quæstio procedit de determinatione, à qua non potes resilire, quod non fit per propositum sed per votum. Nam si solum propositum haberes, vnam partem disiuncti exequendi, votum factum non firmares, sed illud immutatum relinqueres. Facta ergo determinatione per votum, credo hoc votum non manere irritabile. Quia est post pubertatem nouiter emissum. Votum enim sub disiunctione & indeterminatione antea factum cessauit commutatione, seu determinatione huius noui voti; ac proinde non manet capax irritationis, votum verò, quoad exequendam vnam partem disiuncti determinatus es, nouiter est emissum; quia nouum habet obiectum; & est emissum post pubertatem. Ergo est incapax irritationis. Sanch. *l. 4. de voto c. 30. num. 57. & 59.* Hanc doctrinam limitat Sanch. *num. 38.* vt non procedat, si ignarus vel prorsùs immemor potestatis irritandi prioris voti determinationem feceris. Quia non es censendus excluisse remedium, cuius ignorantia vel obliuio fuit. Sed non placet limitatio; quia hæc solum habere posset locum casu, quo priùs votum disiunctiuum & indeterminatum maneret. At noui voti determinatione cessat. Ergo cessat quidquid irritabile est. Adde etsi ex vi prioris voti obligatus esses vnam partem disiuncti eligere; non tamen ex vi illius obligatus eras, te astringere ad vnum determinatè eligendum. Ergo hæc noua obligatio vtpote liberè assumpta in pubertate subiecta non manet irritationi; tametsi cum ignorantia pubertatis irritandi prioris voti assumpta fuerit.

§. IV.

An extendatur irritatiua potestas ad vota emissa tempore subiectionis, implenda tamen subiectione dissoluta.

SVMMARIVM.

1 *Duplex sententia proponitur, & tertia distinctione vtens approbatur.*

2 *Quid dicendum de voto filij puberis, vxoris, & serui quod ex se vel ex intentione vouentis perpetuum est? Affirmat Sanch. penitùs irritare posse. Contrarium est probabilius.*

1. IN hac quæstione Sanch. *l. 4. sum. c. 29.* Triplicem sententiam pluribus Doctoribus patrocinatam refert. Prima negat cuilibet superiori hanc potestatem. Quia spectato tempore, pro quo votum obligat cui videtur attendendum, nec voluntas vouentis nec materia promissa subiectionem habent. Secunda, cuilibet superiori hanc potestatem concedit. Quia esto voluntas vouentis, & materia promissa, spectato tempore pro quo votum obligat non habeant subiectionem. At illam habent tempore quo obligatio contrahitur; & cum hæc obligatio inconsulto superiore fiat, in cuius grauamen & irreuerentiam cedit, potest ergo ab illo irritari. Tertia sententia (cui ipse Sanch. tanquam probabiliori adhæret etsi duæ præcedentes reputet probabiles) distinctione vtitur de subditis plenè superiori subiectis quoad voluntatem, vel quoad solam materiam promissam. Si subditi sunt plenè quoad voluntatem; horum vota etsi in tempus libertatis referantur, poterit superior irritare. Quia ratione poterit irritare superior vota religiosi emissa in tempus quo à subiectione fuerit liber, & pater, vel tuor vota filij impuberis relata in tempus pubertatis. Quia horum voluntas plenè est superioribus subiecta; ac proinde obligari non potest nisi cum superiorum dependentia. Si verò subditi sint quoad materiam promissam tantum, horum vota relata in tempus libertatis nullatenus superior irritare poterit. Quia sibi non præiudicant. Quocirca nec vir irritare poterit vxoris vota, nec pater filij puberis, nec Dominus serui implenda tempore libertatis. Quia facta pro eo tempore nullum afferunt præiudicium. Placet mihi hæc sententia.

2. Solum est difficultas de voto emisso à filio pubere, ab vxore, à seruo, quod ex se vel ex intentione vouentis perpetua est; an possit irritari à parente à marito, à Domino? v.g. vouit filius pubes, vxor, seruus eleemosynam quotidie se daturum vel quotidie recitaturum, vel omnibus sextis feriis suæ vitæ ieiunaturum, dubium est; an hæc vota possint à parente à marito, à domino penitus irritari? Affirmant Sanch. *d. l. 4. sum. c. 29. n. 7.* Mouetur, quia hæc vota æquè libertatis ac subiectionis tempus afficiunt; ac proinde irritatione perfecta capacia sunt. Contrarium dicendum existimo cum Lessio *l. 2. c. 40. dub. 14. num. 86. in 2. edit.* Bonacin. *disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 2. circa fin.* Quia suprà dicti domini solum irritare vota subditorum possunt quatenus sibi præiudicant. Sed illa vota solum dominis præiudicare possunt quoad materiam contingentem tempore subiectionis; non autem postea. Ergo solum quoad illam partem suspendere vota possunt. Neque obstat, hæc vota æquè libertatis ac subiectionis tempus afficere. Quia afficiunt illud diuisibiliter; est enim materia illis promissa diuidua singulis diebus correspondens, ac proinde secundum partem implendam tempore subiectionis suspendi possunt manentibus firmis quoad partem tempore libertatis implendam. Alias votum castitatis emissum ab vxore irritari posset à viro, ita vt soluto matrimonio nulla illius esset obligatio. Quod est omnino falsum vt satis colligitur ex *cap. quidam & cap. placet de conuersatione coniugatorum.*

§. V.

An extendatur irritatiua potestas ad vota emissa tempore quo vouentes erant sui iuris?

SVMMARIVM.

1 *Non extenditur ad hæc vota directa potestas bene indirecta.*

2 *Proponitur quædam obiectio & soluitur.*

3 *Vota vxoris ante matrimonium emissa non irritantur à marito, sed suspenduntur quatenùs sibi præiudicauerint, & idem est de seruis.*

4 *Quid dicendum de votis conditionalibus emissis tempore libertatis quorum conditio tempore seruitutis impletur?*

1. RESpondeo potestas irritatiua directa nequaquam extenditur neque extendi potest ad vota emissa tempore quo vouentes erant sui regis, bene tamen indirecta & suspensiua. Conclusio communis est etsi à paucis tradita sub his terminis. Ratio est. Quia ea sola vota irritare Superior potest quæ sub eius beneplacito fuerint emissa. Sed vota superiorem non habentis sub nullius beneplacito emittuntur. Ergo non sunt capacia directæ irritationis. Quod verò indirectè irritari possunt, est manifestum. Quia virtute potestatis dominatiuæ superuenientis impedire superior potest executionem votorum sibi præiudicantium, in qua suspensione irritatio indirecta consistit.

2. Dices superior religiosus irritare potest vota à religiosis in sæculo emissa, & tutor signatus pupillo eius vota emissa tempore, quo carebat parente & tutore. Ergo potestas irritatiua directa extendi potest ad vota emissa tempore quo vouentes sunt sui iuris. Ob hanc rationem non videtur improbabile vota illorum, qui plenè efficiuntur subditi, irritari directè à superioribus posse. Nam esto non fuerint emissa sub tacita conditione absoluta beneplaciti superioris; quia nullus aderat superior; fuerint tamen emissa ex iuris interpretatione sub conditione beneplaciti superioris, si existeret. Quod certè videtur necessarium in pupillo vouente, dum caret parente & tutore, vt hac ratione eius imbecilli iudicio & diminutæ discretioni prouideatur. Lessius *l. 2. c. 40. dub. 15. num. 93. in 2. edit.* Cæterum quia communis sententia firmat nulla ratione vota emissa tempore libertatis irritare directè posse à potestate dominatiua superueniente, sed solum suspendi; respondeo suprà dictæ obiectioni; superiorem religionis non irritare vota religiosi in sæculo emissa, quia professione religionis tanquam solutione illorum perfectissima extinguntur. Quod si ea religiosus tempore professionis approbauerit, & in eis persistere voluerit, irritari poterunt à Prælato. Quia sunt tempore subiectionis emissa; vota verò pupilli seu minoris nemini subiecti suspendi, sed non irritari potuerunt à tutore vel curatore superueniente. Quia nullibi est cautum, eos habere potestatem ea vota directè irritandi, & potestate indirecta sufficienter prouidere possunt pupilli seu minoris administrationi.

3. Ex his infertur; vota vxoris tempore libertatis emissa suspendi à marito posse quatenùs sibi præiudicauerint & non

aliter. Nam esto maritus haberet potestatem irritandi omnia vota vxoris tempore matrimonij emissa (vt multis placet) nullo modo hac potestate gaudet comparatione votorum tempore libertatis emissa. Quia ei nec ob promissionem, neque ob voluntatem promittentem, neque ob materiam promissam illa vota, cum fiunt, subiiciuntur. Restat ergo vt solum tempore matrimonij subiiciantur ob præiudicium quod ei prouenire potest ex executione talium votorum; ac proinde solum ex hac causa capacia sint indirectæ irritationis. Sic post alios antiquiores docent Sylvest. verbo *votum* 4. *q.* 2. *d.* 1. Nauarr. *c.* 12. *num.* 65. Azor 1. *p. lib.* 11. *c.* 17. *q.* 14. Valent. 2. 2. *disp.* 6. *qu.* 6. *punct.* 6. *num. vlt.* Suar. *l.* 6. *c.* 4. *num.* 16. *& c.* 7. *num. vlt.* Sayro in Claui Regia *l.* 6. *c.* 10. *num.* 11. *&* 19. Sanch. aliis relatis *l.* 4. *c.* 31. *num.* 9. Quæ à fortiori procedunt in votis seruorum tempore libertatis emissis, quæ à superueniente domino solum suspendi non irritari possunt. Et tradit Azor *q.* 2. *&* 10. Suar. *cap.* 3. *num. vlt.* Sayro *c.* 10. *nu.* 18. Sanch. *n.* 14.

4. Sed inquires; an vota conditionalia emissa tempore libertatis, quorum conditio tempore subiectionis impletur, censenda sint ac emissa tempore subiectionis; ita vt possint à superueniente superiore penitus irritari casu, quo tunc emissa possent? Respondeo Sanch. *d. cap.* 31. *num.* 17. Si conditio per accidens contingit, vt si mulier soluta voueat eleemosynam, si nauis ex Azia venerit, & venit tempore quo nupta est, illa vota reputanda esse ante subiectionem emissa; quia ante subiectionem tota obligatio contracta est, & conditio per accidens contingit, & ex contingentibus per accidens non est res diiudicanda. Si autem per se contingat conditio, vt si voueas eleemosynam si talem duxerit, esto alicui posset videri tempore subiectionis emitti; quia tunc perfecta obligatio consurgit; at credit censenda esse tempore libertatis emissa. Ducitur primò: quia votis sicut & contractibus non potest noua conditio addi, sed cum fiunt totam suam perfectionem habent; ergo facto voto tempore libertatis non potest aliqua conditio superaddi, quam antea non haberet. At cum factum est, non habuit conditionem beneplaciti Superioris. Ergo ex superueniente subiectione illam habere non potest, cum in suo esse perfectum sit. Secundò mouetur; quia esto in legatis inspiciatur tempus conditionis impleta, secùs est in contractibus, in quibus inspicitur tempus quo irriti sunt, *leg. si filius familias* 78. *ff. de verborum obligat.* At votum quia promissio est & obligationem inducit assimilatur contractibus. Ergo tempus quo factum est, inspici debet. Sed est factum tempore libertatis. Ergo illo tempore emissum reputandum est.

Cæterum aliter distinguendum censeo. Si conditionis appositio non sit libera vouenti, vel quia ex alterius voluntate pendet, vel quia casu contingit, verissimam censeo supradictam sententiam; eo quod tota illius voti obligatio ante subiectionem contracta sit. Nam appositio illius conditionis, quæ vouenti voluntaria non est, non potest esse voluntaria susceptio obligationis. Verum si conditio ex libera vouentis voluntate pendeat, vt si promitteret eleemosynam si exiret, si Petrum alloqueretur, si imaginem Virginis inuiseret, & tempore subiectionis hanc conditionem apponis, reputandum est votum illud eleemosynæ tempore subiectionis factum. Nam cum tota obligatio illius voti pendeat ex libera voluntate vouentis apponentis conditionem; tunc censendum est, verè & propriè emitti; cum liberè conditio apponitur; siquidem appositione illius conditionis suscipitur obligatio. Et confirmo ex doctrina tradita hoc puncto, §. 3. quamque ipse Sanchez approbat; ibi enim probauimus votum conditionale emissum in pueritia, cuius conditio vouenti libera impletur tempore pubertatis ex affectu ad rem promissam, firmari, & tanquam emissum in pubertate iudicandum esse. Ergo in præsenti idem dicendum est. Neque obstant rationes quibus ducitur Sanchez. Fateor voto illi conditionali facto tempore libertatis nullam superaddi posse conditionem beneplaciti Superioris. At nego non superaddi dictam conditionem voto absoluto tacitè emisso appositione liberæ conditionis. Ad secund. concedo votum assimilari contractibus; sed nego in contractibus gratuitis, quorum obligatio ex conditione liberè apponenda à contrahente penderet, non esse inspiciendum tempus conditionis appositæ; cum tunc suscipiatur obligatio & non antea.

§. VI.

An extendatur irritatiua potestas ad vota executioni mandata, & ad promissiones humanas, & ad vota realia defuncti quæ in hæredes transierunt.

SVMMARIVM.

1 *Non extendatur irritatiua potestas ad vota executioni mandata.*
2 *Neque ad promissiones homini factas ex Superioris licentia.*
3 *Neque item ad vota translata in hæredem.*

1. His omnibus supradictis negatiuè est respondendum. Sed claritatis gratia triplicem constituo conclusionem. Prima nullatenus irritatiua potestas extenditur ad vota personalia vel realia executioni mandata. Sic Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *dub.* 2. Sotus l. 7. de iustit. *q.* 3. *art.* 1. vers. *maieri autem.* Valent. *disp.* 6. *q.* 6. *p.* 6. *q.* 3. Sanch. *l.* 9. *de matrim. disp.* 40. *num.* 12. *& l.* 4. *sum. c.* 27. *num.* 3. Ratio est manifesta quia votum executioni mandatum cessat. Ergo non est capax irritationis. Adde si votum reale sit & executioni fuerit mandatum non poterit Superior rem traditam reuocare. Vnde si ex licentia Superioris promisisti calicem Ecclesiæ, & promissum tradidisti, nequit Superior reuocare. Quia traditione factus est sub alterius dominio, *leg. traditionib.* 20. *Cod. de pactis.*

2. Secunda conclusio non potest superior irritare promissionem homini factam ex eius licentia. Sic docet Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de voto c.* 6. *num.* 3. Basil. Legion. *l.* 10. *c.* 17. §. 1. *n.* 17. Sanch. lib. 9. de matrimon. *disp.* 4. *num.* 14. *& l.* 4. *sum. c.* 27. *num.* 23. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 13. *num.* 77. *ad secund. in* 2. *edit.* Ratio est. Quia promissione facta ius est promissario acquisitum. Sed ius promissario acquisitum nequit superior infringere. Ergo nequit promissionem factam irritare.

Dices, superior potest promissionem Deo factam, antequam executioni mandata sit, infringere; quia est dominus voluntatis promittentis: ergo etiam poterit irritare promissionem homini factam. Deinde subditus non tenetur exequi promissionem, si superior interdicat vt tradit Lessius & Sanchez *supra.* Quia cum superior adhuc data licentia promittendi, & promissione facta dominus sit voluntatis subditi, potest à promissionis executione subditum impedire. Ergo irritare promissionem poterit saltem indirectè. Et ita tenet Aragon 2. 2. *q.* 88. *art.* 8 *fol.* 1020. Nec videtur improbabile.

Nihilominus respondeo posse superiorem irritare promissionem Deo factam; non tantum quia dominus est voluntatis subditi, sed quia Dei vices gerit, cuius nomine remittit. At cum non gerat vices promissarij, iure acquisitum per promissionem remittere non potest. Ad secund. nego superiorem contradicere posse executioni promissionis factæ ex eius licentia; quia ea promissio non imbibit conditionem si superior non contradixerit. Alias nullus cum religiosis auderet contrahere, si promissiones firmæ non essent, & pro voluntate superioris possent reuocari. Deinde nego contradicente superiore teneri subditum promissionem omittere; quia illa contradictio est iniusta, ac proinde releuare non potest ab obligatione contracta.

3. Tertia conclusio, vota translata in hæredem irritare superior vouentis non potest, tum quia hæredis superior non est. Tum quia hæres non obligatur ex voto, sed ex iustitia ex tacito cum defuncto contractu, & obligationes ex iustitia irritabiles non sunt. Tum denique, quia ad hæc vota sic translata in hæredem potestas dispensandi & commutandi vota non extenditur, neque extenditur potestas irritandi. Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 24. *num.* 57.

PVNCTVM IV.

Qualiter & quando irritatio concedi possit?

SVMMARIVM.

8 *Si negetur subdito licentia in perpetuum exequendi votum, censetur irritatum.*
2 *Debet tamen Superior votum cognoscere.*
3 *Non est irritatio si pro determinato tempore licentia negetur.*
4 *Irritatio & suspensio procedens à potestate dominatiua nulla indiget causa ad sui valorem.*
5 *Plures affirmant sine causa iustè concedi posse. Sed probabilius est esse saltem veniale peccatum.*
6 *Fieri potest irritatio etiam subdito inuito.*
7 *Non est necessaria cognitio voti irritandi si votum esse cognoscat.*
8 *Quid si ex parte irritantis dubium sit, an sit verus Superior? Subdistinctione respondetur.*
9 *Ob dubium ex parte vouentis non impeditur Superioris certa potestas.*
10 *Error communis esto suppleat iurisdictionis defectum, non tamen defectum potestatis dominatiuæ.*
11 *Qualiter irritatiua potestas delegari possit.*

1. Svperior votum irritat, quando voto cognito denegat subdito absolutè licentiam illud exequendi sine vlla temporis

poris limitatione. Sumitur ex *cap.*30. *Numer.* vbi de puella vouente dicitur. Si autem vt audierit, (scilicet patet esse voto ligatam) & contradixerit, vota & Iuramenta eius irrita erunt; neque obnoxia tenebitùr sponsioni ; eo quod contradixerit pater. Vt docent Caietanus Armilla & alij quos refert & sequitur Sanch.lib 9.de matrimon. *disp.*43. *num.*10. *& l.*4. *sum.c.* 25.*n.*35.Lessius *l.*2.*c.*40 *dub.*12 *fine n.*72.*in* 2 *editione.* Ratio est ; quia omnia vota subditorum , si sint de rebus prohibitis fieri absque licentia ; hanc habent conditionem si superior licentiam dederit ; alias nulla erunt vtpote de materia illicita. Si verò sint de rebus sibi permissis ; hanc imbibunt conditionem, nisi Superior contradixerit. Quia hæc conditio necessaria est, vt superioris potestas salua remaneat , nullúmque præiudicium habeat ex subditorum votis , vt tradidit D.Thom. communiter receptus 2.2.*q.*88.*art.*8.*ad* 4.Valent. *disp* 6.*q.*6. *punct.*6.Sanch.l.6.de voto *c.*1.*num.*9.Sanch.variis in locis præcipuè *l.*4.*sum.c.*26. *à num.*4 Ergo Superiore non consentiente aut contradicente absolutè , votum cessat ; quia cessat conditio sub qua factum est ; sicut quodlibet aliud votum conditionatum cessat cessante conditione sub qua fuit præstitum.

2. Dixi quando voto cognito. Nam si Superior ignarus voti deneget subdito licentiam exequendi illud , nullo modo censere debet irritasse. Quia quilibet actus voluntarius qualis est irritatio non potest fieri absque voluntate irritandi , quæ impossibilis est incognito obiecto scilicet voto quod irritari debet. Et ita sustinent Abulens. *c.*30. *Numer.* Nauarr. *sum.c.* 12. *num* 69.Valent. 2.2.*disput.*6.*quæst.*6.*punct.*6. *q.*2. Lessius *supra.* Suar. tom.2. de Relig.l.6. de voto *c.*7. *num.*13.*&* 14. Sanch. aliis relatis *l.*4.*sum.c.*25. *n.* 23. & lib.9.de matrimon. *disp.* 43 *num.*2.

3. Dixi insuper, *quando Superior denegat absolutè licentiam.* Nam si solum pro determinato tempore denegaret, vt si diceret , nolo vt modo facias , non est irritatio voti , sed illius suspensio pro illo determinato tempore. Quo transacto tenebitur subditus votum exequi sicut antea ; nisi fortè votum fuerit de re illi tempori annexa: Quia tunc cum illo tempore finitur : vt si promitteres ieiunare sequenti vigilia corporis Christi, vel illo anno ob lucrandum compostellanum iubilæum illuc peregrinationem facere ; & superior denegaret facultatem exequendi ieiunium , & peregrinationem illo anno , absolutè esset votum extinctum non tam irritatione quam cessatione materiæ promissæ. Sic Sanch. *d. disput.* 43. *num.*10. *& cap.* 25. *numero* 35. Ex his satis constat votum irritatum non reuiuiscere ; suspensum verò,nisi finitum sit, reuiuiscere.Sic Doctores relati.

4. Porrò certum esse debet irritationem & suspensionem procedentem à potestate dominatiua , nullam ad sui valorem causam exigere. Quia vt nuper diximus subditus in sua promissione imobit conditionem , dum Superior consenserit vel non contradixerit Ergo pro libito contradicente cessat obligatio. Secùs est quando votum suspenditur vel dispensatur ratione iurisdictionis tempora is vel spiritualis. Quia suspensio hæc necessar ò fieri debet medio præcepto , seu lege imposita cum executione voti pugnante. At præceptum vel lex nullum est , si sit impositum sine causa. Ergo dispensatio vera cum sit nomine Dei & in obligatione ipsi acquisita rationabiliter fieri debet ; alias non censebitur Deus obligationem remittere. Et ita tradit D.Thom. *q.*88. *art.*12.*ad* 2. Suar. *l.*6.*c.*1.*n.*9.Sanch. *lib.*4 *c.*24.*n* 7.Basil.de Leon lib.10.de matrimon.*cap.*17.*n.*22. *& sequentibus.*

5. An verò sine causa iustè concedi possit, non est constans sententia. Nam Gregor. Lopez *leg.*3.*fine tit* 8. *partit.*1. Nauarr. *c.*12.*num* 73.Syluest.verbo *votum* 4.*q.*6.*d.*6. Azor. 1.*p.l.* 11.*c.*17.*q.*5 Basil.*d.l.*10.*c.*17 *num.*14. & alij plures affirmant absque causa concedi posse. Mouentur. Quia promissiones subditi hanc tacitam (vt sæpe dixi conditionem habent, si Superior consenserit, vel non contradixerit. Superior autem nullo vinculo tenetur ad præstandum consensum , vel non contradicendum, sed in his liber est, & iure suo vtitur.Et explicatur. Si promittas eleemosynam faciendam ex aliena pecunia sub conditione. Si dominus consenserit , poterit dominus pro libito non consentire absque culpa , sed religiosus, filiusfamilias, vxor, & seruus promissionem faciunt sub conditione si eorum dominus consenserit. Poterit ergo dominus pro libito non consentire Hinc inferunt supradicti Doctores posse votum adstrictum petere irritationem absque vlla causa. Quia petit rem , quam Superior licitè præstare potest.Sic expresè Basilius Legion.*d.cap* 17.*num.*24.

Cæterum verius censeo peccare saltem venialiter Superiorem qui absque iusta causa votum subditi irritat,vel suspendit. Sic Sotus *l.*7.*q.*3.*art.*1.Aragon.*q.*88.*art.*8.*in* 3. *concluſ.* Lessius *l.*2.*c.*40.*dub.*12.*num.*70.*& dub.*13. *num.* 76. Sanch. *l.*4. *c.*24. *num.*13. Suar. *l.* 6. *de voto c.*1. *num.*... Layman *l.*4. *sum.tract* 4.*c.*7.*num* 18. Valent. *disp.*6. *quæst.*6.*punct.*6 paulò post principium. Ratio est. Quia siue hæc potestas data sit in vtilitatem vouentis vt creditur data Prælatis religiosis, siue in vtilitatem irritantis , vt est potestas domini in seruum , siue in vtilitatem vtriusque vt datur coniugibus ; dissonum & contra rationem est, eam absque causa vtili irritanti , vel vouenti exercere. Quia est contra finem ipsius potestatis,& consequenter abusus illius. Item alienum est à ratione , quod Superior absque aliqua causa impediat voluntatem subditi in bonum voto obfirmatum. Cum Superior ratione superioritatis teneatur prouidere de bono spirituali subditi , neque illi impedimento esse , cum sibi nullum damnum inde prouenit. Ex quo solutum manet contrarium fundamentum. Ad confirmationem poteris respondere , esse disparem rationem. Nam promittens eleemosynam ex aliena pecunia nullum ius in illam habet. At ad opera spiritualia exercenda aliquale ius habet subditus licet dependens à superiore. Quapropter plures Doctores censent (vt in superioribus vidimus) votum dandi eleemosynam ex aliena pecunia nullum esse ; cum tamen votum ieiunij & orationis emissum à subdito validum sit. Quid ergo mirum quod dominus negans absque causa consensum in distributione suæ pecuniæ non peccet ; peccet tamen , si neget consensum in his , quæ ad bonum subditi ordinantur. Secundò respondeo clariùs negando posse dominum absque vlla causa negare consensum in distributione suæ pecuniæ. Habet enim semper causam legitimam negandi nempe propriam vtilitatem , qua priuatur permittendo propriæ pecuniæ alienationem. At cum in præsenti supponamus , nullam incommoditatem superiori aduenire ex eo quod subditus votum exequatur, abutetur sane sua potestate, si illum à bono proposito concepto retrahat , & impediat. Ex his constat non posse subditum irritationem voti à superiore petere nisi aliquam causam suæ petitionis habeat. Eam tamen existimo sufficientem esse, si grauatum voto se sentiat ; quia ad excusandam culpam venialem, quæ in præsenti interuenire potest,quælibet modi ea causa sufficit ; eáque de causa moraliter loquendo nulla culpa in concessione irritationis, illiúsve petitione inuenitur vt dixit Sanch. *libr.*4.*summa cap.*24.*num.*15.*&* 16.

6. Hanc irritationem potest Superior facere subdito contradicente. Quia non pendet in vsu suæ potestatis à voluntate subditi. Nam quantumuis subditus renuat , si Superior eius obligationi contradicit , cessat obligatio. Quia cessat conditio beneplaciti Superioris , sub qua necessariò contracta est. Sic ex communi sententia tradunt. Sayro in Claui Regia *lib.* 5. *c.* 8.*num.*6.Aragon 2.2.*q.*89.*art.*9. paulò post principium Suar. *lib.*6.*de voto c.*1.*ad finem* Sanch. *l.*4. *de voto c.*24. *num.* 25. Sed quia subditus facta irritatione potest iterum votum emittere,& sic irritationem eludere, vt huic incommodo prouideatur, debet Superior materiam illius voti prohibere & quasi antecedenter irritare ; quo facto nullum erit votum de illa emissum. Sic relato Suare aduertit Sanch. *d. cap.*24. *numer.*26. *fine.*

Dices commutatio , & dispensatio fieri non potest subdito inuito. Ergo nec irritatio. Item irritatio sicut & dispensatio, & commutatio est beneficium subditi ; siquidem cum ab obligatione contracta liberat. At beneficium non datur inuito. Ergo neque irritatio inuito concedi potest. Respondeo concedendo dispensationem & commutationem non posse concedi inuito, & negando idem esse de irritatione. Nam irritatio supponit votum esse emissum sub conditione tacita vel expressa,si Superior consenserit ; quam conditionem nullomodo imbibunt vota subditorum comparatione Prælati sola iurisdictione temporali , vel spirituali gaudentis. Deinde dico , commutationem subdito inuito non concedi , non quia est beneficium ; sed quia requirit necessariò eius consensum & acceptationem ; eo quod obligationem prioris voti in aliam materiam transferat ; transferre autem non potest nisi ipse subditus consentiat, acceptet, & velit se obligare , quod in irritatione non procedit. De dispensatione (esto Aragon *d.art.*9. Suar *d.cap.*1.*num* 13. Sentiant concedi non posse inuito) probabilius existimo cum Sanch. *dicto cap.*24 *num.*26. dari posse. Quia esto beneficium subditi sit ; est tamen præcipuè beneficium Superioris, quatenus illa via ostendit liberam habere potestatem , nec ligatam subditi voluntate ; sicut tractatu de excommunicatione dicemus absolutionem dari posse excommunicato renuenti. Adde sæpe conuenire subdito (tametsi si ipse non cognoscat)dispensationem, irritationémve votorum concedi ; sæpè bono communi id necessarium est. Conueniens ergo erat , vt potestas dispensandi , & irritandi à voluntate subditi non penderet. Præterea irritatio & dispensatio non sunt beneficia positiua , sed priuatiua , quæ per se acceptationem non requirunt. Fatetur tamen & bene Sanchez supra dispensationem concessam subdito renuenti grauiorem causam ad sui valorem expostulare vtpote contrariam voluntati ita ad bonum affectæ.

7. Rursus non est necessarium , vt validè & iustè irritatio fiat, superiorem cognoscere votum irritandum Nam esto ei non manifestetur potest credere subditum petentem irritationem voto grauari , qua credulitate posita iustè irritationem concedit ; quia ad irritationem (vt dixi) hæc sufficit causa.In

sententia

ſententia verò affirmatiuam nullam cauſam requiri ad irritationem clarum eſt fieri poſſe abſque voti cognitione. Et ita tenet Baſilius Legionenſ. *lib.10.de matrimonio cap.17. n.22.* indicat Sanchez *lib.4.cap.24. num.61. iunctis iis quæ dixerat cap.22.num.10.*

8. Duplex reſtat difficultas enodanda circa vſum huius poteſtatis irritatiuæ. Prima an exerceri poſſit in caſu dubio? Secunda, an alteri delegari poſſit?

Circa primam difficultatem aduerte, dubium hoc oriri poſſe vel ex parte irritantis, vel ex parte vouentis. Si ex parte irritantis dubium naſcatur; eo quod dubitetur, an ſit verus pater, legitimus tutor, vel curator, verus religionis Prælatus, verus maritus, verus dominus; diſtinguendum eſt; ſi hi ſint in poſſeſſione, irritare vota poterunt; quia in caſu dubio in fauorem poſſeſſionis iudicandum eſt. Secùs eſt ſi poſſeſſione careant; quia abſque poſſeſſione nullus adeſt titulus certus, quo certus vſus poteſtatis irritatiuæ firmetur, & honeſtetur. Sic Sanchez lib.4.de voto *cap.32.n.15.*

Si dubium ex parte vouentis naſcatur, generaliter dicere poſſumus, non impedire Superioris certam poteſtatem. Quia æquum non eſt, aliquem iure quæſito, & certo priuari ob dubiam cauſam & rationem. Sic Suar. libr. 4. de voto *c.6. n.1.* Hinc infero patrem poſſe irritare vota perſonalia filij impuberis, & realia puberis; tametſi dubium vel opinio ſit, fuerint ne perſonalia tempore pubertatis, & realia poſt pubertatem emiſſa. Quia dum id clarè non conſtat priuari pater non debet certa poteſtate, quam habet quælibet filij vota irritandi. Nam licet hæc poteſtas limitetur in votis perſonalibus pro tempore impubertatis, & in realibus pro tempore pubertatis, conſtare certo debet tempus, vt locum habeat limitatio certa poteſtatis. Sic Suar. *ſupra & l.6. c.6. num.4. fine.* Sanch. *l. 2. de matrim.diſput.41.n.39 & l.4 ſum.c.32.num.2.* Bonacin. *diſp. 4.q.2. punct.7.§.2.num.24.* Eadem ratione poterit tutor vota impuberis, & curator vota puberis, & maritus vota vxoris irritare; tametſi dubium vel opinio ſit, fuiſſe emiſſa tempore, quo ſui iuris erant. Quia poteſtate certa tutoris, & curatoris & mariti omnia pupilli, minoris, vxoris vota irritandi, teſtringi non debet ob dubiam cauſam. Sic Sanch. *dicto cap.32. nu.7.* At idem eſt ſi vouens certus ſit tempore ſubiectionis omiſiſſe votum; ignorat tamen, an eius executionem diſtuleric in tempus libertatis. Quia præſumendum eſt talem dilationem non feciſſe; cum communiter potiùs contingat vouentem de præſenti ſtatu diſponere non de contingenti futuro. Quod intelligendum eſt, quando votum tempore ſubiectionis impleri poteſt. Alias contrarium erit præſumendum ob valorem actus. Suar. *lib.6.de voto cap.4.num.8.* Sanch. *lib.4. cap. 32. num.13.* Bonacin. *diſt.4.q.2. punct.7.§.2. numer.22. in fine.* Idem eſt ſi dubitetur; an tempore habili vota confirmata ſint; non obinde ſuperior amittere debet ſuam poteſtatem; tum ob poſſeſſionem quam habet; tum quia confirmatio cum ſit quid facti non præſumitur. Suar. *lib.4. de voto cap.6. num.1.ad finem.* Sanch. *lib.4. cap.32.num.9.* Bonacin. *punct.7.§.2.n.19.* Sed quid ſi dubites; an reuocatione voti facta tempore habili ad illud firmandum, legitimè confirmaueris, & poteſtatem irritandi impedieris? Credo regulariter non confirmare, neque talem poteſtatem impedire. Quia reuocans votum frequenter ſolum intendit onus impoſitum approbare, non aliud de nouo ſibi imponere. Sanch. *num.11. & 12.* Quando autem ſubditus v.g. filius, ſeruus, & vxor bona haberet, ex quibus poſſit liberè diſponere; & dubitaret ex quibus bonis votum emiſerit, præſumendum eſt ex propriis bonis votum emiſiſſe. Quia ſemper præſumi debet vouens firmam velle facere obligationem ſi poteſt, & de materia aptiori diſponere Sanch. *dicto cap.32.num.14.*

10. Denique aduerte cum Sanch. *num.16.* Bonacin. *dicta diſput.4 quæſt.2 punct.7.§.2. num.32.* Si de facto contingat Superiorem irritare votum, quod verè irritare non poterat, ſi veritas conſtaret, vel quia non eſt legitimus Superior, vel quia votum fuit confirmatum: quócumque tempore hæc veritas deprehendatur, irritatio facta non ſubſiſtit. Quia error, eſto ſuppleat iuriſdictionem non tamen ſupplet dominationem; cum de poteſtate dominatiua ex errore ſupplenda nihil iura diſponant.

11. Circa ſecundam difficultatem; an hæc irritatiua poteſtas alteri delegari poſſit? Non deſunt Doctores, qui negatiuè reſpondeant; eo quod hæc delegatio non videatur poſſe fieri ſine communicatione dominij; ſicut nec delegatio iuriſdictionis ſine communicatione iuriſdictionis. Et præterea; quia irritatiua poteſtas fundatur in conditione beneplaciti Superioris, quam vota irritanda imbibunt. Ergò neceſſariò debet eſſe Dominus, & Superior qui votum irritare poterit.

Meo iudicio ſupradicta ratio concludit, neminem poſſe nomine proprio vota irritare, quin Dominus ſit, dominiúmque habeat. Non tamen concludit, quin nomine alieno & tanquam Procurator, qui alterius vices gerit, id poſſit; ſicut poteſt delegatus à Parocho poteſtatem aſſiſtendi matrimonio habere, quin beneficium habeat, & Procurator ad contrahendum matrimonium conſtitui, quin ipſe matrimonij capax ſit, quia delegatus non proprio, ſed alieno nomine aſſiſtit, & contrahit. Deinde irritatio eſt contradictio Superioris diſpoſitioni factæ à ſubdito; quæ ergo cauſa eſſe poteſt, quominus hanc contradictionem non poſſit Superior per Procuratorem præſtare; ſicut Prælatus, & Dominus poſſunt per Procuratorem contradicere alienationi factæ de rebus, quarum habent dominium? Sic Suar. l.6. de voto *c.7. num.17.* Leſſius *l.2.c.40.dub.18.nu.133.in 2.editione §. Abbatiſſa,* Sanch. *lib. 4.cap.24.n.54.vbi n.53.* Aduertit & bene; quando Superior per ſe votum irritare non vult, eſſe aptum modum irritandi, ſi dicat ſe irritare illa vota, quæ aliquis tertius irritanda iudicauerit. Quia tunc ipſe Superior irritat eſto ſub alterius arbitrij conditione.

PVNCTVM V.

Qualiter vota ſeruorum poſſint domini irritare?

SVMMARIVM.

1 *Sola ea vota ſeruorum poſſunt domini irritare quæ ſuo obſequio præiudicauerint.*

2 *Non eo ipſo quo quis eſt dominus vota ſerui irritare vel ſuſpendere poteſt.*

3 *Quid dicendum de votis famulorum?*

1. HVcuſque egimus de his quæ communia eſſe poterant omnium ſubditorum votis; reſtat vt de quolibet genere ſubditorum ſpecialiter dicamus. Et à facilioribus incipiendo inquirimus, quam poteſtatem habeant domini ad ſuorum ſeruorum vota irritanda? Breuiter reſpondeo ea ſola vota irritare poſſe, quæ eorum obſequio, & ſeruitio obſtiterint. Quia in ea ſola ratione dominis ſubiecti ſunt. Sic Nauarr. *c. 12.num.64.* Valent. *2.2. diſp.6.quæſt.6. punct.6. qu. vltima.* Azor. *l.11.c.16.quæſt.8.& c.17.q.9.* Leſſius *l.2. cap.40. dub. 14. num.86. in 2. editione.* Suarez *lib.6.c.3.num.1.2.& 3.* Sanchez pluribus relatis *lib.4.c.36.num.2.* Quapropter vota quorum executionem ſerui remiſerint in tempus ſolutæ ſeruitutis irritari non poſſunt. Quia neque in executione neque in obligatione dominorum obſequio præiudicant. De votis verò ante ſeruitutem emiſſis ſuſpendi eorum executio poteſt, ſi præiudicantia fuerint, & idem eſt dicendum de votis obſeruandi præcepta, audiendi miſſam, ieiunandi, communicandi. Nam eſto irritari non poſſint. Quia non ſunt de materia ipſis dominis ſubiecta; poſſunt tamen impediri & ſuſpendi aliquando, ſi præcipiatur eo tempore fieri aliqua opera cum eorum obſeruatione incompoſſibilia, vt bene aduertit Sanch. *d. cap.36. num.6.* Quod à fortiori procedit in votis rerum ad conſilium pertinentium vt recitandi aliquas moderatas orationes, præſtandíve aliquam moderatam abſtinentiam. Votum verò caſtitatis nullatenus irritari neque ſuſpendi poteſt. Quia eius obſeruatio neque præiudicare dominis poteſt, neque impedire eorum continuum obſequium, vt fatentur omnes Doctores. Et idem eſt de votis realibus ſi fortè ſerui aliqua bona habeant propria, vt docuit Suarez *dicto cap.3.num 5.* Secùs verò ſi ex bonis dominorum ſint. Nam eo ipſo ſunt eorum diſpoſitioni ſubiecta.

2. Sed inquires; an eo ipſo quo quis dominus ſit, poſſit ſuorum ſeruorum vota irritare vel ſuſpendere? Negatiuè reſpondendum eſt, niſi votum ſit directè oppoſitum dominio. Sic Sanchez *lib.4. cap.26. à numero decimoquarto*, Quia eſſe dominus poteſt, quin bonorum adminiſtrationem habeat, & conſequenter quin habeat adminiſtrationem ſerui, vt contingit in pupillo, minore, & vxore. Quorum adminiſtratio (exceptis aliquibus caſibus) ad alios pertinet; ac proinde pertinet ad ipſos irritare vota quæ tali adminiſtrationi officiunt. Dixi niſi votum directè apponatur dominio, quale eſt votum religionis, quia domino non conſentiente non poſſunt ſerui vtpote dominorum obſequio aſtricti de ſe diſponere.

3. Ad hæc reducuntur vota famulorum qui ex contractu operas ſuas hero exhibere tenentur, qui herus irritare vel ſuſpendere poterit, quatenùs obligationi factæ contradixerint. Quia obligatio iuſtitiæ cuilibet alteri obligationi voluntariæ præualere debet. Sic Suar. *l.6.c.3.numer.6.* Sanchez *l.4. de voto cap.24. num.24.* Bonacina *diſput.4.q.2. punct.7.§.2. numer.9.*

PVNCTVM VI.

An omnia vota vxoris possit maritus irritare & econtrà ?

SVMMARIVM.

1 *Vota omnia vxoris constante matrimonio emissa posse à marito irritari, qui censeant.*
2 *Probabilius est sola præiudicantia irritare posse.*
3 *Fit satis oppositio fundamento.*
4 *Qualiter maritus irritare possit vxoris votum de operibus præceptis.*
5 *Quid de voto castitatis emisso absque viri consensu ?*
6 *Quid de emisso ex consensu viri ?*
7 *Quid de voto religionis à coniuge emisso ?*
8 *Quid de voto castitatis & religionis in tempus soluti matrimonij implendo ?*
9 *Vxor non potest alia vota viri irritare nisi quæ sibi præiudicauerint.*
10 *Quid de voto viri non petendi debitum ?*
11 *Votum continentiæ vel non petendi debitum emissum à coniuge absque alterius licentia regulariter indiscretum esse, nec consulendum.*

1. PLures Doctores affirmant posse maritum omnia vota vxoris constante matrimonio emissa irritare. Huius sententiæ clarè est Sotus *l.7 qu.3. art.1. post medium*, Sanch. *l.9. de matrim. disp.3. num.7. & disp.39 n.4. & l.4. Decalog. c.34. num.3.* Fauet, D. Thomas *2.2. qu.88. art.8. ad 3.* vbi vota vxoris cum religiosorum votis comparat. Idipsum iudicant plures alij relati à Sanche ob quorum authoritatem hæc sententia probabilis est ; sicuti eam probabilem reputat Lessius l. 2. de iustitia *c.40. dub.15. n.88. in 2. editione* Bonacina *disp.4. q.2. punct.7. §.2. n.16.* & Lopez *1.p. instructor. cap.47.* vocat eam satis tutam, & probari potest est illo *Numer.30.* Vbi eodem modo loquitur textus de voto vxoris, ac de voto puellæ existentis in domo parentis. Deinde probatur ratione ; quia vxor subiecta est viro in omnibus, sicut Ecclesia subiecta est Christo ad *Ephes.5.* Ergo omnes eius actiones viro subiectæ sunt. Præterea ad conseruandam pacem, mutuúmque amorem inter coniuges necessarium fuisse videtur, vt mulier plenè viro in omnibus esset subiecta, neque velle vel nolle haberet nisi secundum viri beneplacitum. Denique hac ratione leuitati & inconstantiæ mulierum in vouendo prouidetur ; sicuti impuberibus prouisum est. Et licet hæc leuitas & indiscretio, quæ solet esse in mulieribus, non fuerit sufficiens, vt mulieres solutæ non se possint votis firmiter obligare ; sufficere autem videtur pro nuptis tantum, quia hæ plene marito subduntur. Tum quia ob matrimonij onera, educationem prolis, domesticam gubernationem maioti discretione indigent.

2. Cæterum probabiliùs censeo, sola ea vota vxoris posse maritum irritare, quæ vsui matrimonij, educationi prolis, & gubernationi domesticæ præiudicauerint. Sic docent post alios antiquiores Nauarr. *cap.12. n.64.* Valent. *2.2. disp.88. disp.6. qu.6. punct.6. in vltima difficultate.* Azor *1.p. l.11. c.16. quæst. vltim. & cap.17. q.12.* Sayro in Claui Regia *l.6. c.5. num.8.* & *c.10. num.19.* Lessius *l.2. c.40. dub.15. n.89. in 2. editione.* Suar. lib.3. de voto *c.6. n.26.* & *l.6. c.4. n.2.* Basil. Legionen. l. 10. de matrimon. *c.17. n.3.* Bonacina *disp.4. q.2. punct.7. §.2. à n.10.* Layman. *lib.4. summ. tract.4 c.5. n.12. & alij plures.* Ratio est ; quia neque ex natura rei neque ex iure positiuo efficaciter colligitur vxorem subditam esse viro in actionibus personalibus, quæ vsum matrimonij educationem prolis, domesticam gubernationem non impediunt. Quia hæc subiectio ex matrimonij contractu oritur ; ac proinde commensurari debet fini ipsius sed plures actiones sunt, quæ supradicto fini non officiunt nempe obseruatio diuinorum præceptorum, moderata pœnitentia, breuis oratio, eleemosyna ex propriis bonis, & aliæ similes. Ergo ad hæc facienda voto se obstringere firmiter poterit vxor.

3. Neque obstant contraria. Ad locum *Numer.* Respondeo illam legem esse cæremonialem, & pro illo populo latam, ac proinde cessare. Alias omnia vota puellæ etiam puberis existentis in domo parentis posset pater irritare. Item posset ea firma reddere eo solum quod statim non contradixerit, quod est falsum. Ad primam rationem concedo vxorem subditam esse viro in omnibus, quæ ad domus gubernationem attinent ; non in aliis ; imo in vsu matrimonij æque vir subditus est vxori ac vxor viro : ac proinde sola ea vota quæ domus gubernationi, & vsui matrimonij præiudicant poterit maritus irritare. Neque alia subiectio necessaria esse videtur ad pacem, mutuúmque amorem coniugum ; ad secundam dico, naturali leuitati & indiscretioni, qua solent se mulieres nuptæ votis implicare sufficienter prouisum esse, si maritus potestatem habeat irritandi earum vota domus gubernationi præiudicantia.

4. Ex his deducitur primo qualiter possit vir irritare vota vxoris de operibus præceptis, vt de audiendo sacro, de ieiunio seruando, de confessione, & communione facienda, de non fornicando, de non mentiendo, & de aliis similibus ? Secundum opinionem Sanchez omnia vota irritare maritus potest (esto materia horum votorum non sit marito subiecta,) est tamen voluntas vxoris ne nouis obligationibus absque mariti consensu implicetur. Cæterum iuxta nostram sententiam nullo modo maritus hæc vota directè irritare poterit ; tametsi possit si domesticæ gubernationi necessarium fuerit executionem illorum votorum suspendere, opera incompossibilia præcipiendo. Sic Lessius, Suarez, Bonacina, & alij *suprà.*

5. Secundò deducitur votum castitatis emissum ab vxore absque viri consensu posse à viro irritari iuxta sententiam Sanchez. Quia esto mulier in actu coniugij viro subdita non sit, sed ei æqualis. At subditur in voluntate, ne noua obligatione se implicet, à qua subiectione non eximitur, esto votum ante consummatum matrimonium fuerit emissum. Quia non matrimonij consummatione sed contractu vir caput est vxoris. Neque item eximitur, esto ex licentia mariti fuerit illud votum emissum. Quia licentia non tollit à marito dominium, sed solum impedit liberam & expeditam irritationem. Ne scilicet absque graui causa fiat.

Verum secundum nostram sententiam votum firmum est, neque irritabile. Nam illud votum continere poterat obligationem abstinendi à debiti petitione, & redditione, venereisque delectationibus. At qua parte continet abstinentiam à debiti redditione non indiget irritatione. Quia ad hunc effectum extendi non potest ob alterius præiudicium. Qua parte vero continent obligationem abstinendi à petitione debiti, venereisque delectationibus : firmum est, & inirritabile. Quia secundùm hanc partem marito non præiudicat. Sic Suar. tom. 3. de Religione *lib.9. cap.8. numero quinto, & sequentibus.* Quod si ipse maritus ægrè ferat semper petere ; & ob hanc causam minuatur amor, & discordia excitetur, cessabit pro tunc voti obligatio quoad debiti petitionem, ne sit maioris boni impeditiua. Layman. *lib. 4. summ. tract.4. capit.7. num.16.*

6. Dubium solum est, quando ex mutuo consensu & per modum pacti vouet vterque coniux castitatem ; an tunc etiam etiam in sententia Sanchez possint sibi vota irritare, & ad pristinum statum redire. Negant communiter Doctores & merito. Quia non exigitur mutuus consensus nisi vt omnino securi sint à mutua debiti petitione, obligationéque reddendi ; quod nullatenùs fieri potest, nisi vnusquisque iure petendi cederet. Sic Ambrosius relatus *in cap. finali 33. qu.5.* & Augustinus *cap. quod Deo eadem causa & qu.* Basilius Legionensis *lib.10. de matrim. cap.17. §.1. num.14.* Sayro in Claui Regia *l.6. c.5. num.17.* Lessius *l.2. c.40 dub.15. num.95. in 2. editione.* Suarez *tom.3. de Relig. libr.9. cap.9. num.6.* Sanchez lib. 4. summæ *cap.34. num.15.* & lib.9. de matrimon. *disp.40. n.20.* Sed quia huiusmodi cessio iuris validè remitti ab alterutro coniugum potest, & mutuo consensu contractus dissolui ; sicuti mutuo consensu celebratus est. Vt docet Sanch. lib. 9. de matrimonio *disput.37. numer. 15. & cap.34. summ. num.17.* Basil. *lib.10. cap.17. num.14.* Suar. *cap.9. num.7.* quia est contractus humanus, qui neque ex se neque ex iure aliquo positiuo perpetuitatem inducit. Eo tamen dissoluto, redeunt coniuges ad pristinam seruitutem, & obligati sunt reddere ; tametsi petere non possint, quousque votum irritetur, quod irritari poterit ; ac si mutuo consensu votum factum non esset. Credo autem illam dissolutionem contractus illicitam esse, nisi ex grauissima causa fieret vtpote contra votum in cessione iuris inclusum. Sanch. & Suar. *locis citatis.* Bonacin. *disp 4. q.2. punct.7. §.2. num.16.*

7. Tertiò deducitur ; quid sentiendum sit de voto religionis à coniuge emisso ? Breuiter respondeo ; in omnibus illis casibus, in quibus, illud votum impleri à coniuge potest altero inuito, non subesse irritationi non solum secundum nostram sententiam concedentem irritationi sola vota præiudicantia ; sed etiam secundum opinionem Sanchez subiicientem irritationi omnia vota vxoris. Quia executione huius voti separantur coniuges à mutua habitatione, obligationéque reddendi, quod præstare non possent altero inuito, nisi ab illius consensu independentes essent. Sanch. l. 9. de matrimonio *disp.40. numero 21. & lib.4. sum. cap.34. num. 16.* Lessius *lib.2. c.40. dub.15. n.94 & 96. in secunda editione.*

8. Quartò deducitur ; quid sentiendum sit de votis castitatis & religionis in tempus soluti matrimonij implendis ? Hæc in sententia Sanchez irritari à marito possunt. Quia est dominus voluntatis vxoris, & illa vota non mutuant statum, sed supponunt muratum. At in nostra sententia nequaquam subiiciuntur irritationi ; quia neque executio illorum votorum,

votorum neque obligatio aliquod præiudicium marito affert. De votis factis ante matrimonium, vel tempore diuortij neque ipse Sanchez concedit subiici irritationi; eo quod emissa non sint sub conditione beneplaciti Superioris; cum nullus tunc adsit. Solum excipiuntur vota personalia impuberis, vel realia puberis, quæ secundum probabilem sententiam irritari à marito possunt. Quia maritus succedit loco parentis. Lessius *lib.2.cap.40 dub.15. n.92.* Sanch. *lib.9. de matrimonio disput.41. n.4.& 5.* cuius contrarium videtur sentire *lib.4. cap.9.n.5.* At secundum nostram sententiam ea tantum vota irritare, seu potius suspendere maritus poterit, quæ sibi præiudicauerint. Basilius Legionensis *lib.10.cap.17. n.9.*

9. Si verò de potestate vxoris ad irritanda vota mariti loquamur, dicendum est, sola ea vota irritare posse, quæ sibi præiudicauerint. Quia vir subiici non potest vxori quoad voluntatem, sed solum quoad materiam promissam. Sic pluribus relatis Suar. *lib.6.de voto c.4.n.8.& sequentibus.* Sanch. l.9.de matrimonio *disp.42. num.2. & lib.4. summæ cap.34. n.20.* Lessius *lib.2.cap.40.dub.15.n.98.in 2.editione.* Basilius Legionensis *lib.10.cap.17.§.2.n.18.* quod circa irritare potest vxor votum longæ peregrinationis nisi sit Hierosolymitanæ in subsidium terræ sanctæ, immoderatæ abstinentiæ, nimiarum precum,& similium; quia obstant mutuæ habitationi, & obligationi reddendi. Sic Suar. *n.8.& 12.* Sanch. *disp.42.n.4. & cap.34 num.21.* Lessius *lib.2. cap.40. dub.15. n.98.* Bonacina *disp.4 quæst.2.punct.7.§.2.n.17.* At idem est votum induendi habitum Eremitæ, seu tertij Ordinis D. Francisci; quia ob horrorem, quem causat, retrahunt mulierem à debiti petitione & redditione. Sanchez, Suarez, Bonacina, & Lessius *suprà.*

10. De voto non petendi debitum variant Doctores; alij affirmant irritari ab vxore posse, quia cogit mulierem ad semper petendum, quod nimis oneroſum, & verecundiæ mulierum contrarium. Sic Henricus lib.11. de matrimon. *cap.15. num.8.* Layman. lib.4. summæ *tract.4. cap.7. n.16.* & alij relati à Sanch. *disp.42. num.7.* alij negant. quia vxor non habet potestatem obligandi maritum ad petendum, sed solum ad reddendum. Ergo in abstinentia à petitione maritus non præiudicat. Et licet inde vxor molestiam accipiat sentiens se obligatam esse ad petendum quoties vult libidini satisfacere, id leuis considerationis est; cum maritus vtatur iure sibi dato nunquam petendi. Sic Palacios *in 4.d.38.disp. 2. circa principium.* Antonius Gomez in Bullam Cruciatam *clausu.10.num.67. stunica, q.5. de voto num.60.* Huic sententiæ plures Doctores consentiunt sub quadam conditione, nempe si maritus se aliquoties offerat paratum debiti redditioni. Quia hac obligatione tollitur vxori verecundia, quam habere poterat in petendo. Sic Sanchez lib.9. de matrimon. *disput.42. num.7. fine,* & lib.4. de voto *cap.34. num.27.* Lessius *lib.2. cap.40. dub.15. num.99. in 2.editione.* Basil. Legionensis *lib.10. de matrimon.cap.17. §.2. num.19.* Nauarr. *cap.12.num.60.* Placet mihi hæc sententia; eo quod obligatio mariti non petendi debitum in præiudicium vxoris non cedit; siquidem non retrahit vxorem à petitione, sed liberiùs petere potest sciens maritum impeditum esse ad petendum, tum vt suæ libidini satisfaciat, tum vt annuat inclinationi naturali meriti. Neque video, quare maritus teneatur se aliquoties offerre vxori paratum ad reddendum. Nam si de habituali oblatione loquamur, semper maritus paratus, & dispositus esse debet; si verò de actuali oblatione; sicut vxor non potest obligare maritum, vt petat debitum, ita neque vt se actualiter offerat. Sufficit autem si se offerat reddere cum primum vxor minimo indicio suæ voluntatis petit. Alia oblatio nec necessaria est, neque congruo tempore fieri potest.

11. Aduertunt tamen communiter Doctores votum continentiæ, vel non petendi debitum emissum à coniuge absque alterius beneplacito regulariter illicitum esse, & indiscretum; tum quia molestum alteri; tum & præcipuè ob periculum violationis. Nam cum non possit diuerso lecto cubare, quin alius permittat, difficilè se continere poterit. Sic Lessius *cap.40. dub.15. in fine*; imo neque ex licentia coniugis nisi senes sint & periculum absit tale votum consulendum est, vt indicauit Paulus 1. *ad Corinth.7.* reuertimini in idipsum, nec tenet vos satanas. Et notauit Layman. *lib.4. summæ tract.4. cap.7.n.16. fine.*

PVNCTVM VII.

Qualiter parentes tutores & curatores irritare vota possint filiorum pupillorum & minorum?

SVMMARIVM.

1 *Quousque impubertas, & pubertas duret?*
2 *Quando filius eximatur à patria potestate?*
3 *Officium tutoris & curatoris quando finiatur.*
4 *Pater omnia vota filij impuberis irritare potest.*
5 *Comprehenditur filius naturalis deficiente tutore.*
6 *Eandem potestatem habet tutor comparatione pupilli.*
7 *Quid dicendum de matre?*
8 *Quid de hero, magistro, & nutritio.*
9 *Filij puberis vota irritare parens potest quæ sibi præiudicauerint non alia.*
10 *Quæ sint hæc vota personalia?*
11 *Vota realia ex bonis castrensibus, aut quasi non potest irritare.*
12 *Quid dicendum de votis ex bonis aduentitijs.*
13 *Egresso filio à patria potestate non sunt eius vota à patre irritabilia.*
14 *Quid dicendum de curatore; an habeat eandem potestatem ac pater;*
15 *Quid de matre?*
16 *Minoribus non competit in votis restitutio.*

1. PRo huius quæstionis decisione præmitto impubertatem, seu pupillarem ætatem durare in pueris vsque ad quatuordecim annum completum; in fœminis vsque ad duodecimum completum. Colligitur ex *cap. puella 20. quæst. 2. & ex leg. fin.Cod.quando tutor.* Pubertas verò incipit ab illo ætate, & durat vsque ad annum vigesimum quintum completum habetur, *l.1.Cod.si minor se maiorem dixerit.* Computatur autem hæc ætas à puncto natiuitatis; quia tunc nascitur filius luce huius mundi frui sic vniuersi Doctores.

2. Secundò præmitto filium non eximi à patria potestate ratione ætatis; nam esto excedat vigesimum quintum annum sub patria potestate est; neque pater perdit vsumfructum, bonorumque administrationem. Sic tradunt communiter Doctores cum Gloss. *in leg. finali.§ pupillus, ff. de verborum obligationibus,* Matienço *l. 5. recopilation. tit. 1. leg.8.* Gloss.1.*num.2.* Anton.Gomez *leg.47.* Tauri *n.1.* Lessius *l.2.cap.42.n.12.n.61. in 2.editione.* Suar.*lib.6. de voto cap.5. num.12.* Sanch.lib.6. de matrimon.*disp.39.num.10.*& lib.4.de voto *cap.35.num.29.* Deinde non eximitur filius à patria potestate ratione ordinis sacri etiam præsbyteratus. Quia nullibi cautum est, sed potius contrarium supponitur in *leg.1. Cod.de Episcopis & Clericis,* & tradunt post alios antiquiores Couarruuias *cap. quia vos num. 5 de testamentis,* Bernardus Diaz practicarum *cap.132. n.6.* Antonius Gomez *leg.48.* Tauri *n.7.* Sanchez *lib.4.c.35. num.37.* Præterea iure communi spectato non eximitur filius à patria potestate per matrimonij contractum etiam subsecutis Ecclesiæ benedictionibus. Colligitur ex *leg.1.& 2.Cod. de bonis quæ liberis, & leg.si vxor. Cod.de conditionibus insertis.* Et notat Matienço & Anton.Gomez *suprà,* & Sanchez *cap.35. n.31.* Econtrà liberatur filius à patria potestate. Primò si religionem pater, vel filius profiteatur; quia non expedit filium sub plurium esse potestate. Sic Couarruuias *cap. 2. de testamentis n.8.* Molina tractat.2.de iustitia *disput.140.*vers. *vtrum autem* Sanchez *lib.4.c.35. n.44.* Secundò si filius in Episcopum eligatur. Authent. *sed Episcopalis dignitas §.vltimo Cod. de Episcop.& Clericis, cap.per venerabilem in principio. Qui filij sint legitimi, & lex regia 14.tit.18. partita 4.* Tertiò si filius eligatur, & administrare incipiat aliquam illarum dignitatum, quarum meminit, *leg. vltima, Cod. de decurionibus lib.10. & lex 7. & sequentes tit.18. partita 4.* quartò si filius vel parens seruus efficiatur suspenditur patria potestas ob rationem dictam; quia non expedit filium esse sub plurium potestate, quod necessariò fieret, si patria potestas non suspenderetur. Nam si filius esset seruus, esset sub potestate domini, & simul sub potestate patris; si verò pater esset seruus, etiam ipse filius sub eius potestate existens quasi in seruitutem esse. Ne igitur pluribus obedire filius teneatur, eximitur à patria potestate ob seruitutem parentis vel suam. Consonat *§. si ab hostibus instit. quibus modis, ius patriæ potestatis soluitur.* Quintò si pater mortuus fuerit naturali vel ciuili morte, filius efficitur sui iuris, *§. cum autem instituit. quibus modis ius patriæ potest. soluitur & leg.1.2.& 3.tit.8.partita 4.* Sextò ob crimen hæresis siue à patre, siue à filio commissum. Constat ex *d. §. cum autem.* Septimo si de facto filius emancipetur, *§. præterea instit.quibus modis,& c.leg.non modo,& leg.vlt.Cod.de emancipatione liberorum.* Octauò in hoc Regno Castellæ & Lusitaniæ matrimonio contracto etiam inscijs parentibus eximitur filius ab eorum potestate dummodo subsecutæ sint Ecclesiæ benedictionis. Habetur *leg.47.& 48.* Tauri *quæ sunt 8.& 9. tit.1. l.5.nouæ collectionis.* Vide Molina *tom.1. de iustit. disput.229.* Vbi bene expendit modos, quibus filius patriam egrediatur potestatem.

3. Tertiò præmitto, officium tutoris, qui pupillo regendo præcipuè datus est, & secundario ipsius rebus: finiri cum primum pupillus pubertatem attingit. Habetur expressè *instit. quibus modis tutela finitur, in principio,* ibi. Pupilli pupillæque cum puberes esse cœperint à tutela liberantur. At

officium

officium curatoris, qui puberis rebus administrandis præcipuè datus esset, cessat ipso iure, cum pubertas finitur. Colligitur ex *institut. de curatoribus*, ibi. Masculi quidem puberes, & fœminæ viri potentes vsque ad vigesimum quintum annum completum curatores accipiunt. Quia datum ad certum tempus ipsius lapsu finitur. Solet item tutoris seu curatoris officium finiri beneficio principis veniam ætatis concedentis, vt tradit Gloss. *institut. de curatore in principio*, & colligitur ex *leg.* 1. *& 2. Cod. de his qui veniam ætatis impetra.* Matrimonij autem contractu nequaquam finitur non solum iure communi de quo certum est iuxta *legem* 1. *& 2. ff. de minoribus.* Sed neque iure Regni Castellæ vt bene probant. Parladorus *libr.* 1. *de rebus quotidianis cap.* 12. *à n.* 5. Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 35. *num.* 59. His præmissis.

4. Dicendum est; posse patrem omnia vota absque vlla exceptione siue realia siue personalia filij impuberis quantumuis doli capacis irritare. Quia illa omnia (iure sic disponente) emissa sunt parentis beneplacito, qui potest obligationem assumptam à filio elidere, vel confirmare; expediebat enim maximè eo tempore, quo filius creditur imbecilli vsu rationis gaudere, aliena voluntate regi, illíque subdi in obligationibus assumendis. Et licet aliquando perfecto vsu rationis gaudeat, hoc per accidens est, & potestatem parentis non diminuit. Colligitur *ex c.* 1. *&* 2. 20. *q.* 2. *& cap. mulier* 32. *q.* 2. & tradunt ferè omnes Doctores teste Suar. *l.* 6. *c.* 6. *à num.* 1. Sanch. *l.* 4. *sum. c.* 35. *n.* 7. Layman *lib.* 4. *summ. tractat.* 4. *c.* 7. *n.* 10. *assertion.* 5. Lessio *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 14. *n.* 82.

5. Difficultas autem est; qui sub nomine patris, & sub nomine filij ad hæc vota irritanda intelligantur. Et credo sub nomine filij non solum legitimum, sed naturalem, & spurium intelligi, si moraliter constet verè filium illius esse. Quia esto pater ciuilem potestatem non habeat ad filium naturalem, & spurium gubernadum; habet tamen potestatem naturalem vt filij imbecillitati in vouendo consulat, ne maneat hoc conuenienti remedio destitutus. Quod intelligendum est quando nullus adest tutor; qui de hoc remedio prouideat. Nam si tutor adest, ipsi, & non parenti competit filij illegitimi vota irritare. Quia tutori & non parenti competit illius filij gubernatio; sub tutoris enim & non sub parentis est potestate, *institut. de patriâ potestate in principio.* Et tradit Sanchez *libr.* 4. *c.* 35. *n.* 82.

6. Sub nomine verò patris ad hæc vota impuberis irritanda venit tutor in omnium sententia. Quia loco patris subrogatur ex iuris dispositione.

7. Mater verò viuente patre nullatenus hanc potestatem habet; quia nec familiæ neque bonorum administratio ipsi competit iuxta *Textum in §. fœmina institut. de adoptionibus.* Sed totius domus gubernatio est penes patrem; poterit tamen ipsa filio præcipere, ne votum exequatur quousque patrem conueniat quod non est irritare, sed voti executionem suspendere ob rectam domus gubernationem. Sic Suar. *lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 21. Sanch. *lib.* 4. *cap.* 35. *num.* 78. At mortuo parente, vel amente, vel illo longissimè absente distinguendum est; si filio datus sit tutor, aut curator non poterit mater vlla vota irritare: quia nec personæ, nec bonorum ei competit administratio, sed penes tutorem, vel curatorem existit. Sic Sylvest. verbo *religio* 2. *q.* 13. & verbo *votum* 4. *q.* 2. *d.* 1. Nauarrus *cap.* 12. *n.* 64. Azor 1. *p. lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 7. Graffis 1. *p. decisionum l.* 2. *cap.* 29. *n.* 3. Lessius *l.* 2. *c.* 40. *dub.* 14. *n.* 82. *in* 2. *editione.* Sanch. *c.* 35. *n.* 78. Suar. *lib.* 6. *c.* 6. *n.* 22. Quod si filio tutor datus non sit, neque ex parte patris est auus, qui loco patris succedere possit, poterit mater vota filij impuberis irritare. Non quia tutrix sit (tutelam namque ob mortem mariti ipso iure non habet, esto illam petere possit. Authent. *matri & auiæ, Cod. quando mulier tutelæ officio fungi potest*) sed quia iure ipso naturali illi datum est impuberem gubernare patre, auo, tutoréque deficientibus. Ne impubes careat, qui eius imbecillitati in vouendo consulat. Sic Suar. *lib.* 6. *c.* 6. *num.* 22. Emanuel Sà verbo *voti irritatio*, *n.* 1. Sayro in Claui Regia *lib.* 6. *c.* 10. *num. vlt.* Sanch. *c.* 35. *n.* 76. *&* 79. Layman *lib.* 4. *sum. tract.* 4. *cap.* 7. *n.* 10. Bonacin. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 2. *n.* 18.

8. An autem sub nomine patris veniat herus, vel magister deficientibus patre, tutore aliísque ascendentibus? Affirmant plures grauésque Doctores vt æquitati & pietati consonum, ne impubes hoc remedio, quo suæ imprudentiæ in vouendo consulitur, destitutus existat. Sic Sayro in Claui Regia *l.* 6. *cap.* 10. *num.* 18. *in fine.* Lessius *l.* 2. *cap.* 40. *dub.* 14. *in* 2. *editione n.* 82. Suar. lib. 6. de voto *c.* 6. *n.* 23. Layman. *lib.* 4. *sum. tract.* 4. *cap.* 7. *n.* 10. Cæterum etsi hæc sententia pia sit, & ob tantorum Doctorum auctoritatem probabilis. At contraria verior est. Quia potestas dominatiua ad irritationem votorum requisita nec iure naturali, nec positiuo magistro, hero, nutritio infantis conceditur. Potiùs namque sui iuris esse reputatur impubes patre, tutore, aliísque ascendentibus carens. Sic pluribus relatis Sanch. *lib.* 4. *sum. cap.* 35. *n.* 84. Bonacina *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 2. *n.* 18.

9. Si verò de votis puberum loquamur; pater irritare vota potest, quæ suæ administrationi, & gubernationi domesticæ præiudicauerint non alia. Sic docent post alios antiquiores. Suar. lib. 6. de voto *cap.* 5. *num.* 4. *&* 5. Valent. 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 6. *quæst. vlt.* Sayro in Claui Regia *lib.* 6. *c.* 5. *n.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 14. *num.* 85. *in* 2. *edit.* Sanch. *lib.* 4. *summ. cap.* 35. *à n.* 15. Bonacin. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 2. *n.* 21. Et alij communiter paucis exceptis. Et sumitur ex *leg. Deo nobis*, §. *hoc etiam, Cod. de Episcopis & Clericis*, & Authent. *de sanctis Episcop. c.* 41. *& ex cap. ad nostram de Regularibus*, & præcipuè *ex c.* 1. *&* 2. 20. *q.* 2. Ratio ea est, quia obtenta pubertate filius præsumitur plenam discretionem habere ad vouendum. Ergo ex parte voluntatis nulla adest causa irritationis. Ergo solum adesse potest ex parte materiæ promissæ, quæ si paternæ administrationi, gubernationique domesticæ præiudicauerit, eo ipso votum irritare poterit vtpote quod necessariò habere debet hanc inhibitam conditionem ad sui valorem, nisi parenti attulerit præiudicium. Neque ab hac potestate irritatiua excluduntur vota, eo quod Iuramento firmata sint. Quia Iuramentum soli Deo præstitum conditionem voti sortitur, & est voto accessorium. Suar. *lib.* 6. *de voto cap.* 6. *num. vltimo* Sanch. *lib.* 4. *cap.* 35. *n.* 62.

10. Hinc infero, non posse parentem irritare filij puberis votum religionis, castitatis, ordines suscipiendi. Quia in his filius est sui iuris. Tradunt relati Doctores. Item nec votum frequentandi Sacramenta confessionis, & communionis, fundendi moderatas preces, suscipiendi ieiunia moderata, seruandi diuina præcepta. Quia hæc domesticæ gubernationi non obsunt. Suar. *dicto cap.* 5. *numer.* 4. Lessius *dub.* 14. *num.* 85. Supponit Sanch. *dicto c.* 35. *num.* 15. Econtrà irritare potest votum longæ absentiæ seu diuturnæ peregrinationis. Quia obstat curæ paternæ, quam cum filio habere debet, dum est sub eius potestate. Et tradunt Lessius, Suar. & Sanchez *locis allegatis.* Solum votum peregrinandi non deuotionis causa, sed in subsidium terræ sanctæ excipiunt communiter Doctores, ne possit à patre irritari. Argumento Textus *in cap. ex multa de voto.* Vbi viris hoc votum exequi promittitur etiam vxoribus renuentibus ob boni publici fauorem, quì in hoc subsidio præstando cernitur. Sed vt benè tradit Suar. *lib.* 6. *c.* 5. *n.* 11. Sanch. *c.* 35. *n.* 26. Non est hæc exceptio admittenda in filiis puberibus, sicut neque in seruis, aut religiosis, tum quia textus solum viros coniugatos excipit, & cum sit exceptio à iure communi exorbitans non debet ad alios casus extendi. Tum quia non est eadem ratio in filiis ac est in viris; quia viris competit gubernatio domus & familiæ, sùntque vxoris caput, quæ in filiis comparatione parentis non procedunt. Deinde excipiunt votum, seu Iuramentum eundi Romam pro impetranda absolutione excommunicationis reseruatæ, quod nequit pater irritare; quia est medium saluti spirituali filij necessarium. Et colligitur apertè ex *cap. relatum de sentent. excommunicationis.* At vt benè aduertit, Sanch. *dicto c.* 35. *n.* 27. Si per bullam cruciatam, aut religiosorum priuilegium posset supradicta absolutio obtineri; optimè posset pater supradictum votum irritare. Quia tunc filio necessarium non est Romam ire pro impetranda absolutione, ob quam necessitatem non poterat pater executionem supradicti voti impedire. Deinde irritari à patre potest votum abstinentiæ, seu ieiunij, quo præsumeretur filium morbi habere periculum, vel quo non posset labori ordinario incumbere, vel quo necessariò perturbandus esset ordo domesticus, parando cibos diuersos à communibus. Item votum tot precum & orationum, quibus impeditur assistere occupationi à patre designatæ. Sic Suar. & Lessius *supr.* & Sanch. *n.* 17.

11. Secundò infero, neque posse irritare votum reale ex bonis, quorum filius dominium & administrationem habet, vt sunt bona castrensia aut quasi. Quia in horum alienatione filius est sui iuris, nec patri præiudicare potest, *leg. filiusfamilias in fine, ff. de donationibus.* Et tradunt Nauarr. *cap.* 21. *n.* 70. Suar. *libr.* 6. *de voto cap.* 5. *num.* 4. Sayro in Claui Regia *lib.* 6. *cap.* 5. *n.* 6. *&* *cap.* 10. *n.* 25. Sanch. *c.* 35. *n.* 23. Lessius *dub.* 14. *n.* 85. Azor 1. *p. libr.* 11. *c.* 7. *q.* 17. Bonacina *punct.* 7. §. 2. *n.* 12.

12. Tertiò infero, nec posse patrem irritare votum filij puberis de bonis aduentitiis, quorum neque vsumfructum neque administrationem habet. Quia solum ob illas rationes ei præiudicare poterat. Quo circa cum filius post vigesimum quintum annum administrationem habeat bonorum aduentitiorum, quorum pater non habet vsumfructum. Vt manifestè probat Textus in Authent. *vt liceat matri & auiæ vers. res autem.* Nullatenus eius vota de his bonis pater irritare poterit. At dum est in minori ætate constitutus, si administratio patri non competit, vel quia sub ea conditione filio bona illa relicta sunt, vel quia pater non vult administrare, non ipsi sed curatori competit potestas irritandi ea vota. Sanch. *l.* 4. *sum. c.* 35. *n.* 41.

13. Quartò infero, quotiescumque filius à patria potestate egreditur non sunt eius vota à patre irritabilia; quia est sui

sui iuris nec patri quoad personam, vel bonorum administrationem subiectus.

14. Superest dicendum; an in horum votorum irritatione habeat & mater minoris eandem potestatem, ac pater? De curatore certum est eandem potestatem habere dum eius officium durat; quia eo tempore plenè loco parentis subrogatur. Et ob hunc finem datus est, vt bonis minoris prouideat. Quod si plures sint curatores designati (& idem est de tutoribus comparatione pupilli) penes quemlibet ipsorum est integra potestas vota puberis irritandi; quia hæc competit ratione officij, & nulla est specialis ratio, quare potiùs vni quam alteri competat. Suar. *lib.6. cap.6. n.22.* Sanch. *cap.25. n.70.* Bonacin. *disp. 4. q.2. punct.7. §.2. n.25. in fine.*

15. De matre si curatrix sit, idem est dicendum. At si curatrix non sit, & minor curatorem habeat, certum est, nullam potestatem habere: quod à fortiori conuincunt ea, quæ diximus de potestate matris ad irritanda vota pupilli. Sed si minor curatore caret, non desunt Doctores, qui sentiant posse ea vota minoris irritare, quæ posset pater. Sic videntur tenere expresè Manuel Rodriguez *2. tom. sum. cap.91. n.10. concl.9.* Vega *2. tom. sum.c.129.casu 96. fine.* Stunica de voto *q.3. n.95.* Sayro in Claui Regia *lib.6.c.10. num. vlt.* Emanuel Sà verbo *voti irritatio num.1.* Ratio esse potest; quia deficientibus patre, & curatore, aliisque ascendentibus parentis, qui de obligationibus minoris prouideant, rationi consonum esse videtur, vt mater, auiáque succedat ob naturalem in filium potestatem, & amorem. Verum hæc sententia nullomodo admittenda est. Quia pater solum potest vota filij puberis irritare, dum filius sub eius est potestate. At filius pubes non est sub potestate matris quatenùs mater est. Vt deciditur in §. *Fœmina, institut. de adoptione & leg. Regia 2. & 8. tit.17. partita* 4. Ergo mater quatenus talis est, potestatem non habet filij puberis vota irritandi. Præterea de votis realibus est manifesta ratio. Nam matri non competit ipso iure administratio bonorum filij puberis mortuo parente, sed curatori à iudice designato, & dum nullus designatur ipsi minori competit; quia est sui iuris. At potestas patris, curatoris ad irritanda vota realia minoris in administratione fundatur. Cum ergo hæc matri quatenus talis est, non competat; nullo modo hæc potestas competere potest. Et ita tenet Suar. *lib.6.cap.5. in fine.* Sanch. *lib.4.sum. c.35.num.77.* & consentiunt omnes illi, qui hanc potestatem ad irritanda vota impuberis negant, quos plena manu refert Sanch. *d.cap.35.n.74.*

16. Tandem inquires; an minoribus competat in votis restitutio in integrum, sicut in aliis contractibus; cum se reputant notabiliter læsos? Affirmant Paludanus, Syluester, & alij relati à Sanch. *d.c.35.n.85.* Sed absque vllo fundamento, cum longè dispar ratio sit in votis, ac in contractibus. Nam in contractibus inuenitur deceptio, & defectus voluntarij, ob cuius causam conceditur minoribus restitutio. At in votis nullatenus deceptio esse potest. Quia Deus neminem decipit; neque etiam defectus voluntarij; cum votum plenè voluntarium sit. Præterea quæ deceptio esse potest vbi opus consilij & perfectionis Euangelicæ exercetur? Sic aliis relatis comprobat Sanch. *loco citato n.86.* Bonac. *disp.4. q.2. punct.7. §.2. n.24.*

PVNCTVM VIII.

Quæ & qualiter religiosorum vota irritari possint?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur ratio dubitandi, an omnia religiosi vota possit Prælatus irritare vel solum præiudicantia?*
2 *Probabilius est omnia irritare posse.*
3 *Excipe nisi eius statum constituant.*
4 *Excipe votum strictioris religionis.*
5 *Quid Prælati hac potestate gaudeant.*
6 *Qualiter Pontifex hac gaudeat potestate.*
7 *Quid dicendum de monialium Abbatissis?*
8 *In quos religiosos sit hæc potestas.*
9 *Quid dicendum de religioso creato Episcopo? quid de electo?*
10. *Vota nouitiorum irritabilia non sunt.*

1. NEmini esse potest dubium, irritari à Prælatis posse vota religiosorum; quæ eorum iurisdictionem, & religiosam gubernationem impediunt. Quia non possunt esse voto obedientiæ contraria; neque in superiorum præiudicium. Sed quia plura à religiosis vota emitti possunt iurisdictioni superiorum non præiudicantia, vt sunt vota de actibus internis, de seruandis Ecclesiæ & religiosis præceptis, & similibus; dubitant an omnia hæc vota possint à Prælatis irritari vel solum præiudicantia? Et ratio dubitandi est: quia vniuersalis irritatio esse non potest, nisi religiosi ita Prælatis subiecti sint in obligationibus assumendis, vt in eorum voluntate sit constitutum eos obligatos existere, aut nullam habere obligationem. Sed ex voto obedientiæ statúque religioso hæc tam lata subiectio non colligitur. Quia inde solum colligitur in religiosis obligatio obediendi in consentaneis regulę, & in Prælatis potestas ea præcipiendi, prohibendíque aduersa. Ergo religiosi non sunt ita Prælatis subiecti, quin possint aliquam obligationem regulæ consentaneam, statuíque religioso conuenientem subire independenter à Prælatorum voluntate. Et ita loquentes de voto præceptorum tenent Caietan. *2. 2. q.88. art.8. dub.vlt.* Palacios *in 4. dist.38. disp.3.* vers. *verum in operibus pag.873.* Armilla summ. verbo *votum num. 9. Anglis floribus 2. p. quæst. vnica de voto art.7. difficul.2. concl.3.* & alij plures relati à Suar. *lib. 6. de voto cap.7. n.2.* Et est sententia probabilis teste Lessio *lib.2. cap.40. dub.13. num.74. in 2. edit.*

2. Cæterum longè probabilius est, posse Prælatos religionis omnia vota religiosi eius statum non constituentia cuiuscumque materiæ sint; irritare excepto voto assumendi religionem strictiorem. Sic colligitur ex D. Thoma *2. 2. q.88. art.8. ad 3. & 4.* Nauarrus *cap.12. n.65.* Sayro in Claui Regia *lib.6.c.10.n.9.* Azor. *1.p. lib.11. c.17. q.16. & 17.* Valent. *disp.6. q.6.punct.6.q.5.* Lessio *d.dub.13.n.75.* Suar. tom.2. de Religione *lib.6.c.7.n.3.* Sanch. *lib.4.c.33. n.4. & sequent.* Layman *lib. 4. summ. tract.4.c.7. n.6.concl.3.* Bonac. *disp.4. q.2.punct.7. §.2. n.26. & aliis pluribus apud ipsos.* Ratio est: quia negari non potest, potuisse Pontificem vt meliùs religiosi gubernarentur, eorum voluntatem ita Prælatis subiicere; vt absque eorum consensu nihil firmiter vouerent. Si enim vt immaturo pupillorum iudicio prouideret, sic pupillorum voluntatem parenti, vel tutori subiecit, vt in parentis vel tutoris arbitrio sit vota eorum firmare vel cassare, & quælibet respublica potestatem habet contractibus suorum ciuium eas conditiones apponendi, quibuscum & non aliter obligari persistant; cur non poterit Pontifex de religiosorum votis sic prouidere vt hac via in statu assumpto rectiùs & securiùs procedant? Quod verò ita factum sit, probat praxis & vsu religionum teste Lessio *n.75.* Sanch. *cap.24. n.30.* Vasquez *1.2. disp.165. c.4. n.29.* Layman. Suar. Bonac. *loco allegat.* Et indicat Augustinus relatus *in cap. non dicatis 12. q.1.* ibi. Religiosum non solum facultatibus, sed etiam voluntatibus propriis renuntiare, & se per promissam obedientiam aliorum potestati & imperio subdere. Et Bonifac. VIII. *in c. si religiosus, de electione in 6.* ibi religiosus, cuius arbitrium non ex sua (cum velle habeat) sed ex illius quem vices Dei supra caput suum posuit & cuius imperio se subiecit voluntate dependet. Hinc soluitur ratio dubitandi; concedo namque ex præciso voto obedientiæ, statúque religioso hanc latam subiectionem non oriri; oriri tamen ex ipsis Ecclesia sic disponente. Cui subiectioni non obstat, quod sæpe Prælati executionem materiæ promissæ non possint impedire. Quia impedire possunt nouam & voluntariam obligationem illius vt pote non necessariam, & multoties non conuenientem.

3. Dixi irritare posse omnia vota religiosi, *eius statum non constituentia.* Nam quæ eius statum constituunt irritabilia non sunt; siquidem ab ipsis tanquam à fundamento prouenit hæc irritatiua potestas. Vnde irritare non possunt votum castitatis, paupertatis, & obedientiæ; quia in ipsis status religiosus consistit. Deinde neque irritare possunt vota huic statui ex dispositione Pontificis annexa; quia accessorium sequitur naturam principalis. Quocirca cum votum redemptionis captiuorum in religione Mercenariorum, & votum quadragesimalis abstinentiæ in religione Minimorum, & in Societate IESV votum ingrediendi societatem (hoc est acceptandi gradum qui Præposito generali visus fuerit) & votum solemne obediendi summo Pontifici, aliáque vota simplicia, quæ professi emittunt, annexa sint statui religiosi, nullatenus irritari possunt. Vt notauit Sanch. *lib.4.cap.33.n.5.* Layman *lib.4.sum. tract. 4. c.7. n.6. assert.3. fine.*

Præterea ab irritatiua potestate excipitur votum arctioris religionis ingrediendæ, cuius executio sicut non potest à Prælato religionis impediri, *cap. licet de Regularibus*; ita neque irritari. Quia irritando hoc votum aliquatenus impeditur supradictus ingressus. Et præterea professio religiosa cum sit opus perfectum non potest professionem perfectiorem impedire, sed potiùs censeri debet emissa sub ea conditione, dum perfectior professio non emittitur. Excepta autem perfectiori professione, & votum illius assumendæ exceptum videtur. Nequit ergo irritari. Et ita tradunt omnes Doctores vt videri potest in Nauarro *lib. 3. consiliorum consilio 30. de voto alias 40.* Sayro in Claui Regia *lib.8. c.10. n.9.* Lessio *lib. 2. c.40. dub.13. n.75.* Suar. l.3. de voto *c.6. n.23. & l.6.c.7. n.9.* Sanch. *lib.4.c.33.n.2.* Layman *lib.4 sum.tract.c.7.n.7.* Bonacin. *disp.4. q.2. punct.7. §.2. n.27.*

Quod si Pontifex ex religione quæ laxior videtur, prohibuerit absolutè transitum ad strictiorem, votum huius strictioris assumendæ nullũ erit: quia non est censenda omnibus pensatis perfectior, secùs verò dicendum est si solum prohibuerit

transitum

transitum absque eius licentia. Quia tunc credendum est perfectiorem, seu aptiorem esse ad spiritualem cuiusque profectum validùmque esse tale votum, ex vi illius obligari voluentem licentiam petere, Sic. Suar. lib. 3. de voto *c. 6. num.* 24. Sanch. *cap.* 33. *num.* 3.

5. Porrò Prælati gaudentes hac potestate irritatiua sunt omnes illi, quibus religiosus ob religiosum statum subditur est Vnde Generalis, Prouincialis, Visitator Prouinciæ, Prior, seu Rector Collegij hac potestate comparatione suorum subditorum potiuntur, & tradunt omnes Superiores verò seu vice prio res, quique in Societate appellantur ministri (estò nomine Superioris insignantur) hanc non habent potestatem, Quia verè Superiores non sunt; siquidem non proprio nomine sed alieno imperant, neq; in virtute obedientiæ percipiunt, neque à peccatis absoluunt, nisi quando Prælatus à loco conuentus abest. Poterunt tamen sæpe executionem voti impedire occupando subditum; qualiter occupare possent si nullo voto astrictus esset. Sic aliis relatis docet Sanch. *l. 4. de voto c. 33. n. 16.* Suar. *lib. 6. de voto cap. 7. n. 17.*

6. De Pontifice est aliqualis difficultas; an gaudeat hac potestate dominatiua in omnes religiosos? Et quidem quatenus Pontifex est & supremum Ecclesiæ caput illam non habet; vt diximus puncto 2. Bene tamen quatenus quilibet religiosus voto obedientiæ & religionis professione illi subiicitur. Sic post alios antiquiores, quos referunt docent Valentia 2.2. *disp. 6. q. 6. punct. 6. post principium*, Suarez lib. 6. de voto *c. 7. n.* 18. Sanch. *lib. 4. cap.* 24. *n.* 20. Layman *lib.* 4. *tract. 4. summ. c. 7. n.* 8. Clauis Regia *lib. 6. c. 10. n.* 17. Bonacin. *disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 2. num. 6.*

7. Deinde est difficultas de monalium Abbatissis, seu Prioríssis; an habent hanc potestatem? Ratio dubij est. Quia non videtur necessaria hæc potestas, cum eam habeant Prælati regulares, quibus ipsæ moniales subduntur. Deinde huiusmodi Abbatissa iurisdictione spirituali carent, vt multis relatis probat Sanch. *lib. 6 sum. c. 1. n.* 17. Sed potestas irritãdi vota in iurisdictione fundatur. Ergo carentes iurisdictione potestate dominatiua carent. Nihilominus plures grauésque Doctores his Abbatissis concedunt eam potestatem ad irritanda vota, quam habent Prælati comparatione religiosorum; eo quòd votum obedientiæ ipsis, sicut & aliis Prælatis emittatur. Sic Sayro in Clavi Regia *lib. 6. c. 10. n. 7. & 13.* Lessius *lib. 2. c. 40. dubio 18. n. 133. in 2. editione.* Suar. *lib. 6. cap. 7. in fine.* Sanchez pluribus relatis *lib. 4. c. 33. n. 19.* Cæterum mihi probabilius apparet, sola ea vota posse Abbatissas irritare, quæ domesticæ gubernationi deesse possunt. Sic docuit Azor. *1. p. lib. 11. cap. 17. q. 3. ad finem.* Ratio est: quia Abbatissæ nullam aliam in moniales potestatem habent nisi domesticam & politicam, & in ordine ad bonum tempotale domus & familiæ; neque moniales eis obedire promittunt nisi in his rebus, quæ hanc domesticam, & politicam gubernationem spectant; vt ipsemet Sanch. *lib. 6. summa, c. 1. n. 17. & sequentibus* probat. Ergo solum irritare poterunt vota hanc gubernationem domesticam spectantia. Quia solum in hac parte Superiores sunt, & monialium voluntatem habent subiectam.

8. Rursus dubitabis, in quos religiosos dicti Prælati supradicta potestate gaudeant? Certum est esse illos, qui sibi subiecti sunt ex voto obedientiæ & religiosi status; tametsi vota solemnia non emiserint, sed solum simplicia. Vt contingit in Societate Iesv. Quia verè sunt religiosi, & quantum est ex parte sua plenè superioribus subiecti. Sic Suar. *lib. 6. de voto cap. 7. n. 10.* Sanch. *lib. 4. c. 33. n. 24.* Possunt autem ab hac subiectione religiosi perfectè vel imperfectè eximi, si perfectè & integrè eximantur, qualiter eximuntur scholares & coadiutores à Societate dimissi, & qualiter eximerentur religiosi professi cum quibus Pontifex ex plenitudine suæ potestatis dispensaret, & à votis absolueret; eorum vota irritabilia non sunt. Quia non sunt religiosi & statu religioso cessante cessat fundamentum irritationis. Et tradit Sanch. lib. 4. de voto *c. 30. n. 23.* Si autem imperfectè à subiectione eximantur. Quia tunc absolutè manent religiosi, poterunt eorum vota irritare illi Prælati, quibus subiiciuntur; secùs alij, à quorum potestate manent exempti.

9. Hinc fit, nullum Prælatum regularem posse irritare vota religiosi creati Episcopi, tametsi illa fecerit antequam in Episcopum eligeretur. Quia Episcopi creatione eximitur religiosus à subiectione omnium prælatorum regularium; sed quia adhuc Pontifici vt omnium religiosorum generali Prælato manet subiectus, poterunt ab ipso eius vota irritari. Sic Suar. *l. 6. de voto c. 7. n. 10.* Sanch. *l. 4. c. 30. nu. 21.* Idem, quod dictum est, de religioso creato Episcopo, dicendum est de electo, si electio iusta fit & perpetua. Quia ob illam electionem excluditur religiosus à regimine religionis, & à Prælatorum regularium potestate. Non tamen excluditur à Pontificis regimine, & potestate; ac proinde Pontifex solus poterit vota electi irritare non alij. Sanch. *d. cap. 30. à n. 26.*

10. Secundò infero, vota nouitiorum, neque à Prælatis regularibus, neque à Pontifice esse irritabilia. Quia adhuc sunt sui iuris, neminique ex voto obedientiæ subiecti. Sic Nauarr. *sum. c. 12. n. 65.* Azor. *1. p. lib. 1. c. 17. q. 20. & vlt.* Lessius *lib. 2. c. 40. dub. 13. n. 80. in 2. edit.* Sayro in Clavi Regia *lib. 6. c. 10. n. 15.* Suar. tom. 2. de Relig. lib. *6. de voto c. 7. n. 11.* Sanch. *lib. 4. sum. c. 33. n. 28.* Bonac. *disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 2. nu. 52.* Laym. *lib. 4. sum. tr. 4. punct. 7. n. 9.* Poterunt tamen Prælati regulares, quibus competit gubernare nouitios & experiri, an religioni idonei sint, omnia illorum vota suspendere, quæ onera religionis & nouitiatus exercitia difficiliora reddunt. Ne ob hanc difficultatem minùs apti religioni iudicentur, & ipsis religio displiceat. Bonac. Laym. Lessius locis allegatis Sanch. *n.* 32. imò credo si notabiliter onera religionis aggrauant siue per se, siue ex dispositione subiecti, ipso iure suspensa esse; quippe quæ impedimento sunt maioris boni, nempe liquido religionis experimento. Sic Lessius *n.* 80. Sanch. *aliis relatis n.* 37. Sayro *c.* 10. *n.* 15. Hæc procedunt de votis personalibus; nam realia rarò, vel numquam exercitia nouitiatus impediunt: aut ea difficiliora reddunt: ideóque nec Prælati regulares ea valent suspendere. Azor. *c. 17. q. vlt.* Lessius *n.* 80. Suar. *num. 21.* Sanchez. *n. 36.* Secùs esset si nouitio deficerent commoda alimenta, ob quorum defectum sibi appareret religio difficilior, posset vtique vota realia suspendere, vt claram religionis capiat experientiam, & ne periculo exponatur illam deserendi; quia est eadem ratio, ac de votis personalibus. Adde quælibet vota tam realia, quam personalia posse ab ipso nouitio in opera, & exercitia nouitiatus commutari, vtpote in rem euidenter meliorem. Sed ne omnia opera nouitiatus exequenda vi voti obligatus existat, quod durum esset; & scrupulis expositum, oporteret commutationem esse non ita indeterminatam, & confusam, sed determinatam, & claram in hæc vel illa opera pœnitentiæ & orationis. Nouitius verò religionem deserens voti prioris obligatione astringitur. Quia credendum est, solum pro illo tempore commutationem feciſſe. Excipe nisi contrarium constet ex determinatione temporis, & æqualitate commutationis, Sanch. *d. c. 33. n. 41. & 42.*

PVNCTVM IX.

Qualiter dispensatione obligatio voti cesset.

SVMMARIVM.

1 *Cessat dispensatione obligatio voti.*
2 *Dispensatio est actus non ordinis, sed iurisdictionis Ecclesiastica.*
3 *Expostulat causam, vt licita, valida sit.*
4 *An bona fide dispensans existimans adesse causam, cum tamen non sit, valeat dispensatio? Affirmant Lessius & Sanch. sed probabilius est oppositum.*
5 *Causa sufficiens dispensationi est qua voti executioni obstat.*
6 *Leuitatem in vouendo affirmant aliqui non præstare sufficientem causam dispensationi.*
7 *Probabilius est oppositum.*
8 *Votum emissum in ætate pupillari potest ex defectu plena libertatis à iure præsumpto dispensari.*
6 *Timor mortis conceptus ex naufragio, vel alia causa non opposita ad extorquendum votum non præstat sufficientem causam dispensationi.*
10 *Error circa causam impulsiuam, vel illius causæ cessatio præstat sufficientem causam dispensationi.*
11 *Item dubium de intentione obligationis.*
12 *Si votum occasio sit maioris ruinæ.*
13 *Item si grauem difficultatem in illius executione sentias.*
14 *Si dubium sit votum esse impeditiuum maioris boni.*
15 *Si commune bonum impediatur.*
16 *Si cedat in damnum propriæ domus vel familiæ.*
17 *Oportet cum dispensatione aliquam admiscere commutationem.*
18 *Stante causa legitima dispensationis potest Superior dispensationem concedere, & aliquando tenetur.*

1. OBligationem voti dispensatione cessare in comperto est apud omnes. Quia dispensans relaxat, seu remittit nomine Dei quod per votum debetur. Et sicut facta remissione creditoris vel vices illius habentis debitum extinguitur; sic facta remissione vices Dei habentis cessat votum. Atque ita dispensationem explicant Suar. *l. 6.* de voto *c. 9. n. 15.* Vasq. *1. 2. disp. 178. n. 13.* Lessius *l. 2. c. 40. dub. 17. n. 112. in 2. edit.* Basil. Legion. *l. 8. de matrim. c. 2. n. 9.* Et nos diximus *1. p. tract. de legibus disp. vlt. de dispensat. punct. 2.* Vbi probamus hanc non esse propriè dispensationem in iure diuino naturali obligante. Quia nunquam ius naturale obligat, ne possit Ecclesia eiúsque Prælati nomine Dei quod ipsi debetur, remittere; sed esse iuris diuini acquisiti relaxationem, quam fieri posse iusta causa intercedente iuri naturali conforme est.

2. Hæc autè relaxatio seu dispensatio actus est iurisdictionis

nis ſpiritualis Eccleſiaſticæ à Chriſto domino Petro eiúſque ſucceſſoribus conceſſæ, illis verbis. *Matth.* 16. Tibi dabo claues Regni Cælorum & quodcumque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis & *Matth.*18. Amen dico vobis quemcumque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta & in cœlis. Quæ verba ob eius generaliratem iuncta Eccleſiæ traditione extendunt Patres ad quodlibet vinculum, quod ob ſalutem animarum, & rectam Eccleſiæ gubernationem conuenit. Cum autem ſæpe animatum ſaluti, & Eccleſiæ rectæ gubernationi expediat ſolutio non ſolum culpæ & pœnæ ſed voti & iuramenti. Efficitur ſane ad ſoluenda vota & Iuramenta Chriſtum Dominum poteſtatem ſuæ Eccleſiæ reliquiſſe. Hæc igitur poteſtas eſt poteſtas non ordinis; non enim eſt aliquis ordo deputatus ad hoc miniſterium; ſed eſt poteſtas iuriſdictionis externæ ſpiritualis Eccleſiaſticæ; ac proinde petit perſonæ Eccleſiaſticæ habenti ſubditos, illóſque in foro externo gubernanti inhærere. Quippe quæ externam Eccleſiæ gubernationem ſpectat, ſicut poteſtas concedendi indulgentias, excommunicandi, leges relaxandi. Sic Leſſius *c.*40.*dub.*17.*n.*114. & 115. Sayro in claui Regia *lib.*6.*c.*11.*n.*85. Sanch. *lib.*4.*ſum.c.* 37.*à n.*16.*uſque ad* 22. Bonac. aliis relatis *to.*2.*diſp.*4.*q.*2.*punct.* 4.*n.*1.2. & 3. Baſil. Leg. lib. 8. de matrim.*c.*4.*n.*3.4.

3. Vt autem hæc diſpenſatio licita, & valida ſit, cauſam iuſtam expoſtulat: cum enim nomine Dei fiat, & in iure ſuo diuino: in tantum fieri poteſt, in quantum Deus ipſe conſenſerit. Atqui Deus nullatenus eſt cenſendus conſentire in remiſſione ſui debiti abſque cauſa facta; quippe quæ talis remiſſio irrationabilis eſt, & rectæ Eccleſiæ gubernationi præiudicans. Ergo diſpenſatio ad ſui valorem cauſam iuſtam expoſtulat. Sic Theologi omnes cum D. Tho. *q.*88.*art.*12. *ad ſecundum* & Iuriſtæ cum Gloſſ. *c.non eſt*, verbo *adimplere de voto.*

4. Dubium tamen eſt; an ſi petens diſpenſationem illámque concedens, bona fide procedant, exiſtimantes cauſam legitimam adeſſe, valeat diſpenſatio, nec teneatur diſpenſatus ad votum ſuum redire, deprehenſa cauſæ inſufficientia?

Affirmant Leſſius *lib.*2.*c.*40.*dub.*17.*n.*119. Sanch. *lib.*4.*c.*44. *n.*10. Quia æquitati conſonum eſſe videtur ad ſedandos ſcrupulos, pacandáſque conſcientias, & Eccleſiæ rectam gubernationem, vt Deus remiſſionem voti nomine ipſius bona fide factam, approbet, & confirmet. Si enim cum cauſa dubia exiſtit ad diſpenſandum, poteſt Prælatus validè & licitè diſpenſare, Vt docent Syluester verbo *diſpenſatio q.*14.*n.*20.*fine.* Palacios *in* 4. *d.*38. *diſp.*3. verſ. *eſt igitur.* Sanch. *lib.* 4. *ſum.c.*45.*n.*10. Layman *lib.*4.*ſum. tract.*4.*cap.*8.*num.*5. A fortiori id poterit, cum tam ipſe, quam ſubditus credunt habere ſe legitimam diſpenſationis cauſam. Cæterum veriùs credo ob cauſam legitimam, ſed in re illegitimam, non ſubſiſtere diſpenſationem, eſto diſpenſans & diſpenſatus excuſentur à culpa. Quia ad ſedandos ſcrupulos, & pacandas conſcientias id neceſſarium non eſt; ſufficit enim quod præſumatur legitimam eſſe diſpenſationem, quæ rectè præſumi poteſt, quoties conceditur ex cauſa, quæ creditur legitima; imò ex cauſa quæ dubia eſt. Nam ſtante hac præſumptione tutus eſt diſpenſatus, & ſecurè procedit. Quod verò diſpenſatio detecta nullitate cauſæ ſubſiſtat, neque ad rectam gubernationem, neque ad ſcrupulos vitandos, ſedandáſque conſcientias expedit; ſed potiùs expedit contrarium, ne Deus cenſeatur errori fauere. Adde iura & Doctores clamare ad diſpenſationis valorem, cauſam legitimam requiri. Ergo verum & non apparentem tantum. Sic ex relatis Ioan. de Salas & Baſil. Legion. docui. *1.p.tr.*3.*de leg. diſp. vlt.punct.*8. §.2.*n.*5.

5. Sed inquires quæ cauſæ ſufficientes ſint ad voti diſpenſationem? Reſpondeo illas eſſe, quæ voti executioni obſtant. Nam cum obligatio exequendi votum cedat in honorem Dei, & in vouentis vtilitatem, non eſt cenſendus illius remiſſioni conſentire, niſi adſit cauſa huius executionis obligationem impediens. Sic vniuerſi Doctores cum D. Tho. 2.2.*q.*88. *art.*12. Cauſæ autem obſtantes executioni voti ſumuntur, tum ex modo vouendi, tum ex materia voti. Ex modo vouendi, ſi imprudenter, temerè, & abſque perfecta deliberatione votum emiſſum ſit, quod contingere poteſt, eo quòd in tenera ætate votum conceperis, vel quia interueniente metu, in triſtitia, aliáve paſſione, vel errore circa cauſam impulſiuam vouiſti, vel quia cauſa, ob quam motus fuiſti ad vouendum, ceſſauit. Nam in ſupradictis caſibus regulariter ſic vouens periculum habet voti violandi. Quia non præſumitur voto affectum eſſe. Præterea; quia ſupradictæ cauſæ diminuunt voluntarium, ac proinde voti obligationem, quæ ex libera vouentis voluntate procedit. Ergo præſtant iuſtam cauſam diſpenſatione. Sic ferè omnes Doctores, vt videre eſt apud Suar. lib 6. de voto *cap.*17. *num.*8. Sanch. de matrimonio *lib.*8. *diſp.*20.*n.*12. & *lib.*4.*ſum. cap.* 45.*num.*27.

6. Difficultas tamen eſt; ſi contingeret, ſic vouentem, ſpecialem difficultatem exequendi votum, non habere, neque ſpeciale periculum illud violandi; an ex eo ſolum, quod immaturè & imperfecta deliberatione votum emiſerit, habeat ſufficientem cauſam impetrandi diſpenſationem? Negat expreſsè Valent. 2.2. *diſp.*6. *q.*6. *punct.*7. *ad finem.* Mouetur: quia ceſſante graui difficultate exequendi votum, grauique periculo tranſgreſſionis, nulla adeſſet cauſa obſtans executioni voti. At omnes Doctores ſentiunt cauſam legitimam diſpenſationis illam tantum eſſe, quæ voti executioni obſtat. Ergo defectus plenæ libertatis in vouendo, non præſtat in ſupradicto caſu legitimam diſpenſationis cauſam. Conſentit Suar. lib. 6. de voto *c.*17.*n.*14. vbi ait, licet votum fuerit temerè factum, ſi tamen non nocet, ſed potiùs vtile inuenitur, non erit illa ſufficiens cauſa tollendi votum. Fauet Leonardus Leſſius *lib.* 2. *cap.*40.*dub.*17. *n.*120. & Layman *lib.*4. *ſum.tract.*4. *c.*8.*num.*5. aſſerentes leuitatem in vouendo, præſtare faciliorem diſpenſationis impetrationem; tacitè enim inſinuant leuitatem non præſtare cauſam ſufficientem, ſed ſuppoſita aliunde ſufficienti cauſa, præſtare vt faciliùs diſpenſatio concedatur.

7. Cæterum veriùs credo, defectum perfectæ, & maturæ deliberationis vndecumque proueniat, præbere ſufficientem cauſam relaxationi. Sic expreſsè Tho. Sanch. pluribus relatis lib. 8. de matrim. *diſput.* 20. *numer.* 12. & *ſequent.* & *lib.*4. *ſum. capit.* 45. *numer.* 28. Ratio eſt: quia Doctores æquè aſſignant pro cauſa ad diſpenſandum in votis, facilitatem in vouendo, & perfectæ libertatis defectum; ac aſſignant difficultatem exequendi votum, & periculum violandi illud; vt videre eſt in Nauarr. *cap.* 12. *numer.* 25. & 77. Azor. 1. *p. lib.*11. *cap.*15. *quæſt.*5. *fine* Ludou. Lopez 1. *p. inſtructorij c.* 49. verſ. *leuitas.* Graffis 1. *p. deciſ. lib.* 2. *cap.* 31. *in fine.* Aragon. 2.2. *quæſt.* 88. *artic.* 1. *concluſ.* 3. Emanuel Sà verbo *voti irritatio*, *numer.*9. Bonacin. *diſput.*4. *quæſt.*2. *punct.* 7. §.4.*num.* 24. & *aliis paſſim.* Sed grauis difficultas exequendi votum, & periculum violandi illud, eſt ſufficiens cauſa diſpenſationis (vt ſtatim dicemus) ergo etiam erit ſufficiens cauſa, leuitas in vouendo, & defectus plenæ libertatis. Neque ratio in contrarium vrget. Admittimus namque cauſam ſufficientem ad diſpenſandum debere executioni voti obſtare: Negamus tamen defectum plenæ deliberationis non eſſe huiuſmodi: per ſe enim obſtat, cum votum emittitur, licet poſtea non obſtet; ſed hoc, eſt per accidens. Secundò reſpondeo cum Sanch. *locis alleg.* cauſam obſtantem executioni voti requiri pro diſpenſatione voti perfectè voluntarij; ſecùs pro diſpenſatione imperfectè voluntarij. Quod ſatis colligitur ex voto per vim & dolum extortum, quod (vt ſtatim dicam) diſpenſari poterit, tametſi nullum periculum habeas violationis.

Aduerto tamen eſto defectus plenæ & perfectæ libertatis præſtet ſufficientem cauſam diſpenſationi, ſed non ſemper ſed rarò eam præſtat ita abſolutè vt ſufficiat ad votum omnino relaxandum abſque aliqua commutatione. Prudentis enim arbitrio ſpectanda eſt; tum grauitas voti; tum cauſa, ex qua defectus libertatis ortus eſt. Et ex illius iudicandum, an poſſit abſoluta diſpenſatio concedi; an potiùs debeat fieri commutatione admixta. Et frequenter commutatio eſt admiſcenda. Sic Sanch. *lib.* 4. *ſumm. cap.* 45. *numero* 28. Conſentit Suar. lib. 6. de voto *cap.* 17. *numer.* 8. *fine*, & *numer.*14. *fine.*

8. Hinc fit, votum emiſſum in ætate pupillari poſſe ob defectum plenæ liberiatis à iure præſumptum, diſpenſari etiam abſque vlla commutatione. Quia benignitati diuinæ expedit, ne obligationem in tenera ætate ſuſceptum, ita rigidè acceptet, quin Pontifici, aliiſque Prælatis remiſerit illius liberam ſolutionem. Et licet in *cap.* 2. *de voto* Pontifex diſpenſans cum eo, qui votum peregrinationis Hieroſolymitanæ fecerat; eo quod tenera ætate, facilitate potiùs quam arbitrio diſcretionis emiſerit, grauem commutationem impoſuerit; id non fuit ex neceſſitate, ſed ex conuenientia; ne Pontifex ab ſtylo vſitato admiſcendi ſemper commutationem, recederet. Sic Sanch. *l.*8. *de matrim. diſput.* 20. *num.*13. & *l.* 4. *ſum. cap.*45. *num.*30.

9. Fit ſecundò; timor mortis conceptus ex naufragio, infirmitate vel alia cauſa ad extorquendum votum non appoſita, non præſtat regulariter ſufficientem cauſam diſpenſationis. Quia frequenter non excludit maturam deliberationem, ſed cum matura & prudenti deliberatione votum emittitur, vt timor ceſſet, & ſecurus fias. Si tamen aliquando ob nimium affectum conſeruandi vitam præceps fueris in vouendo, cenſerem diſpenſari poſſe votum, ſed commutatione admixta. Et idem eſt, ſi votum emiſeris ita, triſtitia, aliáve paſſione concitatus; præſtat enim illa inconſideratio in vouendo aliqualem cauſam diſpenſationis; ac proinde commutatione indiget. Colligitur ex Sanch. *diſput.*20. *numer.*14. & *cap.* 45. *numer.*31. Quod ſi metus fuerit incuſſus ad extorquendum votum, ac proinde iniuſtus, eſto leuis fuerit, credo præbere ſufficientem cauſam integræ diſpenſationi. Tum quia eſt ſatis probabile, illud votum non obligare, tum quia cedit in honorem Dei, vt facilè remittat obligationem, cui iniquitas cauſam dedit, ne iniquitati fauere videatur. Sanchez *diſp.*20.*n.*15. & *c.* 54.*n.*32.

10 Fit tertiò, error circa causam impulsam vel illius causæ cessatio, est sufficiens causa, vt dispensatio voti concedatur; quia minuit voluntarium. Sed non debet dispensatio absolutè concedi, sed commutatione apposita. Vt colligitur ex *cap. magna de voto.* Vbi ob cessationem causæ impulsiuæ votum dispensatum est, sed apposita graui commutatione. Sanch. *disp.*20. *n.*16. *& cap.*45.*n.*33. *&* 34.

11. Fit quartò, dubium de intentione obligationis præstare causam dispensationi, saltem commutatione admixtæ; quia in diuinum honorem cedit facilis remissio debiti, de quo satis non constat. Sic Sanch. lib.8. de matrim. *c.*20. *n.*21. *& lib.*4. *sum.cap.*45.*n.*39.

Porrò ex materia voti sumuntur variæ causæ executioni voti obstantes, ac proinde sufficientes ad illius dispensationē.

12. Primò; si votum spectata communi hominum fragilitate, vel spirituali dispositione vouentis, occasio sit maioris ruinæ. Quia tunc in Dei honorem, & vouentis vtilitatem cedit dispensatio. Quapropter dispensari poterit votum nunquam peccandi mortaliter, non petendi debitum in coniugatis, ob periculum transgressionis, quod communiter adest. Et idem est si spectata vouentis fragilitate, imò malitia, frequentis violationis occasio fuerit; quia iam votum redditum est inutile. Sic Suar. *l.*6.*c.*17.*n.*9. Sanch. *l.*8. *de matrim. disput.*20. *n.*17. *& l.*4. *sum.c.*45. *nu.* 40. Layman *l.*4. *sum. tract.*4.*c.*8. *n.*5. Lessius *lib.*2.*c.*40.*dub.*17.*n.*120.

13. Secundò, si in voti executione grauem difficultatem, nec satis præuisam sentias. Nam esto insufficiens sit, vt voti obligatio cesset, sufficit tamen vt dispensatio concedatur. Tum quia executio voti non est satis voluntaria, tum quia benignitas Dei ostenditur remittendo promissionem sibi factam, ob difficultatem non præuisam, quam habet promittens in illius executione. Et præterea; quia regulariter cum graui difficultate exequendi votum, nec satis præuisa, coniunctum est periculum violandi illud. Sanch. *lib.*8. *de matrim. disp.*20.*n.*18. *&* 22. Suar. *c.*17.*n.*12.

14. Tertiò si dubium sit, votum esse impeditiuum maioris boni. Quia stante hoc dubio non satis constat, an votum illud gratum sit Deo, præstat ergo de medio tolli, tum ne honor diuinus incertus sit, tum vt conscientia vouentis secura reddatur. Suar. *c.*17.*n.*10. Sanchez *l.*8. *disp.*20. *num.*8. *& lib.*4. *summ.c.*45.*n.*36. *&* 37. Aduertit bene Sanchez maiorem illius boni impediti bonitatem spectandam esse, attenta voti materia non solum in se considerata, sed etiam voto affecta, quia vtraque bonitas ex voti obligatione sequitur. Alioquin votum non impediet maius bonum. Idem est dicendum, si ex dispensatione speraretur etiam sub dubio maior vtilitas vouentis; quia eo casu non est certum, votum vtile vouenti esse; potiùs enim creditur minùs vtile esse. Suar. & Sanch. *supra.*

15. Quartò si ex voto bonum commune Reipublicæ impediatur, præstat sufficientem causam dispensationi, quia videtur gratiùs Deo fore boni communis iacturam impedire, quam voti obligationē teneri. Vnde si matrimonium iudicetur expediens ad sedandos animos discordes, stabiliendāmque pacem alicuius Prouinciæ, vel ciuitatis poterit astrictus voto castitatis, vel religionis, dispensari, vt matrimonium ineat, & idem est de vouente ieiunium, quod publicam concionem, vel lectionem impediat. Suar. *l.*6. *c.*17. *n.*13. Sayro in Claui Regia *l.*6.*c.*12.*n.*29. Sanch. l.8. de matrim. *disp.*20.*n.*24. *& lib.*4. *sum.cap.*45.*num.*49. Layman. *lib.*4 *sum.tract.*4. *cap.*8. *num.*5.

16. Quintò, si votum cedat in damnum propriæ domus, vel familiæ, poterit dispensari. Quia bono familiæ prouidere, ad pietatem pertinet; esset que nimis dura, & grauis obligatio, si cum hac iactura conseruanda esset. Ex quo fit, si peregrinationem vouisti & times ex tua absentia graue damnum domui, vel familiæ obuenturum, poteris dispensari. Suar. & Sanch. *locis relatis.* Ob conseruandam verò illustrem familiam poterit votum religionis, vel castitatis dispensari admixta commutatione. Quia cedit in honorem Dei creditoris, hac benigna remissione vti, & in specialem Ecclesiæ honorem & protectionem, familiarum illustrium conseruatio. Sic Sanch. *l.* 8. *disp.*20.*n.*25. *& l.*4. *sum.cap.*45.*n.*51.

17. Aduertendum tamen est, ratò quamlibet ex supradictis causis sufficientem esse, vt integrè & absolutè voti dispensatio concedatur; sed oportere aliquam miscere commutationem præcipuè cùm votum graue est & perpetuum: quale est votum castitatis, religionis, peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, obsequij personalis in Xenodochio. Quò enim votum grauiùs est & excellentiùs; eo grauiorem causam ad sui relaxationem expostulat Suar. *lib.*6. *c.*17. *à n.* 14. Sanch. lib.8. de matrimonio *disp.*20. *à n.*28. & *lib.*4. *sum. c.*45. *n.*19. *&* 52. Layman *lib.*4. *tract.*4.*c.*8. *n.*5. Quod si aliqua causa arbitrio prudentis præsumatur sufficiens ad integram alicuius voti dispensationem; poterit securè concedi, quia credendum est Prælato vsum facultatis dispensandi concessum esse stante causa dubio legitima. Alias si certitudo expectanda esset, ratò vel nunquam dispensatio concedi posset, & omnia scrupulis paterent: cum vix sufficientia & certitudo causæ cognoscatur. Dispensatio verò subsistet; si subsistat causa sufficiens. Nunquam tamen dispensatio concedenda est vt bene notauit Sanch. *lib.*4.*c.*45. *n.*10. Quin dispensanti constet causam aliquam ad dispensandum adesse (esto non constet, an illa causa sit sufficiens) quia existentia causæ est fundamentum, cui facultas dispensandi innititur.

Deinde aduerto, stante causa legitima potest Superior dispensationem concedere, & aliquando tenetur, nempe si omnibus pensatis indicatur bono communi vel speciali dispensati grauiter expedire. Vt latiùs dixi *tract.* 3. *de legibus disp. vlt. punct.*8. §.2.*n.*10.

PVNCTVM X.

Qui potestatem habeant ordinariam dispensandi & in quæ vota?

SVMMARIVM.

1 *Omnes Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem potestatem habent dispensandi comparatione suorum subditorum.*
2 *A quo Episcopo vota nouitiorum dispensanda sunt?*
3 *An à Prælato regulari? Negant aliqui. Probabilius oppositum.*
4 *Satisfit contrariis.*
5 *Quæ vota sint Pontifici reseruata.*
6 *Alia à reseruatione excluduntur.*

1. OMnes Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes comparatione suorum subditorum potestatem habent dispensandi in omnibus votis nisi aliqua sint specialiter reseruata. Conclusio ab omnibus admittitur. Quocirca non solum Pontifex, sed Episcopus, Archiepiscopus, Legatus à latere in sua Prouincia Summi Pontificis Pœnitentiarius, capitulum sede vacante, Prælati regulares exempti. Abbates habentes propriam Diœcesim potestatem ordinariam habent dispensandi in omnibus votis, quæ reseruata non sint. Quia id rectæ Ecclesiæ gubernationi conuenit, Parochus autem nullomodo hanc habet potestatem; quia iurisdictione in foro externo ad dispensandum requisita non gaudet. Et licet in legibus ieiuniorum, & festorum dispensare possit, cum Episcopus abest; id ex recepta consuetudine habetur, quæ tamen non est circa votorum dispensationem. Videt Suar. *l.*6. *de voto c.*10. *per totum*, Sanch. *lib.*4. *sum.c.*38.

Dixi comparatione suorum subditorum, quia dispensatio est iurisdictionis exercitium. Quia autem sint subditi comparatione Episcopi, & Archiepiscopi, & in quos tam sæculares quam religiosos potestatem dispensandi exercere Episcopus possit. Latè dixi *tractat.*3. *de legibus disp. vlt. de dispensatione punct.*7. *per totum.*

2. Solum de nouitiis omisimus dicendum à quo Prælato dispensari possint an ab Episcopo an à Prælato regulari? Communis sententia defendit posse ab Episcopo; siquidem ab eius iurisdictione non sunt plenè exempti, cum religiosi non sint; submitti ergo ei possunt in votorum dispensatione. Sic Suar. *lib.*6. *de voto c.*11. *n.*9. Henriquez lib.7. de indulgent. *c.*22. *n.*7. Bonacin. *disp.*4. *q.*2. *punct.*7. *n.*28. Sanch. *lib.*4. *summ. c.*39. *n.*18. Sed dubium est; à quo Episcopo, an ab Episcopo antiquæ Diœcesis, vel ab Episcopo illius Diœcesis, in qua de præsenti resident, si fortè diuersa sit? Et probabiliùs existimo ab hoc Episcopo dispensandos esse, non solum quia probabile est per habitationem transeuntem aliquale domicilium, & subiectionem aquiri in ordine ad absolutionem & dispensationem. Sed quia credo nouitios ingredientes religionem verum & proprium domicilium acquirere, & antiquum relinquere, quia ingrediuntur animo & voluntate ibi perpetuò manendi quantum est ex parte sua, cui non obstat intentio exeundi, si fortè sibi religio displiceat, sicuti non obstat eligenti domum aliquam ad habitandum intentio deferendi illam, si incommoda reperiatur, vel alia commodior occurrat. Sic relatis plurib⁹ tradit Sanch. *lib.*4. *de voto c.*93. *n.*20. Bonac. *supra.*

3. De Prælato regulari plures grauésque Doctores censent non habere potestatem ordinariam ad dispensandum in votis nouitiorum, eò quod nouitij non videantur subiici religionum Prælatis, nisi quatenùs necessarium fuerit vt ipsi religionem experiantur & religio ipsos. Quia alia subiectio necessaria non est, neque est vnde oriatur. Sed ad supradictum finem non est necessaria potestas absoluta dispensandi in votis non præiudicantibus supradicto experimento. Ergo Prælatus regularis non habet hanc potestatem. Et confirmari potest; quia non habet potestatem dimissorias concedendi ad ordines vt pluribus relatis docet Barbosa 2.*p. de potest. Episcop.*

alleg.3.n.8.& alleg.4.n.62. Ergo neque habet poteſtatem diſpenſandi;quia vtraque poteſtas iuriſdictionem requirit. Deinde hanc poteſtatem habent Epiſcopi vt dictum eſt. Ergo carent illa Prælati regulares vtpote non neceſſaria, & quia non videtur nouitium duplicem Prælatum ordinarium habere poſſe. Sic docent Azor. *1.p.l.11.c.19.q.21.* Sayro in Claui Regia *lib.6.c.11.n.92.* Suar.lib.6. de voto *c.11.n.9.*

Cæterum probabiliùs credo, poſſe Prælatum regularem cum nouitiis ſicuti cum profeſſis in votis diſpenſare antea commutare. Sic Angel. in ſumma verbo *Diſpenſation.* 8. & Sylueſt.*ibi q.*14.*dicto* 1. Henriquez lib. 7. de indulgent. *c.* 22. *n.*7. Manuel Rodriguez *tom.*1. *q. regular. qu.* 25. *art.* 8. & in ſumma *tom.*2.*c.*89. *n.vltimo* indicat Leſſius *lib.*2.*c.*40.*dub.*18. *n.*133.*in* 2.*edit.* Quos refert & ſequitur Thomas Sanchez *lib.* 4.*ſum.c.*39.*n.*17. Bonac.*diſp.*4.*q.*2.*p.*7.*n.*27. Ratio eſt,quia Prælati regulares exempti eſto in nouitios poteſtatem non habeant dominatiuam, habent tamen poteſtatem iuriſdictionis ad integrè illos in ſuis actionibus regendos, & eorum exceſſus puniendos, vt conſtat ex vſu, & praxi religionum,.& ex pluribus Doctoribus relatis à Sanch. *d.c.*39.*n.*17. Sed poteſtas diſpenſandi in hac iuriſdictione fundatur. Ergo.

4. Neque obſtat ratio contraria. Admitto enim non eſſe neceſſarium Prælatis plenam & integram iuriſdictionem habere in nouitios, at eſſe conuenientem, vt ſic perfectiùs regi poſſint, quæ iuriſdictio in fauorem religionis ex conceſſione Pontificis prouenit: Ad Confirmationem concedo, Prælatum regularem non poſſe dimiſſorias nouitio concedere, ſed Epiſcopum illius Diœceſis, in qua eſt conuentus. Quia ex dimiſſoriarum conceſſione arctatur Prælatus prouidere, ordinando neceſſaria quam obligationem habere Prælatum regularem comparatione nouitij religionem deſerentis, non expediebat. Item nouitius facilè poteſt à religione exire, & Epiſcopo ſubiici; præſtat ergo ex Epiſcopi licentia ſtatum Eccleſiaſticum aſſumere. Hæ tamen rationes non procedunt in diſpenſatione votorum, vt manifeſtum eſt. Poteſt ergo negari Prælatis regularibus poteſtas concedendi dimiſſorias, admiſſa poteſtate diſpenſandi. Ad ſecund. confirmationem Epiſcopum non habere hanc poteſtatem diſpenſandi cum nouitiis, niſi ipſi ei ſpecialiter ſubiici velint. Facta autem ſubiectione voluntaria poteſt. Neque inconueniens eſt à pluribus poſſe nouitium beneficium diſpenſationis accipere,cum id in eius vtilitatem cedat,& in fauorem religionis.

5. Porrò dixi ſupradictos Prælatos habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, poſſe diſpenſare in omnibus votis, quæ non fuerint ſpecialiter reſeruata. Sunt autem ſpecialiter reſeruata Pontifici quinque vota, nempe caſtitatis, religionis,& peregrinationis,in terram ſanctam *cap. ex multa cap. ſuper his de voto.* Item votum peregrinationis ad S. Iacobum in Compoſtella, & ad ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum in Vrbe. Colligitur ex extrauagant. Sixti I V. *Etſi dominici. e.*2. *de pœnitent. & remiſſion.* quatenùs prohibet prædictorum votorum abſolutionem fieri alia via, quam ex ſpeciali licentia Summi Pontificis. Et licet in *c. ex multa c. ſuper his de voto,* ſolum votum peregrinationis vltramarinæ in ſubſidium terræ ſanctæ, reſeruatum fuerit, ob cuius cauſam non deſunt graues Doctores,qui cenſeant huius tantum peregrinationis votum reſeruatum eſſe, & non votum pergrinationis vltramarinæ, Compoſtellanæ & Romanæ cauſa deuotionis, vt videri poteſt in Gloſſ. *d.cap.ex multa,verbo incumbit.* Panormitanus *n.*4. Angelus verbo *votum* 4. *n.* 6. Emanuel Sà *eodem n.*11.& verbo *Iuramentum, n.* 33. Graffis *1.p.deciſionum lib.*2.*c.*31.*n.*21.*& aliis.* At conſuetudine introductum eſt, & ſatis in *ſupradicta extrauaganti, Etſi dominici*, explicatum, comprehendi votum illarum trium peregrinationum deuotionis cauſa. Siquidem in dicta extrauagant. nulla fuit facta mentio ſubſidij, neque videtur illi dari locum in peregrinatione Romana,& Compoſtellana; quippe ſunt loca à Catholicis pacificè poſſeſſa. Sic pluribus relatis firmat Sanch. *lib.*4. *ſum.c.*40. *n.*6. conſentit Leſſius *lib.*2. *c.*40. *dub.*18. *nu.*122.*in* 2.*edit.* Suar.lib.6. de voto *c.*21.*à n.*2.*& ſequent.* Baſilius Legion. lib.8.de matrimon.*c.*8.*nu.*4. Layman *lib.*4.*ſum.tract.*4. *c.*8.*num.*7.

Aliqua alia ſunt vota ſupradictis affinia, quæ minùs bene ab aliquibus Doctoribus pronuntiantur reſeruata;nempe votum conuertendi debita incerta in ſubſidium terræ ſanctæ; votum aſſumendi crucem, in qualibet expeditione, quam Pontifex fecerit;votum peregrinationis Lauretanę. Hæc enim nullo iure aut conſuetudine conſtat reſeruata eſſe. Suarez *lib.6.de voto,c.*21.*nu.* 12. *& ſequentibus* Sanchez *lib.*4.*ſumm. c.*40.*n.*8. Baſilius Legion.lib. 8. de matrimonio *c.*8.§.1.*nu.*6. Dicendum ergo eſt ſola quinque vota,caſtitatis religionis,& peregrinationis,Hieroſolimitanæ,Romanæ, & Compoſtellanæ reſeruata eſſe.

PVNCTVM XI.

Quæ vota caſtitatis, religionis & peregrinationis reſeruata ſint, expenditur?

SVMMARIVM.

1 *Vota diminuta caſtitatis non ſunt reſeruata.*
2 *Votum religionis non approbatæ reſeruatum non eſt.*
3 *Votum peregrinationis Hieroſolamitanæ emiſſum ob alium finem,quam deuotionis,reſeruatum non eſt.*
4 *Votum caſtitatis,religionis, & peregrinationis emiſſum ſub aliqua circunſtantia accidentali, ea ex parte reſeruatum non eſt.*
5 *Votum,in quod reſeruatum eſt commutatum, reſeruatum non eſt.*
6 *Votum diſiunctum de materia reſeruata & non reſeruata, reſeruatum non eſt.*
7 *Non eſt reſeruatum votum non petendi diſpenſationem.*

1 VOtorum reſeruatio odioſa eſt, quippe quæ poteſtatem ordinariam reſtringit, & diminuit;ea de cauſa ſtrictè interpretanda eſt, & intelligenda de voto abſoluto, & perfecto caſtitatis, religionis, & peregrinationis. Sic tradunt vniuerſi Doctores in ſequentibus referendi. Ex quo deducitur primò; votum non contrahendi matrimonium, non fornicandi,non polluendi, non tangendi turpiter mulierem, non petendi debitum in coniugatis, reſeruatum non eſſe; quia eſt votum diminutæ caſtitatis, non integræ, & perfectæ. Simile eſt de voto caſtitatis, pro determinato tempore; ſiquidem eo tranſacto liber exiſtis. Sanchez lib.8. de matrimon.*diſp.*9. *à n.*6.*& lib.*4.*ſumm.c.*40.*à n.*41. Suarez lib. 9. de voto *c.* 21. At idem eſt votum aſſumendi ordines ſacros; quia non eſt votum caſtitatis promiſſæ, ſed promittendæ, ſicuti ſi voueres emiſſurum caſtitatis votum, dici non potes, te votum caſtitatis emiſſe. Sic Azor 1. *parte lib.*11. *cap.*19.*q.*9. Sayro in Claui Regia *lib.*6. *c.*11. *n.* 60. Suar. *lib.* 6. *c.*11. *n.* 7. & *c.*24.*n.*2. Leſſius *lib.*2.*c.*40.*dub.*18. *n.*123. Laym.*lib.*4.*ſum.tract.*5.*c.*8.*n.* 8.*Auguſt.* Barboſa 2.*p.allegat.*37.*nu.*19.

2. Secundò deducitur, votum religionis non approbatæ, reſeruatum non eſſe; ac proinde à Prælatis habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, diſpenſari poſſe; quia verè non eſt votum religionis. Sic Leſſius *dub.* 18. *n.* 123. Suar. *cap.*21.*n.*8. Sayro lib.6. in Claui Regia *c.*11.*n.*64.Sanch.lib.8. de matrimonin *diſp.*9.*n.*5.*&lib.*4.*ſum,c.*40.*n.*71. Baſilius Legionenſis *lib.*8.*de matrimonio cap.*8. *nu.* 22. Idem eſt de voto paupertatis,& obedientiæ extra religioſum ſtatum; quia nec ſtatum conſtituunt,nec ſunt vota religioſi ſtatus aſſumendi. Leſſius *d.dub.*18. *n.*123. Suar. *c.*21.*n.*8.& 9. Sanch. aliis relatis *c.*40.*n.*72.

3. Tertiò deducitur, votum peregrinationis Hieroſolymitanæ,Compoſtellanæ,& Romanæ, emiſſum ob alium expreſſum finem,quam deuotionis ſupradictorum locorum, reſeruatum non eſſe. Quia ſupradicta *extrauagans, etſi dominici*, non cuiuſlibet peregrinationis votum reſeruat, ſed conceptum ex deuotione illorum locorum.Sanch. *c.*40. *n.*77. Baſilius Legion. *reputat probabile,lib.*8 *de matrim.c.*8.§.2.*n.*17.

4. Quartò deducitur, votum caſtitatis,religionis, & peregrinationis, emiſſum ſub aliqua circunſtantia accidentali, reſeruatum non eſſe qua parte illam circunſtantiam ſpectat, Quia ſecluſa illa circunſtantia in integrum manet votum reſeruatum. Vnde ſi voueas ingredi religionem ſtrictorem, poterit Prælatus tecum diſpenſare, vt laxiorem ingrediaris; quia non diſpenſat in religionis voto; hoc enim integrum manet, ſed in illius circunſtantia. Sic Nauarr. *lib.*3. *conſ.*41. *de voto in* 2.*edit.* Azor.1.*p.lib.*11.*c.*18. *q.*8. Leſſius *lib.*2. *c.* 40. *dub.*18.*n.*124. Sanch. *lib.*8. *diſp.* 9. *n.* 17. *& lib.*4. *ſumm.c.*40. *n.*74.Idem eſt de voto perſeuerandi in religione. Quia non eſt votum religionis. Et idem de voto exequendi ſtatim votum religionis; quia eſt votum diſtinctum à voto religionis, Sanch.*diſp.*9.*n.*18.*&* 19.*& c.*40.*n.*75. *&* 76. Baſilius Legion. *lib.*8.*c.*8.*n.*27. At idem eſt votum peregrinandi pedibus, vel mendicando, quia ſublata hac circunſtantia intactum remanere poteſt votum reſeruatum. Sanch. *d. c.*40. *n.*78.Baſil.*c.*8. *num.*23.

5. Quintò deducitur non eſſe reſeruatum ſed potiùs diſpenſari poſſe votum illud, in quo reſeruatum commutatum eſt. Vt ſi Pontifex votum religionis in eleemoſynam, ieiunium,aliúdve opus pœnale commutarer.Quia facta commutatione votum de materia reſeruata extinctum eſt,& loco illius ſubrogatum eſt votum de materia non reſeruata, Emanuel Sà verbo *votum n.vlt.*Leſſius *lib.*2. *c.* 40. *dub.* 18. *n.*124, Sanch.lib.8.de matrimonio *diſp.*9. *n.*20. & lib.4. ſumm.*c.*40. *n.*36. Suarez *lib.*6. *cap.*20. *n.*15. Baſilius lib.8. de matrimonio

*cap.*8.

c. 8 §. 1. *n.* 24. Layman. lib. 4. ſumm. *tract.* 4. *c.* 8. *num.* 13. & alij apud ipſos. Neque obſtat regula iuris *ſubrogatum ſapere naturam eius*, cuius loco ſubrogatur, *l. vnica. C. de rei vxoria actione.* Et colligitur ex *c. Eccleſia* 1. *vt lite pendente.* Quia id intelligi debet in fauorabilibus, non in odioſis. Item in iis, quæ pertinent per ſe & intrinſecè ad ſubrogationem, non in iis, quæ ſubrogationi accidentalia ſunt, qualis eſt reſeruatio, quæ ex libera reſeruantis voluntate pendet. Item ſubrogatum ſapit naturam primæuam illius, cuius loco ſubrogatur; non autem accidens illius. Cum autem ſecundum naturam primæuam illud votum, cuius loco alterum ſubrogatur, reſeruatum non fuerit ſed ſub poteſtate cuiuſlibet Prælati contineretur; efficitur ſubrogatum reſeruatum non eſſe. Neque item obſtat Pontificem tranferre vinculum prioris voti reſeruati in materiam de ſe non reſeruatam, vt inde inferas manere reſeruatum illud votum non per ſe, ſed per accidens ex tranſlatione. Tum quia non reſeruatur vinculum prioris voti per ſe, ſed ratione materiæ. Tum quia de facto eſt aliud nouum vinculum, nouumque votum. Tum quia Pontifex hanc commutationem permittit in fauorem vouentis, non tamen reſeruat votum commutatione ſuccedens.

6. Sextò deducitur, reſeruatum non eſſe votum diſiunctum de materia reſeruata, & non reſeruata, vt ſi voueas religionem, vel tertio quoque die ieiunare. Quia cum liber ſis ad eligendum materiam non reſeruatam ſcilicet ieiunium, abſolutè tale votum reſeruatum non eſt. Azor. 1. *p. lib.* 11. *c.* 19. *q.* 10. Suar. *lib.* 6. *c.* 24. *n.* 4. Sanch. *lib.* 8. *diſp.* 9. *n.* 14. *& lib.* 4. *ſum. cap.* 40. *n.* 42. Leſſius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 18. *n.* 124. *in* 2. *edit.* Sayro lib. 7. in Claui Regia *c.* 11. *n.* 62. Layman. lib. 4. ſum. *tract.* 4. *c.* 8. *num.* 12. Quod verum eſt, tametſi proceſſu temporis pars non reſeruata impoſſibilis fiat; quia eſto ad partem reſeruatam eo caſu determinare obligeris; id non prouenit ex voto per ſe; quia nunquam fuit illud votum ex tua intentione determinatum ad partem reſeruatam. Sed prouenit ex impoſſibilitate per accidens contingente partis non reſeruatæ. Suar. *lib.* 6. *c.* 24. *n.* 4. *&* 5. Sanch. *c.* 40. *n.* 44. Layman. *cap.* 8. *n.* 12. Secùs verò eſt, ſi partem illam reſeruatam tua intentione determinares; ita vt ab ea determinatione reſilire non poſſes, quod cum non ſolo propoſito, ſed nouo voto faciendum ſit, quo ſcilicet te obliges ad partem reſeruatam exequendam, neceſſariò tale votum reſeruatum erit Suar. Sanch. Layman. *ſupra.*

Septimò deducitur, non eſſe reſeruatum votum non petendi diſpenſationem voti, ab alio quam à ſummo Pontifice. Quia non eſt votum de materia reſeruata. Sic Suar. *lib.* 6. *c.* 21. *n.* 15. Sanch. *lib.* 4. *cap.* 40. *n.* 13. Baſilius Legionenſis lib. 8. de matrimonio *c.* 8. *n.* 6. *fine.* Auguſtinus Barboſa de poteſtate Epiſcopi 2. *p. allegat.* 37. *num.* 20.

PVNCTVM XII.

An ſint aliqui caſus, in quibus Prælati inferiores poſſint diſpenſare in votis reſeruatis.

SVMMARIVM.

1. *Nulli Prælato eſt facultas conceſſa in his votis diſpenſandi.*
2. *Si materia voti leuis ſit, poterit inferior Prælatus diſpenſare, & qualiter hoc ſit intelligendum.*
3. *Ex occaſione frequenter occurrenti diſpenſandi non colligitur Prælatos inferiores habere poteſtatem.*
4. *Quando vrget neceſſitas extraordinaria diſpenſationis, neque patet aditus ad Pontificem, poſſunt Prælati inferiores.*
5. *Si patet aditus ad priuilegiatum, non poſſunt.*
6. *Hæc diſpenſatio ſolum concedenda eſt quatenùs neceſſitas poſtulat, & non ampliùs.*
7. *Prælati regulares non habent poteſtatem ob caſum vrgentis neceſſitatis.*
8. *Cum dubium eſt, an votum ſit reſeruatum habent Prælati inferiores Pontifice poteſtatem diſpenſandi.*
9. *Ex vi conſuetudinis poſſunt in petitione debiti cum coniugatis Epiſcopi diſpenſare.*
10. *Quid de mentibus votum religionis vel caſtitatis ante vel poſt contractum matrimonium.*
11. *Votum emiſſum ex metu poteſt ab his Prælatis diſpenſari.*
12. *Item vota hæc emiſſa ab omnibus dominatiua poteſtati ſubiectis. Affirmant aliqui ſubiici ordinariæ poteſtati diſpenſandi. Sed non placet.*
13. *Poſſunt tamen ſi vota fuerint conditionalia ante completam conditionem.*
14. *Qui poſt impletam conditionem, proponuntur variæ ſententiæ.*
15. *Poſſe diſpenſari vt probabiliùs eligitur.*
16. *Satis fit contrariis.*
17. *Debent eſſe vota verè conditionalia non abſoluta.*

1. HVcuſque explicuimus vota affinia materiæ reſeruatæ; reſtat dicendum, an ſint aliqui caſus, in quibus vota materiæ reſeruatæ diſpenſari à Prælatis inferioribus poſſint.

Loquens de diſpenſatione legis *tract.* 3. *diſp. vlt. punct.* 4. Plures caſus enumeraui, in quibus inferior poteſt in Superiorum legibus diſpenſare. Videndum ergo eſt, an in votis locum habeant.

Primus eſt, ſi habentibus dignitatem conceſſa fuerit à Pontifice facultas ſuper his votis diſpenſandi. Sed hic caſus in præſenti locum non habet: nullibi enim eſt facultas diſpenſandi in his votis conceſſa aliis præter Romanum pontificem etiam legato à latere. Nam ipſe ſolum diſpenſare poteſt Epiſc. Sanch. lib. 8. de matrimon. *diſp.* 9. *n.* 15. *& lib.* 4. *ſumm. c.* 40. *n.* 14. Omitto delegatam facultatem de qua in puncto ſequenti.

2. Secundus eſt, ſi materia voti leuis ſit, quod in præſenti locum habere non poteſt, niſi vouens voluerit ad ſolam venialem culpam ſe obligare. Ea autem intentione poſita credo votum illud diſpenſari à Prælato poſſe. Quia reſeruatio cum odioſa ſit, intelligi debet de voto integrè & perfectè facto & ex intentione proportionata materiæ reſeruatæ. Sanchez. lib. 4. de voto *cap.* 40. *n.* 47.

3. Tertius eſt, ſi caſus expoſtulantes diſpenſationem frequentes ſint; quia non eſt credendum velle Pontificem ſibi diſpenſationem reſeruare. Quia eſſet nimis durum, & contra bonum Eccleſiæ regimen. Sed hic caſus ſolum habet locũ in legibus ieiuniorum, & feſtorũ & ſimiliũ. Quia frequenter occurrit neceſſitas abſtinendi ab eatũ obſeruatione; ſed nõ ſic inuenitur in votis reſeruatis. Alias reſeruata non eſſent. Suar. *l.* 6. *c.* 26. *n.* 7. Sanch. *lib.* 4 *ſumm. c.* 40. *n.* 29. Quartus loquens de diſpenſatione legum quæ cõmunes non ſunt aliis Prouinciis locum nullatione habet in votis reſeruatis; cum reſeruatio horum votorũ cõmunis ſit & omnes Prælatos Pontifice inferiores aſtringat.

Quintus & præcipuus eſt in extraordinario aliquo euentu quando ſcilicet vrget grauis neceſſitas diſpenſationis, neque Pontificis reſponſũ aut qui illius vices habet expectari poteſt: abſq; graui periculo ſpiritualis ſalutis. Credendum namque eſt in hoc caſu nolle Pontificem ſibi diſpenſationem reſeruare, ſed potiùs Prælatis inferioribus concedere. Quia id rectæ gubernationi conuenit. Sic vltra Doctores ibi relatos docent loquentes de voto Leſſius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 18. *n.* 126. *&* 127. Suar. *lib.* 6. *c.* 16. *n.* 9. *& ſequentibus.* Sanch. lib. 4. de voto *c.* 40. *n.* 44. Baſilius lib. 8. de diſpenſat. *c.* 9. *n.* 1. Laym. lib. 4. ſumm. *tract.* 4. *c.* 8. *n.* 16. Auguſt. Barboſa 2. *p. alleg.* 37. *n.* 8. *& alij apud ipſos.* Quod non ſolum habet verum, quando eſt graue periculum ſpiritualis ſalutis. ſcilicet violationis voti ſi differatur diſpenſatio; ſed etiam quando timetur ſcandalum in fama, aliquidve graue dãnũ ex dilata diſpenſatione, vt ſi adſtrictus voto caſtitatis vel religionis violaſſes virginem, & ad reparationem hono. is illius matrimonium neceſſarium eſſet, timeréſque à cognatis tuis impediendum, ſi diſpenſatio Pontificia expectaretur; poteſt tuus Prælatus diſpenſare. Idem ſi morti proximum oportet matrimonium inire ad legitimandum prolem Baſilius, Leſſius, Layman, Suarez, & Sanchez *locis allegatis.*

5. Notanter dixi poſſe inferiores Prælatos in his caſibus vrgentibus diſpenſare, dummodo abſque graui damno expectari non poſſit Pontificis reſponſum, aut qui illius vices habet. Nam ſi aliquis ſit, qui ex ſpeciali commiſſione ſeu priuilegio, hæc vota diſpenſare poſſit (eſto Henriquez lib. 6. de pœnitentia *c.* 10. *n.* 1. & lib. 2. de matrimonio *c.* 3. *n.* 1. Auila de cenſu 2. *p. c.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 6. *notab.* 4. *& alij.* Doctores ſentiant adhuc poſſe inferiores Prælatos diſpenſare. Quia commiſſio illa accidentalis non videtur poſſe impedire poteſtatem ordinariam Prælatis inferioribus competentem, quæ eſt diſpenſare in caſu, in quo pontifex adiri non poteſt quia pro illo caſu non eſt eorum poteſtas limitata ſed ſuæ naturæ relicta.) Tamen veriùs eſt diſpenſare non poſſe. Quia ceſſat neceſſitas obtinendi à Prælatis inferioribus diſpenſationem; ſiquidem à pontifice ſeu illius vices habente impetrari poteſt. Sanch aliis relatis *lib.* 2. *de* matrimonio *diſp.* 40. *n.* 8. & lib. 4. in Decal. *c.* 40. *n.* 18. Nauarr. *c.* 27. *n.* 90. Leſſius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 18. *n.* 126. *&* 127. *in* 2. *edit.* Suar. lib. 4. de voto *c.* 26. *n.* 15. Layman. *lib.* 4. *ſum. tract.* 4. *c.* 8. *n.* 17. Baſilius Legion lib. 8. de matrimonio *cap* 9. *num.* 1.

6. Duo ſunt circa huiuſmodi caſum obſeruanda: Primùm diſpenſationem concedendam eſſe quatenùs neceſſitas poſtulat & non ampliùs. Siquidem ſola neceſſitas facultatem concedit. Quapropter ſi cum à ſtricto voto caſtitatis diſpenſetur vt matrimonium ineat, non diſpenſatur cum illo, vt non peccet aduerſus votum ſi cum alia fornicetur, aut ſe polluat. Quia id neceſſariũ non eſt. Sic Suar. *c.* 26. *n.* 13. *&* 14. Sanch. *lib.* 8. *diſp.* 9. *n.* 26. *& lib.* 4 *ſum. c.* 40. *n.* 40. Layman. *c.* 8. *n.* 17. Auguſt. Barboſa de poteſtate Epiſcopi 2. *part. allegat.* 17. *n.* 23. Baſilius *lib.* 8. *c.* 9. *n.* 1. Vnde ſi differendo executionem voti ſatisfieri neceſſitati poteſt, vt frequenter contingit in voto religionis, & frequentiùs in voto peregrinationis, non poterunt Prælati inferiores diſpenſationem in voto concedere. Quia ceſſat neceſſi-

tas dispensandi. Suar. *lib. 6. cap. 26. n. 10.* Sanch. *l. 4. sum. ca. 40. n. 37.* Laym. *l. 4. tract. 4. c. 8. n. 16.* Basil. Legion. l. 8. *c. 9. n. 1.*

7 Secundò aduerto regulares mendicantes & reliquos, quibus comparatione sæcularium concessa est facultas, vota Episcopalia dispensandi; vel commutandi dispensare vel commutare nullatenùs posse vota reseruata in casu necessitatis vrgentis. Quia illa vota non desinunt esse reseruata, eo quòd Episcopi competant in casu vrgentis necessitatis, ex benigna Pontificis interpretatione; sicut non desinunt esse casus reseruati; eo quod in articulo mortis eorum absolutio concedatur. At his regularibus solum conceduntur vota, quæ iure ordinario sunt Episcopalia, & non reseruata; secùs quæ extraordinario iure per accidens Episcopis competunt, & vere reseruata sciunt. Ergo &c. Sic Ludouicus Miran. *tom. 1. man.* Prælator. *q. 48. n. 4.* Rodrig. *tom. 1. q. regul. q. 63. a. 3. & 6.* Sanch. lib. 8. de matrim. *disp. 40. n. 9. & c. 43. n. 7.* Suar. *c. 26. n. 16.* Layman. *c. 8. n. 17. in fine* Augustˉ. Barbosa 2. p. de potestate Episcopi *allegat. 37. n. 14.* Basilius Legionensis lib. 8. de matrim. *c. 10. n. 11.*

8. Sextus, cum dubium est; an votum sit reseruatum, iure sit dubium iuris siue facti. Nam credendum est, reseruatum non esse. Reseruatio enim strictè interpretanda est; ac proinde ad solos casus certos extendenda. Sanchez *lib. 8. de matrim. c. 40. n. 26.* Suar. *c. 26. n. 6.* Basilius Legionensis lib. 8. de matrim. *c. 9. n. 14. & 16.* Layman, lib. 4. *tract. 4. c. 8. n. 14.*

9. Septimus; si consuetudine fuerit præscriptum, posse inferiores Prælatos in his votis reseruatis dispensare. Nam consuetudo sicut constituere legem, ita abrogare constitutam potest, *c. finali, de consuetudine*, Quod si roges, quibus euentibus Prælati inferiores, vi consuetudinis obtinuerint facultatem dispensandi in his votis. Breuiter respondeo, eam obtinere comparatione coniugum, qui fuerint voto castitatis obstricti, vt possint eo non obstante petere debitum ob periculum incontinentiæ quod habent, manente voto firmo quoad omnia alia. Sic pluribus relatis docet Sanchez *lib. 8. de matrim. c. 12. n. 4.* Lessius *lib. 2. c. 40. dub. 18. n. 125.* Basilius Legion. lib. 8. de matrim. *c. 9. à n. 2.*

10. Pro cuius intelligentia, sciendum est votum castitatis emitti posse ante contractum matrimonium, vel alio contracto. Si ante contractum matrimonium emiseris votum; nulla adest in Prælatis inferioribus consuetudo, vt dispensare possint ad contrahendum, nisi grauis necessitas vrgeat, grauiáque mala immineant, ex dilatione dispensationis Pontificiæ. Constat ex nuper dictis. Quod si voto non obstante matrimonium contraxeris, & consummaueris; poterit Episcopus tecum dispensare vt petas, ob periculum incontinentiæ frequenter contingens ex mutua cum altero coniuge cohabitatione; idémque existimo dicendum, esto matrimonium non consummaueris. Quia cum satis probabile sit, te non esse obligatum ad seruandam castitatem promissam, ingredi religionem, vtpote rem longè difficiliorem; neque in voto castitatis inclusam, necessariò idem periculum incontinentiæ adest, eadémque occasio dispensandi. Basilius Legion. *lib. 8. c. 9. n. 4.* Sanch. *lib. 8. disp. 12. n. 4. & 6.* Lessius *lib. 2. c. 40. dub. 18. n. 125.* Si verò post contractum matrimonium votum emiseris, subdistinguendum est, si fuit absque licentia coniugis, cedentis iure petendi, clarum est posse Prælatos inferiores dispensare; quia illud votum est castitatis partialis, non totalis & integræ; quia non est votum de non reddendo debitum, si petatur. At si ex licentia coniugis cedentis iuri petendi emiseris, & idem est cum mutuo consensu castitas promissa est. (esto Basilius *d. c. 9. n. 2. & 3.* censeat posse à Prælatis inferioribus dispensari, quod aliis relatis reputat probabile Lessius *d. dub. 18. n. 126.* Ob periculum incontinentiæ) veriùs probabiliùs censeo cum eodem Lessio *supra* Layman. *lib. 4. sum. tract. 4. c. 8. n. 15.* & Sanch. *disp. 11. n. 10. & sequent.* nullatenus posse. Quia facta hac cessione non teneris, imò nec potes cum altero coniuge conhabitare. Cessat ergo incontinentiæ periculum ex mutua coniugum cohabitatione prouenies. Quod si coniuges; hanc renunciationem iuris sibi mutuo remiserint, quod diximus fieri posse validè, tametsi illicitè, poterunt Prælati inferiores in petitione debiti dispensare: quia moraliter adest periculum petendi, obligatione reddendi posita. Sanchez *disp. 11. n. 15.* Lessius *n. 126.* Basil. Legion. *c. 9. n. 2.*

11. Vltra supradictos casus, alij assignantur à Doctoribus, in quibus Prælati inferiores videntur posse in votis reseruatis dispensare. Primus & in ordine octauus est; cum votum emittitur ex metu ad extorquendum votum iniustè incusso (esto metus leuis sit) qui secundum nostram sententiam non obest valori voti, professione excepta. Quia non est censendus Pontifex tale votum, vtpote coactum reseruare; ne videatur iniuriantis iniquitati fauere. Item sub dubio, & fortè sub communiori opinione positum est, votum illud non esse verum votum. At reseruatio cum odiosa sit semper casus certos expostulat. Ergo, &c. Sic Nauarr. *c. 12. n. 69.* Lessius *lib. 2. c. 40. dub. 18. n. 127.* Suar. lib. 6. de voto *c. 26. n. 5.* Sanch. *lib. 4. c. 40. n. 30.* Basil. Legion. *lib. 8. c. 9. n. 15.* Layman. lib. 4. sum. *tract. 4. c. 8. num. 11.*

12. Nonus, si vota hæc reseruata emittuntur ab hominibus dominatiuæ potestati subiectis, censet Gutierr. aliis relatis *lib. 2. canonicarum quæst. c. 22. n. 49.* posse ab inferioribus Prælati dispensari; quia cum facilè solui possint irritatione, non est credendum Pontificem, eorum dispensationem sibi reseruare voluisse. Cæterum hic casus communiter à Doctoribus reprobatur. Quia nullo firmo fundamento nititur: potestas enim dispensandi, diuersa est à potestate irritandi. Ergo ex eo quod illa vota irritari possint non infertur posse dispensari. Sic Sanch. lib. 8. de matrim. *disp. 9. n. 4.* & lib. 4. sum. *c. 40. n. 28.* Suar. lib. 6. de voto *c. 26. n. 3.*

13. Decimus est; si vota fuerint conditionalia. Nam cum consensus in hæc vota non fuerit perfectus, non videtur reseruatione, quæ stricti iuris est, comprehendi. Cæterum vt hic casus clarè constet; aduerte vota conditionalia alia esse purè conditionalia, alia conditionalia pœnalia. De cuius distinctione diximus *disp. præcedenti punct. 10.* Deinde conditionalia sumi posse ante impletam conditionem, vel post illam impletam. Et quidem si ante impletam conditionem vota conditionalia sumantur, reseruationi non subsunt. Sic ex communi sententia docet Sanch. l. 8. de matrim. *disp. 10. n. 7. & 8.* & lib. 4. summ. *c. 40. n. 91.* Lessius *lib. 2. c. 40. dub. 18. n. 130. casu 6.* Suar. *lib. 6. de voto c. 22. n. 3.* Basil. Legion. *lib. 8. c. 9. n. 7. & 10.* Layman. *lib. 4. sum. tract. 4. c. 8. n. 10.* Contra Nauarr. *sum. cap. 12. n. 43.* & Augustˉ. Barbosa 2. p. de potestate Episcopi, *alleg. 37. n. 5. & 6.* Ratio est: quia votum castitatis, vel religionis sub aliqua conditione de futuro contingenti, non obligat ad castitatem, vel religionem ante completam conditionem, sed solum obligat in euentu conditionis; ergo non subest reseruationi ante conditionis euentum. Quia reseruatio vtpote odiosa & restringenda, debet esse de obligatione perfecta & consummata. Qualis non est supradicta obligatio.

14. Post impletam conditionem variant Doctores. Plures censent reseruata esse, tam purè conditionalia, quam pœnalia. Sic Sotus lib. 7. de iustitia *q. 2. art. 1. ad 4.* Couarruu. de pactis 1. *p.* §. 13. *numer. 12.* Gutierr. canonicarum quæstionum *lib. 2. capit. 22. numer. 50. & 51.* Azor. 1. *p. lib. 11. cap. 10. quæst. 3. & cap. 19. quæst. 13.* Basil. Legion. lib. 8. de matrim. *cap. 9. numer. 7.* & alij relati à Sanch. lib. 8. de matrim. *disput. 10. numer. 7.* Mouentur: quia purificata conditione obligatio voti, quæ antea suspensa & imperfecta erat, perficitur, & consummatur, ac si eo tempore contraheretur. Vt colligitur ex *leg. potior 11. ff. qui in pignore potiores habeantur.* ibi. Cum enim semel conditio extiterit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, fine conditione facta esset. Quod si eo tempore votum castitatis absolutè esset emissum, in pœnam delicti commissi, nullus dubitat fore reseruatum. Ergo etiam reseruatur emissum sub conditione delicti committendi, si de facto delictum committatur. Et confirmo, omnes alij contractus sub conditione celebrari, purificata conditione eosdem effectus morales habent, ac si puri essent, vt constat in contractu sponsalium conditionato, qui purificata conditione parit publicæ honestatis impedimentum, *c. vnico §. illi de sponsalibus in 6.* & in venditione beneficij sub conditione de futuro, cui pœnæ Simoniacorum annectuntur. Et in mandantibus sub conditione percutere Cardinalem, qui posita conditione & effectu subsecuto excommunicantur. Ergo idem est dicendum de voto.

Alij Doctores distinctione vtuntur; admittunt enim supradictam sententiam in votis purè conditionalibus; negant tamen illam in votis conditionalibus pœnalibus. Sic pluribus firmat Suarez lib. 6. de voto *c. 22. n. 11.* & *sequent.* & *c. 23. à n. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 18. n. 130.* & 131. *in 2. edit.* Layman *lib. 4. summ. tract. 4. c. 8. n. 10.* Priorem partem probant fundamento proximè dicto. Secundam suadent; Quia reseruatio cum stricti iuris sit non est censenda fieri nisi de votis, quæ ex vouentis affectu materiam reseruatam Deo promittunt: At qui promittit religionem, si delictum commiserit in pœnam illius nullum habet affectum ad religionem, sed potius illam auersatur, ergo illius votum etiam post impletam conditionem reseruatum non est.

Neque est simile (inquiunt supradicti Doctores) de votis purè conditionalibus. Hæc namque etsi sæpe displiceant; at cum illa displicentia non est affectus, neque voluntas absoluta vitandi obligationem rei promissæ; imo potiùs est voluntas & affectus absolutus subeundi illius obligationem casu, quo conditio ponatur. Secùs est in votis conditionalibus pœnalibus, quæ cum assumpta sint ad vitandam conditionem, non solum eorum materia promissa displicet, sed etiam adest affectus, & voluntas absoluta vitandi eorum obligationem; ideóque votum conditionale purificata conditione reseruatum est, secus conditionale pœnale.

15. Cæterum etsi supradictæ sententiæ satis probabiles sint, veriorem & probabiliorem existimo sententiam negantem supradicta vota, tam conditionalia pœnalia, quàm purè conditionalia reseruata esse impleta conditione. Sic Toletus lib. 4. sum. *c. 18. nu. 11.* referens pro ea Victoriam. Notandum

dum (inquit) quod notauit Victoria ista quinque vota tunc reseruari Pontifici cum absoluta sunt, cum verò conditionata, vel pœnalia pertinent ad Episcopum. Consentit Antonius Gomez in Bulla cruciata *clausula* 10.*n.*99. Petrus de Ledesm. 2. *p. sum. tract.* 10. *c.* 8. *pag.* 126. Quos refert & sequitur Thom. Sanch. lib. 8. de matrim. *disp.* 10. *n.* 13. & *lib.* 4 *sum. c.* 40. *n.* 99. Et probabilem reputant Lessius, Basilius, Layman. & alij supra citati & tenent plures sapientissimi viri nostræ ætatis vt testantur Anton. Gomez, Petrus de Ledesm. Sanch. & Lessius *supra*. Probo primò. Quia vota conditionalia imbibunt in sua natura imperfectum & diminutum consensum in rem promissam; quippe est consensus sub conditione contingentet futura. Sed hic diminutus consensus non mutatur superueniente conditione, alias nouum votum fieret. Sed ex illo diminuto & imperfecto consensu, qui præterijt posità conditione nascitur absoluta & perfecta obligatio rei promissæ exequendæ. Ergo hæc vota reseruata non sunt. Quia reseruatio quæ stricti iuris est, solum vota ex sua natura perfecta & absoluta comprehendere debet. Secundò moueor; quia vota conditionalia pœnalia communior sententia defendit reseruata non esse; at prorsùs eadem ratio procedit in votis purè conditionalibus (vt latissimè expendit Sanch. lib. 4. sum. *c.* 40. *n.* 99. & admittit Basil. Legion. lib. 8. de matrim. *c.* 9. *n.* 10. & ego breuiter probo; quia ob triplicem causam possunt vota conditionalia pœnalia conditione impleta excludi à reseruatione. Prima, quia consensus fuit imperfectus secunda, quia fuit ex displicentia rei promissæ, tertia, quia fuit ex animo & proposito absoluto vitandi supradictam obligationem. Nulla alia causa fingi potest. Sed hæc procedunt in votis purè conditionalibus. Nam quoad imperfectum consensum admittit Suarez & est res clarissima. Siquidem eius imperfectio in eo consistit, vt non absolutè sed sub conditione obligationem suspendente promissio fiat. De displicentia rei promissæ etiam est manifestum. Potes namque promittere religionem sub hac conditione; si diuitias amiseris, si beneficium non impetraueris, non quia ad religionem affectus sis, potiùs enim illam (vt suppono) auersaris; sed ad vitandum infamiam, & ignominiam, quam ex paupertate times. Ergo in votis conditionalibus stare optime potes displicentia rei promissæ. Denique voluntas & affectus absolutus vitandi quoad fieri possit obligationem, etiam in votis conditionalibus reperitur vt in exemplo proximè allato liquet; siquidem facto illo voto religionis pro viribus conaberis diuitias conseruare, & beneficium obtinere, ne religionem tibi exosam cogaris accipere. Item clariùs elucet in exemplo, quod ipsemet Suar. *d. cap.* 23. *n.* 13. admittit, nempe cum religionem promittis, si fornicationem commiseris, non in pœnam delicti committendi, sed in medicinam & satisfactionem illius, vt scilicet religione assumpta abstineas à tali peccato committendo, & pro commisso satisfacias. Nam certum est facto huiusmodi voto te voluntatem, & propositum firmum habere debere vitandi supradictam obligationem religionis: siquidem debes habere voluntatem fugiendi fornicationem, qua non incursa, obligatio non contrahitur. Sit ergo certum, eandem esse rationem excludendi vota purè conditionalia à reseruatione ac conditionalia pœnalia. Tertiò probo, Suar. Basil. & ferè omnes Doctores contrariæ sententiæ admittunt; cum dubium est; an votum aliquod reseruatum sit, non esse censendum reseruatum: quia reseruatio vtpote odiosa rem certam efficit non dubiam, & in casu dubio in benigniorem partem inclinandum est. At negari non potest esse satis dubium, cum sit sub opinione probabili positum an vota purè conditionalia sint reseruata etiam post impletam conditionē. Ergo affirmandum est reseruata non esse, sed absq; vllo scrupulo posse à Prælatis inferioribus causa intercedente dispensari.

16. Neque obstant rationes pro contrariis sententijs allatæ. Ad fundamentum primæ sententiæ respondeo, purificata conditione obligationem reddi puram, absolutam, & perfectam. Sed quia hæc obligatio ortum habet ex imperfecto & diminuto consensu; ea de causa non reseruatur. Alias etiam vota pœnalia reseruari deberent; cum etiam illorum obligatio purificata conditione pura absoluta & perfecta sit. Ad confirmationem concedo, ex contractu conditionali posita conditione procedere eosdem effectus morales qui procederent si absolutè fierent, quando illi effectus oriuntur ex obligatione contractus, non ex modo contrahendi. At reseruatio votorum non tam respicit illorum obligationem, quam modum contrahendi illam, & cum hic modus in votis conditionalibus imperfectus sit; & diminutus, in causa est, ne ea vota reseruata sint. Fundamentum verò secundæ sententiæ ex probatione nostræ satis solutum est.

17. Aduerte, vota conditionalia reseruata non esse, quæ verè conditionalia sunt. Nam si ex se sint absoluta, & solum apparenter conditionalia; eo quòd emittantur sub conditione de præterito vel de præsenti, vel sub conditione de futuro necessaria omnes Doctores censent esse: tametsi cum displicentia rei promissæ emittantur. Quia consensus cui afficitur reseruatio, est integer & perfectus. Suar. *lib.* 6. *c.* 23. *n.* 9. & 11. Sanch. *lib.* 4. *sum. c.* 40. *n.* 87. & *sequent.* Basil. Legion. lib. 8. de matrim. *c.* 9. *n.* 12.

PVNCTVM XIII.

Quibus competat & in quæ vota potestas delegata dispensandi?

SVMMARIVM.

1 *Tenor delegationis diligenter examinandus.*
2 *Generalis facultas dispensandi in omnibus votis non comprehendit reseruata.*
3 *Si concessio sit absolutæ reseruatorum omnia reseruata comprehenduntur.*
4 *Si concessio sit omnium votorum excepto castitatis, & religionis reseruata veniunt.*
5 *Si concessio esset omnium votorum etiam castitatis omnia minora continet.*
6 *Extenditur facultas dispensandi generalis ad vota ante & post concessionem emissa, sed non ad vota in commodum tertij facta.*
7 *Facultas dispensandi in votis est religionis concessa.*
8 *Possunt in omnibus votis qua iure ordinario competunt Episcopis.*
9 *Quibus sit concessa potestas ad dispensandum cum ligatis voto castitatis ad petendum debitum.*

1. DElegata potestas prouenit ex commissione facta ab eo, qui potestatem habet ordinariam. Nam hic delegare potest. Hi igitur, quibus ordinarius suam potestatem delegauerit, potestate delegata gaudebunt. Tenor autem delegationis diligenter examinandus est, vt ex illo colligatur, ad quæ vota delegata potestas extendenda sit. Sed quid sæpe verba dubia sunt & mens concedentis non satis colligitur. Placet frequentiores concessiones explicare, vt inde colligere possis, quid in aliis sentire debeas.

2. At in primis examinandum venit; an concessa tibi facultate dispensandi in omnibus votis, concessa censeantur reseruata; Soto lib. 7. de iustitia *q.* 4. *a.* 3. *in fine corpor.* Emanuel. Rodrig. in summ. 2. *p. c.* 97. *n.* 1. *in fine.* Sanch. lib. 8. de matrim. *disp.* 9. *n.* 2. Negant de voto castitatis, & religionis: quia hæc (inquiunt) in generali concessione non veniunt, sed indigent speciali. Secùs verò de voto peregrinationis vltramarinæ, & à fortiori Romanæ, & Compostellanæ, cuius reseruatio quia non est tanti momenti, neque ita antiqua, ac reseruatio voti castitatis, & religionis non videntur hac speciali, & expressa concessione indigere. Cæterum omnino tenendum est, sub illa generali facultate nullo modo comprehendi vota quæcumque reseruata. Quod manifestè colligitur ex *c. si Episcopus de pœnitent. & remission. in* 6. Vbi Pontifex loquens de casibus reseruatis negat in generali concessione comprehendi sed indigere expressione speciali, & subdit Pontifex rationem; quia in generali concessione non veniunt ea quæ non esset quis verisimilier in specie concessurus. *regula in generali* 81. *de regulis iuris in* 6. quod non aliter sit nisi quia sunt reseruata. Cum ergo non solum vota castitatis & religionis sed dictæ triplicis peregrinationis sint reseruata; efficitur in generali concessione dispensandi vota, hæc reseruata non comprehendi. Deinde nulla alia de causa vota castitatis, & religionis indigent speciali concessione, nisi quia sunt reseruata. Quod verò sint antiquitus, & pluribus decretis reseruata, non variat qualitatem reseruationis. Cum igitur vota trium illarum peregrinationum verè reseruata sint, etiam speciali concessione indigebunt. Quódque non leuiter indicatur in *extrauaganti etsi dominici* 2. *de pœnitent. & remission.* vbi Pontifex omnia illa quinque vota reseruatæ æquiparat in necessitate specialis licentiæ & expressionis ibi. *nisi ex speciali licentia & certa scientia nostra.* Et ita tenet Suar. lib. 6. de voto *c.* 25. *n.* 4. Sanch. retractans sententiam lib. 4. de voto *c.* 40. *n.* 16. Layman. *lib.* 4. *sum. tract.* 4. *c.* 8. *n.* 7. Basilius Legionensis lib. 8. de matrim. *cap.* 10. *num.* 5.

3. Verum si tibi concessa sit facultas dispensandi in votis reseruatis absque vlla exceptione, omnia comprehenduntur, quia nulla est specialis ratio neque ex vsu neque ex consuetudine vnum potiùs quam aliud excipiendi. Sic Basilius *dicto c.* 10. *n.* 6. Sanch. *c.* 40. *n.* 17. Suar. *lib.* 6. *c.* 26. *n.* 5. Si tamen ab hac concessione reseruatorum exciperet Pontifex aliquod ex his quinque votis; non obinde limitatur concessio comparatione reliquorum: (quidquid contra sentiat Sanch. *dicto c.* 40. *n.* 20.) quia exceptio potiùs firmat regulam in casibus non exceptis, quam illam astringat. Fauet Suar. *lib.* 6. *cap.* 25. *num.* 10. & ipse Sanch. *n.* 22.

4. Quod si omnia vota conceduntur excepto voto castitatis & religionis. Censet communis sententia ne illa exceptio inutilis sit, voluisse Pontificem in illa generali concessione reliqua

reſeruata minora comprehendere. Neque obſtat exceptionem non ampliare regulam ad caſus, qui ſub regula non comprehenduntur iuxta *legem 1.ff de regulis iuris.* Quia hoc procedit quando exceptio ſub regula comprehenditur, ſecùs quando non comprehenditur: tunc enim appoſita ampliat regulam ne exceptio inutilis fiat. Sic Sanch.*d. c.* 40. *num.* 19. Suar. *c.* 25.*n.*7. Baſilius Legionenſis *lib.*8.*c.*10.*n.*6. Idem prorsùs videtur dicendum ſi Pontifex concederet poteſtatem generalem diſpenſandi in omnibus votis,& ſolum exciperet votum triplicis peregrinationis, ex vi huius conceſſionis vota caſtitatis, & religionis (eſto maiora ſint) diſpenſari poſſe. Quia alias eſſet inutilis exceptio, vt pote ſub regula non comprehenſa. Sed quia difficile eſt, id concedere, & præter communem ſenſum, vt ex relatis Doctoribus conſtat, potiùs crederem exceptionem illam (ſi fortè aliquando ſub illa conceſſione fieret) appoſitam eſſe ad tollendam omnem dubitationem, quàm vt ex illa maiora vota cenſere,ntur conceſſa. Si verò exceptio tantum eſſet voti vltramarini,crederem vota peregrinationis Romanæ, & Compoſtellanæ concedi. Quia cum hæc vota ſimilia ſint,imo minora; exceptione maioris ea videtur concedere. Alias vt quid grauioris voti exceptionem facit? Sanch.*lib.*4.*cap.*40.*num.*20.

5. Verum ſi conceſſio eſſet omnium votorum etiam caſtitatis, omnia minora debent cenſeri conceſſa. Quia illa dictio implicatiua *etiam* arguit idem eſſe in caſibus minoribus; vt ſi Pontifex concederet poteſtatem abſoluendi ab omni cenſura etiam propter hæreſim incurſa,omnium cenſurarum abſolutionem concedit. Quia omnes reputantur minores, Sanch.*lib.* 4.*c.*40.*n.*21. Baſil. Legion.*lib.*8.*c.*10.*n.*6. Votum tamen æquale ex vi illius dictionis non cenſetur conceſſum;ac proinde conceſſione facta omnium votorum etiam caſtitatis, non cenſetur votum religionis concedi,neque conceſſo voto religionis intelligitur votum caſtitatis concedi: quia reputantur æqualia. Suar.*lib.*6.*cap.*25.*n.*8. Sanch. *lib.*4.*c.*40.*n.*21. Baſil. Legion. *lib.*8.*c.*10.*n.*6.

6. Porrò hæc facultas diſpenſandi in votis (& idem eſt de facultate commutandi (generaliter conceſſa extenditur ad vota ante,& poſt conceſſionem emiſſa. Quia petit latam interpretationem iuxta dicta *tract.*3.*de leg.diſp.*4.*de priuileg.punct.* 11.& latè probat Suar.*lib.*6.*de voto c.*13. Nunquam tamen cenſetur extenſa ad vota in commodum tertij facta, ſi à tertio illo accepta ſint. Quia tunc non ſolum habent voti obligationem ſed etiam obligationem promiſſionis humanæ acceptatæ; ac proinde obligationis fidelitatis & iuſtitiæ. Secùs verò eſſet ſi ſolum in ratione voti remanerent. Baſil. lib.de matrimonio *c.*10.*n.*7. Suar.lib. 6. de voto *cap.*14. *num.* 13. & latiùs *cap.*15.per totum.

7. Quod ſi roges; quibus poteſtas diſpenſandi reipſa delegata ſit? Reſpondeo generaliter ſolum inueniri delegatam religioſis. Nam Innocentius VIII. conceſſit mendicantibus vt poſſit diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſſunt Epiſcopi excepto voto peregrinationis vltra duas dietas (hoc eſt vltra vinginti leucas) ſecundum Rebuffum de priuileg. ſcholaſt. *priuileg.*161. Azebedo *lib.*1.*recopil.tit.*7.*leg.*20.*n.*2. Sanch.*lib.*4. *ſum. c.* 43. *n.* 4. At Martinus V. Benedictinis conceſſit omnia vota Epiſcopalia abſque vlla limitatione, qua facultate gaudent omnes religioſi, qui eorum priuilegiis communicant Conſtárque ex compendio priuilegiorum Societatis Ieſu verbo *diſpenſatio* §.10.

8. Ex qua conceſſione conſtat manifeſtè, poſſe religioſos diſpenſare in omnibus votis (exceptis illis quinque reſeruatis) ſicuti poſſunt Epiſcopi cum hac tamen differentia, quod Epiſcopi poſſunt etiam in illis quinque reſeruatis diſpenſare, cum vrget neceſſitas maturandi diſpenſationem neque patet aditus ad pontificem ſeu vices illius habentem. At religioſi nequaquam in hoc caſu diſpenſare poſſūt, vt ſuperiori punéto notauimus. At poſſunt religioſi diſpenſare cum quibuſcumque fidelibus ex quacumque Diœceſi ad ſe venientibus. Quia cum omnes Pontifici priuilegium concedenti ſubdantur, non eſt cur ad fideles vnius Diœceſis limitetur. Secùs verò Epiſcopi, qui cum iure ordinario procedant,& ex officio ſolum comparatione fidelium ſuæ Diœceſis eam poteſtatem exercere poſſunt. Sanch.*l.*4.*c.*43.*n.*15. Baſil. Legion.*c.*10. Deinde ſicut poſſunt Epiſcopi diſpenſationem concedere extra Sacramentum pœnitentiæ, etiam poſſunt religioſi: quia in ſupradicto religioſorum priuilegio nulla fit quoad hanc partem limitatio. Baſil. *ſupra*, Sanch.*n.* 17. Neque vſus huius poteſtatis limitandus venit ex eo, quod aliud priuilegium magis ſtrictum & limitatum religioſis concedatur, quia vnum alteri non aduerſatur. Quapropter etſi pluribus religioſis conceſſum ſit priuilegium diſpenſandi cum iis, qui ſtrictiorem religionem vouerunt; non obinde priuantur poteſtate vtendi vllo priuilegio laxiori Benedictinis conceſſo, vi cuius diſpenſare in ſupradicto voto poſſunt abſque onere & conditione perſeuerandi. Sanch.*d.c.*43.*in fine* Baſilius Legion.*lib.*8.*cap.*10.*nu.* 10.

9. Præter ſupradictum priuilegium conceſſum eſt Prouincialibus Mendicantium & religioſis ab ordinario approbatis, quibus ipſi communicauerint poteſtas diſpenſandi ad petendum debitum cum iis, qui poſt votum caſtitatis matrimonium contraxerant. Sic enim conceſſit Pius V. viuæ vocis oraculo vt teſtantur plures relati à Sanch.lib,8. de matrim. *c.* 16. *n.* 3. Et refertur in compendio priuilegiorum Societatis Ieſu, verbo *diſpenſatio*, §. 9. Neque opus eſt matrimonium conſummatum eſſe tum quia periculum eam reſtrictionem non apponit. Tum quia periculum incontinentiæ in ſic vouente & matrimonium contrahente ſemper adeſt, cum non teneatur cohabitationem deſerere. Sanch.*c.*43.*n.*10. Baſil. Legion.*lib.*8.de matrim.*c.*10.*n.* 12. *fine.* Ex quo fit virtute huius priuilegij non poſſe diſpenſari eos, qui poſt matrimonium contractum caſtitatem vouerunt. Quia de ipſis priuilegium non loquitur teſte Manuel Rodrig. *tom.* 1. *q. reg. q.* 73. *a.* 2. Sanch.*l.*4. *c.*43. *n.* 12. Baſil. Legion.8.de matrim.*c.*10. *in fine.* Poſſunt tamen virtute illius priuilegij Benedictinis conceſſi diſpenſari, quando ab Epiſcopo poſſunt iure ordinario Sanchez *d.cap.*43.*n.*12.

PVNCTVM XIV.

An qui poteſtatem habent diſpenſandi poſſint vota commutare, vel è contra.

SVMMARIVM.

1. *Quæſtio eſt de poteſtate delegata non ordinaria.*
2. *Ex poteſtate commutandi communis ſententia negat poteſtatem diſpenſandi inferri,& qualiter hoc intelligatur.*
3. *Conceſſa poteſtate diſpenſandi, negat Nauarrus concedi poteſtatem commutandi.*
4. *Probabilius oppoſitum.*
5. *Satis ſit contrario fundamento.*
6. *Extendatur ne poteſtas diſpenſandi in votis ad vota iurata,remiſſiuè.*

1. DE poteſtate delegata eſt quæſtio. Nam gaudentes poteſtate ordinaria diſpenſandi omnes admittunt,& poteſtate commutandi gaudere. Cum vtraque poteſtas ad bonum Eccleſiæ regimen ſpectet. Et tradit Sanch. lib. 4. ſummæ *cap.* 49.*num.*28. Suar.*lib.*6.*c.*12.*n.*4.

2 Et quidem conceſſa poteſtate ad commutandum communis ſententia negat, poteſtatem diſpenſandi concedi vrpote maiorem; neque vllo modo contentam ſub poteſtate ad commutandum, Sic Sanch.l.4.ſumm.*c.*53.*n.*2. Suar.lib.6.de voto c.12.*n.*5. Auguſt. Barboſa 2.de poteſtate Epiſcopi *allegatione* 37.*num.*4.*in fine.* Si tamen eſſet conceſſa poteſtas ad commutandum in minus,cum in ea commutatione quædam partialis diſpenſatio reperiatur, conceſſa in facultate aliqualiter diſpenſandi poteſtas conceditur. Baſil.legion lib.8.de matrim. *c.*10.*n.* 1. Sed hæc non eſt propria diſpenſatio, cum vinculum voti non abſolutè relaxet, ſed in aliam materiam eſto minorem transferat.

3. Difficultas verò eſt; an conceſſa poteſtate diſpenſandi? eo ipſo cenſeatur conceſſa poteſtas commutandi? Negat Nauarr.*in ſum.c.*13.*n.*70. Valent.2.2.*diſp.*6.*q.*6.*punct.*7.*verſ.* denique Azor. 1.*p.lib.*11.*c.* 10.*q.*4.*& cap.*18.*q.*7.*aliis relatis* Sanch. lib.8.de matrim.*diſp.*2.*n.*15.& lib. 4. ſumm. *cap.*53. *n.* 4. *&* 5. Mouentur: quia ſunt poteſtates omnino diuerſæ, neque vna ſub alia comprehenditur. Nam poteſtas diſpenſandi eſt poteſtas auferendi integrè obligationem; at contra poteſtas commutandi eſt poteſtas non auferendi obligationem, ſed eam in aliam materiam transferendi. Non igitur vna ſub alia comprehendi poteſt. Deinde poteſtas diſpenſandi requirit legitimam cauſam ſecundum omnium ſententiam; quam tamen non expoſtulat commutandi poteſtas. Ergo vna poteſtas non continetur ſub alia. Præterea ad commutationem magna ſcientia,& prudentia opus eſt, vt æqualitas rei commutatæ cognoſcatur, quod in diſpenſatione non inuenitur. Denique ex negatione poteſtatis ad commutandum non infertur negari poteſtatem ad diſpenſandum. Vt probat Nauar. §. *in leuitico. notabili* 27.à *n.*1.*& ſequentibus.* Quia ſtare optimè poteſt concedi alicui poteſtatem ad diſpenſandum vota, quando cauſa legitima adeſt integræ relaxationis; ſecùs verò quando ea deficit. At eo caſu is poteſtatem habebit diſpenſandi. Ergo ex negatione poteſtatis ad commutandum non negatur poteſtas ad diſpenſandum. Ergo écontra ex affirmatione poteſtatis ad diſpenſandum non affirmatur poteſtas ad commutandum.

4. Cæterum veriùs & probabilius eſt, conceſſa poteſtate ad diſpenſandum concedi poteſtatem ad commutandum. Sic Sotus lib.7.de iuſt.*q.*4.*a.*1. Emanuel. Sa verbo *voti diſpenſatio n* 19. Leſſi. *lib.*2.*c.*40. *dub.*16. *n.* 108. in ſecunda editione Suar.lib.6.de voto *c.* 12.*n.*9. Layman.lib.4.ſum.*tract.* 4.*c.* 8. *n.*20. Baſil. Legion.lib.8.de matrim.*c.*10.*n.*3. Auguſt. Barboſa 2. parte de poteſtate Epiſcopi *allegatione* 37.*n.* 13. Et reipſa conſentit Sanch. *ſuprà* relatis potentem diſpenſare poſſe ex

præſum

præsumpta delegantis voluntate miscere commutationem. Quia hic modus dispensandi melior, tutior & à Pontifice vsitatus est. Ex qua doctrina conuincitur posse votum inæquale commutare. Nam multo minùs est, commutationem inæquale facere quam in minùs. Ratio verò, quare potestas ad dispensandum extendatur ad commutandum, ea est: Quia commutatio est quædam partialis seu diminuta dispensatio. Siquidem obligationem voti tollit non absolute, sed sub onere alterius materiæ subrogatæ, quod longè minùs est & potestati absolutè dispensandi subordinatum. Ergo habens potestatem dispensandi poterit commutata iuxta regulam *iuris* 55. *cui licet quod est plus, licet vtique quod est minus.* Præcipuè cum minus sub eodem ordine continetur. Et explicatur. Ad tollendam integrè voti obligationem difficile est, causam legitimam inuenire, quæ tamen sæpe inuenitur, eo ipso quod vouens loco prioris obligationis aliam accepter. Poterit ergo dispensans obligationem voti tollere ea conditione posita & non alter. At in hoc consistit potestas commutandi; Ergo.

5. Neque fundamentum oppositum vrget; nego has potestates esse diuersas; sed dico vnam sub alia contineri tanquam partem sub toto: vtraq; enim potestas tollit integram obligationẽ voti; sed potestas dispensandi illã tollit nulla alia obligatione subrogata, at potestas commutandi supponit nouã subrogati obligationem. Quod quidem accidentarium est neque variat dispensandi potestatem. Ad confirmationem nego potestatem commutandi quatenus tollit obligationem prioris materiæ non expostulare causam: ipsa enim susceptio nouæ obligationis causa est. Siquidem absque illa exerceri non potest. Ad secundam confirmationem admitto, magna scientia & prudentia opus esse ad inuestigandam materiæ subrogatæ æqualitatem; nego tamen supradicta scientia & prudentia non indigere potestatem dispensandi ad inuestigandam causam legitimam dispensationis. Ad vltimum dico, negata potestate commutandi negari potestatem dispensandi maximè spectato communi vsu & stylo. Et ad probationem respondeo, eo ipso quo absolutè conceditur potestas alicui relaxandi vota integrè censetur concessa relaxandi noua obligatione præsuppositã, nisi expressè contrarium declaretur.

An verò potestas dispensandi in votis extendatur ad vota iurata, & in fauorem tertij? Supradicto tractatu de Iuramento *disp. vlt. punct.* 1. & 2. diximus. Restabat item dicendum qualiter suppressione veri & expressione falsi vitietur dispensatio & rescriptum? Sed de his late egimus *tract.* 3. *de legibus disp. vltima punct.* 17. Insuper de forma seruanda in dispensatione de qua ibi *punct.* 11. & fere omnia quæ disputatione de priuilegiis & de dispensationibus tradidimus huic instituto deseruire possunt.

PVNCTVM XV.

Cuius authoritate & ex qua causa vota commutari possint.

SVMMARIVM.

1 *Præmittuntur aliqua pro intelligentia quæstionis.*
2 *Votum propria authoritate in rem euidenter meliorem potes commutare, nisi aliquâ lege prohibitus sis.*
3 *In rem inferiorem nequis propria auctoritate.*
4 *In æqualem, plures censent posse: probabilius est oppositum.*
5 *Ampliatur ad rem sub dubio vel opinione superiorem.*
6 *Ad commutationem voti in rem æqualem necessaria est auctoritas Prælati.*
7 *Ad commutationem faciendam in rem meliorem nulla causa requiritur, bene tamen pro commutatione in æquale vel in minus.*
8 *Qua causa requiratur ad commutationem faciendam in rem æqualem vel minorem.*

1. EX superioribus liquet commutationem à pura dispensatione differre, quod commutatio tollat vinculum, & obligationem voti non simpliciter, & purè, sicut dispensatio, sed sub onere noui vinculi & obligationis priori subrogatæ. Hæc autem obligatio subrogata priori potest esse grauior, æqualis, vel leuior pro grauiori leuiori, vel æquali materia subrogata.

2. Dicendum ergo est; Si votum commutes in rem euidenter meliorem propria auctoritate & absque vlla causa præstare potes, nisi specialiter aliqua lege vel præcepto prohibearis. Est communis sententia, quam aliis relatis tradunt Nauarr. *c.* 12. *n.* 75. Couarr. de pactis 1. *p.* §. 3. *n.* 4. Sayro in Claui Regia *lib.* 6. *c.* 12. *n.* 5. Azor. 1. *p. l.* 11. *c.* 18. *q.* 1. Valent. 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 7. vers. *hac ipsa ratione.* Emanuel. Sà verbo *voti irritatio n.* 10. Sanch. *l.* 4. *c.* 49. *n.* 4. Suar. l. 6. de voto *c.* 18. *à n.* 4. Layman. l. 4. summ. *tract.* 4. *c.* 8. *n.* 19. Ratio videtur manifesta; nam si res in quam voti obligatio transfertur omnibus consideratis est melior, consequenter erit Deo gratior. Nam licet hominibus non semper gratior sint, quæ sunt meliora; de Deo cuius velle est perfectissimum, semper gratiora sunt, quæ meliora fuerint. Ergo reddens rem meliorem abundantiùs obligationi satisfacit. Deinde votum impedire non potest maius bonum. Ergo neque subrogationem perfectioris materiæ. Præterea; quia in omni voto videtur inclusa conditio, nisi perfectiorem materiam elegeris; quia id rectæ rationi & voluntati Dei conuenit. Denique sunt plures textus iuris canonici, ex quibus non leuiter colligitur supradicta resolutio. Videlicet *c. peruenit de iureiurando* ibi. Promissum non infringit, quia illud in melius commutat, hoc est in melius & gratius creditori. Ad idem est *c. scriptura de voto*; *c. licet de regularibus c.* 1. *de voto* pro vt expendit Suar. & Sanch. *locus allegatis.* Neque supradictæ commutationi obstat, quod vota sint facta in fauorem tertij nisi specialiter ipsi promissione & acceptatione ius tertio acquisitum non est; ac proinde solum spectari debet quid Deo creditori gratius sit: Et tradit Suar. *d. c.* 18. *n.* 11. Sayro in Claui Regia *lib.* 6. *c.* 18. *n.* 11. *vlt.* Lessius *l.* 2. *c.* 40. *dub.* 16. *n.* 104. *in secunda editione* Sanchez *lib.* 4. *c.* 41. *n.* 8. Hinc fit si promiseris calicem dandum Ecclesiæ determinatæ, te posse alteri pauperiori tradere nisi fortè promissionem non solum Deo, sed etiam ipsi Ecclesiæ direxeris; & ab ea fuerit acceptata. Vtrumque enim requiritur vt bene dixit *Lessius supra* & explicuit Basil. Legion. lib. 8. de matrimon. *c.* 8. *n.* 15.

Dixi nisi aliqua lege vel præcepto prohibearis, supradictam facere commutationem. Quod dixi ob vota reseruata, quæ semel facta prohibet Pontifex alterius arbitrio mutari in melius non ob impediendum maius bonum, sed vt prudenter maturè eligatur, Sic Suar. *lib.* 6. *c.* 18. *n.* 14. *fine.* & *c.* 21. *n.* 17. Sanch. *c.* 51. *n.* 5. Layman. *c.* 8. *num.* 19. Sublimita, nisi ea reseruata commutaueris in statum religiosum. Nam cum omnibus compertum sit, nihil gratius Deo hoc statu offerri posse, noluit Pontifex hanc perfectissimam commutationem interdicere; imò potiùs illam approbauit in *cap. scriptura de voto.* ibi. Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis obseruantiam commutare, Lessi. *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 16. *n.* 106. 2. *editione* Sanch. *num.* 6.

3. Econtra in rem manifestè inferiorem nullo modo votum commutari potest propria auctoritate; quia est contra rationem velle obligare Deum creditorem, vt rem inferiorem loco superioris debitæ acceptet. Et tradunt omnes. Ad idem est de re sub dubio vel sub opinione æquali, cuius obligatione satisfacere non potes debito certo. Siquidem ignoras creditori gratum fore, ab eóque acceptari: Idque manifestè conuincitur ex *cap.* 1. *de voto* vbi consideratio & auctoritas Prælati expostulatur ad inuestigandum; an recompensatio peregrinatione promissa gratior sit. Et tradit Suar. *d. cap.* 18. *num.* 8. & *cap.* 19. *per totum* Sanchez *lib.* 4. *cap.* 49. *n.* 8.

4. Difficultas nonnulla est cum certo constat, rem subrogatam omnibus perpensis æqualem esse an propria auctoritate possis in eam votum commutare? Affirmat Medina lib. 1. summ. *c.* 40. §. 7. Henriquez. lib. 5. de pœnitent. *c.* 20. *n.* 5. & lib. 7. de indulgent. *c.* 30. *n.* 5. Manuel Rodrig. 2. tom. sum. *c.* 110. *n.* 4. *conclus.* 4. Emanuel Sà. verbo *voti irritatio. n.* 9 & probabilem reputant Aragon. Suar. Alcozer, Lessius relati à Sanch. *lib.* 4. *c.* 49. *n.* 10. Moueri possunt: quia posita æqualitate materiæ subrogatæ videtur certum vtramque æquè esse Deo gratam: ergo vtraquè satisfieri debito potest. Nam licet inuito creditore vnum pro alio solui nequeat, bene tamen si ipsi gratum sit. *Institut. quibus modis tollitur obligatio. Statum in principio.* Atqui materia subrogata æqualis æque Deo grata est, ac ea quæ fuit determinatè promissa. Ergo illius oblatione debito fit satis.

Oppositum tamen tanquam probabilius tenendum est cum communi sententia apud Suar. dicto lib. 6. de voto *c.* 19. *n.* 3. Lessium *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 16 *n.* 105. in secunda editione. Sayro in Claui Regia *lib.* 6. *c.* 12. *n.* 8. Sanch. *lib.* 4. *c.* 49. *n.* 12. Layman. *l.* 4. *sum. tract.* 4. *c.* 8. *n.* 19. Ratio est, quia esto materia subrogata æquè Deo grata sit, illique placeat ac ea, quæ promissa fuit si vtraque per se spectetur: At posita promissione & obligatione vnius specialiter & determinatæ soluendæ non est æquè Deo gratum illam offerre. Siquidem pro parte materiæ promissæ stat promissionis firmitas, & constantia cuius variatio non videtur honestari posse, nisi aliquis manifestus excessus sit in materia subrogata. Et confirmo, si absque detrimento fidelitatis offerri potest Deo materia æqualis ei, quæ promissa fuit; manifestè infertur, te non esse ex vi voti obligatum magis reddere rem determinatè promissam, quàm quamlibet aliam aliam æqualem, conuenienti disciplinæ rectæque morum instructioni contrarium. Ergo. Tandem quia difficillimum est, & ferè impossibile, æqualitatem in materia subrogata euidenter cognoscere. Ergo rarò vel numquam talis commutatio fieri potest propria auctoritate. Plures enim sunt materiæ quæ per se spectatæ æquales apparent: at omnibus perpensis æquales nõ sunt. Vt multis exemplis exornant. Suar. *lib.* 6. *c.* 19. *n.* 11. & 12.

Sanch.

Sanch. *lib.4.c.49.n.15.* Lessi. *lib.2.c.49. dub.16.n.102. vers.* melius in secunda editione.

5. Supradictam doctrinam ampliare debes ad rem sub dubio, vel sub opinione superiorem. Quia dum de excessu materiæ subrogatæ manifestè non constat, honestari non potest mutatio rei promissæ. Solum enim in promissione materia superior excepta fuit, ne votum censeatur maius bonum impedire; non autem ea, quæ solum sub dubio est superior. Sic Sanch. *lib.4.c.48.n.8.* cum Valent. *2.2. disp.6.q.6.punct.* 7. circa finem vers. notandum. Sayro in claui Regia *lib.6.c.12.n.5.* Si verò casus adesset, in quo certus esset de æqualitate materiæ subrogatæ dubius tamen superior sit. Affirmant Suar. *lib.6.c.* 18. *n.* 10. Sanch. *c.49.n.14.* Propria auctoritate commutationem fieri posse; quia vtiliter negotium domini geris cum lucrum expectas, & iacturam non timeas. Adde illam rem subrogatam absolutè superiorem esse; siquidem vltra æqualitatem certam sub dubio superioritatem habet.

6. Hinc fit ad commutandum votum in rem euidenter æqualem, necessarium esse authoritatem Prælati habentis iurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Quia hæc commutatio est quædam diminuta dispensatio, & debiti remissio nomine Dei facta; ac proinde iurisdictionem expostulat, & consequenter causam ad sui valorem. Sic Suar. *lib.6. c.* 19. *n.* 3. Sanch. *lib.4.c.49.n.22. & c.50.n.17.* Laym. lib.4. summ. *tract.* 4. *c.8.n.19.* Quapropter non à quolibet confessario (vt docuit Viuald. candelab. Sacr. 3. *p.c.14.n.15.* & Less. *l.2.c.* 40. *dub.* 6. *n.* 105. Fieri potest, sed ab habente in foro externo iurisdictionem. Et tradunt Suar. *n.6.* Sanch. *n.*13. Laym. *n.19.*

7. Ad commutationem faciendam in rem manifestè meliorem nulla causa specialis requiritur, quia ipsamet susceptio perfectionis obligationis vtpote Deo gratior sufficit pro causa. Et tenent communiter Doctores Caietan. *q.88.a.*12. vers. *in commutatione.* Nauarr. *c.12.n.*63. Azor. *1.p.l.*11.*c.*18.*q.*3. Sà verbo *voti irritatio n.*10. Lessi. *lib.2.c.40.dub.16.n.*110. in 2. editione Suar. *l.6.c.*18.*n.9.* Sanch. *lib.4.c.50.n.* 15. Layman. *l.* 4. *summæ tract.4.c.8.n.*21. Pro commutatione autem in æquale, & à fortiori in minus causa requiritur. Quia est æqualis remissio obligationis contractæ, quam fieri absque causa Deo placere non potest: potiùs enim illi placet contrarium vtpote conformius fidelitati debitæ. Et tradunt Caietan. *d. art.*12. §. *in commutatione.* Couarr. *de pactis 1.p.§.3.n.4.* Sanch. *l.* 4. *c.* 50. *n.* 17. Suar. *l.6.c.19.n.5.* Layman. *cap.8.n.22. & alij apud ipsos.*

8. Causa verò ad commutationem faciendam in rem æqualem leuis sufficit: quia non est absoluta obligationis remissio, sed illius translatio. Communiter censent Doctores sufficere, si commutationem ardenter petas sperans maiori cum fructu materiam subrogatam executurum: quia in honorem Dei cedit, si se benignum exhibeat debitoribus voluntariis obligationem materiæ promissæ remittens contentus alia æquali. Excitantur enim vouentes ad noua vota, & facta cum maiori fructu explent. Sic Caietan. 2. 2.*q.* 88. *a.* 12. vers. *in commutatione* & in summa verbo *votum c.vlt.* Valent. *disp.6.q.6.punct.7.* circa finem *vers. ex commutatione.* Suar. *l.6. c.19.n.*10. Sanch. aliis relatis *lib.4.c.50.n.22. & 23.* Layman. *l.* 4. *tract.4.c.8.n.*23. Lessi. *lib.2.c.40.dub.16.n.*110. in secunda editione. Ad commutationem faciendam in rem minorem, cum non ex potestate commutandi, sed ex potestate dispensandi ortum habere possit; ea causa requiritur quæ ad dispensationem de qua supra.

PVNCTVM XVI.

Qualiter gaudentes potestate tantum commutandi vota eam exercere possint?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur dubitandi ratio.*
2 *Ad solum æquale extenditur.*
3 *Qualiter hæc æqualitas sumenda sit.*
4 *Quis modus sit seruandus in commutatione.*
5 *Qualiter vota Iubilæi vel bullæ cruciatæ facultate commutentur. 5. remissiuè.*

1. RAtio dubitandi est: quia æqualitatem inuenire materia subrogata difficillimum est. Si igitur potentes vota commutare contenti esse non possunt minori materia subrogata, eorum potestas, inutilis est, cum raro vel numquam exerceri possit. Quapropter plures Doctores censent in paulo minùs fieri commutationem posse. Sic Toletus *lib.4. summ. c.18.n.penult.* Emanuel. Sà verbo *voto irritatio n.*10. in editione Complutensi, & alij relati à Sanch. *lib.4.c.50.n.2.*

2 Dicendum tamen est, ad solum æquale hanc potestatem extendi. Quia commutatio est contractus, in quo vnum pro alio ex voluntate creditoris subrogatur. Petit ergo æqualitatem iuxta Arist. 3. Ethicorum, alias non erit commutatio, sed donatio. Deinde si remissio obligationis sub minori materia subrogata est commutatio quamuis materia subrogata notabiliter minor sit, commutatio erit: quia non apparet vnde limitetur. Ergo priuilegium commutandi ad eam commutationem vtpote propriam extendi poterit, quod falsum est, neque ab aduersariis admittitur, coincideret enim potestas commutandi cum potestate dispensandi, provt communiter exercetur. Ergo potestas commutandi spectata vocis proprietate, & communi acceptatione ad solam æqualem subrogationem, non ad minorem extenditur. Et ita docent. Caiet. 2.2.*q.* 88. *a.* 12. vers. *in commutatione*, & in summa verbo *votum c.vlt.* Cou. de pactis 1.*p.*§.3.*n.*4. Sanch. *l.4.c.*50.*n.*4. Suar. *l.6.c.19.n.*7. *&* 8. Laym. *l.4. sum.tr.4.c.8.n.24. & alij plures apud ipsos.*

3. Hæc tamen æqualitas non ita rigidè & scrupulosè sumenda est vt certo de illa Prælato constare debeat. Vt rectè probat ratio dubitandi: sufficit enim si probabiliter constet. Adde non requiri mathematicam æqualitatem sed moralem, quæ sic reputatur quoties excessus manifestè non apparet; eâque de causa Doctores c.1. relati censent, commutationem fieri posse in paulò minùs: quia quod parum ab æqualitate distat, nihil distare videtur, sed moraliter æquale est. Sic Azor. *1.p.l.* 11.*c.*18.*q.*6. Sanch. *c.*50.*n.*7. Suar. *c.19.n.9.* Sayr. in Clau. Reg. *l.* 6.*c.*12.*n.*19. Laym. *l.4. sum.tr.4.c.8.n.24.*

4. Modus autem faciendi commutationem prudentis arbitrio relinquitur spectata qualitate tum vouentis, tum operis promissæ tum finis ob cuius consecutionem votum factum est. Quibus consideratis prudens Prælatus facilè æqualitatem moralem etiam inter res diuersas inueniet. Nam esto Physicè diuersæ sint, & dissimiles, æqualitatem quoad diuinum cultum, meritum & satisfactionem habere possunt. Suar. *lib.6.c.19.n.21.* Sanch. *lib.4.c.56.n.6.* Lessius *lib.2.c.40.dub.* 16. *n.*109. in secunda editione. Sayro in Clau. Regia *lib.6.c.12.n.* 5. *&* 6. Layman. *lib.4. sum. tract.4.c.8.n.25.* Ex quo sit, votum personale in reale commutari posse, & econtra: vt manifestè conuincitur ex *c.1. de voto*, tametsi quoad fieri possit conueniens sit, vota personalia in personalia, & realia in realia commutare. Quia sic fini vouentis, qui in votis præcipuè spectandus est magis congruit. Sanch. *d.c.56.n.24.* Suar. *c.19.n.16.* Layman. *c.8.n.24.* Lessius *supra.* Eadémque ratione opus non est, vt votum perpetuum in aliud perpetuum commutetur; quia temporali obsequio nobiliori perpetuum compensari potest. Suarez *tom.*21. Sanch. *n.*27. Aliqui tamen dicunt in voto peregrinationis commutando non esse computandas expensas, quas secundum sui status decentiam, nec quas standō, & redeundo vouens facturus esset, quia omnes illæ non videntur sub votum cadere. Siquidem voto satisfacit simpliciter eundo absque vllo comitatu, vllâve assistentia in loco peregrinationis, vlloue reditu. At omnino tenendum est computandas esse. Nam esto non fuerint in rigore promissæ, moraliter tamen & tanquam quid accessorium promissæ sunt. Quia promissa est peregrinatio, qualis à personis eiusdem qualitatis communiter fit. Et colligitur manifestè ex *c. magnæ de voto*, ibi. Expensas quas fueras eundo, morando, & redeundo facturus. Secùs verò esset si expressè voueres ire mendicando. Quia tunc non expensæ, quæ nullæ sunt, sed labor computandus est. Semper tamen deducendæ expensæ, quæ domi essent faciendæ. Quia hæ sub votum nec accessoriè cadunt Suar. *lib. 6.c.19.n.20. &* 21. Layman *n.*24. Sanch. aliis relatis *lib. 4.c.56. à n.*14. *& seq.* Quem omnino vide, quia satis prudenter & doctè (vt solet) praxim commutationis toto illo *cap.*56. expender.

Qualiter autem vota per facultatem in iubilæis, aut bulla cruciata concessam commutentur. 3. *p. explicando bullam cruciatam declaramus*, interim videri potest Sanch. l. 4. summ. *c.* 53. *à n.6. & c.*54. *per totum.*

PVNCTVM XVII.

An commutatio facta in æqualem vel minorem materiam valida sit, extinguátque prioris voti obligationem?

SVMMARIVM.

1 *Quid respondeat Sanch. quæst.*
2 *Quid sentiendum sit, declaratur. Et in primis commutationem in rem æqualem vel minorem propria authoritate nullam esse.*
3 *Commutatio facta in minorem materiam auctoritate Prælati nulla est. & satisfit rationibus adductis à Sanchez.*
4 *Neque est valida commutatio Prælati in rem æqualem manifestè absque vlla causa.*
5 *Quæ commutatio voti obligationem extinguat.*
6 *Peccat spectata nostra sententia qui commutatione in æquale se prætendit à voto liberare.*
7 *Facta commutatione nulla vouens obligatur ad votum.*

1. QVadruplici conclusione respondet Sanchez *lib. 4. cap. 51. quæst.* In prima (inquit) quando commutatio voti fit auctoritate Prælati in rem æqualem, & sola commutandi causa deficit, valet vtique commutatio, neque est aliquid supplendum. Adducitque pro se Suar. *lib. 6. c. 20. num. 7.* Sed Suar. non absolutè sed cum limitatione consentit, nempe quando Prælatus bona fide processit, & addit eo casu moraliter non deesse causam. Probat Sanch. hanc conclusionem; quia adfuit potestas, & voluntas in superiore ad commutandum, & solum in vsu talis potestatis fuit defectus. Ergo tenet commutatio. In 2. conclusione ait. Quando commutatio fit in minùs auctoritate Prælati etiamsi nulla ad commutandum causa subsit, ne dum ad minuendum; valet vtique commutatio, cum sola obligatione supplendi id quod defuit ad æqualitatem materiæ subrogatæ cum promissa. Probat primò quia contractus permutationis, sicut & venditionis non annullatur ex inæqualitate rerum, quæ permutantur, sed est obligatio supplendi defectum. Iuxta legem 2. *Cod. de rescindenda venditione.* Ergo etiã contractus permutationis voti, qui fit cum Prælato nomine Dei in æqualitate non vitiabitur. Siquidem mitiùs cum Deo quam cum hominibus agitur, lege *celsus, ff. de receptis arbitris.* Secundò probat ex lege *diligenter 5. ff. mandati.* Vbi postquam obseruatio mandati commendatur, subiungitur venditionem virtute illius factam valere, quando excessus mandati fuit in solo modo; eo quòd minori vendideris pretio, quàm iussus fuisti, tibi. Si mandauero tibi vt fundum meum centum venderis, túque eum nonaginta vendideris, & petam fundum, non habebit mihi exceptio, nisi & reliquum mihi quod deest mandato meo præstes, & indemnem me per omnia serues. Ex cuius textus decisione manifestè constat, venditionem valere, siquidem dominus ius non habet recuperandi fundum, si defectus pretij, ei suppleatur. Ergo commutatio voti in minùs facta à Prælato commissionem habente commutandi in æquale, valida erit cũ obligatione supplendi defectum, vel dissoluendi commutationem. Quia solum fuit excessus in modo, non in substantia commutationis. Hæc enim ex voluntate Dei processit, tametsi modus illi contrarius fuerit. Tertiò probat specialiter contra Suar. Si ex se (inquit) iusta commutandi causa valeret vtique commutatio facta in minùs parcialiter cum obligatione supplendi æqualitatis defectum vt Suarez fatetur. Ergo etiam si causa deficiat, valebit commutatio; quia defectus causæ non vitiat commutationem, sed modum. Confirmat. Quia idem est ius de toto quoad totum, & de parte quoad partem *leg. quæ de toto ff. de rei vendicat.* Sed valet commutatio quoad votum quando seruatur æqualitas, etsi desit iusta causa commutandi, ergo valebit quoad partem in qua est æqualitas cum materia, etsi adsit defectus causæ. In tertia conclusione (inquit Sanchez) idem esse dicendum quando non ipse Prælatus, sed eius delegatus commutat: quia militant eædem rationes. Addítque ad supplendum defectum æqualitatis non esse necesse Prælatũ adire, sed ipsum vouentem posse. Quia nomine Prælati & ex illius tacito consensu facit: siquidem præstat quod ipsemet Prælatus facere debebat. In quarta conclusione (inquit) commutationem voti factam propria auctoritate, vel alterius carentis iurisdictione in æquale, vel in minus non esse omnino irritam, sed teneri vouentem, vel priùs votum implere, vel supplere, quod commutationi defuit vt esset in bonum euidenter meliùs. Ducitur Sanch. hoc argumento. Si rem venditioni quinquaginta aureorum expositam surriperes, aut pro ea quadraginta tantum domino dares credens dare quinquaginta satisfaceres in priori casu tradendo quinquaginta & in posteriori tradendo decem: quin tenearis rem domino reddere, quia posito quod ipse voluntatem habuit absolutam vendendi, solum defectus fuit in modo. Cũ ergo Deus vota omnia commutationi habeat exposita, velitque ea iusta causa intercedente in æquale, vel in melius commutari: Faciens commutationem in minùs solum in modo non in substantia deficit. Confirmat primò; quia esto Prælatus excedat limites suæ potestatis commutanda in minus, valet eius commutatio. Vt in 2. concl. probatũ est. Ergo etiam valebit commutatio facta propria auctoritate, etsi excedat cõmutans suæ potestatis limites. Confirmat secundò: quia illud opus minus in commutatione susceptũ non præstatur gratiosè à vouente, sed in voti commutationem; ac proinde in partialem voti prioris solutionem. Hinc infert Sanchez sic commutantem non peccare votum transgrediendo si habet animum supplendi defectum, qui in commutatione interuenit: sicuti non peccat qui rem venditioni expositam furans ea vtitur animo tradendi statim pretium domino.

2. Cæterum hæc doctrina his conclusionibus tradita nullatenùs mihi probari potuit. Et vt à clariotibus incipiamus, dicendum est, commutationem propria auctoritate factam in rem minorem vel æqualem iuxta nostram sententiam irritam esse & nullam. Sic expressè Suar. *lib. 6. c. 20. n. 7.* Et supponunt omnes qui id de Prælato affirmant quos statim referemus. Ratio videtur manifesta. Quia nullus propria auctoritate se eximere potest ab obligatione voti nisi maiorem compensationem subrogando; quippe quæ hæc sola excepta fuit in priori voti obligatione. Ergo obligatio voti cessare non potest subrogatione minoris compensationis. Item commutatio in rem minorem, vel æqualem, sicut & dispensatio actus est iurisdictionis vt in superioribus probatum est. At nullus (qui Prælatus non sit) iurisdictionem habet ad commutandum vota in rem minorem: imo neque in æqualem vt supra diximus. Ergo commutatio sic facta nulla est. Quia cessante iurisdictione corruit actus, qui in illa fundatur.

Neque fundamentum Sanch. relatum in 4. conclusione aliquomodo vrget, nam esto verum sit furantem rem venditioni expositam obligatum non esse rem furatam tradere, sed tradendo pretium satisfacere dummodo dominus in eadem voluntate perseueret. Attamen dum pretium non tradit nulla est venditio nec rei sublatæ possessio. Sic nulla erit commutatio voti dum vouens rem superiorem loco promissæ non subrogat; quia aliam Deus non acceptat. Neque est verum sic nulliter commutantem non peccare, transgrediendo votum, si vrget executionis tempus; tametsi animum habeat supplendi commutationis defectum. Quia cum commutatio in minus nulla fuerit, votum eodem modo obligat, ac si facta non esset, à qua obligatione non liberat animus supplendi commutationis defectum. Alias quilibet posset votum suum transgredi animo commutandi in melius, quod est absurdum. Neque exemplum de re furata venditioni expositæ est ad rem. Nam esto in vsu talis rei animo tradendi statim pretium non esset culpa grauis, id prouenit; quia eo vsu non censetur fieri domino graue nocumentum. At si tempus executionis voti vrgeat; cum eo tempore fidelitas, & religio te astringat ad votum exequendum, infidelis es, & voti transgressor, si omittas: à qua infidelitate, & voti transgressione non excusaris ob animum subeundi statim superiorem obligationem.

Secundò dicendum est commutationem factam auctoritate Prælati in minorem materiam ea, quæ promissa fuit nullam esse, neque vouentem liberari ab onere & obligatione voti, quantumuis exequatur materiam subrogatam. Sic docuit expressè Suar. *lib. 6. c. 19. n. 14. & c. 20. n. 6.* & tradunt Innoc. *c. 1. n. vnico de voto*, Nau. lib. 3. consiliorum tit. de voto *consil. 5. in priori edit. n. 1. & cons. 19. in 2.* Azor. *tom. 1. lib. 11. c. 18. q. 12.* Palacios *4. d. 38. disp. 3. circa finem fol. 876.* Ludouic. Lopez *1. p. instructorij conscient. c. 50.* vers. *etiam secundum.* Alcozer *sum. c. 16. conclus. 2.* Neque in contrarium pro sententia Sanch. video esse aliquem patronum. Ratio est: quia à voti obligatione neminem Prælatus liberare potest nisi quatenùs Dei vices fungitur. At vtentes commutandi facultate tantum, solum habent vices Dei ad liberandum vouentem à voti obligatione subrogata materia æquali, Quia ea potestas (vt ipsemet Sanch. *c. 50. n. 4.* fatetur) ad solam hanc commutationem extenditur. Ergo dum materia æqualis non subrogatur, vouens liber non est ab obligatione. Deinde commutatio valida esse non potest, nisi Deus illam acceptet. Sed commutationem in rem inferiorem Deus non acceptat vtpote nomini ipsius non factam. Ergo vi illius liberari non potest vouens à voti obligatione. Præterea liberari vouentem à voti obligatione subrogatione materiæ inferioris est actus potestatis dispensatiuæ & in superioribus dictum est. Ergo non est actus potestatis commutatiuæ tantum. Ergo hac sola gaudentes illum præstare non possunt.

Neque obstant rationes contrariæ adductæ à Sanch. pro sua secunda conclusione. Non prima. Nam esto inæqualitas valori permutationum & venditionum non obstet; non inde infertur in permutatione votorum idem esse dicendum. Quia respublica ob vitandas lites contrahentes iudicauit reseruato iure indemnitatis. At nullibi constat Deum in permutatione inæquali votorum consentire, neque ratio vitandi lites locum habet comparatione Dei. Ergo. Adde permutationem onerosam non vitiari ex inæqualitate secùs verò gratuitam, hoc est, quæ gratuitæ donationi succedit; hanc enim etsi Superiorem non censentur homines donatarij admittere; bene tamen Deus, in quo vides, quanto mitiùs cum Deo quam cum hominibus agitur. Eodem modo respondendum est ad secund. fatemur in quam venditionem factam à procuratore excedente mandatum in quantitate pretij valere. Quia præsumitur Dominus potestatem procuratori tradidisse pro natura venditionis, quæ iure sic disponente valida est, tametsi inæqualitatem habeat. At cum nullo iure dispositum sit commutationem voti in rem minorem validam esse, imò contrarium ipsas commutationis natura suadeat, dicendum est sic factam nullam esse. Postrema ratio solum procedit aduersus Suarez casu quo admitteret commutationem absque causa valere, sed ipse id non admittit, vt in principio huius quæstionis nouimus. Præterquam quod est longè diuersum, esse commutationem inæqualem vel esse sine causa. Nam quando inæqualis est, iniusta est: quando absque causa, iusta, tametsi iniustè facta.

4. Sed nihilominùs tertio dicendum est nullam esse commutationem in rem æqualem, quam Prælatus scienter faceret absque vlla causa, (tametsi hoc rarò contingere possit.) Sic

Sic docet Suar. *dict. c.20.n.7. & c.17. n.5.* Ratio eſt eadem ac præcedentium concluſionum; quia procedit à non habente poteſtatem: nemini enim data eſt poteſtas vota remittendi ſiue per commutationem, ſiue per diſpenſationem abſque cauſa, quia eſſet irrationabilis conceſſio: Ergo ſicut diſpenſatio ſcienter abſque cauſa facta irrita eſt, & nulla, ita commutatio. Si tamen Prælatus bona fide procederet credens adeſſe cauſam; valida erit commutatio, vt docuit Suar. *ſuprà.* Quia ipſa bona fides Prælati pro cauſa eſt; ne cenſeatur Deus rigoroſus exactor.

5. Ex his deducitur primò, eam ſolam commutationem extinguere voti obligationem, quæ fit in meliùs, ſi propria auctoritate fiat, ſi verò auctoritate Prælati, quæ fit in æquali cauſa intercedente.

6. Secundò deducitur, peccare mortaliter vouentem iuxta noſtram ſententiam, qui media commutatione à ſe facta in rem æqualem intendit à voti obligatione ſe liberare, & ſimiliter Prælatum, qui commutatione in minùs prætendit eam libertatem vouenti concedere. Quia vſurpant auctoritatem ſibi non conceſſam, faciuntque actum nullum. Et tradit Sanch. *lib.4. cap.50.n.8.* tametſi contrarium doceat *lib.4. c.51. n.15.& 16.* & immerito adducit pro ſe Suar. *lib.6. c.19.n.14.* Nam licet ſolum expreſſerit eſſe culpam grauem, ſatis ex antecedentibus & ſequentibus indicauit grauitatem illam mortale peccatum attingere.

7. Tertiò deducitur facta illa commutatione nulla vouentem obligatum eſſe ad votum, ac ſi nulla commutatio facta eſſet. Quia quod nullum eſt, nullum producit effectum regula, *non præſtat de regulis iuris in 6.* Sic. expreſsè Nauarr. *lib.3. conſ.5.de voto in 1. edit.& conſ. 19. in 2.* & Azor. *1.p. lib.11.c.18.q.12.*

PVNCTVM XVIII.

An commutatione legitima extinguatur prioris materiæ obligatio, ita vt ad eam reditus non ſit.

SVMMARIVM.

1 *Extinguitur prioris materia obligatio.*
2 *Facta materia ſubrogata inutilis vel impoſſibili non reuiuiſcit prioris obligatio.*
3 *Limitant aliqui hanc doctrinam vt procedat in commutatione facta ab homine non à iure. Sed non admittitur.*
4 *Aliam limitationem adducit Leſſius ſed non approbatur.*
5 *An redeunte obligatione prioris materiæ commutatæ pereat ſubrogata? Negat Sanch. in commutatione voti caſtitatis, & religionis, ſecùs in aliis.*
6 *Secura ſententia ſed non ſatis fundata.*
7 *Qualiter vouenti liceat reditus ad priorem materiam promiſſam.*
8 *Si commutatio in minorem materiam facta eſt, licet reditus ad priorem. Itémque ſi facta eſt in æqualem.*
9 *Si in meliùs fuerit commutatio facta, ſatis probabile eſt, non dari reditum.*
10 *Contrarium ob communem ſententiam defenditur.*
11 *Si redeas ad materiam commutatam omiſſa ſubrogata poteris omiſſa commutata ad ſubrogatam redire, excepto vno caſu.*

1. COmmutatione ritè facta extingui prioris materiæ obligationem ferè omnes Doctores ſentiunt apud Sanch. *lib.4. cap.55. num.2.* Quia commutatio eſt tranſlatio obligationis in nouam materiam; ac proinde eſt antiquæ extinctio, & nouæ ſuſceptio, cui extinctioni non obſtat, quòd poſſit vouens (ſi placuerit) omiſſa materia ſubrogata ſuſcipere priorem: quia id ex benigno & interpretatiuo conſenſu Dei creditoris fit.

2. Quadruplex tamen eſt difficultas prima; an facta materia ſubrogata inutili vel impoſſibili reuiuiſcat prioris obligatio? Ratio difficultatis eſt; quia in cultum Dei & in vtilitatem vouentis cedit, ſi commutatio ea conditione fiat, vt ſi vouens materiam ſubrogatam non exequatur, prioris materiæ obligatione aſtrictus ſit. Ergo facta materia ſubrogata impoſſibili vel ob impotentiam, vel malitiam vouentis prioris obligatio reuiuiſcit, quæ erat ſuſpenſa, & ſolum ſub conditione extincta. Deinde vouens redire poteſt pro libito ad priorem materiam. Ergo ſignum eſt obligationem ad priorem materiam non eſſe penitus extinctam ſed mutatam, itavt quæ erat determinata, facta ſit indeterminata & ſub diſiunctione.

Nihilominus dicendum eſt, facta commutatione nullam eſſe obligationem exequendi priorem materiam; tametſi ſubrogata inutilis vel impoſſibilis fiat; & ſiue commutatio facta fuerit in meliùs, ſiue in æquale, ſiue in minùs. Sic docent Sayr. in Claui Regia *li.6.c.12. n.14.* Graffis *1.p. deciſ.li.2.c.30.n.3.* Suar.to.2.de Relig. *lib.6.de voto c.20.à n.6.* Sanch. lib.8.de matrim. *diſp.9. n.21.* & lib.4. ſummæ *c.55. n.15.* Laym. li.4. ſum.*tract.4.c.8.n.28.* Ratio ea eſt. Quia commutatio ſecundum omnes Doctores extinguit abſolutè prioris materiæ obligationem nouæ materiæ obligatione ſuſcepta. At obligatio ſemel extincta non reuiuiſcit, vt pluribus exornat Gloſſ. *in leg. qui re §. Aream, ff. de ſolut.* Quod præcipuè locum habet in obligationibus voti & Iuramenti; quia propria voluntate ſuſcipiuntur, in quibus nequit extincta obligatio reuiuiſcere, quin voluntariè votum & Iuramentum renouetur. Affirmare autem commutationem fieri ſub illa conditione; ac proinde non extinguere obligationem prioris materiæ, ſed ſuſpendere, eſt contra communem ſenſum, & præter rationem. Nam cum commutatio ſit fauor vouenti factus, grauari ea non debet, ſed leuari. At ſi obligatus eſſet exequi priorem materiam ſubrogata inutili vel impoſſibili facta, non leuaretur commutatione, ſed potiùs grauaretur: quippe qui ex commutatione duplicem obligationem ſubiret, primam abſolutè exequendi materiam ſubrogatam, ſecundam, exequendi priorem in caſu impoſſibilitatis ſubrogatæ; quod grauamen præponderat fauori commutationis factæ non ſolum in qua materia ſubrogata melior, ſed æqualis eſt, vt de ſe conſtat, ſed etiamſi ſit paulò minor. Quod verò vouens omiſſa materia ſubrogata priorem exequi poſſit: non inde fit ad illam ſub diſiunctione obligari: ſicuti non obligatur exequi materiam meliorem, vel æqualem, & quam terminatè promiſit; tametſi id facere poſſit. Quia poteſtas redeundi ad materiam priorem eſt fauor commutationis ex benigno & interpretatiuo conſenſu Dei creditoris prouenientis; obligatio verò determinatè exequendi materiam ſubrogatam eſt rigor illius.

3. Limitat hanc doctrinam Viuald. *candelabr. Sacram. 3.p.c.14. n.28.* Graffis *1.p.deciſ. lib.2.c.30. n.3.* Vbi procedat in commutatione facta ab homine, ſecùs ſi fiat à iure per religionis profeſſionem. Quia hæc videtur facta ſub ea conditione ſi in religione perſeueraris; quare ſi ab ea fueris expulſus, vel in ea diſpenſatus, teneris prioris materiæ obligationem exequi. Sed reiicienda eſt hæc limitatio vtpote ſine vllo fundamento. Nobilior namq; eſt hæc commutatio omnibus aliis, quæ ab hominibus fieri poſſunt; ac proinde efficior debet eſſe ad extinguendam priorum votorum obligationem. Sic docent expreſsè Sanch. *diſp.9.n.21.& c.55. ſumma n.16.* Suar.li.9.de voto *c.20. n.11.* Layman lib. 4. ſum. *tract.4. c.8.n.29.* Neque ab hac efficaci excludendum eſt votum religionis aſſumendæ ſiue in genere ſiue in ſpecie, nec votum perſeuerandi, quia omnia hæc vota abundè compenſantur dedicatione perpetua, qua quis ſe ſuáque omnia Deo per profeſſionem religioſam conſecrat. Et tradit aliis relatis Sanch. *lib. 4. ſum. c.55. num. 148.* Leſſius *lib.2. c.41. dub.15. num.111. in 2.edit.* Layman *ſuprà.*

Solum votum ſub conditione factum ingrediendi aliam religionem caſu, quo de ea quam ingrederis, eiectus ſis], vel in tuis votis diſpenſatus, negant Leſ. *ſupra.* Sanch.*n.19.* profeſſione commutari. Quia nulla ratio adeſt huius commutationis cum executio huius voti non concurrat cum profeſſione, ſed potiùs ſub conditione ceſſationis illius aſſumatur. At verius credo neq; hoc votum excipi debere. Nam eſto executio illius non concurrat cum executione profeſſionis; non inde fit, quod virtute illius quodlibet votum non commutetur: quia non commutatur ob hanc impoſſibilitatem, ſed ob illius actus excellentiſſimam perfectionem. Alias nec propria voluntate poſſet commutari, quod Sanch. negat. Deinde non ſolum votum ingrediendi religionem, ſed ieiunandi, recitandi, aliudve opus pium faciendi caſu, quo à religione fueris expulſus non erit commutatum, quod à Doctoribus non admittitur; cum nulla ſit ſpecialiter ratio pro voto religionis, quæ in aliis votis non procedat. Adde vota perpetua, & diuiſibilia non extinguentur ea parte, qua ceſſante profeſſione exequi pores. Denique ſolus Sanch. & Leſſius huius exceptionis meminerunt; cum tamen ſi vera eſſet, reliqui omnes Doctores illam non omitterent.

5. Secunda difficultas è contra eſt: an redeunte obligatione prioris materiæ commutatæ, eo quòd non integrè ſed in parte facta ſit, extinguatur obligatio materiæ ſubrogatæ? v.g. diſpenſatus es vt non obſtante voto religionis, vel caſtitatis matrimonium contrahas ſub onere commutationis in confeſſionem menſtruam, aliáque pia opera quotidiè præſtanda; contingit te viuente & potente votum implere mori coniugem, & matrimonium diſſolui, quo caſu obligatio voti redit, quia ſolum ad effectum contrahendi matrimonium diſpenſatus fuiſti. An inquam tenearis commutationem illam exequi? Reſpondet Sanch. *lib.4. ſumm. cap.55. num.21.* in ſupradicto caſu te teneri, ſecùs ſi in aliis commutationibus temporaneis. Mouetur ex tenore litterarum, quibus conceditur à Pontifice Confeſſario facultas ad hæc vota diſpenſanda, quæ indicare videntur perpetuitatem. Inquit enim Pontifex diſpenſando commutes in frequentiam Sacramentalis confeſſionis

singulis scilicet mensibus semel vel quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentiæ opera per te iniungenda, inter quæ sint aliqua pietatis opera, quæ quotidiè facere teneatur ad eum finem, vt ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua huiusmodi voto astringebatur. Ponderat Sanchez verbum *singulis mensibus*; insuper. In alia pietatis opera, quæ *quotidie* facere teneatur. Item vt meminisse *semper* possit obligationis. Quæ omnia (inquit Sanchez) quanquam perpetuitatem important. Præterea quia si vellet Pontifex subrogationem materiæ non fore perpetuam, sed extingui reuiuiscente voto, id exprimeret; sicuti expressit voti dispensationem extingui matrimonio dissoluto. Subditque Sanchez rationem; quia cum votum illud sit ita excellens, & perfectum & ad statum perfectissimum assumendum, possitque contingere ex vi illius dispensationis, nunquam vouentem ad illius executionem obligari, præstat ea opera, in quæ commutatur, esse perpetua, vt sic relaxatio illa temporalis, & dimidiata voti aliquomodo compensetur.

6. Sententia hæc Sanchez vtilis & secura est, & omnino consulenda. At qua parte excipit à communi regula commutationem factam de voto castitatis, & religionis, contrarium mihi probabilius apparet. Tum quia benignius; tum quia nullum est firmum fundamentum huius exceptionis. Cum enim regula generalis sit, & ab ipsomet Sanchez admissa, voto principali redeunte perire subrogatum; opus erat clarè & manifestè hanc voti castitatis, & religionis commutationem excipi, quod tamen non videtur fieri in præsenti. Nam verba illa *singulis mensibus*, *quotidie*, *& semper* id non exprimunt; optime enim explicantur de tempore quo non redit votum; illo namque tempore iustum est, vt singulis mensibus confiteatur, & aliqua pietatis opera quotidie exerceat, vt sic semper (hoc est) continuo meminisse possit obligationis, qua astringebatur. Imo ex his vltimis verbis non leue fundamentum colligitur ad nostram sententiam astruendam. Si enim menstrua confessio, & piorum operum quotidiana exercitatio ad eum finem imponitur, vt vouens meminisse possit obligationis, qua voto dispensato astringebatur, si dispensatio perit, & votum redit, cessat finis huius nouæ impositionis & obligationis; cum iam ipsummet votum sufficienter sui memoriam excitet; neque verum sit menstruam confessionem, & piorum operum exercitationem excitare eo casu memoriam voti, quod dispensatus astringebatur, sed quo de facto astringitur. Et hinc soluitur secundum fundamentum; satis enim Pontifex expressit commutationem non ampliùs duraturam quam dispensatio duraret. Nam cum contrarium non expresserit, censendus est naturam commutationis, & subrogationis noluisse immutare. Expressit autem dispensationem voti non perpetuam quia id præter naturam est dispensationis, & quia non erat dispensatio integra voti, sed solum ad quendam effectum. Tertium fundamentum ad summum probat, ad seruandum æqualitatem commutationis oportere opera illa durare in perpetuum. At cum hæc vota non absolutè commutentur sed dispensentur, & pro illorum dispensatione causæ examinentur; efficitur sane supradicta temporali commutatione adiuncta sufficienter illorum dispensationem honestari. Denique nostram sententiam; hac consideratione confirmo. Si votum in rem minorem commutetur omnes Doctores sentiunt (vt statim dicemus) licitum esse vouenti omissa materia subrogata redire ad priorem promissam; quia in fauorem vouentis hæc subrogatio facta est. Sed cum votum castitatis, & religionis, illúsque obligatio nunquam nubendi dispensatur, & commutatur in confessionem menstruam, & piorum operum quotidianam exercitationem, commutatur secundum communem sensum in rem minorem. Ergo si posset vouens ad priorem obligationem redire, posset commutationem illam committere. At dissoluto matrimonio redit iure ipso prior obligatio. Ergo cessat minoris materiæ subrogatæ commutatio.

7. Tertia difficultas est, qualiter vouenti liceat ad priorem materiam promissam reditus omissa subrogata? Pro cuius decisione suppono, commutationem fieri posse in rem inferiorem, æqualem, vel superiorem materia promissa.

8. Igitur si commutatio facta est in rem minorem, omnes Doctores sentiunt (vt nuper dixi) licitum esse vouenti ea omissa ad priorem materiam promissam redire vtpote excellentiorem, & nobiliorem, Deóque gratiorem. Si verò facta sit in rem æqualem, non omnes conueniunt licitum esse vouenti omissa illa materia ad priorem redire. Quia secundum nostram sententiam nemini licet propria auctoritate votum in rem æqualem commutare. At si facta commutatione & acceptata liceret vouenti ad priorem materiam redire, iam vouens posset votum in æqualem rem commutare. Ergo. Nihilominus longè probabilius est, licere vouenti omissa materia subrogata ad priorem propriam & natiuam redire. Quia posita æqualitate materiæ subrogatæ cum primo promissa gratiùs Deo esse videtur, priorem exequi quam secundam; cum secunda solum ex benignitate concedatur, & in gratiam vouentis, si velit illam exequi: non quia in Dei honorem, & cultum, & maiorem vouentis vtilitatem specialiter cedat. Et ita tenet expressè Açor. *1. p. lib. 11. c. 18. q. 10.* Suar. *lib. 6. c. 20. n. 4.* Sanch. *lib. 4. c. 55. n. 26.* Lessius *lib. 2. c. 40. dub. 16. in fine* Sayro lib. 6. in Clani Regia, *c. 12. n. 22.*

9. Quod si votum vel auctoritate propria vel Prælati in melius commutatum fuerit, satis probabiliter defendit Suar. *lib. 6. de voto cap. 20. num. 4.* non esse licitum transitum ad priorem materiam. Quia huiusmodi transitus vtpote diminuens diuinum cultum, & vouentis vtilitatem non est Deo gratus. Neque obstat hanc commutationem fieri in fauorem vouentis: hoc enim solum probat, posse vouentem eam commutationem ante illius acceptationem respuere, non tamen post acceptationem. Nam acceptatâ illa commutatione cessauit fauor vouentis, & est ius acquisitum Deo ad illius obseruationem absque potestate retrocedendi: quia id pertinet ad maiorem Dei cultum & vouentis vtilitatem. Et confirmo ex humanis promissionibus. Si enim Petro promitteres mensuram hordei, & ex eius consensu in mensuram tritici promissionem commutares, non liceret tibi retrocedere. Nam esto fauorem tibi Petrus præstaret supradictæ commutationi consentiendo; at post illius consensum à te factam commutationem cessat fauor, & solum spectatur quid Petro gratius sit, & vtilius. Sic in præsenti videtur dicendum, facta commutatione in melius non esse tibi licitum retrocedere. Quia esto Deus ob tui fauorem, & ipsius gloriam hanc concesserit permutationem, non est credendum ea facta regressum permittere vtpote, contrarium suæ maiori gloriæ & tuæ vtilitati.

10. Fateor hanc rationem non leuiter vrgere; sed quia communior est sententia affirmans, quomodocumque fiat commutatio materiæ promissæ siue in æquale, siue in melius, posse vouentem ad priorem & natiuam materiam redire subrogata relicta. Sic enim generaliter tradit Lessius & Sayro *locis allegatis & expresse* Sanchez *d. lib. 4. cap. 55. n. 26.* Layman *lib. 4. summ. tract. 4. cap. 8. num. 27.* Ea de causa dicendum est commutationem ex benigna Dei concessione fieri sub facultate redeundi ad priorem materiam. Nam cum sic fieri possit, tum ad Dei benignitatem declarandam, tum vt vouentes facilùs vota exequantur, & ad noua emittenda excitentur, præsumendum est sic factam esse. Neque obstat quod hic reditus cedat in diminutionem diuini cultus, & vtilitatis vouentis quando fit ex materia subrogata nobiliori ad priorem non æquè excellentem spectata per se vtraque materia, illóque casu speciali; quia contrarium cernitur rebus omnibus absolutè consideratis. Cedit enim maximè in Dei honorem & gloriam, vt vouentes intelligant, mitiùs cum Deo agi posse quam cum hominibus; neque esse ita rigidum exactorem sui iuris, quin aliquam illius remissionem faciat in fauorem vouentis.

11. Quarta difficultas est; an postquam quis redit ad materiam commutatam omissa subrogata possit iterum ad subrogatam redire? Videtur affirmare Lessius lib. 2. de iustitia *cap. 40. dub. 16. in fine*, *num. 111. in secunda editione*. Nam sequitur (inquit) si sæpiùs facta sit commutatio posse seruari quidvis illorum, in quæ facta fuit, v. g. votum peregrinationis annuæ commutatum est in menstruam confessionem, menstrua confessio in ieiunium hebdomadarium; ieiunium hebdomadarium in certas preces quotidianas; potest vouens satisfacere voto, vel recitando illas preces, vel ieiunando singulis hebdomadis, vel confitendo singulis mensibus vel annuam peregrinationem suscipiendo. Sentit ergo Lessius vouentem liberum esse ex subrogata materia ad commutationem redire & contra: Siquidem sentit posse ad satisfaciendum voto eligere eam materiam quam maluerit. Nam cum commutatio relinquat potestatem satisfaciendi voto exequendo priorem materiam promissam, executione inquam prioris materiæ promissæ non videtur vouens priuari potestate accepta virtute cõmutationis. Placet hæc sententia, nisi fortè vt dicit Sanch. lib. 4. sum. *cap. 55. numer. 29.* Suar. lib. 6. de voto *cap. 20. num. 13.* Redeundo ad priorem materiam æqualem, vel superiorem renunciares commutationi, quod non credo te alia via præstare posse, nisi emittendo de nouo priùs votum, vel nouo voto vsum commutationis renunciando.

TRACTATVS XVI.

DE STATV RELIGIOSO.

SVPERIORI tractatui de voto affinis est explicatio ſtatus Religioſi, vtpote qui tribus votis perfectiſſimis paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ conſiſtit. Quinque diſputationibus huius tractatus explicationem abſoluemus. Prima explicabit illius eſſentiam, & ea, quæ ſolent illius ſuſceptioni præmitti. Secunda declarabit ſuſceptionem illius per profeſſionem. Tertia obligationem voti paupertatis, & caſtitatis. Quarta voti obedientiæ obligationem. Quinta explicabit ſpecialis alias obligationis. Et vota huic ſtatui religionis annexa, illiúſque relaxationem.

DISPVTATIO I.

De Eſſentia Religioſi ſtatus, & de eius ſuſceptioni præmittendis.

PVNCTVM I.

In quo Eſſentia ſtatus Religioſi conſiſtat, & vnde originem duxerit?

SVMMARIVM.

1 *Definitur religioſus ſtatus.*
2 *Qua iter ſit ſtatus perfectionis adipiſcendæ.*
3 *Vota huius ſtatus debent eſſe perfecta caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ.*
4 *Sed non debet eſſe omnimoda.*
5 *Sufficiunt vota ſimplicia.*
6 *In quo ſolemnitas voti conſiſtat.*
7 *Vltra vota ad ſtatum religioſum requiritur traditio.*
8 *Approbatio Pontificis non erat neceſſaria, ſi naturam huius ſtatus conditionem ſpectemus, ſecus prout modo ſtatutus eſt.*
9 *Vnde originem traxerit hic ſtatus.*

1. RELIGIOSVM ſtatum definit D. Thomas receptus ab omnibus 2.2. *quæſt.* 186 *artic.* 1. 3. & 4. vt ſit ſtatus perfectionis per tria vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ perpetuo adipiſcendæ. Cum dicit ſtatum, denotat immutabilitatem. Neque enim ſtatus eſſe poteſt, quin per ſe, & natura ſua immutabilis ſit, vt rectè dixit D. Thom. 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 4. & *opuſcul.* 16. *de vita ſpirit. cap.* 3. Cui immutabilitati non obſtat, quod religionis Prælati poſſint vota ſubditorum ſoluere, & liberos dimittere; ſicut non obeſt ſtatui temporalis ſeruitutis, quod dominus poſſit ſeruum liberum dimittere; nec ſtatui Epiſcoporum obeſt, quod Pontifex poſſit ex vna Eccleſia ad aliam mutare, vel omnino Prælatum ab Eccleſia abſoluere. Quod enim ad immutabilitatem requiritur ſolum eſt, vt ipſemet ſtatus ex parte ſuſcipientium perpetuus ſit, ita vt omnino diſcedendi poteſtate careant.

2. Deinde hic ſtatus religioſus eſt ſtatus perfectionis perpetuo adipiſcendæ, in quo ſignificatur propria huius ſtatus naturæ, & conditio, quæ eſt vt ſit ſtatus perfectionis non adeptæ ſed adipiſcendæ. Neque enim religioſi obligantur eſſe perfecti; eſto obligati ſint id procurare, vt tradit D. Thom. *quæſt.* 189. *art.* 1. *ad* 3. & *art.* 2. *ad* 2. In quo ſtatus religioſus ab ſtatu Epiſcoporum differt, qui Epiſcopos ſupponit eſſe perfectos. Hanc perfectionem religioſi ſtatus comparant religioſi mediis votis paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ perpetuæ. Cum enim humanæ vitæ perfectio ſita ſit in ſequela Chriſti, illiúſque imitatione. Iuxta illud Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me; ſequela Chriſti perfecta eſſe non poſſit abſque renunciatione omnium bonorum, vt ex ſupradicto loco conſtat; neque item abſque abſtinentia à carnis voluptatibus. Iuxta illud Matth. 19. Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter Regnum Dei, quaſi ad perfectè Regnum Dei, conſequendum hæc abſtinentia conuenientiſſima ſit; neque denique eſſe poſſit perfecta ſequela Chriſti abſque abnegatione ſui, propriéque voluntatis iuxta illud Matth. 16. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me; ſit ſane vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ perpetuæ ad hunc ſtatum perfectionis neceſſaria eſſe: ſiquidem voto paupertatis renunciantur omnia externa; caſtitatis, carnis voluptas; obedientiæ vero propriæ voluntatis affectio.

3. Sed an hæc vota debeant eſſe abſolutæ, & perfectæ caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, non eſt conſtans Doctorum ſententia. Nam plures, grauiſſimíque Doctores ſentiunt abſolutam, & omnimodam paupertatem, caſtitatem, & obedientiam eſſe neceſſariam: Sic probare videtur. Diuus Thom. 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 3. 4. & 5. & omnes illi, qui ſentiunt equites militares ordinis D. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, non eſſe verè, & propriè religioſos, quia perfectam paupertatem, caſtitatem & obedientiam non deuouent, quos plena manu refert Sanch. lib. 4. de voto *cap.* 16. *n.* 11. Et tradit Leſſius lib. 2. de iuſtitia *cap.* 41. *dub.* 1. *num.* 7. *in* 2. *edit.* Layman lib. 4. Theolog. mor. *tit.* 5. *cap.* 1. *num.* 5. Ratio eſt, quia de ratione ſtatus religioſi eſt perfecta ſui abnegatione Deo per charitatem intimè inhærere at, ad hunc effectum obtinendum, neceſſaria eſt rerum terrenarum, & voluptatum carnis, propriæque voluntatis perfectiſſima renunciatio, vtpote quæ charitatis obtinendæ maxima impedimenta ſunt. Ergo.

4. Cæterum etſi verum ſit, perfectam paupertatem, caſtitatem, & obedientiam neceſſariam eſſe ad ſtatum religioſum; at non credo omnimodam eſſe neceſſariam. Et in primis de voto paupertatis eſt omnino indubitatum, non eſſe neceſſarium fieri de paupertate quoad dominij abdicationem; ſufficit ſi fiat quoad illius vſum, & adminiſtrationem vt expreſsè definiunt Gregor. III. in ſua bulla, quæ incipit *aſcendente Domino*. Vbi eos qui poſt biennium probationis in Societate Ieſu vota Scholaſticorum emittunt, declarat veros religioſos eſſe, & nihilominus bonorum ſuorum dominium retinere, quouſque renunciare iubeantur. Neque obſtat Textus *cum ad monaſterium in fine de ſtatu Monach.* Vbi *Innocentius III.* inquit. Nec æſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo monacho diſpenſare; quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa regulæ monachali, vt contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere. Ex quibus verbis videtur non ſolum vſus, ſed proprietatis abdicationem faciendam eſſe voto paupertatis religioſæ. Non inquam obſtat, quia ibi proprietatis nomine non dominium rei, ſed vſum liberum, & expeditum illius intellexit innocent. vt explicant Vaſquez 1.2. *diſput.* 165. *cap.* 6. *à num.* 50. & *cap.* 9. *à num.* 104. Sanch. lib. 5. ſumm. *cap.* 1. *num.* 17. Baſil. Ponce lib. 7. de matrimon. *c.* 13. *n.* 10. Et conſtat manifeſtè ex ipſius textus principio, vbi cauetur quid faciendum ſit cum Monacho, qui proprietatem aliquam fuerit deprehenſus

deprehensus habere. At proprietas culpabilis, quæ in religioso deprehendi potest, est solus vsus, & administratio rei Prælato inuito, non dominium. Ergo.

Præterea neque est necessarium, vt votum paupertatis priuet omni vsu, & administratione rei familiaris, sufficit autem quod certis casibus priuat; eo enim ipso est votum de re ad perfectionem pertinente. Quapropter votum paupertatis, quod equites militares emittunt, esto non priuet illos dominio, & vsu suorum bonorum absolute quia tantum in certis casibus illis bonis vti non possunt nisi pro voluntate magistri, ea de causa est votum Euangelici consilij.

De voto castitatis maior est difficultas; ait omnimoda castitas, & abstinentia à copula coniugali sit de essentia status religiosi? Videtur id esse omnino necessarium. Alias te Deo perfectè non consecras; siquidem voluptatibus carnis inseruire intendis, nec Deo perfectè vnitis, quippe in coniugem diuideris ob studium illi placendi; teste Apostolo 1. *Corinth.7.* Neque denique consilia sequeris, sed præcepta tantum. Qui enim solam castitatem coniugalem, vouet, non vouet aliquid, quod ad consilia pertineat, & consequenter quod pertineat ad perfectionem. Cæterum probabilitate non caret, votum castitatis coniugalis adiunctum aliis duobus votis paupertatis, & obedientiæ ad verum statum religiosum sufficere. Nam esto ex vi sua non obliget ad aliquam castitatem sub consilio, obligat tamen ex regula, & instituto, cui seruando adiungitur; equites namque militares aliquibus diebus obligantur à coniuge abstinere ex vi regulæ, & constitutionis. Et hoc videtur sufficiens, vt votum castitatis coniugalis sit votum alicuius perfectionis saltem indirectè, verúmque statum religiosum constituat. Sic tenentur docere omnes illi qui censent equites militares votos religiosos esse, quos refert, & sequitur Thom Sanch.lib 4.de voto *cap.16.n.11.* Suar.tom. 4. de Relig. *tract.9. lib.1. cap.4.à num.9.* Didacos Mota de his militibus *lib.2.c.1.& 2.* Nauarr.lib.3.consil.titul.de regularibus *toto consil. tom in 2 editione.*

Votum autem obedientiæ clarum est non requiri ita latum, vt comprehendat quidquid bonum est, & perfectum, sufficit si sit secundum constitutiones, & regulas, quas tibi sequendas proponis.

5. Posito autem voto paupertatis, castitatis, & obedientiæ vt dictum est requiri, restat examinandum qualia debeant esse hæc vota, an solemnia, an sufficiant simplicia? Sufficere simplicia est omnino certum, ita vt dubitationi non sit locus, eo quod Gregor. XIII. in dicta bulla *ascendente Domino* expressè definierit esse veros religiosos eos, qui post biennium probationis in Societate IESV vota simplicia castitatis, paupertatis, & obedientiæ emittunt. Neque alienum est hoc institutum ab eo, quod tempore nascentis Ecclesiæ vigebat: cum eo tempore veri religiosi essent, nec tamen vota solemnia, sed simplicia emittebant, vt multis comprobant Basil. Legion. lib.7. de matrimon. *c.11.& multis sequentibus præcipuè c.22.*

6. Quod si roges, in quo voti solemnitas consistat? Non est facilè explicatu. Omissis ergo variis Doctorum placitis, quorum latissimè meminere Gabriel. Vasq. 1. 2. *disp.165. per totam*, & Suar.tom.3. de Relig. *lib.2. à cap. 4. & seqq.* Basil. Legion. lib.7. de matrim. *à cap.7.* Censeo solemnitatem votorum consistere in eo, quod ex parte acceptantis relaxari, remittíque liberè non possint; & cum hoc iure Ecclesiæ inductum sit; reseruat enim Pontifex potestatem relaxandi religiosorum professionem, qua reseruatione cessante possent Prælati religiosos liberos dimittere; sic sane solemnitatem voti iure Ecclesiastico inuentam esse, vt habetur *cap.vnico de voto in 6.* & in *extraua. illa ascendente Gregor XIII.* Quod autem in nullo alio, quam in illa reseruatione hæc solemnitas consistat probatur comparando vota solemnia cum simplicibus: vota enim simplicia paupertatis, & castitatis non desinunt esse talia, esto ab Ecclesia illis annectatur inhabilitas ad actus promissioni oppositos, vt manifestè constat in votis coadiutorum formatorum Societatis IESV, quæ illos inhabiles reddunt matrimonio contrahendo, & bonorum quorumlibet acquisitioni, & dominio, sed quia liberè à Prælatis Societatis dimitti, & relaxari possunt, ea de causa solemnia non sunt, sed simplicia. Econtra vota paupertatis, & castitatis equitum militarium solemnia sunt, quia à Prælatis ordinum indispensabilia; tametsi matrimonium, & dominia rerum permittunt. Consistit ergo legitima religiosorum votorum solemnitas in hac reseruatione. Solum obiicere poteris vota, quæ professi Societatis emittunt post professionem, videlicet de docendis pueris, de paupertate retinenda, de non ambienda dignitate, &c. Quæ sunt vota simplicia, & tamen non possunt à Prælatis religionum relaxari. Ergo in hac impotentia non stat votorum solemnitas Respondebis fortè ea relaxari posse, si professus à religione eiiciatur, quod sufficit, vt non sint vota solemnia. Sed concesso vt verè concedendum est, omnia illa vota relaxari non posse à Prælatis religionis, dicendum est, id non prouenire ratione sui, sed ob annexionem ad professionis vota, quæ quia sunt insolubilia, etiam huiusmodi vota, vtpote accessoria solui non possunt.

7. Præterea ad statum religiosum requiritur ex parte suscipientium essentialiter donatio, seu traditio sui in potestatem religionis. Neque enim absque hac donatione, seu traditione religio haberet potestatem dominatiuam in religiosos, neque status esset firmus, & immutabilis. Quapropter in religioso statu duo adsunt contractus ex parte suscipientium; alter comparatione Dei, qui fit per vota, alter qui fit donatione, & traditione sui in potestatem religionis; sicut enim quis liberè se potest pretio accepto tradere in seruum quid mirum si in seruum spiritualem se tradere possit religioni gubernandum? Prouenit ergo illa potestas dominatiua non à votis vtcumque, sed à donatione sui votis emissis. Dices stare posse velle alteri donare, & vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ emittere, absque eo quod verè subiectus maneas; cum ea in religione approbata non emittis. Ergo ex sola donatione cum votorum emissione non quæritur religioni dominatiua in religiosum potestas. Respondeo si natiuam status religiosi institutionem à Christo Domino factam spectemus, solam donationem sui cum trium votorum emissione sufficientem esse ad verum religiosum efficiendum, verámque potestatem Prælato concedendam. Sed quia Ecclesia sicut & quælibet respublica politica suis subditis præscribere potest eas conditiones in donationibus, & promissionibus quibus deficientibus nullæ sint, statuerítque donationem votorum emissione qualificatam alibi factam, quam in religione approbata nullam esse, nulláque accipienti iurisdictionem concedere; ea de causa nec donatio, nec votorum emissio extra religionem approbatam iurisdictionem confert, nec religiosum constituit. Quod exemplo matrimonij illustrari potest, quod si natiuam institutionem spectemus, solo contrahentium consensu perficiebatur: Sed quia Ecclesia potuit ad huius consensus legitimitatem plures conditiones expostulare; ea de causa consensus contrahentium illis deficientibus nullus est, nullámque potestatem tradit: Sic pluribus firmat Basilius Legion.li.7. de matrim.*c.5.& 6.*

8. Ex supradicta conditione infertur ad religiosum statum, si natiuam eius institutionem spectemus nullam Pontificis approbationem requiri. Tum quia ante Innocent. III. plures fuerunt in Ecclesia religiones absque expressa Pontificis approbatione sola Episcoporum approbatione, vel illorum non repugnantia, vt multis comprobat Basil.Legion.dicto li.7.de matrimon *cap.11.* Tum quia Christus Dominus religionem instituens sola donatione cum trium votorum emissione contentus fuit. Verum post Innocent. III. qui sibi religionis approbationem reseruauit. cap. *ne nimia de Religiosis domibus*, cuius decretum renouauit Gregor.X. *in cap. vnico eodem tit. in 6.* Nulla esse potest religio, quin à sede Apostolica approbetur. Nulláque donatio, nec votorum emissio, quæ verum religiosum constituat extra Pontificiam approbationem: V.de Suar.tom.de Relig.*lib.2.cap. 15.& seqq.* Lessium *lib.2.c.41 dub.1.n.18.* Vasq *disp.169.* Sanch.lib.5.sum. *cap. 1.num.15.*

9. Si verò de origine huius sanctissimi instituti loquamur, credo Christum Dominum non solum instituisse, sed erexisse. Quod illum instituerit, hoc est, prædicauerit, proposuerítque sequendum omnibus, dubium esse potest; siquidem dixit: si vis perfectus esse, &c. Item qui vult venire post me abneget semetipsum, &c. Quod autem erexerit, & executioni mandauerit in suis discipulis non leuiter colligitur ex illis verbis Petri ad Christum dicentis. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* In quibus verbis denotat Petrus nomine omnium se reliquisse omnia bona terrena voto paupertatis & vxoris voto castitatis, & sequendo Christum obedientiam, & subiectionem illi promisisse: si enim sequela Christi, & abnegatio omnium rerum voto aliquo firmata non esset, non est credendum Petrum, aliósque discipulos ita eam magnifacere, vt dixerint Christo. *Quid ergo erit nobis?* Renunciatio enim, sequela Christi, quæ pro libito, & absque peccato retractari posset, non sic æstimanda esset: Sic plurimus exornant Suarez tom.3.de Relig.*lib.3.c.2.per totum.* Basil.Legion.lib.7. de matr.*c.2.& 3.*

PVNCTVM II.

Quotuplex sit status Religiosus.

SVMMARIVM.

1 *Diuersæ sunt religiones differentia non essentiali, sed accidentali.*

2 *Ex parte finis diuiditur religio in actiuam, contemplatiuam, & mixtam, & quæ hæ sint.*

3 *Ob varietatem mediorum diuersæ religiones statuuntur, tametsi eundem finem habeant.*

1. CVm Essentia religiosi status in renunciatione sæculi per vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ consistat, & hæc vota siue solemnia sint, siue simplicia solum accidentaliter differant; efficitur religiosum statum solam differentiam accidentalem habere posse. Præterea cum status religiosus sit status perfectionis, & hæc in charitate consistat, quæ vna est, omnis religionis, (esto numero plures sint) quoad speciem tamen non plures, sed vna sunt. Quocirca religiones Monachales à mendicantibus non specie, sed numero differunt. Sed quia cum hæc diuersitate numerica stat optimè diuersitas accidentalis, tum ob finem proximum & specialem, quem ipsæ religiones spectant; tum ob media, quæ ad illius consecutionem assumunt, ideo religiones aliqua ex his diuersitate gaudere diuersæ nuncupantur. Solum aduerto ex fine potiùs, quam ex mediis diuersitatem, & distinctionem desumi. Hæc autem diuersitas conuenientissima est; tum ad decorem, & ornatum Ecclesiæ, tum ad diuini cultus exaltationem, tum ad vtilitatem fidelium, quibus propter varias eorum inclinationes, & propensiones, vnius viuendi modus non poterat esse accommodatus.

2. Ex parte ergo finis diuiditur religio in vitam actiuam, contemplatiuam, & mixtam. Actiuam voco, quæ ex proprio suo instituto operibus misericordiæ incumbit. Contemplatiuam, quæ orationi, lectioni, & contemplationi vacat, quæ duæ vitæ illis duabus sororibus Marthæ, & Mariæ fuerunt adumbratæ, quarum vna in ministrando necessaria Christo occupabatur; alia verò audiebat verbum illius, quam Christus Dominus prætulit, eiusque electionem nobiliorem esse dixit. At quia potest esse statutum, quod æquè primò propriam perfectionem oratione, & contemplatione obtinere intendat, & proximorum perfectionem prædicatione; ea de causa illud institutum mixtum ex vita actiua, & contemplatiua esse dixerim; quod Credo Christum Dominum, eiúsque Apostolos secutos esse, qui tum orationi, tum prædicationi, tum aliis misericordiæ operibus instabant. Iuxta hanc diuisionem dicendum est religiones militares, & hospitalaria, quia ex proprio instituto religiosæ militiæ, & hospitalitati vacant vitam actiuam proprissimè exercere; monachales verò, S. Benedicti, Basilij, Hieronymi, Bernardi, Bruni, quia orationi & contemplationi incumbunt, contemplatiuam vitam profiteri, mendicantes verò, S. Dominici, Francisci, Augustini, Carmelitarum, Societatum Iesv vtramque vitam complecti.

3. Verum quia ad consecutionem cuiuscumque ex supradictis finibus quælibet religio media diuersa apponit; ea de causa inter se distinguuntur, & vna ab alia diuersum corpus constituit. Neque in his est aliqua difficultas magni momenti, si tamen doctrinam velis latiùs pertractatam. Vide Suar. *tom.4. de Religione, tract.9. lib.1. & 2.* vtiliter & breuiter Lessium *lib.2. c.41. dub.2.* Vbi religiones comparant inter se, illásque asserunt perfectiores esse, quæ perfectiorem finem spectant, & perfectiora media apponunt ad illius consecutionem, quod esse potest, esto choro careant, neque ita austeræ sint, rigidámque paupertatem habeant. Quia non in his, sed in charitate Dei, & proximi, perfectio consistit.

PVNCTVM III.

Ad quid, & quando obliget votum religionis assumendæ.

SVMMARIVM.

1 *Distinguitur votum tempore designato, vel non designato implendum.*
2 *Ex rationabili causa differri potest votum, quod non fuit emissum pro determinato tempore.*
3 *Qualiter obligeris voto moriendi in religione, arguitur.*
4 *Resoluitur quæstio.*
5 *Voto religionis obligaris pro viribus religionis ingressum procurare.*
6 *Si vouisti religionem absolutè teneris in pluribus seriò, & instanter petere. Et quas religiones, & an extra Prouinciam.*
7 *Si vouisti determinatam, non potes ingredi laxiorem.*
8 *Excipe nisi laxior religio priuilegium habeat Pontificium.*
9 *Idem est de voto ingrediendi speciale aliquod monasterium ob eius deuotionem, & singularem obseruantiam.*
10 *Repulsus absolutè à religione, quam vouisti, non teneris ingredi, esto postea inuiteris.*
11 *Contrarium docet Sanchez.*
12 *Sed eius fundamento satisfit.*
13 *Non teneris manifestare te voto obstrictum esse.*
14 *Teneris dicere Grammaticam si tempore voti sciebas id esse necessarium ad voti executionem, secus si ignorabas.*
15 *Quid si non admitteris, nisi officium mechanicum discas?*
16 *Non teneris ingredi ad gradum Laicorum, aut Sacerdotum, prout religioni placuerit.*
17 *Quid si tibi denegantur altiora studia, cum ad illa aptus sis.*

1. SI de tempore, quo hoc votum obligat loquamur Distinguendum est; si cum hoc votum religionis emisisti, signasti tempus illius executioni, pro eo tempore obligat; si autem absque vlla temporis determinatione religionem promisisti, obligat ad sui executionem, quamprimum commodè possis, strictiùs tamen, quam quodlibet aliud votum non perpetui obsequij, vt ieiunij, peregrinationis, & eleemosynæ, quod etsi differatur, integrè mandari executioni potest, & ex cuius dilatione nullus diuinus cultus promissus diminuitur. At ex dilatione culpabili religionis minuitur promissus cultus. Qui enim vouit religionem, vouit toto vitæ tempore Deo in religione seruire. Ergo quanto tempore executionem differt, tantum de diuino obsequio promisso omittit: Sic aliis relatis tradunt. Suarez *tom.3. in 3.p. disput.31. sect.2.col.3. & tom.3.de Relig.tract.7.l.4.c.1. num.5.* Sanchez lib.4.summ.*cap.14. num.22.*

2. Si autem ex rationabili causa executionem voti differas, non censendus es de materia promissa subtrahere: quia non promittis ingressum vtrumque, sed commodo tempore. Quapropter si satis aptus non es religionis exercitiis, vel quia cares viribus, vel scientia, quæ communiter religionis ingressui supponitur, differre iustè executionem voti potes. Accedat tamen confessarij consilium ob periculum errandi. Suar. dicto tom.3.de Relig *tract.7.lib.4. c.1.in fine.* Optimè Sanch. lib.4.summ.*c.14.à n.8. & sequent.* Layman.*lib.4.sum.tract.4. c.3.q.4.num.5.*

3. Solum de voto moriendi in religione est aliqualis difficultas, quo tempore ad illius executionem obligeris? Videris namque obligatus eo modo, quo obligaris, cum votum absolutum religionis absque vlla temporis determinatione emittis. Quia dies mortis incertus est, & ne periculo exponaris non implendi votum, videris obligatus exequi, cum primum possis. Præterea si voueas absolutè perseuerare in religione, voues mori in religione, & è contra si voueas mori in religione, vouens vsque ad mortem in religione perseuerare. Ergo vtrumque votum idem est, ergo pro eodem tempore obligaris. Ex alia autem parte non videris obligatus ingredi religionem, quousque morale periculum mortis instet. Nam tu solum promisisti in religione vitam finire; cui obligationi satisfacis, si cum mors instat, religionem assumas. Quia iam terminas vitam in religione. Non ergo teneris ante mortem, & illius periculum religionem ingredi. Adde si aliqua ratione obligatus esses statim religionem ingredi, est ne te periculo exponas moriendi extra religionem; at dum non adest periculum morale mortis, neque periculum, quod in religionem non admittaris illo periculo instante, non adest periculum mortale moriendi extra religionem. Ergo nulla ratione obligatus es ante illud periculum religionem ingredi.

4. Cæterum credo media via procedendum esse. Neque enim statim obligaris eo voto; quia religio sub illis verbis promissa satis indicat te noluisse statim illam suscipere, sed alio commodiori tempore. Neque etiam inde fit te posse executionem differre vsque ad morale periculum mortis. Tum quia non voues solam religiosi habitus susceptionem, sed in religione professionem, quæ cum fieri non possit nisi post annum probationis, expectare non potes ad morale periculum mortis. Tum quia ideo voues in religione mori, quia voues exercitiis religionis te ad mortem disponere, quod fieri non potest, nisi aliquo tempore ante mortem religionem ingrediaris. Quapropter prudentis arbitrio hoc tempus mensurandum est; nec nimia dilatio concedenda; quia in nimia dilatione pericula euenire solent reddendi impossibilem ingressum, aut ferè infructuosum, si religioni inutilis sis, vel illius oneribus, & exercitiis minùs aptus: Colligitur ex Sanch.lib.4.summ. *c.14.n.9* Bonacin.*disp.4.punct.5.q.2.§.6.num.7.*

5. Quod si de substantia promissionis loquamur, votum religionis te obligat ad procurandum pro viribus religionem ingredi, vt tradit Diuus Thomas ab omnibus receptus, 2.2. *quæst.88. art.3. ad 2. & quæst. vlt.art.3. ad 2.* Cui probationi non obstat, quin possis Prælatis religionum manifestare, si aliquod impedimentum etsi non essentiale habeas, vel nimiam ad religionem auersionem; quia hæc manifestatio conducit prudenti admissioni. Sic Sanchez *lib.4. cap.16. num.34. & 35.* Nunquam tamen obligaris ad obtinendum cum effectu religionis ingressum; quia id non ex tua, sed ex religionis voluntate pendet, ad quod te obligare non poteras. Dubium tamen est, quando censeris sufficienter procurasse religionis ingressum, vt eo facto liber à voto existas, si in religionem non admittaris?

Pro cuius decisione præmitto tripliciter te posse religionem vouere. Primò, si voueas religionem absolutè. Secundò,

si voueas hanc religionem in particulari. Tertiò, si voueas in hoc speciali monasterio ob eius specialem deuotionem, regulatem obseruantiam, aliámve similem causam.

6. Si voueas religionem absolutè, teneris in pluribus seriò, & instanter petere, vt sic censearis moraliter ab omnibus repulsus esse, aliàs voto non satisfacis. Nam votum de religione assumenda, est votum de assumenda aliqua ex omnibus religionibus; ac proinde est votum de omnibus religionibus sub disiunctione, quod votum per se obligat omnes religiones tentare, vt si fortè aliqua esset, in qua mandari votum executioni posset. At quia tentaris pluribus, & ab ipsis repulsus, inde probabiliter colligere potes ab omnibus esse repellendum; ea de causa voto satisfacis, si plures religiones ingredi tentes: Sic Suarez *tom.3. lib.4. cap.2. num.16.* Azor. *lib. 11. c.22. quæst. 2.* Sanchez *lib.4. cap.16. num. 44. & 47.* Quot autem religiones tentare debeas, vt prudenter iudicare possis ex illarum repulsa ab omnibus esse repellendum, prudentis arbitrio mensurandum est, & colligendum ex occasione repulsæ, quæ generalis, & communis aliis religionibus esse debet. Sic omnes Doctores relati. Non tamen teneris ex vi huius voti religiones strictissimas ingredi quales censentur esse Camandulensis, Cartusia, Capucinorum, & fortè Minimorum S. Francisci Paulæ ob votum quadragesimalis abstinentiæ, tametsi scias in illis esse recipiendum. Quia non censeris vouere, nisi aliquam ex religionibus, quæ communi hominum naturæ accommodatæ sunt, non quæ indigent speciali Spiritus sancti instinctu, & auxiliis; Sic expressè Sanch. *lib.4. cap.16. num.49.* Layman *lib.4. c.6. tract.5. n.1.* vers. *resolues secundo.* Neque item teneris telegiones extra propriam Prouinciam, seu nationem quærere; quia non es censendus te voluisse obligare nisi ad religionem suscipiendam in propria Prouincia; ea enim est communis intentio vouentium. Sic Nauarrus *cap.27. num. 276.* Azor. *1.p.lib.11. cap.22. quæstion.1. in fine* Valentia 2.2. *disput.6. quæst. 6. punct. 4. notab.* Eman. Sà, verbo *votum num.12.* Tolet. *lib.4. summ. cap.27.n.12* Sanch. *lib.4. summ. cap.16. num.44.* Suar. *tom.3. lib.4. cap.3. num.9. & 10.* Fœmina verò promittes religionem non solum non tenetur quærere monasteria extra propriam nationem, seu Prouinciam, sed nec longe à proprio loco, in quo sunt eius parentes: & cognati quia regulariter fœminæ iis in locis habitum religiosum suscipiunt, non extra: Sic Tolet. *lib.4. cap.17. num.12.* Sanch. *cap.16. num. 46.* Bonacin. *disp.4. punct. 5. quæst.2. §.6. num. 14.* Neque item videris tenere religiones militares S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ ingredi, vt professionem equitum militarium facias. Posito, quod in aliis religionibus non admittaris, neque illarum susceptione voto religionis satisfacere potes. Quia hæc sub votum absolutum religionis non cadunt. Tum quia satis controuersum est, an verè, & propriè sint religiones quoad eum gradum. Tum quia vouens religionem à tumultu, cura, & sæculi pompa se separare intendit; quod non videtur hac professione satis obtineri: Sic Sanchez *lib. 4. cap.16 num.11. in fine*, Suarez *lib.4.cap.2.num.14.* Layman *lib.4. tract.6. cap.6.* Bonacina *disput.4. punct.5. quæst.2. §.6. num.5.* An verò suspiendo habitum equitum Sancti Ioannis voto satisfacias? Affirmat vt probabile Suarez *dicto cap.2. num.15.* Et tradit Aragon.2.2.*quæst.*88. *art.11.* Azor. *lib.13.t. p.c.4. quæst.4.* Manuel. Rodriguez 2. *tom. summ. cap.95. n.8.* Sayro Claui, Regia, *lib.6.cap.7. num.10.* Quia hi verum statum religionis, & perfectionis profitentur, & in communi modo loquendi videntur sub nomine religiosorum comprehendi. At verius censeo susceptione huius habitus voto non satisfieri; quia vouentis intentio colligenda est ex frequenter contingentibus, dum aliud expressè non constat. At frequenter religionem vouentes sæculi fastum, & tumultum, & diuitiarum sollicitudinem, hominúmque sæcularium conuictum, & continuam conuersationem fugere intendunt; ac proinde non sunt censendi eam religionem velle amplecti huic fini obtinendo improportionatam: Sic Sanchez, Layman, & Bonacina *suprà.* Illud verò certum existimo voto religionis satisfieri assumptione habitus ordinum militarium in gradu clericorum; quia hic gradus veros religiosos separatos à sæculi pompa, & tumultu, diuitiarúmque sollicitudine, & sæcularium conuictu constituit, non minùs ac ordo canonicatum regularium, aliique ordines: Sic Sanch. *dicto cap. 16. n.12.* Cordob. summ. *quæst.148.* Suar. *tom.3. de Relig. lib.4. cap.2. num.14.* Bonacina *disput.4. quæst.2. punct.5. §.6. num.16.*

7. Si verò votum sit alicuius determinatæ religionis, teneris eam ingredi; nec potes ingredi laxiorem. Quia votum propria authoritate in rem inferiorem commutare non potes. Posses autem commutare in votum perseuerandi in religione latiori. Quia votum perseuerandi in laxiori nobilius est voto ingrediendi strictiorem, si communem sententiam sequamur. Sic Sylvest. verbo *votum. 4. quæst.7.* Sanch. *lib.4. sum. cap.16. num.18.* Layman *lib.4. summ. tract.5. cap.6. num.7. & alij.*

Adde si tempus non instat ingrediendi religionem strictiorem, poteris religionem laxiorem ingredi animo profitendi ibi, sin minùs religionem strictiorem ingrediendi. Quia talis ingressus voto strictioris religionis non obstat; si quidem supponimus tunc, nec toto tempore nouitiatus tempus exequendi votum religionis strictioris instare, neque ob eum ingressum te impeditum esse religionem strictiorem ingredi, si fortè laxiorem deseras. Nam si hoc impedimentum habes; eo quòd illa religio strictior excludat suscipientes habitum alterius ordinis, nequaquam poteris religionem aliam laxiorem ingredi. Quia non potes impedimentum apponere voto exequendo. Deinde professio facta in religione laxiori nobilior est voto ingrediendi strictiorem ad experiendum. Ergo non potest voto ingrediendi strictiorem impediri; imò ipso iure commutatum manet: Sic Sanch. *lib.4. cap.16. num.20.* Layman *lib.4. tract.5. ca.6. num.8. fine.* Neque obstat Textus *in cap. qui post. votum de Regularibus in 6.* Vbi astricto voto strictioris religionis, ingredientíque laxiorem, ibidémque profitenti pœnitentia imponitur. Quia huiusmodi *textus* loquitur de eo, qui tempore quo laxiorem ingreditur strictiorem promissam ingredi debebat; ac proinde in tali ingressu peccauit, secùs verò in professione.

8. Aduerto tamen esse aliquas religiones, quibus à Sede Apostolica priuilegium concessum est recipiendi eos, qui voto strictioris religionis sunt astricti; & tunc illuc ingredientes voto satisfaciunt, ac si religionem strictiorem fuissent ingressi. Quia authoritate Apostolica in fauorem religionis, & bonum commune, votum illud strictioris religionis in laxiorem commutant. Sic concessit Eugen. IV. congregationi S. Benedicti, & refertur in compendio mendicantium, *tit. dispensatio*, §. 8. Et in compendio priuilegiorum Societatis Iesv, verbo *commutatio* §. 3. Subditur autem limitatio ab Eugenio IV. & in nostris priuilegiis expressè habetur, vt si ante professionem emissam ab ipsa laxiore religione discesserint, dispensatio nullius sit roboris, & momenti. Ex quibus infertur non fuisse factam absolutam dispensationem, vel commutationem illius voti, sed solum pro tempore quo à laxiori non recedunt; & notauit Layman lib.4. summ *tract.5. cap.6. nu.8.* Sanch. *lib.4. summ. tract.5. c.16. num.94.* Sed quia in nostra Societate ante professionem post biennium probationis vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ emittuntur, quibus verus religiosus constituitur poterit strictioris religionis voto ligatus in emissionem horum votorum, vtpote in rem meliorem suum votum commutare; qua commutatione facta, esto postea è religione ante professionem eiiciatur, voto strictoris religionis non tenebitur: quia iam commutationi satisfecit. Layman *lib.4. tract.4. cap. vlt. fine.*

9. Quod si votum sit ingrediendi aliquod speciale monasterium ob eius deuotionem specialem, & singularem obseruantiam, dicta teneris illud ingredi, neque potes in aliud nisi strictoris obseruantiæ intrare; sicut de voto determinatæ religionis dictum est. Aduerto tamen frequenter votum ingrediendi aliquod monasterium, non arctari ad ipsum, sed illud quasi accessoriè, & per accidens spectari, vel solum spectari ad primum ingressum, non ad illius perseuerantiam; cuius indicium non leue est, si monachi illius conuentus soleant frequenter mutari ad alia monasteria.

10. Restant aliquot difficultates enodandæ. Prima; an non admissus in monasterium, vel religionem, quam vouisti, liber maneas à voto, nec tenearis iterum religionem tentare, aut in eam ingredi, esto inuiteris? Et quidem si repulsa absoluta non fuit, sed pro limitato tempore, clarum est te non esse deobligatum. Quia tunc non denegatur habitus, sed suspenditur; vt si febri quartana laborares, vel alio impedimento, quod decursu temporis nec longo tolli speratur. Suarez tom.3. de Relig. *lib.4. cap. 2. num.7.* Lessius *lib.4. cap. 41. dub.5. num.44.* Sanch. pluribus relatis *lib.4. cap.16. num.53.* At si repulsa fuit absoluta post sufficientem diligentiam à te factam, probabilius est te liberum à voto manere. Quia ex vi voti solum videris obligatus eam diligentiam facere pro illius executione, quæ in re magni momenti præstari solet. At ponimus te eam diligentiam præstitisse. Non igitur ampliùs teneris. Neque enim ad repetendam diligentiam, & multiplicandam petitionem videris obligatus. Alias repetere deberes sine termino. Adde te vouere religionem sub conditione, si facta petitione admittaris. Ergo si non admittaris votum non suspenditur, sed omnino extinguitur. Dices votum id esse, si nunquam admittaris; secùs si aliquando, etsi casu contigerit. Sed contra, quia cum votum religionis emittis, intendis illud exequi breui tempore, verbi gratia, hoc anno; non tamen intendis eius obligationem toto vitæ curriculo prorogare. Ergo religionis admissio, quæ fuit conditio, sub qua religionem suscepisti, eo anno possibilis esse debet. Ergo alia admissio casu contingens nec fuit conditio spectata à voto, nec alicuius effectus est: Sic Aragon. 2.2. *quæst.* 88. *art.3. circa solut. ad 2.* Azor. 1. *parte lib.11. cap.22. quæstion.5.* Lessius *lib.2. cap.41. dub.5. num.44. in secunda editione*, Suar. *tom.3. de Religione lib.4. cap.2. num.7. & 20.*

11. Contra hanc sententiam procedunt Sanchez *lib.4. de*

voto cap.16. num.71. Layman *lib.4. ſumm. tract.5. cap.6. num 4.* Affirmantes te obligatum eſſe ingredi religionem, quoties religio voluerit te admittere, tametſi priùs te abſolutè, & in perpetuum repulerit Mouentur, quia votum religionis non emittitur, in fauorem religionis, vt ipſa religio cedere poſſit iuri ſuo, ſed emittitur in Dei honorem, & vouentis vtilitatem. Sed quia hic honor, & hæc vtilitas obtineri non poteſt conuenienter abſque religionis conſenſu; ea de cauſa religionis conſenſus expoſtulatur. Ergo quandocunque hic conſenſus apponatur, votum obligat, ea tamen ceſſante ſuſpenditur eius obligatio. Et confirmat Sanch. ſi repulſus à religione eſſes ob falſam alicuius impedimenti informationem, & ipſa religio detecto errore te vellet admittere, non videtur eſſe dubium quin obligatus eſſes ingredi. Et idem eſt ſi falſo credens laborare impedimento perpetuo admiſſionem non petieris, non obinde ab obligatione voti liberaris detecto errore. Ergo non ceſſat voti obligatio ob abſolutam repulſam, facta ex parte tua ſufficienti diligentia ne repellaris.

Limitant autem Sanch. & Layman, ſuam ſententiam, vt procedat rebus in eodem ſtatu permanentibus. Nam ſi deſperans te in religionem ſtrictiorem, quam vouiſti fore ſuſcipiendum, fueris ingreſſus laxiorem, vel ſponſalia cum fœmina contraxeris, vel poſt contractum matrimonium viduus effectus, non videris teneri. Nam illa noua difficultas relinquendi ſtatum laxioris religionis bona fide aſſumptum, vel diſſoluendi ſponſalia contracta, vel ſuperandi carnis tentationes, quæ matrimonio probato ſolent eſſe validiores, ſufficiens cauſa videtur eſſe excuſandi ab obligatione voti: Secùs verò ſi mala fide proceſſiſſes. Et hæc limitatio vetiſſima eſt.

12. Nihilominùs ſuſtinenda eſt prior ſententia, vtpote communior, & benignior. Et ad fundamentum Sanch. dicendum conſenſum religionis apponendum eſſe, cum ex parte tua ſufficienter petitur, & expoſtulatur. Quia petitioni correſpondere debet. Aliter verò poſitus conſenſus nullius eſt effectus. Ad confirmationem admitto in illis caſibus te obligatum eſſe voto. Quia illegitimè à religione repulſus es; illegitima autem repulſa etſi te ab executione voti excuſet, non tamen abſolute liberat; ſicut nec liberat error impedimenti. Illa verò repulſa dicimus te à voto liberari, quæ prudens, & legitima fuerit, quia eſt quaſi quædam definitiua ſententia huius cauſæ.

13. Secunda difficultas eſt; an tenearis manifeſtare te voto religionis obſtrictum eſſe, ſi credas ea manifeſtatione admittendum fore? Affirmant Caietan. *2.2.quæſt.88. art.3. circa ſolut. ad 2.* Bonacin. *tom. 2. diſp. 4. quæſt.2. punct.5. §.6. num.16.* Mouentur, quia promittens religionem promittit tacitè; quæ per ſe ad illius conſecutionem conducunt, frequenter autem conducit voti manifeſtatio. Nam ex illa Prælati religionis concipiunt petentem ingredi religioni affectum eſſe, & ardenter illam deſiderare. Verius tamen eſt oppoſitum, prout docuit Azor. *1.p. lib.11. cap.22. quæſt.9.* Sanch. *lib.4. cap.16. n.54.* Suar. *tom.3.de Relig. lib.4.cap.2.num.7.* Ratio eſt, quia ex vi voti ſolum teneris media apponere, quæ per ſe neceſſaria ſunt illius executioni. At manifeſtatio voti (eſto adiuuet per ſe tamen neceſſaria non eſt. Alias obligatus eſſes interceſſores quærere; quia hæc interceſſio non leuiter exequendo voto conducit. Sed quia per ſe neceſſaria non eſt, non obligaris apponere.

14. Tertia difficultas eſt; an teneatis diſcere Grammaticam, vel aliam ſcientiam nempe Philoſophiam, vel Theologiam, ſi ob illius defectum non admittaris? Reſpondeo te obligatum eſſe, ſi cum votum emiſeris, ſciebas regulariter hanc ſcientiam expoſtulari in iis, qui religionem ingredi volunt. Quia eſt medium à te cognitum ad finem promiſſum moraliter neceſſarium; ac proinde promiſſo fine cenſeris illud promittere. Sic Soto lib.7.de iuſtitia *quæſt.2. art.1.ad 3.* Azor. *lib.11.1.p. cap.22. quæſt.4.* aliis relatis Sanch. lib.4. ſumm. *cap.16. num.61.* Suar. tom.3.de Relig. *lib.4. cap.2. num.21.* Bonacin. *diſp.4. quæſt. 2. punct.5. §.6. num.12.* Excipe niſi velis gradum Laicorum ſumere, & ad eum te religioſi recipiant. Quia aſſumptione religionis in illo gradu ſubſtantiam voti impleſ, cum ſolum accidentaliter differat gradus Laïcorum à gradu Sacerdotum in religione. Et præterea propter maiorem illius gradus humilitatem, ſpecialémque mundi contemptum perfectioni conſequendæ fortè aptior eſt; ac proinde eſto promiſſus non ſit æquialet gradui promiſſo Suar. *d. cap. 2. num.21.* Et videtur ſupponere Sanch. *n.61.*

Verum ſi tempore voti ignorabas Grammaticam, vel artium ſcientiam ab ingredientibus religionem expoſtulari, non teneris eam addiſcere. Quia eſt grauis, & notabilis difficultas ſuperueniens voti executioni. Sotus, Sanch. Azor. Suar. Bonacin. *num. præcedenti relati.* Quod ſi dubius ſis, an tempore voti ignoraueris ſcientiam Grammaticæ, vel artium ab ingredientibus religionem expoſtulari? Præſumere debes ſciuiſſe Grammaticæ cognitionem expoſtulari, ſecùs artium, vel Theologiæ. Quia ferè nulla eſt religio, quæ ignorantes Grammaticam recipiat ad gradum Sacerdotum, bene tamen ignorantes Philoſophiam, vel Theologiam, Sanch *cap.16.numer.67.*

15. Hinc deducitur quid ſentiendum ſit ſi religionem promiſiſti ſub gradu Laïcorum, neque admittaris, niſi officium aliquod mæchanicum diſcas? Dicendum eſt, ſi cum votum emiſiſti, ſciebas illud officium eſſe neceſſarium, teneris diſcere. Quia tacitè promiſiſti; & in hoc omnes conueniunt. Si verò ignorabas & officium tibi ſcitu difficile eſt, excuſaris. Quia notabilis difficultas voti executioni ſuperueniens, neque à vouente cognita excuſat ab illius executione. Suar. *lib.4.cap. 2.in fine.* Sanchez *lib.4. cap.16. num.68.* At ſi ſcitu facilè ſit, & abſque illius ſcientia vtilis religioni eſſe non potes, teneris illud diſcere. Quia ex vi voti teneris media facilia executioni voti per ſe conducentia apponere. Sanch. & Suar. *ſuprà.* Verum ſi abſque illius officij ſcientia vtilis religioni eſſe potes, aliis muneribus inſeruiendo, credo nullo modo te obligatum eſſe extra religionem tali officio addiſcendo vacare: quia per ſe medium neceſſarium non eſt, ſed ſolum ex voluntate religioſorum non ſatis rationabili. Suar. expreſsè dicto lib.4. *c.2.n.24. in fine*, & fauet Azor. *1.p.lib.11.c.22.q.4.*

16. Quarta difficultas eſt; an vouens religionem teneatur ingredi ad gradum Sacerdotum, vel Laïcorum prout religioni placuerit? Negatiuè reſpondendum eſt regulariter loquendo. Quia rarus, vel nullus eſt, qui aliquem ex his gradibus non determinauerit vel formali intentione, quia credidit in gradu Sacerdotum, vel Laïcorum eſſe recipiendum, vel virtualis ex qualitate, & conditione perſonæ deducta. Facta autem determinatione ad vnum gradum grauis eſſe ſolet difficultas alium accipiendi, præcipuè ſi gradus ad quam determinatus eſt, fuit Sacerdotum, & obligetur humilem Laïcorum gradum accipere. Azor. *1.p.lib.11. cap.22. quæſt.4.* Sanch. *lib.4. cap.16. num.55.& ſeqq.* Suar.tom.3.de Relig. *lib.4. cap.2. num.22.& 23.* Bonacin. *diſp.4 quæſt.1.punct.5 §.6.n. 6.* Dixi regulariter loquendo: quia ſi aliquando contingeret non ſatis cognoſci quem gradum vouens determinauerit; quia vtrique ſtatui aptus eſt, neque eius conditio potiùs vnum, quam alium expoſtulat, obligatur admittere, quem religio conceſſerit. Quia de voto conſtat, & impleri poteſt iuxta voluntatem vouentis aliquo ex prædictis gradibus, cum nullus ex eius voluntate determinatus ſit. Quid ergo excuſat: Azor. *q.4.* Sanchez *n.56.* Bonacin. *n.6.*

17. Ex his bene deducit Thom. Sanch. *lib.4. c.16. n.58. & 56*, Si præditus ſis iis dotibus, quibus ſpectatis ea in religione alriora ſtudia habentibus conceduntur, tibi verò denegantur; non teneris eam religionem ingredi; quia eſt notabilis difficultas voti executioni tu perueniens; neque à te cum vouiſti præuiſa. Et idem eſt ſi in ea religione viget conſtitutio Sixti V. qua ſpurij à dignitatibus expelluntur, quarum tu eſto ſpurius aliàs capax eras. Quia obligaris perpetuò eam ignominiam pati. Quod eſt ſatis difficile.

PVNCTVM IV.

Qualiter votum religionis aſſumendæ obliget ad perſeuerandum in habitu aſſumpto.

SVMMARIVM.

1 *Obligaris ingredi animo perſeuerandi.*
2 *Obligaris religionem non deſerere, ſi prudenter iudicaueris tibi expedire.*
3 *Plures Doctores cenſent voto religionis fieri ſatis, tametſi abſque cauſa iuſta religionem deſeras.*
4 *Ingrediens ſine voto nullum committit peccatum, ſi exeat abſque cauſa ob honeſtum tamen finem.*
5 *Ligatus voto grauiter peccat.*
6 *Si voto religionis ſuperaddas votum illius perſeuerantiæ, an amplius ligeris? Proponitur dubitandi ratio.*
7 *Potes te obligare ad perſeuerandum in religione, tametſi religio incommoda, & difficilis viſa fuerit.*
8 *Proponitur obiectio, ſit illi ſatis.*
9 *De facto votum perſeuerandi non ſuperaddit regulariter obligationem voto religionis.*
10 *Qualiter ligatus voto perſeuerandi, ſi ob cauſam iuſtam exeat, vel expellatur, tenetur denuò ea cauſa ceſſante ingredi.*

1. POnendum eſt ex vi huius voti te eſſe obligatum ingredi religionem animo ibi perſeuerandi, ſi fortè iudicaueris tibi religionem expedire. Quia votum religionis non eſt votum ſuſcipiendi habitum religioſum, ſed eſt votum obſequendi Deo in religione toto vitæ tempore mediis voti paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ. Ergo obligat ad profeſſionem faciendã, ſaltem ſi religio probata placuerit: Sic ſupponunt omnes DD. apud Sanch. lib.4.ſum. *c.16.n.74.* Suar *tom.3.de Relig. c n.2.*

2. Ex

2. Ex quo principio videtur inferri manifestè te obligatum esse ex vi voti, & consequenter sub graui culpa religionem probatam non deserere, si prudenter iudicaueris tibi conuenire. Nam cum votum obliget ad professionem faciendam præmissa illius probatione: & de ratione probationis sit, vt probatum admittatur, si bonum, & conueniens inuentum fuerit: respuatur verò, si fuerit disconueniens inuentum efficitur sanè inuenta religionis conuenientia te obligatum esse illam amplecti, aliàs voto non satisfacis. Quod si dicas rarum, vel nullum esse, cui religio conueniens non sit. Ergo nunquam deseri poterit. Dicendum est non de sola conuenientia religionis in ordine ad spiritualem animi salutem esse sermonem, sed de conuenientia religionis ad vitam quietè, tranquillè, & absque animi perturbatione transigendam: cuius contrarium frequenter ingredientibus religionem euenire potest. Quando ergo hic successus non adest, si religio deseratur, & malè deseritur, & voto non fit satis; & ita tanquam certum tradunt D. Thomas 2.2. *quæst.* 189. *art.* 4. & Caietan. *ibi* Syluest. *religio* 2. *q* 19. & *votum* 4. *quæst.* 3. Valent. *disp.* 6. *q* 6. *punct* 4. *quæst.* 4. Couarr. *de pactis* 1. *p.* §. 3. *ad finem.* Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 4 *c.* 3. *à n.* 2 *& seq.* Sanch. *lib.* 4 *summ. c.* 16. *n* 90. Layman lib. 4 summ. *tract.* 5. *cap.* 6 *n.* 12. *q.* 4. *concluf.* 3. *& alij apud ipsos.*

Dices qui religionem vouit, censetur eam vouere sub conditione probationis à iure concessæ. At ius concedit ingredientibus religionem absque vllo voto, vt possint pro libito eam dimittere: *c. ad Apostolicam de Regularibus c.* 1. *eodem tit. in* 6. Ergo vouens religionem voto satisfacit, esto pro libito religionem dimittat; si quidem non se vult ad religionem obligare aliter quam alij ingredientes obligantur.

3. Propter hanc rationem plures Doctores affirmant ingredientes religionem bona fide voto satisfacere, tametsi absque causa iusta eam deserant eo ipso solo quod non sit ei grata. Nauarr. *lib* 3. *consil. tit. de voto cons.* 21 *in edit* Azor. 1. *parte lib.* 11. *cap.* 22. *q.* 6. *in fine* Bonacin. *disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 5. § 6. *de voto n.* 22. Alij verò dicunt ingredientem religionem sine voto, eámque deserentem absque causa iusta, & rationabili peccare venialiter; quia leuitatis, & temeritatis arguitur recedens à via perfectionis incœpta. Item si religionis Prælati nouitium experirentur, quem iudicarent religioni commodum peccarent sanè, ergo nouitius iudicans religionem sibi commodam esse peccabit illam deserens: vtrique enim eadem libertas in probatione conceditur, religioni probandi nouitium, & nouitio probandi religionem. Quod si voto ligatus religionem ingrediatur, affirmant dicti Doctores peccaturum mortaliter, si religionem absque iusta causa deserat. Nam cum ius non concedat egredi nouitium absque iusta causa, sed potiùs sub culpa veniali cogat perseuerare, si huic obligationi superaddatur votum, sub graui culpa obligabitur: Sic Caietan. 2.2 *q.* 189. *art.* 4. *dub.* 3. Philiarc. de officio sacerd. *to.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 20. *ad finem* Sanch. lib. 4. sum. *c.* 16. *n.* 22. Layman. *lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 6. *q.* 4. *n* 12. *concluf.* 3.

4. Cæterum si dicendi modi mihi non probantur; existimo namque nouitium ingredientem sine voto nullo peccato maculari ex eo, quod religionem deserat motus aliquo honesto fine, tametsi absque causa rationabili, hoc est absque eo quod sentiat religionem sibi esse difficilem, vel incommodam, sufficit si sentiat minùs gratam: Sic expresè Suarez tom. 3. de Religione *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 6. *& seqq.* Ratio est, quia nullum est præceptum, quod nouitium adstringat ad perseuerandum; cum potiùs omnia iura clament liberum esse ad deserendam religionem. Luce autem naturali nequaquam obligatur in assumpto habitu perseuerare: Sicut enim pro libito potest illam deserere, eo solum quod sibi minùs gratus sit, præcipuè cum illum continuare non possit, quin professione astringatur. Aliàs omnes incipientes consilium aliquod Euangelicum exercere, v. g. Eleemosynam facere, orationes fundere, obligati essent in illo perseuerare in perpetuum, quod non est dicendum. Præterea si nouitius æquè esset obligatus non deserere religionem sibi accommodatam, & facilem, ac Prælatus obligatus est nouitium vtilem non expellere, non solum sub culpa veniali, sed mortali obligatus esset. Nam Prælatus expellens nouitium vtilem absque causa rationabili contra eius voluntatem grauiter peccat, quippe abutitur potestate, & iurisdictione sibi concessa admittendi nouitios, vel expellendi; cum talis expulsio & religioni, & nouitio nociua sit. Quapropter ex obligatione, Prælati re inendi nouitium vtilem religioni deduci non potest obligatio nouitij perseuerandi in religione sibi commoda, & facili. Quia Prælatus ex ratione officij sibi concessi obligatus est vtilitati religionis prospicere. At nouitio non incumbit huic vtilitati prouidere, sed solum vtilitati propriæ in rebus præcepti; & cum ex illis non sit religionis professio, cum ad consilia Euangelica pertineat, obligatus non est ad professionem.

5. Neque inde fit voto religionis assumendæ ligatum non peccare grauiter, si religionem sibi commodam, & facilem deserat. Nam esto ad professionem non obligetur, nisi præmissa illius probatione, & nouitiatu; quia tamen ad ipsam vi voti, & promissionis factæ obligatur, quam obligationem non habet, qui sine voto ingreditur; ideo voto ligatus deserere religionem non potest, si sibi commoda, & facilis visa fuerit. Secùs verò, qui sine voto ingreditur. Neque hæc obligatio voti contraria est iuris dispositioni. Ius namque non concedit, sed permittit nouitio liberum à religione egressum: cui permissioni cedit ipse se voto religionis ligando; ita vt impossibili sit se voto religionis ligare, & nolle huic libertati egrediendi absque vlla causa cedere.

Igitur voto religionis ligatus deserens religionem, quam sibi commodam, & facilem experitur, tametsi ob aliquos fines aliàs honestos, peccat mortaliter, & voto non satisfacit. Secùs verò est, si sibi grauiter incommoda, & difficilis visa fuerit, quamque existimat alacri animo ferre non posse. Quia illo casu nullum erit peccatum, si illam deserat, & voto religionis manebit satisfactum. Quia bona fide, & ex vero animo religiosum habitum susceperit, & quantum rationabiliter potuit, pro eius perseuerantia pugnauit spectata sua fragilitate, & naturali dispositione: Sic pluribus relatis firmat Sanch. *lib* 4. *de voto cap.* 16. *num.* 93. *iuncto num.* 90. Suar. *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 11. & 12. Ex quo fit eum qui ob prauum procedendi modum, quem facilè superare poterat, à religione expellitur, voto non satisfacere, & à fortiori si ea intentione vt expellatur, malè procedit. Secùs verò si difficulter se continere possit. Sanchez pluribus relatis *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 108. Suarez *tom.* 3. *lib.* 4. *c.* 3. *num.* 11.

6. Restat tamen enodanda grauis difficultas: An si supradicto voto religionis superaddas votum illius perseuerantiæ, amplius obligeris, ita vt non liceat tibi ex causa rationabili relinquere? Ratio difficultatis est, quia votum religionis (vt dictum est) non est votum solum de suscipiendo habitu, sed de perseuerando in illo media professione, quia est votum de religione, quæ non est absque professione, seu ttium votorum in religione approbata emissione. Ergo votum perseuerandi, & profitendi voto religionis nihil addit. Deinde obligari non potes ad profitendum, nisi præmissa probatione. Quia non potes obligari contra formam, & dispositionem iuris communis. Sed de ratione intrinseca probationis est, vt si probatum consentaneum inuentum fuerit admittatur; sin minùs respuatur. Ergo quantumcunque ad professionem faciendam obligeris, poteris probatam religionem respuere, si tibi incongrua visa fuerit; sicuti potes, cum religionis suscipiendæ voto ligatus es: Sic docuit Arag. 2.2. *q.* 88. *art.* 3. *circa solut. ad* 2. Sot. lib. 7. de iustitia *q.* 2. *art.* 1. *ad* 3. Petrus de Ledesm. 2. *tom. summ. tract.* 10. *cap.* 3. *dub.* 7. *casu* 4. Eman. Sà verbo *votum numero decimotertio.* Lessius Suar. statim referendi probabilem reputant.

7. Nihilominùs veriùs est, te posse voto astringi ad perseuerandum in religione, tametsi religio incommoda, & difficilis visa fuerit, modo ea difficultas tanta non sit, vt periculum peccandi; vel impediendi maius bonum inducat: Sic supponit. D. Thomas 2.2. *quæst.* 189. *art* 4. *in corpor. & ibi* Caietan. Nauarr. *c.* 12. *num.* 47. Couarr. de pactis 1. *p.* §. 3. *ad finem:* Azor. 1. *p. libro* 11. *c.* 22. *q.* 8. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 81. Lessius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 5. *num.* 46. Suar. tom. 3. de Relig. *lib.* 4. *cap.* 4. *à num.* 2. *& sequentibus* Layman. *lib.* 4. *Theolog. mor. tract.* 5. *c.* 6. *num.* 13. & alij plures apud ipsos. Ratio est; quia hoc votum est de re bona, & honesta, nec maioris boni impeditiua, scilicet de professione facienda superatis omnibus difficultatibus maius bonum non impedientibus. Ergo est votum validum.

8. Dices validum esse spectato iure naturæ, & antiqui iuris communis dispositione Quia his spectatis cedere poteras iuri probandi religionem, *c. statuimus, c. consulti, c. ad Apostolicam de Regularibus.* At spectato iure nouo Tridentin. *sess.* 25. *de Regularibus* inualidum esse, cum ibi prohibeatur, & annulletur quælibet annuæ probationis renunciatio, & votum perseuerandi in religione hanc annuam probationem cum facultate egrediendi liberè videtur impedire. Item in *cap.* 16. *de Regularibus*, annullat consilium bonorum renunciationes, & pacta quæ minùs liberum, & expeditum egressum facere possent nouitio. Ergo à fortiori censendum est votum perseuerandi superatis omnibus difficultatibus possibilibus irritare, & annullare. Quia hoc votum minùs ei liberum, & expeditum egressum relinquit, quam quælibet alia bonorum renunciatio, & donatio. Sed contra est, quia consilium nihil de voto professionis disposuit. Ex eo autem, quod prohibuerit, & annullauerit professionem non præmisso anno nouitiatus, aliásque renunciationes bonorum absque conditionibus ibidem præscriptis, non infertur annullasse votum profitendi eo casu, quo probata religio periculum peccandi, vel impediendi maius bonum non inducat. Nam huiusmodi votum optimè compati potest cum annua probatione. Quia probatio non excludit voluntariam probationem quoad Deum perseuerandi superatis quibusuis difficultatibus maius bonum

non

non impedientibus, solum enim petit, vt decursu vnius anni religio probet nouitium, & nouitius religionem. Quoad causas verò, ex quibus probata religio relinqui possit, nihil disponit, sed dispositioni iuris naturalis remittit; ac proinde ingredientem liberum relinquit, vt si velit se voto astringere ad perseuerandum possit, sin minùs maneat in ea dispositione, qua erat ante ingressum. Alias si probatio impediret hanc obligationem perseuerandi ortam ex voto profitendi, & iam impediret obligationem perseuerandi ortam ex voto simplici religionis, cum ex vi illius non possit deseri religio, quæ commoda, & facilis inuenta fuerit; cum tamen nullo voto intercedente optimè posset relinqui absque vlla culpa ob aliquem honestum finem.

9. Verum an de facto, quoties votum perseuerandi religione, seu profitendi emittis, obligatus sis perseuerare, tametsi religio tibi incommoda, & difficilis valdè appareat? Satis controuersum est. Communis sententia affirmat te obligatum esse. Sic D. Thomas, Caietan. Nauarr. Azor. Couar. Sanch. & alij num. præcedenti relati. Mouentur; quia sic vouens intendit se amplius obligare, quam si solum religionem voueret; aliàs non ea forma votum emitteret, neque voto religionis emisso illud votum superadderet. At votum profitendi non potest ampliùs obligare, quam votum religionis, nisi obliget ad amplectendam religionem esto incommoda, & difficilis appareat. Ergo dicendum est ad hoc obligare. Cæterum verius censeo eo solum casu perseuerandi amplius obligare quam votum religionis, cum vouens satis cognoscit obligationem voti religionis, & ea supposita superaddere intendit nouam obligationem quod manifestè conuincit fundamentum communis sententiæ. Sed quia id ratum est (rarò enim religionem vouentes cognoscunt vi illius voti obligatos esse profiteri, si religio inueniatur, facilis, & consentanea; ratóque ex voti perseuerandi intendunt in regione perseuerare, si difficilis, & incommoda appareat) ea de causa votum perseuerandi communiter emissum non est præsumendum voto religionis obligationem superaddere sed eandem ampliùs explicare: Sic expresè vltra Doctores in principio hùius quæstionis relatos docet Suarez *tom. 3. de Religion. lib. 4. cap. 4. n. 8.* & meo iudicio eam defendit Sanchez esto inuitus *dicto cap. 16. num. 82.* Quatenus asserit votum perseuerandi non obligare, si aliquam magni momenti difficultatem in religione experiatur tempore voti ignoratam, aut alia notabilis difficultas superueniat. Sed ob nullam aliam rationem voto religionis ligatus deserere religionem potest nisi quia religionem difficilem grauiter expertitur, quod tamen tempore voti prorsùs ignorabat. Ergo votum perseuerandi nullam in sententia Sanchez obligationem superaddit voto religionis. Quod verò regulariter vouentes non sint censendi se velle obligare ampliùs voto perseuerandi, quam voto simplici religionis. Sic probo. Quia velle perseuerare sub conditione, quod religio grauiter incommoda, & difficilis visa non fuerit, est maximè Tridentin. conforme, quod hunc statum amplectentes liberos esse voluit. Est item religioni maximè expediens, quippe ea via religioni vtiles sunt, & in virtute proficiunt. Ergo sic est præsumendum. Præterea in votis stricta interpretatio facienda est, neque imponenda est obligatio absque grauissimo fundamento. At nullum est fundamentum firmum, vt vouentibus perseuerantiam imponatur tantum onus, vt in religione graviter difficili, & incommoda perseuerent siquidem satis hoc votum explicari potest de perseuerantia in religione, si bona fide probata inueniatur facilis, & consentanea. Ergo ex voto perseuerandi non ampliùs quam ex voto religionis obligantur, tametsi id clariùs explicent.

10. Hinc deducitur, qualiter voto perseuerandi ligatus, si religionem, quam ingressus est, iustè deserat, vel ab ea ob morbum, vel parentum necessitatem, vel aliam ob causam expellatur, obligatus sit cessante impedimento iterum eam petere, veel si impedimentum non sit commune aliis religionibus, ea deserta aliam religionem ingredi?

Et quidem si probabilem sententiam sequamur. Votum perseuerandi strictiùs non obligare, quam votum religionis; constat ex dictis te liberum esse ab obligatione voti, modo impedimentum, ob quod deseris religionem, vel ab ea expelleris non annullet ingressum; quia eó casu reputandum est, ac si nunquam ingressus fuisses. At stante communi sententia votum perseuerandi strictiùs obligare, quam votum religionis, eadem communis sententia affirmat te obligatum esse iterum petere illam religionem si spes sit in ea fortè recipiendum, vel aliam, si votum fuit religionis in genere, & perseuerandi in ea. Sic docuit expresè Sanchez *lib. 4. cap. 16. num 82.* Layman *lib. 4. summ. tract. 5. cap. 6. num. 13.* Nauarr. *cap. 12. n. 46. & lib. 3. consil. 21. num. 10. de voto* Bonacina *tom. 3. disp. 4. quæst. 2. punct. 5. § 6. n. 22.* Ratio est, quia non solum vouisti ingressum, sed perseuerantiam, à cuius executione temporale impedimentum te liberare non potest, nisi dum ipsum durat. Ergo eo cessante astringi debes.

Cæterum satis probabile censeo in superadicto casu te voto satisfecisse, neque obligatum esse iterum ingredi. Sic docuit Suarez tom. 3. de Religione *lib. 4. c. 4. num. 15.* Et me eius ratio conuincit: Quia vouens profiteri, non debet præsumi se voluisse obligare omnibus modis, & viis quibus possibilis est professio, sed solum præsumi debet se voluisse obligare ad profitendum, si receptus semel in probatione per ipsum non steterit; quia hic modus obligationis benignior est, & Ecclesiæ stylo conformis. Ergo assumpta probatione, si iustè egrediatur, vel à Prælato expellatur, voto sufficienter satisfecit. Deinde votum religionis, & votum perseuerandi in religione, vota sunt de professione facienda, & licet votum perseuerandi ampliùs obliget, quam votum religionis, quia obligat ad grauiores difficultates superandas. At non video qua ratione obliget ad illas superandas non solum in vna probatione, sed in omnibus possibilibus.

PVNCTVM V.

An votum religionis impediat matrimonij, sponsaliorumque contractum, obligétque ad castitatem seruandam?

SVMMARIVM.

1 *Votum religionis per se ad castitatem non obligat.*
2 *Impedit valorem sponsalium, & licitum matrimonij contractum.*
3 *Si eo voto non obstante matrimonium contrahas, obligaris non consummare.*
4 *Quid si votum emittatur matrimonio consummato?*

1. CErtum est votum religionis per se non obligare ad castitatem; quia non est votum castitatis, sed est votum assumendi statum continentem castitatem; ac proinde votum religionis est non votum castitatis promissæ, sed promittendæ: ea de causa violatio castitatis nunquam est directè contra huiusmodi votum; indirectè tamen potest aliquando esse, cum est occasio, ne votum executioni mandetur, vt statim dicam.

2. Quapropter votum religionis obligat, ne illo ligatus contrahat sponsalia, reddítque ipsa sponsalia nulla; quia Deo promissus, & dicatus non potest se alteri nec licitè, nec validè promittere, & dicare, vt colligitur manifestè ex *cap. ursùs, qui Clerici, vel vouentes,* & tradit in præsenti Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 4. cap. 5. in fine, & est omnium.* Deinde impedit ne licitè matrimonium contrahatur, esto validè contrahi possit. Et quidem si contrahatur animo consummandi; clarum est esse mortale peccatum, cum assumatur status impediens religionis ingressum. Si verò contrahatur animo non consummandi; Sed statim aduolandi ad religionem, etiam existimo regulariter esse illicitum ob periculum consummationis, ob deceptionem alterius contrahentis, vt multis allegatis probat Ioan. Gutierr. *tract. de matrim. cap. 25. num. 4.* Dixi regulariter; nam si ad legitimandam prolem, honorandámque concubinam ex eius consensu absque periculo consummandi contraheretur matrimonium, animo transeundi statim ad religionem nullum esset peccatum in tali contractu. Ioan. Gutierr. *c. 25. n. 3.*

3. Quod si non obstante voto matrimonium contrahas, obligaris illud non consummare non solum petendo, sed nec reddendo; quia obligaris non te reddere inhabilem ad votum exequendum. Quod de priori bimestri & res manifesta, cum eo tempore possis, & debeas religionem suscipere. Sanch. innumeros referens lib. 9. de matrim. *disp. 33. num. 14.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 5. num. 47.* Illo autem bimestri transacto, si ab altero coniuge non petatur debitum, debes religionem ingredi. Quia obligatus es, dum coniux petitioni debiti non contradicit. Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 4. c. 5. num. 7.* Sanch lib. 9. de matrimon. *disput. 13. num. 14.* At si coniux contradicit debitum petendo, credo te obligatum esse eius petitioni annuere. Quia transacto bimestri habet ius petendi debitum, neque impediri potest occasione religionis assumendæ. Alias non solum bimestre esset à iure concessum pro deliberando de religionis ingressu, & excusando coniuge à debiti redditione, sed longius tempus. Suar. *loco allegato n. 8. & sequentibus.* Neque ex eo quod aliquo, vel longo tempore post bimestre differatur petitio, infertur postea petente coniuge, antequam religionem ingrediaris, te obligatum non esse concedere, nam cessare à petitione debiti, non est se priuare iure petendi, quando placuerit, neque est concedere tibi licentiam, vt negato debito postulato religionem assumas: Consummato autem matrimonio, & reddere, & petere potes. Quia votum religionis solum obligat ad religionem, cum illam assumere potes; quod post consummatum matrimonium fieri nequit absque coniugis consensu, vel diuortio in perpetuum celebrato. Suar. *tom. 3. lib. 4. cap. 4. numer. 6.* Sanch. lib. 9. de matrimon.

trimon. *disp.* 33. *n.* 15. *& disp.* 35. *n.* 30. & *ibi plures* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 5. *n.* 47. *in* 2. *edit.*

4. Si verò votum religionis emittatur poſt matrimonium conſummatum diſtinguendum eſt; an fuerit emiſſum ex licentia coniugis, vel abſque illa, an implendum tempore matrimonij, vel obligatione ipſius diſſoluta? Si ex licentia coniugis fueris emiſſum obligabit ad ſui executionem ſeruatis conditionibus à iure præſcriptis eo caſu, quo vnus ex coniugibus religionem ingreditur; quia eſt votum de re licita. At ſi hæ conditiones non ſeruentur. Licentia data nullius eſt momenti, quoad voti obligationem iudicandum eſt de illo voto, ac de voto religionis emiſſo ſine licentia coniugis. Sanch. lib. 9. de matrimon. *diſp.* 36. *num.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 5. *numero* 47. Quod ſi votum religionis emittatur abſque licentia coniugis implendum tamen tempore diſſoluti matrimonij, vel diuortij, clarum eſt validum eſſe, & obligatorium: Quia eſt de re omnino licita, & honeſta, qualis eſt religionis ingreſſus tempore habili. Sanchez lib. 9. de matrim. *diſput.* 35. *num.* 12. Leſſius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 5. *num.* 47. Si verò emittatur implendum abſque coniugis conſenſu tempore quo matrimonij obligatio in ſua vi perſiſtit. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 5. *numero* 3. Cenſet validum eſſe, & obligare ad religionem coniuge poſtea conſentiente, vel ea defuncta. Mouetur quia res promiſſa, ſcilicet religio honeſtiſſima eſt, eſto modus ſub quo promittitur, fuerit impoſſibilis Ergo ſublato illo modo promiſſum obligabit: Quia vtile per inutile non vitiatur. Deinde quia qui obligatur ad religionem ſine conſenſu coniugis, à fortiori obligabitur illa conſentiente, vel defuncta. At veriùs eſt tale votum nullum eſſe, nullámque inducere obligationem: quippe eſt de re illicita, & impoſſibili. Nam licet aſſumptio religioſi ſtatus ex ſe licita ſit, & honeſta; attamen facta à coniuge abſque eius conſenſu illicita eſt, & impoſſibilis; ſi ergo per illud votum non religio abſolutè promittitur, ſed ſub ea circumſtantia, planè eſt promiſſio de re iniqua, & impoſſibili, ſicut ſi coniux alteri coniugi promitteret velationes recipere, tempore quo ab Eccleſia ſunt prohibitæ, promiſſio nulla eſſet. Regula verò vtile per inutile non vitiatur, intelligi debet, quando ad inuicem ſeparantur; ſecùs ſi nihil ex re promiſſa vtile remanet: Sic tanquam certum tradit Sanch. *lib.* 9. *de matrim. diſput.* 35. *num.* 12. Leſſius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 5. *num.* 47. *in* 2. *edit.* Bonac. *tom.* 2. *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 6. *num.* 8. Et ſatis colligitur, ex *c. quidam, cap. placet de conuerſione coniugat.* Verum ſi votum emittatur de religione aſſumenda abſolutè, validum erit. Quia dum contrarium non conſtat, præſumendum eſt emitti pro tempore habili: Hæc enim præſumptio & fauet valori actus, & culpam à voto excludit. Sanch. *lib.* 9. *de matrimon. diſp.* 35. *n.* 13. Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 2. Qualiter autem hoc votum religionis dirimat ſponſalia tract. de matrimon. dicendum eſt.

PVNCTVM VI.

An voto Religionis ſatisfacias Epiſcopatu aſſumpto?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur dubitandi ratio.*
2 *Voto religionis non fit ſatis aſſumptione Epiſcopatus.*
3 *Couincitur ſiniſtra interpretatio ad textum in c. per tuas, de voto, quam adhibet Henriquez, & alij.*
4 *Voto religionis ligatus peccat grauiter, ſi Epiſcopatum acceptet.*
5 *Ligatus voto religionis acceptans Epiſcopatus collationem, obligatus eſt petere à Pontifice licentiam renunciandi.*
6 *An tenearis petens licentiam votum manifeſtare? Negat Sanch.*
7 *Veriùs eſt oppoſitum.*
8 *Fit ſatis contrariis.*
9 *Poteſt hic Epiſcopus voti religionis diſpenſationem petere.*

1. RAtio difficultatis eſt, quia Epiſcopatus eſt ſtatus perfectior ſtatu religioſo, vt omnes Doctores tradunt, & latiſſimè probat Suar. *tom.* 3. *de Religione, lib* 1. *c.* 15. 16. *& præcipuè* 18. Et colligitur ſatis ex *c. licet de Regularibus c. Veniens de iureiur.* Sed votum non infringit qui in meliùs commutat. *c peruenit* 2. *de iureiurando.* Ergo non violat votum religionis qui illud in aſſumptionem Epiſcopatus commutat; ſicuti non violat votum laxioris religionis, qui ſtrictiorem ingreditur, neque votum ſtrictioris qui profeſſionem facit in laxiori: Sic docent Abbas, Henriquez, Anton. *in c. per tuas de voto*, probabile cenſet Henriq. *lib.* 10. *de Sacram. ordinis c.* 32. *in fine.* Tradit expreſsè Manuel Rodriguez *tom.* 2. *ſumm. c.* 6. *num.* 6. Eman. Sà verbo *Epiſcopus num.* 2. *in vtraque edit.*

2. Cæterum omnino tenendum eſt voto religionis non ſatisfieri aſſumptione Epiſcopatus: Sic docent D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 3. *ad* 1. & *ibi* Caiet. Sylueſt. *verbo votum* 3. *queſt.* 9. *& verbo Religio* 2. *q.* 20. Azor. t. *p. lib.* 11. *c.* 16. *q.* 2. *& c.* 22. *q. vlt.* Sanch. *lib.* 4. *c.* 17. *num.* 5. Suarez tom. 3. de Relig. *lib.* 1. *c.* 19 *n.* 9. *& ſeqq.* Laym. lib. 4. ſumm. *tract.* 5. *c.* 6. *q. vlt. &* alij plures apud ipſos. Et ſumitur manifeſtè ex *c. tuas* 10. *de voto*, vbi de quodam, qui votum ſolemne religionis fecerat, hoc eſt in præſentia plurium, neque ſuo tempore impleuerat, ſed tranſgreſſor voti exiſtens ad regimen Eccleſiæ Hebennenſis vocatus, fuit reſpondet Innocent. III. ab ipſo conſultus; ſi tuam ſanare deſideras conſcientiam regimen reſignes Eccleſiæ memoratæ, ac reddas altiſſimo vota. Quod ſi capitulum eiuſdem Hebennenſis Eccleſiæ te poſtmodum canonice duxerit eligendum, electionem recipere poterit de te factam. Ex cuius textus deciſione manifeſtè colligitur voto religionis non eſſe ſatisfactum, ſiquidem Pontifex ſupponit conſcientiam illius Epiſcopi læſam exiſtere, & reſignatione Epiſcopatus, reddition̄éque voti ſanandam eſſe. Si autem aſſumptione Epiſcopatus vtpote ſtatus perfectioris, voto religionis fieret ſatis, nullum votum teneretur Epiſcopus reddere, ſicut non tenetur, qui in meliùs votum commutat, neque eius conſcientia ob hanc commutationem eſſet læſa.

3. Neque verum eſt quod tradit Hentiq. *d. c.* 32. *nu. vlt. in comm. litt.* 1. *& Emanuel. d. c.* 6. *n.* 6. Pontificem loqui de conſilio, non de præcepto moti illis verbis. *Nos autem tuæ diſcretioni conſulimus.* Quia repugnat textui ſupponenti conſcientiam Epiſcopi læſam eſſe, indigereque curatione; quod dici non poteſt ob omiſſionem rei ad conſilia Euangelica pertinentis. Quare licet Pontifex conſulat; conſulit tamen rem aliàs præceptam, & iure diuino debitam; tametſi ipſe nolit poſitiuo præcepto ad eius executionem obligare. Neque item eſt verum, quod tradit vterque Eman. *ſupra* illam deciſionem eſſe ſpecialem; eò quod ille Epiſcopus non ſolum votum emiſerat in Grationopolitana Eccleſia habitum ſuſcipiendi, ſed etiam in manibus Prælati ipſius Eccleſiæ promiſerat infra duos menſes poſtquam ab Apoſtolica ſede rediiſſet votum impleturum. Quæ promiſſio, quia videtur homini facta aſſumptione Epiſcopatus non commutatur. Non inquam verum eſt, quia eſto in manibus Prælati promiſerit infra duos menſes votum impleturum, Prælato tamen non promiſit, ſed Deo. Et eſto Prælato promiſiſſet, ſubintelligenda erat conditio, niſi ſtatum meliorem aſſumeret, vt in promiſſione facta alteri de matrimonio contrahendo contingit. Minùs bene procedunt Abbas, Anton. & Henriquez, cum dicunt Pontificem conſuluiſſe Epiſcopatum dimittere, & religionem ſuſcipere, eo quod in peccato mortali tranſgreſſionis voti Epiſcopatum aſſumpſiſſet, neque bono zelo, ſed ambitione ductus. Nam hæc ſine vllo fundamento ſunt excogitata, & contra diſpoſitionem iuris communis nunquam præſumentis delictum, niſi manifeſtum ſit. At in præſenti manifeſtum non eſt. Nam eſto ante aſſumptionem fuerit voti facti tranſgreſſor, quia tempore ſignato non impleuit, at illius culpæ pœnitere poterat, cum Epiſcopatum aſſumpſit, ſi aſſumptio Epiſcopatus eſt voti ſatisfactio: ſicut qui laxiorem religionem promiſerat ingreſſurum infra duos menſes, neque impleuit, & poſtea pœnitentia ductus ingreditur ſtrictiorem. Deinde eſto cõcedamus ambitione ductum, & cum peccato mortali illum Epiſcopatum aſſumpſiſſet; non infertur votum religionis extinctum non eſſe aſſumptione Epiſcopatus, vt poteſtatus perfectionis; quia ob peccatum mortale valor illius aſſumptionis non perit, neque caſu redditur. Si ergo poſt aſſumptionem Epiſcopatus votum religionis reddendum eſt, clarè infertur Epiſcopatu non extingui. Non minùs à veritate diſcedit Hoſtiens, & Ioan. Andreas. Affirmantes (eſto ſub dubio) deciſionem Pontificis proceſſiſſe ob conſcientiam erroneam illius Epiſcopi; quia exiſtimabat obligatum eſſe renunciare Epiſcopatui, & votum religionis implere, vel vt alij dicunt ad vitandum ſcandalum ortum ex tranſgreſſione voti. Quia ſi id verum eſſet, potiùs debebat Pontifex veritatem declarare, & manifeſtare populo nullam eſſe obligationem implendi votum, vtpote quod erat ſufficienter impletum, quam occaſionem præbere confirmandi Epiſcopum in ſuo errore, & populum in ſcandalo. Nam ex hac manifeſtatione, & declaratione populi ſcandalum ſedabatur, & Epiſcopus veritatem agnoſcebat. Stet ergo firma deciſio illius textus, & noſtræ concluſionis veritas aſſumptione Epiſcopatus non impleri votum religionis. Ratio verò eſt, quæ ſimul eſt ſolutio contrariæ rationis. Nam eſto Epiſcopatus ſit ſtatus perfectior, quam religioſus. At nemini eſt perfectiùs illam aſſumere (extra caſum vrgentis neceſſitatis Eccleſiæ. Tum quia ſupponit aſſumentem eſſe ſummè perfectum, iuxta illud Pauli. Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, &c. Quod de ſe nemo debet præſumere. Tum ob pericula elationis, quæ in illo munere adſunt. Tum quia non eſt medium ita aptiùs ad perfectionem proptiam, ſicut eſt

ſtatus

ſtatus religioſus. Eáque de cauſa diximus *tract. ſuperiori* votum non procurandi Epiſcopatum, imo neque acceptandi) extra caſum obedientiæ, & neceſſitatis validum eſſe.

4. Ex his infertur habentem votum religionis peccare graviter, ſi Epiſcopatum acceptet. Vt tradunt Sylueſt. Azor. Suar. Sanch. Laym. & alij *n. præcedenti* relati. Quia quantum eſt ex ſe redditur impotens exequendi votum, cum iam illius executio non ex propria voluntate tantum, ſed ex Pontificia dependeat; ſiquidem nullus Epiſcopus exequi votum religionis poteſt non dimiſſo Epiſcopatu, vt tradit *Innoc. III. in cap. poſt tranſlationem. de renunciatione.* Ob indecentiam quæ eſt, ne magiſter ex officio magiſterio retento fiat diſcipulus, & obligatus alios docere, obligetur ab aliis diſcere, & viam humilitatis inchoare, qui perfectionis culmina profitetur. At nullus Epiſcopus renuntiare Epiſcopatui poteſt abſque Pontificis conſenſu, *c. niſi cum pridem de renuntiatione, c. inter corporalia de tranſlatione Epiſcopi.* Ego acceptando Epiſcopatum is qui voto ligatus eſt, abſolutè redditur impotens exequendi votum, ergo peccat graviter. Hæc procedunt de acceptatione confirmationis, ſeu collationis, qua verè Epiſcopatus obtinetur, non de acceptatione electionis, qua non Epiſcopatus, ſed ius ad Epiſcopatum conceditur, quod ius non impedit religionis ingreſſum, cum propria voluntate dimitti poſſit, cap. *inter corporalia de tranſlat. Epiſc.* Nihilominùs tamen cenſeo in tali acceptatione peccatum eſſe graue, tum ob periculum acceptandi confirmationem, & ſe impeditum reddendi ad votum. Tum quia inutilis, & irriſoria eſt acceptatio, & præter voluntatem eligentium, quæ ſtatim ex obligatione dimittenda eſt.

5. Secundò infertur, ligatum voto religionis, & acceptantem Epiſcopatus collationem, ſeu confirmationem obligatum eſſe petere à Pontifice licentiam renuntiandi Epiſcopatui; vt votum exequatur. Sic Azor. *1. p. inſtit. moral. lib. 11. c. 22. q. vlt.* Sanch. *lib. 4. in Decalog. c. 17. num. 6.* Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 1. c. 20. à n. 1. & ſequent.* Layman. lib. 4. ſumm. *tract. 5. c. 6. in fine.* Quia hæc licentia eſt medium executioni voti omnino neceſſarium. Ergo ſtante obligatione exequendi votum, ſtat obligatio apponendi media illius executioni neceſſaria. Dices Supra *dicto textu in cap. per tuas.* Hanc licentiam eſſe conceſſam. Sed contra: Quia nullum eſt verbum, ex quo hæc generalis conceſſio colligatur. Præterquam quod non expediebat ſic concedi: cum ſæpe conuenientius ſit ob neceſſitatem Eccleſiæ in Epiſcopatu aſſumpto perſeuerare, quam eo dimiſſo ad religionem tranſire; ac proinde oportebat hæc omnia ponderare.

6. Sed eſt dubium; an talis Epiſcopus teneatur, cum petit licentiam votum manifeſtare, ſi ſimpliciter petita non conceditur? Negat Sanch. *d. c. 17 in fine*, & Layman. *ſuprà.* Tum quia cogeretur delictum commiſſum in acceptatione Epiſcopatus manifeſtare. Tum quia negata licentia renuntiandi Epiſcopatui ſuſpenditur obligatio voti. Tum quia ſubditus non tenetur emiſſo voto de materia ſupetiori ſubiecta votum declarare, vt præcedenti tractat. diximus, & conſtat. Nam ſi Epiſcopus aſſumpto Epiſcopatu votum religionis faceret, non eſſet obligatus votum manifeſtare, ſed ſufficienter ſatisfaceret, ſi petita licentia abſque voti manifeſtatione ei denegaretur.

7. Cæterum veriùs cenſeo obligatum eſſe votum manifeſtare, ſi aliter licentiam obtinere non poſſit: Sic latè probat Suar. tom. 3. de Relig. *lib. 1. c. 20. à num. 5.* Ratio eſt, quia hæc voti obligatio ſuſpendi non poteſt, niſi media irritatione, vel diſpenſatione. Sed diſpenſatione nunquam voti obligatio ſuſpendi poteſt, niſi votum cognoſcatur, & cognitio cauſæ, ex qua concedenda eſt præmittatur, vt latiùs *tract. præcedenti* dixi. Irritatio autem directa in præſenti locum non habet, cum illud votum non fuerit emiſſum tempore ſubiectionis, indirecta verò irritatio, quæ eſt quædam diſpenſatio, quæque conſiſtit in impedienda voti executione; eo quod illius executio Eccleſiæ aſſumptæ præiudicet, exerceri non poteſt incognito voto, & ponderato Eccleſiæ præiudicio. Qua enim ratione Pontifex obligationem iuris diuini exequendi votum impedire poteſt negando renuntiationem Epiſcopatus, ſi nullum Epiſcopatui præiudicium prouenit ex tali renuntiatione, quippe æquè bonus Prælatus eſt qui præficiatur? Nam ſola obligatio regendi Eccleſiam aſſumptam non videtur præſtare ſufficientem cauſam impediendi voti executionem, cum pro voluntate Pontificis tolli poſſit tradita Eccleſia alteri regenda. At impedire executionem voti independenter à ſua voluntate facti non poteſt Pontifex, niſi cauſa iuſta diſpenſandi intercedat. Ergo neceſſariò Epiſcopus manifeſtare debet votum, vt irritatio indirecta, ſeu diſpenſatio concedatur.

8. Neque obſtant contraria ad 1. fateor obligatum eſſe indirectè aſſumentem Epiſcopatum voto ligatum manifeſtare delictum, quod commiſit in voti violatione, & Epiſcopatus aſſumptione, quando alia via non poteſt licentiam ad renuntiandum obtinere, niſi voto antea facto manifeſtato. Quia tacitè ſe ad hanc manifeſtationem aſtrinxit, cum ligatus voto Epiſcopatum aſſumpſit. Ad 2. concedo negata licentia renuntiandi Epiſcopatui, voti obligationem ſuſpendi, debet tamen licentia legitimè negari; quod non contingit, niſi caſu quo maius Dei obſequium credatur eſſe perſeuerare in regimine Eccleſiæ aſſumptæ, quam votum exequi. Ad 3. dico eſſe maximam differentiam inter votum factum poſt Epiſcopatum aſſumptum, & ante illius aſſumptionem. Nam poſt Epiſcopatum aſſumptum præſtatur ſub tacita conditione beneplaciti Pontificis, quo non conſentiente ceſſat obligatio. At emiſſum ante Epiſcopatum, nullam imbibit conditionem: Eáque de cauſa Pontifex impedire illius executionem non poteſt, niſi ſtante cauſa ſufficienti ad diſpenſationem. Quod ſi obiicias maritus impedire poteſt vota vxoris ante matrimonium facta, ſi materiæ ſuæ diſpoſitioni ſubiectæ præiudicant. Item impedire poteſt eorum executionem præcipiendo incompoſſibilia. Et idem eſt de domino comparatione ſerui. Ergo ſimiliter Pontifex impedire poterit Epiſcopo executionem voti religionis antea facti; eo ſolùm quod hæc executio præiudicat regimini Eccleſiæ, materiæ ſibi ſubiectæ. Reſpondeo negando conſequentiam; quia Pontifex non habet poteſtatem dominatiuam in Clericos, & Epiſcopos: neque item eſt Dominus beneficiorum, ſed diſpenſator; ac proinde ſpectare debet, vt munus diſpenſationis fideliter præſtet quid Deo gratiùs ſit Epiſcopum me ingredi religionem, quam in Epiſcopatu aſſumpto perſeuerare?

9. Denique aduerto hunc Epiſcopum voto religionis ligatum optime poſſe voti diſpenſationem petere: ſi enim ante Epiſcopatum poteſt, à fortiori poterit illo aſſumpto, ſi cauſa iuſta ſubeſt diſpenſationi: Sic Layman. lib. 4. ſumm. *tract. 5. cap. 6. in fine*: & eſt res manifeſta.

PVNCTVM VII.

Qui poſſint religionem ingredi.

CVm omnes illi qui vel iure naturæ, vel poſitiuo impediti non ſint, capaces exiſtant religioſi ſtatus, videndum eſt qui ſint, quibus tantum bonum interdicatur.

§. I.

An Epiſcopi, & Parochi à religionis ingreſſu arceantur.

SVMMARIVM.

1 *Parochus, & quilibet alius beneficiatus poteſt contradicente Epiſcopo religionem ingredi.*
2 *Epiſcopus non poteſt inconſulto ſummo Pontifice.*
3 *An debeat Pontifex hanc licentiam concedere nulla alia cauſa allegata præter ſtudium religioſæ vitæ? Proponitur dubitandi ratio.*
4 *Explicatur ſententia, & Pontificis deciſio.*

1. POſſe Parochum, & quemlibet alium beneficiatum etiam contradicente Epiſcopo religionem ingredi eſt expreſſa deciſio *textus in c. dud. 19. q. 2.* An verò teneatur licentiam à ſuo Epiſcopo poſtulare? Videtur docere D. Thom. *q. 189. art. 7.* Azor *lib. 11. p. 1. c. 16. q. 3.* Sed non video quo iure hæc obligatio imponatur. Nam *textus* qui adducitur in cap. *licet de Regularib.* Loquitur de regularibus tranſeuntibus ad religionem ſtrictiorem. Quapropter exiſtimo poſſe irrequiſito Epiſcopo religionem amplecti; debet tamen ſtatim eum monere, vt loco ſui paſtorem prouideat, ne oues deſertæ maneant. Suar. tom. 3. de Relig. *lib. 5. cap. 4. num. 14.*

2. Epiſcopus verò nullatenus poteſt inconſulto ſummo Pontifice, & abſque eius licentia, religionem ingredi: Colligitur ex cap. *niſi cum pridem de renuntiatione, & c. licet de Regularibus.* Ob perfectionem enim Epiſcopalis ſtatus, & obligationem contractam ſuæ Eccleſiæ inſeruiendi, merito prohibuit Pontifex, ne abſque ſua licentia & iam occaſione religioſæ vitæ fieret dimiſſio, & renuntiatio. D. Thom. 2. 2. *q. 189. art. 7.* Azor. *1. p. lib. 11. c. 16. q. 2. & 3.* Leſſius *lib. 2. c. 41. dub. 3. n. 24.* Suar. *tom. 3. lib. 5. c. 4. n. 14.*

3. Sed dubium eſt; an debeat, vel poſſit Pontifex hanc licentiam concedere Epiſcopo petenti nulla alia allegata cauſa præter voluntatem, & ſtudium religioſæ, vitæ? Rationem dubitandi fecit Textus *in c. niſi cum pridem de renuntiatione.* Vbi ob ſolam ſupradictam cauſam non permittitur Epiſcopo renuntiare Epiſcopatui. Quia commune bonum priuatis commodis præferri debet. Et ſubduntur ſex cauſæ, ob quas ſolas renuntiare licitum ſit. Prima eſt crimen non quodcunque, ſe dumtaxat propter quod ipſius officij executio poſt peractam

peractam pœnitentiam impeditur. Secunda, debilitas corporis, quæ vel ex infirmitate, vel ex senectute procedit, nec tamen omnis, sed illa solum per quam impotens redditur ad exequendum officium Pastorale. Tertia defectus scientiæ, qui facilè tolli non potest. Quarta malitia plebis, quæ ita duræ ceruicis existat, vt proficere nequeat apud ipsam: Quinta, graue scandalum pusillorum, quod aliter sedari non possit. Sexta, irregularitas, præcipuè ex bigamia. Quæ omnes causæ si bene perpendantur, ad bonum plebis spectant, & subdit Pontifex: si propter alias causas cessionem affectes, non est in hoc tibi postulanti fauendum; & ita tradit Lessius *l.2.c.41. dub.3.n.24.* & Valent.2.2.*disp.*10.*q.3.punct.*4. Subditque professionem in religione factam nullam esse.

4. Supradicta sententia, & Pontificia decisio, quatenus negat ex affectu religiosæ vitæ non posse licentiam peti ad renuntiandum Episcopatum, neque debere à Pontifice concedi procedit quando nullus alius de facili adesset, qui æquè benè populo prouideret. Quia tunc bonum commune populi priuatæ vtilitati præferendum est. At quia sæpè contingit adesse plures, qui æque bene, imò aptiùs Ecclesiam regant; credo tunc Episcopum licitè petere licentiam transeundi ad religionem dimisso Episcopatu, & prudenter à Pontifice concedi. Quia eo casu & bono communi populi, & particulari Episcopi attenditur: Docet Suar. tom.3. de Relig. *lib.1.c.20. numer.7.*

§. II.

Qualiter impuberes, seu filiifamilias, & serui impediantur à religione.

SVMMARIVM.

1 *Filiusfamilias pubes benè potest ingredi, secùs seruus durante seruitute.*
2 *Impuberes qualiter possint à parentibus religioni offerri.*
3 *Non impediuntur ex Trident. habitum suscipere religiosum.*

1. CLarum est filiosfamilias puberes, si aliàs apti sunt à religione suscipienda nullatenus impediri; expediebat enim maximè in statu eligendo sui iuris esse. Quod ita verum est, vt excommunicationi subiiciantur. Sic impedientes Trident. *sess.25.c.18. de Regularibus*, seruus verò durante seruitute nullatenus potest religionem ingredi; quia ex iustitia obsequio domini astrictus est. Sed an eius nouitiatus validus sit, pendet aliquantulum ex illa quæstione infrà tractanda, an professio eius valeat; qui enim dicunt professionem valere, quia nullibi inuenitur irritata, à fortiori dicent valere nouitiatum. At quia multi negant illi professioni valorem, non caret difficultate; an nouitiatus valeat, quia est ad professionem dispositio. Sed veriùs existimo valere non absolutè, sed sub conditione si herus consenserit professionem fieri; sicut de coniugatis dicemus in sequenti.

2. De impuberibus qualiter possint à parentibus religioni offerri, ipsique possint religionem ingredi; latissimè tractat Sanch. *lib.4.in Decalog.c.18.* Suarez tom.3.de Religione, *lib.5. c.1.2.* & 3. Sed superuacaneum duxi in his immorari; cum vsu receptum sit in religionibus præcipuè vitorum nullum iam impuberem recipi, & esto recipiatur, receptio eius non conducit, vt nouitiatus legitimus inchoetur, quousque pubertatem adeptus sit: cum enim Trident. *sess.25. de Regularib. c.15.* statuerit professionem faciendam non esse ante 16. annum completum, insuperque dixerit completo nouitiatu habiles admittendos esse, minùs idoneos expellendos; tacitè insinuauit post pubertatem verum nouitiatum esse incipiendum, & meritò; quia ante illam ætatem non possunt satis religionem experiri, præcipuè difficultates in obseruanda castitate: Sic tanquam certum tradunt Glos. *in clem. fin. verbo ætate de Regularibus per textum ibi.* Sylvest. verbo *religio* 2.*q.* 11. & *religio* 3.*q.*1. Greg. Lopez *leg.3.verbo vn anno tit.7.part.*1. Azor. 1.*p.lib.*12.*c.*2.*q.*4. & 7. Sanch. aliis relatis lib.5. summ.*c.*4.*n.*22. Suar. tom.3. de Relig. *lib.5. cap.*4. *n.*8.

3. Dubium tamen est; an ex decreto Trid. *sess.25. de Regularib.* expressè prohibeatur puellis habitum religiosum suscipere ante annos pubertatis? Aliqui censent impediri, nisi expressè parentes, aut tutores consenserint: Sic Manuel Rodrig. *tom.3. regul. q. quæst.12. art.2.* Barbosa in declarat. *concil. circa supradictum locum*, refertque à sacra congregatione decisum.

Sed omnino dicendum est supradicto decreto nihil speciale statui circa ingressum impuberum, sed iuris antiqui dispositioni relinqui; quare cum iure antiquo possint impuberes tam viri, quam fœminæ non contradicentibus parentibus, vel tutoribus religiosum habitum suscipere, vt colligitur ex cap.2. *de Regularib.* & *ex c.* 1. 2. & 3. *causa* 20.*q.*2. Sic possunt non obstante dispositione Tridentin. quia Tridentin. solum disposuit, ne puella maior duodecim annis habitum religiosum susciperet; quin Episcopus eius voluntatem examinauerit. De minori autem nihil disposuit quoad habitus susceptionem, sed solùm quoad professionem. Inquit enim Sancta Synodus. Si puella quæ habitum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat nec postea ipsa, vel alia (ideſt qnæ ante eam ætatem ingressa fuit) professionem emittat, quam explorauerit Episcopus Virginis voluntatem. Supponit ergo concilium minorem duodecim annis posse habitum regularem suscipere, cuius voluntas explorandа est ab Episcopo in sola professione; & ita latè probat Michaël Mutina de sacrorum hominum continentia *lib.4. controuers.9.toto c.*4. Sanch. *lib.4. summ. c.18.n.*34. Suar. *tom.3. de Religion. lib.5. c.2. num.*9. Quod si roges, quare consilium statuit maiorem duodecim annis suscipientem habitum examinandum esse ab Episcopo non solum in professione, sed etiam in habitus susceptione, minorem verò non esse examinandum in susceptione habitus? Facilè respondetur; quia impubes non propria, sed parentum voluntate regitur: cui voluntati præiudicare noluit consilium, sed potiùs fidit in bonum filij ordinandam esse. Specialiter autem statuit hoc examen pro fœminis, & non pro viris. Quia regulariter fœminæ, & non viri ad religionem coguntur, minoríque scientia, & discretione. Pollent in status electione. Sed qualis culpa sit hoc examen non præmittere in habitus susceptione? Suar. *d.lib.5.c.1. n.9.fine*, non declarat; sed solum dicit non careret culpa illa omissio; nam illa verba consilij *statuit, & decernit* vim præcepti sufficienter declarant. Crederem autem esse culpam grauem ex vi huius decreti; qua & materia grauis est, & in professione est res certissima, vt dicemus. Sed quia video consuetudine introductum esse, ne Episcopi suscipientem habitum regularem examinent, sed profiteri volentem; ea de causa nullum est peccatum in susceptione habitus hoc examen omitti. Et intra tradit Sanch. lib. 5. sum. *cap.* 4. *n.*84. *fine.*

§. III.

Qualiter coniuges impediantur à religionis ingressu.

SVMMARIVM.

1 *Ante matrimonij consummationem non impediuntur, secùs illo consummato.*
2 *Validæ est habitus susceptio à coniuge post matrimonium consummatum, dependenter tamen à voluntate alterius.*
3 *Fit satis contrariis.*

1. ANte matrimonij consummationem certum est non impediri: matrimonio autem consummato impediuntur, nisi causa adsit perpetui diuortij, vnus alteri licentiam concedat, *cap.quidam, cap.placet, cap.ex parte, cap. veniens, & aliis de conuersione coniugat.* Ex quibus textibus manifestè colligitur ita impeditos esse, vt professio facta nulla sit.

2. Hinc ergo oritur dubium, an receptio habitus, seu nouitiatus non consentiente coniuge nullus sit? Videtur esse nullum, & omnino iterandum; quia nouitiatus est ad professionem dispositio: Ergo dispositum in professione censendum est in nouitiatu dispositum esse. Item est contra iustitiam. Non ergo expedit, vt illam Ecclesiam tanquam validam acceptet. Cæterum veriùs existimo valere coniuge ante professionem consentiente. Quia nullibi inuenitur irritatus; solum enim ius irritauit professionem coniugis altero coniuge non consentiente. Sed ex hac irritatione non infertur irritari receptionem: siquidem facta receptione, & nouitiatu continuato, potest coniux antea renuens consentire: quo consensu posito professio fieri potest; quia cessauit impedimentum, sub quo erat irritus. Ergo fieri potest absque noua inceptione nouitiatus. Quia nouitiatus in se non fuit irritus, sed solum irritus esse poterat ex irritanda professione, qua cessante irritatione nouitiatus suæ naturæ relinquitur; ac proinde validus persistit, & effectum habere potest; sic expressè tradit Suar. *tom.3.de Relig. lib.5. cap.*4. *n.*10. Et faciunt quæ adducit Sanch. *lib.7. de matr. disp.*37. *à n.*46.

3. Neque obstant contraria. Nam esto nouitiatus sit dispositio ad professionem; non inde fit irritari ex causis, quibus professio irritatur, sed solum non posse habere effectum, dum causæ irritantes professionem perstiterint, at illis sublatis, cum validus sit effectum sortiri potest. Secundũ argumentum solum probat conuenientiam, quod nouitiatus irritaretur, non tamen probat de facto irritatum esse. Adde neque hanc conuenientiam probat; nam esto illicitus sit, & peccaminosus sufficiens est, vt nouitius religionis onera experiatur, & religio

nouitium, & consequenter vt legitimus sit; & ab Ecclesia vt talis acceptetur; aliàs si, sola iniustitia, & turpitudo in his actibus reperta præstaret nullitatem, neque matrimonium, neque professio illicitè facta valida essent, quod est absurdum.

§. IV.

An obstricti debitis, & ratiociniis reddendis suscipere habitum religiosum possint?

SVMMARIVM.

1 *Si bona non habeas, neque speres habere, ex quibus satisfacias creditoribus, potes religionem ingredi.*
2 *Idem est si debita sint incerta.*
3 *Si breui tempore speras manens in sæculo satisfacturum, non potes religionem ingredi.*
4 *Si vltra biennium, vel triennium speras satisfacturum, & non antea absque graui difficultate. Aliqui negant te posse religionem ingredi.*
5 *Alij oppositum censent.*
6 *Approbatur hæc sententia in debitis prouenientibus ex liberali tua promissione.*
7 *Prima sententia approbatur in debitis ortis ex delicto, vel ex contractu oneroso.*
8 *Si hac obligatione non obstante professionem feceris, nec tenetur Prælatus concedere licentiam vt, propriis manibus labores pro satisfactione exhibenda, neque data licentia, teneris illa vti.*
9 *Obligatus à ratiocinio impeditur à religionis ingressu, dum non satisfacit.*
10 *Quid de his dicendum sit spectata constitutione Sixti V. & Clement. VIII.*

1. ALiqua sunt in hac quæstione certa, alia sub opinione. Primò certum est te posse religionem ingredi, si neque habeas bona, vnde creditoribus satisfacias, neque speras probabiliter habere; quia tunc censeris absolutè impotens: Sic tradunt omnes Doctores in discursu referendi.

2. Secundò est certum, si debita sunt incerta, (hoc est si nulli determinato debita sunt, sed sunt pauperibus, vel piis operibus restituenda) te posse religionem ingredi, tametsi breui tempore speres habiturum bona, quibus integrè satisfacias. Nam cum hæc obligatio non tam iustitiam, quam pietatem spectet iure Ecclesiastico potiùs quam naturali exercendam, abundè videtur impleri, si te tuáque omnia religioni tradas. Quid enim magis pium excogitari potest? Sic Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *circa solut. ad* 1. Man. Rodrig. *tom.* 3. *q. regul. q.* 10. *art.* 9. *notab.* 1. Sanch. lib. 4. sum. *cap.* 19. *n.* 4. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *c.* 7. *n.* 1. Limitat autem Sanch. hanc doctrinam, vt procedat in debitis nomine proprio; non in alieno. Si enim (inquit) acciperes à Petro quantitatem pecuniæ pauperibus, vel piis operibus restituendam, illámque consumeres, non posses religionem ingredi, si breui tempore sperares habiturum, vnde satisfaceres. Quia illud debitum est debitum iustitiæ, & certæ personæ debitum nempe Petro, cuius voluntatem accipiendo pecuniam, tacitè obligatus fuisti adimplere. At hæc limitatio mihi non probatur: si enim Petrus, qui nomine proprio incerta debet, non impeditur ob id debitum à religionis ingressu, neque tu impediendus es quippe qui eamdem, quam Petrus habeat, suscepisti obligationem, ipse enim eam in te transtulit traditione pecuniæ.

3. Tertiò certum esse debet (etsi ab aliquibus negetur) si breui tempore in sæculo detentus speras satisfacturum creditoribus, vel ex fructibus alicuius officij, vel beneficij vel ex acquisitis arte, & industria tua statui accommodatis, te obligatum esse susceptionem habitus differre, si interim graue, & extraordinarium periculum committendi aliquod peccatum mortale tibi non immineat: Sic docent expresè Nauarr. *comment. de Reg. n.* 8. *ratione* 6. *& solut. ad* 4. Azor. 1. *p. l.* 12. *instit. mor. c.* 1. *q.* 5. Petrus. Nauarr. *l.* 4. *de restitut. c.* 4. *difficul. vlt. n.* 78. *&* 79. Sanch. l. 4. sum. *c.* 19. *n.* 8. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *c.* 7. *n.* 2. Lessi. *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 3. *n.* 32. Ratio est; quia absolutè censeris potens ad satisfaciendum, cum absque graui difficultate, & breui tempore id facere possis. Neque æquitas iustitiæ patitur obsequenda consilia creditoribus grauiter præiudicare, & præcepti naturalis restituendi, obligationem omittere. Quod si roges quod tempus breue reputandum sit, vt teneatis religionem differre, si intra illud speras debitum, vel illius notabilem quantitatem soluere; Placet sententia Sanch. *dicto. c.* 19 *n.* 8. Biennium esse, vel ad summum triennium, vt placet Maiori, & Nauarr. ab eodem Sanch. allegatis.

4. Difficultas ergo est; an possis religionem ingredi si vltra biennium, vel triennium manens in sæculo, & non antea absque notabili difficultate speras debitum graue soluere? Negat Valent. 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 6. *punct.* 7. vers. *præter has.* Ioan. Met. *Cod. de restitut. q.* 3. *tota causa* 8. Corbon. *de restit. q.* 85. *dub.* 3. Suar. tom. 3. de Relig. *lib.* 5. *c.* 7. *n.* 12. Probatur; quia præceptorum omittenda non est ob opus consilij, & perfectionis quale est religionis ingressus. At dum spem moralem habes satisfaciendi etiam ad longum tempus extensam, obligatione præcepti naturalis astringeris. Ergo omittere illam non potes ob ingressum religionis qui est opus consilij. Quod si dicas te omittere illius obligationem non ob ingressum religionis vtcumque, sed quia longo tempore dilatus tibi grauiter damnosus est, quippe priuat continuo virtutum exercitio, & animum exponit periculo lethaliter peccandi, & desistendi à bono proposito? Obstat; quia illud damnum non est in rebus acquisitis, sed acquirendis; sed damnum in acquirendis bonis spiritualibus supererogationis excusare non potest à præceptorum obseruatione. Alias posses excusari manens in sæculo à restitutione faciēda si velles Xenodochio inseruire, & orationi, contemplationique vacare, quod nullatenus est admittendum quia æquitas iustitiæ non permittit te bonis spiritualibus locupletari cum præiudicio tertij. Si autem dicas id esse speciale religionis priuilegium, debebas aliquo iure, vel ratione firma fundare. Cum ergo id facere non possis; conuinceris obligatus esse in sæculo manere si sic manens speras etiam post longum tempus creditoribus satisfacere.

5. Alij grauissimi Doctores sentiunt te posse cedendo bonis statim religionem ingredi: Sic expresè D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 6. *ad* 9. Cæsto alij in contrarium conentur explicare Caietan. *ibi* Siluest. verbo religio *quæst.* 4. *Arag.* 2. 2. *q.* 62. *a.* 8. *in cauf.* 8. Eman. Sà verb. *religio n.* 1. & alij plures relati à Sanch. *l.* 4. *sum. c.* 19. *n.* 7. Neque limitant ad longum tempus, sed absolutè pronunciant te posse statim ingredi religionem, reliquendo bona, quæ habes, vt ex illis creditoribus quantum fieri possit, fiat satis: Et probabile reputat Lessi. *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 3. *n.* 32. *in* 2. *edit.* Mouentur, quia debitis soluendis non astringitur persona in se, sed in bonis. Ergo si bonis cedis, personam religioni tradere poteris. Deinde satisfactio, quæ non nisi cum magna difficultate, vel longo tempore expectato, & cum detrimento spiritualis salutis fieri potest, censenda est moraliter impossibilis, sed talis esse videtur quæ indiget longo tempore ingressum religionis differre. Ergo non obligat.

6. In hac re dicendum est, si debita orta sunt ex liberali tua promissione; eo quod Petro promiseris aliquam pecuniæ quantitatem, vel aliquod obsequium, non es obligatus vllum tempus ad sui executionem expectarè, sed statim potes ad religionem transire eo omisso: quia omnes hæ liberales promissiones tacitam imbibunt conditionem; nisi ad meliorem vitæ frugem feceris transitum: Si enim promissio matrimonij, quæ omnium, quæ in fauorem hominum fieri possunt fauorabilior est, hanc imbibit conditionem, à fortiori eam imbibent reliquæ. Et ita docet Siluest. verbo *relig.* 2. *q.* 4. *fine, & q.* 5. Azor 1. *p. l.* 12. *instit. mor. c.* 1. *q.* 4. Medina de resti. *q.* 3. *causa* 8. *ad* 4. Sanch. plures referens *l.* 4. *c.* 19. *n.* 31. *&* 38. Suar. tom. 3. de Relig. *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 13.

7. Verum si debita ex delicto, vel ex contractu oneroso ortum habuerint, veriùs existimo cum Doctoribus primæ sententiæ impedire religionis ingressum quoties spes adest satisfactionis etiam post biennium. Moueor tum rationibus ibidem adductis. Tum quia eximi ob ingressum religionis ab obligatione satisfaciendi creditoribus non potes, nisi vel ex priuilegio religioni concesso, vel quia reipsa, & notabiliter loquendo censeris impotens. Sed nullum est priuilegium concessum religioni excusans à debitorum solutione ob illius ingressum, vt docent expresè Petr. Nauarr. *l.* 4. *de rest. c.* 4. *difficult. vlt. n.* 79. Sanch. *d. c.* 19. *n.* 8. post medium. Neque etiam est moralis impotentia. Hæc enim censenda non est ex eo solum, quod quadriennio, vel quinquennio differatur solutio; aliàs probata statim hac necessaria dilatione excusatus esses à debitorum solutione; tametsi religionem non ingredereris, quod nullus concedet. Neque item censenda est ex detrimēto, quod pateris omittendo, religionis fructus, quos illo tempore consequi posses religionem intrando; quia hoc est detrimentum in bonis non necessariis, sed liberis, non de præcepto sed de consilio, non acquisitis, sed acquirendis. Si enim detrimentum in his bonis moralem impotentiā ipso iure constitueret, dilatio vnius anni religionis illam constitueret, cum eo tempore non modici fructus spirituales obtineri possent. Item non sola religionis dilatio, sed dilatio vitæ Eremiticæ, vel continui in Xenodochio obsequij hanc moralem impotentiam constitueret, quod credo nullus audebit concedere. Igitur ex nullo capite excusari potes, Deinde ipsemet Sanch. *dicto c.* 18. *n.* 8. Fatetur & bene si intra biennium potes notabilem quātitatem debiti soluere, te non posse religionem ingredi. Ponamus ergo intra sequens biennium aliam notabilem quantitatem te soluere posse, & tertio biennio integrè debito satisfacere. Nescio qua ratione in huiusmodi casu posses religionem ingredi. Nam qua parte obligatus fuisti illo primo biennio expectare ob soluendam illam notabilem quantitatem, videris obligandus secundo, & tertio biennio. Ergo debitum

quod

quod intra quinquennium, vel sexennium solui potest, non præstat facultatem religionem ingrediendi. Quocirca vel dicendum est, nullam esse obligationem spectandi, neque vno mense, sed dimissis bonis te posse statim religionem ingredi, vel esse obligationem expectandi quadriennio,& sexennio, si intra illud tempus debito fieri potest satis.Et hoc mihi magis probatur.

8. Quod si contempta hac obligatione religionem professus esses,aliqui Doctores existimant,te obligatum esse manibus laborare,vel alia via decenti bona acquirere, quibus posses creditoribus satisfacere, ipsumque religionis Prælatum obligatum esse licentiam concedere, tametsi non ad deferendum habitum neque,ad videndum extra claustra Suar.*tom.3.de Relig.lib.6.cap.*10.*n.*7.Sed verius existimo neque Prælatum obligatum esse hanc licentiam concedere, neque te illa vti. Quia non creditorum, sed religionis es, & professione facta cum cessione bonorum debita extinxisti: Sic Sylvest.*religio* 2.*q.* 4. Sanch.pluribus relatis l.4.sum.*c.*19.*n.*14.Lessius *lib.*2.*c.*41.*dub.* 3.*n.*31.Censet nullatenùs monasterium obligari;nisi quatenus ditius factum est.

P. Denique obligatus ad ratiocinia publica seu Reipublicæ spectato iure antiquo impeditus erat religionis ingressu, quousque rationem redderet; secùs obligatus ad priuatorum. ratiocinia: Habetur, *cap.vnico de obligatis ad ratiocinia,& c. legem* 35.*distinct.& leg.officiales, C. de Episc. & Cleric.* Et tradit Sylvest. verbo *relig.*2.*q.*6.Sanch.*lib.*4. *cap.*19.*n.* 19 At credo vtrumque impeditum esse à religionis ingressu.Quia extra religionem facilè satisfieri potest,intra difficilè,cum frequenter ex his ratiociniis lites,& turbationes oriantur:Sic Lessius *lib.*2.*c.*41.*dub.*3 *n.*33.

10. Hucusque egimus quid ex natura rei, seu spectato iure antiquo fieri oporteat, videamus quid spectatis constitutionibus Sixti V.& Clem.VIII.Nam Sixtus V.in sua constitutione edita 1587.inhabiles non solum ad professionem,sed etiam ad habitus susceptionem constituit illegitimos, criminosos, & ingenti ære ælieno grauatos,& ratiociniis reddendis obstrictos; quæ constitutio quoad inhabilitatem,seu nullitatem habitus, & professionis Clement.VIII.reuocauit. Quoad pœnas autem tam ingredientibus, quam recipientibus ibidem positas,& quoad ingressum in sua vi,& firmitate reliquit.Gregor verò XIV.prorsùs sustulit quod de illegitimis Sixtus disposuerat, & ad ius commune reduxit. Solum ibi cauet, ne illegitimus in religionem recipiatur, in qua pater eius superstes sit. Excluſit igitur Sixtus V. à religione criminosos non quoscunque,sed qui furta,latrocinia,rapinas,homicidia, aliáve facinora patrarunt,timentque ob ea puniendos esse, & vt punitionem effugiant, ad religionem confugiunt. Debent ergo delicta esse publica, non occulta.Nam ob occulta delicta punitio non timetur, & non vtcumque publica debent esse, sed de quibus specialis inquisitio facta est, neque reus absolutus est, vel punitus: nam stante absolutione delictum manet occultum,stante punitione fini constitutionis est satisfactum, & consequenter poterit religionem ingredi Suar. tom.3.de Relig.*lib.*5.*c.*7.*à n.*15.Deinde excluſit à religione ingenti ære alieno grauatos,qui culpa sua in impotentiam satisfaciendi deuenerunt,si tamen spem habent aliquando satisfaciendi, constat ex illis verbis. Multi Doctores post dilapidatam rem familiarem. Quare si absque sua culpa supra vires debitis grauati sunt, esto breui tempore expectato satisfacere possint,non comprehenduntur in hac constitutione; tametsi iure naturæ à religione impediantur; vt dictum est. Tandem excluſit obnoxios ratiociniis reddendis, siue publicis, siue priuatis: illos tamen quibus ex huiusmodi causa,vel molestia eis iam illata est, vel timendum sit, ne inferatur. Nam si absque lite, illóue grauamine aut districtione creditur rationes reddi posse, optimè possunt religionem ingredi. Sed hæc non debent facilè præsumi.

§. V.

Qualiter filius ob parentum, vel fratrum necessitatem, vel è contra parentes ob filij necessitatem à religione impediantur.

SVMMARIVM.

1 *Triplex necessitas distinguitur.*
2 *Si necessitas sit extrema, & in sæculo manens potest subuenire, è contra in religione,nequit ingredi filius.*
3 *An hac obligatio extendatur ad nepotem comparatione aui, & ad fratres inter se? Negat Suar.*
4 *Contrarium etiam comparatione cuiuslibet proximi à communi sententia defenditur.*
5 *Necessitas grauis obligat filium religionis ingressum differre.*
6 *Procedit, tametsi filius religionis votum emisisset.*
7 *Apponitur limitatio, nisi filius spirituale salutis periculum habeat,qualitérque hoc est intelligendum.*
8 *Quid si parens filium ad peccatum induceret?*
9 *Quid si vterque grauem necessitatem pateretur,& solus vnus ad malum prouocaret.*
10 *Quæ dicta sunt, procedunt,tametsi filius voto religionis suscipiendæ legatus esset.*
11 *Quæ dicuntur de filio comparatione parentis dicenda sunt de parente comparatione filij.*
12 *Ob necessitatem fratrum,aliorúmque consanguineorum non teneris religionem differre.*
13 *Si voto religionis obstrictus sis pro determinato tempore, non potes differre ob hanc fratrum necessitatem propria authoritate,bene authoritate Prælati.*
14 *Necessitas communis non præstat filio comparatione parentis impedimentum religionis ingressui.*

1. TRiplex necessitas distinguenda est (vt distinximus *tract.*6.*de charit.disp.*2.*de eleemos.punct.* 2.) alia extrema,alia grauis,alia communis.Extrema est,in qua si non succurras, vita proximi periclitatur.Grauis quando absque graui difficultate, & labore sustentari non potest, ad quod reducitur, si cadens à suo statu cogatur mendicari, vel famulari, vel officium aliquod indecorum exercere. Communis est, quando non alias necessitates,quam communes,& frequentes patitur.

2. Si necessitas extrema parentis adsit, & filius in sæculo manens subuenire potest,non autem religionem ingrediens obligatus est religionis ingressum omittere.Et idem est à fortiori de parente comparatione filij. Secùs verò si in sæculo manens subuenire non possit, vel possit religionem ingrediens. Est omnium sententia: Quia præceptum charitatis, & pietatis in nullo alio casu strictiùs obligare potest, & in hoc sensu dixit Christus. *Matth.*9.misericordiam volo,& non sacrificium. Dixi si in sæculo manens subuenire potest, non autem religionem ingrediens. Nam si manens in sæculo subuenire non potest, frustrà ibi manet. Si verò religionem ingrediens subuenire potest,tum cessione bonorum,tum amicorum auxilio,& donatione,tum alia via nequaquam obligatur à religione abstinere;quia iam religio non est impedimentum satisfaciendi supradictæ naturali obligationi.

3. Difficultas est;an hæc obligatio extendatur ad nepotem comparatione aui, & ad fratres inter se quatenus tales sunt? Negat Suar.*tom.*3.*de Relig.lib.*5.*c.*5.*n.* 8. Neque in fauorem sui authorem adducit. Mouetur quia Doctores singulariter de parente comparatione filij, & de filio compatatione parentis loquuntur, quippe qui obligantur suas actiones, cum necessitas vrget in sui adiutorium expendere. At non videntur obligati comparatione aliorum consanguineorum. Deinde quia latis probabile est ob subueniendum proximi etiam consanguinei extremæ necessitati; neminem obligari bona quærere,procurare, præcipuè si studio & diligentia non mediocri quærenda sunt, vt latiùs *illa disp.* 2. *de eleemosynâ, punct.*2.dixi.Ergo neque obligandus est illa quærere, procurare cum detrimento suæ spiritualis salutis, quale in omittenda religione per longum tempus reperitur. Limitat autem & benè Suarez suam sententiam, vt non procedat quando breui spatio & per breuem, & facilem actionem, & occupationem subueniri proximo extremè indigenti potest. Quia eo casu charitas vrget non solum consanguineo,sed etiam cuilibet extraneo auxilium præbere.

4. Cæterum video Doctores generaliter asserere ob necessitatem extremam cuiuslibet proximi religionis ingressum differendum esse, & post ingressum egrediendum, vt videre est apud Sanch.*lib.*4.*c.*20.*n.*14.*&* 28. Lessium *lib.* 2.*c.*41.*dub.* 3. *n.* 34.*in fine*,Layman.lib.4.Theolog.moral.*tract.*5 *cap.*6.*num.* 1. Valent. 2. 2. *disp.* 7. *q.*1.*punct.*2.vers.2.*certum* [illegible].Thom.*q.*101. *art.*4. & *ibi* Caiet. & alios præcipuè à Sanch. relatos. Ratio est, quia necessitatem extremam diuturno tempore durare impossibile apparet: aliàs proximus non esset in extremis, seu in proximo vitæ periculo.Ergo non indiget ad sui remedium longa religionis dilatione. Breuem autem omnes Doctores admittunt, & ipse Suar.Ergo stante necessitate extrema cuiuslibet proximi, cui dilatione religionis subueniri potest, ingressus differendus est. Præterea lege charitatis, & misericordiæ teneris cuilibet proximo in extremis constituto succurrere, si absque graui iactura rei familiaris tibi necessariæ,vel absque graui alia, & notabili difficultate id præstare potes; sed quoties dilatione religionis tantum necessitati extremæ subuenitur, præstas absque tua graui iactura, & detrimento.Nam esto omittas eo tempore religionis statum, illius fructus compensas necessitatis extremæ succursu tantæ charitatis exercitio. Ergo necessariò ingressus religionis differendus est. Fateor tamen, si ad succurrendum proximi necessitati extremæ, opus tibi esset non solum religionis ingressum differre,sed mendicare,vel officium aliquod exercere, quo à tuo statu caderes,non obligari, in quo Suar. assentior.

At hoc (vt dixi) nunquam eſt neceſſarium , quia neceſſitas extrema cito tranſit, & breui aliquo ſuccurſu finitur, qui eſto fiat media actione humili , & abiecta non humiliat operantem , ſed potiùs eum extollit, vtpote ob finem ita pium , & Chriſtianum aſſumpta.

5. Si verò de neceſſitate graui parentis loquamur communis ſententia defendit obligatum eſſe filium religionis ingreſſum differre ob illius remedium,quando aliter adhibere illud non poteſt:Sic expreſsè D.Thom.*q.*189.*art.*6.*in corp.* & *q.*101. *art.*4.*ad* 4.& *ibi* Caiet. ad finem. Sylueſt. verbo *religio* 2.*q.*7. Nauarrus *ſumm.c.*14.*n.*14. Tolet. *lib.*5. *ſum. c.*1.*n.*5. Emanuel. Sà verbo *religio* , *n.*2. Azor.1. *p. lib.*12. *cap.*1. *q.*8. Sanch. *lib.*4. *ſumm. c.*20.*n.*3. Suar. *tom.*3. *de Religion. lib.*5. *c.*5.*n.*11. Leſſius *lib.*2.*c.*41.*dub.*3.*n.*34. Layman *lib.*4.*tract.*5.*c.*6.*n.*2. & alij. Fauétque Textus *in cap. ſi qui filij* 30. *diſtinct.* Quod eſt concilium. Grangen. Ratio eſt quia ſtante graui neceſſitate , in parente obligatur filius ob honorem illi debitum ſubuenire,tum re familiari , tum labore manuum ſuarum , & induſtria : Sed hæc obligatio ceſſare non poteſt ob exercenda opera conſilij, & perfectionis. Nam eo ipſo quod hæc impediant naturalis obligationis executionem , non conſilium , ſed peccatum erunt. Ergo ſtante neceſſitate graui non poteſt filius ingredi religionem.Dices verum eſſe,non ceſſare præceptum ob exercenda opera conſilij,at ceſſare poſſe ob damnum quod pateris in illius exercitij priuatione. Sed contra ; quia eſto prieris exercitio virtutum in religioſo ſtatu; abſolutè tamen illo non priuaris;cum extra religionem ſuccurrendo parentibus poſſes perfectionem etſi difficiliùs obtinere. Adde non eſſe inconueniens executionem alicuius præcepti,exercitium aliarum virtutum impedire;quia aliarum virtutũ exercitio,& ipſius præcepti executione detrimentum illud compenſari poterit.Non igitur ob priuationem ſtatus religioſi ceſſare poteſt obligatio ſuccurrendi parentibus in graui neceſſitate conſtitutis.

6. Quod procedit, tametſi filius votum religionis emiſiſſet ſiue ante incurſam neceſſitatem,ſiue illa durante.Quia votum naturali præcepto contrarium eſſe non poteſt. Ne quis enim te obligare ad ſuſcipiendam religionem eo tempore , quo ex præcepto naturali omittenda eſt, quia eſſet obligatio ad rem illiciram,& iniquam : Sic pluribus relatis firmat Sanch. *lib.*4. *ſum. cap.*20.*n.*2.Suar. to.3. de Reli. *l.*5.*c.*5.*n.*16. & *ſeqq.* Quod ſi dubium habeas , an neceſſitas parentis tanta ſit , vt ex præcepto ad illam ſubleuandam obligeris , non poteris propria authoritate voti executionem omittere. Quia obligatio voti eſt certa , excuſatio neceſſitatis dubia , eſt autem ſufficiens cauſa , vt ex diſpenſatione voti executio differatur. Suar. & Sanch. *ſupra.*

7. Duplex ſuperiori doctrinæ limitatio apponitur.Prima, ne procedat caſu quo filius periculum ſpiritualis ſalutis , hoc eſt committendi aliquod peccatum mortale extra religionem haberet : Sic D. Thom. *quod l.*10.*art.*9.Silueſt.verbo *Relig.*2. *q.*7. Leſſius *l.*2.*c.*41. *dub.*3.*n.*34. Tolet. *lib.*5. *ſum. c.*1.*n.*6. Sed non de quocunque periculo hoc intelligendum eſt ; aliàs vix vllus eſſet,qui omiſſa parentum neceſſitate non poſſet religionem petere , cum rarus eſt, qui manens in ſæculo non aliquo, & pluribus peccatis mortalibus maculetur,à quibus liber exiſteret religionem ingrediens. Sed intelligi debet de periculo proximo vt dixit Cordub. *in regul.* Diui Franciſci , *c.* 2. *q.* 6. *art.*1. *poſt principium* Sanch. *lib.*4. *ſum.c.*20.*n.*11. Imò non de quocunque periculo proximo , quod ſuccurrendo parentibus vitare non potes aliter quàm ingrediendo religionem. Nam ſi aliter vitare potes , quæ cauſa eſt , vt te ingreſſu religionis impotentem reddas obligationi naturali ſatisfaciendi ? Vnde debet eſſe periculum , quod ſub reatu mortali obligatus ſis vitare medio religionis ingreſſu, aliàs aduerſus naturale præceptum ſuccurrendi parentibus non præualebit.Quod vt benè dicit Suar. *d.lib.*5. *c.*5. *n.*32. Vix eſt moraliter poſſibile.

8. Secunda limitatio eſt , ne procedat caſu , quo parens filium ad peccatum induceret. Nam ſtante hac inductione adeſt regulariter filio periculum conſenſus , ob quod vitandum, & ſe incolumem reddendum fugere patrem poteſt, imò tenetur : Sic expreſsè D.Thom.2.2.*q.*101.*art.*4. *ad* 1. *iuncta ſolut. ad* 3. *ibi* Caietan. Sanch. *lib.*7. *c.*20.*n.*12. Suar. *tom.*3. *de Religion. lib.*5.*c.*5. *n.*20. & *ſequent.* Sed non inde infertur poſſe filium ad religionem tranſire. Nam ſi manes in ſæculo, à patre tamen ſeparatus, periculum euitas, & parenti ſubuenis, quod ingreſſus in religionem præſtare non potes, iniquè tamen ingredereris deſerendo parentem,cum religionis ingreſſus non ſit medium neceſſarium ad ſe ſecurum à peccato ſeruandum Suar. *d.c.*6. *n.*22. Quapropter , vt deſerto parente poſſet filius religionem ingredi , neceſſariò requiritur , quod filius aliter prouocationem vitare non poſſet , quam religionis ingreſſu; quod rarò continget. Neque ad hanc poteſtatem opus eſt, vt inductio talis ſit, cui filius conſentiat , vel periculum morale conſentiendi habeat ; ſufficit enim eſſe obligatum continuo prauæ patris voluntati reſiſtere. Quia eam pugnam ſuſtinere graue onus reputandum eſt. Non tamen tenebitur fugere deſerto parente , ſi expertus ſit periculum morale conſenſus abeſſe : Sic Suar. *dicto tom.*3. *de Religion. lib.*5. *cap.*5. *à n.* 22. & *ſeq.*

9. Sed quid ſi vterque parens graui neceſſitate prematur, & ſolus vnus ad malum prouocet , deſerendus ne eſt vterque. Reſpondeo ſi abſque morali periculo peccandi innocenti fauere non potes, vterque deſerendus eſt ; quia non teneris cum graui periculo ſalutis parenti etſi innocenti fauere. At ſi abſque hoc periculo poſſes innocenti fauere credo te eſſe obligatum. Nam eſto inductio præſtet ſufficientem occaſionem deſerendi parentem inductorem animæ hoſtem , & inimicum , graue onus eſt , & ſpeciali Dei auxilio indiget , quòd comparatione innocentis non procedit Sanch. *dicto cap.* 20. *numer.* 12.

10. Verum ſi filius votum religionis ſuſcipiendæ haberet, non obinde auxiliũ patri debitum omittere poſſet,niſi eo caſu ſecluſo voto poſſet religionem ingredi. Quia votum non præſtat facultatem deſerendi parentem , & in religionem ingrediendi,ſed aliunde facultate,& habilitate ſuppoſita vouentem adſtringit ad illius executionem. Suar. *num.*27. Sanch. *lib.*4. *cap.*20. *n.*13.

11. Quæ dicta ſunt de obligatione filij comparatione parentis , dicenda ſunt efficaciùs de parente comparatione filij in graui neceſſitate exiſtentis. Quia parens iure naturali debet filium alere , & ſuſtentare : Sic Doctores omnes relati *numer.*5. Imò non ſolum tempore neceſſitatis , ſed ante ipſam prouidere debet , ne filio neceſſaria in educatione deſint.

12. Reſtat dicendum de obligatione filij comparatione fratrum , & aliorum conſanguineorum in hac graui neceſſitate exiſtentium. Et quidem ſi fratres ſub parentis cura exiſtunt, & ob inopiam parentis grauem neceſſitatem patiuntur, tenetur filius ea obligatione , qua parenti debet ſuccurrere, iis fratribus prouidere : quia tunc non tam fratribus , quam parenti prouidet;obligatio enim iis ſuccurrendi non prouenit ex iure debito fratribus , ſed ex iure debito parenti : cui patienti grauem neceſſitatem filius ſubuenire debet. Cenſetur autem illam pati , quoties non poteſt abſque graui difficultate ſe, ſuóſque liberos ſuſtentare.Suar. tom.3. de Relig.*lib.*5. *c.*6. *n.*3. Si autem fratres ſui iuris exiſtant, communis ſententia defendit nullam eſſe obligationem longo tempore differendi ſtatum religioſum. Quia obligatio ſubueniendi fratribus,& ſororibus ſolum videtur ex charitate qua proximum diligere tenemur,prouenire,& eiuſdem generis eſſe cum obligatione ſubueniendi extraneis , tametſi in illo genere ſtrictiùs obliget ad conſanguinitatem, & coniunctionem naturalem ad idem principium. Sed ob extraneorum neceſſitatem nullus tenetur ſe longo tempore religioſo ſtatu priuare. Ergo neque ob fratrum neceſſitatem tenetur : Sic docet Suar. *d lib.* 5.*cap.*6.*n.*4. Sanch. *lib.*4. *ſum.cap.*20. *n.*30. Quod procedit tametſi ſorores patiantur periculum incontinentiæ,niſi manens in ſæculo illis prouideas. Quia tuæ curæ commiſſæ non ſunt, non enim ſunt tibi ſubiectæ.Sanch. *d.c.*20 *n.*30. Verum etſi ad differendum religionis ingreſſum obligatus non ſis,negari tamen non poteſt laudabile eſſe ob huiuſmodi finem religionis ingreſſum aliquo tempore differre : Sic Azor.1.*p. inſtit.moral. lib.*12.*cap.*1. *q.*8.

13. Difficultas autem eſt;an ob hanc occaſionem poſſis religionis ingreſſum differre , ſi voto religionis obſtrictus ſis? Diſtinguit Sanch. *l.*4.*cap.*10.*n.*31. & 32. Inter votum religionis factum pro determinato tempore , vel abſque vlla temporis determinatione , & affirmat votum abſque vlla temporis determinatione emiſſum differri poſſe ; quia illud non eſt cenſendum obligare , niſi pro eo tempore quo commodè impleri poteſt. At ſi pro determinato tempore factum ſit , dicit differri non poſſe ob fratrum neceſſitatem, bene tamen ob neceſſitatem ſororum in periculo impudicitiæ exiſtentium.Quia prouidere tali neceſſitati opus eſt tantæ charitatis,vt prudentis arbitrio videatur maioris obſequij diuini, quam præſentaneus religionis ingreſſus. Suar. *verò tom.*3. *de Relig. lib.*5. *c.*6. *num.*5. Abſque vlla diſtinctione negat propria authoritate voti executionem differri poſſe. Quia differri non poteſt, niſi quia votum non obligat , vel ob incapacitatem materiæ promiſſæ , vel ob nouam mutationem illi ſuperuenientem. Cæterum veriùs exiſtimo ob nullam fratrum , vel ſororum grauem neceſſitatem differri poſſe propria authoritate votum pro determinato tempore factum , in hoc cum Suar. conuenio. Nam ſtante illa neceſſitate licitus eſt religionis ingreſſus (vt ipſemet Sanch. concedit) & capax voti obligationis. Ergo ex hac parte non eſt obligatio voti ſuſpenſa , neque etiam eſt ſuſpenſa ob nouam difficultatem,quæ adeſt in exequendo illo ingreſſu ; quia difficultas ex neceſſitate fratrum , vel ſororum proueniens eſt nimis ei extrinſeca. Non igitur ſuſpendere obligationem voti poteſt. Adde difficultatem ſuperuenientem excuſantem ab obligatione voti debere eſſe ita grauem, vt prudentis arbitrio cenſeatur nouam rem promiſſam conſtituere : quod in præſenti non videtur eſſe : ſæpe enim vouenti difficiliùs erit fratres , imò amicos egentes deſerere,

quam

quam sororis periculo impudicitiæ expositas, quibus subueniendis affectus non est. Neque placet quod dicit Sanchez excusari ab obligatione voti, in casu sororum ob præstantiùs obsequium diuinum, quod videtur esse in subueniendis sororibus, & ab eis periculum impudicitiæ præcauendò, quam in religionis ingressu. Nam si id verum esset; licitè religionis votum in tale subsidium commutari propria authoritate posset; quod non est dicendum. Si autem votum absque vlla temporis determinatione emissum est, cum tunc obligatio eius latitudinem habeat, ex circumstantiis extrinsecis, restringi, vel ampliari tempus executionis potest, vt *superiori tract.* diximus: ac proinde ex necessitate fratrum, & à fortiori sororum extendi tempus obligationis potest pro prudentis arbitrio. Vnum tamen est omnino certum supradictam fratrum necessitatem præstare sufficientem causam dispensationis concedendæ Suar. *d. lib. 5. c. 6. n. 4.* Sanch. lib. 4. summ. *cap. 20. num. 33.*

14. Denique si de necessitate communi parentis loquamur, dicendum est nullum præstare impedimentum, quominùs filius ea omissa religionem ingrediatur. Et idem est de parente ob communem necessitatem filij. Quia hæc leuis considerationis est, vt propter illam priuandus filius sit tanto fructu, qui religionis ingressu obtineri potest: Sic D. Thom. communiter receptus 2.2. *q.* 101. *art.* 4. *ad* 4. *& q.* 189 *art.* 6. *& quod libito* 10. *art.* 1. & tradit Suarez *tom.* 3. *de Religion lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 3.

§. VI.

An ob paupertatem monasterij excludantur aliqui à religionis ingressu.

SVMMARIVM.

1 *Deciditur à Bonifacio VIII.*
2 *Quid ex eius decisione inferatur.*
3 *Tridentin. extendit decisionem Bonifacij ad omnia monasteria virorum, & mulierum, ne possint recipi plures quam sustentari possunt.*
4 *Monialis, quæ sufficientem dotem monasterio præbet, quæ commodè sustentari potest per totam vitam recipi potest vltra numerum designatum.*
5 *Ex vi Concilij non est receptio irrita, esto sit vltra numerum.*

1. HVic quæstioni respondet Bonifac. VIII. *in c. periculos. §. sane de Statu Regular. in 6.* his verbis. Sanè vt hoc salutare statutum commodius valeat obseruari, districtius inhibemus; ne in monasteriis ordinum non mendicantium aliquæ recipiantur de cætero in sorores, nisi quod poterunt de ipsorum monasteriorum bonis, sine prouentibus absque penuria sustentari. Si secùs actum fuerit, irritum decernentes.

2. Ex qua decisione infertur graue peccatum committi, si aliqua in sororem recipiatur in monasteriis ordinum non mendicantium vltra numerum earum, quæ de monasteriorum bonis, siue prouentibus absque penuria possint sustentari. Quod satis indicat illa verba præceptiua, *districtius inhibemus.* Item irritatio professionis sic attentatæ, nomine enim receptionis professionem Pontifex intellexit.

3. At hoc decretum limitatum erat, & solum moniales ordinum non mendicantium comprehendebat; latiùs tamen erat decretum concilij Arelatens. relatum in *c. 1. de institutionibus.* comprehendens omnia monasteria virorum, & mulierum ibi. Non ampliùs suscipiantur in monasterio monachorum, aut clericorum, seu etiam puellarum, quam quot se regere de bonis Ecclesiæ absque penuria possunt: clariùs id expressit Trident. *sess. 25. c. 3. de Regularibus.* Ibi in prædictis autem monasteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus is tantum numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari; consonat huic decreto constitutio Pij V. *edita anno* 1566. incipiens *circa pastoralis officij.*

Hinc constat in quolibet monasterio, & conuentu obligatum esse Prælatum illius sub graui culpa numerum religiosorum constituere, & constitutum conseruare, qui ex redditibus propriis monasterij, vel ex consuetis eleemosynis commodè possint sustentari. At videò Bonifac. VIII. & Leonem III. in consilio Arelaten. dixisse eum numerum religiosorum esse constituendum, qui absque penuria sustentari possit ex redditibus monasterij, &c. At Trident. & Pius V. expressit qui commodè sustentari possit, in quibus verbis Tho. Sanch. lib. 7. sum. *c.* 23. *n.* 2. Latum discrimen agnoscit. Nam absque penuria (inquit) non potest sustentari, qui cogitur ad vitæ sustentationem mendicari; commodè verò, quando attenta religionis consuetudine, & personarum qualitate, monasteriique oneribus, & obligationibus sustentari nequeunt. Sed credo vtrumque idem esse: si enim attenta personarum qualitate, religionis consuetudine, & monasterij obligationibus nequeunt sustentari, penuriam patientur, coactæ ergo erunt mendicare ad illam penuriam vincendam. Verùmque erit non posse absque penuria attenta religionis consuetudine, &c. sustentari. Hunc numerum religiosorum in monasteriis monialium etiam exemptis Episcopus potest cum suo Prælato designare, iuxta constitutionem Gregor. XIII. incipientem *Deo sacris edit. anno* 1573. cuius verba refert prauis noua Episc. 2. *p. c.* 3. *n.* 55. *in fine* & Aug. Barbosa 3. *p. de potestat. Episcop. allegat.* 98. *n.* 5. Ex quibus Nauarr. *comment.* 4. *de Regular. n.* 57. *vers.* 3. *nota.* & Barbosa *loco citato.* inferunt sub graui culpa Episcopum obligarum esse hunc numerum designare. Inquit enim constitutio: super quo ordinariorum conscientiam oneramus. Quæ verba obligationem grauem indicant.

4. Aduerto tamen, si monialis sufficientem pecuniam monasterio donet, qua commodè tota vita sustentari possit, poterit vltra numerum designatum recipi: quia eius receptio non grauat monasterium, nec pauperius reddit, sed potiùs subleuat, & ita est consuetudine receptum. Quare Trident. decretum sic explicandum est, vt non possint vltra numerum constitutum moniales recipi indotatæ inquam, & alendæ redditibus monasterij; secùs si dotatæ recipiantur; & sua dote alendæ; sic sustinent expressè Nauarr. cit. de redditibus Ecclesiast. *q* 1. monito 62. *n.* 2. *alias n.* 100. Gutierr. *lib.* 1. *canon. q. cap.* 32. *n.* 63. Suar. tom. 1. de Relig. *tit.* 3. *lib.* 3. *c.* 23. *num.* 19. Barbosa in remission. *concil. sess.* 25. *c.* 3. *de Regular.* Lessius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 3. *in fine n.* 36. Sanch. lib. 7. sum. *c.* 23. *n.* 5. Quod verum est, tametsi dos consumatur soluendo debita conuentus: semper enim illa ratio firma perseuerat ex huius monialis dotatæ ingressu conuentum non grauari, sed potiùs subleuari, vel conseruari, quod sublato hoc præsentaneo subsidio fortè periret. Sanch. *d. c.* 25. *n.* 5.

5. Deinde aduerte concilium non irritasse professionem monialis indotatæ receptæ vltra numerum designatum. Quare sola receptio monialium non mendicantium vltra prædictum numerum irrita censeri debet ex Textu *in cap. vnico de statu Regular. in 6.* & notauit Lessius lib. 2. de iustit. *c.* 41. *dub.* 3. *in fine*; imo neque hanc receptionem censet. Thom. Sanch. *dict. c.* 23. *n.* 4. esse nullam, sed in hac parte decretum Bonifacij consuetudine abrogatum esse, cum compertum sit (inquit) plures sæpe admitti indotatas vltra numerum, neque obinde earum professio irrita declaratur. Mihi tamen de hac consuetudine non constat.

Illud verò approbo, quod dicit Sanch. *d. c.* 23. *in fine* nempe in monasteriis virorum hoc consilij decretum temperatum esse consuetudine; siquidem plures passim recipiuntur, quam ex redditibus conuentus, consuetisque eleemosynis de præsenti sustentari possunt, ob cuius causam debitis ingentibus fere omnes conuentus sunt grauati. At horum receptio honestatur ex eo quod communiter adest periculum, & timor ne monasterij opinio minuatur, néve ministeria fieri solita cessent, si iuuenes non recipiantur qui senium, & infirmorum defectum suppleant, & ob moraliter certam breui tempore debitis alienis satisfaciendum esse.

PVNCTVM VIII.

Qui specialiter à Religione Societatis Iesu excludantur.

DVplicia sunt impedimenta Societatis Iesu ingressum impedientia; alia primaria, seu substantialia; alia secundaria, seu accidentalia.

§. VI.

Expenduntur primaria, seu substantialia impedimenta.

SVMMARIVM.

1 *Enumerantur hæc impedimenta.*
2 *Vocantur substantialia, quia annullant ingressum.*
3 *Posse religionem hæc impedimenta constituere, præcipuè authoritate Pontificis interueniente.*
4 *Primum impedimentum quatuor partes continet, & quæ hæ sint.*
5 *An hæ partes legitimè enumerentur distinctæ.*
6 *Abnegatio fidei debet esse perfecta, vt sit impedimentum.*
7 *Debet esse probabilis.*
8 *Si vt suspectus hæresis declaratus fueris, cum tamen in errorem non incideris, non videris impeditus.*

9 *Schiſma proprium, quamuis ab hæreſi ſeparatum impedimentum præſtat.*
10 *Homicidium ob propriam defenſionem non eſt impedimentum, neque authoritate reipublicæ commiſſum.*
11 *Homicidium illicitum caſuale affirmat Suar. eſſe impedimentum.*
12 *Diſtinguuntur duplex homicidium caſuale, & voluntarium.*
13 *Homicidium caſuale non videtur imped imentum eſſe; bene tamen voluntarium, præmeditatum, & ſimplex.*
14 *Satisfit rationibus contrariis.*
15 *Homicidium quantumuis occultum, & nemini à committente notum, docet Suar. eſſe impedimentum.*
16 *Verius videtur debere eſſe ſaltem probabile.*
17 *Fit ſatis rationibus Suar.*
18 *Mandans occidere effectu ſubſecuto impeditus eſt, ſecùs conſulens.*
19 *Qualiter intelligatur illud impedimentum, vel propter enormia peccata publicè infamem fuiſſe.*
20 *Aſſumere ſerio habitum alterius religionis etiam breuiſſimo tempore eſt impedimentum.*
21 *Matrimonium conſummatum qualiter præſtet impedimentum.*
22 *Ratum matrimonium præſtat impedimentum ad licitam receptionem per vota biennij, ſecùs ad profeſſionem.*
23 *Seruitus actualis eſt impedimentum.*
24 *Explicatur impedimentum ex defectu iudicij.*

1. PRimaria impedimenta ſunt quinque contenta in *cap. 2. examin. gen. & 1. p. conſtit. cap. 3.* Hæc ſunt. Primum receſſiſſe à gremio Sanctæ Eccleſiæ fidem abnegando, vel in errores contra ipſam ſic incurrendo, vt damnatus ob aliquam propoſitionem hæreticam quis fuerit, vel vt ſuſpectus hæreſis per ſententiam publicam declaratus, vel ſi infamis ob excommunicationem tanquam Schiſmaticus ſpreta authoritate, & prouidentia ſanctæ matris Eccleſiæ extiterit. Secundum eſt. Homicidium aliquo tempore perpetraſſe, vel publicè infamem propter enormia peccata fuiſſe. Tertium eſt, habitum ſumpſiſſe alicuius religionis fractum, vel clericorum vitam aliquando cum eis agendo, ſiue emiſſa, ſiue non emiſſa promiſſione, vel heremitam cum veſtibus monachalibus fuiſſe. Quartum eſt vinculo matrimonij conſummati, vel ſeruitutis legitimæ ligatum eſſe. Quintum eſt infirmitatem pati, vnde obſcurari, vel parum ſanum iudicium ei reddi ſoleat, vel diſpoſitionem notabilem ad huiuſmodi infirmitatem habendam.

2. Hæc impedimenta primaria, & ſubſtantialia vocantur; quia quodlibet illorum in Societatem ingreſſum impedit, vt contra attentatum prorsùs irritet, & annullet: quem effectum ſatis indicant illa verba, *1. p. conſtit. cap. 3. omnino excludunt* dictio enim *omnino* non ſolum licitum, ſed validum ingreſſum denotat, & habetur expreſsè in congregat. 7. *noſtræ Societatis decreto*, 35. *&* actione 41. *&* *canon.* 26. Et tradit Thom. Sanch. lib. 5. in Decal. *c. 4. n. 60.* Suar. tom. 4. de Relig. *tract. 10. lib. 2. cap. 1. à num.* 17. Neque contrarium eſt probabile.

3. Poſſe autem religionem præcipuè intercueniente authoritate Summi Pontificis aliqua impedimenta conſtituere, quibus affecti reddantur inhabiles, & incapaces ad ipſam, res videtur indubitata. Nam cum inter religioſum, & religionem contractus intercedat, quo religioſus ſe tradit religionis obſequio, & religio obligatur alere, & ſuſtentare religioſum, ipſúmque iuxta regulæ conſtitutiones in via Dei dirigere; apponere poteſt conditiones, quibuſcum hæc obligatio ſubſiſtat, & quibus deficientibus nulla ſit. Eſſe autem ſupradicta impedimenta conuenientiſſimè, & prudentiſſimè appoſita conſtat ex ipſa ratione, quâ Sanctiſſimus Ignatius Pater noſter motus eſt ad ea ſtatuenda. Nam primum, & ſecundum impedimentum appoſuit, ne ſocietas minùs aptos, & idoneos miniſtros haberet ad benè, & fideliter Euangelizandum, & in agro Domini verbum diuinum ſeminandum. Negari enim non poteſt aliquo impedimento ex illis affectum notam aliquam habere, & præſumi in ſimilia lapſurum; ac proinde minùs ex hac parte idoneum miniſtrum eſſe, quàm ſi ab omni illo impedimento liber exiſteret. Tertium impedimentum conſtituit, ne in Societatem ingreſſuri vllam, vel leuem notam inconſtantiæ in Dei obſequio haberent. Tum & præcipuè ne difformes in iudicando eſſent, néve minùs affecti noſtro inſtituto, quod ſanè timeri poſſet de illis qui aliud inſtitutum religioſum experti ſunt. Quartum ſanciuit, ne vxori, vel domino detrimento eſſent, ſi abſque illorum conſenſu, aliiſque iuris circumſtantiis ſeruatis religionem ingrederentur. Quintum appoſuit in fauorem Societatis, quia ſic læſi ferè inutiles ſunt.

4. Qualiter autem hæc impedimenta intelligantur, breuiter ſubiiciam. Primum impedimentum quatuor partes continet. Prima eſt, receſſiſſe à gremio Sanctæ Eccleſiæ fidem abnegando; additur verò, *1. p. conſtit. cap. 8. inter infideles.* Secunda eſt receſſiſſe à gremio Sanctæ Eccleſiæ in errores contra fidem ſic incurrendo, vt damnatus ob aliquam propoſitionem hæreticam quis fuerit: locus allegatus conſtitutionis ſubticuit ob aliquam propoſitionem hæreticam. Tertia eſt, ſi vt ſuſpectus hæreſis per ſententiam publicam ſit declaratus. Hæc pars in conſtitutionibus non videtur contineri: Solum enim ſecundam, vel fortè etiam tertiam his verbis comprehendit; incidendo in errores contra fidem, in quibus reprobatus fuerit per publicam ſententiam. Quarta eſt, ſi infamis ob excommunicationem tanquam ſchiſmaticus ſpreta authoritate, & prouidentia Sanctæ matris Eccleſiæ extiterit. Conſtitutio verò ſubticuit infamis ob excommunicationem: ſolúmque dixit, ſi ſe more ſchiſmaticorum ab Eccleſiæ vnitate ſeiunxerit. Circa huius impedimenti intelligentiam aliquæ ſuboriuntur dubitationes.

5. Prima, quia videntur ſupradictæ partes ſine neceſſitate multiplicari. Nam ſi receſſus à gremio Eccleſiæ abnegatione fidei impedimentum conſtituit; vt quid additur receſſus à gremio Eccleſiæ, errorum amplexu per ſententiam damnatos? Nulla enim neceſſitas erat huius ſententiæ, cum ſolùm errorum amplexu fides eſſet abnegata. Sed huic dubitationi reſpondebit aliquis m. 1. p. illius impedimenti integram abnegationem fidei eſſe comprehenſam, qualis eſt Paganiſmus, vel Iudaiſmus in 2. hæreſim denotari. At huic reſponſioni obſtat; quia inde infertur hæreticum dum per ſententiam damnatus non eſt, à Societate non excludi: quod certè non apparet probabile. Quocirca verius cenſeo m. 1. p. quamcumque abnegationem fidei receptæ (hoc eſt) quamcunque Apoſtaſiam à fide comprehendi, ſiue Apoſtaſia ſit medio Paganiſmo, vel Iudaiſmo, vel Hæreſi, in 2. verò parte comprehendi errorem in fide, qui cum non ſit ita directè, & immediatè fidei oppoſitus ob defectum contumaciæ, expoſtulauit. N. S. P. Ignatius publicam ſententiam, qua ſic errans damnaretur ob aliquam hæreticam propoſitionem, vel de hæreſi ſuſpectus declararetur. Interim tamen dum non declaratur; ſi publicus eſt talis error, vel de illo vehementer ſuſpectus, ita vt timeatur in iudicio conueniri poſſe, non debet in Societatem admitti, quod iudicio Præpoſiti Generalis relinquitur. Ac in *Gloſſa dicti cap. 3. parte prima conſtit.* Ex quibus verbis conſtat errorem in fide abſque ſententia non eſſe impedimentum irritans, ſed impediens. Nam in impedimentis irritantibus nihil poteſt. Præpoſitus Generalis; benè tamen in hoc impedimento: Et tradit Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 1. cap. 1. n. 3.*

6. Secunda dubitatio eſt qualiter abnegatio debeat eſſe? Reſpondeo debere eſſe perfectam; ac proinde requiri, vt interiùs, & exteriùs fidem abnegauerit. Nam ſola interior abnegatio impedimentum eſſe non poteſt; cum nec pœnis Eccleſiæ ſubiiciatur. Exterior ſine interiori non eſt abnegatio, ſed abnegationis ſimulatio. Deinde hæc abnegatio debet eſſe à fide recepta, & in adultæ ætate profeſſa; alias non tam eſſet perſonalis receſſus à fide, quam nationalis, qui impedimentum non præſtat, vt expreſsè declaratur. Dicta *1. p. conſtit. cap. 3. in Gloſſ. litt. B.* Sed quid ſibi vendicat illa dictio *inter infideles*; an inquam quod abnegatio fidei inter Catholicos non ſit impedimentum? Minime; cum grauiùs ſic recedens peccet. Quapropter credo dictionem illam potiùs aggrauare impedimentum, quam illud reſtringere; ita vt faciat hunc ſenſum abnegare fidem in adulta ætate profeſſam, vel amore eſſe impedimentum.

7. Maior dubitatio eſt; an publica debeat eſſe hæc abnegatio? Videtur publicam debere eſſe; quia alias ſic abnegantes nullam notam haberent, qua minus idonei miniſtri ad Euangelizandum eſſent. Ex alia parte videtur publicitatem non requiri, ſed ſufficere delictum quomodocumque commiſſum fuerit: ſi enim vltra delictum publicatio poſtularetur, cur Sanctiſſimus Ignatius eum non expreſſit, ſicut expreſſit in 2. 3. & 4. illius primi impedimenti? Propter hæc Suarez tom. 4. de Relig. *tract. 10. lib. 2. cap. 1. num.* 14. Cenſet non eſſe neceſſariam abnegationem publicam, & occultam ſufficientem eſſe; (eſto id concedat de homicidio,) ac proinde dicit abnegationem debere eſſe probabilem. Mouetur illis verbis, *cap. 3. dict. 1. parte conſtitut.* Abnegando inter infideles, quaſi tacitè indicaretur infidelibus conſtare debere abnegationem. Leue quidem fundamentum, & alienum aſſenſu illius dictionis, vt dixi. Cenſeo igitur verum, quod Suarez dicit debere eſſe abnegationem probabilem (hoc eſt) notam duobus teſtibus ad minus, quia aliàs non ſatis percipio, quomodo abnegans notam haberet, quæ illum minùs idoneum miniſtrum Euangelij redderet. Neque obſtat hanc publicitatem non expreſſiſſe S. Ignatium in illa 1. p. impedimenti; ſicut in reliquis tribus expreſſit; quia iudicauit ex ratione, qua motus fuit ſufficienter exprimi; eáque de cauſa in loco allegato *conſtitut. qui principaliter ſpectandus eſt*, non ſubiecit infamiam in Schiſmatico, ſed ſolum dixit vel ſe more ſchiſmaticorum ab Eccleſiæ vnitate ſeiunxiſſe. Adde aliud eſſe famoſum,

&

& per ſententiam publicam, aliud probabile; dicimus namque abnegationem fidei probabilem conſtituere impedimentum, tametſi non ſit publica per ſententiam, vel famoſa; quia ſola illa probabilitas videtur ſufficiens, vt tali delicto affectus notam habeat, quæ illum minùs idoneum reddat ad verbum diuinum ſeminandum. Præterea eſto diceremus abnegationem fidei debere eſſe non ſolum probabilem, ſed publicam, vt impedimentum conſtituat, non inde infertur Sanctiſſimum Ignatium minùs aptè in aſſignandis impedimentis proceſſiſſe? Suppoſuit enim ex ratione decidendi huius conſtitutionis hæc impedimenta ex delicto debere ita publica, quæ notam cauſent: Sed quia abnegatio fidei grauiùs delictum eſt, quam error, vel Schiſma; ea de cauſa in abnegatione fidei quamlibet publicitatem iudicauit ſufficientem, ſiue ſit abnegatio publica iure, vel facto, vel fama, at in errore, vel Schiſmate ad ſpecialem publicitatem impedimentum reſtrinxit.

8. Tertia dubitatio eſt, ſi vt ſuſpectus hæreſis fueris per ſententiam declaratus; cum tamen verè in errores non ideris, an ſis verè à Societate excluſus? Videris certè eſſe, quia ſententia in falſa præſumptione fundata eodem modo te minùs idoneum reddit, ac ſi omni ex parte legitima eſſet. Adde in his impedimentis non tam ſpectatur delictum, quam illius infamia; ſiquidem patrator grauium delictorum eo in loco ex conſenſu Generalis Præpoſiti recipi poteſt, vbi non eſt infamis. Nihilominùs veriùs cenſeo, te excluſum non eſſe. Tum quia ſententia in falſa præſumptione fundata vera ſententia non eſt. Tum & præcipuè quia non excluditur quicumque ſuſpectus hæreſis per ſententiam damnatur, ſed qui ſic in errores incidit, vt per ſententiam de aliqua propoſitione hæretica damnatus fuerit, vel vt ſuſpectus hæreſis declaratus. Ergo ſi verè in errores non incidiſti, non es in hoc impedimento comprehenſus. Neque obſtat eundem effectum ex vna ſententia, ac ex alia inferri, ſi ſub verbis legis comprehenſa non ſit. Neque verum eſt non tam ſpectari delictum quam infamiam; vtrumque enim ſpectatur primò delictum, ſecundò infamia. Infamia autem ſine delicto impedimentum non præſtat, & merito; quia in re eſt iniqua, & iniuſta.

9. Quarta dubitatio ne quo Schiſmate eſt dictum impedimentum intelligendum? Reſpondeo eſſe proprium Schiſma, eſto ab hæreſi ſeparatum. Nam licet regulariter Schiſma cum hæreſi coniunctum ſit; vt *tract. 6. diſp. 4. punct. 5.* Diximus, quia tamen abſque hæreſi proprium, & verum Schiſma reperitur, vt ibidem probauimus; ea de cauſa Schiſma abſque hæreſi impedimentum facit. Sed non quodcunque Schiſma hoc impedimentum præſtat. Sed Schiſma inducens excommunicationem infamem, quod non contingit, niſi cum perſonaliter, & non more rationis excommunicatus eſſes, vt in dicta, *1. p. conſtitut. c. 5. in Gloſſ.* notatur.

10. Secundum impedimentum duas partes continet, nempe perpetraſſe homicidium, vel propter enormia peccata infamem eſſe. Et circa primam partem dubitari poteſt, de quo homicidio intelligendum ſit, de illicito, an etiam de licito; de voluntario, an etiam de caſuali, de publico, an etiam de occulto? Et quidem non comprehendi homicidium in propriam defenſionem factum res eſt indubitata; cum neque irregularitatem imponat, neque impediat vſum miniſterij ſacri, neque ſit homicidium propriè, ſed defenſio. De homicidio autem authoritate publica facto non deerunt qui affirment impedimentum præſtare, quia irregularitatem imponit, & vſum myſterij ſacri impedit, & defectum lenitatis, ſeu nota aliqua crudelitatis inurit, & conſequenter minùs idoneum Euangelio miniſtrum reddit. Cæterum omnino tenendum eſt impedimentum non eſſe. Tum quia homicidium in rigore non interfectionem licitam; ſed illicitam ſignificat, vt tradit D. Thom. communiter receptus 2.2. *quæſt.* 100. *art.* 68. Tum quia in hoc ſecundo impedimento, ſicut in primo loquebatur Sanctiſſimus Ignatius de delictis & peccatis, ibi: vel *propter enormia peccata*, & expreſſit homicidium ob eius grauitatem. Tum quia nota, quæ culpam non inducit leuis eſt conſiderationis, neque miniſterium verbi Dei impedit; quippe nullam irrogat infamiam. Tum denique, quia Præpoſitus Generalis, & Prouincialis poteſtatem habent diſpenſandi in irregularitate orta ex hac poteſtatiua interfectione, vt conſtat ex *compendio priuileg. Societ.* verbo *diſpenſatio* §. 2. Supponitur ergo ſic interficientes impeditos non eſſe religionem ingredi; & ita tradit Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 2. cap. 1. num. 7.*

11. Quocirca cum de homicidio illicito, & peccaminoſo conſtitutio intelligatur, dubium eſt; an debeat eſſe directè voluntarium, an ſufficiat caſuale? Suar. *d. lib. 2. n. 1. c. 9.* Affirmat quodcunque ſufficere. Mouetur primò; quia ita videtur in Societate receptum. Secundò, quia quandocunque leges aliquid volunt diſponere de homicidio voluntario, ita vt caſuale non comprehendatur, illud exprimunt, vt conſtat ex Trident. *ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat.* Quia ſub homicidio non ſolum voluntarium, ſed caſuale propriiſſimè continetur. Cum ergo conſtitutio abſque vlla diſtinctione homicidium conſtituerit pro impedimento irritante, non ſolum de voluntario, ſed etiam de caſuali eſt intelligendum. Tertiò leges prohibentes abſolutè delicta, & illis cenſuram afficientes non ſolum comprehendunt delicta voluntate directa facta, ſed etiam indirecta. Aliàs non eſſet opus hanc directam voluntatem aliquando exprimere.

12. Pro deciſione præmitto homicidium tam caſuale, quam voluntarium dupliciter dici. Aliud eſt caſuale culpabile, aliud inculpabile. Culpabile eſt, in quo culpabiliter præſtas cauſam mortis, tametſi mortem non intenderis. Inculpabile eſt, quod caſu, & fortuito accidit; eo quod præter tuam voluntatem cauſa homicidij fuerit appoſita, vt ſi omni humana diligentia facta cauēdi periculum ſagittam proieceris, & hominem interficeres: nam illius ſagittæ proiectio, quatenus cauſa mortis fuit, tibi inculpabilis extitit, quia & inuoluntaria. Deinde ſi vulnerares Petrum vulnere non lethali, ipſe tamen ſua negligentia, vel impetitia medici moreretur, homicidium caſuale eſſet, & inculpabile, quia eſto fueris aliqua Petri mortis occaſio, non tamen cauſa: Et tradit Leſſius lib. 1. de iuſtit. *c. 9. dub. 15.* E contra homicidium voluntarium dupliciter dicitur. Simplex, & præmeditatum. Simplex dicitur, quod eo tempore directè volitum eſt, quo contingit, vt fit in ſubitaneo impetu, & rixa. At præmeditatum, quod tempore antecedenti præmeditatum, & cogitatum eſt, & deliberatum fieri, vt latiùs tradit Farinac. praxi *queſtion. 126. in princ.* His poſitis.

13. Cenſerem dicendum homicidium caſuale inculpabile, & culpabile non eſſe impedimentum in Societate; bene tamen voluntarium, præmeditatum, & ſimplex. Duplicem partem continet concluſio. Secunda videtur aperta, quia homicidium ſimplex ex directa voluntate commiſſum non diſtinguitur à præmeditato in effectu, neque in voluntate; ſed tolum in aliqua accidentali circumſtantia. Quapropter conſtitutio puniens homicidium abſolutè tam de præmeditato, quam de ſimplici intelligi debet. Primam partem concluſionis, in qua eſt difficultas. Sic probo. Quia ſub conſtitutione, & lege imponente aliquam pœnam homicidio non venit homicidium caſuale etiam culpabile, Textus *videtur expreſſus, in lege 1. in princip. Cod. ad legem* Cornel. de Sicar. *& in leg. 1. §. Diuus Adrianus ff. eodem*: ibi ſi non occidendi animo hoc admiſerit, abſolui poſſe, & pluribus firmat Farinac. *quæſt. 126. num. 4.* eâque de cauſa *quæſt. 119. num. 40.* Dixit ſtante ſtatuto, quod homicida condemnetur in pœnam pecuniariam, vt puta in centum, quæ ſi non ſoluerit intra menſem decapitetur, non comprehendi, niſi homicida fuerit doloſus, & voluntarius; idémque probat plurium authoritate Tiraquel. *tractat. de pœnis temper. cauſa 33. num. 10.* Menoch. *lib. 2. de arbitrar. caſu 324. per totum.* Cum ergo excluſio ab ſtatu religioſo homicidio imponatur, non de quocumque homicidio, ſed voluntario debet intelligi. Præterea id mihi perſuadet verbum, quo S. P. N. Ignatius vtitur, nempe *perpetraſſe homicidium*, quod ſanè indicat propoſitum animúmque deliberatum delicti. Nam *perpetrare* propriè, & in rigore latino ſignificat ad effectum perducere id quod iam in mente inceptum eſt, ſiue in bonam, ſiue in malam partem, vt colligitur ex adductis ab Ambroſ. Calepino verbo *perpetro*. Deinde quia Societati priuilegium conceſſum eſt diſpenſandi in irregularitate orta ex homicidio caſuali cum ingredientibus in eam, vt conſtat ex *compendio priuilegiorum, verbo diſpenſatio, §. 2.* Ergo ſupponit Pontifex habiles, & capaces eſſe huius ingreſſus. Aliàs fruſtraneum eſſet priuilegium, quod mandari executioni non poſſit; quam rationem etſi Suarez conetur diſſolvere, dubito an fuerit aſſecutus. Nam quod dicit illo *cap. 1. num. 9.* Hanc poteſtatem concedi propter alios affectus non ſatis facit, ob nullum enim effectum concedi poteſt, ſi hanc habens irregularitatem capax religionis non eſt. Denique hæc explicatio fauorabilis eſt, & inhabilitatem ad religioſum ſtatum temperat. Ergo eſt ſuſtinenda.

14. Neque obſtant contraria. Ad 1. nego ſic in Societate receptum eſſe, mihi enim non conſtat. Ad 2. & 3. concedo ſub homicidio non ſolum voluntarium, ſed caſuale intelligi, præcipuè ſi decretum ſit fauorabile, quare erat illud Trident. *ſeſſ. 24. cap. 6.* Concedens Epiſcopis poteſtatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus: volens autem Pontifex excipere homicidij voluntarij irregularitatem, id expreſſit; non quia ſatis non exprimeretur, ſi ſolum homicidium abſolutè ſumptum exprimeret, vt ſi diceret excepta ea, quæ oritur ex homicidio, & maximè. Si adderetur perpetrato; quia ſic ſumptum homicidium in materia odiota ſtat pro famoſiori ſignificato, quod eſt homicidium voluntarium; ſed id expreſſit claritatis gratia. Quod ſatis colligitur ex *toto tit. de homicidio*, vbi in prioribus textibus irregularitas homicidio abſolutè imponitur, ſub quo caſuale non venit. Aliàs fruſtra Pontifex tot vicibus multiplicatis caſuale homicidium irregularitate affecit.

15. Deinde non est leue dubium, de quo homicidio sit constitutio intelligenda, publico tantum, an etiam occulto? Suarez tom.4.de Relig.*tract.*10.*lib.*2. *cap.*1.*num.*12. Existimat occultum sufficere,ita vt non solum publicum, sed nec probabile requiratur? Ducitur, quia constitutio non limitat ad publicum. Ergo absque euidenti' ratione non potest limitatio adhiberi, præterquam quod in iure canonico ob homicidium quantumuis occultum irregularitas incurratur. Præterea ex contextu verborum idipsum (inquit Suarez) conuincitur: Sic enim habent. Secundus est. Homicidium aliquo tempore perpetrasse, vel publicè infamem propter enormia peccata esse: in quo contextu duo Suarez considerat. Vnum est eo ipso quod aduerbium *publicè* in posteriori membro additur, & non in priori, tacitè à priori excludi. Aliud est in reliquis delictis impedimentum poni ratione infamiæ; in homicidio verò non, sed ratione solius delicti; sic in praxi testatur receptum. Nam si quis fateretur se homicidam absque eo, quod interrogaretur, an publicè, an secretè statim absque vlteriori progressu vt inhabilis repelleretur. Ergo signum est homicidium quantumuis occultum esse impedimentum essentiale. Quod si obiicias hoc impedimentum oppositum esse, ne hoc delicto homicidij notati minus idonei ministri sint ad verbum Dei Euangelizandum. Respondet Suarez *dict. cap. num.* 13. Id non obstare quominùs occultum homicidium impedimentum præstet. Nam esto eo in casu hæc ratio cesset; sufficit quod generaliter procedat, præcipuè cum illud delictum, quod modo occultum est, possit postea publicum fieri. Deinde subiicit notam illam non tam sumendam esse comparatione illorum, qui Euangelizandi sunt, quàm Euangelizantium; ac proinde dictionem *notam* non tam significare infamiam, sed defectum; ita vt faciat hunc sensum qui hunc homicidij defectum habuerint, minùs idonei ministri sunt ad Euangelizandum propter consuetam, & communem hominum infirmitatem, qui semel labentes sæpiùs labuntur, vel satis naturam deprauatam ad similes lapsus inclinatam ostendunt. Quod si ita est, homicidium quantumuis occultissimum impedimentum præstabit,

16. Cæterum etsi hæc probabilissimè dicta sint difficilia apparent; durum enim videtur ob homicidium simplex occultissimum, cuius nullum periculum adest manifestatu, esse quempiam à religioso statu Societatis IESV excludendum. Grauiùs namque delictum est, & verbo diuino seminando magis contrarium abnegatio fidei, quam homicidium, & tamen de abnegatione fidei fatetur Suarez *dicto cap.* 1. *numer.* 14. Esse necessarium, vt saltem sit probabilis. Ergo idipsum de homicidio fateri debet: cum nulla specialis ratio in abnegatione fidei, quam in homicidio reperiatur, ob quam abnegatio fidei occulta non præstet impedimentum ingressui Societatis; præstet autem homicidium: nam in vtroque impedimento eadem est ratio decidendi, vt constat manifestè ex illis verbis, *cap.* 2. *exam. numer.* 6. Prædicti casus, &c. Contextus autem verborum idem omnino est (vt de se patet) in abnegationem fidei; ac in homicidio. Ergo ex nullo capite apparet fundamentum huius diuersitatis: Nam verbum illud *inter infideles*, quod fuit additum in constitutione non ad temperandum impedimentum, sed potiùs ad illud aggrauandum appositum est, vt in superioris impedimenti declaratione ponderaui. Præterea id argumentum, quo Suarez conuincitur ad affirmandum homicidium occultum impedimentum esse, efformari efficaciùs poterit in abnegatione fidei. Conuincebatur enim ex eo quod in constitutione secundi impedimenti aduerbium *publicè* non in homicidio, sed in aliis criminibus fuerit appositum. At in constitutione primi impedimenti publicitas non in abnegatione fidei, sed in errorum incursu, & in Schismate apposita fuit. Ergo idem argumentum effici potest: Quapropter sicut de abnegatione fidei dixi cum Suarez requiri esse ad minùs probabilem, hoc est duobus testibus notam idem censeo de homicidio, debere esse probabile, vt impedimentum præstet. Moueor ratione decidendi allegata à S. Ignatio, quæ fuit ne ministri Societatis notam aliquam haberent, ob quam minùs apti; & idonei essent ad verbum diuinum seminandum propter consuetam, & communem hominum infirmitatem. Ad hanc notam habere non possunt ob delictum occultum, & improbabile. Nam delictum dum est occultum, notam non irrogat. Nota enim vt ex pluribus comprobat. *Ambros. Calepin.* infamia, & ignominia est. Quod si sumatur pro signo, seu indicio erit in hac parte indicium, seu signum delicti infamiam irrogantis. Ergo stante delicto occulto nulla est nota, cum nulla sit infamia, nec signum illis. Alienum ergo à veritate est sumere notam pro defectu omnino occulto, neque vllus Doctor hanc dictionem in ea significatione vsurpauit; quomodo ergo credendum est sanctissimum, & prudentissimum Ignatium in re ita grauica sic vsum fuisse? Præterea quoad verbum Dei seminandum fructúmque colligendum nihil omnino obest quempiam fuisse aliquando homicidam, dum homicidium prorsùs ignotum est. Nam comparatione audientium idem est esse homicidium ignotum, ac non esse commissum: Et licet in homicida per se spectari videatur delictum commissum, depraua tionem illius ingeniti naturæ arguere, & fundamentum aliquod, seu suspicionem præstare simile committendi leuissimum est tale fundamentum: neque id S. P. N. Ignatius attendit. Nam in hoc impedimento non tam spectauit naturam & inclinationem ingredientium Societatem, illorúmque spiritualem profectum, quam profectum illorum, quibus Euangelizandum erat. Alias non mentionem Euangelij, & ministerij verbum diuinum seminandi faceret, vtpote ad finem intentum proprij, & singularis profectus non necessarium. Neque concluderet se hæc impedimenta constituere ob consuetam, & communem hominum necessitatem; sed diceret se constituere illa impedimenta ob ingredientis infirmitatem.

17. Neque obstant rationes, quibus doctissimus Suarez motus est ad affirmandum occultissimum homicidium impedimentum esse. Ad primum respondeo etsi in constitutione non fuerit expressum an debeat esse publicum, vel secretum, satis ex ratione decidendi colligi debere esse ad minus probabile & licet id non colligatur euidenti ratiocinatione; sufficit, quod probabiliter colligatur, vt prudenter sub opinione, & non sub euidentia affirmemus homicidium omnino occultum, & improbabile non esse impedimentum; esse verò occultum probabile. Ad confirmationem concedo homicidium omnino occultum constituere irregularem, nego tamen constituere impedimentum in Societate. Tum, quia' non quælibet irregularitas homicidij hoc impedimentum constituit vt constat in occidente publica authoritate, tum & præcipuè, quia illa irregularitas non ob fructum, & spiritualem perfectum illorum, quibus Sacramenta ministranda erant, imponitur, vti imponitur impedimentum in Societate, sed ob decentiam Sacramanti conficiendi. Secundum argumentum desumptum ex contextu verborum solum probat in homicidio non requiri eam publicitatem, quæ in aliis delictis requisita est, sed non probat aliam non requiri. Quare ex vi huius argumenti bene possumus affirmare in homicidio requiri publicitatem absolutè siue iure, siue facto, siue ex fama. In aliis verò delictis requiri publicitatem ex fama, quæ infamem publicè constituat. Multò minùs probat illud argumentum non requiri homicidij probabilitatem. Adde non sine mysterio in loco allegato constituit. (Qui præcipuè spectandus est, vtpote directè impedimenta definiens, in examine verò definita supponuntur) omisisse aduerbium *publicè*, quod in aliis peccatis ab homicidio, in examine apposuerat, quasi fortè tacitè innuens tam in homicidio, quam in aliis peccatis publicitatem requiri. Ad confirmationem concedo eum, qui in examine fatetur homicidium à Societate repelli, quin vlteriùs interrogetur, an publicum, vel occultum, probabile, vel improbabile sit. Quia quando non est nimis necessarius Societati eius ingressus, prudentissimè expellitur qui saltem sub opinione habet impedimentum dirimens. Sed præcipuè expellitur, quia saltem sui confessione in illo iudicio facta, homicidium est non solum probabile, sed probatum, & quasi notorium: Secùs verò videtur dicendum, si sub sygillo confessionis esset homicidium declaratum.

18. Præterea dubitare posses; an mandans, vel consulens homicidium fieri: eo ipso habeat impedimentum homicidio subsecuto; tametsi ipse hominem physicè, & realiter non interfecerit? Cui dubitationi respondet. S. Ignatius *parte constitut. cap.* 3. *in* Glossa *litt. C.* his verbis. Qui cum deliberatione homicidium perpetrari iussisset, si effectus est consecutus, quamuis manu sua non occiderit, inter homicidas erit existimandus. Cum ergo de consulente nihil dixerit credo non esse impeditum. Quia constitutio non de perpetratione homicidij morali, sed Physica est intelligenda, indigúsque hac additione de occidente per mandatum, vt mandantem comprehenderet. Quippe communissima sententia est, censuram, & pœnam latam aduersus facientes non cõprehendere mandantẽ, & consulentem; quia non verè, & propriè facit, sed interpretatiuè, vt multis probat Decian. *tract.crim. lib.*9.*cap.*32.*per totum* Thomas Sanchez lib.3.de matrim. *disp.* 49.*num.*2

19. Denique dubitabis, qua ratione intelligatur illa secunda pars eius impedimenti; *vel propter enormia peccata publicè infamem fuisse.* Constitutio dicit *vel esse propter enormia peccata infamem.* Neque addidit *publicè* neque dixit *fuisse*, & meritò quia illud aduerbium *publicè* necessariò supponitur si infamis est, quia infamis esse non potest; quin publicè talis sit. Non oportuit dicere fuisse, sed esse, quia si fuit, & non est, neque illius periculum, cessat impedimentum: Si enim infamis discedens à loco, vbi infamiam contraxit támque seriò resipiens, vt nihil timendum videretur, posset in Societatẽ admitti (vt dicit Gloss. *illius constitut.*1.*p. c.*3. *litt.D. & in exam.c.*2.*litt.C.*) à fortiori si omni loco infamia abolita

esset

esset. Quæ verò sint hæc enormia peccata, ob quorum infamiam quis est ad Societatem inhabilis; Iudicio Præpositi Generalis. S. Ignatij in dicta Glossa *constit.* remittit.

20. Circa tertium impedimentum, quod est assumpsisse religionis habitum, vel heremitam cum vestitu monachali fuisse. Aduertere debes gestationem dicti habitus etiam per vnicum diem animo illam vitam profitendi impedimentum esse, vt expressè notatur in Glossa *d. c. 3. constit. 1. part. litt. E.* Additum fuit in *c. 2. examin.* pro maiori claritate habitum alicuius religionis *fratrum*, & *Clericorum*; vt tacitè insinuaretur debere in alia religione à Societate habitum esse susceptum; & præterea sumpsisse habitum religionis equitum D. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ nec non D. Ioannis non præstare impedimentum; quia non est religio clericorum, vel fratrum communiter viuentium. & fuit decisum in *congregat. 1. generali decreto* 125. *& can. 5.* Esset tamen impedimentum, si habitum clericorum harum religionum assumpsisset; quia si propriè, & in rigore religiosi sunt, & voto religionis illius habitus assumptione fit satis: Et ita tradit Suar. tom. 4. de Relig. *tract.* 10. *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 16. Duplicem rationem assignat P. N. S. Ignat. in *exam. gener. c.* 2. *n.* 6. Ob quam hoc impedimentum in Societate constituerit. Prior est, quia est indicium alicuius leuitatis, & inconstantiæ à prima vocatione desistere. Quod si dicas id etiam probaret, neque in societatem recipi posse, si receptus in ea exiret; respondeo negando sequelam (etsi videatur eam Suar. concedere, *d. c.* 1. *n.* 20. *fine*,) quia reditu ad ipsam societatem hæc inconstantia reparatur. Posterior ratio est, vt omnes professi, coadiutores & Scholastici meliùs in domino conseruentur, si sint omnes veluti vnius coloris, & similitudinis. Timuit enim S. Ignatius ne exeuntes ex alia religione, & in nostra recepti diuersimodè ab aliis de nostro instituto sentirent.

12. Circa quartum impedimentum, quod est vinculum matrimonij, vel seruitutis legitimæ id venit notandum etsi in loco constitutionis non fuerit expressum debete esse matrimonium consummatum. At quia illa, cap. 2. *exam.* expressum est debere esse consummatum, & in *Gloss. constit.* clarè supponitur, solum matrimonium consummatum præstat Impedimentum. Quod cessabit, si diuortium fuerit celebratum, vel si coniux licentiam dederit seruatis iuris circumstantiis quales, sunt ingressus alterius coniugis in religionem si iuuenis sit; vel periculum incontinentiæ habet, si senex, & absque incontinentiæ periculo voti castitatis emissio. Quapropter vt benè notauit Suar. d. tom. 4. de Relig. *tract.* 10. *lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 22. Si solùm ex licentia coniugis vxoratus societatem ingrederetur absque eo quod hæ circumstantiæ seruarentur, nullus esset eius ingressus; quia non seruat conditionem, sub qua cessat impedimentum.

22. Matrimonio rato ligatus etsi substantialiter à Societate impeditus non sit, at in ea nequaquam recipi potest absque coniugis consensu nisi recipiatur ad professionem faciendam nouitiatu expleto; quia cum voto simplicia verum religiosum constituentia vinculum matrimonij rati antecedentis non dissoluant, esto subsequentis annullent, grauissimæ læderetur vxor; si absque illius consensu posset sic matrimonio ligatus Societatem per vota biennij ingredi. Quod si aliquis sic esset receptus & repeti ab vxore potest, & Societas debet illum ab obligatione votorum absoluere.

23. De vinculo seruitutis nihil occurrit dicendum, cum satis clarum est illo stante impedimentum essentiale in Societate esse. Dominus autem concedere potest seruo licentiam ingrediendi religionem, & eo ipso cessat impedimentum; quia cessat seruitus. Non enim est impedimentum fuisse seruum, sed esse, sicut neque fuisse vxoratum, sed esse.

24. Quintum impedimentum, quod est pati defectum iudicij, vel ad illud habere dispositionem notabilem constat in graue damnum Societatis esse, si eo affectus in societatem recipiatur. Quod si de hoc defectu dubium existat, medicorum consilio, accedente Præpositi Generalis assensu decidendum est.

§. II.

Expenduntur secundaria impedimenta à Societate aliqualiter excludentia.

SVMMARIVM.

1 *Hæc impedimenta enumerantur.*
2 *Addita his sunt infectio sanguinis. & maioratus.*
3 *Si legatus ex supradictis impedimentis recipiatur ab eo, qui potestatem non habet in illis dispensandi, nulla est receptio.*
4 *Quid in hac parte Prouinciales ex iure ordinario possint?*
5 *An possint recipere qui 14. annum completum habent? Negat Sanch.*
6 *Satis probabile est posse spectato iure scripto Societatis recipi spectata consuetudine.*
7 *Quid debeat Præpositus Generalis facere, si vult ne recipiantur nouitij ante 15. annum completum.*
7 *Si recipiaris cum aliquo ex his impedimentis ab eo qui potestatem habet dispensandi, si manifestes, valet receptio, si taceas, dubium est.*
9 *Probabilius est validam esse receptionem.*

1. PRæter supradicta impedimenta substantialia sunt, quæ secundaria vocantur, quorum, singula vt dicit. S. Ignatius. 1. *p. constitut. c.* 3. quamuis à Societate non excludant, reddunt tamen minus idoneum eum, qui admitti exoptat, & posset tanti momenti esse defectus vt, & seruitio Dei non esset futurum cum eo quemquam admitti. Hæc sunt, quoad interiora attinent. Primò passiones, vel affectus, qui dominari non posse videantur, vel peccatorum habitus, de quibus non magna emendatio speretur. Secundò intentio minus recta, quàm par esset ad Religionis ingressum, vt quæ cum humano aliquo fine sit admixta. Tertiò inconstantia, seu remissio animi notabilis, ex qua qui de ingressu agit parum vtilis futurus credatur ad Societatis munera obeunda. Quartò indiscretæ deuotiones, quæ in causa esse solent, vt aliquis in illusiones, & non exigui momenti errores incidat. Quintò litteratum ignorantia, vel ingenij, aut memoriæ ad eas addiscendas, vel linguæ ad explicandum defectus in illis, qui præ se ferunt intentionem, vel desiderium vlterius progrediendi, quam solent coadiutores temporales. Sextò iudicij defectus, vel mutabilis in proprio sensu obduratio, quæ omnibus congregationibus multum solet facessere negotij. Quoad exteriorem hominem impedimenta secundaria sunt. Primò, defectus in integritate corporis, morbus, debilitas, vel notabilis deformitas. Secundò ætas valdè tenera, vel plus satis prouecta. Tertiò æs alienum, vel ciuiles obligationes. *Habentur* 1. *parte constit cap.* 3.

Impedimenta quoad animum explicatione non indigent; eius enim arbitrio, qui potestatem habet recipiendi nouitios remittitur *d. loco constitut.* Glossa *littera. H.* Circà impedimenta corporis sic inquit constitutio in Glossa *litteræ I. & K.* Animanduertendum est eos qui deformitates, vel defectus insignes habent, vt gibbus, vel alia quæpiam monstruosa, siue sic nati fuerint, siue ex aliqua externa causa, vt percussione, & similibus id acciderit, ad Societatem nostram non esse idoneos, partim quod res huiusmodi ad sacerdotium obstare solent, partim quod ad proximorum ædificationem, quibus cum ex instituti nostri ratione versamur minimè iuuant, nisi vt superiùs dictum est, aliis eximiis virtutibus, ac donis Dei dispensarentur, cum quibus huiusmodi defectus corporis potiùs ad augmentum, quam ad diminutionem ædificationis facturi viderentur. Quoad ætatem attinet 14. annis minorem, vt quis ad probationem, aut 25. vt ad professionem admittatur. Si in quibusdam peculiaribus de causis anteuertendum esse id tempus ad finem maioris diuini seruitij nobis præfixum videretur, penes Præpositum Generalem facultas erit prudenter, ac circumspectè dispensandi, & idem cum prouectior ætas fuerit considerabit; an expediat necne ad vniuersale bonum huiusmodi defectum tolerari. De ære alieno (inquit constitutio) diligenter consideretur, ne inde offendiculi, vel perturbationis, occasio oriatur præsertim in obligationibus ciuilibus, de quibus iura disponunt præter rationem, quæ habenda est ædificationis.

2. His impedimentis secundariis alia duo à Societate addita sunt in *congregatione generali.* Primum est, ne ingressurus Societatem ex infecto sanguine Iudæorum, & Sarracenorum procedat. Sic enim *congregatio* 1. *can.* 3. decreuit. Quoniam Societatis ministeria eo maiori cum fructu in communi animarum salute procuranda exercentur, quo Nostri longiùs absunt his hominum conditionibus, quæ aliis offendiculo esse possunt: nullus omnino ex his, qui Hæbreorum, aut Sarracenorum genere descendunt, deinceps in Societatem admittatur. Quod eorum quispiam errore aliquo admissus fuerit, cum primum de hoc impedimento constiterit, quocumque tempore ante professionem detegatur admonito priùs Præposito Generalis & expectato eius responso dimittatur. De qua re omnes ante admissionem perspicuè admonendi erunt. Hoc autem decretum indispensabilis impedimenti vim obtineat, ita vt nullus omnino superior, ac ne ipse quidem Præpositus Generalis in ea dispensare possit. Subintelligitur de licita dispensatione, non de valida. Nam cum hoc impedimentum non sit essentiale, consequenter eo ligatus capax est, vt validè saltem in Societatem recipiatur. Ergo ab aliquo superiore Societatis, qui non potest esse alius nisi Generalis Præpositus. Desumptus est hic Canon ex *decreto* 41. *&* 42. *eiusdem congregat.* 5. Vbi sic inquit congregatio. Quamquam Societas pro communi salute omnibus omnia fieri optat, vt quos poterit Christo, lucri faciat, non tamen necessum est, vt suos ministros ex quouis hominum genere desumat. Quia potiùs

ad

ad maiorem Dei gloriam, perfectioremque præpoſiti, ſibi finis aſſecutionem conuenientius eſt, vt eos habeat operarios, qui omnibus aliis nationibus in toto orbe gratiores ſint, & quibus in Eccleſia Dei libentiùs, & fidentiùs vtantur ij quorum voluntas benè aut malè in nos affecta (vt S. Ignatius inquit) multum habet momenti, vt aditus ad diuinum obſequium, & animarum auxilium aperiatur, aut præcludatur. Poſtea verò in *congregat. 6. decret. 46.* Magna ex parte hoc decretum temperatum eſt, vt ſolum quoad quintam generationem informatio deſumatur: Concordant hæc decreta cum his quæ habentur in *exam. gen. cap. 3. §.*

Secundum impedimentum ab eadem *congregat. 5. canon. 4.* Statutum eſt maioratus Hiſpanus. Inquit enim congregatio. Nemo deinceps iure maioratus gaudens in Hiſpania, niſi habita facultate R. Patre Præpoſiti Generalis in ſocietatem recipiatur: Et is ſit iis donis ornatus, vt ſpem magnam præbeat ſe poſt biennium probationis fore talem, qualem noſtræ conſtitutiones requirunt, vt ad profeſſionem trium votorũ admitti queat. Ad profeſſionem intelligatur admittendus, niſi qualitas maioratus eiuſmodi fuerit, vt promotio ad ſacrum ordinem firmitati illius abdicationis ſatis ſit: tunc enim non profeſſio, ſed ordinatio procuranda erit: deſumptus eſt hic Canon ex *decreto 14. eiuſdem 5. congregat.* Non caret difficultate de quo maioratu decretum hoc intelligendum ſit; an inquam de ſolo maioratu regia facultate conſtituto, an de maioratu propria inſtituentis authoritate facto. Et ratio dubitandi eſt; quia ſolus authoritate regia conſtitutus videtur in communi acceptione maioratus appellari, vt per tranſelam dixit Anton. Gomez. *l. 45.* Tauri. *num. 116.* & Ferdinand. Gomez. *leg. 25.* Tauri *num 62.* Sed omnino tenendum eſt ſiue regia facultate, ſiue propria maioratus ſit inſtitutus, hoc decreto comprehendi: quia verè, propriè, & communi acceptione maioratus eſt, vt expreſsè colligitur ex *leg. 45.* Tauri; quæ hodie eſt *lex 4. tit. 7. lib. 5. compil.* ibi. *El que hiziere algun mayoraſgo conque ſea con authoridad nueſtra.* Supponit ergo lex ſine authoritate regia verum maioratum inſtitui poſſe: tradit Greg. Lopez *l. 2. tit. 15. p. 2.* Gloſſa 1. Ferdinand. Vaſq. *de ſucceſſ. creat. §. 26. n. 95. & 96.* Couarr. *lib. 3. reſolut. cap. 5. num. 4.* Molin. de Hiſpan. primogenit. *lib. 1. c. 1. num. 25.* & aliis relatis Matienço *l. 11. titul. 6. lib. 5. compilat.* Gloſſ. 11. *in princ. & l. 4. titu. 7. Gloſſ.* 1. Ratio eſt, quia maioratus nihil aliud eſt, quam quoddam fideicommiſſum familiæ relictum; in quo abſque vlla diuiſione proximior in gradu ſuccedere debet ex inſtituentis voluntate, vt pluribus firmat Molin. *d. lib. 1. de Hiſpan. primogen. cap. 1. num. 7. & 22.* quæ definitio tam maioratui regia facultate inſtituto, quam propria competit.

3. Vt autem horum impedimentorum doctrina innoteſcat, enodandæ ſunt aliquot difficultates. Prima eſt; an ligatus aliquo ex ſupradictis impedimentis, neque id manifeſtans, validus ſit eius ingreſſus. Si recipiatur ab eo, qui in illis non habet poteſtatem diſpenſandi? Concluſio eſt, inualidum eſſe ingreſſum, ſiue recipienti impedimentum manifeſtetur, ſiue non. Quia eſt receptio facta ab eo, qui nulla recipiendi poteſtate gaudet. Nam in Societate illi ſuperiores, qui poteſtatem habent recipiendi nouitios ad probationem, habent poteſtatem in his ſecundariis impedimentis diſpenſandi, & è contra; vt manifeſtè conſtat, ex 1. *parte conſtitut. cap. 3. littera H.* ibi quoduis ex his ſecundariis impedimentis ex ſe ſatis eſſe poſſet ne quis admitteretur. Sed quia accidere poſſet aliquem huiuſmodi defectum aliis præclaris donis compenſari, ac in domino tolerandum eſſe iudicaretur, id diſcernendum prudentiæ *eius, qui admittendi facultatem habet relinquitur, & eiuſdem erit in huiuſmodi caſibus diſpenſare.* Et ratio idipſum demonſtrat; quia poteſtas diſpenſandi in his impedimentis nihil eſt aliud, quam poteſtas recipiendi in Societate, qui illis fuerint ligati. Quia defectus in ſe non tolluntur, ſed illis non obſtantibus recipitur in Societatem eos habens. Ergo qui habuerit poteſtatem recipiendi in Societatem eos, qui his defectibus fuerint ligati, habebit poteſtatem diſpenſandi, & econtra.

4. Hinc fit Prouinciales in Societate diſpenſare, & conſequenter recipere nouitios poſſe impeditos ſecundariis impedimentis excepto impedimento tum deformitatis, tum notabilis defectus qualem Eunuchi habent, tum ætatis teneræ, vel proiectæ, tum matrimonij rati, tum generis infecti, tum maioratus conſtat ex *regula Prouincialis regul. 35. & 36.* ibi. In ſecundariis impedimentis diſpenſandi facultatem habebit (ſcilicet Prouincialis) præterquam in deformitate magna, aut defectu inſigni, qualem habent Eunuchi, aut in ætate infra 15. vltra 50. expletos annos, & in coniugatis etiã in caſu, in quo non eſt impedimentum eſſentiale. Exceptio generis, & maioratus ex decreto congregationis conſtat, cum id Præpoſito Generali fuerit reſeruatum. Quocirca ſi Prouincialis tentaret abſque ſpeciali Præpoſiti Generalis facultate recipere Eunuchum, coniugatum, maioratu gaudentem, ſanguine infectum, aut in ætate infra 15. & vltra 50. expletos annos, nulla eſſet receptio, vtpote à non habente poteſtatem facta. Neque obſtat hæc impedimenta ſubſtantialia non eſſe; quia id ſolum probat poſſe à Propoſito Generali diſpenſari, non tamen probat receptionem à quocumque ſuperiore factam illis impedimentis ſtantibus validam eſſe, quippe qui in ipſis diſpenſare non poteſt. Præterquam quod nullitas huius ingreſſus non tam ex impedimentis prouenit, quam ex defectu poteſtatis in admittente, quæ nulla eſt in Prouinciali his impedimentis ſtantibus. Nam cum tota poteſtas recipiendi nouitios in ſocietatem ſit penes Præpoſitum Generalem, neque alij ſuperiores eam habeant, niſi quatenus ipſe communicauerit, vt expreſsè habetur. 1. *parte conſtitution. cap. 1. & 9. p. cap. 3.* & tradit Thomas Sanchez *lib. 5. ſumm. cap. 4. n. 26.* Suarez *tom. 4. de Religione tractat. 10. lib. 2. cap. 4. n. 10.* & Prouincialibus communicata non ſit poteſtas recipiendi nouitios aliquo ex dictis impedimentis ligatos; imò potiùs eſt denegata, conſequens eſt vt tentata receptio nulla ſit. Quod autem Prouincialibus non ſit hæc poteſtas conceſſa conſtat ex *regula 35. & 36. ſui officij*, in qua poteſtas generaliter conceſſa in *regul. 31.* limitatur. Et quoties aliqua poteſtas cum limitatione alicui conceditur aliàs non habenti, ſi limitationem excedit, actus quoad illum exceſſum nullus eſt, vt tradit Cardinal. in principio *de iure patronatus quæſt. 7.* Abbas & Felin. *cap. ex parte num. 1. de conſtit.* quos refert & ſequitur Thomas Sanchez *lib. 5. Decalogum cap. 4. num. 26.* & latè diximus, *tract. 3. de legibus diſp. 2. punct. 9.* Deinde forma ſub qua alicui delegatur facultas actum aliquem efficiendi, debet ad vnguem ſeruari; ex *capite cum delicto de Reſcript. capite venerabili de officio delegat. ad finem lege inter artifices ff. de ſolutionibus lege diligenter ff. mandati* & probat Hieronymus Gonſales *regula 8. cancell. Gloſſ. 18. num. 75. & ſequentibus.* Vnde eſt principium in iure ſatis receptum idem eſſe fieri aliquid contra formam, & ſolemnitatem iuris, & diſpoſitionem Pontificum, & Principum, ac ſi non fieret. *cap. 1. de tranſlatione Prælatorum lege 2. ff. de excuſatione tutorum.* Sed forma, & diſpoſitio, ſub qua generaliter præpoſitus committit Prouincialibus Societatis recipiendi nouitios, eſt ſi recipiendi ſupradicta impedimenta non habeant. Ergo receptio illorum, qui illis impedimentis ligati fuerint, nulla erit.

5. Solum eſt aliqua controuerſia de illo impedimento ætatis teneræ; an inquam receptus in ætate 14. annorum completorum, antequam 15. compleat valeat receptio? Et quæſtio procedit ex vi iuris Societatis ſecluſa ſpeciali facultate, quam mihi conſtat iam omnibus Prouincialibus ſpecialiter datam eſſe à Reuerendiſſimo P. N. Muttio Vitteleſchi meritiſſimo totius Societatis præpoſito generali? Negat Thomas Sanch. *lib. Decalog. cap. 4. num. 7. & 26.* ea motus ratione; quia in *regula prouincialis 36.* Cauetur ne poſſit Prouincialis recipere in Societate nouitium infrà 15. & vltra 50. expletos annos. Quæ verba ſupponunt non poſſe recipi à prouincialibus nouitium non habentem 15. annos completos; quia dictio illa expletos annos vtrumque numerum comprehendit & 15. & 50. Deinde eſto in conſtitutionibus ſolum 14. annus completus expoſtuletur pro nouitiatus ingreſſu, vt conſtat *ex 1. parte conſtit. cap. 2. num. 12. & cap. 3. littera K.* & *parte 4. capite 2. in Gloſſa*: cum in regula Prouincialis cauetur debere eſſe 15. aliquid ſpeciale ſpectatum fuit à generali præpoſito. Aliàs vt quid numerum, & ſtylum in conſtitutionibus ſeruatum mutauit? Et confirmo: in 1. *parte conſtit. c. 3. littera K.* Explicans Sanctus Ignatius ætatem teneram, in qua nullus in Societatem recipi poteſt, expreſſit numero guariſmo 14. ibi quod ad ætatem attinet 14. annis minorem, vt quis ad probationem admittatur. Et ſupradictus numerus 14. neceſſariò intelligi debet completus, & non incœptus, vt colligitur ex *cap. 2. antecedenti num. 1.* Ibi ætas vt admittatur ad probationem excedere debet decimum quartum annum; vt ad profeſſionem verò vigeſimum quintum. Ergo ſi recipiendus excedere debet illum 14. completum habere. Cum ergo in regula Prouincialis non appoſuerit Generalis 14. ſed 15. infertur noluiſſe generalem Prouincialibus concedere facultatem recipiendi ad probationem niſi 15. anno impleto. Præterea dictio illa infra 15. annos, idem eſt ac dicere minor annorum 15. qui autem 15. annos completos non habet, abſolutè minor 5. eſt, & probat conſtitutio 1. *parte cap. 3. littera K.* Vbi cauetur neminem eſſe ad probationem recipiendum 14. annis minorem, & vocat minorem 14. qui 14. completum non habet, & conſtat ex *cap. 2. antecedenti*; vbi dicit debere excedere 14. annum. Quapropter etſi dictio illa *expletos annos* vtrumque numerum non comprehenderet, ſed ſolum numerum 50. dictio illa *infra* appoſita numero 15. conuincit, excludi à facultate Prouincialis, qui 15. completum non habet. *Argument. leg. 3. §. minorem ff. de minoribus 15. annum.* Vbi minor adhuc dicitur vltimo die anni 15. donec hora natiuitatis decurrat. Et ratio redditur, quia ante illam horam nondum compleuit 15. annum. Hinc eſt quod quando in Concilio Tridentin. *ſeſſione 24. cap. 12. de reformat.* Expoſtulatur pro obtinentibus dignitates non habentes curam animarum, ne ſint minores 22. annis, vbi vigeſimo ſecundo anno non minores

notes adſciſcantur , manifeſtè voluit debere 22. annum eſſe completum, vt optimè notauit Leſſius libro 2. de iuſtitia *cap.* 34. *dubio* 20. *num.* 108. Subditque rationem. Qui enim non compleuit 22. eſt minor ætate. Ex quibus omnibus colligitur Prouincialem ex vi communis iuris Ieſuitici non habere poteſtatem recipiendi ad probationem qui 25. annum non compleuerit, illiúſque receptionem nullam eſſe.

6. Credo tamen ſatis probabiliter dici poſſe ſpectato iure ſcripto Ieſuitico poſſe Prouincialem recipere ad probationem qui 14. completum , & inceptum 15. habuerit. At ſpectata praxi, & ſtylo recepto Societatis omnino eſſe certiſſimum, & indubitabile. Duplicem partem habet concluſio. Prior difficilior eſt. Sed ad eius probationem eſt aduertendum dictiones *infra* & *vltra* eſſe terminos oppoſitos, & correlatiuos, & diſpoſitum in vno cenſetur in alio per oppoſitionem diſpoſitum , ex *leg. finali Cod. indicta vidui* ; & ex multis probat Eberad. *loco à correlatiuis* , *num.* 8. Sed ſic eſt , quod in dictione vltra 50. annos expletos , requiritur quod recipiendus illos habeat ita completos, vt neque vnus dies 50. deſit. Ergo in dictione infra 15. completum , neceſſarium eſt , vt neque vnus dies quindecimi anni deſit. Nam ſi aliquem diem illius quindecimi anni habeat , iam non habet in toto rigore completè ; & perfectè infra 15. completos, ſed infra 15. incœptos. Qui enim 14. annum completum habet, & dimidiatum decimum quintum , non eſt propriè infrà quindecim completè, ſed incœptè, ſeu potiùs eſt intra quindecim. Atque ita dictio illa *expletos annos* iuncta dictionibus infra , & vltra potiùs probat ſufficere 15. incœptum , quam completum : ideóque 1. *parte conſtit. cap.* 3. *littera K.* Vbi numero guariſmo ſignatur ætas recipiendorum non fuit dictum ne ſit minor 15. quia alius numerus 25. ibidem ſignatus non fuit oppoſitus , ſed conformis ; Sed *in regul.* 36. *Prouincialis* appoſitæ fuerunt dictiones infra, & vltra oppoſitæ: merito ergo in tenera ætate ſignatus fuit numerus 15. vt clarè colliges , ſicut in numero 50. requiritur vt excluſus ob prouectam ætatem à poteſtate Prouincialis habeat, 50. annum ita completum, vt neque vnus dies deſit , ita vt ob teneram ætatem excludatur , ita ſit infra 15. vt neque vnus dies 15. habeat. Quis negare poterit hanc explicationem eſſe probabilem , & verbis regulæ conuenire ? Suſtinenda ergo eſt præcipuè ne cenſeatur regula à conſtitutione deuiare , iúſque commune , & aliarum religionum corrigere , quibus conceſſam eſt pubertate adepta nouitios recipere ; & iuris correctio odioſa eſt , & omnino vitanda , *leg. præcipimus Cod. de appellat.* Quod ita verum eſt, vt gratia vitandæ iuris correctionis à propria verborum ſignificatione recedendum ſit : vt docent Abbas cap. *cum olim ſine de ſentent. & re iudic.* Gutierr. *lib. 3. practica quæſt.* 15. *n.* 34. Et multis aliis relatis Thom. Sanch. *lib.* 1. *de ſponſalib. diſp.* 17. *num.* 6. & Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 20. *num.* 4. Eo ſolum vt vitetur iuris correctio admitti tacitam profeſſionem poſt Tridentin. Poſito ergo ſupradictam explicationem verbis regulæ conuenire) tametſi ea , quam adducit Sanch. rigidior , & propior ſit) dicendum eſt Prouinciali limitatam non eſſe poteſtatem recipiendi niſi ad eos , qui neque vnum diem decimiquinti anni habeant: quia poteſtas diſpenſandi in nullius à concedente præiudicium cedens latè eſt interpretanda, vt dictum eſt *Tractat. de legibus diſp. de priuilegio , & diſpenſat.* & tradit idem Sanch. *multis allegatis lib.* 8. *de matrim. diſp.* 1. *n.* 4. Et hæc poteſtas Prouincialis, vt de ſe conſtat, talis eſt. Ergo.

Secunda pars concluſionis apertiſſima eſt , cum ſatis receptum , & vſu comprobatum ſit Prouinciales in receptione nouitiorum nunquam inueſtigaſſe, an nouitij 15. annum completum habuerint , ſed ſolum an habuerint 14. incœptum 15. & in hac ætate in variis prouinciis , plures eſſe receptos : & in collegio regali Salmantino adeſſe me præſente quatuor vel quinque qui in ea ætate admiſſi fuerint. Sed conſuetudo, & praxis recepta ſufficit ad derogandam ſupradictam legem, & limitationem regulæ & relinquendam prouinciali poteſtatem integram iuxta ipſius *reg.* 31. quia vt latè diximus. Tract. *de leg. diſp. de conſuetud.* conſuetudo legitimè præſcripta ſufficit ad derogandam quamlibet legem, ſtatutum, & conſtitutionem , & concedendam iuriſdictionem alias non habenti, taliter quod eidem Sanchez *tom.* 2. *de matr. lib.* 7. *diſp.* 4. *n.* 14. Halas *quæſt.* 97. *de legib. tract.* 14. *ſect.* 10. *num.* 80. Innumeris relatis videatur conſuetudinem ſufficere ad tollenda impedimenta matrimonij iure poſitiuo introducta efficiendóque habiles, qui lege ſtante non erant , à fortiori poterit conſuetudo derogare limitationem facultati generali appoſitam. Explicatur ampliùs. Hæc praxis & ſtylus recipiendi nouitios in ætate 14. anni completi, & incœpti 15. vel procedit ſciente præpoſito generali, vel illo ignorante ? Si præpoſitus generalis ſcit, quod aliter credi non poteſt ob continuationem illius, ita dicitur nam, & exactam relationem nouitiorum, quæ præpoſito generali tranſmittitur , tum litteris priuatis tum catalogo congregationis prouincialis , clarum eſt hanc limitationem ſublatam eſſe: nam ſciente principe, & non contradicente, cum facilè poſſet, cenſetur conſentire , vt in ſimili tradit Panormit. *in c. vlt. de conſuetud.* Gloſſ. *in c.* 1. *de treuga, & pace.* Quod adeo verum eſt, vt bonus , vel ternus actus huius conſuetudinis ſufficiat ad derogandam quamlibet legis limitationem, vt relato Sylueſt. verbo *conſuetudo n.* 6. Panorm. *d. c. fin. docet* Leſſius lib. 2. de inſtit. *c.* 6 *dub.* 14 *n.* 45. Sanch. lib. 4. de matr. *diſp.* 1. *n.* 22. & plurib. allegat. Halas *q.* 97. *tract.* 14. *de legib. ſect.* 8. *ex c. ita nos* 25. *q.* 2. Vbi binus actus appellatur quaſi vſus, & conſuetudo, & concludit conſuetudinem dare facultatem non habenti, *c. cum contingit de foro competenti.* Ad idem eſt communis doctrina per ratihabitionem iuriſdictionem concedi. Et licet controuerſum ſit , an ſufficiat ratihabitio de futuro, ex *reg. cũ res ratihabitio retrotrahitur , & mandato non eſt dubium comparari.* At ferè omnes conueniunt ratihabitione de præſenti expreſſa aliquo ſigno iuriſdictionem concedi aliàs non habenti ; ideóque poteſt virtute illius adminiſtrare Sacramenta iuriſdictionem poſtulantia , vt de Sacramento pœnitentiæ, & aſſiſtentia ad matrimonium docet Gab. Vaſq: *de pœnit. q.* 91. *art.* 2. *dub.* 1. *n.* 3. Sanch. lib. 3. de matr. *diſp.* 35. *n.* 17. & 20. Suarez aliis relatis, *tom.* 4. *de pœnit. diſp.* 26 *ſect.* 1. *n.* 14 & *diſp.* 27. *ſect.* 14. *à n.* 1. Si ergo præpoſitus generalis ſciebat hunc vſum, & non interdicebat in futurum, conuincebatur approbare : Alias iniquiſſimè faceret non monens Prouinciales de nullitate ingreſſus nouitiorum , & de vſurpatione ſuæ poteſtatis in re tam graui. Quod ſi generalis hunc vſum & praxim ignorauit, Prouincialéſque illo ignorante ad probationem receperunt in ætate 14. anni completi, validè , & licitè proceſſerunt maximè poſt decennium à publicata regula. Nam conſuetudo eam vim, & efficaciam habet, vt poſſit aduerſus legem præſcribere, iúſque poſitiuum tollere, & aliud de nouo introducere, ex *c. fin. de conſuetud.* vbi Panorm. Felin. & alij *ibi*, & Couarr. *lib.* 3. *var. c.* 13. *n.* 4. & innumeris allegatis Sanch. l. 7. de matrim. *diſp.* 4. *à n.* 11. *& diſp.* 17. *n.* 7. *& diſp* 22. *n.* 20. Salas *q.* 97. *tract.* 14. *de legib. ſect.* 2. *& 3. & ſeqq.* Et nos diximus *tract. de legib. diſp.* 3. *de conſuetud. punct.* 4. Solúmque eſt inter Doctores controuerſia, quod tempus neceſſarium ſit, & omiſſis placitis variis ibi *punct.* 2. §. 2. probauimus decennium ſufficere. Quo ſuppoſito eſto prohibitum eſſet Prouinciali recipere nouitios ante 15. annum completum, vſu & conſuetudine in contrarium derogatum eſt , cum non ſolum huius conſuetudinis decennium, ſed & quadrageſimum, & ſeptuageſimum tranſactum eſt poſt huius regulæ publicationem. Adde hanc prohibitionem non recipiendi nouitios, qui 15. completum non habeant potiùs per deſuetudinem, ſeu non vſum ceſſaſſe, quia nunquam ex obligatione recepta eſt, & quando ſic ceſſat, lex, ſentit Azor. 1. *p. l.* 5. *inſtit. mor. c.* 4. *q.* 6. Tanquam indubitatum ſufficere decennium. Confirmo. Lex eum ſenſum, & interpretationem recipit, quem vſus, & conſuetudo declarat. Vnde ortum eſt illud Axioma. Conſuetudo eſt optima legum interpres, *c. cum dilectus de conſuetud. leg. ſi de interpretatione ff. de leg.* & multis allegatis docet Sanch. *l. 6. in Decal. c.* 4. *n.* 27. Salas 1. 2. *c.* 9. *de legib. tract.* 14. *ſect.* 14. Vbi aduertit , etſi conſuetudo ad abrogandam legem debeat eſſe decennalis , at ad illam interpretandam minus tempus ſufficere , & adducit Menoch. *de arbitrar. caſu* 93. *n.* 10. Sed in Societate nunquam cognitum fuit ob regulam Prouincialis debere recipiendos in Societatem habere 15. annum completum imò tanquam certum ſupponebatur 14. annum completum ſufficere. Ergo ſic eſt lex intelligenda ex iis , quæ adducit Sanch. *lib.* 7. *de matr. diſp.* 17. *numer.* 8.

Alia via probari poteſt hæc 2. pars concluſionis, nempe ex *leg. Barbarius ff. de officio prætoris , & ex c. infamis* 3. *q.* 7. verſ. *verumtamen*, & ex aliis relatis Sanch. *lib.* 3. *de matr. diſp.* 22. *n.* 1. Ex quibus omnes Doctores colligunt titulum coloratum cum errore populi ſufficientem eſſe ad dandam iuriſdictionem alias non habenti: Sed hæc in præſenti caſu procedunt, vt Prouincialis poſſit licitè , & validè recipere eos, qui 14. completum, & inceptum 15. habuerint. Habet namque titulum abſolutum ad recipiendum *Reg.* 32. limitatio ad 15. annum completum ignorata eſt. Ergo iuriſdictionem habet ad recipiendum abſque ſupradicta limitatione.

7. Ex dictis infero (quod eſt maximè notandum) ſi generalis intendit , quod Prouinciales non recipiant nouitios minores 15. annis) eò quod ſentiat regulam Prouincialis ſic eſſe intelligendam) debet neceſſariò authenticam hanc voluntatem facere , & Prouincialibus publicè manifeſtare. Alias non reuocabit facultatem iure conſuetudinis introductam recipiendi minores 15. annis , & maiores 14. Quia delegatus dum notitiam non habet ſibi eſſe reuocatam poteſtatem à delegante valent geſta per ipſum ex *leg. ſi fortè ff. de offic. Præſidis* ibi ſi fortè Præſes Prouinciæ manumiſerit , vel tutorem dederit, priuſquam cognouerit ſucceſſorem aduenisſe, erunt & hæc rata: Vbi Gloſſ. verbo *cognouerit* ait, vſque ad eius aduentum durat iuriſdictio , & ita relato Bart. Flamin. Rebuffo, & aliis innumeris docet Thom. Sanhc. lib. 7. de matrim. *diſp.* 3. *à n.* 11. Neque ſufficit quælibet notitia, vt ex ipſa cenſeatur reuocata, ſed debet eſſe ad minus notitia per nuncium, vel epiſtolam ad delegatum

Gatum specialiter missam, vt latiùs dixi *disp.4.de legibus punct.* 21. §. *vlt.* imò si reuocatio generalis facienda est eadem publicatio requiritur, quæ ad concessionem facultatis per modum legis requisita fuit, vt dictum est ibi. *punct.* 21. §. 5. Maneat ergo certum, etsi regulæ rigore spectato sit probabile (quod Thomas Sanch. dixit) non posse à Prouincialibus ad probationem recipi non habentes 15. annum completum. At spectata consuetudine, & praxi omni probabilitate caret. Neque Thom. Sanch. contrarium diceret; ipse enim solum spectata regula locutus fuit. Neque alicui mirum videatur me in probanda hac assertione præter consuetam breuitatem processisse; fortè enim sum ex illis, qui 15. annum non compleuerunt, cum in Societatem fuerunt admissi, & vtinam in illa natus essem.

8. Secunda difficultas est; an ligatus aliquo ex supradictis impedimentis, si recipiatur in Societatem ab eo qui potestatem habet in eis dispensandi, receptio valida sit? Et quidem si impedimentum recipienti manifestatur, nulla est dubitatio, cùm eo ipso censeatur dispensare. Si autem malitiosè tacitum sit, alicui videri potest nullam esse receptionem, vtpote absque consensu recipientis factam. Non enim recipiens voluntatem habet recipiendi tali impedimento ligatum; imo potiùs habet voluntatem eum à religione excludendi. Quod efficaciùs vrget, si daremus impedimentum eius conditionis esse, vt eo detecto nequaquam à superiore sic ligatus reciperetur, ne religioni præiudicium causaret.

9. Cæterum tenendum est validum esse ingressum. Quia dum impedimentum substantiale non est, superior consentit in substantia ingressus, sicut cum Prælatus admittit ad ordines quemquam excommunicatum, vel irregularem, admissio valida est; quia in substantiali collatione ordinum consentit, cui consensui non obstat, quod impedimento detecto non consentiret. Non enim præsens consensus ex euentu futuro regulatur, præcipuè cum circumstantiæ omnino mutentur. Fateor tamen, si recipiens haberet expressam voluntatem non admittendi in religionem, qui impedimento ligatus, & non manifesto peteret admitti, nullam esse admissionem. Sed hæc voluntas ob inconuenientia, quæ inde nascuntur, nec iusta esset, neque præsumenda est; potiùs enim præsumendum est eam voluntatem habere, quæ suæ cognitioni, & rebus ipsis conformetur; ac proinde velle recipere nouitium illum abstrahendo, an habeat, vel non habeat impedimentum. Hæc doctrina colligitur expresè ex Nauarr. lib. 3. consil. tit. de Reg. *conf.* 25. *in 1. edit. & in 2. conf.* 48. Man. Rodrig. *tom.* 3. *q. Regul. q.* 17. *art.* 9. & 2. *tom sum. c.* 6. *n.* 3. & aliis relatis à Sanch. *li.* 5. *sum. c.* 4. *n.* 57. Quatenus dicunt professionem factam ab eo, qui morbo gallico, vel alio impedimento non irritante laboraret, quo detecto omnino excluderetur, validam esse. Ergo supponunt receptionem ad nouitiatum cum hoc impedimento valuisse; quia professio valida esse non potest, si nouitiatus nullus extitit.

PVNCTVM IX.

Quæ conditiones seruandæ sunt in religionis ingressu, vt validus & licitus sit.

SVMMARIVM.

1 *Coactio professionem annullat, sed non nouitiatum.*
2 *Consilium excommunicat cogentes fœminas ad religionis ingressum.*
3 *Lata est excommunicatio in fauorem fœminarum & ob quas actiones.*
4 *Non comprehendit cogentes ad votum, vel Iuramentum religionis suscipiendæ.*
5 *Modus coactionis debet esse iniustus, sed sufficit indirectus.*
6 *Quas personas comprehendat hæc excommunicatio expenditur.*
7 *Excipit consilium casus à iure expressos, in quibus dari potest coactio absq; excommunicationis incursu.*
8 *Simili excommunicatione ligantur impedientes fœminas à religionis ingressu.*
9 *An comprehendat impedientes ingressum ad probationem? Negant Sanch.*
10 *Probabilius est comprehendere.*
11 *Debet iniustè impedire.*
12 *Ingressus religionis debet esse immunis à vitio Simoniæ.*
13 *Ex parte admittentis debet esse necessario potestas, aliàs nullus est ingressus.*
14 *Debet præmitti informatio generis, vitæ, morúmque recipiendi.*
15 *Non possunt Prælati absque rationabili causa negare ingressum aptis.*

1. PRæcipua conditio seruanda in religionis ingressu est libertas, quæ coactioni opponitur. Hæc tamen esto professionem annullet, *cap. perlatum, de his quæ vi*, nouitiatus ingressum non annullat; neque ex annullatione professionis infertur, nouitiatus annullatio; cum hæc nullitas ex iure positiuo pendeat, quæ non extenditur vltra casus expressos, & nullibi inuenitur expressa nouitiatus annullatio. Præterquam quod est longè diuersa ratio in professione, ac in nouitiatu. Nam si professio coacta esset valida, indissolubilis esset, & iniuria facta irreparabilis; secùs nouitiatus qui solui potest, & iniuria facta reparari. Item coactio non impedit quin nouitius religionis austeritates experiatur, sed potiùs iuuat, & ita tenet Sanch. li. 7. matr. *disp.* 37. *n.* 51.

2. Verum etsi coactio quemlibet nouitiatus ingressum non annullet, negari non potest esse graue peccatum, & iniustitiam. Quapropter merito Concil. Trid. *sess.* 25. *c.* 18. *de Regul.* nouam excommunicationem imponit cogentibus fœminas ad religionis ingressum his verbis Anathemati sancta Synodus subiicit omnes, & singulas personas, cuiuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint tam clericos; quam Laycos sæculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocunque, &c. Coëgerint aliquam Virginem, vel viduam aut aliam quamcumque mulierem inuitam præterquam in casibus à iure expressis ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque religionis, vel ad emittendam professionem, quippe consilium, auxilium, vel fauorem dederint; quippe scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere quoquomodo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel authoritatem interposuerint.

3. Hæc excommunicatio lata solum est in fauorem fœminarum. Nam esto grauissimum sit peccatum viro ad religionem cogere, vel eos à religionis ingressu impedire; quia tamen id rarum est, & facilius viri violentiam expellunt, ideo consilium nihil de ipsis disponit, sed solum de fœminis, quibus violentia frequentiùs inducitur, & difficiliùs vincitur. Sic Suar. tom 5. de censur. *disp.* 23. *sect.* 7. *n.* 9. *& tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 9. *n.* 4. Sanch. lib. 4 summ. *cap.* 4. *num.* 2. Ob triplicem actionem hæc excommunicatio imponitur nempe ob monasterij ingressum, ob susceptionem habitus, ob professionem. Non caret tamen difficultate, qualiter monasterij ingressus à susceptione habitus, & professione distinguatur. Neque enim videntur excommunicari parentes cogentes fœminas monasterium ingredi, vt securiùs viuant, cum sæpe id necessarium sit, & licet secluſa necessitate non possint parentes filiam cogere ad tam arctam custodiam, vt benè notauit Suar. *dicto lib.* 5. *de Relig. cap.* 9 *num.* 4. Non tamen obinde censentur excommunicati. Quia consilium non tam de ingressu (vt sic dicam) temporali, & Laicali, quam religioso, & perpetuo locutum est: libertati enim religiosi status fauere intendebat. Qua ratione conuincor ad asserendum coactionem ad ingressum monasterij absque animo inducendi puellam ad religiosum statum, sed potiùs, vt decentiùs, & securiùs viuat, & aptiùs deliberet statum eligendum hac excommunicatione non puniri; benè tamen coactionem ad ingressum animo, & intentione, vt habitum suscipiat, & professionem emittat: Quia ille ingressus est inchoata habitus susceptio, neque aliter possunt illa tria membra ingressus monasterij, susceptio habitus, & professio distingui: Et ita tradit Suar. *dicto tom.* 3. *de Religione lib.* 5. *c.* 9. *n.* 4. Sanchez lib. 4. summ. *cap.* 4. *n.* 12.

4. Non censetur tamen comprehendi votum, vel Iuramentum ingrediendi religionem; quia huiusmodi votum, vel Iuramentum non est monasterij ingressus, nec susceptio habitus, nec professio, quæ sunt actiones prohibitæ, & punitæ. Quapropter esto parens cogeret filiam vouere, vel iurare se ingressuram religionem, excommunicationem hanc non incurreret. Neque obstat ex vi illius voti, vel Iuramenti obligatam esse ingredi, ac proinde esse inditectam ingressus coactionem: quia credo probabiliùs nullam illius ingressus obligationem habere. Quia obligari non potest ad efficiendum actum irritum, & nullum. Nam ingressus assumptus ex obligatione voti, seu Iuramenti coacti, coactus est, & consequenter nullus. Adde quamuis illud votum validum esset & obligatorium, ob coactionem ad illud præcisè habitu non susceptо, excommunicatio non incurretur, quia non ob votum sed ob monasterij ingressum, habitus susceptionem, vel professionem excommunicatio imponitur. Sanch. *lib.* 4. *summ. cap.* 4. *n.* 13.

5. Modus coactionis non signatur à consilio, sed solum dicitur, quoquomodo coëgerint: quare siue directus, siue indirectus sit, comprehenditur: debet autem esse iniustus, aliàs punibilis non est. Neque enim ex eo quod pater rigidè filiam tractet dummodo limites paternæ iurisdictionis non excedat, excommunicationem incurrit; tametsi illa tædio affecta, & causa vitandi illum rigorem habitum suscipiat: id enim per accidens est, & patri iure suo vtenti non est vertendum in culpam. Quod si pater in rigore excesserit, videátque ob illum rigorem vitandum filiam moueri ad religionem, neque cessauerit procul dubio censeo filiam sic ingredientem &

coactè

coactè ingredi,& parentem ob indirectam coactionem excommunicatum esse: Suarez *dicto tom.3.de Relig.lib.5 cap.9.n.5.* Nulla tamen est coactio, si muneribus, & donis filiam ad religionem inuitet, imò neque si suasionibus, & precibus, modo non sint importunæ, & quæ violentiæ æquiualeant. Sic Suar. *loco allegato* & Sanch.*lib.*4.*c* 4.*num.*7.*&* 8.

6. Personæ aduersus quas hæc excommunicatio fertur sunt omnes, & singulæ cuiuscunque qualitatis, & conditionis fuerint, tam clerici, quam Laici,sæculares, vel regulares,atque etiam qualibet dignitate fulgentes,quæque ad aliquam ex supradictis actionibus grauiter, & iniustè coëgerint. Probabile tamen est Regem,& Imperatorem non comprehendi ob eorum eminentissimam dignitatem, ratione cuius debent in iis pœnis necessariò exprimi, vt comprehensi censeantur: Tradit Sanch. lib.4. summ. *cap.*4. *num.*2. Et facit quæ adducit, *lib.* 4 *de matrim. disput.*22.*fine.* Deinde extendit consilium supradictam excommunicationis pœnam ad omnes illos, qui consilium, auxilium, vel fauorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi in monasterium, aut habitum suscipere aut professionem emittere, quoquomodo eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel authoritatem interposuerint; subintelligitur, vt fiat: quæ omnia verba,quia rata, & singularia sunt exactè notanda,vt benè dixit Suarez *tom.*5. *de cons disput.*23.*sect.*7.*num.*9.

7. Excipit consilium à supradicta doctrina casus à iure expressos, in quibus etsi coactio detur, excommunicatio non imponitur, & meritò. Quia tunc non est iniusta coactio, sed iusta, & licita iuris executio. Hi casus (inquit Suar.tom.3.de Relig. *lib.*5. *cap.*9. *num.*4.*fine.*) sunt duo. Vnus est si puella votum emisit religionis, *cap.consultum de Regular.* quo casu ad eius executionem cogi potest, si relaxationem non obtinet. Alias est, quando coniuges mutuo consensu ingressi sunt religionem, & post professionem vnius alter vult retrocedere; quia in iis casibus non cogitur quis ad religionem tanquam ad rem voluntariam, sed tanquam ad rem ex voluntate propria debitam.

8. Similem excommunicationem ob causam oppositam profert consilium in supradicto loco *sess* 25. *cap.*18. aduersus eos qui sanctam Virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquomodo sine iusta causa impedierint. In quibus verbis ea est difficultas; an impedire, ne fœmina votum aliquod simplex emittat saltem suscipiendi religionem supradicta excommunicatione puniatur? Affirmat Suarez *dicto lib.*5. *cap.*9. *num.*11. *&* 12. contrarius iis,quæ docuerat, *tom.*5. *de censur.disp.*23.*sect.*7. *nu.*10. Quia sub acceptione veli religiosa professio intelligitur, & non honorarium illud veli signum. Ergo sub voti emissione, quæ vt distincta ponitur à consilio non professio, sed saltem professionis votum intelligitur. At verius credo sub vtroque verbo professionem intelligi, sed diuersam. Nam cum in monasteriis monialium, monialibus ad chorum assumptis velum in professione concedatur, Laicis verò ad ministeria domestica destinata denegetur, vt omnes has professiones consilium comprehenderet, quin vlla dubitatio remaneret, expressit vt distinctas voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi; hoc est professionem cum velo, vel sine illo. Alias si præstare impedimentum voto religionis suscipiendæ vellet consilium punire, non ea generalitate, quæ non magis votum religionis, quam castitatis, aut temperantiæ, alterius̃ve virtutis significat, loqueretur, & ita tradit Suar.*illa disp.*23.*sect.*7.*num.*10. Sanch lib.4.summ.*cap.*4.*num.*14.

9. Sed grauior est difficultas, an impedire susceptionem habitus, seu monasterij ingressum puniatur hac excommunicatione? Negat Sanch. *d. cap. num.*15. ea motus ratione,quia decretum excommunicans impedientes professionem, non est extendendum ad remotum professionis obstaculum, præcipuè, quidem decretum excommunicans cogentes ad religionem, non fuit contentum expressione professionis, sed insuper addidit habitus susceptionem. Deinde quia impediens votum religionis in sæculo emitti, virtualiter impedit professionem, sed non obinde excommunicatur. Ergo ob impedimentum remotum excommunicatio non contrahitur.

10. Affirmatiua sententia tenenda est, scilicet ob impedimentum appositum suscipiendi habitum præstandique nouitiatum hanc excommunicationem incurri. Quia susceptio habitus, nouitiatúsque perfectio requiritur necessariò ad professionem. Ergo quolibet ex illis impeditis professio ipsa impeditur, in quo maximè differt huius impedimenti appositio à coactione professionis. Nam potest esse coactio ad professionem, quin fuerit ad suscipiendum habitum, & econtrà potest esse coactio ad suscipiendum habitum. quin extendatur ad professionem: eáque de causa fuit conueniens non solum professionem, sed susceptionem habitus exprimere. At in præsenti fieri non potest, quod aliquis impediatur à nouitiatu quin impediatur à professione; eáque de causa satisfuit prohibere impedimentum professionis. Quia prohibendo impedimentum apponi professioni, consequenter prohibitum est apponi religionis ingressui,& aliis omnibus,quæ de essentia professionis sunt,& ita vt certum docet Suar.*tom.*5.*de censur.disp.*23.*sect.* 7.*n.*10. & tom.3.de Relig.*lib.*5.*cap.*9 *n.*11.

11. Quo ad modum verò huius impedimenti attinet, aduertendum est debere esse iniustum. Nam iustum impedimentum etiamsi per coactionem fiat,non præstat sufficientem causam ad excommunicationem incurrendam, quia liberum est à peccato; ideoque consilium notanter dixit: quoquomodo sine iusta causa impedierint; supponens iustam esse, causam impediendi fœminæ religionis ingressum, vt si vinculo matrimonij consummati, vel seruitutis esses ligatus. Quapropter cum solo dolo, vel coactione iniustè, & illicitè impediri possit professio, hoc impedimentum per dolum, vel coactionem hac excommunicatione punitur; & tradit Sanchez *d. lib.*4. *sum.c.*4. *n.* 10. De impediente per dolum, ne fœmina velit profiteri,non caret probabilitate sub hac censura,non comprehendi;quia sic dolo impediens propriè non impedit voluntatem profitendi;ad hoc enim requiritur,vt ipsa voluntas immutata perseuerans impediatur ab eius executione, dolum autem solum impedit,ne voluntas fit:Sic Suar.*tom.*3.*de Relig. lib.*5. *c.*9.*n.*14.

12. Secunda, & principalis conditio in ingressu religionis requisita est immuniras à vitio Simoniæ: Sed quia de hac latè dicimus, *tract. de vitiis oppositis religioni disp. vlt. punct.* 23. nolo in eius explicatione immorari. Solum aduerto neque ipsum ingressum ad probationem, neque professionem ipsam Simoniaci factam inualidam esse, vt latiùs dicto loco probo, quia nullo iure annullata inueniuntur.

13. Tertia conditio se tenet ex parte admittentis nouitium, vt authoritatem, & potestatem habeat ad illum admittendum. Nam cessante hac potestate nullus est ingressus; non enim religio probari à nouitio potest, quin priùs ab ea admittatur, vt eum probet; ita compertum est apud omnes. Qui autem superiores hanc recipiendi potestatem habeant ex constitutionibus cuiuslibet religionis eiusque vsu, & stylo deducendum est.

14. Quarta conditio est, vt fiat informatio generis, vitæ, morum recipiendi. de qua informatione Sixtus V. edidit motum proprium 6. *Kalend. Decembris anno* 1587. Qui incipit Sixtus Episcopus, quem postmodum declarauit, & temperauit in alio incipiente *Ad Romanum spectat Pontificem.* Sed Gregor.XIV.alium edidit,qui incipit *circumspecta Romani Pontificis prouidentia*, quo ex parte reuocati sunt motus Sixti V. Tandem Clemens VIII. in sua constitutione,quæ incipit. *Altissima paupertatis via data* 14. *Aprilis* 1592. Reduxit nullitatem professionis à Sixto V. indictam ad terminos iuris communis, & modum præscripsit minoribus de obseruantia pro informationibus faciendis aduertens ob omissum hunc modum professionem non itritari, aliàs de iure non irritandam. De his constitutionibus, earúmque intelligentia latè agit. Emanuel Rodriguez *tom.*1. *quæst.regul. quæst.*1. *art.* 1.2. *&* 3. Suarez tom.3. de Relig. *lib.*5. *c.*10. *per totum.* Sed superuacaneum censeo in his immorari; cum nullitas nouitiatus, & professionis à Sixto V. inducta cessauerit, & modus informationis pro nouitiis recipiendis ex recepta cuiuslibet religionis consuetudine præscriptus sit. Et denique vt notauit Augustt. Barbos. 3.*p. de potest.Episcop. alleg.*101.*n.*41. Clemens VIII. constitutionem incipientem *in his* edidit *anno* 1597. in fauorem conuentus. S. Stephani Salmaticensis ex Dominicana familia, vt nouitiorum informationes de his, quæ secundùm constitutiones interrogari debent, gerent coram iudice, & notario publico, vel coram aliquo alio fratre ad id minus deputato absque omni strepitu iudiciatio, sed solummodò simpliciter, & de plano. Quod priuilegium (inquit Barbosa) esto solum quoad conuentum S. Stephani fuerit concessum, eo fruuntur omnes religiones habentes priuilegium communicationis, quale habent omnes mendicantes, etsi quæ sunt aliæ.

13. Quod si roges; an superiores, quibus competit nouitiorum receptio peccent, si renuant recipere quem habilem, & aptum religioni inuenerint? Respondet optimè Suar. tom. 3. de Relig. *lib.*5. *c.*10. *num.*28. Peccare grauiter si absque vlla rationabili causa moueantur. Tum quia religioni officiunt, illius nouitij obsequiis priuantes, & iurisdictione sibi data abutentes. Tum quia securam viam salutis procuranti sine causa præcludunt. At si causa subsit clarum est nullum esse peccatum. Est autem sufficiens causa denegandi ingressum petenti, si alius aptior, imo æqualis reperiatur, vel speratur breui reperiendus, & religio commoditatem temporalem non habeat vtumque alendi.

PVNCTVM X.

Quibus obligationibus teneatur nouitius ex religionis ingressu.

SVMMARIVM.

1 *Prima enumeratur, ne possit absque causa religionem deserere. sed non admittitur. Et fit satis contrariis.*
2 *Secunda de obligatione soluendi expensas factas in nouitiatu, non admittitur, si bona fide, & absque harum solutionis promissione ingrediatur.*
3 *Nequit durante nouitiatu matrimonium contrahere, si habitum non dimittit.*
4 *Obligatus est nouitius ex honestate seruare regulas.*
5 *Obligari non potest superioris præcepto.*
6 *Nouitius violans castitatem non addit secluso scandalo nouam malitiam.*
7 *Prælatus regularis non potest præcipere nouitio aliter quàm possit Prælatus Ecclesiast. clericis sibi subiectis.*
8 *Nouitius puniri potest à Prælato regulari ob quodlibet delictum.*
9 *Quid dicendum de casuum reseruatione.*

1. PRima, & præcipua obligatio enumeratur, ne possit religionem assumptam deserere absque legitima causa, qualis esset, si non possit commodè religionis asperitates sustinere. Probatíque potest, quia est leuitatis, & inconstantiæ indicium ab incœpta perfectionis via deflectere. Sed præcipuè vrget: quia religionis Prælatus non potest absque graui culpa nouitium expellere, quippe abutetur potestate sibi data in damnum ipsius religionis, & nouitij. Ergo eodem modo peccabit nouitius religionem deserens.

Cæterum omnino tenendum est per se nullam culpam nouitium committere; eò quod religionem deserat ob honestum finem absque rationabili causa; sicut enim nulla est culpa nolle religionem ingredi, ita nulla est post eius ingressum nolle perseuerare; quia non ingredietur sub obligatione perseuerandi, sed sub libertate probandi statum, & probatum eligendi, si sibi commodus visus fuerit. Et ita tenet expressè Suar. tom. 3. de Relig. *lib. 5. cap.* 11. *à n.* 2. Sanch. dicens esse apud omnes certum, lib. 6. summ. *c.* 10. *n.* 1. & colligitur manifestè ex *cap. statuimus de Regularibus* ibi ad pristinum statum redire posse liberè infrà annum. Idem traditur cap. *is qui de Regularibus*, *in* 6. Ex quo fit non indigere Prælati religionis facultate vt habitum deserat, sed illo inconsulto deserere potest, & à Religione exire, neque obinde aliquam pœnam; aut inhabilitatem contrahit Suarez *loco allegato.*

Rationes in contrarium non vrgent. Ad 1. nego esse leuitatem, aut inconstantiam; cum nulla legis, aut voti obligatione teneatur nouitius perseuerare, sed potius sub libertate exeundi ingrediatur ad probandum religionis statum. Ad 2. Sanch. lib. 5. summ. *c.* 4. *num.* 56. censet Prælatum expellentem nouitium absque iusta causa peccare solum venialiter, nisi grauis nouitio nota esset expulsio illa (quod certè rarò accidit.) Mouetur quia nouitij recessus absque causa est solum venialis; sed æquè religio obligatur nouitio, ac nouitius religioni. Ergo solum in Prælato religionis erit culpa venialis. Sed merito ab hac sententia recedit Suarez tom. 3. de Relig. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 7. *& lib.* 5. *c.* 11. *numer.* 5. Affirmans religionis Prælatum, obligatum esse retinere nouitium sub graui culpa si aptus religioni iudicatur; quia non est Prælatis concessa potestas expellendi; vel retinendi nouitios in destructionem, sed in ædificationem, & in bonum religionis, & subditorum. Quare hæc obligatio non ex pacto cum nouitio, sed ex officio, & munere Prælati prouenit; cáque de causa conceditur nouitio illegitimè expulso ius agendi contra religionem, ne expellatur, vt tradit idem Sanch. *supra cum* Gregor. Lopez *leg.* 3. *verbo aelles. tit.* 7. *p.* 1. Quæ actio fundari non potest in leui obligatione nouitium retinendi. Religio verò aduersus nouitium exeuntem nequaquam agere potest. Ergo signum euidens est, grauiùs religionem obligari ad retinendum nouitium aptum, quam obligetur nouitius ad perseuerandum in religione commoda.

2. Secunda obligatio esse potest soluendi expensas, quas tempore nouitiatus facit. Et quidem si animo ficto (hoc est absque voluntate perseuerandi) ingreditur, certum est obligatum esse, nisi obsequium ab eo factum expensis adæquaret, quod tunc contingit (inquit Sanchez lib. 6. summ. *cap.* 10. *n.* 2.) quando monasterium illo obsequio indigeret ab aliis religiosis non præstando. At si bona fide ingrediatur, nulla est obligatio soluendi, qui reditus monasterij pro nouitiorum æquè ac professorum alimentis sunt constituti: Sic Azor. *1. p. lib.* 12. *cap.* 3 *quæst.* 6. Manuel. Rodrig. *tom.* 3. *q. regul. q.* 15. *art. vlt.* Suar. tom. 3. de Relig. *lib.* 5. *c.* 11. *n.* 5. Plures referens Sanch. lib. 6. sum. *c.* 10. *num.* 4. Layman. lib. 4. sum. *tract.* 5. *c.* 4. *in fine.* Quod procedit, nisi nouitius promisisset soluere; quia eo casu obligatus est; vtpote ad rem omnino iustam, & licitam, & à Trident. *sess.* 25. *cap.* 16. *de Regularibus*, permissum ibi excepto victu, & vestitu nouitij, vel nouitiæ illius temporis, quo in probatione est: Et tradit Suar. *d. c.* 11. *n.* 5. Sanch. *lib.* 6. *c.* 10. *num.* 5. Layman. *suprà.* Non tamen ob eam causam impediri potest nouitio liber è religione egressus, tametsi timor sit egredientem non esse soluturum. Quia non est datum religioni per vim à nouitio debitum recuperare; cum talis exactio multum præiudicare possit statui religioso, eiusque libertati, sed debet religio eo modo, quo possit aduersus nouitium egressum procedere, sicut aduersus alium sæcularem debitorem procedit. Suarez *dicto cap.* 11. *num.* 5.

3. Tertia obligatio est, ne possit durante nouitiatu matrimonium contrahere; quia est status alienus ab habitu assumpto: dissonum enim rationi est habitu religioso ostendere animum obseruandi perpetuam castitatem, & matrimonij celebratione contrarium dicere. Meritóque Ecclesia hanc fictionem prohibuit, cap. *consuluit. Qui clerici*, &c. Constituens habitum religiosum inter impedimenta impedientia matrimonij contrahendi, tametsi non dirimat contractum: ibi sicut votum simplex matrimonium impedit contrahendum, & non dirimit iam contractum, ita habitus sine professione susceptus ne contrahatur impedit, sed contractum nequaquam dissoluit, & tradit Glossa *c. beneficium de Regul. in* 6. verbo *conferendum in fine.* Quocirca sub graui culpa tenetur sic contrahens matrimonium habitum religiosum dimittere, nisi fortè matrimonium non consummauerit, & pœnitentia ductus probare velit religiosum statum, animo si placuerit profitendi, & matrimonium contractum dissoluendi. Suar. tom. 3. de Relig. *lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 8.

Quartò censetur nouitius obligatus seruare regulas & constitutiones, quas professi seruant ex quadam decentia, honestate; aliàs non poterit religionem probare, nec religio ipsum.

5. An verò possit Prælatus regularis nouitium astringere præcepto de obseruandis iis, quæ sunt de regula, & constitutione religionis? Variant Doctores. Sarmiento *lib.* 2. *select. cap.* 5. *num.* 9. *vers. ex supradictis.* Paul. Layman. lib. 4. sum. *tract.* 5. *c.* 4. *q.* 3. *concil.* 2. & alij affirmant, quia Prælatis regularibus nouitius subditur gubernandus; ergo obligandus eorum præceptis statui religionis assumptæ conuenientibus, & proportionatis.

Cæterum veriùs est nouitium obligatum non esse per se, neque aliquo superioris præcepto obligari posse ad seruandas regulas, & constitutiones religionis, sed solum ad sustinendam pœnam, si eas transgrediatur. Quia ex duplici capite hæc obligatio oriri poterat, vel ex speciali voto obedientiæ; quo nouitius se astrinxit; vel ex statu probationis assumpto. Ex voto obedientiæ obligari non potest; quia supponimus nouitium nullum ex deuotione votum obedientiæ emisisse. Nam si illud emisit, poterit ex vi illius obligari, sicuti obligatur quilibet alius votum faciens obediendi alicui Prælato in rebus licitis, & honestis: non enim cui est promissa obedientia præceptum non imponit, sed voluntatem suam declarat, qua vult vouentem obligatum esse, & posita illa declaratione vouens vi sui voti tenetur. Ex statu autem probationis assumpto nouitius non obligatur, sicut nec Cathecumenus ad leges Ecclesiasticas obseruandas; quia ad huius probationis statum sufficit, quod religio nouitium corrigere possit si delinquat, ipséque nouitius contradicere nequeat correctioni. Quod stare optimè potest, quin sit per se ad obseruandas regulas, & constitutiones obligatus, sed solum obligatus, ad sustinendam pœnam, si delinquat. Quod si roges vnde nascitur hæc obligatio sustinendi pœnam? Respondeo nasci ex eo, quod se gubernandum religioni tradiderit, & sub ea conditione à religione docetur, & sustentatur. Et præterea, quia Pontifex hanc iurisdictionem religioni concedit, vt sic perfectus nouitios probare possit: Et ita sentiunt Azor. *1. p. lib.* 12. *c.* 2. *q.* 10. Suarez tom. 3. de Religion. *lib.* 5. *cap.* 16. *nu.* 18. Sanch. aliis relatis *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 7.

6. Hinc deducitur nouitium violantem castitatem secluso scandalo non addere peccato nouam malitiam necessariò confitendam; quia nondum specialiter se adstrinxit ad castitatem seruandam sed est in via subeundæ illius obligationis. Et idem argumentum fieri potest de paupertate, & obedientia. Sic Suar. *d. lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 3. *& sequent.*

7. Secundò deducitur, non posse Prælatum regularem præcipere nouitio, aliter quam potest Prælatus Ecclesiasticus clericis sibi subditis proportione seruata: quia cum nouitius non subdatur Prælato regulari vi alicuius voti, solum subiici potest vi iurisdictionis Ecclesiasticæ à Pontifice concessæ. Vnde non poterit regularis Prælatus præcipere nouitio ea, quæ sunt de consilio, & religionis perfectione. Quia non perfectioni obseruandæ, sed probandæ, se tradit nouitius. Bene tamen potest præcipere, quæ potest Prælatus Ecclesiasticus sibi subditis;

subditis; quia religionis ingressu facti sunt nouitij personæ Ecclesiasticæ, & Prælatus regularis concessione Pontificis iurisdictionem Ecclesiasticam in illos habet. Suar.tom.3.de Relig. *lib.5.cap.16.num.18.*

8. Tertiò deducitur,nouitium delinquentem puniri posse à Prælato regulari non solum quando delinquit aduersus regulas, & constitutiones religionis, sed etiam quando delinquit in re grauissima, & pœna mortis digna. Quia Prælatus regularis iurisdictionem habet in foro externo non solum aduersus professos, sed etiam aduersus nouitios, quatenus partes sunt, & membra religionis ab omni alia iurisdictione exempta: Sic docent Suar. tom.3. de Relig. *lib.5.cap.16.num.* 18. Sanchez *lib.6.Decal.cap.*10. *numer.*10.11.& 12. Barbosa *2.p.allegat.*12.*num.*37.& *alij apud ipsos.* Dices nouitio impediri non posse liberum è religione egressum; quia à iure conceditur, cap. *statuimus de Regularibus cap.non solum eodem tit. in 6.*Ergo nouitius volens religionem deserere puniri non potest pœna carceris, aut alia pœna religionis egressum impediente.

Concedit Sanchez *dicto cap.*10. *num.*14. consequentiam,& fauet Sylvest. verbo *religio 5. q.* 7. Neque obinde delictum manebit impunitum; sed puniri poterit à iudice sæculari, vel Ecclesiastico,cui alias nouitius egressus è religione subditur. Verius tamen censeo,quod tradit Suar.*dicto cap.16. numer.*18. Posse inquam Prælatum regularem punire nouitium delinquentem, etiam egredi volentem pœna culpæ proportionata. Quia in illum iurisdictionem habet,à qua non erat conueniens eximi ob solam voluntatem egrediendi:daretur enim ansa nouitiis delicta committendi: Neque obstat ex hac parte impediri egressum; quia est per accidens, & ratione culpæ ab ipso nouitio commissæ. Posita verò sententia, & condemnatione delicti obligare potest Prælatus regularis nouitium, sub præcepto, & censuris ad illam subeundam; sicuti potest Prælatus Ecclesiasticus sibi subiectos, quia hæc obligatio in eadem iurisdictione fundatur. Sanch. *lib.6. cap.*10. *num.*17. An autem tempore nouitio possit pœnam exequēdam post religionis egressum non caret difficultate; quia eo ipsa cessat subiectio Prælatis regularibus. At verius censeo posse; quia est præceptum, sententia data subdito, quam acceptātam ipse propria authoritate fugere non potest; secùs esset si more religioso,& absque figura iudicij pœnitentia imponeretur; tunc enim cessaret eius obligatio, quia censetur imposita nouitio, quatenus religionis membro, & dum tale est: Sic Sanch. lib. 6. summ. *cap.*10.*num.*13.

9. Quartò deducitur quid dicendum sit de casuum reseruatione? an inquam nouitius obligatus sit illud decretum seruare, ita vt non possit alteri ab assignatis à superiore confiteri? Qua in re si religiosi audiunt confessiones ex iurisdictione concessa à Summo Pontifice, sed mediis suis Prælatis, vt fit in Societate Iesu potest Prælatus regularis confessariis à se designatis ita limitatam concedere iurisdictionem etiam comparatione nouitiorum, vt ad casus reseruatos non extendatur. Nam cum libet sit in hac concessione potest pro libito eam extendere, vel coarctare.Paul.Layman.lib.4.sum.*tract.5.cap.* 4.*num.*4.*verf.colligitur* 4.Suar.tom.4.de Relig *tract.*8.*lib.*2. *cap.*17. *num.*13. Verum si religiosi ex facultate ab ipso Pontifice immediatè concessa audiunt confessiones, ipsáque facultas generalis sit ad omnes fideles, sine dubio poterunt ex vi illius nouitiorum confessiones audire; quia verè sunt fideles. Neque ex reseruatione casuum facta pro religiosis manent excepti, cum verè religiosi non sint: Sic tanquam certum tradit Suarez *d.c.*17. *num.*12. Quapropter solum est difficultas; an virtute cruciatæ, aliorúmque priuilegiorum, quæ in fauorem præcipuè pœnitentium conceduntur possint absolui, sicut & alij sæculares. Item an possint absolui ab Episcopo, aliisque parochis, sicut alij fideles in eadem diœcesi; seu parochia manentes? Cui difficultati quoad primam partem attinet, affirmatiuè respondeo. Nam priuilegium bullæ generale est omnibus illam sumentibus; nullibi autem inueniuntur excepti nouitij, neque videtur conueniens excipi. Ergo gaudent illo priuilegio; ac proinde absolui possunt virtute cruciatæ, & ita tenet Suar.tom 4.de Relig.*tit.*8.*lib.*2. *cap.*16.*num.*10. Quoad secundam partem idem censent plures Doctores quia nouitius esto subdatur religionis Prælatis, nouumque domicilium acquirat,non censetur præcedens amittere, sed conseruare; ac proinde poterit ab habentibus iurisdictionem Episcopalem absolui, sicut antea poterat,cum sæcularis esset: Et ita Manuel. Rodrig. *tom.*1.*quæst.regul.q.*21.*art.*11.*indicat.* Sanch. lib.4. sum.*c.*37.*n.*18. At verius censeo oppositum, eò quod Pontifex eximens religionem à iurisdictione Episcoporum non solum professos, sed etiam nouitios eximere censetur; si quidem religio omnes hos comprehendit. Et licet hæc exceptio aliquo modo nouitiis præiudicet, absolutè fauorabilis est, vt benè expendit Suarez tom.4. de Relig. *tract.*8.*lib.*2. *cap.*17. *num.* 15.& 16.

PVNCTVM XI.

Quæ sint priuilegia nouitiis concessa.

SVMMARIVM.

1 *Satis est probabile omnia priuilegia concessa professis nouitiis communicari?*
2 *Possunt absoluere,& absolui à peccatis reseruatis.*
3 *Possunt dispensare, & dispensari in votis, & in præceptis ieiuniorum,& festiuitatum.*
4 *Lucrari possunt indulgentias aliis religiosis concessas.*
5 *Gaudent priuilegio canonis.*
6 *Item priuilegio fori.*
7 *Possunt ordinibus sacris insigniri.*
8 *A quo Prælato ordines suscipiendi sunt.*
9 *Exempti sunt à gabellarum solutione.*

1. SAtis probabile est omnia priuilegia religiosis professis concessa nouitiis communicari; quia esto propriè religiosi non sint, sunt tamen in via ad illud, & in communi acceptione sic appellantur; eáque de causa tanquam partes, & membra religionis numerantur. Sic Dominicus *c.religioso,* §. *quamuis num.3.de sentent.excommunicat.in 6.* Hentiq.lib.7. de indulgent.*c.*22.*num.*7. Molin.1.1.de iustit. *disp.*139. *vers. præter hos.* Azor.1.*p.instit.moral lib.*12.*c.*2.*q.*10. Sanch. lib. 4.sum.*c.*39 *n.*17.& *lib.*7.*c.*10.*in fine,n.*22. Suar.to.3. de Relig. *lib.*5.*c.*16.*n.*17.*fine,& tom.*4.*tract* 10 *lib.*9.*cap.*1.*n.*18. Sed vt clarius hæc communis doctrina innotescat, descendamus ad principaliora priuilegia religiosis concessa, & videamus breuiter, qualiter nouitiis competunt.

2. Primò possunt absoluere, & absolui à peccatis reseruatis, quia hoc priuilegium ferè omni religioni concessum est, & consequenter singulis illius partibus: specialiter concessum est Societati; vt constat ex compendio *priuileg.verbo absolutio*; & tradit Suarez de potestate passiua absoluendi tom.4. de Relig.*tract.*8. *lib.*2.*cap.*24.*n.*5.& *de potestate actiua tract.*10. *lib.*9.*c.*2. statim in princ. iunctis iis, quæ dixerat de potestate prædicandi, *cap.*1.*num.*18.

3. Secundò possunt dispensari, & dispensare in votis, sicut alij religiosi, de qua potestate, *superiori tract. disp.*2. diximus. Item præceptis ieiuniorum, & festiuitatum, sicuti possunt alij clerici sæculares à suis Prælatis; quia dum in probatione à Prælatis regularibus reguntur; & tradit Suarez tom. 4. de Relig. *tract.*8.*lib.*2. *cap.* 14.*num.*8. in irregularitatibus autem bene possunt sicut alij clerici à suis Prælatis ob rationem dictam. An verò possint dispensari ex priuilegiis concessis aliis religiosis? Verius est non. Quia regimini nouitiorum expediens non est hanc concedi dispensationem. Aliàs possent dispensari in ordinibus sumendis non seruatis interstitiis, aut extra tempora; & tradit Suarez *lib.*2.*cap.*14. *num.*9. Ex priuilegio autem Societatis concesso à *Paul.*3. verbo *dispensatio* §. 1. possunt nouitij dispensari super irregularitate, si quam incurrerent, eo quod excommunicati; aut suspensi, aut interdicti, aut in loco interdicto celebrauerint, aut ordines susceperint; solum requiritur, vt bona fide in nouitiatu existant, hoc est parati sint vota emittere: Sic Suarez *d. lib.*2. *c.*4.*à num.*6.

4. Tertiò lucrari possunt indulgentias aliis religionibus concessas;habetur compendio *priuileg. societatis verbo indulgentia in fine.*

5. Quartò gaudent priuilegio canonis, deciditur, cap.*religioso de sent.excomm.in 6.*

6. Quintò gaudent priuilegio fori,ne possint à iudice sæculari puniri,saltem dum in nouitiatu perseuerant,aliis relatis docet Azor.1.1.*p.instit.mor.lib.*12.*c.*2.*q.*20. Sanchez *lib.6. sum. c.*10 *n.*10 Barbosa *2.p.de potest.Episcop.alleg.*12.*n.*37.Farinac. *praxi.*1.*p.quæst.*8 *n.*46 *ampliat.*16.

7. Sextò possunt iuxta satis probabilem sententiam ordinibus etiam sacris insigniri; quia nullibi prohibitum est. Nam Text. *in cap. monasteriis* 19. *q.*3. qui à communi sententia in contrarium adducitur non de receptione ordinum, sed de professione loquitur, vt constat ex contextu; & tradit Suarez tom.5.de censur.*disp* 50 *sect.*5.*num.*13.& *tom.*3.*de Relig. lib.*5.*cap.*16.*num.*17.& *tom.*4.*tract.*8 *lib.*2.*num.*12.Sanch.lib. 6.sum *cap.*10.*num.*19.Layman.*lib.*4.*tract.*5.*cap.*4. *n.*5. *in fine.*Quod adeo verum est,vt Prælati illi regulares,qui potestatem habent conferendi ordines minores,possent ea nouitiis sui conuentus conferre, iuxta Textum *in cap. quoniam videmus* 1.69.*distinct.*& notauit Suarez tom.4. de Religione *tract.* 8. *lib.*2.*cap.*29.*à num.*12.

8. Solum est dubium à quo Prælato possint ordinibus sacris insigniri, vel dimissoriæ ad ordines conferri? Et quidem secluso speciali priuilegio Prælatus regularis in hac parte nihil potest, quia huiusmodi Prælatus solum habet in nouitios

iurisdictionem, quatenus ad finem probationis, & bonum nouitij regimen in via probationis necessarium est. At nullo modo est necessarium ad suptadictum finem, quod Prælatus regularis concedere possit nouitio dimissorias ad ordines, imò ex tali concessione si generalis esset non leuia inconuenientia euenirent. Ergo dixi *secluso speciali priuilegio*, quia Societati Iesu concessum est priuilegium, vt ex licentia suorum Prælatorum possint nouitij ordinibus insigniri sicut & professus; habetur verbo *communicatio* §. 5. & notauit Suarez tom.3.de Relig *lib.5. cap.16. num.17.* Sanchez lib.6. summ. *cap.* 10. *numero* 22. Vbi aduertunt satis probabile esse eam facultatem professis concessam ad nouitios extendi; tametsi in priuilegio expresè non extendatur. Vnum tamen debet esse certum, posse nouitium tum ab Episcopo originis ordinario, tum ab Episcopo sui domicilij. Variant tamen Doctores, an censendus sit Episcopus domicilij ille Episcopus loci, in quo monasterium residet, an ille in cuius diœcesi nouitius domicilium habebat. Suarez *dicto cap.16.num.17. & tom.2. de Relig. lib. 6. cap.* 12. *num.* 9. Verius censet esse Episcopum, in cuius diœcesi nouitius ante ingressum religionis domicilium habebat; quia assumptione habitus non mutauit priorem statum in statum religiosum. Ergo nec domicilium. Item quia nouitius dum in probatione existit, non habet animum firmum perseuerandi, & perpetuò in monasterio manendi, sed probandi, an sibi expediat. Cæterum probabilius censeo cum Sanch. lib.4. de voto *capit. 39. num.*20. & lib. 6. summ. *cap.*10.*num.*21. Layman. *lib.*4 *tract.*5 *capit.*4. *numer.*5. Episcopum loci; in quo monasterium existit esse Episcopum sui domicilij; quia verè nouitius assumptione habitus domicilium mutauit; siquidem absolutum animum habet perpetuò manendi, casu quo religio non displiceat: quod sufficit ad domicilij acquisitionem: omnibus enim denuo domicilium acquirentibus ea voluntas inest ibidem perpetuo manendi dum nihil aduersum euenit, aut commodiùs non occurrerit: & tradit idem Suarez sibi contrarius *tom.*4. *de Relig. tractat.*8. *libro* 2. *capite* 17. *numer.*14. *&* 15. Neque ad horum ordinum susceptionem facultas regularis Prælati necessaria est; cum in hac actione nouitius non ipsi; sed Episcopo subiiciatur. Verum esto necessaria non sit facultas; at decet maximè, vt consentiente Prælato regulari ordinatio fiat; aliàs præbet nouitius sufficientem causam, vt eum Prælatus à religione expellat, cuin in re tam graui eius consensum contempserit: Sic Sanch. lib.6. sum. *cap.*10.*num.*22.

9. Septimò videntur deobligati nouitij à gabellarum solutione; quia sunt verè personæ Ecclesiasticæ, & religiosæ, priuilegio canonicis, & fori gaudentes. Sic tradit Molina 3. tom.de iustitia *disp.*671.*n.*2.Gregor.Lopez *leg.*4.*tit.*7.*part.*1. *nu.*1.Sanchez *aliis relatis lib.*6. *cap.*10. *num.* 16. Layman.lib. 4.sum. *tract.*5. *c.*4. *num.*4.*vers.quia & aliis*, tametsi Lasarte de decima venditionis,*c.*19.*n.*50. Manuel Rodrig. *q.reg.to.*3. *quæst.*74. *art.*9.*& aliis relatis* Gutierr de gabellis *lib.*7.*q.*95. *numero* 29. Contrarium sentiant leui fundamento ductiquod bonorum suorum dominium retineant, ad sæculúmque redire possint. Quod certè non impedit, quin illa bona sint bona personæ Ecclesiasticæ, & religiosæ. Illud verò quod subdit Lasarte *d.n.*50.cui consentit Gutier. *dicta quæst.*95. *num.* 37. religiosos scilicet Societatis IESV non professos debere gabellam, si procurator monasterij eorum bona vendat, est omnino à veritate alienum, tum quia verè religiosi sunt, sicut professi, vt definiuit Greg.XIII. *in sua bulla Ascendente.* Tum quia esto bonorum suorum dominium retineant, non tamen vsum; cum non possint liberè, sed pro voluntate suorum superiorum disponere; & ita ipsemet Lasarte in addit. ad dictum *cap.*19. *num.*5. sententiam retractauit, vt benè notauit Sanch. *supr.*

PVNCTVM XII.

Qualiter nouitiatus peragendus sit, vt licita, & valida sit professio.

TOta difficultas est in explicatione *Textus in cap ad Apostolicam de Regularibus & in c. non solum. cap. constitutionem eodem tit. in 6. & in c.*15. Trident. *sess* 25. *de Regularibus.* In his enim cauetur neminem ad professionem admitti posse, nisi post annum probationis. Quocirca examinandum est primo an hic annus sit omnino necessarius, ita vt in nullo casu professio aliter facta valeat? Secundò; an debeat esse integer, & continuus? Tertiò à quo tempore computandus sit? Quartò an in monasterio, & cum habitu nouitiorum, aliisque circumstantiis sit peragendus.

§. I.

Sitne annus probationis simpliciter necessarius in omni religione.

SVMMARIVM.

1 *Annus probationis semper fuit necessarius ad licitam professionem.*
2 *Spectato Trid.est necessarius.ita vt nec renunciari possit.*
3 *Aliqui ab hoc decreto excipiunt coniugem matrimonio non consummato,sed non admittitur exceptio.*
4 *Alij excipiunt professum transeuntem ad aliam religionem. Sed reprobatur.*
5 *Excipiuntur commendatarij monasteriorum, qua capita sunt, ac primates ordinum.*
6 *Excipiuntur milites ordinum militarium.*
7 *Moniales ordinis B.Dominici in mortis articulo constituta.*
8 *Succedit monasterium in bonis sic professæ,tametsi alij contra sentiant.*

1. ANnus probationis semper fuit ad professionem necessarius, vt deciditur, *cap.ad Apostolicam de Regularibus*, ita vt illo omisso absque consensu tum nouitij, tum religionis professio nulla esset iuxta *cap.ad nostram, de Regularibus*, & tradit Suarez tom.3. de Relig. *lib.* 5.*cap.*12. *num.*4. Sanchez lib.5. summ.*cap.*4.*n.*19.*circa finem.* At ex consensu nouitij, & religionis iusta causa intercedente poterat annus probationis omitti, vt habetur, dicto cap. *ad Apostolicam de Regularibus.* Solum in religione minorum, & prædicatorum hæc renunciatio annalis probationis permissa non fuit *cap. non solum de Regularibus in* 6. & aliter admittentes suspenduntur ipso facto à receptione quorumlibet illius ordinis ad professionem, aliisque pœnis, quæ solent fratribus pro culpis grauibus imponi, subiiciuntur. Quod decretum post modum extensum est ad omnes religiones mendicantes, *cap.constitutionem eodem tit. & lib.* Verum cum in supradictis decretis non inueniatur irrita professio ex consensu nouitij, & religionis ante exactum probationis annum, asserendum est valuisse. Sed non obinde professi obligati manebant illi religioni, sed religioni in genere, vt colligitur ex d.cap *non solum*,& tradit Glossa,*ibi* verbo, *vestro* & *ex cap.constitutionem*,& ibi Glossa verbo *obligat.*Sanch.lib.5.sum.*c.*4.*n.*8.

2. At attento nouo decreto Tridentin. annus probationis ita ad professionem necessarius est in quacunque religione tam virorum, quam mulierum, vt illo omisso professio facta nulla sit, nullâmque inducens obligationem ad alicuius Regulæ, vel religionis, vel ordinis obseruationem, aut ad alios quoscunque effectus vt dicit Tridentin. Quæ verba indicant sanè excluſam esse renunciationem probationis annuæ permissam in cap. *ad Apostolicam de Regularibus.* Alias nihil nouum Tridentin. statueret, frustraneáque esset eius constitutio. Et ita tanquam certam in iudicando, & consulendo tradit Nauarr.*lib.*3. *consil. tit.de Regular.conf.*33.*in* 1.*edit.& conf.* 62.*in* 2.*num.*5.Manuel.2.tom.sum.*c.*6.*n.*10. *& tom.*3. *regul. quæst.q.*15.*art.*7.Azor.1.*p.instit.moral.c.*4.*q.*9.Suar. tom.3.de Relig.*li.*5.*c.*12.*fine n.*5.Sanch.lib.5.sum.*c.*4.*n.*19. Lessius *lib.*2. *c.*41.*dub.*7.*n.*59.Barbosa 3.*p.de potestate Episcop.alleg.*101.*nu.* 17.*&* 31.*Garcia n.p.de benef.c.*9.*n.*6.tametsi Lessius & Sanch. indicent contrarium esse probabile.Quod in praxi non credo, vbi concilium Trident.receptum est.

3. Difficultas est; an ab hac regula generali aliqui casus excipiantur? Primus excipi potest coniux, qui matrimonio non consummato ad religionem transit, qui certè intra bimestre videtur non solum posse, sed teneri profiteri, cap. *ex publico de conuersione coniugator.* Ne coniux in sæculo manens teneatur diu expectare matrimonij dissolutionem. Sed iure optimo hanc exceptionem communiter Doctores non admittunt, vt videre est apud Sanch. lib.2. de matrimon. *disp.*24. *num.*7. *& lib.*5. *sum.cap.*4. *num.* 11. Lessium *lib.*2. *cap.*41. *dub.*7.*num.*59.*in* 2. *edit.* Basilium Legionens. lib.9. de matr. *cap* 9 *num.*2.Ioan.Gutierr.de matrim.*cap.*54.*n.*11.Ratio est, quia Trident. generaliter loquitur, & nullum præbet fundamentum huius exceptionis.Neque ex cap *ex publico de conuers.coniug.*Colligitur. Nam illud bimestre non conceditur coniugi ad profitendum, sed ad deliberandum, an sibi expediat religionem ingredi, vt dicti Doctores firmant, ne videatur correctus Textus *in cap.ad Apostolicam de Regularibus.* Concedens probationis annum tum in fauorem nouitij, tum religionis. Adde esto bimestre ad profitendum concessum esset, censerem Trident.decreto correctum esse,cum nulla specialis ratio in coniuge reperiatur, ob quam debeat nouitiatus breuiari, imò ob statum matrimonij assumptum longioti indiget probatione. Quod si ante exactum annum probationis coniux habitum dimittat, aliámq; religionem ingredi velit,

cogi

cogi potest à iudice peremptorio termino constituto, vt in ea post nouitiatus annum profiteatur, vel ad coniugem redeat; eo quod videtur dolosè agere, & animo fugiendi coniugis consortium ex vna religione in aliam transire; Sic docent Sanch. aliis relatis lib.2.de matrimon.*disp.n.9.*Ioann.Gutierr. de matrimonio *c.54.n.3.* Basilius Legionensis *dicto cap.9.fine num.10.*

4. Secunda exceptio est de professis transeuntibus ad aliam religionem, qui cum iam satis religionis asperitatis experti sint, non videntur comprehendi sub decreto Tridentin. exigentis annum probationis, sed poterunt ex consensu ipsorum, & religionis professionem intra annum emittere: Sic docent Henriq. lib.13.de excomm *cap.40 num.2.in comment. littera O.* Sorbus *in compend. priuil. Mendicant.* verbo *nouitius post 2. notabilem §. sed an requiritur.* Verum hæc exceptio omnino reprobanda est, vt illam reprobant Nauarr. *lib. 3.consil.tit.de Regular.cons.49.& 53. in 1.edit.& cons.61.& 62.in 2.edit.* Azor.*lib.12.instit.moral.c.14. q.15.* Manuel Rodriguez *regul.quæst.tom.3.q.15.art.11.& tom.2.sum.c.6.n.11.* Nicol Garcia 11.*p. de benefic.c.9.n.7.*Sanch. lib.7. de matrim. *disp.37.n.47.* & lib.5 sum *c.4.n.12.* Ratio est manifesta; quia esto ille religiosus expertus fuerit religionis asperitates; at non illius religionis, quam denuò suscepit, & multò minùs ipsa religio mores ipsius religiosi. Nulla ergo ratio firma est, ob quam sub regula illa generali Tridentini non comprehendatur.

5. Tertia exceptio est de commendatariis monasteriorum, quæ capita sunt, ac primates ordinum, qui debent intra sex menses solemniter profiteri in illo ordine, aut commendæ cedere. Habetur expressè in Trident. *sess.25. c.21.de Regularibus*, & tradit Henriq.lib.13. de excomm.*c.40. nu.2. comm.littera O.* Sanch.aliis relatis lib.5.sum.*cap.4 n.15.* Gonzales *regul.8.cancell.Glossa 8.n.88.*

6. Quarta exceptio est de militibus ordinum Calatrauæ, Alcantaræ, D.Iacobi, & D.Ioannis, qui secluso proprio statuto possunt professionem facere non præmisso nouitiatus anno. Tum quia Tridentin. solum videtur comprehendisse religiosos in communi viuentes, strictam paupertatem, castitatem, & obedientiam profitentes, quales non sunt supradicti equites militarium ordinum. Tum quia ob eorum prærogatiuam, & obsequium, quod Ecclesiæ præstant, eam ab hostibus defendendo, non videntur comprehendi in decretis generaliter latis pro religiosorum reformatione, sed debet eorum fieri specifica mentio, & ita tradit referens esse decisum à sacra congregatione. Azor. *1.p. lib.13. c.4.q.2.*Nauarr.*lib.3. cons.tit. de Regularibus cons.23. n.10 in 1.edit & cons.10.n. 10. in 2.* Gonzal. *reg.8.*Cancell.Gloss.8.*à n.55.* Sanch. lib.7. de matrim. *disp.44.n.8. &* libr.5. summ. *cap.4.num.17.*Barbosa *in remiss. Concil. ad c.15. sess.25. de Regularibus.* Dixi secluso proprio statuto. Nam milites S. Ioannis statutum habent, ne possint professionem facere ante 16. annum completum, & an annum probationis exactum, vt testatur Sanch. & Barbosa *supra* & Flamin.*lib.6.de resignat.quæst.n.110.*

7. Quinta exceptio est pro monialibus ordinis B. Dominici, quæ possunt in mortis articulo professionem emittere ante expletum nouitiatus annum, si tamen expleuerint ætatis 16. Sic concessit Pius V. in quodam breui incipiente *summa Sacerdotij cura edito 23 Augusti 1570.* cuius tenorem ex Parasello refert. Manuel. Rodrig. *quæst.regul. tom.3 q.15. art.6.* testaturque non esse reuocatum à Gregor.13 in sua constitutione incipiente *in tanta.* Et consentit Thomas Sanch. lib. 5 sum *c.4.num.16.* Barbosa *3 p. de potestate Episc. alleg.101. num.53.* Ludouic Miranda. *tom.1.Man. Prælat.quæst.22. art. 10.* Mouentur quia solum reuocauit quæ ad statum, & regimen monialium Pius V. statuerat contra Trident. decreta. Hoc autem priuilegium non videtur statum, & regimen monialium spectasse; cum supponantur moniales statim ab statu huius sæculi discessuræ. Et præterea quia Gregor. solum videtur reuocasse priuilegia Pij V. forum externum spectantia. At hoc priuilegium non tam forum externum, quam internum spectat. Hæc sententia tanquam pia, & fauorabilis, & gratissimorum Doctorum authoritate firmata amplectenda est, tametsi rationes non sint adeo firmæ. Quid enim magis statum monialium spectare potest, quam professio, quæ statum ipsum constituit? Et quid forum externum magis respicere potest, quam priuilegium, quod absolutè absque limitatione fori interni concessum est, tametsi concessum sit pro consolatione animæ.

8. Subdunt tamen Man. Rodr. Ludouic.de Miranda, & Barbosa *locis allegatis.* Monasterium non succedere in bonis sic professæ decedentis in præiudicium venientium ab intestato. Quia Pontifex solum concessit hanc priuilegiatam professionem ad decedentium consolationem, ne meritò professæ carerent, indulgentiásque & iubileum lucrati possent, & non vt monasterium succederet, præcipuè cum hoc priuilegium non tam pro foro interno, quam externo concessum sit. Cæterum verius censeo cum Thom Sanch *l.5.sum.c.4. n.16.* Monasterium succedere, quia illo professio vera est, & Moniales sic decedentes verè professæ decedunt, sicuti si anno expleto professæ fuissent. Quod vero Pontifex non intenderit expressè in huius priuilegij concessione, quod monasterium succederet, in causa non est, quominùs de facto succedat quia monasterij successio non pendet ex fine, quo motus est Pontifex ad hoc priuilegium concedendum, sed ex ipsius priuilegij concessione, valoréque professionis emissæ.

§. II.

An probationis annus debeat esse integer, & continuus.

SVMMARIVM.

1 *Debet esse integer, & continuus.*
2 *Item completus de momento ad momentum.*
3 *In anno bissextili ille duplex dies computatur pro vno.*
4 *Debet esse continuus.*
5 *Tridentino priuilegium minorum computandi nouitiatum, ex duplici parte interpolatum reuocari videtur.*
6 *Qua interruptio sufficiat, vt nouitiatus discontinuetur.*
7 *De positio habitus animo mutandi statum interrumpit.*
8 *Item si è monasterio exeas animo fugiendi subiectionem.*
9 *Qualiter amentia, & furor interrumpant nouitiatum.*
10 *Debet nouitiatus cum professione continuari.*

1. DEbere annum probationis integrum esse manifestè colligitur ex Trid. *d. sess.23.c.15.de Regul.* Dicente nullam esse professionem illius, qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit. Qui verò ante completum, & integrum annum professionem emitteret, minore tempore quam per annum staret in probatione.

2. Dubium tamen est; an ad hanc integritatem necessariò requiratur, vt computatio fiat de momento ad momentum, vt si suscepisti habitum nouitiorum de prima Ianuarij hora sexta post meridiem, non possis anno sequenti ante illum diem, & horam profiteri? Negant graues Doctores asserentes sufficere diem esse incœptum: Sic Stephan.Gratian. disceptat.forens. *cap.413.num.22.* August. Barbosa *3.p. de potest.Episcop. allegat.101.num.22.* Et moueri possunt, quia in fauorabilibus dies incœptus pro completo habetur *leg. quæ ætate ff. de testam. & leg. in vsucapionibus ff. de vsucapionibus.* Sed nouitio fauor est, quod religioni aptus sit, & religioni, quod nouitium recipere possit. Ergo. Nihilominus censeo verius non sufficere diem esse inceptum, sed debere esse completum de momento ad momentum. Quia Trident. annum nouitiatus professioni præmittendum statuit, tum in fauorem religionis, tum religiosi; ne temerè, & inconsideratè religiosis obligaretur ad subeundas religionis asperitates, & religio ad regendum, & alendum religiosum, sed vterque maiori consideratione procederet. At quoties tempus aliquod designatur ad subeundam maturiùs, & prudentiùs obligationem completum esse debet; quia id fauor est, & beneficium: Satísque colligitur ex *leg.3.§.minorem ff.de minoribus*, ibi minorem adhuc dici vltimo die anni 25. donec hora natiuitatis decurrat, quia ante illam horam nondum compleuit 25.annos, sed à momento in momentum tempus expectari debet. Ergo similiter in nostro casu, in quo similiter agitur de obligatione subeunda firmiter absque remedio relaxationis. Secùs verò esset, si tempus designaretur non in fauorem, sed in odium, vt contingit, cum designatur tempus, quia ante illud non putatur qui satis idoneus ad actiones sibi vtiles, & honorificas, vt ad condendum testamentum, ad recipiendos ordines, & beneficia. Et ita requiri annum nouitiatus compleri de momento ad momentum tradunt Sanch.*lib.2.de matr.disp.24. num.22. & lib. 5.sum.cap.4.n.4.*Basil.Legion.lib.9.de matr. *cap.9. numer.6.* Lessius *lib.2.de iustit c.41.dub.7.num.59.* vers. *quarto.* Suar. tom.3.de Relig.*lib.5 c.15.num.1.*Eman.Rodrig.*tom.3. quæst. regul. q.15. art.4.* Nullo tamen modo necessarium est alium diem expectare, quia nec ex Trident. decreto, neque aliunde id colligitur, vt bene obseruant, Sanch. Basil. Suar. Rodrig. *supra.*

3. Hinc deducitur in anno bissextili illum duplicem diem computandum esse pro vno, ita vt si incepisti nouitiatum 24. Februarij, te non posse sequenti anno bissextili 24. Februarij priori emittere professionem, sed necessariò debere alterum 24.expectare. Tum quia in hac computatione regulariter tibi fauetur, vt maiori aduertentia, & consideratione religionem suscipias. Tum quia in computatione temporis communis sensus, & stylus obseruandus est, dum aliud non exprimitur. At constat in anno bissextili duplicem diem pro vno computari, bisque repeti, ergo sic computandus est: Et ita tenent in præsenti Sanch. *lib.2.de matrim disp.24. num. 22.* & lib.5.summ.*cap.4.nu.4* Eman.Rodrig.*tom.3.quæst.regul.q.15.*

art. 4. Lessius *lib.*2.*cap.*41.*dub.*6. *num.*59. Bonac. de Sacram. *disp.*8.*quæst.*vnica *punct.*5.*n.*15. Basil. Legio. *lib.*9. *c.*9.*n.*5. tametsi contrarium sentiant Sylvest. Henriq. Riccius, quos refert, & sequitur *Barb.alleg.* 101.*n.*20.

4. Addendum item est non solum integrum, & completum annum probationis expostulari, sed etiam continuum. Nam ex communi modo loquendi, quoties ex aliquo die designato tempus computandum est continuum debet esse; alias nihil in contractibus, & obligationibus certum, & determinatum esset, vt benè aliis relatis probant Gutierr. *can. quæst. lib...cap.*12.*q.*24. Anton. Gomez *tom.*3.*var.c.*1.*n.*3. Suar. tom. 3. de Relig. *lib.*4.*cap.*15.*num.*5. Sanch. *lib.*5.*cap.*4.*num.*31. Sed Trident. dicta *sess.*24.*c.*15.*de Regular.* A die susceptæ habitus annum probationis designat. Ergo continuus esse debet. Quod à fortiori procedit, quando hæc continuatio cedit in fauorem illius, ob cuius causam tempus designatum est vt in præsenti contingit; siquidem regulariter nouitio, & religioni fauorabilius est, vt probationis annus continuus sit, quam interpolatus: Sic enim exactiùs nouitius religionis asperitatem probat, & religio nouitij mores, & ita tradunt pluribus relatis Sanch. *lib.*5. *sum.cap.*4.*num.*31. Suar. *tom.*3.*de Relig.lib.*5. *cap.*15.*num.*3. Lessius, *lib.*2.*c.*41. *dub.*7.*n.*59. August. Barbosa 3.*p de potest.Epis.alleg.*101.*num.*23. Ludouic. de Mirand. 1.*p.* Man. *Prælat.quæst.*2.*art.*4.*concluf.vni.*

5. Subdit tamen Man. Rodrig. *tom.*3.*quæst. Reg.q.*15.*art.* 8. Ex priuilegio Iulij 2. religioni minorum concessum esse, vt nouitiatus compleri possit ex duplici parte interpolata, neque per Trident. hoc priuilegium reuocatum esse, sed illo vti posse tum religionem minorum iusta causa intercedente, tum reliquas religiones communicantes in priuilegiis. Quia Trident. solum expresse perit integrum nouitiatus annum; quod vero debeat esse continuum sub opinione positum est; relinquit ergo locum priuilegio. Cæterum veriùs censeo cum Sanch. *lib.*5.*sum.c.*5. *numer.*35. Hoc priuilegium Trident. decreto reuocatum esse. Quia si hoc priuilegium firmum persisteret, ferè nullius vtilitatis esset Trident. decretum statuens iuxta communem sententiam nouitiatum debere esse continuum, cum omnes penè religiones illo vti possent ob priuilegiorum communicationem eis concessam.

6. Difficultas autem est, quæ interruptio sufficiat, vt nouitiatus annus discontinuetur? Nauarr. *lib.*3.*consil.tit. de Regular. cons.*32.*aliàs* 42. Triduanam interruptionem dicit esse sufficientem, tacitè insinuans minorem esse insufficientem, eâq, de causa *cons.*33. *aliàs* 45. Dixit nouitium breui tempore latitantem in monasterio animo fugiendi non interrumpere nouitiatum; quia fuit interruptio momentanea, & non considerabilis. Et Lessius *lib.*2.*cap.*41.*dub.*7.*n.*59. Dixit paucorum dierum interpollationem nouitiatum non impedire, quia non est moralis interruptio, neque impedit, quominus nouitius religionis asperitates experiatur, & religio nouitium.

7. Sed dicendum est depositionem habitus absque animo mutandi statum non interrumpere probationem benè tamen depositionem habitus perfectam quantumuis breuissimam animo relinquendi statum assumptum. Ratio vtriusque partis est, quia illa est vera, & propria interruptio status, qua cessat status assumptus, sed ex sola depositione habitus absque animo mutandi statum non cessat status probationis assumptus, aliàs cessaret, si deponeres habitum, ludi, fornicationis, alteriusve peccati causa liberiùs committendi. Ergo ex hac dispositione non interrumpitur nouitiatus. Econtra verò cessat status probationis, si habitum dimittas animo relinquendi viam incœptam, seu fugiendi obedientiæ iugum: Si quidem nouitiatus consistit in assumptione habitus animo religiosam vitam experiendi: Et ita tenet Suar. *tom.*3.*de Relig.lib.*5. *cap.*15.*à n.*5. & seq. & ex parte consentit, Sanch. lib. 5. sum. *cap.*4.*n* 32. & 33. Debet tamen hæc dimissio habitus esse perfecta, vt censearis ab statu nouitij recedere: quod dixerim propter duplicem casum probabilem à Suar. *lib.*5. de ingressu religionis *cap.*15.*n.*7. adductum in quibus non videtur esse dimissio perfecta, & completa; videlicet si Prælatus vouens dimittere nouitium, habitu religioso illum exueret, & sæculari indueret, & antequam à monasterio expelleret, sententiam mutasset. Idem si nouitius animo relinquendi statum, & à monasterio fugiendi latitaret sæcularibus vestibus indutus, & antequam fugeret, pœnituisset, non censetur plenè, & perfectè statum deserere. Quia hæc desertio in his casibus monasterij egressu consumari debebat.

8. Deinde dico te interrumpere nouitiatum, si è monasterio exeas animo fugiendi subiectionem, tametsi habitum non dimittas; quia nouitiatus non tam consistit in materia illa habitus deportatione, quam in animi, & corporis præparatione, vt religio tuos mores probet, & tu religionis asperitates. Quæ præparatio cessat eo egressu, & probatio redditur impossibilis. Ergo nouitiatus interrumpitur.

9. Sed quid dicendum de furore, & amentia; an valeat interrumpere nouitiatum? Et quidem si amentia breui tempore duret, qualis esse solet ex aliquo morbo excitata, omnes conueniunt praxi ipsa testante nouitiatum non interrumpi, nec suspendi. Quia in communi hominum æstimatione reputatur, ac si eo tempore dormiret. At si amentia extraordinaria esset, vt si per mensem duraret, censet Sanch. *lib.*5.*sum.c.*4.*num.* §§ nouitiatum non interrumpi, sed suspendi, ac proinde repetendum non esse, sed supplendum tempus amentiæ. Quam sententiam quoad priorem partem censeo veram. Non enim videtur posse nouitiatus interrumpi, quin status religionis inchoatus cesset, at cessare non potest nisi ex voluntate nouitij, vel Prælati, cum ex vtriusque voluntate fuerit celebratus ingressus. Ergo horum voluntate cessante, vt verè cessat, nouitiatus interrumpi non potest. Posito autem, quod nouitiatus non sit interruptus, mihi difficile est illud tempus computandum non esse. Quia consilium solum expostulat ad professionem integrum nouitiatus annum, at ex amentia nec nouitiatus soluitur, nec discontinuatur. Ergo tempus amentiæ necessariò computandum est. Neque obstat eo tempore nec nouitium posse religionem probare, nec religionem nouitium. Quia id prouenit ex quodam accidenti extrinseco, & non ex statu, sicut si nouitius ex voluntate superioris nauigaret, vel fortuito captiuus existeret, non obinde videtur nouitij status suspendi, esto non possit religionis asperitates probare, neque religio ipsius mores. Quapropter eo casu amentiæ non suspenditur probationis status; benè tamen illius vsus, & exercitum, quia illa passiua nouitij exercitatio à superiore virtualiter approbatur, seu toleratur.

10. Maior dubitatio est; an nouitiatus continuatio debeat esse vsque ad professionem? Negant Sylvester verbo *religio* 5. *q.*4. Gregor. Lopez *leg.*3. *tit.*7. *part.*1. Rodrig. *tom.*3.*q.reg.q.* 15.*art.*10 *ad finem.* Sanchez plures referens *lib.*5.*summ.cap.*4. *numero* 34. Quia nullibi cauetur hæc cum professione continuatio. Quocirca si nouitius expleto integro nouitiatus anno nollet profiteri, sed religionem deferat, vel ipsa religio eum expellat; quia non putauit satis idoneum, si postea ipse pœnitentia ductus ad religionem redeat, vel ipsa religio consilium mutans illum velit recipere, professio (inquiunt dicti Doctores) validè, & licitè concedi poterit, dummodo res tum ex parte religionis, tum ex parte nouitij non sint notabiliter mutatæ. Cæterum veriùs credo debere nouitiatum cum professione continuari, neque posse nouitium dimissum à religione, aut ipsum religionem dimittentem profiteri, quin denuo integrum nouitiatus annum peragat. Quia prior habitus susceptio, & probatio dimissione extincta fuit, nec consilium ad professionis valorem integrum annum post susceptum habitum in probatione requirit: Ergo post illam secundam susceptionem integer annus probationis esse debet, & ita tenet latiùs probans. Suar. tom. 3. de Relig. *lib.*5 *c.*15.*à n.*8.*vsque in finem.*

§. III.

A quo tempore nouitiatus computandus est.

SVMMARIVM.

1 *Computatur ab eo puncto, quo habilis nouitius ad probandam religionem admittitur, & religio nouitium probare intendit.*
2 *Debet esse in ætate pubertatis.*
3 *Hoc non est à Trident. immutatum.*

1. CErtissimum est ab eo tempore computandum esse nouitiatum, à quo nouitius habilis, & in legitima ætate constitutus à legitimo superiore admittitur ad religionis difficultates probandas: quia in hac legitima admissione consistit religionis ingressus: ea enim futurus religiosus cum religione conuenit, vt ipse religionem probet, & religio ipsum. Sic Suar. *tom.*3.*de Relig. l.* 5. *cap.*3. *num.*6. Neque obstat huic religioni Trid. *sess.*25.*c.*15.*de Regularibus.* Quatenùs vetat nullius professionem fieri nisi per annum post susceptum habitum in probatione steterit, tacitè indicans probationem à susceptione habitus incipere, neque antea incipere posse. Non inquam obstat, quia Trident. loquitur de ingressu in nouitiatum prout communiter contingit, non tamen secundum quod absolutè fieri potest: Certum enim est quoties quis ad probationem admittitur habitu illius religionis pro nouitiis destinato indui, non tamen tolli quin admitti possit absque mutatione proprij habitus, & sine illius religiosi habitus susceptione. Consilium autem enumerauit probationis initium à signo illo clariori frequenter contingenti, esto non simpliciter, & absolutè necessariò.

2. Dixi ab eo tempore nouitiatum computandum esse, à quo nouitius habilis, & in legitima ætate constitutus à legitimo superiore admittatur, vt satis indicarem ætatem aliquam determinatam esse ad nouitiatum peragendum. Quæ autem hæc sit? Communis sententia testatur esse puberratem completam, nempe in viris 14. & in fœminis, 12. completos annos,

annos, neque malitia suppleri ætatem: Sic tenet Gloss. *clem. fin. de Regular.* verbo *ætate per textum ibi* Sylvest verbo *religio* 2. *quæst.* 12. & *religio* 3. *quæst.* 2. & *relig.* 5. *quæst.* 1. Gregor. Lopez *leg.* 3. verbo *vn. anno titul.* 7. *part.* 1. Sanchez aliis relatis lib. 5. summ. *cap.* 4. *num.* 22. Quia ante pubertatem nemo censetur idoneus ad religionis asperitates probandas, præcipuè quæ votum castitatis respiciunt. Neque obstat, quod ante illam ætatem quis recipiatur ad religionem, quia recipitur legitima ætate probandus.

3. Solùm est dubium, an Trident. decreto hoc immutatum sit. Nam ex illo videtur colligi probationem incipere non posse ante 15. annum completum, siquidem Trident. *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regularibus*. Statuit neminem ad professionem admitti posse ante 16. completum annum, & præmisso integro novitiatus anno, *& cap.* 16. decernit, vt finito tempore novitiatus superiores novitios, quos habiles inuenerint, ad professionem admittant, aut è monasterio eiiciant. Supponit ergo consilium omnes finito novitiatus anno in legitima ætate ad professionem esse debere, siquidem admittendi sunt, vel eiiciendi, si aliàs habiles, vel inhabiles existunt; ob solum enim defectum ætatis eiici non deberent: Sic videtur sentire Sylvest. verbo *religio* 5. *quæst.* 3. Angel. *verbo novitius quæst.* 7. Cæterum verius censeo ex Trident. decreto non mutari novitiatus statum. Nam esto Trident. disponat finito novitiatus anno novitios ad professionem admitti, vel è religione eiici, hoc subintelligitur, nulla legitima causa intercedente differendi professionem, vt multis comprobat. Rodrig. *tom.* 3. *regul. quæst.* 47. *art.* 10. *&* 20. & *tom.* 2. *sum. cap.* 8. *num.* 3. Sanchez lib. summ. *c.* 4. *n.* 21. Quando autem novitius annum 16. non compleuit, legitima causa adest professionem differendi, sicuti adesset, si morbo aliquo laboraret, vel in probatione non satisfeciisset: Sic tenet Nauarr. *lib.* 3. *consil. tit. de Regular. cons.* 20. *aliàs* 30. *num.* 1. Azor. 1. *p. lib.* 12. *c.* 4. *quæst.* 9. Rodrig. *tom.* 3. *quæst. regular. quæst.* 15. *art.* 2. Sanchez aliis relatis lib. 5. summ. *cap.* 4 *numer.* 22. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 7. *n.* 59. *in principio*. Suar. to. 3. de Relig. *lib.* 5. *c.* 13. *n.* 8. Barbosa 3. *parte de potestate Episcop. alleg.* 101. *n.* 31. *& alij.*

§. IV.

Quæ conditiones seruandæ sunt vt nouitiatus legitimè fiat.

SVMMARIVM.

1 *Debet esse mutua traditio inter religiosum & religionem, vt se inuicem probent.*
2 *Non est necesse fieri hanc probationem in monasterio.*
3 *Non per quemlibet è monasterio furtiuum egressum, & vagationem cessat nouitiatus.*
4 *Bene potest esse nouitiatus absque habitus nouitiorum gestatione.*
5 *De triplici conditione quæstio esse potest. Prima de mutuo consensu, & traditione. Secunda de probatione ipsa in monasterio. Tertia de gestatione habitus religionis assumendæ.*

1. PRima conditio omnino necessaria est nouitiatui, imò in ea solum essentia nouitiatus consistit, vt ex §. præcedenti, num. 1. colligitur. Dispositus enim nouitius esse debet à religione probari: Sic tanquam aptus admittendus, vel ineptus repellendus, religióque illum admittere debet, vt difficultatibus, & austeritatibus illis probatis liberè eligat religiosum statum, si sibi expedire iudicauerit. Quod adeo verum esse censeo cum Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 14. *à num* 5. Vt quoties ex parte nouitij, vel religionis cessauerit hic consensus, & dispositio probandi, probationis status omnino cesset. Cessat autem hæc voluntas, & dispositio eo ipso quod nouitius ad professionem admittitur, esto inualidè admissus fuerit. Quia professionis admissione cessat religio à libera nouitij probatione, siquidem illum tanquam probatum admittit, & nouitius cessat à religione probanda, credens egredi ab illa non posse. Quæ statui probationis omnino repugnant.

2. Secundam conditionem de probatione in monasterio non desunt Doctores, qui dicant necessariam esse; quia aliàs non valebit nouitius asperitates religionis experiri; neque religio nouitij mores: Sic tenet comparatione monialium Rodrig. *tom.* 3 *quæst. regul. q.* 15. *art.* 10. *circa finem.*

Cæterum omnino tenendum est, nouitiatum peragi posse extra monasterium de licentia superioris; quia ad nouitiatus essentiam sufficit si nouitius ex vi suæ voluntatis regi, & gubernari à superiore paratus sit. Quod extra monasterium præstare potest, tametsi nullam religionis asperitatem experiatur, vt contingit in eo, qui immediate post habitus susceptionem in lectulum decidit, nullúmque religionis speciale exercitium fecit, sed non obinde desinit esse nouitius, quia esto nouitiatus institutus sit, vt nouitius religionis difficultates experiatur, & religio mores nouitij, & ad huiusmodi finem conueniat, vel necessarium sit vitam degere in monasterio; quia tamen hæc actualis, & exacta experientia non præcipitur, ea de causa ad nouitiatum simpliciter necessaria non est, & ita tenet ex decisione Cardinalium Nauarr. *lib.* 3. *cons. tit. de Regular. cons.* 41. *& cons.* 42. *alias* 31. Azor. 1. *p. lib.* 12. *c.* 2. *q.* 8. *fine* Lessius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 7. *nu.* 59. Suar. tom. 3. de Relig. *lib.* 5. *c.* 14. *n.* 13. Sanch. lib. 5. sum. *c.* 4 *n.* 27. *&* 28 Barbosa 3. *p. de potest. Episcop. alleg.* 101. *num.* 27. *& plures apud ipsos.*

3. Maior difficultas, si extra monasterium nouitius vagetur absque licentia superioris præcipuè habitu dimisso, an eo ipso eius nouitiatus cesset? Nauarr. Azor, Lessius, Sanch. Barbosa, aliique communiter supponere videntur. Siquidem dicunt ea ratione non cessare nouitiatum, cum extra monasterium de licentia Abbatis nouitius degit; quia fictione iuris in monasterio degere censetur, cæterum dicendum existimo non per quemlibet è monasterio egressum, & euagationem nouitiatum cessare, nisi fortè fiat cum animo dimittendi subiectionem, vel nisi vagatio ita diuturna sit, vt moraliter vera dimissio, & desertio subiectionis intelligatur: Sic docet Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *c.* 14. *num.* 14. & constat ex dictis *suprà* §. 2. Ratio est quia exiens furtiuè à monasterio animo implendi libidinem, & non animo dimittendi subiectionem paratus, & dispositus es corripi, & puniri si deprehendatis. Ergo ex illo egressu nouitiatus non cessat, cum non cesset voluntaria subiectio, & punitioni ferendæ dispositio.

4. Tertia conditio de habitus nouitiorum gestatione in religionibus habitum proprium habentibus, specialem difficultatem habet. Tum quia est speciale religionis, indiciũ specialisq; illius asperitas. Tum quia Trident. professionem irritat illius, qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit. Suscipitur autem habitus, vt gestetur. Ergo illius gestatio est omnino necessaria: Sic docent Gloss. *c. fin.* verbo *habitus* 17. *quæst.* 2. *& c. super eo de Regular.* Sylvest. verbo *religio* 5. *q.* 5. Azor. 1. *p. lib.* 2. *c.* 2. *q.* 9. Sanch. *c.* 4. *num.* 29. Lessius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 7. *nu.* 59. *vers.* 3. Ludou. Mirand. *in manu prał.* 1. *p. q.* 22. *art.* 6. *concl. vnica* Barbosa 3. *p. de potestate Episc. alleg.* 101. *num.* 29. & alij apud ipsos. Nihilhominus verius censeo cum Suar. tom. 3. de Relig. *lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 10. 11. 12. *&* 15. *fine.* Non esse hanc habitus gestationem de nouitiatus substantia. Nam vt §. 3. relinquitur probatum admitti quis potest ad nouitiatum, quin sæcularem habitum mutet, *c. constitutionem de Regularibus in* 6. Et semel admissus potest incidere in lectum, & sic toto nouitiatus anno perseuerare, quin habitum regularem induerit. Ergo gestatio habitus regularis non est de substantia nouitiatus. Deinde hæc habitus gestatio esse potest necessaria, vt nouitius hanc religionis asperitatem experiatur, vel vt à sæcularibus, & professis illius religionis distinguatur. Sed ex neutra harum rationum requiritur, ergo necessaria non est. Et quidem ob experiendam illam asperitatem expostulari non potest; siquidem satis commune est apud Doctores non esse opus nouitio omnes religionis asperitates experiri, sed sufficere si sub obedientiæ iugo existat, vt tenent aliis relatis. Nauarr. *lib.* 3. *consil. tit. de Regularibus cons.* 42. *aliàs* 32. Rodrid. *tom.* 3. *qq. regul. q.* 15. *art.* 10 Sanch. *lib.* 5. *sum. c.* 4. *n.* 28. *&* 82. Suar. to. 3. de Reli. *li.* 5. *c.* 14. *n.* 13. 14. *&* 15. Ob distinctionem autem à sæcularibus, & à professis illius religionis minus requiri potest. Quia à sæcularibus aliis pluribus viis distingui potest, quam habitus regularis gestatione, præcipuè cum tritum prouerbium sit habitum non constituere monachum, sed professionem. A professis verò frustranea est distinctio. Tum quia in pluribus religionibus nulla est nouitiorum, & professorum in habitu distinctio. Et esto aliqua esset, potest nouitio honoris causa habitus professorum concedi, quin professio concedatur, neque obinde nouitiatus cessabit.

PVNCTVM XIII.

An nouitiatus in Societate IESV diuersam conditionem habeat à nouitiatu aliarum religionum.

SVMMARIVM.

1 *De conditione ætatis nulla est in Societate diuersitas.*
2 *Integer annus requiritur, nec aliter valet professio, nec incorporatio per vota biennij.*
3 *Ex constitutionibus alius additur.*
4 *Potest in eo Præpositus Generalis dispensare ad professionem, ad vota tamen Scholasticorum dubium est.*
5 *Resoluitur posse.*
6 *An Prouincialis possit admittere nouitios ad vota Scholasticorum*

laſticorum biennio non expleto ? Proponitur dubitandi ratio.

7 *Nullo modo videtur poſſe.*

8 *Probatio nouitij fieri poteſt extra monaſterium de Prælati licentia.*

9 *In ſæculari habitu probari nouitius poteſt.*

1. REſoluitur huius difficultatis clarè innoteſcet expendendo conditiones generales nouitiatui requiſitas. Dictum igitur eſt ætatem ad nouitiatum requiſitam eſſe pubertatem completam ; in quo nulla eſt diuerſitas pro nouitiatu Societatis: Siquidem nullus infra quatuordecim annos ad Societatis probationem recipi poteſt, vt habetur 1.*p. conſtitut. cap.* 2. §. 12.*& c.* 3. §. 15.*& littera* K. Et licet Præpoſitus generalis poſſit aliquem nondum complentem pubertatem ſub regimine nouitiorum admittere, ſicuti poſſunt Prælati aliarum religionum impuberes inducere habitu regulari ; at quouſque pubertatem compleat, verus nouitius non eſt, nec verum nouitiatum vtilem profeſſioni, ſeu incorporationi conſtituit. Quia in hac parte nullum ſpeciale priuilegium Societas habet contra ius commune, neque expediebat habere ; ſupponit Sanch. *lib.* 5. *ſum. c.* 4. *n.* 12. *iuncto n.* 20.

2. Secundò diximus requiri integrum annum, neque aliter validam eſſe profeſſionem. Idem prorsùs in Societate requiritur ; non ſolum pro emittenda profeſſione, de quo nulla poteſt eſſe dubitatio ob deciſionem Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. *de Regularibus*, omnium religioſorum in communi viuentium profeſſionem comprehendentis, ſed etiam pro emittendis votis biennij : Nam cum hæc verum religioſum conſtituunt ; eáque emittens quantum eſt ex parte ſua perpetuò religioni ligatus ſit, integer annus probationis ad illum ſtatum præmittendus eſt : conſilium enim hunc annum probationis profeſſioni præmittendum ſtatuit, ne abſque debita conſideratione, & diligenti inueſtigatione quis ligaretur ſtatui religionis ita arduo, & difficili abſque ſpe retrocedendi. Quæ ratio in incorporatione Societatis per vota biennij locum æquanimiter habet : Et ita tradit expreſsè Suar. *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *c.* 4. *& lib.* 3. *c.* 6. *numer.* 3. Sanch. lib. 5. ſumm. *cap.* 4. *num.* 20. *fine.*

3. Præter hunc annum probationis alius additur à Societate, vt conſtat ex *cap.* 1. §. 12. *exam.* ibi antequam quis admittatur ad profeſſionem, vel ſimplicia vota biennium integrum ad probationem habebit. Idem traditur, *c.* 4 §. 16. *&* 4. *p. conſtitut. cap.* 3. §. 3. & conceſſum fuit à Paulo IV. & Iulio III. Gregor. XIII. in ſua conſtitut. *Aſcendente Domino.* Vbi dicit hanc longam probationem in Societate ſtatuiſſe, quia miniſteria Societatis viros diu probatos, & in ſolidis virtutibus fundatos requirunt. Quod ſi exacto probationis tempore, ſcilicet biennio contentus quidem nouitius eſt, & exoptat ſic adprofeſſionem, vel in coadiutorem, vel in Scholaſticum admitti : Verum dubitaret Societas de ipſius talento, vel moribus, ſecurius erit in alium annum, vel tempus quod videbitur id prorogari, donec vtrique parti plenè in dominio ſit ſatisfactum : Sic deciditur, *exam. gen. cap.* 4. *num.* 43.

4. Difficultas igitur eſt, an Societatis Præpoſitus generalis admittere poſſit ad profeſſionem, vel ad votum coadiutorum formatorum, vel Scholaſticorum nouitium non expleta biennij probatione, expleto tamen integro probationis anno? Et quidem de admiſſione ad profeſſionem nulla eſt difficultas cum 5. *p. conſtitut. c.* 1. § 3. *littera C.* Concedatur Præpoſito generali contrahendi biennij facultas, quam explicans *congregatio* 5. *generalis canon.* 10. intelligit de contrahendo biennio in ordine ad profeſſionem. Et hinc ſumitur ratio dubitandi, quod Præpoſitus generalis non poſſit ad vota Scholaſticorum, aut coadiutorum formatorum aliquem admittere in expleto probationis biennio, inquit enim *congregatio* 5. *decreto* 9. In nullo caſu exercere liceat facultatem illam diſpenſandi in contrahendo biennio ſpatio, ad hoc vt quiſpiam ante expletum biennium cenſeatur verus religioſus, & Scholaſticus approbatus per emiſſa vota ſimplicia Scholaſticorum Societatis, quam facultatem concedit declaratio conſtitut. *p.* 5. *c.* 1. *littera C.* Neque hæc reſtrictio dictæ declarationi repugnat, vt notatur *decreto* 50. Tum quia facultas diſpenſandi ; quæ in ea conceſſa eſt, poſſit aliquem effectum habere, ſatis eſt, ſi exerceatur in contrahendo tempore biennij ad profeſſionem in caſu aliquo emittendam. Tum etiam quia nunquam videtur euenire poſſe, vt opus ſit illud contrahere ad admittendum in gradu Scholaſticorum, & coadiutorum.

5. Cæterum omnino dicendum eſt poſſe validè Præpoſitum generalem admittere ad vota coadiutorum, vel Scholaſticorum nouitium non expleto biennio ; tametſi ea admiſſio illicita eſſet ; Sic docent expreſsè Sanch. lib. 5. ſum. *cap.* 4. *nu.* 20. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 2. *c.* 4. *num.* 9. *& lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 11. Ratio eſt manifeſta, nam conſtitutio 5. *p. conſtitut. c.* 1 *lit. C.* biennium Præpoſito generali contrahere iuſta cauſa intercedente permittitur. At in *decret.* 9 10. *&* 50. *congreg.* 5. Hæc poteſtas non adimitur, ſed ſolum vſus prohibetur. Tum quia congregatio non vtitur verbo *non poſſit*, ſed verbo *non liceat.* Tum quia in dicto *decreto* 9. expreſsè inquit congregatio ſe non intendere dictam facultatem Præpoſito generali abrogare, ſed ſolum facultatis vſum prohibere, & idem tradit *canonic.* 10. Si de facto Præpoſitus generalis illa facultate vtatur & ante expletum biennium admittat nouitium ad vota Scholaſticorum, vel coadiutorum, validè admittet, tametſi illicitè faciat. Quod ſi roges, quare congregatio permittit contrahi biennium ad profeſſionem, & non ad vota Scholaſticorum ? Facilè reſpondetur ; quia in profeſſione occurrere caſus neceſſitatis poteſt, ſecùs in votis Scholaſticorum. Poteſt enim occurrere, neceſſitas inhabilitandi nouitium ad maioratum. Item poteſt eſſe nouitius ita eximiæ doctrinæ, & probatæ virtutis, nobilitatis ingenitæ, & ætatis ita maturæ, vt merito concedi poſſit, & debeat iuxta noſtras conſtitutiones profeſſio ; poterit ergo in illo caſu biennium contrahi, vt ſic eius ingreſſus in ſocietatem facilior reddatur. Quæ rationes in admiſſione ad vota Scholaſticorum, & coadiutorum, vtpote frequentiori, & paſſim occurrenti non procedunt : ac proinde diſpenſatio in hac admiſſione interdicta eſt ; conceſſa tamen in admiſſione ad profeſſionem.

6. Maiorem mihi difficultatem infert, ſi de facto Prouincialis ex conſenſu nouitij ante biennium expletum admittat ad vota Scholaſticorum illa admiſſio valida ſit, eſto grauiter peccet ? Ratio difficultatis ea eſt, quia ex vi iuris communis ſolus integer annus probationis ad profeſſionem, ſeu ſtatum religioſum aſſumendum requiſitus eſt. Ex vi autem iuris ſocietatis non eſt biennium eſſentialiter requiſitum, cum de facto à Propoſito generali minui poſſit. Ergo Prouincialis ad vota Scholaſticorum aliquem admittens, non expleto biennio validè admittit. Nam eſto poteſtatem non habeat contrahendo biennio, inde non videtur inferri inualidam eſſe admiſſionem, cum fiat ab eo qui poteſtatem habet admittendi ; ſed ſolum eſſe illicitam, vtpote ante tempus legitimum factam. Quod credo exemplo matrimonij manifeſtari poſſe. Parochus enim, ſeu quilibet alius clericus, cui eſt conceſſa facultas aſſiſtendi matrimonio præmiſſis denuntiationibus, ſi matrimonio aſſiſtat denuntiationibus non præmiſſis validè, eſto illicitè aſſiſtit, quia denuntiationum omiſſio non tollit clerico facultatem aſſiſtendi ; cum non ſit matrimonio eſſentialis, quamuis impediat eius legitimum vſum. Similiter ergo poterit Prouincialis validè admittere ad vota Scholaſticorum biennio non expleto ; quia diminutio biennij non videtur tollere eius poteſtatem, ſiquidem ex vi conſtitutionum, vt rectè expendit Suar. *tom.* 4. *de Relig. tractat.* 10. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 9. biennium non eſt incorporationi Societatis neceſſarium, & nullibi habetur poteſtatem Prouincialibus conceſſam ad vota Scholaſticorum admittenda alio modo reſtringi ex diminutione biennij, quam biennium eſt neceſſarium. Deinde concedo nullomodo poſſe Prouincialem diſpenſare, ſicut nec generalem in contrahendo biennio ad vota Scholaſticorum. At ſicut generalis ſi de facto ante biennium admittat nouitium ad hæc vota, validè admittet, ſic Prouincialis debet cenſeri validè admittere : Et ita videtur ſentire Suar. *dict. c.* 4. *num.* 9. Vbi poſtquam probauerat biennium non eſſe neceſſarium, ſubdit. Igitur non dubito, quin ſi Prælatus habens poteſtatem in Societate, admitteret nouitium poſt integrum probationis annum, & ante expletum biennium ad aliquem gradum, eius admiſſio, & vota eſſent valida, etiamſi fortaſsè Prælatus in eo malè ageret, quia nulla eſt lex irritans factum. Vt autem intelligas de aliis Prælatis inferioribus à generali loqui, ſubiungit ſtatim. Certum eſt etiam præpoſitum generalem ex iuſta cauſa poſſe in hoc diſpenſare, tametſi Prouincialis non poſſit. Ex qua doctrina conſequenter videtur dicendum, ſi Prouincialis credens inuincibiliter nouitium expleuiſſe legitimi nouitiatus biennium, cum tamen ſolum integrum annum legitimè expleuerit, eo quod in alio habuerit impedimentum, & ad ſocietatem per vota admittat, valida erit admiſſio, vtpote ab habente poteſtatem conceſſa, & nullibi irritata, & ex alia parte excuſabitur à peccato ob ignorantiam inuincibilem.

7. Verum non audeo hanc probare ſententiam, ſed potiùs exiſtimo dicendum Prouincialis poteſtatem non extendi ad vota Scholaſticorum validè admittenda ante biennium expletum. Moueor ex eo, quod ſæpè viderim in ſocietate vota facta biennio non expleto declarari nulla, ſic emittentem liberum relinqui, vt poſſit diſcedere : Signum igitur euidens eſt poteſtatem à generali conceſſam ad huiuſmodi caſum non extendi. Quapropter etſi biennij probatio non ſit ad incorporationem ſimpliciter neceſſaria ſtante poteſtate in recipiente, ſed ſolum vnius anni probatio : At recipientis poteſtas omnino neceſſaria eſt, & ex huius defectu admiſſio Prouincialis nulla redditur, & ita tenet expreſsè Sanch. *lib.* 5. *ſum cap.* 4. *num.* 20. Neque obſtat ratio dubi andi in contrarium, quæ ſolum habet verum caſu quo facultas concederetur abſolutè, & ſimpliciter, vt in caſu matrimonij ſolet concedi. Secùs verò ſi concederetur reſtricta, & ſub aliqua circumſtantia ſcilicet

ſub

sub complemento biennij: Qualiter consenda est Prouincialibus concedi.

8. Tertiò dixímus probationem nouitij non esse opus fieri intra monasterium, sed extra fieri posse ex Prælati licentia. Quod in societate veriùs habet, cum ex eius instituto, tum seruiendo pauperibus, in Xenodochiis tum peregrinando nouitij exercendi sint, vt constat ex *exam.gener.c.4. n.11.& 12. & ex reg. magistri nouit. cap.3.*

9. Quartò statutum est, gestare habitum regularem non esse simpliciter necessarium, sed in sæculari habitu probari nouitium possent. Sed quamuis in aliis religionibus necessarium esset, id in nostra societate esse non potest, quæ habitu communi, & non speciali vtitur, & expressè cauet nouitios habitu sæculari probandos esse, si ita in Domino visum fuerit expedire, vt decisum est *examen.c.1.§.133.& in declarat.littera F.& 3.p. constitut.c.2.& 6.p.c.2. littera M*, & tradit Suar. *tom.4.de Relig. tract.10. lib.2.c.2.num.6.* Sanch. *lib.5.sum. cap.4. num.29. fine.*

PVNCTVM XIV.

De dispositione suorum bonorum, quam nouitius via testamenti facere debet.

SVMMARIVM.

1 *Nouitius via testamenti de suis bonis disponere potest nulla irrequisita licentia.*
2 *Tenetur seruare in hac dispositione solemnitates à iure requisitas.*
3 *Valida persistit hæc dispositio, nec professione infirmatur in religione succedendi incapaci, at in succedendi capace plures censent oppositum.*
4 *Verius est in nulla religione infirmari, tametsi testamentum faceres, cum de Religione non cogitaueris.*
5 *Testamentum nouitij in religionis professione firmum persistit, vt reuocari non possit.*
6 *An hæreditas, & legata testamento relicta concedi debeant hæredi, & legatariis, cum nouitius professionem faciat, non debent concedi.*
7 *Excipe nisi nouitius vellet testamentum à die professionis effectum habere.*
8 *Ex quibus coniecturis hæc voluntas colligatur.*
9 *Secundo excipe, si professio fiat in religione succedendi incapaci.*
10 *Quid dicendum Trident. decreto spectato? Affirmant plures comprehendi testamenti factionem.*
11 *Verius est oppositum.*
12 *Idem est de donatione causa mortis.*
13 *De donatione inter viuos sub conditione, si professus fueris, sub dicto Tridentino decreto comprehendi plures affirmant,*
14 *Probabile est oppositum.*
15 *Valida est dispositio bonorum à nouitiis Societatis Iesu per viam testamenti.*

DVplici via nouitius disponere potest de suis bonis vel testamento, vel donatione, seu renunciatione. De dispositione per testamentum agendum est in præsenti. In sequentibus de dispositione per donationem, vel renunciationem.

1. Regula generalis est cuilibet volenti ingredi religionem vel iam in nouitiatum ingresso licitum esse absque vlla superioris requisita licentia de propriis bonis disponere via testamenti. Quia ea dispositio nullibi reperitur interdicta, & eo tempore nouitius sui iuris est, & dominium, & dispositionem suorum bonorum retinet; & tradit Couar. *cap.2. de testament.num.5.in fine.* Nauarr. *commut.2.de Regularibus n.* 49. Molin.tom.1.de iustit. *disp.139.vers.* His ita Sanch.alios referens lib.7. summ. *cap.3. num.3.* Suar. tom.3. de Relig. *lib.5. cap.16. num.7.* Hanc dispositionem facere nouitius potest nihil monasterio relinquendo: quia ex nullo iure constat hanc esse nouitio obligationem impositam, & tradit Sanch. *num.8.* Suar. *num.7.*

2. An verò in hac dispositione teneatur nouitius seruare solemnitates à iure requisitas, quas obligatus esset seruare, si religionem ingressus non esset; non constat inter Doctores. Bart. Authen. *si qua mulier num.7.Cod.de Sacrosanct. Eccles.* Abbas *cap. quia nos de testam. n.4.* Iulius Clar. lib.3. recept. sentent. *§.testament.quæst.28. num.2.* Azor. *1.p.lib.12.cap.2. quæst.15.* Emanuel Sà verbo *testamentum num.21.& 25.* & alij plures apud Sanch. lib.7. summ. *cap.3. num.16.* Negantducti Authent. *de monachis §. illud.* Vbi nouitiis conceditur libera testandi facultas; quæ concessio ne fustranea sit operari debet, vt saltem testari possint absque iuris solemnitate, siquidē seruando iuris solemnitates hac concessione non indigebāt. Deinde ducuntur argumento militis temporalis, cuius testamentum firmum est, tametsi solemnitates iuris in eo seruatæ non sint. Sed merito alij plures Doctores contrarium censent; quia à iure communi recedendum non est absque sufficienti fundamento: Nullum autem reperitur ad recipiendum nouitios ab obseruatione harum solemnitatum. Nam illud Authen. *de monachis*, non concedit nouitiis priuilegium testandi, sed declarat facultatem, quam habent ad testandum, solum tempore nouitiatus ea vti posse, & non vlterius. Ex priuilegio autem militibus concesso non benè infertur. Nam priuilegium ex vno casu ad alium extendendum non est, maximè cum non adest eadem ratio, vt in præsenti. Nam nouitius, dum in nouitiatu existit, propriè non militat Deo, sed est in via, & probatione ad militiam spiritualem, habet enim liberum discessum, & ex alia parte spiritualibus vacat, non enim præsumitur ignorantiam habere legum, & constitutionem, quam tamen præsumit ius in milite temporali ob armorum exercitium; cáque de causa nouitius non excusatur seruare in testamentis solemnitates iure requisitas, benè tamen miles temporalis, iuxta *leg. quamquam Cod.de testamento militis & leg. secundum ff. eodem*: Et tradit Nauarr. *comment.2.de Regularibus num.52.* Gutierr.*can.quæst. lib.2. cap.1.num.14. fine.* Manuel. Rodriguez *2.tom.sum.cap.7. n. 9.* Sanchez *aliis relatis lib.7. cap.3. num.18.* Adde obligatum esse non solum seruare solemnitates testamenti iure Ecclesiastico introductas, *cap. relatum testamentis.* Sed quæ iure ciuili requisitæ sint: nam in contractibus, & testamentis, aliisque bonorum dispositionibus non solum Laïci, sed Ecclesiastici tenentur legibus ciuilibus, vtpote libertati Ecclesiasticæ non præiudicantibus, & bono reipublicæ, cuius ipsis partes sunt respicientibus, sicuti latiùs probauimus *tract. de legibus disp.1. punct.24. §.6.* & tradit in præsenti Sanch, *lib.7. sum.c.3. num.20. & 21.* Restant tamen aliquot difficultates enodandæ.

3. Prima, an hoc testamentum nouitij; & legata in eo relicta professione religionis infirmentur? Circa quam difficultatem dicendum est, si professio facta sit in religione succedendi incapaci, vt est religio Minimorum, aut Capucinorum, certissimum esse non infirmari, sed validam omnino persistere. Quia ea solum ratione rumpi testamentum potest, qui successionis iura habet, iuxta *leg. suus hæres Cod. de repudianda hæredit. leg.si post mortem §. liber.ff.de bonorum possess.contra tabul.* cum autem eo casu monasterium nullum ius succedendi habeat, rumpi ex eius ingressu testamentum non potest; & tradit aliis relatis Molin. de Hispan. primogenit. *lib.2.cap.1. num.18.* Sanch. *lib.7. summ. cap.3. num.23.* At si professio facta sit in religione successionis capaci, plures Doctores censent apud Sanch. Fachinum, Molin. & alios statim allegandos annullari testamentum, vel quia monasteriorum loco filij habetur, vel quia religiosus professione ipsa propter subiectionem quam ad Prælatum habet, quasi capite minuitur, vel tandem quia præsumitur mutare voluntatem, & monasterium hæredem relinquere, cum in eo vitam finire desideret. Quod maximè verum habet, si cum testamentum fecit, de religionis ingressu non cogitauit.

4. Cæterum omnino tenendum est, non reuocari testamentum professione religionis, tametsi factum fuerit, cum de religionis ingressu non cogitauit: Sic Panorm. *in c.in præsentia n.52.* & Felin. *num.54.de probationibus*, Nauarr.*comment. 2.de Regularibus n.61.* Molin. *lib.2.de primogenit.c.9.n.44.* Fachin. *lib.6. controuers.cap.14.vers. postrema* Molin. Iesuita *tom.1. disp.139.dub.vlt.* Sanch. pluribus relatis *lib.7.c.3.n.34.* Ratio est, quia ingressuro religionem, libera facultas à iure conceditur disponendi de rebus suis per testamentum, vt habetur nouella 5. seu Authent. *de monachis §. illud*, & Authent. *Nunc autem.Cod. de Episcop. & cleric.* At si ipso religionis ingressu dispositio infirmaretur, inutilis, & frustranea esset concessio, ergo nullo modo asserendum est infirmari. Præterea nulla est ratio cogens ad hanc reuocationem asserendam. Nam monasterium loco filij non habetur, nisi in casibus à iure expressis, vt multis allegatis probat Matiençó *leg. 7.tit. 11.* Gloss. *2.num.21.lib.5. noua recopilat.* Molina de Hispan. primogen. *lib.2. cap.9. n.45. iuncto n.40.* At nullibi est expressum monasterium ad reuocandum testamentum loco filij habendum esse; ergo ex similitudine, quam monasterium cum filio habet, infirmari testamentum non potest, minùs autem id fiet ex subiectione ad Prælatum, quæ nulla ratione dici potest capitis diminutio; cum sit libera subiectio, & honore digna, vt rectè expendit Cuiac. Aduersus Accurs. *in d.§ illud nouella 5.* Quod verò ex tacita religiosi voluntate testamentum reuocetur, nullum fundamentum habet. Nam hæc tacitæ voluntatis præsumptio solum fundari potest in eo, quod religiosus tradens se religioni omnia bona sua tradere censetur. At hoc supponit bona sua testamento, vel donatione non esse tradita, vt expressè dicitur in Authent. *nunc autem C. de Episc. & Cleric.* & notauit *Isernia* ibi, si priùs testatus non sit. Solum video dici posse infirmari testamentum, ex eo quod ingressu religionis

religionis reddatur religioſus incapax teſtandi. At teſtamentum vt firmum perſiſtat, & effectum habeat requirit teſtatorem habilem non ſolum tempore teſtamenti conditi, ſed etiam tempore ſuæ mortis, iuxta *leg.* 1. §. *exigit, ff de bonor. poſſeſſ. ſecundum tabulas*: Sed facilè hoc dictum repellitur: Nam eo ipſo, quo lex permittit ante religionis profeſſionem facere teſtamentum: permittit ex conſequenti profeſſione religionis non reuocati; tametſi per profeſſionem religioſus deſinat ſui iuris eſſe, & teſtandi incapax fiat.

5. Secunda difficultas eſt; an teſtamentum nouitij ita profeſſione religionis firmum perſiſtat, vt non detur locus reuocationi? Ceſſat difficultas, ſi profeſſio fiat in religione ſucceſſionis incapaci. Quia vt ſtatim dicemus à puncto huius profeſſionis transfertur dominium hæreditatis, & legatorum in hæredes, & legatarios, ac ſi teſtator naturaliter mortuus eſſet: ſi verò profeſſio fiat in religione ſucceſſionis capaci, plures apud Doctores ſtatim referendos cenſent reuocari poſſe. Argum. *leg. ſi qua mulier. Cod. de ſacroſanct. Eccleſ.* Vbi permittitur monacho de rebus ſuis inter liberos teſtari, ergo permitti debet poſſe reuocare teſtamentum. Præcipuè cum non ſatis appareat, quomodo ad hæredem tranſire poſſit hæreditas, ſi illius dominium monachus tempore mortis non habeat, cum ex teſtatore ad hæredem debeat fieri immediata tranſlatio. Deinde mouentur ex *leg. ſed ſi mors*, §. 1. *ff. de donationibus inter vir. & vxor.* Vbi dicitur confirmari exilio donationem cauſa mortis antea factam, ſed non ea ratione, vt marito admittatur licentia reuocandi, tametſi eo tempore nulla ratione poſſit: Sed religioſus deportato aſſimilatur; quia vterque eſt ciuiliter mortuus, ergo ſicut deportato non adimitur licentia reuocandi teſtamentum, nec religioſo cenſeri debet adempta.

6. Cæterum omnino negandum eſt poſſe religioſum teſtamentum antea factum reuocare. Tum quia religioſi facta profeſſione non ſunt rerum ſuarum domini, Authen. *ingreſſi, Cod. de ſacroſanct. Eccleſ. &* §. *illud Authen. de monachis.* Ergo non habent rerum ſuarum diſpoſitionem. Secundò non poſſunt condere teſtamentum, *c. quia ingredientibus 19. q. 3.* Ergo nec reuocare; quia reuocatio facienda eſt teſtamenti factione, §. *ex eo inſtit. quibus modis teſtam. infirm.* Et ita tenent Abbas *cap. in præſentia n. 61. de probatione*, Nauarr. *comment. 2. de Regularibus n. 53.* Couarr. *c. 2. num. 9.* de teſtam. Gutierr. *lib. 2. canon. quæſt. cap. 1. n. 37.* Fachineus lib. 6. controuerſ. *cap. 15.* Molin. *tom. 1. de iuſt. diſp. 140. poſt princip.* Sanch. *lib. 7. cap. 11. num. 5.* Barboſa *3. p. de poteſt. Epiſcop. alleg. 99. num. 14.* & alij apud ipſos. Quod adeò verum eſt, vt nec monachus ad dignitatem Epiſcopalem euectus illud teſtamentum reuocare poſſit: quia dignitas Epiſcopalis non immutat diſpoſitionem antea factam, cum non concedat illarum rerum dominium, vt notauit Sanch. *n. 6. Barboſa num. 15.*

Neque contrariæ rationes ſunt alicuius momenti. Nam lex *ſi qua mulier* non tam permittit monacho teſtari quam legitimas inter filios diuidere, quibus præiudicare non poterat, ſi fortè ante ingreſſum religionis non diſpoſuerat. Ex quo potiùs à contrario licet inferre, religioſo antea diſponente nullomodo poſſe poſt religionis ingreſſum de bonis diſponere. Falſumque eſt religioſum habere dominium rerum ſuarum profeſſione facta: illud enim eſt penes monaſterium, quod religioſi perſonam repræſentat, medio quoad hæredes tranſmittatur iure ſic diſponente. Deinde eſt diuerſa ratio de religioſo, ac deportato tempore deportationis; quia etſi neque condere teſtamentem, neque reuocare poſſit, poteſt tamen mutari eius ſtatus, & libertatem conſequi.

7. Tertia difficultas eſt; an hæreditas, & legata in teſtamento nouitij contenta debeantur concedi hæredi, & legatario, ſtatim ac ipſe nouitius profeſſionem fecerit? Regula eſt nequaquam debere concedi ante mortem naturalem religioſi, quia vt dicit Paulus, vt teſtamentum effectum habeat neceſſe eſt, vt mors intercedat teſtatoris, & dicitur, *leg. 1. ff. de teſtam.* ſic omnes Doctores. Habet tamen hæc regula duplicem exceptionem.

Prima niſi nouitius vellet, vt teſtamentum à die profeſſionis effectum haberet. Cum enim profeſſione religionis reddatur incapax teſtandi, reuocandique teſtamentum (vt poſtea dicemus) nihil impedit quominùs velle poſſit, vt ſuum teſtamentum à die profeſſionis; tanquam à die mortis naturalis effectum habeat. Sic tradit Couarr. *cap. 2. num. 8. ad finem de teſtament.* Molin. Theologus *tom. 1. de iuſtitia diſp. 140. verſ. quin & bona.* Gutierr. *lib. 2. canon. quæſt. cap. 1. n. 49.* Sanch. *lib. 7. ſum. cap. 3. num. 54.* Et colligitur ex *leg. in conditionibus ff. de condition. & demonſtrat.* & ex Authent. *de nuptiis* §. *diſponat, collat. 4.* & ex Authen. *de monachis* §. *illud quoque.*

8. Vt autem nouitius cenſeatur velle, vt ſuum teſtamentum à die profeſſionis effectum habeat non quælibet coniectura rem dubiam cõſtituens ſufficit. Nam in dubio ſemper quis præſumitur velle iuris communis diſpoſitioni ſe conformare, *leg. hæredes mei* §. *cum ita ff. Ad Trebell.* Quapropter non eſt ſufficiens fundamentum ad aſtruendam hanc voluntatem, quod nouitius teſtamentum condat cogitans de religionis ingreſſu, vt docent aliqui Doctores non contemnendi: Quia hac cogitatione poſita ſtare optimè poteſt, quod nouitius condat teſtamentum ne inteſtatus decedat, velitque à die mortis naturalis hæredem ſuccedere, & non antea: ergo ex cogitatione ingreſſus ſufficiens fundamentum non ſumitur. Sic docent aliis relatis Gutierr. *lib. 2. can. quæſt. cap. 1. n. 51.* Sanch. lib. 7. *ſumm. cap. 3. num. 60.* Neque item ſumitur ſufficiens fundamentum, tametſi monaſterium inſtituiſſet hæredem. Quia cum hæc inſtitutio habere effectum poſſit à die mortis naturalis, & ex alia parte non impediat, quin interim monaſterium illius religioſi bonis fruatur, abſque obligatione ſoluendi legata, non eſt cur in damnum monaſterij interpretatio fiat. Minùs iuuat quod conſtituerit monaſterium legatarium, aut vſufructuarium ſuorum bonorum; quia hæc diſpoſitio intelligi poteſt, vt effectum habeat à die mortis naturalis profeſſi; & interim monaſterium omnium bonorum religioſi vſufructuarium exiſtat. Quod verum habet, ſiue hæc diſpoſitio tempore deſignato fiat, ſiue non, vt benè dixit Sanch. lib. 7. ſum. *c. 3. num. 61.* Eſſet tamen ſufficiens fundamentum ad præſumendum voluiſſe nouitium, vt ſuum teſtamentum à die profeſſionis effectum habeat, ſi cogitans de religionis ingreſſu legatarium, vel vſufructuarium fecerit monaſterium exprimens pro tempore vitæ ſuæ. Nam cum iure ipſo ſit monaſterium eo tempore vſufructuarium, inutilis & fruſtranea eſſet talis diſpoſitio; ne igitur id concedamus contra, *leg. 1. ff. quod metus cauſa*, affirmandum eſt, velle ſtatim teſtamentum effectum ſortiri; & tradit cum Ruino *conſ. 98. num. 31. & 32. volum. 2.* Sanchez *lib. 7. ſum c. 3. n. 61.*

9. Secunda exceptio ſupradictæ regulæ generalis eſt, ſi nouitius profiteatur in religione ſucceſſionis incapaci. Nam tunc nulla ratio occurrit differendi teſtamenti executionem ad tempus mortis naturalis, cum monaſterium frui illius religioſi bonis non poſſit. Quod autem aliqui dicunt Eccleſiam Romanam tempore vitæ religioſi vſufructuariam eſſe, caret fundamento; cum nullibi id ius conceſſum ſit, minúſque veritatis habet quod hæredes ab inteſtato intrent, ſiquidem ij ſolum habent locum, cum defunctus inteſtatus decedit. Et ita pluribus firmant Couarr. *cap. 2. num. 6. de teſtam.* Gutierr. *canon. quæſt. lib. 2. cap. 1. n. 18. 45. & 51.* Molin. *tom. 1. de iuſtit. diſp. 140. verſ. quin & bona.* Sanch. *lib. 7. ſum. c. 3. n. 60.*

10. Quarta difficultas eſt, quid ſit dicendum ſpectato Trident. *decreto ſeſſ. 25. cap. 16. de Regularibus.* Vbi omnem renunciationem, & obligationem circa bona propria à religioſo factam niſi intra duos menſes profeſſioni proximos, & de licentia ordinarij irritat, & annullat, an inquam hæc conſtitutio locum habeat in teſtamentis? Et ratio difficultatis eſt; quia teſtamentum eſt quædam bonorum renunciatio, ceſſio, & tranſlatio, & licet non ſit ceſſio, & tranſlatio, irreuocabilis, ſed potiùs ad nutum teſtatoris reuocari poſſit, non impedit, quominùs ſub prædicto decreto contineatur. Aliàs donatio cauſa mortis, & ſub conditione ſi religionem profeſſus fueris ſub prædicto decreto contenta non erit, cum non tibi impediat liberum è religione egreſſum. Adde ſi teſtamentum non prohibeatur à Trident. facili hac via eius conſtitutio eludi poteſt; cum religionem ingredientes via teſtamenti, eam diſpoſitionem de ſuis bonis facere poſſint, quam via donationis, ſeu renunciationis præſtare intendebant. Denique diſpoſita in contractibus, cenſentur in teſtamentis diſpoſita, quia à contractibus ad teſtamentum valida eſt illatio, vt probat *Eberard. loco 17. à contractibus ad teſtamenta.* Cum ergo conſilium pohibuerit, & annullauerit omnes nouitij contractus circa diſpoſitionem rerum ſuarum, & teſtamenta cenſeri debent annullata: & ita ſuſtinet Spino *Speculo teſtam.* Gloſſ. 12. *trincip. num. 50.* Caſtillo de vſufructu *lib. 1. c. 65 n. 7.* ſub dubio Gutierr *cap. quamuis pactum de pactis lib. 6.* verbo *dum nuptui tradebatur, n. 4.*

11. Cæterum tenenda eſt in iudicando, & conſulendo communis ſententia affirmans teſtamenti factionem dicto decreto Tridentin. non contineri: ſic docent Nauarr. *lib. 3. conſil. tit. de Regular. conſ. 83. in 2. edit. comment. 2. num. 51. de Regularibus* Gutierr. *canon. quæſt. lib. 2. cap. 1. à num. 31.* Molina *tom. 1. de iuſtitia. diſp. 139. pag. 750. verſ. ambiget fortaſſè* Sanch. *lib. 7. cap. 5. num. 18.* Barboſa *3. p. de poteſt. Epiſc. alleg. 99. n. 13.* & alij plures apud ipſos. Moueor præcipuè, quia Trident. ſolum loquitur de contractibus inter viuos, & irreuocabilibus natura ſua. Tum quia verbum *renunciatio & obligatio* hoc propriè ſignificat. Tum quia loquitur concilium de renunciatione, ſeu obligatione, neceſſariò profeſſione facta eſſet effectum habitura, vt conſtat ex illis verbis. *Ac non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri niſi ſecuta profeſſione, aliter verò facta.* &c. Deinde quia in teſtaméto ceſſat finis huius decreti, qui fuit ne vi renunciationis factæ impediretur nouitius à libero religionis egreſſu, quod in teſtamento nunquam contingere poterat, cum ſemper liberum fuerit nouitio illud reuocare. Et ex his ſoluuntur contraria. Negamus namque teſtamenti factionem eſſe renunciationem propriè, vel ratione illius conſti

constitutionem concilij eludi ; cum testamentum deambulatorium sit, & reuocabile, ac denique dispositа in contractibus inter viuos esse dispositа in testamentis, quando diuersa ratio procedit. Solum de donatione causa mortis, & de donatione sub conditione professionis faciendæ est aliqualis difficultas, an sub prædicto decreto comprehendatur ?

12. De donatione causa mortis communis sententia negat comprehendi, sed per omnia testamenti factioni assimilari ; quia reuocabilis est, neque impedit nouitio liberum à religione egressum. Sic tradit Nauarr. *d. conſ.* 83. *de Regularibus*. Gutier. & Molin. & Sanch. *ſupra*, & Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *c.* 16. *n.* 11. tametsi contrarium leui fundamento ductus senserit Nicol. Garcia, 11. *p. de benefic. c.* 9. *n.* 22.

13. At de donatione inter viuos sub conditione si professus fueris, & non aliter censet Nauarr. *lib.* 3. *conſil. tit. de donatione conſ.* 7. aliàs *tit. de Regul. conſ.* 81. Garcia *d. c.* 9. *n.* 19. & 20. Sanch. lib. 7. sum. *c.* 5 *n.* 17. sub dicto decreto comprehendi ; ac proinde inualidam esse, nisi bimestri ante professionem, & ex licentia ordinarij fiat. Mouentur ; quia hæc donatio vera renunciatio est, & obligatio, quam nullatenus infirmare potes, nisi religionem deseras. In concilio autem omnis obligatio supradictis conditionibus destituta cassatur : Ergo hæc donatio subsistere non potest. Neque obstat ex vi illius te non esse impeditum ; nam etiam ex vi donationis factæ à concilio intra bimestre, & ex licentia ordinarij non impediris egredi ; si quidem te egrediente cessat illius effectus : pendet enim illius efficacia ex professione subsequenda, tanquam ex conditione ; ergo quod illa donatio pendens à professione, tanquam à conditione non te impediat à religionis egressu, in causa esse non potest, quin supradicto decreto comprehendatur. Nam ad hanc comprehensionem satis esse videtur, quod liberè eam donationem reuocare non possis, sed per egressum tantum. Neque Trident. In hoc decreto spectauit solum remouere à nouitio ea, quæ eum retardare poterant à libero religionis egressu, sed etiam modum præscribere liberè, prudenter, & maturè disponendi de rebus propriis.

14. Verum contraria sententia affirmans donationem sub conditione si professus fueris validam esse non seruata forma Trident. probabilitate non caret. Quia non Trident. solum videtur intendisse modum præscribere in contractibus, & obligationibus, quæ liberum è monasterio egressum impedire poterant ; cum autem donatio sub conditione professionis, quæ est conditio pendens à propria voluntate, nunquam impedire potuit liberum è monasterio egressum, de hac donatione concilium non videtur locutum. Neque obstat quamlibet donationem intra bimestre factam, & de licentia ordinarij hanc continere conditionem si professio subsequatur, vt effectum habeat. Quia ex se non continebat, sed potius tanquam absoluta obligabat ad sui executionem independenter à professione ; eaque de causa Trident. prouidit qualiter præstanda esset, & ne effectum haberet, nisi professione subsecuta. Quia dispositione non indigebat donatio sub conditione professionis, atque ideirco in Trident. Decreto non comprehenditur ; & ita docet Mol. *to.* 1. *de iuſtit. diſp.* 19. *poſt medium*, vers. *quoad Eccleſ.* Less. *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 4. *n.* 40. Barbos. 3. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 99. *n.* 17.

15 Quinta difficultas qualiter nouitij Societatis Iesv condere testamentum possint ? Videtur enim condere non posse ; quia *c.* 4. *exem. gener.* cauetur nouitios Societatis Iesv debere ante ingressum in nouitiatum disponere de omnibus bonis, quæ habent, & habere possunt in pauperes, aliaque opera pia absque spe, & fiducia ea iterum recuperandi : Quod si sanè renunciationem non fecerint debeant in ingressu promittere facturos post primum nouitiatus annum, quando à superiore iniunctum fuerit : sed hæc omnino obstant testamentariæ dispositioni vtpote reuocabili saltem ante professionem, ac proinde non constituenti verum pauperem, neque remouenti spem, & fiduciam ea recuperandi. Ergo testamentaria dispositio nouitiis Societatis interdicta est.

Dicendum tamen est testamentum factum à nouitio Societatis sine ante ingressum, siue post validum esse, quia esto non sit dispositio, iuxta constitutionum normam, est tamen dispositio facta ab habili, & capaci. Tum quia ius, & dominium habet illarum rerum, quarum dispositionem facit. Tum quia iure communi non inuenitur impeditus, vt ex superioribus constat neque etiam ex constitutionibus Societatis, quæ nullam in hac parte inhabilitatem imponunt. Verum esto valida sit illa dispositio, ac peccat nouitius aduersus illam promissionem ingressu factam, sic de bonis suis in nouitiatu disponens, vel non reuocans eam dispositionem, cum à superiore iniungitur, dignusque est expulsione, si superioris consilio non acquieſcit, colligitur ex Sanch. lib. 7. sum. *c.* 1. *n.* 31. & 32. Quale autem peccatum nouitius committat in hac testamenti factione, vel non reuocatione non satis exploratum est, credo probabilius solum veniale committere quid aut dicitur in 3. Congrat. Gener. *decreto* 9. & *can.* 1. promissio illa renunciandi non est votum, sed sola humana promissio solam obligationem fidelitatis inducens, ac proinde solam culpam venialem.

Punctvm XV.

De dispositione bonorum, quam nouitius renunciatione, seu donatione facere potest secluso iure nouo Trident.

SVMMARIVM.

1 *Ante ingressum, & post potest nouitius sua bona renunciare.*
2 *An debeas seruare in ea dispositione leges communes regni. Proponitur dubitandi ratio.*
3 *Verius est te non esse obligatum.*
4 *Qualiter hæreditati viuentis renunciare possis.*
5 *Pendeat hæc renunciatio ex intentione renunciantis colligendum, & hac ex circunstantiis renunciationis.*
6 *An qualibet renunciatio iuxta formam præscriptam in constitutionibus Societatis Iesu sit absoluta independens à professione, seu votorum emissione, proponitur dubium. Resoluitur affirmatiuè.*
7 *Secus videtur dicendum de renunciatione extra normam constitutionum.*

1. CErtissimum est (secluso nouo iure Tridentini) posse nouitium aute ingressum, vel post ingressum, quando sibi placuerit ante professionem bona sua renunciare, & donare, ac si de facto nouitiatum ingressus non fuisset. Quia extra Trid. nullibi ingredientibus religionem prohibita est bonorum renunciatio.

2. In ea tamen facienda, an seruare debeat leges communes regni, non modica est difficultas. Quia esto nouitius persona Ecclesiastica sit, Ecclesiastica tamen, & religiosi legibus contractus respicientibus obligantur : eaque de causa diximus puncto præcedenti nouitium testantem debere in testamento solemnitates non solum iure communi Ecclesiastico, sed etiam ciuili petitas seruare. Neque cum hac obligatione pugnant. *Text. in c. de ſis de ſepultur.* vbi decidit liberum esse transeuntibus tempore valetudinis ad religionem bona sua non solum religiosis, sed etiam quibusvis priuatis conferre personis. Neque §. *illud quoq;* Authent. *de monachis* concedens liberum bonum suorum vsum, dum professio non emittitur. Nam esto nouitius libere suis bonis vti, & disponere de illis possit ; non tollit quin obligatus sit seruare iuris solemnitates, sed illis verbis solum indicatur non minorem libertatem habere nouitium ad disponendum de suis bonis, quam haberet ante religionis ingressum. Ex quo videtur inferri, si nouitius sit minor 25. annis indigere curatoris authoritate ad validam bonorum dispositionem, imò decreto iudicis, si de rebus immobilibus dispositurus sit.

3. Cæterum verius credo opus non esse iuris solemnitates alias in renunciatione requisitas seruare, si professionis emittendæ causa renunciationem, vel donationem tuorum bonorum, iurium, & actionum facias : sed quamuis minor sis, posse absque decreto iudicis, & curatoris authoritate, & Iutamento firmare præstare renunciationem : Sic expressè docet Sanch. lib. 7 sum. *c.* 6. *n.* 19. cum Beroio *c. in præſentia à n.* 155. *de probationibus conſentit.* Rebell. 2. *p. de iuſtit. lib.* 1. *q.* 8. *ſect.* 5. *n.* 50. Quando sit post monasterij ingressum : Indicat satis Mol. *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 139. §. *nouitij*, Suar. to 4. de Relig. *tra.* 10 *lib.* 4. *c.* 4. *n.* 19. Loquentes de renunciatione facta in Societate. Moueor ob consuetudinem, & praxim satis receptam efficiendi has renunciationes absque his solemnitatibus ; cum enim hæ renunciationes nullatenus effectus habeant (vt statim dicemus) nisi professione subsecuta, qua renuncians, mundo mortuus reputatur, & solemnitates supradictæ videantur introductæ ob vitandam renunciantium indecoram, & inuoluntariam paupertatem ; efficitur ad has renunciationes ex causa professionis non extendi eas solemnitates ; siquidem animo amplectendi religiosam, & perpetuam paupertatem fiunt.

4. An autem his renunciationibus cedere possis non solum iuri habito, sed sperato g. v. hæreditati parentis, aut alterius extranei viuentis non caret difficultate ob *leg. fin. C. de pactis* : vbi hæc renunciatio prohibetur absque consensu illius, cuius est hæreditas, ne detur occasio captandæ mortis, quæ occasio cessat eo consentiente. Quia præstito consensu curabit ipse vitare periculum, & periculum sentiens consensum præstitum reuocabit.

Sed dicendum est supradictam legem procedere de renunciatione hæreditatis alicuius certæ, & determinatæ personæ in fauorem etiam alicuius determinati. Verum si renunciatio fiat in fauorem monasterij, alteriusue communitatis, aut operis pij, aut sit renunciatio alicuius hæreditatis incertæ optimè

poteſt abſque conſenſu illorum, quorum eſt hæreditas renunciatio fieri. Nam ſi fiat in fauorem communitatis ceſſat periculum mortis captandæ, cum communitas animam non habeat, nec præſumi poſſit ſingulos de communitate mortem capturos, cum beneficium communitati collatum non cenſeatur ſingulis fieri, vt latiſſimè multis allegatis probat Sanch. *lib. 6. ſum c. 2. à n. 54.* Et colligitur ex *c. conſultationibus de donationibus.* Si verò renunciatio fiat hæreditatis hominis incerti, vt ſi diceres te renunciare quamcunque hæreditatem, quæ tibi obuenire poteſt, quocunque modo obueniat, ſiue teſtamento, ſiue ab inteſtato: eadem ratione probatur, quia eo caſu dici non poteſt alicui periculum eſſe mortis captandæ, cum ex forma renunciationis nulla perſona determinetur, cui inſtitutus mortem inſidiari poſſit: Sic Bolognet *leg fin. C. de pactis n. 82. & ſeqq.* Gutier. *2. p. de Iuram. c. 5. n. 4.* Mol. *tom. 3. de iuſtit. diſp. 579. num. 38.* & alij plures quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 7. ſumm. cap. 2. num. 31.* & colligitur manifeſtè, *ex leg. 3. §. de illo ff. pro ſocio & leg. regia 13. tit. 5. partit. 5.*

5. Sed an hæc renunciatio conditionis ſi pendens à profeſſione futura? Ex intentione renunciantis deſumendum eſt, cuius dictis ſtandum eſt, cum contrarium manifeſtè non probatur: At in caſu dubio, & foro externo ex circunſtantiis colligi debet, Regulariter autem ſi donatio, ſeu renunciatio alicuius momenti ſit, fiatque proximè ad religionis ingreſſum, hoc eſt vno, vel altero mente ante habitus ſuſceptionem, & à fortiori illo ſuſcepto, ex eius occaſione fieri eſt præſumendum; ac proinde ceſſare profeſſione validè non ſecuta: Sic Man. Rodrig *tom. 2. q. 82. art. 2.* Sanch. *lib. 7. ſum. c. 1. à n. 12. 25. & 26.* Si tamen profeſſio nulla futura eſſet, & renuncians conſcius eſſet nullitatis, teneret renunciatio ſaltem pro eo tempore, quo profeſſio valida reputatur; quia non poteſt præſumi fieri ex conditione profeſſionis, quam cognoſcit eſſe nullam, ſed abſolutè, & ab illa profeſſione independenter. non quidem in totum, ſed quamdiu valida reputatur. Vnde declarata nullitate, & diſſoluto vinculo credo probabiliùs renunciationem diſſolui: Quia ſemper ſubintelligenda eſt fieri ſub conditione profeſſionis validæ, vel dum in foro externo valida poſſiſtit.

6. Dubium tamen non leue eſt, an renunciatio facta iuxta regulas, & conſtitutiones Societatis ab eius nouitiis, vel ab eis, qui vota biennij emiſerunt ſit abſoluta, & independens à qualibet profeſſione, ſeu votorum emiſſione, ita vt dimiſſis à Societate nulla ſint ei bona reſtituenda? Ratio dubitandi ea eſſe videtur, quia nullus maximè nouitius præſumi debet velle ſe bonis omnibus ſpoliare, niſi quatenùs credit ſe in Societate perpetuò victurum. Ergo ceſſante hoc fine, vel quia religio illum expellit, vel quia ipſe cum nouitius ſit; liberè religionem dimittit, ceſſat efficacia renunciationis, quippe ab illo fine tanquam à conditione videtur pendere. Cæterum omnino dicendum eſt, quoties renunciatio fit à nouitio Societatis (& à fortiori ab his qui vota Scholaſticorum emiſerunt) in pauperes, operáve pia etiamſi fiat in fauorem Societatis fieri abſolutè, & independenter à perſeuerantia in Societate; ac proinde ſi ante votorum emiſſionem, vel poſt ante profeſſionem à Societate dimittatur, nulla debere ei bona reſtitui. Sic Molina *tom. 1. de iuſtitia diſp. 19. verſ. illi qui* & *verſ. nouitij*, Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 14. n. 22. & tract. 10. lib. 4. cap. 4. n. 19.* Sanch. lib. 7. ſum. *c. 1. n. 24. & ſequentibus* Ratio eſt; quia nouitius, vel religioſus Societatis de ſuis bonis in pia opera diſponens præſumitur eam intentionem in ſua diſpoſitione habere, quam Societatis conſtitutiones præſcribunt: quia ſemper quis præſumitur operari conformiter ad ſui ſtatus regulas, & obligationes. At regulæ Societatis, & conſtitutionis præſcribunt renuntiationem fieri independenter à conditione profeſſionis, ſeu emiſſionis votorum, ſiquidem præſcribunt eroganda pauperibus, vel in illa pia opera iuxta propriam cuiuſcunque deuotionem, omnem à ſe fiduciam ſubmouendo eadem vllo tempore recuperandi, vt dicitur, *exam. gener. 4. c. & 3. p. conſtitut. c. 1. n. 7. & 25. & 4. p. c. 4. littera E, & 6. p. c. 2. littera H.* Quæ certè vera non eſſent, ſi dependenter à profeſſione, vel votorum emiſſione renunciarentur; cum ſatis firma eſſet ſpes ea aliquando recuperandi, videlicet votis non emiſſis, aut diſſolutis. Neq; obſtat ratio dubitandi. Veriſſimum enim eſt, neminem præſumi bonis renunciare, niſi quatenus credit ſe in religione perpetuò victurum, quia eo animo, & propoſito renunciat, at non inde infertur renunciare ſub illius perſeuerantiæ conditione, potiùs namque præſumi debet renunciare abſolutè, ne bona renunciata ſpe recuperationis eius animum, propoſitum rectum infirment, & à via perfectoinis incœpta deſiſtere faciant.

Aduerto tamen ſi in fauorem Societatis renunciatio facta eſt tempore nouitiatus, & ante vota biennij renuntians dimittitur, omnia ei reddunturex æquitate, quamuis ex iuſtitia nulla eſt obligatio. At ſi poſt vota biennij dimittitur, ſolum debet ſocietas pro qualitate, & quantitate receptæ donationis alimenta renuncianti præbere, dum egenus eſt, & aliunde non habet, vnde ſuſtentetur; alioquin ob ingratitudinem reuocare donationem poterit renuntians; Sic ex doctrina Surdi *de alimentis tit. 1. q. 48.* aduertit Sanch. *lib. 7. cap. 1. fin. n. 39.* Idem colligitur ex Suar. *tract. 8. lib. 3. c. 14. n. 22. & 23.*

7. Verum ſi bonorum renunciatio facta ſit extra conſtitutionum normam, nempe quia facta eſt in conſanguineos, vel amicos non egentes, aliáve opera profana, credi poteſt probabiliter non procedere ex animo, vt firma ſit profeſſione non ſubſecuta. Quia non apparet ſpecialis ratio hunc animum abſolutæ donationis potiùs in Societate, quam in aliis religionibus præſumendi: Sic expreſsè Sanch. *lib. 7. ſumm. c. 1. n. 37. & n. 38.* Addit votis biennij hanc renunciationem non confirmari. Verum eſto hoc ita ſit, quod difficultate non caret ob ſummam paupertatem, & remotionem impedimentorum, quam Societas in ſuis religioſis requirit; cui intentioni aptiùs ſe confirmat renuncians abſolutè abſque vlla conditione, tametſi in opera profana, quam renuncians ſpem retinens recuperationis: at credo à puncto renunciationis dominium in reſignatarium transferri, eſto ſit translatum reuocabiliter dimiſſione è Societate contingente; quia ita ſeruat praxis & ſtylus receptus. Neque obſtat ea verba *conſtit. 2. p. c. 3. n. 5.* Quibus cauetur dimiſſum è Societate omnia ſua ſecum ferre debere, quia vt in Gloſſa explicatur ideſt intelligendum de his, quæ nondum expendiſſet.

PVNCTVM XVI.

An ſpectato iure communi, & ſecluſo Trident. bona nouitij decedentis ante profeſſionem debeantur monaſterio ſucceſſionis capaci?

SVMMARIVM.

1 *Quando nouitius decedit non condito teſtamento, nec facta renunciatione, plures cenſent monaſterium ſuccedere. Verius eſt oppoſitum.*

2 *Quando decedit condito teſtamento ſuccedit is, quem hæredem inſtituit. Idem de reſignatario, quamuis probabile ſit hunc non ſuccedere.*

DEcedere poteſt nouitius condito teſtamento, vel renunciatione facta ſuorum bonorum, vel ſine teſtamento, aut renunciatione.

1. Quando nouitius abſque teſtamento, vel renuntiatione decedit, non deſunt plures Doctores. Quos refert Sanch. lib. 7. ſum. *c. 3. n. 91.* Sentientes monaſterium ſuccedere excluſis hæredibus ab inteſtato. Quia nouitius ipſo facto per religionis ingreſſum ſe, & ſua religioni dedicat: Si igitur expreſsè dedicaret, deberentur illa bona monaſterio: Ergo etiam debentur ex tacita dedicatione, quia taciti & expreſſi idem eſt iudicium leg. *cum quid ff. ſi certum petatur.* Deinde nouitius dum in nouitiatu exiſtit, eſt perſona Eccleſiaſtica, & religioſa fori, & canonis priuilegio gaudens, ſed monaſterium ſuccedit in bonis religioſorum decedentium, ergo ſuccedit in bonis nouitij. Adde in fauorem pia cauſæ eſſe indicandum: ergo in fauorem monaſterij excluſis hæredibus ab inteſtato.

Cæterum omnino tenendum eſt hæredes ab inteſtato ſuccedere, & monaſterio nihil deberi: Sic Abbas *docet c. in præſentia n. 68. de probationib.* Nau. *comm. 1. n. 49. de Regular.* Andreas Taquin. *lib. 6. controuerſ. cap. 19.* Gutierr. *lib. 2. canon. q. c. 1. n. 101. & n. 107.* Molina tom. 1. de iuſtit. *diſp. 140. verſ. de aliis* Rebell. *2. parte iuſtit. lib. 1. q. 8. ſect. 5. n. 52.* Suar. *tom. 3. de Rel. lib. 5. c. 16. n. 9. & aly.* innumeri; quos refert & ſequitur Sanch lib. 7. ſum. *c. 3. n. 92.* Fundamentum eſt; quia nouitius dum in nouitiatu exiſtit, non eſt religioſus cum effectu, iuxta expreſſum Textum *in c. Religioſo de ſent. excomm. in 6. c. porrectum de Regul.* neque bona ſua monaſterio dicauit per ingreſſum: Siquidem donatione, vel teſtamento poteſt liberè de illis diſponere: Ergo nulla eſt ratio ob quam monaſterium ei inteſtato ſuccedat. Dixi monaſterio nihil deberi; quia nec debetur legitima, cum monaſterium loco filij non ſit, niſi in caſibus à iure expreſſis, qualis non eſt enumeratus; neque item debentur expenſæ, cum nullo iure cautum ſit, neque aliquis contractus de illarum ſolutione ſupponatur celebratus: Sic expreſsè Sanch. *d. c. 3. n. 94. & 95.* Suar. *dicto c. 16 n. 17.* Hinc ſoluuntur contrariæ rationes. Ad primam negamus nouitium ſe, & ſua tradere religioni abſolutè, ſed ſolum ad probationem, ex cuius traditione cum nullum ius quæratur monaſterio, non impediuntur hæredes aliàs legitimi ſuccedere. Ad 2. dico nouitium gaudere priuilegiis religioſorum quæ aliis non præiudicant, ſecuſque aliis præiudicantia ſunt, & quæ veritatem religionis, non iuris fictionem expoſtulant. Adde legitimis hæredibus excluſis monaſterium ſuccedere, non tam eſſe priuilegium nouitij, quam monaſterij. At priuilegium nullibi conceſſum eſt monaſterio ob deceſſum nouitij, ſed ob deceſſum veri religioſi. Neque fauor in præiudicium tertij extendendus eſt, argum. Textus *in 6. parte de cenſib.*

2. Verum

2. Verum si nouitius decesſit condito teſtamento, ſuccedit is, quem hæredem inſtituit, quia morte confirmatur, vt docent omnes, & ſupponitur in Authent. *nunc autem Cod. de Epiſcopis, & cleric.* Idemque aſſerunt plures Doctores de reſignatario ſtante renunciatione expreſſa. Quia ea renunciatio ſolum continet conditionem, ſi in religione renuncians perſeuerauerit, & ſatis perſeuerat ibi moriens, cum ab ea recedere non poſſit, & moriendo tacens donationem ipſam confirmat: Colligitúrque ex *c. in præſentia de probat. & c. vlt. de ſucceſſionibus ab inteſtato* vbi ex dedicatione facta à nouitio, & nõdum profeſſo decedente, bona acquiruntur monaſterio: Sic expreſsè docent Nauarrus comm. 2. de Regularibus *num.* 49. Menoch. alios referens *conſil.* 396. *nu.* 3. *& lib.* 6. *præſumpt.* 84. *& lib.* 2. *de arbitrar. caſu* 356. *num.* 20. Gutierr. *lib.* 2. *can. quæſt. cap.* 1. *num.* 103. Sanchez aliis relatis, *dicto lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 97. Suarez *tom.* 3. *de Religion. lib.* 5. *cap.* 16. *nu.* 11. Et placet mihi quia eſt pia ſententia, & religioni fauorabilis. Quamuis contraria ſatis probabilis ſit; eo quod renuncians non ſub conditione perſeuerantiæ per mortem naturalem, ſed ſub conditione perſeueranriæ per mortem ciuilem, & profeſſionem legitimam videatur renunciare. Aliàs non erit renunciatio, ſeu donatio inter viuos, ſed cauſa mortis: neque licitum erit teſtamento illam reuocare, contra Sanch. lib. 7. ſumm. *cap.* 5. *num.* 50. Item moriens in nouitiatu in eo ſtatu perſeuerare fingitur. At non eſt credendum renunciantem velle renunciare ſub conditione perſeuerantiæ in nouitiatu, ſed ſub conditione perſeuerantiæ in religioſo ſtatu. Ergo neque Textus *in c. præſentia & c. vlt. de ſucceſſionib.* Contrarium conuincunt. Cum ſatis verò ſimiliter dici poſſit per illam dedicationem veros religioſos fuiſſe conſtitutos. Atque ita per hanc renuntiationem non excludi legitimos hæredes docent Beroius *c. in præſentia n.* 553. *de Probationibus* Decius *ibi n.* 283. Redoanus *de ſpoliis Eccleſiaſt. q.* 8. *in principio n.* 71. Manuel. Rodriguez *quæſt. regul. tom.* 2. *q.* 80. *art.* 2. *in princ.* & probabile reputat Sanch. *lib.* 7. *ſum. c.* 3. *n.* 13. *& 97. fine* alios referens.

PVNCTVM XVII.

Quid dicendum ſit de Renunciatione facta iure Trident. ſpectato.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſtatuerit Trident.*
2 *Illatio ex ſupradicto Trident. decreto.*
3 *Comprehendat ne hoc decretum ingredi volentes religionem? Affirmant plures.*
4 *Verius eſt oppoſitum.*
5 *Comprehendit nouitios maiores ſexdecim annis.*
6 *Non comprehendit teſtamentum, nec donationem cauſa mortis, nec reuocabilem.*
7 *Donatio irreuocabilis ex natura ſua, quæ ſit magni momenti comprehenditur.*
8 *Poſſitne dari mutuum à nouitio præſtita ſufficiente cautione de redditu, ſi religionem deſerat? Affirmant plures verius eſſe oppoſitum.*
9 *Debet fieri renunciatio intra duos menſes proximos profeſſioni, & qualiter hoc intelligatur.*
10 *Requiritur licentia Epiſcopi.*
11 *Non eſt opus dari in ſcriptis.*
12 *Et ita firma, vt à nouitio reuocari non poſſit.*
13 *Non transfertur dominium in reſignatarium quouſque profeſſio valida ſequatur.*
14 *Negat Sanch. ante profeſſionem debere tradi monaſterio, ſi in eius fauorem fiat reſignatio.*
15 *Verius eſt oppoſitum.*
16 *Fit ſatis fundamento Sanch.*
17 *Vt renunciatio hæreditatis patris viuentis in fauorem alicuius extranei effectum habeat, debere monaſterium cedere affirmant plures.*
18 *Verius eſt opus non eſſe monaſterij ceſſione.*
19 *Satisfit oppoſitis.*

1. TRidentin. Conſilium *ſeſſ.* 25. *de Regul. c.* 16. In hæc verba decernit. Nulla renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcunque cauſæ piæ valeat niſi cum licentia Epiſcopi, ſiue eius vicarij fiat, intra duos menſes proximos ante profeſſionem; ac non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione. Aliter verò facta etiamſi cum huius fauoris expreſſa renunciatione etiam iurata ſit irrita, & nullius effectus; ſubditque conſilium per hæc ſe non intendere aliquid innouare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis iuxta pium eorum inſtitutum à ſancta Sede Apoſtolica approbatum Domino, & eius Eccleſiæ inſeruire poſſint, Addit item, ſed neque ante profeſſionem excepto victu, & veſtitu nouitij, vel nouitiæ illius temporis quo in probatione eſt quocunque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius monaſterio aliquid ex bonis eiuſdem tribuatur, ne hac occaſione diſcedere nequeat, quòd totam, vel maiorem partem ſubſtantiæ ſuæ monaſterium poſſideat, nec facilè ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit; quin potiùs præcipit Sancta Synodus ſub Anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat; & vt abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur, quæ ſua erant. Quod vt rectè fiat Epiſcopus etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ſi opus fuerit, compellet.

2. Ex hoc decreto manifeſtè conſtat, etſi iure communi ſpectato quælibet renunciatio, & obligatio inter viuos ante, vel poſt nouitiatus ingreſſum valida eſſet: Spectato tamen hoc decreto inualidam eſſe, & nullius effectus, niſi facta fuerit intra duos menſes proximos profeſſioni & de licentia ordinarij. Item nihil monaſterio ex bonis nouitij dari poſſe, nec recipi præter victum & veſtitum. Denique in Societate Ieſu hoc decretum locum non habere. Vt autem doctrina huius decreti, quæ maximè neceſſaria eſt, lucidior fiat aliquas difficultates proponam, & ea qua potuero breuitate enodabo.

3. Prima difficultas eſt circa perſonas, quarum renunciatio, obligatio, ſeu donatio interdicta eſt hoc decreto; an inquã cõprehendat eos, qui ante religionis ingreſſum eo intuitu de bonis ſuis diſponunt? Affirmant tanquam probabiliùs Nauarr. *conſ.* 7. *&* 8. *de donationib. in antiquis & conſ.* 81. *de Regular. in nouis* Flamin. *de reſignat. lib.* 3. *q.* 13. *n.* 9. Mol. de iuſt. *tract.* 2. *diſp.* 139. *verſ. ambiget rursus, & diſp.* 149. *verſ. quoad Eccleſ. & t.* 3. *diſp.* 604. *n.* 2. Leſſ. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 39. *&* 40. Azor. *l.* 13. *c.* 9. *q.* 2. Eman. Sà verbo *relig. n.* 5. Zeballos *in ſuis comm. opin. q.* 115. *in fine*, & alij plures relati à Barboſ. & Sanch. aliiſque Doctoribus ſtatim referendis. Mouentur præcipuè ab inconuenienti, ne huius decreti diſpoſitio reddatur fruſtranea, & illuſoria, quod ſine dubio videtur contingere, ſi renunciatio eorũ, qui religionem ingredi intendunt valida perſiſtit. Si enim conſilium annulat renunciationem, & donationem nouitiorum, ne nouitij difficilem è religione egreſſum habeant ob factam bonorum renunciationem, & difficilem illorum recuperationem, conſequenter etiam debet irritare renunciationem ante ingreſſum factam eo intuitu. Tum quia ex eadem inconuenientia inferuntur. Tum quia conſiliatis diſpoſitio ſuo fruſtratur effectu. At ſatis in iure receptum eſt legis diſpoſitionẽ ex vno caſu ad alium extendi, quando eſt eadem ratio, *l. illud ff. ad legem aquiliam, & l. à Titio ff. de verb. obligat.* & conſtat ex adductis *tract.* 3. *de legib. diſp.* 5. *punct.* 3. §. 4. Item extendi, quando ſi non extenderetur, redderetur aliàs vana & eluſoria diſpoſitio, *c. ſi ciuitas de ſent. excomm. in* 6. *& c.* 2. *de vſuris in* 6. vbi Gloſſ. & Doctores. Neque obſtat ſi dicas hoc verum eſſe, quãdo caſus ad quem legis diſpoſitio debet extendi cõtinetur ſublata verborum forma legis: Secùs verò quando non continetur. Quia ſub hoc decreto ſatis videntur contineri parati ingredi religionem: Quia enim ſic parati, exiſtunt tanquam ingreſſi debent reputari, *argum. leg. pen. ff. de milit. teſtam.* Vbi proximè accingendus reputatus pro accincto. Deinde quia textus de cuiuſlibet renunciatione ante profeſſionem loquitur, neque ad religionis ingreſſus diſpoſitionem reſtrinxit ibi *nulla quoque renũciatio.* Quòd ſi duas; ex illo aduerbio *quoque* quod copulatiuum eſt, & diſpoſitionem ſequentem cum antecedenti coniungit, colligitur ſatis loqui textum de ingreſſis in religionem: ſiquidem loquitur de iis, de quibus præcedens decretum locutum fuerat, inde infertur te debere affirmare ſolũ prohiberi renunciationem, & obligationem illorum, qui 16. annum non expleuerunt; quia ſolum de ipſis præcedens decretum loquitur. Hoc autem communiter à Doctoribus reprobatur (vt videbimus.) Non igitur diſpoſitio ad ſolos nouitios, & in religionem ingreſſos extendenda eſt.

4. Nihilominùs veriorem, & probabiliorem reputo ſententiam negantem extendi ad eos, qui religionem ingredi parati ſunt, nec tamen ingreſſi: Sic tradunt aliis Menoch. *l.* 2. *de arbitr. caſu* 436. *à n.* 3. Nicol. Garcia 11. *p. de benefic. c.* 9. *n.* 15. Sanch. *l.* 7. *ſum. cap.* 5. *numer.* 4. Barboſa 3. *p. de poteſt. Epiſc. alleg.* 99. *num.* 17. Man. Rodr. *tom.* 3. *quæſt. regul. quæſt.* 16. *art.* 1. Teſtantúrque ij Doctores ſæpe eſſe deciſum, deciſionéſque refert Barboſa *ſuper hoc decretum.* Moueor, quia legis diſpoſitio, & maximè iuris communis correctoria extendi non debet ad caſum ſublata verborum forma non comprehenſum; vt multis probari *illo punct.* 3. *de legibus* §. 4. At huius diſpoſitionis verba ſolum regulares comprehendunt. Tum quia Rubrica ex qua legis interpretatio deſumitur eſt de regularibus, Tum quia verba ipſius id clarè indicant. Nam dictio illa *quoque* copulatiua ſequentem diſpoſitionem cum præcedenti coniungit leg. *tutores quoque ff. de pactis & §. Prætorum quoque inſtit. de iure naturali*, ac ideo clarè denotat loqui de nouitiorum renunciationibns, de quibus ſolis præcedens textus locutus fuerat; neque inde infertur ad ſolam renunciationem minorum 16. annis extendi vt ſtatim probabo. Idipſum indicant illa verba *niſi intra duos menſes proximos profeſſioni*, quæ ſupponunt renunciationem in probatione

esse,& illa finito tempore nouitiatus, & rursus *sed neque ante professionem.* Ergo quamuis eadem ratio procedat in renuntiatione ante nouitiatum, ac in nouitiatu facta legis dispositio ad eam renuntiationem nonextenditur. Ex quibus solutum manet contrarium fundamentum. Nego namque dispositionem huius legis reddi vanam, & illusoriam, ex eo quod ante ingressum possit nouitius bonis cedere,provt sibi placuerit quia ea renuntiatio rata est, ob idque consilium eam reliquit iuris communis dispositioni contentum annullatione renuntiationis,& donationis post habitum susceptum factæ, vtpote frequenter contingentis.

5. Posito autem solam nouitiorum renuntiationem à concilio annullari,est dubium de quibus nouitiis decretum intelligatur. Rationem dubitandi dedit Menoch. lib.2.de arbitrar. *casu* 436.*n.*8.*in* 1.*edit.* Asserens solum extendi ad nouitios minores sexdecim annis,quia his ob immaturam ætatem voluit consulere concilium illa renuntiationis solemnitate.Reliquos verò nouitios maiores sexdecim annis dispositioni iuris communis reliquit,ac proinde censet cedere bonis posse quolibet tempore post nouitiatus ingressum, & absque licentia ordinarij.Mouetur eo quòd huius decreti dispositio, vt dictum est cum præcedenti coniungitur, sed præcedens dispositio solum annullat professionem ante expletum 16.annum factam.Ergo sola ea renuntiatio,quæ ante 16. annum facta fuerit,annullatur.

Cæterum omnino tenendum est cuiuslibet nouitij in quacumque ætate constituti renuntiationem annullari absque solemnitate eo decreto præscripta.Quia illa verba *nulla quoque renuntiatio* solum coniungit præsentem dispositionem cum antecedenti,vt loquatur de his, de quibus præcedens dispositio loquitur,nempe nouitiis,& regularibus,sed non ita coniungit, vt statuat omnes qualitates ad professionem requisitas debere renuntiationi adesse. Aliàs fieri non posset renuntiatio nisi post decimum sextum annum completum,& finito probationis anno, quod est contra præsentis decreti dispositionem permittentem renuntiationem fieri intra duos menses proximos professioni; ac proinde ante 16. annum expletum,& ante nouitiatum finitum.Adde eandem ferè rationem militare ad irritandam renuntiationem post 16. annum, ac antea;cum in omni renuntiatione timeri possit fraus, & metus parentum, consanguineorum,imò & monachorum, cuius vitatio fuit ratio huius legis,& dispositionis,vt tradit Nauarr. *consil.* 8. *de donationibus in antiquis.* Ergo quælibet nouitij renuntiatio absque prædicta solemnitate irritatur.Et ita docent tanquam indubitatum Gutierr. *lib.* 2.*canon.quæst.cap.*1.*nu.*34. Zenido *in decret.collectan.*50.*n.* 5. Valascus de partibus *boner. cap.*16.*num.*27.*Man.*21.*tom.sum.c.*7.*n.*7.*&* *tom.*2.*quæst. regul. quæst.* 47. *art.*13.Sanch.*lib.*7.*sum.capit.*5. *numer.* 7. *&* 8. August.Barbosa 3. *p.de potest.Episc.allegat.*99.*num.*18.*& alij apud ipsos.*

6. Secunda difficultas est, quæ renuntiatio, obligatio, & donatio sub hoc decreto contineatur?Constat ex dictis *punct.* 14.non comprehendi eam,quæ ex se reuocabilis est,& nullum libero egressui impedimentum præstat; comprehendi tamen eam,quæ natura sua irreuocabilis est, & difficilem reddit egressum,& tradit vltra ibi allegatos Molin.tom. 3. de iustit. *disput.*604.Menoch.*volum.*4.*cons.*388.*num.*7.Sanch.*lib.*7.*cap.* 5.*num.* 15. Quocirca non comprehenditur testamentum, nec donatio causa mortis, neque facta sub conditione, si in religione perseueraueris,vt diximus *eo punct.*14. quamuis de hac vltima plures contrasentiant; similiter non comprehenditur contractus onerosus emptionis, venditionis, conductionis locationis, in quibus tantundem reciperes quantum dares; quia moraliter loquendo ex his contractibus nihil amittis; ac proinde non te impediunt à libero religionis egressu;& ita docet Manuel.2.tom.summ.*cap.*7.*n.*4.Sanch.*lib.*7.*sum.c.* 5.*n.* 31.*&* *n.*33.Bene addit contractus Societati, & ludi, quibus te æquè lucro, ac iacturæ exponis, hoc decreto non prohiberi; quia nec minuunt patrimonium, nec reddunt difficiliorem è religione egressum.Secùs est (inquit *n.*34.)de contractu fideiussionis etiam pretio accepto:Quia semper obligatio terminatur ad assecurandam maiorem quantitatem, quam est pretium receptum; ac proinde semper adest periculum iacturæ, & paupertatis.

7. Porrò dubium non est donationem hoc decreto prohiberi;nam esto non sit propriè renuntiatio, est tamen quædam illius species,& quæ patrimonium efficaciùs minuit, & donantem obligat donatum tradere donatario: Sic Nauarr. *lib.*3.*cons.tit.de donation.con.*7.*&* 8.*aliàs* 81.*&* 82. *tit. de Regul.*Menoch.*de arbitrar.lib.* 2. *casu* 436. *n.* 7. Sà *verbo religio.* 5. Molina *tom.*1. *disp.* 139.*vers. ambiget preterea* Sanch. lib.7. sum.*c.*5.*n.*20.Suar.tom.3.de Relig.*lib.*5.*c.*16.*num.*11.Limitant tamen ferè omnes hi Doctores ne intelligatur de donationibus magni momenti; & quæ patrimonium notabiliter minuerent; qua de causa licitum est nouitio,vel nouitiæ præbere necessaria ad victum, & vestitum, ex cuius ratione honestatur propinæ, aliique sumptus, qui in egressu monialium fieri solent,pertinent enim ad nouitij victum.An autem monesterio aliquam eleemosynam tametsi exiguam vltra victum, & vestitum præstare possis, sicuti potes aliis extraneis, non caret difficultate ob verbum illud, neque ante professionem *excepto victu, & vestitu aliquid ex bonis ipsius* quod tum propter negationem imbibitam, tum propter exceptionem victus, & vestitus quamlibet eleemosynam excludere videtur. Sed omnino dicendum est exiguas eleemosynas, nec patrimonium notabiliter minuentes non excludere;quia monasterium non debet deterioris esse conditionis, quam alij pauperes, neque nouitius impediri debet ab operibus pietatis, quæ eius liberum è monasterio egressum non impediunt.Neque consilium huic intellectui obstat; cum enim dicit *neque aliquid* excepto victu, & vestitu esse monasterio tribuendum; subintelligitur quod magnum sit, vt satis indicant illa verba. Ne hac occasione discere nequeat;quod totam, vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facilè si discesserit id recuperare possit. Ergo donationes,quæ totam, vel maiorem partem substantiæ non exhauriunt, hoc decreto non videtur prohiberi, sed potiùs permitti. Sanchez lib.7. sum. *capit.*4.*numer.*22.Suar.tom.3.de Religione *lib.* 5. *cap.*16. *num.*11.

8. Grauior est dubitatio de mutuo; an ex bonis nouitij monasterio dari possit præstita à monasterio sufficiente cautione, vel fideiussione de redditu nouitio religionem deserente? Manuel Rodriguez 2.*tom.summ.cap.*7. *n. vltimo.* Testatur graues Doctores Academiæ Salamanticensis affirmasse esse licitum, nec ipse nec Sanchez,aliique Doctores referendi id audent condemnare, tametsi censeant esse ab hoc contractu abstinendum. Ratio ea esse potest;quia non est vera pecuniæ renunciatio, hec donatio, sed quædam illius limitata,& temporalis concessio, ex qua nullum nouitio sequitur damnum,nullâve difficultas in eius recuperatione, si è religione discesserit. Sed dicendum est, & in praxi omnino seruandum, nullomodo posse tale mutuum concedi, etiamsi daretur mutuum sub obligatione reddendi illud aliquo,vel aliquibus mẽsibus ante professionem: In quo casu Suarez *statim referendus* nonnullam verisimilitudinem reperit: Sic expresse docent Valascus de partitione *c.*16. *num.* 32. quem refert, & sequitur Sanchez, *lib.*7. *sum.c.*5.*num.* 24. Suar. *tom.* 3. *de Religione lib.*5. *c.*9. *in fine n.*16. tametsi *tom.*4. *tract.*9. *lib.*1.*cap.*11. *num.*4. Contrarium in aliquo casu videatur sentire: Inquit enim dotem dari posse monasterio, cum primum monialis ingreditur sub cautione,& securitate, quòd sine difficultate reddetur, si monialis exierit præcipuè accedente Episcopi approbatione. Fundamentum nostræ sententiæ est, quia Tridentin. prohibet omnem renunciationem, donationemve irreuocabilem, sed mutuum est quædam iuris renunciatio, & donatio saltem pro limitato tempore; siquidem per mutuum mutuatario dominum, & vsus rei mutuatæ transfertur absque potestate reuocationis, quousque terminis solutionis aduenial. Ergo comprehenditur sub hoc decreto fauorabili. Adde regulariter in mutui recuperatione difficultates adsunt, esto in vno vel altero casu cessent, quod sufficit, prohibitio ad ipsum extendatur. Restabat examinare; an renuntiatio beneficij sub hoc decretò comprehendatur; sed de hac te diximus *tr. de benef. disp.*6. *punct.*2.§.2.

9. Tertia difficultas est de qualitatibus requisitis ad validam & licitam renunciationem, obligationem & donationẽ. Duplicem tantum conditionem consilium expostulat ad huius renunciationis, obligationis, vel donationis valorem, scilicet vt fiat intra duos menses proximos professioni, & de licentia Episcopi,seu eius Vicarij.Cũ dicit intra duos menses proximos, clarè indicat quolibet die illius vltimi bimestris posse renuntiationem fieri. Quod si professio vltra annum nouitiatus ex aliqua causa differatur, non est opus renunciationem fieri intra bimestre proximum professioni, quæ de facto emittitur, sed sufficit si fiat intra bimestre proximum professioni, quæ emitti poterat, proinde vt fiat aliquo die vltimi probationis bimestri:Sic tradit Sanch.lib.7.sum.*cap.*5.*n.*81.*&* 32. Barbosa 3.p. de potestat. Episcop. *alleg.* 99. *n.*11. *& ita declarat.consilij.* Refert à sacra congregatione decisum. Si autem ex dispensatione Pontificia ante 16. annum expletum, & ante finitum annum nouitiatus professionem faceres, credit Sanchez & Barbosa, te non esse dispensatum, vt bimestri proximo renuncies,sed necessario eodem die professionis debere renunciare:Quia dispensatio ætatis, & nouitiatus non infert dispensationem renunciationis vtpote omnino distinctam. Cæterum veriùs credo eo casu te posse intra bimestre ante professionem renuntiare, non quod dispensatio ætatis, & nouitiatus extendatur ad renuntiationem; sed quia illa dispensatione posita absque vlla alia potes intra bimestre proximum professioni renuntiare: quia consilium nihil aliud expostulat, nisi quod renunciatio fiat intra bimestre proximum professioni, siue professio post annum differatur, siue ex dispositione anteponatur facta verò renunciatio si religionem deseras, esto finito anno nouitiatus perit, neque reuiuiscit &

iterum

iterum religionem ingrediente, quia nullibi est cautum, vt benè aduertit Sanc. lib. 7. sum. *c. 5. n.* 84. Credo tamen & repetendum esse nouitiatum (vt superiùs probauimus) & renunciationem faciendam esse intra bimestre professioni proximum, ac si nunquam renunciatio facta esset, quamuis contra sentiat Sanch. *suprà.*

10. Rursus consilium expostulat ad huius renunciationis, obligationis, seu donationis valorem, licentiam Episcopi, seu eius Vicarij, quod non solum habet verum in monasteriis iurisdictioni Episcopi subiectis, sed etiam exemptis, quia in hac parte omnia sunt illi subiecta, sicuti sunt ad explorandum nouitiæ voluntatem. Et prudenter sic statutum est, vt maiori, cum libertate nouitiorum renunciatio fiat, præterquam quod nouitius eo tempore non plenè religioni subiectus sit Sanch. lib. 7. summ. *cap. 5. n.* 74. Barbosa *alleg. 99. n.* 7. Rodrig. *quæst. regul. tom. 2. quæst. 47. art.* 14. Quid autem nomine Episcopi, seu eius Vicarij intelligatur ? Sæpè diximus intelligendum esse Episcopum electum, & confirmatum, tametsi nondum consecratum, non autem Archiepiscopum comparatione suffraganeorum, nisi causa ad ipsum per appellationem deuoluatur. Item Abbates, aliósque Prælatos exemptos iurisdictionem quasi Episcopalem habentes in suo districtu, seu Diœcesi, ac denique Vicarium Generalem non foraneum Episcopi, seu capituli sede vacante. Sic Sanch. *à num.* 64. & Barbosa *dicta alleg. 99. n.* 3.

11. Hæc tamen licentia non debet ex necessitate in scriptis concedi ; quia consilium eam formam non expostulat, sicuti expostulauit eadem *sess. c. 5.* Debet tamen præcedere, nec sufficit subsequi vtpote quæ valori actus necessaria est. Quapropter non sufficit petita, sed debet esse obtenta. Satis verò est si ratica sit, & ratihabitione de presenti ; quæ omnia tradit Barbosa *dicta alleg. 99. n.* 10. Sanch. *dicto c. 5. a. 76. & sequentibus.* Præter supradictam duplicem conditionem, cum nulla alia consilium expostulauerit, seruanda sunt quæ de renuntiatione spectato iure communi diximus punct. præced.

12. Quarta difficultas est de valore, & efficacia supradictæ renunciationis, obligationis, seu donationis. Et primò An ita firma sit, vt non possit nouitius in religione perseuerans amplius reuocare ? Qua in re credo certum eam firmitatem habere ; aliàs si pro libito reuocari posset, vt quid ad obligationem ita leuem, & infirmam tam graues circunstantiæ, sicut licentia Episcopi intra bimestre professioni proximum expostulantur ; cum quolibet tempore nouiatus absque licentia Episcopi renuntiatio, obligatio, & donatio reuocabilis fieri possit. Neque obstat huic firmitati esse conditionalem pendentem inquam à professione futura ; quia conditio esto effectum donationis suspendat, non tamen suspendit eius valorem, & firmitatem conditionalem ob ius donatario quæsitum, Sanch. lib. 7. summæ *c. 5. n.* 57.

13. Posito autem illius renuntiationis, obligationis, seu donationis valore, verius credo nequaquam dominium rei donatæ, seu renunciatæ in resignatarium, vel donatarium transferri quousque professio valida sequatur. Quia consilium expressè dicit, vt non intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione ; sortiretur autem suum effectum, si antecedenter ad professionem dominium rei donatæ, seu renunciatæ transferret, esto transferret reuocabiliter. Sanchez *lib. 7. summ. cap. 5. num.* 61. Ex quo fit iam non esse locum opinionibus, an monasterium, an nouitij hæredes eo intestato ante professionem decedente succedant, cum certum sit hæredes succedere ; siquidem illa renunciatio nullius effectus est professione non secuta, & notauit Sanchez *dicto capit. 5. numer.* 51. Manuel. Rodriguez *quæst. regul. tom. 1. quæst. 47. artic.* 12. Notanter dixi, quousque professio valida sequatur. Nam per professionem inualidam quantuncumque continuatam non firmatur renunciato, esto sic præsumeretur. Quia consilium non de præsumptione professionis, sed de vera professione intelligendum est. Firmatum autem eo ipso, quo professio ratificatur, & valida persistit, dummodo renunciatio à principio valida fuerit, (hoc est) ex licentia Episcopi, & in ea ætate, & eo tempore nouitiatus elapso, vt possis intra bimestre profiteri ; aliàs si non expletis decem mensibus nouitiatus, & ætatis quindecim annorum renunciares absque dispensatione, renunciatio nulla esset, sicuti esset nulla omissa Episcopi licentia, neque ex ratificatione professionis firmaretur. sed opus esset eam denuo facere, & ratificare Sanch. *dicto c. 5. n.* 56.

14. Sed dubium est ; an facta hac renunciatione, seu donatione bonorum in fauorem monasterij, monasterio tradi debeant bona ante professionem ipsumque monasterium ea capere possit ? Negat Sanch. lib. 7. summ. *cap. 5. n.* 53. Ea motus ratione, quia consilium prohibet ; irritat, & annullat donationes ex bonis nouitij monasterio factas, ne hac occasione discedere nequeat, néue discesserit facilè recuperare non possit. Ac hæc ratio procedit, si facta renunciatione bona tradantur, eâque monasterium occupet. Ergo dicendum est id esse prohibitum. Neque obstat dicere consilium nouitiis abeuntibus omnia restitui debere, quæ sua erant, in quo videtur supponere monasterio esse traditus. Quia (inquit Sanch. multa traduntur monasterio licitè vtpote pertinentia ad nouitiæ vestitum, ornatum cubilis & lecti, quæ restituenda sunt professione non secuta. Deinde restitui debet, si quid illicitè contra hoc decretum sit monasterio datum.

15. At verius credo ex vi illius renunciationis ab ordinario approbatæ omnia bona renunciata tradi posse monasterio, vel cuicumque alteri resignatario. Moueor quia iure antiquo id fieri poterat quocumque tempore nouitiatus ; eo quod valida erat renunciatio, sed ex tunc valorem renunciationis factæ intra bimestre professioni proximum, & de licentia Episcopo Tridentin. non immutauit, sed potiùs approbauit. Ergo ex vi illius possunt bona resignatario tradi. Deinde Tridentin. in *illo §. sed neque ante professionem* donationes ex bonis nouitij monasterio factas prohibet sub pœna excommunicationis ferendæ tam dantibus, quam recipientibus, quæ fierent ante bimestre proximum professioni, neque ex licentia ordinarij. Nam quæ intra bimestre, & ex licentia ordinarij fiunt nullatenus prohibet, sicut nec renunciationes, & obligationes, sed potiùs licitè dare ; & recipere permitit. Ergo permittit tradi, quia traditio supposito valore donationis nullibi est prohibita. Quod ipse Sanch. *dicto capit. 5. numer.* 11. Libenter fassus est, loquens enim de renunciantibus in Societate concedi bona illorum, qui in fauorem Societatis renuntiarunt, Societati tradi posse ; quia permittendo consilium hanc renunciationem, & traditionem, quæ minus est, permittit. Idem ergo in præsenti debebat dicere. Idipsum confirmant verba finalia illius decreti *nouitiis abeuntibus omnia restituantur, quæ sua erant* quæ supponunt monasterio posse esse aliqua tradita. Neque est restrictio facienda pro solis pertinentibus ad nouitiæ vestitum, ornatum cubilis & lecti ; cum hæc vtpote res exiguæ donari liberé poterant, vel saltem sub victu, & vestitu comprehendi. Neque etiam à sola illicitè tradita, cum hæc etiam non egrediente nouitio deberent restitui, cum nullo tempore potuerunt retineri.

16. Ratio verò Sanch. non vrget. Nam esto eadem difficultas ex illa traditione bonorum, ac ex renunciatione absque licentia ordinarij nascatur ; id solum probat traditionem prohiberi debere ; at non probat esse prohibitam, cùm sub verbis prohibentibus renunciationem non contineatur. Deinde dico nullo modo ex traditione bonorum eadem inconuenientia inferri, quæ inferuntur ex donatione & renunciatione absque illa solemnitate. Nam cum hæc tradantur ex vi renunciationis ab ordinario approbatæ, & ita proximè ad professionem, vel religionis desertionem, nulla potest adesse moralis difficultas in eorum recuperatione, quæ tamen adest ex renunciatione, & donatione absque hac solemnitate.

17. Maior autem dubitario est de renunciatione hæreditatis patris viuentis, alterius ve consanguinei in fauorem alicuius extranei à monasterio distincti ; an præter supradictam solemnitatem, vt effectum habeat requiratur consensus monasterij, & illius cessio ? Affirmant requiri Bologner *leg. fin. num.* 114. *Cod. de probationibus*, *Tellus* Fernandez leg. 6. Tauri *à numer.* 55. *& sequentibus.* Seraphin. de priuileg. Iuramenti *priuileg.* 21. *numer.* 17. *&* 19. *Rosas epitome succession. cap. 7. numer.* 30. Spin *specul. testament.* Glossa 12. *princip. num.* 51. Azor. 2. *part. summ. lib. 2. cap. 28. quæst. 6. in fine*, *& alij plures, quos refert* Couarruuias, Gutierrez. Sanchez *statim referendi.* Mouentur. Quia renunciatio hæreditatis viuentis eo tempore habet effectum, quo decedit is, cuius est hæreditas ; at eo tempore renuntians est incapax acquirendi hereditatem ob professionem factam. Ergo resignatarius illam obtinere non potest, cum non proprio nomine, sed nomine renuntiantis eam obtineat. Infertur ergo monasterium succedere ; quippe in illud iurasuitatis religiosi translata sunt. Deinde si religiosus post factam professionem vellet absque monasterij consensu hæreditatem sibi delatam alteri quam monasterio concedere, nulla esset concessio ; quippe hæreditas non tam ipsi, quam monasterio iura illius habenti defertur. At renunciatio ante professionem facta non sortitur eo tempore effectum, sed post professionem : Cum ergo eo tempore ex voluntate monasterij ; potiùs quam religiosi sortiri effectum possit ex eadem voluntate sortiri effectum debet ante professionem factam. Non enim apparet, qua ratione nouitius solus renunciare possit hæreditatem sibi deferendam tempore quo non tam ipsi, quam monasterio defertur : Est enim renunciatio rei alienæ, & non propriæ. Et in hoc sensu communiter dicitur idem esse rem fieri tempore inhabili, & referri ad tempus inhabile, lege *quo sponsæ, Cod. de donationib. ante nuptias.* Ergo idem est referri renunciationem ad tempus post professionem, quo renuntians est inhabilis ac fieri eo tempore.

18. Cæterum etsi dicta sententia probabilis sit, probabilior tamē est, quæ asserit nulla opus esse cessione monasterij vt hereditas monachi ante professionem renuntiantis resignatario deferatur

deferatur: Sic docent alijs antiquioribus relatis Couarru. *de pactis 3.parte §.2.num.5.& ibi* Gutierr.*§. dum nuptui tradebatur num.* 1. Bacza *de non meliorandis filiabus c. 14. numer.* 31. Gama *decision.*375.*num.*3. Menesea *de successione creation. lib.* 2. §. 18. *à num.* 93. Sanch.lib. 7. sum.*cap.*6.*num.*2.Fundamentum firmum est , quia nouitius renuntians hæreditatem viuentis eo casu , quo eam renunciare potest , seipsum denudat iure succedendi ; & in resignatarium transfert. Quo fit, vt resignatarius ex hoc iure per renunciationem acquisito succedat , & resignans omnino priuatus sit succedendi. Ergo cessio monasterij,aut illius consensus superuacaneus est. Quia monasterium ius succedendi non habet , nisi quatenus monachi personam ius succedendi habentem repræsentat. At monachus etiamsi sui iuris esset,nullum succedēdi ius haberet,quia eo se per renuntiationem abdicauit. Ergo monasterium nullum ius habere potest,ergo superflua est eius cessio , aut renuntiatio. Verum etsi hoc ita sit ; quia tamen contraria sententia probabilis est , iure optimo Couarruuias , Gutierrez , Sanchez censent ad vitandas lites conuenientissimum esse , vt monasterium hanc cessionem faciat, eam enim facere potest absque solemnitatibus in alienatione rerum Ecclesiasticarum requisitis vtpote hæreditatis non delatæ , sed defecendæ.

19. Ad rationem contrariam respondeo , monachum post possessionem incapacem esse in propria persona acquirendi hæreditatem, sed non obeinde fit resignatarium eam obtinere non posse , quia eam obtinet ex iure sibi à monacho tempore habili translato. Monasterium autem succedere non potest, cum nullum ius monachi professione acquirat , recipit enim monachum iure succedendi denudatum. Ad confirmationem concedo renunciationem sortiri effectum post professionem, sed non ex voluntate,aut iure , quod eo tempore monachus resignatario concedat,sed ex voluntate ; quam ante professionem habet , & ex iure, quod tunc concessit. Quapropter hæc hæreditatis delatio metienda est , ex habilitate , quam Monachus tempore renunciationis habebat , non tamen ex inhabilitate , quam habet tempore delationis. Neque verum est Monachum renunciare hæreditatem sibi , vel monasterio deferendam:quia facta renuntiatione nec ipsi, nec monasterio defertur,renuntiat enim ius,quod habet succedendi in illa hæreditate. Illa verò doctrina , qua asseritur idem esse rem fieri tempore inhabili,ac conferri in tempus inhabile,vera est,si ex eadem voluntate , & causa confertur ; at nouitius renuntians hæreditatem patris viuentis quæ resignatario conferenda est tempore,quo ipse nouitius est inhabilis,non ipse confert hæreditatem , sed confert ius succedendi , quod habet , ex quo iure resignatarius succedit ; quippe est ius habile , & expeditum,vtpote collatum tempore habili, quamuis tempore delatæ hæreditatis Monachus inhabilis sit:Est enim hæc inhabilitas omnino per accidens , cum non iuxta illam:sed iuxta habilitatem tempore renuntiationis contingentem delatio facienda sit.*argum leg. nec emptio ff. de contrahend. empt.*

Punctum XVIII.

Quid dicendum de renuntiationibus , obligationibus , & donationibus factis à nouitijs Iesuitarum.

SVMMARIVM

1. *Non habet locum decretum consilij in renuntiationibus Iesuitarum factis iuxta eorum institutum.*
2. *Si extra eorum institutum fiant,non caret difficultate verius est non comprehendi sub eo decreto.*
3. *Facta hac renunciatione in fauorem Societatis Iesu potest Societas ea bona capere,& retinere.*
4. *An renuntians hæreditati patris viuentis in fauorem Societatis,& mortuo patre tempore,quo ipse professus est succedat Societas.Negat Sanch.*
5. *Verius est oppositum.*

1. PRimo præmittendum est tanquam omnino certum, & indubitatum prohibitionem , & annullationem renuntiationis factam à Concilio Trident.*sess.*25.*c.*16.Et solemnitatem ibidem requisitam pro renuntiatione intra bimestre professioni proximum non habere locum in renuntiationibus Iesuitarum factis,iuxta laudabile eorum institutum,cùm expressè consilium eos exceperit dicens. Per hæc tamen non intendit Sancta Synodus aliquid innouare,aut prohibere , quia religio clericorum Societatis Iesv iuxta eorum institutum pium à Sancta Sede Apostolica approbatum Domino , & eius Ecclesiæ inseruire possint.Ex quo fit quocunque tempore nouitiatus,& absque licentia ordinarij nouitios Societatis Iesv suis bonis cedere posse:Et ita tradit Man.Rodrig. 2.*tom.quæst. regular. q.* 47.*art.vlt.*Eman.Sà *verbo religio n.*5.Mol.tom.1. *de iust.disp.*139.*vers.antequam* Less.lib.2.de iustit. *c.*42. *dub.*4.*n.* 41.Sanch.lib.7.sum.*c.*5.*n.*9.August.Barbosa 3. *p. de potest. Episcopi alleg.*99.*in fine.*

Sed quid si nouitius in consanguineos , vel extraneos non egentes , aliáve opera profana renuntiationem faciat, eritne valida renunciatio ? Videtur non esse , quia hæc renunciatio non est iuxta pium Societatis institutum,sed potiùs ei contraria. At consilium solum videtur excepisse renunciationem Iesuitarum factam , quia Domino , & eius Ecclesiæ iuxta pium eorum institutum inseruire possunt. Cum ergo in hac renunciatione domino , & eius Ecclesiæ iuxta pium eorum institutum non inseruiūt videtur sub generali prohibitione comprehendi , ac proinde invalida esse. Cæterum verius censeo validam esse , quia esto constitutiones Societatis præscribant in opera pia pro cuiusque deuotione renuntiationem faciendam esse,at aliter factam non irritant,& annullant,sed potiùs validam esse supponunt , maximè si facta fuerit ante ingressum in Societatem,sed concilium dicit se non intendere innouare, aut prohibere,quin religio Societatis Iesv domino , & eius Ecclesiæ inseruire possit iuxta pium suum institutum. Ergo non innouat , neq,prohibet , quin ipsi Deo inseruiat præstita hac valida renunciatione. At ex instituto Societatis Iesv renunciatio si facta non est ; ante ingressum probationis facienda est,quando superior iniunxerit. At ex dispositione concilij solum intra bimestre professioni proximum facienda est.Ergo conciliaris dispositio renuntiationes Iesuitarum non comprehendit,& ita tradit Sanchez lib.7.summ.*c.*5.*n.*10.

3. Sed inquires,an facta hac renunciatione in fauorem Societatis, possit Societas ea bona capere,& retinere?Respondet oprimè Sanch.*d.c.*5.*nn.*11.capere , & retinere posse.Ratio meo iudicio est manifesta , quia consilium approbat renunciationem , & quamlibet donationem factam à nouitijs Societatis Iesv iuxta pium suum institutum. Ergo approbat donationem,& renunciationem factam in fauorem Societatis , vtpote eius instituto conformem.At ex hac approbatione manifestè sit,bona renuntiata Societati,tradi posse,& debere,cum sit renuntiatio absoluta,& absq;vlla spe recuperationis.Ergo Societas potest ea bona capere , & retinere.Vnde esto in aliis religionibus non possint bona renunciata monasterio concedi ante professionem,in Societate tamen id dici non potest , eo quòd diuersimodè in Societate,ac in aliis religionibus renunciantur. Nam in Societate à puncto renunciationis transeunt renunciata in dominium , & vsum resignatarij absque spe recuperationis,secùs verò in aliis religionibus, vbi renunciationis effectus suspenditur , quousque professio fiat. Neque obstat.Trid.non excepisse Societatem,cum prohibuit aliquid ex bonis nouitij excepto victu , & vestitu dari monasterio , cum solum, de renunciatione , & obligatione , & nouitiorum admissione,vel repulsa locutum est,quia satis clarè ab ea prohibitione Societatem excipit.Tùm approbando renuntiationes, quas eius nouitij faciunt. Tum quia exceptio etsi in medio decreti posita ad omnia contenta in eo decreto extenditur, quando omnium est eadem ratio , vt ex multis probat Menoch.*lib.*4.*præsump.*181.*n.*2.Tum & præcipuè, quia prohibitio illa donationis,vtpote continuata , & connexa cum prohibitione renunciationis , vt constat ex illo verbo , *sed neque ante professionem* cum eisdem restrictionibus,& ampliationibus debet intelligi. Facta autem renunciatio,seu donatio iuxta Societatis constitutiones absoluta est , nec pendet à professione futura: Secùs si extra Societatis normam fieret,vt latiùs dixi. *punct.*15.

4. Supereſt autem ea grauis difficultas enodanda an nouitiis,seu qui post vota biennij hæreditati paternæ renuntiauit in fauorem Societatis, & viuo patre professionem , seu vota coadiutorum formatorum in Societate fecit , & postmodum decessit pater viuente filio , an societas succedere possit in illius professi hæreditatem?Negat Sanch. lib. 7. sum.*c.* 9. *n.* 25. Motus ea ratione;quia si filius decedat priùs quam eius pater, hæreditas patris filio non defertur;quia non potest deferri filio viuente patre , cum viuentis nulla sit hæreditas, leg.*superstitiu.ff.de acquirenda haredit.* At professio in Societate morti naturali æquiparatur;cum nec ipse professus , nec Societas ratione illius capax hæreditatis esse potest. Ergo. Et confirmat exemplo fratrum minorum , quorum ratione monasterium succedere non potest, sed æquè professi Societatis sunt hæreditatis incapaces. Ergo.

5. Sed hæc fundamenta leuia sunt,vt ob illa denegetur Societati supradicta hæreditas. Nam vt ipsemet Sanch. pluribus in locis testatur,præcipuè *lib.*7.*cap.*3. *num.* 68. *& 78. & seqq.* Molina de Hispan.primogen.*lib.*1.*c.*13.*circa finem n.* 94. Mors ciuilis,qualis est professio morti naturali æquiparatur , quando eundem effectum habet , secùs quando diuersum habere potest.At in præsenti professio in Societate diuersum effectum à morte naturali habere potest,quia hæc professio non extinguit iura Societatis in tertium translata , sed quæ ipse professus eo tempore haberet deinde illa hæreditas parente mortuo

non

non defertur professo Societatis, sicuti nec professo aliarum religionum in fauorem collegij operisve pij renuncianti, sed defertur ei in cuius fauorem facta est renunciatio ob ius acquisitum per renunciationem, vt ipsemet Sanch. multis allegatis probauit *c.6. n.2.* & nos diximus *precedenti punct. circa finem.* Ergo illa hæreditas defertur Societati ob ius per renunciationem concessum à professo tempore quo validè concedere poterat. Neque obstat quod professus tempore quo moritur pater & defertur hæreditas Societati sit incapax succedendi, quominùs Societas succedat; quia non succedit ex iure quod professus eo tempore Societati concedit, sed ex iure quod renunciando concessit, quod professione nullatenùs conceditur, sicuti neque in religione minorum ius succedendi, quod illius ordinis religiosus ante professionem in aliquod collegium capax succedendi renunciatione transferret, extingueretur professione ipsa, sed potiùs omnino firmaretur, vt ipsemet Sanch. concedit *dicto c.3. n. 79.* Conuenientia autem minorum cum professis Societatis in eo sita est, vt sicut minores facta professione incapaces sunt acquirendi hæreditatem, nec monasterium illorum causa, sic nec professi Societatis, neque Societas ratione ipsorum.

DISPVTATIO II.

De susceptione Religiosi status per professionem, eiusque priuilegiis.

EX dictis disput. præced. punct. 1. & 2. constat religiosum statum consistere in traditione, quam vnusquisque de se facit religioni à sede Apostolica approbatæ per vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Quæ frequenter solemnia sunt, sed aliquando vt in Societate sunt simplicia. In quo autem hæc diuersitas consistat ibi explicuimus. Quæ verò desiderantur, in sequentibus declarabimus. Traditio per vota solemnia est propriè, & rigorosè professio, lata tamen quæ fit per vota simplicia. Agendum igitur est de his, quæ ad vtramque requiruntur, deque earum obligatione.

PVNCTVM I.

Quibus modis professio statum religiosum constituens fieri valeat, & an in Societate IESV dari possit tacita professio, seu interpretatio per vota biennij.

SVMMARIVM.

1 *Professio alia tacita, alia expressa, & de vtriusque conditionibus.*
2 *Debet fieri professio traditione continente votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ.*
3 *Si fiat sub conditione repugnante obseruationi paupertatis, castitatis, & obedientiæ ea in religione præscripta non tenet.*
4 *Si fiat sub conditione honesta de futuro. Affirmat Sanch. ab eo puncto, quo conditio purgatur, validam fore.*
5 *Verius est nouum requiri consensum.*
6 *Professio tacita inducebatur gestatione habitus professorum.*
7 *Item exercitio alicuius actus professorum.*
8 *Concilium non disposuit de professione tacita, dummodo in ea seruentur conditiones præscriptæ in professione expressa.*
9 *Qua differentia sit inter professionem tacitam & expressam.*
10 *In Societate Iesu non est locus professioni tacitæ.*

1. PRofessio religiosum statum constituens duplex est tacita, vel expressa, vt constat manifestè ex cap. *Religiosi de sententia excomm. in 6.* Ibi quamuis autem is, qui religionem ingreditur, religiosus censeri cum effectu non possit, donec sit tacitè, vel expressè professus. Expressa est, quæ verbo, scriptura, aliisque nutibus declarantibus consensum exprimitur. Tacita, quæ ex signis à iure statutis inducitur. Declaremus primo expressæ professionis formam, deinde subiiciemus signa tacitæ. Ad formam, & essentiam professionis expressæ non est per se opus verbis, vel scriptura, sed quomodocumque consensus siue verbo, siue scripto, siue nutibus declaretur, professio fiet; quippe est contractus religiosi cum religione, de cuius natura est, vt q ollibet signo declarante consensum perfici possit. Excipe tamen nisi in aliqua religione statutum sit scripturam, & verba esse essentialia, vt contingit in religione Societatis Iesu, in qua vt deciditur 5. *p. constit. c.3.* Professio fieri debet scripto, & ex scripto coram domesticis, & externis legi: ibi illud autem essentiale est, vt publicè votum legatur coram iis de Societate, & externis qui adfuerint, atque vt tanquam solemne emittatur, & admittatur; & tradit Azor 1. *p. l.12. instit. moral. c.5. q.7. in fine* Sanch. *lib.5. sum. c.3. n.4. & loquens de Societate* Suar. tom.3. de Relig. *lib.6. c.12. n.2.* Verum esto in aliis religionibus hæc forma necessaria non sit, est tamen conuenientissima ad claram professionis factæ probationem, sedandásque lites quæ ex contrario facto oriri possunt, iuxta Textum *in c. vidua 20. q.1. verbo scriptis, & ibi* Glossa. Quapropter professus tacitè compelli potest à religione, vt in scriptis professionem faciat, quia id religioni conuenit, & iuri est conforme, & ipsi professo non præiudicat; & econtra ipse professus compellere potest religionem, vt suam professionem in scriptis admittat; quia sua interest, tum vt de professione constet, tum vt eligi in Prælatum possit, à qua electione excluditur, dum expresè professus non est; *c. nullus de electione in 6.* Sic ex Abbate *c. cum causam de electione, n.7. & 8.* & Greg. Lop. *leg.2 tit.7. p.1. docet* Sanch. lib.14. sum. *c.3. n.6.* Ex parte verò illius, qui professionem admissurus est, nulla verba, nec scriptura necessariò requiruntur, sufficit si sufficienti signo eius acceptatio declaretur, vt benè notauit Suar. dicto tom.3. de Relig. *lib.6. c.12. n.2.* Neque item sunt necessarij testes, quia nullibi cauetur sed inter religiosum, & Prælatum compleri traditio potest; sunt tamen conuenientissimi, vt Ecclesiæ constet de statu assumpto, ne liceat retrocedere. Suar. *d.c.12. n.5.* Eadem ratione non est necessarium, esto sit conuenientissimum, vt per propriam personam fiat, sed potest per procuratorem fieri, iuxta regul. 68. *de Reg. iuris in 6.* Ibi potest quis per alium, quod potest facere per seipsum, quando à lege, vel statuto aliter præscriptum non est, sicuti non est præscriptum in præsenti, & colligitur ex Glossa *in dicta reg. & ci. qui ad agendum de procurat. in 6.* Sic docent. Syluest. *religio 3. q.15.* Greg. Lop. *dicta leg.2. tit.7. p.1.* Azor. *lib.12. c.5. q.5.* Suar. tom.3. lib.6. de Relig. *c.11. n.22.* Sanch. lib.5. sum. *c.3. n.7.* Debet tamen Procurator habere speciale mandatum ad profitendum; quia est res nimis ardua, & difficilis, quæ sub generali mandato non censetur comprehendi. Sic Suar. & Sanch. *supra.* An autem debeas exprimere religionem, vel possis electionem religionis procuratori committere? Sanch. negat committere te posse, sed Suar. verius affirmat: quia spectato iure naturæ sufficiens est talis consensus, & iure positiuo contrarium non præscribitur. Illud verò omninò necessarium est, vt procuratorem liberè eligas, & non ex metu, & in illa voluntate perseueres tempore quo contrahit; aliàs nihil fiet. Sanch. & Suar. *locis allegatis, & docent omnes.* Fieri autem in Ecclesia, vel extra habitu religioso suscepto, vel non suscepto necessarium non est vt satis colligitur ex *cap. insinuante. qui clerici, vel volentes, & cap. porrectam de Regular.* & tradit Suar. *c.12. num.24.* Sanch. *c.3. n.12. testimurque esse omnium.*

2. Rursùs hæc professio debet fieri traditione continente votum obedientiæ, castitatis & paupertatis; quia hæc vota (*vt diximus punct. 1. huius tractatus*) sunt de essentia status religiosi. Verum est tamen in aliquibus religionibus solum exprimi obedientiam secundum regulam, sed sub hac expressione castitas, & paupertas vtpote à regula præscriptæ continentur. Et idem est de illo modo profitendi, quem præstant Cartusiani. Promitto confessionem morum meorum paupertate scilicet, castitate, & obedientia: Et ita tradunt ex omnium sententia Rodrig. 2. tom. sum. *cap.8. n.13.* Azor. *lib.11. instit. moral. c.4. q.2.* Sà *verbo religio n.18.* Suar. tom.3. de Relig. *lib.6. c.2. n.12. & 13.* Sanch. *lib.5. sum. c.3. n.3.*

3. Sed est aliqua difficultas; an hæc traditio sub promissione castitatis, paupertatis, & obedientiæ debeat necessariò esse absoluta, vel sufficiat conditionalis? Et quidem si conditio repugnet castitati, paupertati vel obedientiæ ea in religione præscriptæ, probabilius est nullam esse professionem; quia esse valida non potest deficiente aliquo substantiali illius. Qua de causa contractus matrimonij sub conditione repugnante illius essentiæ irritus est, ex *c. fin. de conditionibus apposit.*; & tradunt post alios antiquiores Syluest. Relig. 3. *q. 6. 7. & 8.* Nauarr. *lib.3. consil.20. de Regular. alias 14. de statu monach.* Couarr. 4. *decret.2. p.c.3. §.1. n.8.* Azor. *lib.12. c.5. q.2.* Sanch. lib.5. sum. *c.4. n.92.* Suar. tom.3. de Relig. *lib.6. c.12. n.14.* Colligitur satis argumento à contrario ex cap. *dudum de conuerf. coniugat.* Neque obstat aduersus hanc decisionem *Textus in c. insinuante, qui clerici. vel vouentes* vbi mulier quædam professionem emisit ea conditione adiecta, vt in domo propria cum in omni substantia sua remaneret. Nam vt benè explicant Glossa ibi Abbas Innoc. quos refert, & sequitur Sanch. *l.5. c.4. n.97.* Suar. *c.12. n.18.* Basil. Legionensis lib.3. de matrimon. *c.19. in fine n.10.* Illa conditio non fuit aduersa voto paupertatis; siquidem fuit conditio retinendi domi vsum suarum rerum sub beneplacito tamen superioris potentis illum ex causa honesta reuocare.

reuocare. Secùs verò esset,si vellet eam potestatem excludere,& vsum suarum rerum independentem à Prælati voluntate habere.

4. Si verò conditio de futuro sit indifferens , vel honesta, non leuis controuersia est latiùs tract.de matrimonio examinanda,an ea posita sit valida professio?v.g.in religione approbata, & in manibus legitimi Prælati promittis castitatem , & & paupertatem,& obedientiam,si tuus pater consensum præstiterit,consentit pater,valet ne ab illo punctò professio ? Affirmat Thomas Sanch. lib. 5. summ. *c.4. n.* 88. Et docent loquentes de matrimonio plures , qnos ipse refert , & sequitur lib.6.de matrim.*disp.*8.*n.* 4.*&* 10. Fundamentum præcipuum est , quia consensus præcedens conditionalis purificata conditione , transit in absolutum , & obligationem absolutam inducit.

5. Cæterum veriùs est non esse professionem , nisi nouus consensus accedat:Sic docent loquentes de matrimonio plures quos infert,& sequitur Gutierr.lib.3.can. quæst.de matrimon.*c.*13. *&* 14. & expresè de professione docet Suarez to. 3. de Relig.*lib. 6. c.* 12. *à n.*18.Ratio ea est,quia ad professionem necessarius est consensus,quo professus se religioni tradat,sed consensus sub conditione de futuro non est huiusmodi,quippe non est consensus in traditionem præsentem ,sed in futuram pendentem inquam à conditione. Ergo nunquam potest esse consensus ad professionem sufficiens.Ex quo fit talem professionem , sed votum simplex professionis emittendæ etiam impleta conditione:Et docet Suarez *d.c.*12.*n.*20.

6. Professio verò tacita duplici via iure antiquo inducebatur gestatione habitus professorum , & exercitio actuum professorum,diuersimodè tamen. Primò gestatione habitus professorum,qui habitus vel in calore figura , aut saltem benedictione distinctus esset ab eo,quo nouitij vtebantur, inducebatur professio ante expletum annum nouitiatus per solam triduum perseuerantiam post completam pubertatem cap. *ad nostram de Regul. c. constitutionem eodem tit.* & colligitur argumento à contrario ex *c. statuimus eodem tit.* Dixi gestatione habitus professorum distincti, nam gestatione habitus professorum indistincti nouitiis inquam,& professis communis,& à sæcularibus distincti,non inducebatur professio ex sola triduana *perseuerantia,sed ex annali perseuerantia completa* post *pubertatem*. Si verò ita fit habitus indistinctus, vt non *solum* nouitiis , & professis , sed aliis in monasterio seruientibus sit communis requisitum erat,vt annalis perseuerantia in illo habitu post annos discretionis haberetur, & insuper esset assumptus post pubertatem : Nam si ante pubertatem assumptus esset etiamsi post pubertatem longo tempore portaretur , non inducebat professionem.Nunquam tamen inducitur professio per solam delationem habitus nouitiorum patenter in colore, scissura,vel forma distincti ab habitu professorum.Hæc omnia constant ex *c.is qui* 1. *de Regul. in* 6. *& clement. eos qui eodem tit.& vtroque loco* Gloss.& Doctores.

7. Secundò exercitio alicuius actus professorum communis sententia defendit induci olim professionem, ex *c.vt dub. Regul.* Vbi vidua *sponte* suscipiens velum conuersionis,quamuis *non* sacrum,& in Ecclesia offerens obligationem , quam aliæ Virgines velatæ,& sacratæ offerebant, coacta fuit perseuerare. Ergo ex solo exercitio actus absque habitus susceptione professorum inducebatur professio. Nam velum illud non sacrum distinctum esse videtur à velo professarum,quod sacratum erat.Et ratio esse potest quia non minùs efficax signum est actus,quam habitus:Sic aliis relatis Sylvest. verb. *religio*,3. *q* 19.Azor.1.*p.lib.*12.*c.*4.*q.*3.Sanch.lib.5.sum.*c.*3.*n.*20.Dixi absque susceptione habitus professorum , nam suscipere antea habitum nouitiorum necessarium omnino reputatum ex *d. cap.vidua.* Tum ne præsumatur eum actum professorum exercentem potius esse iurisdictionis alienæ vsurpatorem,quam verum religionis professorem quæ præsumptio cessare videtur assumpto prius habitu nouitiorum. At esto hoc commune sit probabilius tamen existimo cum Suar.tom.3.de Relig. *lib. 6. c.*19.*à n.*8. Nunquam induci professionem tacitam ex vsu , & exercitio actuum professorum absque habitus professorum saltem communis dilatione. Nam hæc induci non potest nisi ex signis à iure statutis : Quia est præsumptio iuris , & nullibi ius statuit exercitium actus professorum cum habitu nouitiorum à professis distincto esse signum professionis ; neque id colligitur,ex *c.vidua.* Poterat enim esse non sacrum, quia non erat velum Virginum , quod benedici solebat;bene tamen viduarum professarum,quod benedictione carebat.Posito autem habitu professorum,si subsequatur actus professus proprius in ætate pubere inducit professionem tacitam. Sed an illo actu requiratur triduana perseuerãtia?Affirmat Suar,*lib.*6.*c.*19.*à n.* 14.eo quod in *c.constitutionem de Regul.in* 6.Expresè dictum sit triduanam perseuerantiam in delatione habitus professorum necessarium esse ad inducendam tacitam professionem, & cum nullam exceptionem fecerit exercitij actuum professorum,ab illa debemus abstinere. Neque obstat in dicto *c. vidua* videri esse factam exceptionem.Tum quia ille textus antiquior est,& consequenter per textum in cap. *constitutionem* censebitur limitatus.Tum & præcipuè quia non de professione solemni , sed de voto simplici castitatis videtur intelligi. At non est recedendum à communi sententia , quam pluribus firmat Sanch. *lib.* 5.*sum. c.*3.*n.*21.Dicens assumptione habitus cum exercitio actus professorum,tametsi non sit triduana perseuerantia , sufficiens esse ad inducendam tacitam professionem consentit Lessius *lib.*2. *c.*41.*dub.*7.*in princ. n.* 47. Laym. lib.4.sum.*tract.*5.*c.*5.*in prin.* Ratio esse potest;quia sola tridua delatio habitus professorum in anno nouitiatus absque vllo actu professorum inducit tacitam professionem.Ergo ex actu professorum nulla specialis præsumptio inducitur , si in actu professorum cum delatione habitus professi tridua perseuerantia requiratur. At communis sententia defendit induci tacitã professionem actu professorum:ergo debet induci sine tridua delatione habitus professorum. Ad *caput constitutionem* facilis est solutio:Licet enim generaliter dictum sit requiri delationẽ habitus professorum per triduum,hoc intelligẽdum est absq;exercitio actus professorum,vt sic iura iuribus cõformẽt.

8. Concilium autem Trident. nihil de professione tacita specialiter disposuit ; ideoque dispositioni antiquæ negotium reliquit , dummodo conditiones præscriptæ pro professione expressa seruentur,nempe,vt præcedat integer nouitiatus annus,& signa exhibeantur post ætatem 16. annorum completam. Quia ante eam ætatem professio fieri non potest. Ergo nullum esse potest signum professionis:Sic Suar.*to.*3. *de Relig. li.*6.*c.*20.*n.*4.Insuper debet profitens cognoscere eo signo tacitam professionem induci,& ea intentione illud præstare consentiente eo,cuius est admittere:sic Less. Sanch. Laym. & vniuersi Doctores docent. Quocirca si professurus potestetur se nolle eo signo assumpto professionem emittere, non solum in foro conscientiæ , sed neque in externo professus reputari debet;quia illud signum non est vera professio , sed est signum professionis,quod cessat contraria voluntate expresè declarata.Sic Glos.*clem. fin.verbo professorum, de Regularibus* Sylvest. *religio* 3.*q.*19.Nauar.*comment.* 4.*de Regularibus n.*74. *notabili tertio.* Sanch.lib.5.summ.*c.*3.*n.*35.Laym. *lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 5. *in principio.*

9. Sed inquires,quæ differentia sit inter professionem tacitam , & expressam ? Respondeo duplicem à Doctoribus assignari. Prima,vt ex vi professionis tacitæ non ita adstrictus sis illi religioni *in* qua professus es , quin ad laxiorem transire possis.Habetur cap. *constitutionem de Regularib. in* 6. Sed hoc priuilegium non cuilibet tacitæ professioni concessum est,sed illi tantum,qui intra annum nouitiatus habitum professorum per triduum assumit:quia de sola hac tacita professione loquitur dictus textus vt latè explicuit Suar. to. 3.de Relig.*lib.*6.*c.* 21.*n.*6.*&* 1.Sanch.lib.5.summ.*c.*3.*n.*27. Quocirca cum hæc tacita professio post Trid.locum non habeat,non est cur in hac differentia explicanda immoremur. Et hinc cessant illæ difficultates,an hæc professio sit vera professio solemnis , vel tantum habeat vicem voti simplicis religionis assumendæ. Et *qualiter religio,in* qua quis professus est;obligata sit illum retinere, cum tamen ipse obligationem non habeat in ea perseuerandi. Secunda differentia,& præcipua est,quod tacitè professus non potest in Prælatum eligi illius religionis , ne alterius, & meritò;vt sic vitentur dubia , quæ ex electione oriri possunt,*c.nullus c.indemn.de elect.in* 6.& ibi Glos. Suar. *d.lib.* 6.*c.*21.*n.*15.Sanch.lib.5.*c.*3.*n.*6.

10. Rursùs inquires;an in Societate Iesv locum habeat tacita professio , seu incorporatio per vota biennij ; Respondeo breuiter per se locum non habere,& de professione est res manifesta,cum essentiale sit scripto publicè legi 5.*p. constit. c.* 3. De incorporatione per vota biennij sic probatur;quia hæc iudici non potest,nisi post biennium nouitiatus assumas habitũ incorporatorum eorũmque actibus te ingeras ex intẽtione te in Societatem incorporandi,& ex consensu eius,qui potestatẽ haberet te in Societatem admittendi.At cum in Societate nullus sit habitus specialis incorporatorum,nullusque actus , qui nouitiis communis non sit;nullúmque tempus determinatum admissioni,sed post biennium admissio differri potest ex voluntate superioris,iuxta *c.*1.*n.*12.*&* c.4.*n.*43.*examin gener.&* 5. *p.c.*1.*in fine.* Neque item sit præscriptum quo in gradu quis post nouitiatum admittendus sit ; an ad vota scholarium, vel coadiutorum formatorum , vel professionem trium votorum, vel quatuor votorum , ergo non potest induci professio , seu incorporatio tacita ; & ita docet Suar. tom.4.de Relig. *tract.* 10.*lib.*3.*c.*8.*à n.*3.Adducens pro se Nauarr.*comment.*4.*de Regular. n.* 76. Neque inde fit professionem,vel incorporationem expressam nullam ratificari non posse ; potest vtique sicut in aliis religionibus : Sed hæc non tam est tacitæ professionis emissio,quam expressæ reparatio.

PVNCTVM

PVNCTVM II.

Quæ conditiones seruandæ sunt ex parte profitentis, vt professio valeat, & an eædem sint seruandæ in Societate IESV, in votorum Scholarium emissione.

§. I.

Expenditur conditio ætatis, & nouitiatus ad professionem requisita.

SVMMARIVM.

1 *Decimus sextus ætatis annus requiritur etiam in Societate Iesu pro votorum Scholarium emissione.*
2 *Ex Trident. decreto non impeditur, quin in aliqua religione maior ætas requiratur, at in nulla videtur de facto requiri cum decreto irritante.*
3 *Integer annus nouitiatus requiritur.*

1. PRima conditio ad professionem requisita est, vt in ætate legitima fiat; quæ ætas licet iure antiquo esset pubertas completa. *c. firmæ 20. q. 1. c. ad nostram, de Regul. & c. 1. eodem tit. in 6.* At nouo iure Trid. *sess. 25. cap. 15.* Decimus sextus annus completus expostulatur, vt sic maiori cum consideratione, & libertate status hic altus difficilis, & perpetuus assumatur.

Dubium tamen est; an hæc ætas in Societate IESV requisita sit pro votis Scholarium? Et ratio dubij est; quia horum votorum emissio non est vera professio, & concilium solum de professione videtur locutum, ibi in quacunque religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante 16. annum expletum. Neque ratio, qua motum est concilium ad hãc ætatem adstruendam in professione videtur procedere in hac Societatis incorporatione, cum hæc non sit per se indissolubilis, sed ex Societatis consensu dissolui possit. Cæterum omnino dicendum est eam ætatem 16. annorum in hac votorum emissione requiri, sunt in professione, quia concilium vsum est ibi nomine professionis gratia frequentioris vsus; quod enim intendit est, ne status religiosus assumatur ante eam ætatem, siue assumatur votorum solemnium, siue simplicium emissione. Nam quomodocunque assumptus fuerit quantum est ex parte assumentis perpetuus est, & omnino indissolubilis; eáque de causa voluit, vt maturo concilio, & consideratione prudenti assumeretur. Adde si consilium vellet Societatem sub hoc decreto non comprehendi, eam excipperet, sicuti fecit decreto subsequenti. Præterea iuxta constitutionem Societatis non potest quis ante 16. annum expletum incorporari, quia non potest recipi ad nouitiatum ante 14. expletum, neque incorporari ante biennium. Ergo tam ex constitutione Societatis, quam ex Trident. non potest quis in Societate vota solemnia, aut simplicia facere per quæ verè religiosus fiat, nisi expleto decimo sexto anno: Et ita docuit Sanch. *lib. 5. sum. c. 4. n. 7.* Suar. tom. 4. de Relig. *tract. 10. vbi de Societate lib. 3. c. 6. n. 3.*

2. Præterea dubitari potest, an hæc ætas ita sit determinata, vt in nulla religione maior requisita sit? Et quidem ex vi Trident. manifestum est non impediri, quin in aliqua religione statui possit cum decreto irritante maior ætas, imo tale statutum Trid. decisione faueret. Igitur in religione minorum statutum est neminem esse ad professionem admittendum, qui 18. non attigerit, sed cum hoc decretum non contineat clausulam irritantem, tenebit professio ante illam ætatem, sicuti tenebit facta in monasteriis insularum, quorum meminit Gregor. relatus *in c. qui autem 20. q. 1. & c. quia in insulis de Regul.* Ob eandem rationem, & tradit Suar. tom. 3. de Relig. *lib. 6. c. 3. n. 7. &* 8. Sanch. *lib. 5. sum. c. 4. n. 6. cum* Rodrig. *tom. 3. q. regul. q. 17. art. 20.* Barbosa in remiss. *concilij decisum refert, & tradit. 3. p. de potest. Episc. alleg. 101. n. 15. alios refert.*

3. Secunda conditio requisita ad professionem est integer nouitiatus annus. De qua conditione, & quomodo locum habeat in Societate, satis diximus præcedenti disputatione.

§. II.

Qualiter professio libera debeat esse, & absque errore.

SVMMARIVM.

1 *Inualida est professio metu cadente in constantem virum. Et idem est de votis biennij in Societate Iesu.*
2 *Incussus hic metus acceptanti professionem non annullat.*
3 *Error in substantialibus professionem annullat, secùs in accidentalibus.*
4 *An decipiens in re aliqua graui accidentali expelli possit? Alij affirmant, alij negant, sub distinctione respondetur.*

1. TErtia conditio ad professionem requisita est, vt professio libera sit à metu graui, seu cadente in constantem virum. Et quidem si hic metus professi incutiatur, omnes Doctores sentiunt irritam reddi professionem saltem iure Ecclesiastico; quia sic supponitur consuetudine introductum in *c. 1. de his quæ vi*, vbi fœmina ex metu professionẽ emittens non compellitur in professione perseuerare. Idem colligitur ex *c. cum dilectus eod. tit.* Quæ conditio etiá in voti Scholarium Societatis locum habet, quæ intercedente graui metu omnino irritantur. Quia *Text. in d. c. 1. de his quæ vi*, non tam professionem strictam, quam assumptionem status religiosi intellexit, vt indicant illa verba, timore mortis religionem intrauerit: Et quæ tradit Trid. *sess. 25. c. 19. de Regul.* Ibi quicunque regularis prætendat se per vim, & metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professionem fecisse, &c. Ecce quomodo concilium pro eodem vsurpat religionem ingredi, ac profiteri. Constat autem emittentem vota Scholarium Societatem ingredi, verúmque statum religiosum assumere. Ergo si metu graui factum est, nullius erit effectus, & ita pro certo tradit Suar. tom. de Relig. *tract. 10. lib. 3. c. 6. n. 6.*

2. Sed non est leue dubium, an hic metus acceptanti professionem incussus irritam professionem reddat? Videtur quidem irritam reddere ex *cap. porrectum de Regul. & c. ad Apostolicam eodem tit.* Vbi ad professionem æquè voluntas emittentis, quam Prælati acceptantis requisita est; consistit enim in mutuo contractu religiosi cum religione; & ita tenet (licet obiter) Less. *lib. 2. de iustit. c. 41. dub. 7. n. 61.* Sed contrarium probabilius iudico cum Suarez tom. 3. de Relig. *lib. 6. c. 4. n. 19.* Quia metus non annullat professionem iure naturali, sed positiuo, vt latè probaui, *tract. de voto*, sed ius positiuum non disponit de metu Prælato professionem admittendi incusso, vtpote rarò vel nunquam contingenti; sed solum de metu incusso profitenti: Ergo solus hic metus annullat professionem, & non alius. Nam in decretis non est facienda extensio de vno casu ad alium, præcipuè cum eadem ratio non procedit: Neque obstat ad professionem vtramque voluntatem & religiosi, & religionis requiri; quia diuersimodè requiri potest: Nam religiosi voluntas requiri potest cum omnímoda libertate libera ab omni metu, & coactione, non sic Prælati voluntas, quæ si libera simpliciter sit, sufficit.

3. Quarta conditio est, ne professio, seu Societatis incorporatio ex errore; vel ignorantia circa religionis substantialia fiat, quia hæc tollunt substantialem consensum, eáque de causa iure ipso naturali reddunt professionem, seu incorporationem irritam: Sic ex omnium sententia tradit Sanch. lib. 4. sum. c. 2. n. 4. Suar. to. 3. de Relig. *lib. 6. c. 5. à n. 3. & to. 4.* de Relig. *tr. 10. lib. 3. c. 6. num. 7.* Hic autem error vel ignorantia etiam contingere potest ex parte Prælati admittentis, si error sit in persona admissa, aut in conditionibus substantialibus requisitis, vt benè notauit, Suarez *d. tom. 3. lib. 6. cap. 5. in fine.*

Dixi in conditionibus substantialibus: Nam ex solo errore in accidentalibus non redditur irrita, sicut neque matrimonium. Ex quo deciditur non esse irritam professionem tacentis morbum contagiosum scilicet morbum gallicum vel similem, quo declarato non admitteretur. Quia cum hic morbus, neque ex iure, neque ex speciali religionis constitutione, (vt suppono) professionem annullet, eius ignorantia seu error ed admittentem errorem in accidentibus, non in substantia pertinet? Et ita docent Nauarr. *lib. 3. consil. tit. de Regular. cons. 25. aliàs 48. n. 2. &* 3. Man. Rodrig. 2. *to. sum. cap. 6. n. 3. & to. 3. q. reg. q. 17. art. 9. & aliis relatis* Sanch. li. 5. sum. *c. 4. n. 57. & de matr. li. 7. disp. 37. n. 53.*

4. An autem sic admissus expelli possit è religione ob culpam (quam meritò Nauarr. & Sanch. reputant moralem) admissam in huius vitij taciturnitate? Affirmant Nauarr. & Sanch. *d. disp. 37. n. 53.* & Eman. Sà *vtraque edit. verbo religio n. 34.* Negant Man. *supr.* & Sanch. *d. c. 4. sum. n. 57.* Eo quòd non videatur res ita grauis, vt ob eius causam expulsio à religione, quæ grauissimum supplicium est, infligi possit. At

existimo distinguendum ; si tentatis remediis per annum morbus non curatur, poterit expelli tum ob culpam deceptionis, tum ob præcauendum aliorum damnum, & contagij periculum. Verum in Societate Iesu absque vllo scrupulo poterit expelli qui sic decipiendo vota Scholarium emitteret; quia cum sint vota conditionalia, & non solemnia minorem causam ad sui dissolutionem expostulant quam ea quæ ad expellendos alios religiosos professos expostulatur, & notauit Sanch. *lib.5.c.4.n.57.*

§. III.

Declaratur libertas à seruitute requisita.

SVMMARIVM.

1 *Qualiter seruus profiteri possit, & à domino repeti.*
2 *Professio facta absque consensu domini an valeat? Negant aliqui, sed verius est valere.*
3 *In Societate Iesu nulla est professio, sui incorporatio.*

1. QVinta conditio ad professionem est, ne seruitute ligatus sis, fieret enim grauius iniuria domino, si seruus occasione religionis absque licentia domini se subtraheret ab obsequio illius, cui ipse, & sua tradita sunt, colligitur ex *cap. si seruum* 1. & 2. 17. *q.* 4. Verum si hac malitia posita religionis habitum assumeret, & in eo assumpto per triennium computandum vel à die quo dominus id scire potuit, vel vt aliis placet, à die assumpti habitus perseuerauerit absque domini reuocatione, eo ipso ad religionem admitti potest; quia iuris dispositione censetur à domino dimissus *c. si quis incognitus* 17. *q.* 2. At si intra illud triennium dominus seruum suum repetierit, etiamsi professionem fecisset, debet reddi fide tamen accepta de impunitione, vt habetur in *d.c. si quis incognitus.* Quod si dominus noluerit professum seruum habere, sed vt pretium illius sibi reddatur, probabile satis est obligatam esse religionem eius voluntati acquiescere, si culpabiliter hunc seruum ad professionem admisit: Si autem nullam culpam commisit, non apparet ratio, ob quam domino teneatur æstimationem serui reddere; sufficienter enim videtur satisfacere seruum reddendo. Et in his communiter Doctores conueniunt apud Sylueſt. *verbo relig.2.q.3.* Greg. Lopez *leg.6.tit.7.part.1.* Sanch. lib.5. sum. *c.4.à n.42.* Suar.tom.3.de Relig. *lib.6.c.6.per totum.* Lessium *lib.2.c.41.dub.3.n.31.*

Difficultas autem est; an illa professio ante triennium facta absque consensu domini valida sit, teneatúrque seruus in religione perseuerare domino non repetente, vel sui iuris effectum ad illum redire, nullóque modo matrimonium contrahere? Negant Paludan. *4.dist.38.q.4.art.2.nu.30.* Azor. *1. p.lib. 12.c.1.q.3.* Sanchez *lib.5 summ.cap.4.n.49.* Lessius *d.c.41.dub.3. n.31.* Mouentur, quia seruus quoad actiones vtiles traditus est domino. Non igitur tradere se potest religioni.

2. Verius tamen est validam esse professionem: Sic docent Sylueſt. verbo *religio 2.q.3.* Greg. Lopez, *leg.6.tit.7.part.1.* Suarez *tom.3.de Relig. lib.6. c.6. n.3. & plures relati à* Sanch. *lib. 5.sum.c.4.n.49.* Ratio ea est; quia neque apparet irrita ex iure naturali, neque ex positiuo, Non ex iure naturali: Nam omnia vota seruorum valida sunt, neque dominus ea valet irritare absolutè, sed solum valet impedire vsum sibi damnosum & præiudicabilē. Ergo stare optimè potest, quod professio valida sit, & quod dominus illius vsum quoad obedientiam impedire possit: Neque ob inde fit non vouere obedientiam, vouet inquam in animi præparatione. Ius autem positiuum nullum est hanc professionem irritans, imo ex *c. si quis incognitus* non leuiter colligitur validam iudicari, siquidem triennio transacto admissus ad professionem seruus reddi non debet domino, nisi ob distantiam præsumatur sufficienter non posse à domino reperiri. Ea tamen præsumptione facta & domino reddetur, quamuis professus sit. Supponit ergo textus professionem validam fieri posse domino non consentiente, & non obstante eius valore obedientiæ religiosæ vsum impedire posse.

3. Illud tamen est omnino certum in religione Societatis Iesu nullam esse professionem, seu incorporationem per vota biennij à seruo factam quia est vnum ex quinque impedimentis essentialibus. *Exam.gener.c.2. & 1.p.const.cap.3.*

§. IV.

Expenditur libertas à matrimonij vinculo requisita ad professionem.

SVMMARIVM.

1 *Statuitur casus difficultatis.*
Professio sine licentia coniugis nulla est, obligat professentem non petere debitum.
3 *Potest hic religionem deserere absque licentia coniugis, sed non absque authoritate iudicis.*
4 *Extenditur doctrina, quamuis coniux in sæculo manens professioni facta consentiat.*
5 *Coniux in sæculo relictus non potest ad religionem migrare.*
6 *Licentia per metum extorta nulla est.*
7 *Si religionem ingrediaris ex licentia coniugis non seruantis conditiones à iure præscriptas, validus est ingressus.*
8 *An reuocari possis? Sub distinctione respondetur.*
9 *Reuocatus petere debitum non potes.*
10 *Si seruatis conditionibus à iure præscriptis religionem ingrediaris, valida, & licita est professio, & explicantur conditiones.*
11 *In Societate Iesu nec professio, nec incorporatio tenet coniugati, nisi seruatis conditionibus præscriptis à iure.*

1. SExta conditio ad professionem requisita est, ne professus matrimonio consummato ligatus sit. Dixi *consummato.* Nam ante consummationem licitus est ad religionem transitus, si aliud impedimentum non obstet; post illius consummationem similiter licitus est, si detur occasio perpetui diuortij ob fornicationem, hæresim, vel sæuitiam: Sic tradunt omnes. Latè discutiendum tract. de matr. Quare disputatio præsens solum procedit, quando post matrimonium consummatum, nullāque data occasione perpetui diuortij ad religionem transis, & in ea profiteris, quod tripliciter contingere potest: Primò; nulla alterius coniugis concessa licentia. Secundò: Ea concessa, at non seruatis conditionibus à iure præscriptis; Tertio, iis omnibus seruatis.

2. Circa primum casum siue ex malitia, siue ex ignorantia processeris, nulla est professio facta ob præiudicium coniugis, cui est ius quæsitum: habetur expresè *c.placet, & c. quidam de conuers. coniugat.* Eáque de causa coniux in sæculo manens poterit te ad suum consortium reuocare, tū que debes obedire, reuocatus tamen debitum petere non potes, esto tenearis reddere; quia illa professio quoad obligationem non petendi acceptata fuit ab Ecclesia, vtpote quæ non cedit in præiudicium coniugis non consentientis; constat ex dicto *c. placet, & c.quidam.* Quod intelligendum venit, nisi expressam voluntatem haberes non aliter te obligandi ad castitatem, quàm dependenter ab statu religioso, quia hac expressa voluntate posita nulla potest esse obligatio; cùm nullus verè sit religiosus status assumptus: sic Lessius *lib.2.c.41.dub.3.n.25.* Thom. Sanch. *lib.7.de matr.disp.34.n.5* Ioan. Gutierr. *lib.3.canon.quæst.tract.de matr. c.95.n.20.* Basilius Legionen. *lib.9.de matr.c.11. n.4.* Suar. *t.3.de relig.lib.6.c.7.n.6.* At secura hac expressa voluntate censetur Pontifex traditionem illam sub hac obligatione tantum acceptare; qua posita mortuo coniuge nō poteris licitè aliud matrimoniū inire, benè tamen validè; quia non est votum castitatis solemnè, sed simplex, vt tradit Gloss. *in c.* Agathosa, verbo *debeas, 27. qu.2.* Sanch. *pluribus relatis, d. disp.34.n.5.* Gutierr. *c.95.n.41. Basil.c.11.n.5.* Non tamen es obligatus ad religionem migrare; quia in illa professione inualida non religionem promisisti; sed religioni te tradidisti, & cū hæc traditio nulla fuerit, ex nullo capite hæc obligatio oriri potest, ideôque in dicto *c.quidam,* dicitur te non teneri ad religionē redire, & in *c.placet* asseritur id consultius, & congruētius esse; & docet Sanch. *d.disp.34 n.12.* Gutierr. *n.23. Basil.n.7.*

3. Difficultas autem aliqualis est; an non petente coniuge possis tu propria authoritate religionem deserere? Affirmat. Tho. Sanch. *disp.34.n.15. relatis glossa* Innocent. Archidiacon. & Bellamera. Mouetur; quia soli professionis virtute astringi poteras in religione perseuerare, sed professio non tenuit, vt dictum est: ergo cessat causa obligationis. Item repugnante coniuge si non exires, esse alieni raptor. Secundò probat ex *c. accedens de conuers. coniugat.* vbi vir professus de licentia vxoris metu extorta exit à religione, neque à Pontifice ob exitum reprehenditur: idem habetur ex *cap.2. num.33. q.5.* vbi Alexand. II. inquit non violentia, sed ex pari voluntate, & consensu hoc debet fieri, & in *cap.vna sola, 33. quæst.5.* ait Augustin. Nam & vouenda talia non sunt à coniugatis, nisi ex consensu, & voluntate communi, & si præposterè factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quàm persoluenda promissio.

Sed dicendum est, te posse religionem deserere in supradicto casu absque petitione coniugis, non tamen absque iudicis ordinarij authoritate. Priorem partem huius conclusionis persuadent mihi nuper relata pro sententia Sanch. Neque ei aduersatur Text. *in c.placet, De conuers. coniugat,* ibi. Redire vero ad seculū in eius potestate non erat, sed in potestate mariti; quia intelligi debet de redditu ad sæculum coniugali copula intercedente, vt ex contextu constat, quod in sola mariti potestate erat; siquidem ipsa à debiti petitione ob votum castitatis emissum impedita erat. Non tamen ibi negatur posse ad sæculum redire à petitione debiti abstinendo. Secundam conclusionis partem probat Trident. *sess.25.c.19 de regularib.* vbi cauetur neminem posse habitum religionis dimittere, nisi

causa

causa nullitatis coram ordinario examinata ; aliàs tanquam apostata debeat puniri. Et merito sic statutum est, ne religiosi sumerent occasionem vagandi, cum enim publicè Ecclesiæ constiterit de professione, publicè etiam debet constare de eius nullitate, vt dissoluta censeatur ; & ita sustinet Basilius Legionen. *lib. 11. c. 11. n. 8.* & Barbosa in supradicto decreto. Neque aduersus hanc partem vrgent relata pro Sanch. Nam esto sic professus contra coniugis voluntatem tenearis te ei restituere, id tamen præstare debes iuris ordine seruato, scilicèt authoritate iudicis, qui causa cognita nullitatem professionis declaret. Ex Text. *in c. accedens*, nihil nobis aduersum infertur. Fatemur virum illum ad sæculum rediisse; at non constat quomodo redierit, an scilicet propria authoritate habitum dimiserit, vel prælatus illum expulerit causa cognita, vel ob defectus aliquos. Neque nobis contradicit Text. *in c. 2. notificasti*, 33. *q.* 5. ibi enim solum dicitur non debere virum ab vxore recedere, & monasterium ingredi extorta licentia ab vxore, sed pari consensu, & voluntate, quod clarius colligitur ex lectione apud Iuonem, & quæ in Panormit. legitur; ibi neque vir in monasterium recipiendus est, nisi vxor illius fœmineum monasterium elegerit, aut Professa continentiam habitum cum festinatione mutauerit. De desertione habitus religiosi suscepti nihil speciale notatur à Pontifice; ex relatione tamen partis ad petitionem vxoris, & consequenter causa cognita religionem deseruisse, ibi. Postea vero cũ sanus factus esses, tuæ vxoris teclamationibus, eiulationibus, & planctibus tuæque familiæ dispersionibus deuictus vtpote pœnitens domum remeasse, & post multos dies quorundam sapientum consilio ad iam dictæ mulieris cubile rediisse. Minus obstat *text. in c. vna sola*, ibi enim non exprimitur qualiter corrigenda sit temeritas illius qui inconsulto coniuge ad religionem transit. Quare datur locus asserendi corrigendam esse iudicis authoritate.

4. Extendenda est supradicta doctrina, esto coniux in sæculo relictus tuæ professioni inualidæ factæ consensum præstat. Nam ex supradicto consensu non tollitur professionis nullitas; ac proinde liber es ad habitum deferendum Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 34. n. 16.* Basil. Legionen. *lib. 9. c. 11. nu. 11.* Idem est etiamsi moriatur coniux, quia morte ipsius non firmatur professio, sed nouo consensu indiget, nouáque prælati acceptatione. Verum est tamen prædictum consensum, & acceptationem præsumi, si cognita morte in religione maneas professorúmque actibus te ingeras, iuxta Text. *in c. consuluit, de conuers. coniugat.* sic Sanch. *à. n. 18. Basil. n. 12.*

5. Aduertendum vero est coniugem in sæculo relictum non posse te inuito ad religionem migrare ; quia tua inualida professio ius transeundi ad religionem coniugi non concedit, cum non sit causa perpetui diuortij, sic aliis relatis Sanch. *dicta disp. 34. n. 23.* & Basil. *c. 11. n. 13.* Quod si te religionem profitente pariter coniux religionem profiteatur : distinguendum est cum supradictis doctoribus, an factum id fuerit scienter, vel ignoranter; si enim ignoranter factum est, procedunt superius dicta, si tamen scienter, quia cuilibet fuit alterius professio cognita, eo ipso videmini tacitè ad inuicem consensisse.

6. Quæ dicta sunt de ingressu absque licentia coniugis procedunt casu, quo licentia per grauem metum extorta sit ; quia sic extorta nulla est & colligitur ex *c. accedens de conuers. coniugat. & c. notificasti* 33. *q.* 5. Et idem est de licentia dolo graui extorta; quia error tollit consensum colligitúrque ex *c. venies, De conuers. coniug.* & tradunt aliis relatis Sanch. *lib. 7. tota disp. 135.* Gutierr. *de matr. c. 95. n. 24. & 25.* Basil. lib. 9 *c. 11. n. 15.* Quod si coniux nec contradixit tuo ingressui, nec licentiam concessit, sed illius conscius dissimulauit placet Suar. *t. 3. de relig. lib. 6. c. 7. n. 10.* &c. censendum esse ex licentia coniugis profiteri. Sed contrarium verius est, & cõmuni sentẽtia probatum teste Sanch. *dicta disp. 35. n. 13.* Gutierr. *c. 95. de matr. n. 26.* Nam licet in aliquibus casibus dissimulatio reputari possit tacita licentia, non tamen in his quæ dissimulanti præiudicant.

7. Circa secundum casum, quando scilicet ingressus est religionem ex licentia coniugis, ipsa vero in sæculo manens conditiones à iure præscriptas non seruat dicendum est professionem validam esse, at illicitè fieri. Sic ferè omnes doctores paucis exceptis apud Sanchez, lib. 7. de matr. *disp. 33. n. 4.* Gutier. de matr. *c. 95. n. 23.* Basil. Legion. *lib. 9. c. 12. n. 4.* Suar. *t. 3 de relig. lib. 6. c. 7. à nu. 9.* colligitúrque manifestè ex *c.* Agathosa, 27. *qu. 2.* & clarius ex *c. ex parte 9. de conuers. coniugat.* Neque obstat *text. in c. vxoratus de conuers. coniugat.* ibi vxoratus sine licentia vxoris inter eos nullatenus recipiatur, quæ integræ opinionis existat. Quia loquitur textus de vxorato monasterium ingrediente sine licentia coniugis, non autem de eo, qui ingredietur sine coniugis conuersione.

8. Dubium tamẽ est, an à coniuge reuocari possis? Dicendum est, si coniux concedens licentiam votum castitatis emisit, tametsi nolit, cum iuuenis sit, vel de incontinentia suspectus, nullatenus poteris ab eo reuocari. Videtur expresè decidi *cit. de conuers. coniugat.* à cõtrario sensu, inquit enim Alexand. 3. quod nisi vxor ad religionem transierit, vel perpetuam castitatem seruare promiserit, vir potest, & debet de monasterio reuocari. Ergo sola promissione castitatis perpetuæ facta ab vxore denegaretur viro reuocatio. Quod si dicas loqui textum de vxore sene, & incontinentiæ non suspecta, quæ voto castitatis emisso sufficienter satisfacit, obstat esse dictum absque vllo fundamento, & contra verba textus expostulantis vel religionis ingressum, vel castitatis votum, cum tamen in sene, & incontinentiæ non suspecta ingressus religionis requisitus non sit. Neque & iam habet fundamentum, si respondeas procedere textum in vxore ignorante ius. Tum quia id ex textu non colligitur. Tum quia hæc ignorantia nunquam præsumitur. Ratio autem quare reuocari non possis à coniuge licentiã concedente, & votum castitatis emittente est manifesta, quia ob professionem ex licentia factam impeditus es à debiti petitione, & coniux ob votum castitatis ius petẽdi amisit. Quòd si adhuc periculum incontinentiæ subsit, cõpelli debet coniux nõ ad religionis ingressum, sed ad eam clausuram, quæ hoc periculum & suspicionem incontinentiæ tollat, Suar. *d. lib. 6. c. 7. n. 14.* Basil. de matr. *lib. 9. c. 12. n. 5.* Sanch. *disp. 33. n. 27.* Quod aduersus Sanch. existimo procedere, non solũ quando concedens licentiam & votũ emittens ignarus fuit iuris dispositionis, sed etiamsi conscius esset; hoc enim semper præsumitur. Nam ex illa scientia solum conuincitur peccare coniugẽ sic licentiam concedentem, nec iuris dispositionem seruantem, at non conuincitur ad religionem compelli debere, quia ad religionem vtpote statum supernaturalem, & difficilem nemo contra propriam voluntatem obligari potest, Suar. & Basil. *suprà.*

Verum si licentia concessa à coniuge nec ingrediente religionem nec votum emittente, professionem facias potes, & debes ad consortium illius incontinentiæ periculum patientis reuocari: quia sic deciditur in *c. præterea, l. de conuers. coniugat.* ibi dicimus quod nisi vxor ad religionem transierit, aut perpetuò castitatem seruare promiserit, vir potest, & debet de monasterio reuocari. Neque obstat coniugem concedentem licentiam iuri reuocandi professum cessisse ; hoc enim solum probat non posse ex iure sibi competente agere ad reuocationem ; at non probat quominus ex iure ab Ecclesia concessa in fauorem matrimonij, & remotionem incontinentiæ agere possit officio Episcopi implorato. Quod verum habet, quamuis coniux in sæculo manens conscius fuerit iuris dispositionis quia textus in dicto *c. præterea*, nullam differentiam fecit de ignorante, vel sciente iuris, dispositionem, imo satis indicat fœminam admonitam fuisse suæ obligationis. Neque credendum est Pontificem locutum fuisse tantum de coniuge ignorante; cum hæc ignorantia iuris clari, & manifesti raro, vel nunquam præsumatur. Deinde ex concessione licentiæ non videtur coniux obligatus votum emittere, aut religionem intrare, sed tu cui est licentia concessa obligaris non profiteri coniuge votum non emittente, aut religionem non ingrediente. Quare hæc obligatio non tam ex concessione licentiæ quàm ex eo quod tua professio rectè fiat, oritur, ergo posita professione indebitè facta cessat obligatio coniugis, quæ solum erat vt ritè professio emitteretur: & ita tenet latius probans Suar. *tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 7. à num. 3.* Basil. Legion. lib. 9. de matr. *c. 12. n. 5.*

9. Reuocatus vero ad coniugem post professionem factam debitum nullo modo petere potes, tametsi teneatis reddere, quia verè professus es, & voto castitatis ligaris : mortua vero coniuge obligatus es ad eam religionem, in qua professus es, redire ; quia cessauit impedimentum ob cuius causam executio professionis suspensa fuit; Basil. *dicto c. 12. nu. 4.* Suar. *lib. 6. c. 7. n. 15. & 16.*

10. Circa tertium casum, quando scilicet ingredetis religionem seruatis conditionibus à iure præscriptis, nemini est dubium professionem validam esse, & licitam ; quia illis positis cessant omnia, quæ eam inualidam, & illicitam reddere poterant. Hæ autem conditiones sunt vt ex licentia coniugis professio fiat, & insuper si concedens licentiam iuuenis sit religionem ingrediatur, si senex, & incontinentiæ cesset periculum, votum castitatis emittat. Si autem periculum incontinentiæ adsit, religionem ingrediatur, colligitur ex *c. Agathosa, 27. q. 2. & c. qui vxorem, 33. q. 5. cum sis, c. cum vxoratus, c. significasti de conuers. coniug.* Iuuenis inquã tametsi de incontinentia suspectus nõ sit, debet religionem profiteri, quia sufficit ratione ætatis suspectum esse, Sanch. *disp. 32. n. 10. aut c. 95. nu. 9.* Neque satisfacit, si religionem ingrediatur, vt ibi cõmoretur, quia textus supradicti clarè indicant ingressum per professionem requiri, vt pluribus firmat Sanch. *lib. 7. disp. 32. n. 4.* Gutierr. *de matr. c. 95. n. 5.* Basil. *lib. 9. c. 12. n. 3.* Credo tamen satisfacere huic obligationi, si religionem equitum S. Ioannis profiteatur, vt docuit Basil. Legionen. *lib. 9. de matr. c. 12. n. 3.* quia est vera, & propria religio. Neque obstat hos equites non videri remotos à sæcularium hominum conuersatione, quod videtur necessario requisitum iuxta Textum *in c. vxoratus de conuers. coniugat.* cuius causa motus est Sanch. *disp. 32. n. 4. in fine*, Gutierr. *c. 95. n. 5. fine*, ad asserendum professione huius religionis huic obligationis non satisfieri. Non inquam obstat,

quia

quia verè sunt à sæcularium hominum conuersatione remoti, cùm solum ex licentia sui prælati in ciuitatibus cõmorentur, & extra consortium, & cohabitationem mulierũ dispositique sint, vt remoueantur, quando superioribus placuerit. Senex item vt non obligetur ad professionem, sed voto continentiæ emisso in sæculo possit remanere, carere debet periculo incontinentiæ, aliàs obligatur, sicut iuuenis religionem profiteri, vt manifestè probat. Text. *in c.cum is de conuers. coniugat.* & colligitur ex *c. vxoratus, c. ad Apostolicam, c.significauit. eodem tit.* Votum autem, quod emittere debet, est perpetuæ continentiæ, simplex tamen non solemne; quia nullibi à iure solemnizatur, ac proinde ex se matrimonium contrahendum mortuo cõiuge non dirimit, tametsi impediat. Sanch. lib. 7. de matr. *disp.* 32. *à n.* 4. & 8. Basil. Legion. *lib.* 9. *c.* 12. *n.* 3. Gutierr. de matr. *c.* 95. *n.* 7. Quod si tempore nouitiatus religionem deseras, aut ab ea expellaris, cessat votum manentis in sæculo; quippe sub conditione tuæ professionis emissum est. Quis autem debeat dici senex, & sterilis ratione ætatis, vt merito non timeatur incontinentiæ periculum latè disputat Sanch. lib. 7. de matr. *disp.* 32. *à n.* 15. & optimè resoluit communiter in viris esse ætatem sexagenariam, in fœminis quinquagenariam consentit Gutierr. *de matr.* 95. *num.* 2. & 3. Præter has conditiones alij expostulant licentiam Episcopi, sed immeritò; neque enim ad valorem professionis, neque vt licitè fiat, neque ad impediendum reuocationem à manente in sæculo id necessarium est, vt optimè cum aliis pluribus firmat Sanch. *lib.* 7. *de matr. disp.* 22. *n.* 2. Neque obstat Text. *in c. si vir. & vxor*, 27. *q.* 2. ibi si vir, & vxor diuertere pro sola religiosa inter se consenserit vita; nullatenus sine Episcopi conscientia fiat: cui consonat *lex regia. 2. tit.* 10. *part.* 4. Nam hæc non de obligatione præcepti, sed decentiæ, & æquitatis intelligi debent, præcipuè cum consuetudine satis præscriptum sit hanc licentiam necessariam non esse.

11. Hucusque de professione emittenda à coniugato in aliis religionibus à Societate distinctis locuti sumus. At in Societate Iesu credo nullo modo professionem, nec incorporationem validam esse, nisi cum licentia coniugis adsint alia iuris requisita, quibus omnino impediatur reuocatio: sic tanquam probabilissimum defendit Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 3. *c.* 6. *n.* 9. Ratio est efficax: nam vnum ex impedimentis essentialibus à Sede Apostolica approbatis quæ societas habet, est matrimonium consummatum. *Exam. gener. c.* 2. *n.* 4. Sed hoc impedimentum non cessat, nisi obseruentur ea, quæ à iure sunt requisita, vt coniugatus religionem ingredi possit, vt expressè dicitur, *dicto c.* 2. *n.* 6. & *c.* 3. *litt. C.* & 1. *p. constitut. c.* 4. *litt. F.* Quod intelligi debet non solum de requisitis à iure, vt coniugatus validè religionem ingredi possit, sed etiam vt possit licitè aliàs vt quid Societas hoc impedimentum tanquam speciale constituebat? Ergo illis integrè non seruatis impedimentum non cessat.

§. V.

Explicatur libertas à vinculo Episcopalis dignitatis requisita ad professionem.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus religionem ingrediens absque Summi Pontificis licentia grauiter peccat,*
2 *Verius est eius professionem valere.*
3 *Qui nomine, Episcopi intelligantur.*
4 *Non extenditur obligatio Episcoporum ad inferiores prælatos, esto habeant iurisdictionem quasi Episcopalem.*

1. SEptima conditio requisita ad professionem est libertas à vinculo Episcopalis dignitatis, alteriúsve beneficij. Circa quam conditionem regula certissima est. Episcopum absque licentia Summi Pontificis profitentem in religione grauiter peccare; quia ob bonum Ecclesiæ, cui Episcopi sunt addicti, illis est interdictum, *c. licet de Regularib. & cap. nisi cum pridem de renunciat.* & tradunt omnes cum D. Tho. 2. 2. q. 185. *a.* 4. & constat ex iis, quæ diximus, *disp. præced. p.* 7. §. 1

2. Dubium tamen est, an sic facta professio valida sit? Videtur esse non posse; quia professio vinculum Episcopale non dissoluit; illo autem non dissoluto non videtur posse consistere. Non enim apparet, qua ratione religionis obsequio, & regularis prælati voluntati se alligare possit, præcipue cum assumens religionem eligat statum minus perfectum: & ita docet Valent. 2. 2. *disp.* 10. *q.* 3. *punct.* 4. *col.* 1. *vers. tertius casus.*

Cæterum verius censeo cum Suar. *t.* 3. *de relig. lib.* 6. *c.* 8. *n.* 7. professionem validam esse. Ratio est, quia ex iure positiuo irrita non inuenitur, vt cuilibet expendenti. Text. *in cap. nisi cum pridem de renunciat. c. inter corporalia de translat. Episc. c. licet de Regularib.* qui expressius de hac materia loquuntur, constare potest. Ex illis enim solum infertur neminem posse renunciare Episcopatui absque authoritate Pontificis, & cau-

sis à iure præscriptis, non tamen professionem esse nullam. Neque obstat, si dicas impedita, & annullata renunciatione impediri, & annullari transitum ad religionem, qui cum retentione Episcopatus, & obligatione ibi assistendi, & illius munera exequendi non videtur posse consistere. Non inquam obstat, quia religiosi status essentia saluari optimè potest, ex eo quod assumens religioni tradat paupertatem, castitatem, & obedientiam obseruaturus quantum possit; tametsi ex aliqua occasione, & obligatione antecedenti impediatur ab eius plena executione, vt videre licet cum ex licentia coniugis non se conuertentis coniugatus emittit professionem, quæ valida est, cui valori non obstat, quod reuocari debeat ad coniugale commercium, & in religioso profitente, cum parentes graui necessitate premuntur quibus succurrere debet. Et clarius constat in religioso assumpto ad Episcopatum, qui retento statu religioso assumpto ad Episcopatum, & illius natiua obligatione muneris Episcopalis obligationem subiit. Et ex hac ratione constat iure naturali non annullari professionem ab Episcopo factam.

3. Qui autem nomine Episcopi intelligantur? Constat intelligi electos, & confirmatos, obsequióque alicuius Ecclesiæ addictos; tametsi consecrati non sint, quia sic electi, & confirmati, & propriæ Ecclesiæ addicti nullatenus possunt absque authoritate Pontificis renunciare Episcopatui: sicuti decidit in *c. inter corporalia de translat. Episc.* iuncto *c. nisi cum pridem de renunciat.* Dixi Ecclesiæ propriæ addicti, nam si nulli addicti sunt, sed solũ in Episcopos consecrati, poterunt religionẽ nulla requisita licentia profiteri, sicuti possent, si Episcopatui renunciassent, quia cessat obligatio Ecclesiæ, quod est impedimentum assumendi statum religiosum: sic tanquam certum docet Suar. *t.* 3. *de relig. lib.* 6. *c.* 8. *n.* 4. Sed an idem dicendum sit in Episcopis titularibus, & religatis; difficultate non caret. Negat Suar. *d. c.* 8. *n.* 5. eo quod Ecclesiæ determinatæ desponsati sint, tametsi per accidens ab illius obsequio impediãtur vel ob infidelium occupationem, vel ob tyrannorum persecutionẽ. At distinguendum existimo de impedimento per se perpetuo, vel de eo quod remouendũ speratur, si enim impediatur Episcopus ab obsequio Ecclesiæ cui est addictus ob impedimentum, quod aliquando speratur remouendum, nullatenus potest absq; Pontificis licentia religionem profiteri, quia illi professioni minus Episcopale, & obsequium debitum Ecclesiæ possibiliter contingens obstare potest, eáque de causa in *c. post translationem, de renunciat.* ob persecutionis rabiem Episcopus transiens ad religionem indiget Pontificia approbatione. At si impedimentum nullatenus remouendum speratur; eiusque conditionis sit, vt omne munus, & exercitium Pontificialis dignitatis in ea diœcesi impediat, quale regulariter contingit in Episcopis titularibus pro Ecclesiis ad infidelibus occupatis, non videtur probabilitate carere eos Episcopos ad religionem migrare posse, sicuti possent nulli speciali Ecclesiæ addicti: nam quoad effectum & obsequium præstandum idem est; ideoque hic Episcopatus tirularis cum Episcopatu fructifero, & cum aliis beneficiis, & pensionibus compatitur.

4. Hæc autem obligatio Episcoporum petendi, & obtinendi licentiam à Summo Pontifice non est extendenda ad prælatos inferiores, tametsi iurisdictionem quasi Episcopalem habeant, Pontificique sint subiecti, quales sunt aliqui Abbates & Priores, quia *relati text. in c. licet de regularib. & cap. nisi cum pridem. cap. post translationem de renunciat. c. inter corporalia. de translat. Episcopi.* de Episcopis specialiter meminerunt ob altissimum eorum statum. Non igitur debet hæc obligatio ad inferiores prælatos extendi. Ex quadam tamen decentia, & æquitate moneri debet Pontifex, vel saltem Episcopus, cui illi prælati aliàs essent subiecti, docet Suar. to. 3. de relig. *lib.* 6. *c.* 8. *in fine. n.* 13. & 14. cum Panorm. *in d. c. licet. de regularib.*

§. VI.

De necessitate parentum impediente professionem.

SVMMARIVM.

1 *Non impedit professionis valorem.*
2 *Liberes ab obligatione succurrendi parentibus, si monasterium eam obligationem subire vult.*
3 *Qualiter monasterium obligatum sit hanc obligationem subire, si tempore tuæ professionis parentes patiebantur necessitatem.*
4 *In necessitate extrema tenetur filius parenti succurre eo modo, quo possit.*
5 *In necessitate graui affirmant aliqui teneri, etiamsi opus sit habitum deserere.*
6 *Alij negant ad deserendam religionem esse obligatum.*
7 *Tertia sententia media via procedit distinguens de necessitate tempore professionis, vel post modum contingente*

8 *Quilibet ex his sententiis est probabilis.*
9 *Obligatus est filius succurrere parenti in quantum possit salua obedientia, ordinéque religioso, & explicatur quid hoc sit.*
10 *Debet esse necessitas certa.*
11 *Non teneris contra voluntatem prælati ad succurrendum parenti grauiter indigenti deserere religionem, neque prælatus eam licentiam tenetur concedere.*
12 *Si tamen eam concedit, debes religionem deserere.*
13 *Cessante necessitate tenetur ad religionem redire.*
14 *Supradicta procedunt de religiosis Iesuitis non professis.*
15 *Dicta de filio comparatione parentis procedunt de parente comparatione filij, sed non de fratribus, & sororibus.*

1. OCtaua conditio ad statum religiosum est, ne religiosi parentes grauiter indigeant, de qua conditione latè diximus *disp. præcedenti, punct. 7. §. 5.* At non est necessaria ad valorem status religiosi assumpti, sed vt licitè assumatur, quia nullus est textus, quo hæc professio irrita reddatur. Iure autem naturali irrita non redditur etiam deserto parente in extrema necessitate, quippe firma manet religionis essentia, cum te religioni tradas obligatus seruare castitatem, paupertatem, & obedientiam legitima causa non excusante, & ita tanquam omnino certum docent Nauarr. *lib. 3. conf. tit. de regularib. conf. 26. alias 3.* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 3. n. 34.* Sanch. *lib. 4. c. 20. n. 10.* Suar. *t. 1. de relig. lib. 6. c. 9. n. 1.*

2. Posita igitur professione valida dubium est, quales habeas obligationem succurrendi parentibus in graui, vel extrema necessitate constitutis tempore professionis, vel in eam necessitatem incidentibus professione facta? Quia in re præmittendum est tanquam omnino certum, te omnino liberum esse ab hac obligatione monasterio eam volente subire; quia eo casu cessat tui auxilij necessitas, quæ solum esse poterat nemine succurrente, & notauit Suar. *tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 9. n. 30.*

3. An verò monasterium obligatum sit religiosi parentibus succurrere, si ex ingressu reddatur filius impotens ad succurrendum parentibus? Negat *Sanch. l. 4. decal. c. 20. n. 21.* excepto eo casu, quo monasterium in bona ingredientis succedere. Quia solo eo casu monasterium loco filij succedit. Econtra affirmat Angel. verbo *religiosis, n. 31.* Sylu. *verb. relig. 6. q. 9.* Dicendum tamen est monasterium succedens in bonis religiosi obligatum esse iuxta vires hæreditatis illius parentibus alimenta præbere, siue tempore professionis fuerint in necessitate constituti, siue non; quia obligatio hæredis etiam extranei est alimenta præbere ei cui succedit, *leg. si quis à liberis, §. item rescriptum, ff. de liberis agnoscendis.* At monasterium bona filij recipiens hæres est parentum illius, Auth. *de Sanctissimis Episcopis, §. sed hoc præsent. & c. in præsentia in fine, de probationib.* Ergo debet alimenta parentibus præbere. Si vero monasterium bona non acquisiuit, quibus religiosi parentibus subuenire possit, & bona fide religiosum admisit, credens illius parentes grauiter non indigere, aut æque benè in religione filium eis subuenire posse, nullomodo tenetur monasterium ex suis bonis sibi necessariis eos alere. Quia nec tenetur ratione iustitiæ, vt de se constat, neque etiam charitatis, quæ solum obligat in graui necessitate constitutis succurrere de superfluis, & supponunt, Angel. Sylu. & Sanch. *supra.* Quod si monasterium tempore quo professionem religiosi admisit, agnouit illius parentes grauiter indigere, posseque filium religionem non ingredientem eis succurrere, & ex ingressu reddi impotentem, verius censeo cum Angel. & Sylues. obligatum esse subuenire. Quia negari non potest eo casu monasterium causam esse quominus filius obligationi naturali ex pietate debitæ parentibus non satisfaciat. Ergo æquum est, vt illius obligationem subeat. Neque obstat monasterium illud subsidium impediens non peccare contra iustitiam rigorosè sumptam; sufficit quod peccet contra pietatem, quæ strictius obligat ad reparationem vt expresè dixit Suar. *dict. lib. 6. c. 9. n. 24.* Hinc tamen casus raro, vel nunquam contingere potest. Non enim præsumendum est monasterium sic grauiter delicturum.

4. Deinde præmitto parenti in extrema necessitate constituto obligatum esse filium professum subuenire eo modo quo possit, siue parens in eam necessitatem inciderit post professionem, siue antea in ea fuerit constitutus, quia hæc necessitas vtpote grauissima semper inuenitur excepta, & ex alia parte, quia breuissimè transit, absque detrimento religionis subuenire potest, esto necessarium esset à monasterio exire inconsulto prælato, & habitu dimisso: quia non est detrimentum religionis eo breui tempore ob remedium tantæ necessitatis habitum dimittere, eáque de causa non solum parenti, sed cuilibet extraneo eam patienti debebat, si posset, subuenire, sic ex omnium sententia tradit Nauar. *cap. 14. n. 14.* Suar. *t. 3. de relig. lib. 6. c. 9. n. 5.* His præmissis.

5. Triplex est sententia circa necessitatem grauem, de qua est inter Doctores controuersia. Prima affirmat teneri filium inuito prælato subuenire parenti relinquendo religiosum habitum, si opus sit, siue parens fuerit in necessitate tempore professionis, siue post in illam inciderit. Quia obligatio filij comparatione parentis est ita intrinseca, & naturalis, vt non videatur ab ea eximi posse ob statum perfectionis assumptum, censendus enim est assumi salua hac obligatione: Sic Iansen. *in concord.* Euang. *c. 60.* in ea verba *vos autem dicetis,* Palazios *4. dist. 38. disp. 1. in solut. ad 3. & alij relati à* Sanch. *num. 25.* & Suar. *n. 4.*

6. Secunda sententia negat teneri filium professum egredi è monasterio absque legitima prælati licentia, & à fortiori habitum dimittere, esto parens tempore professionis fuerit in graui necessitate constitutus, sic videtur tenere D. Thom. *2. 2. q. 101. art. 4. ad 4.* & ibi Caietan. Cordob. in sum. *q. 141. art. 2. in 4. opin.* Eman. Sà verbo *religio, n. 2. Man. q. regul. t. 2. q. 57. art. 3.* Sanchez aliis relatis, *lib. 4. sum. cap. 20. n. 17.* Layman. *lib. 4. tract. 5. cap. 4. num. 2.* Ratio ea est; quia professione ita mutauit religiosus statum, vt non sit sui iuris, sed prælati; ergo nolente prælato vt è monasterio egrediatur ad subueniendum parentibus, censendus est religiosus factus impotens; quia sicut non potest religiosum statum deserere, ita nec potest obedientiam omittere. Confirmaríque potest exemplo serui, & vxorati, qui contra voluntatem heri, & coniugis non obligantur parenti succurrere, tametsi tempore contractæ seruitutis, vel coniugij parens in necessitate extiterit. Et ratio omnium est, quia obligatio filij succurrendi parentibus est positiua obligans filium iuxta circumstantias temporis, & status assumpti: Ergo si spectato religioso statu huic obligationi satisfacere non potest, cessat in illo obligatio. Et præterea nullus tenetur subuenire damno alicuius speciali cum iactura boni communis; at negari non potest ex obligatione exeundi è monasterio, dimittendíque religiosum habitum præiudicari non leuiter religionem, tum ob carentiam religiosorum sibi vtilium, tum quia tam ipsi, quam alij, quorum parentes inopes sunt tentationibus exponuntur, & inquietudinibus vexantur. Ergo hæc obligatio asserenda non est.

7. Tertia sententia media via procedit, affirmat religiosum professum obligatum esse è monasterio egredi, & habitum dimittere, si opus sit, vt parentibus subueniat casu, quo parentes tempore professionis in ea fuerint necessitate, secus si post professionem in illam inciderint; sic tenent Angel. *verbo religiosus, n. 31.* Sylues. *religio, 6. q. 9.* Nauarr. *sum. 14. n. 15. & comment. 3. de regularib. n. 48.* Tolet. *lib. 5. sum. c. 1. n. 6.* Anton. Cucus *lib. 3. institut. maiorat. tit. 1. n. 126.* Ludouic. Lopez *1. p. instruct. c. 54.* Man. Rodrig. *2. t. sum. c. 6. n. 4.* Suar. *t. 3. de relig. l. 6. c. 9. à n. 8. & seqq.* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 3. n. 34.* Ratio prioris partis est quia filius, qui tempore professionis adstrictus est subuenire parentibus, religioni se tradit cum eo onere, & obligatione. Neque enim æquum erat, vt per professionem à se hanc natiuam obligationem excluderet. Quod exemplo serui tradentis se religione est manifestum, quem dominus potest repetere, sic poterit pater in necessitate constitutus filium eo tempore se religioni tradentem reuocare. Secunda pars huius sententiæ sic probatur; quia obligatio filij succurrendi parentibus, adueniens professioni factæ metienda est iuxta statum religiosum; si quidem hunc filius relinquere non potest, sed status religiosus non permittit inuito prælato è monasterio egredi, & habitu dimisso in sæculo viuere. Ergo filius professionis non tenetur hac via parentibus succurrere.

8. Quælibet ex his sententiis probabilius est, vt satis indicat doctorum authoritas, & rationes, quibus firmantur. Sed quid nobis probabilius videatur, paucis subiungam.

9. Primò dicendum est, te in religione professum obligarum esse parenti in graui necessitate constituto succurrere in quantum possit, salua obedientia, ordinéque religioso, esto necessitas superueniat facta professione. In hac conclusione nullus est, qui dissentiat. Nam ob statum religiosum non desinis esse filius, ergo non es exemptus ab obligatione subueniendi parenti grauiter egenti saltem quantum cum assumpto statu compati potest. Alias si hanc obligationem non haberes comparatione parentis, non esses obligatus parenti potius, quàm extraneo, quod non est dicendum. Sed restat explicandum, quid possis salua obedientia, statúque religioso præstare, vt inde colligamus quam obligationem habeas. Nam alicui videbitur te nihil posse prælato inconsulto, cum sub eius voluntate, & directione sis. Sed dicendum est, si iuxta præscriptum regulæ actiones, quibus subuenire debes parentibus, non sunt absolutè prohibitæ, sed prohibitæ fieri absque licentia, & hæc præsumitur concedenda, absque dubio peti debet sub ea obligatione, quam regula præscribit, quia hanc petere licentiam leue onus est, & statum religiosum non dedecet. Quod si præsumatur neganda, vel de facto negetur, credo te posse, & debere illas exercere secluso scandalo, & violentia, quia cum illæ actiones non dedeceant religiosum statum, sed potius illi sint conformes, solúmque modus extrinsecus licentiæ illis desit, efficitur sanè religiosum eas exercentem substantialiter nihil exercere contrarium suo statui, & Prælatum denegantem eam licentiam, iniquè denegare, siquidem nulla

causa

causa ita efficax proponi poterat honestas concessionum, quod amplius constabit ex modo dicendis. Verum ex voto obedientiæ, vel paupertatis absolutè prohibitæ, quales sunt vendere à te arte facta & pretium illorum parentibus concedere, donata tibi illis tribuere, pecuniam apud te retinere eis distribuendam, regulariter credo omnes has actiones te obligatum esse exercere in fauorem patris grauiter egentis, petitá prius licentia à Prælato, si præsumitur concedenda; quia hæc non dedecent religiosum statum, cum sæpè ex facultate & licentia Prælatorum in fauorem monasterij, vel aliorum exerceantur absque vlla nota, & scandalo, & ex alia parte eas exercens non censetur deficere, & retrocedere à religioso statu, & substantiali religionis ordine. Quoties igitur actiones huius qualitatis sunt, tenetur superior ad eas præstandas licentiam concedere religioso, cuius parentes grauiter indigent, quia est causa satis honestans dispensationem. Quod si non concedit, poterit religiosus illas operari secluso scandalo, & violentia ex præsumpta superioris maioris voluntate, vel potius ex pia interpretatione legis, quæ non censetur causam ita vrgentem comprehendere: sic Sanch. *lib. 4. sum. c. 20. n. 19.* & expressius Suar. *t. 3. de relig. lib. 6. c. 9. n. 27. 28. & 29.* Quocirca existimo filium, cuius parentes grauiter manifestè egent, posse, & debere omnes illas actiones in eorum subsidium exercere, quæ statui religioso indecentes non sunt, quæque illum non immutant, quales sunt dimittere habitum & extra obedientiam regularis prælati viuere.

10. Notanter dixi, quando parentes grauiter *manifestè* indigent; nam si necessitas dubia est, pro certo sentio contra voluntatem Prælati nullatenus supradictas actiones te exercere posse; quia cum certum sit te sub prælati voluntate, & directione esse, nequis ab hac subiectione certa ob causam dubiam te liberare. Non enim dubia, sed certa necessitas parentis te ad subueniendum illi obligare potest, & notauit Suar. *d. c. 9. n. 27.* Quapropter vt hæc debitè procedant, debes Prælato probare, & manifestam facere necessitatem parentis, aliás conqueri non poteris de negata licentia.

11. Verum si intra religionem retento habitu, & seruato religioso ordine subuenire non possis, hoc enim prius tentandum est, & pro viribus procurandum, sed necessarium tibi sit extra claustrum, & obedientiam viuere, & fortè habitu dimisso, credo probabilius te nullatenus posse præstare absque facultate, & dispensatione superioris, siue necessitas professionem anteceserit, siue eam fuerit subsecuta, neque prælatum obligatum esse eam tibi facultatem concedere. Sic doctores secundæ sententiæ. Moueor tam fundamento ibi adducto, quod sanè efficax est. Tum quia communior sententia defendit te non esse obligatum ob grauem necessitatem parentis professioni superuenientem habitum dimittere, sed eadem ratio procedit, cum necessitas antecedit. Ergo in nullo casu censeris obligatus. Minorem probo, quia obligatio dimittendi habitum, vt parenti subuenias, non oritur ex delicto à te commisso in ingressu, sed ex necessitate tui parentis. Si ergo posita eadem, & grauiori necessitate professioni superueniente non obligaris, neque obligari poteris ob necessitatem antecedentem. Neque obstat stante necessitate tui parentis te iniquè, & iniustè religioni tradere, vt inde inferas religionem dimittere posse, vt illi succurras; quia sicut non potes à te excutere obligationem religiosi status, ita nec potes, nec debes subuenire parenti cum illius iactura, & præiudicio. Nec valet exemplum serui, qui inuito domino religionem professetur, qui à domino reuocari potest, quia omnes serui actiones sunt domino debitæ, non sic actiones filij debitæ sunt parenti egenti, sed iuxta filij statum, & conditionem, & præcipuè dum filius est sub patria potestate. Et ex his solutæ, manent, rationes nobis aduersæ.

12. Cæterum etsi inuito Prælato non sit datum Religiosis habitum deserere, & extra obedientiam permanenter viuere, vt parentibus subueniant. At si Prælatus eam licentiam concedat, vt verè concedere potest, quando ad remedium necessitatis est simpliciter necessarium, non dubito quin tunc possint religiosi exire, cum substantialiter ordinem regularem retineant, & sub obedientia maneant: & ita docet Nauarr. *tom. 3. de regularib. n. 49. & lib. 3. consil. tit. de regular. cons. 55. aliàs 71.* Angl. Florib. *2. p. q. vnic. de voto, art. 2. difficult. 13.* Man. Rodrig. *2. tom. sum. c. 6. n. 4.* Sanchez lib. 4. sum. *c. 20. num. 22.* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 3. n. 34. in fine.* Non tamen credo alium prælatum præter summum Pontificem posse religiosis professis licentiam viuendi permanenter extra claustrum dimisso habitu concedere, vt sentit Sanch. & Man. *suprà*; quia est res grauissima, neque Episcopis concessa, benè tamen vt possint viuere retento habitu.

13. Illud verò est omnino certum, cessante necessitate parentis, vel quia iam habet ex quibus commodè sustentari possit, vel quia mortuus est, te obligatum esse ad monasterium redire; quia cessauit causa dispensationis, & succedit obligatio religiosi status, quem adhuc retines. Secus esset, si religiosus esses Societatis non professus, & hac de causa dimissus esses à votis absolutus, cessaret tibi obligatio redeundi, quia religiosus non es, sic Sanch. *lib. 4. sum. c. 20. n. 26.*

14. Quæ dicta sunt de exitu professorum ad subueniendum parentibus, procedunt de religiosis non professis Societatis Iesu, nam hi verè sunt religiosi, & quantum est ex parte sua se religioni perpetuo tradiderunt, sic Sanch. *d. c. 20. n. 25.* Suar. *t. 4. de relig. tract. 10. lib. 3. c. 6. n. 13.* & licet Societas ob ius, quod habet dimittendi, possit religiosum, cuius parentes grauiter egent, quibusque in Societate iuxta communem modum procedendi subueniri non potest, liberum à votis, statúsque religioso dimittere, at nullo modo tenetur, si aliunde religiosus potius vtilis, quàm nociuus sit; quia hæc potestas non in commodum aliorum, sed in bonum ipsius Societatis concessa est, vt benè aduertit Suarez *dicto c. 6. n. 14.*

14. Tandem dicta de filio, cuius parentes grauiter egent, dicenda sunt de parente religioso comparatione filiorum in sæculo manentium,, quia vtrorumque est reciproca obligatio, Suar. *tom. 3. de relig. lib. 6. c. 9. n. 30.* Sanch. *lib. 4. sum. cap. 20. num. 39.* Si verò de fratribus, & sororibus, aliisque consanguineis loquamur, ferè omnes doctores conueniunt religiosum obligatum non esse ob eorum necessitatem statum deserere; esto intra religionem strictiùs obligetur succurrere illis quàm extraneis, Suar. *c. 9. n. 31.* supponit, Sanch. *dicto cap. 20. num. 300.*

§. vlt.

De aliis conditionibus ex parte profitentis ad professionem requisitis.

SVMMARIVM.

1 *Libertas à debitis, ratiociniisque reddendis requiritur ad professionem licitam, sed non validam.*
2 *Item requiritur ne alterius religionis professione obstrictus sis.*
3 *Debet esse carentia simoniæ, excommunicationis, alteriúsve peccati, vt licitè fiat, sed non vt validè.*
4 *In professione monialium debet præcedere examen Episcopi, vt ritè fiat.*

1. NOna conditio ad professionem requisita est libertas à debitis, ratiociniisque reddendis. De qua conditione qualiter religionis ingressum professionem impediat, diximus *disp. præced. punct. 7. §. 4.* ibique statuimus professionem factam ab eo, qui debitis oneratus est, validam esse, neque inde Religiosum obligatum manere, manibus, laborare, aut eleemosynas quærere, aliáve similia præstare; quia debita ciuilia morte ciuili videntur extincta, illorúmque obligatio afficit personam, quamdiu sui iuris est, & quamdiu bona habet. Secus si alteri traditur, & bonis omnino caret. Solum est aduertendum religiosum Societatis Iesu, qui debitis grauatus vota scholasticorum emitteret, possideréque aliqua bona, aut de nouo acquireret, obligatum esse solutioni consentire. Quia his votis vtpotè simplicibus, neque tollentibus rerum dominium, & capacitatem illud acquirendi, non extinguuntur debita; sicuti extinguuntur professione, sed suspenduntur quoúsque bona religiosus habeat. Suar. *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 3. c. 6. fin. n. 16.*

2. Decima conditio est, ne professione alterius strictioris religionis ligatus sis; quia non datur transitus ad laxiorem, imò neque ad æqualem, sed solum permittitur ex laxiori ad strictiorem ascendere. In Societate tamen Iesu ex speciali eius constitutione non solum professio alterius religionis, sed illius habitus assumptio professionem, & incorporationem irritat. Suar. *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 3. c. 6. n. 12.*

3. Vndecima conditio asseritur carentia excommunicationis, simoniæ, aut cuiusuis peccati mortalis. Sed hæc nullo iure irritant professionem, aut Societatis incorporationem, vt pluribus relatis firmat Sanch. *lib. 5. sum. cap. 4. à n. 36.* Erit tamen illicitus talis ingressus, sed diuersimodè; nam ob excommunicationem solum erit illicitus sub culpa veniali, nisi fortè cum professione aliquæ orationes Ecclesiæ adiungantur, à quarum spirituali communicatione excommunicatus etiam occultus priuatus est. Ob simoniam verò sub graui culpa, aliisque grauissimis pœnis est prohibitus, vt constat ex *extrag. 1. de simonia*, & nos dicemus tract. de vitiis oppositis religioni, *disp. de simon. punct. 23.* Peccatum verò mortale etsi professionem per se illicitam non reddat; at est nimis contrarium fini religiosi status, qui est viros ad perfectionem dirigere, & aptos reddere diuino obsequio, præterquam quod impedit, ne professione remittatur pœna debita pro culpis commissis.

4. Duodecima conditio petitur à Trident. pro professione monialium tantum *sess. 25. cap. 17. de regularib.* vt ante professionem examinetur monialis ab Episcopo, an liberè consentiat. Quod examen si omittatur, peccabit mortaliter tam

profitens,

profitens, quam recipiens professionem, quia Trident. sub grauibus pœnis id faciendum præscribit, quippe est bono communi religionis maximè expediens. Man. 2. *tom sum. cap.* 8. *n.* 3. *concl.* 2. Sanch. *lib.* 5. *sum. c.* 4. *n.* 84.

PVNCTVM III.

Quæ sint conditiones requisitæ ex parte illius, qui ad professionem, & incorporationem in Societatem admittere debet.

SVMMARIVM.

1 *Adesse debet aliquis, qui potestatem habet acceptandi traditionem à religioso factam.*
2 *Proponitur obiectio ex votis Societatis Iesu, & fit satis.*
3 *Penes quem sit hæc potestas?*
4 *Ratione excommunicationis non priuatur ea potestate.*
5 *Prælatus superior potest ex aliqua causa irritare receptionem inferioris eo consulto.*

1. DEbere esse aliquem, qui nomine religionis traditionem religiosi acceptet, obligétque religionem ad religiosum retinendum, alendum, & gubernationem iuxta religionis institutum in comperto est apud omnes. Quia professio est mutuus contractus, & reciproca obligatio religiosi, & religionis, colligitúrque ex *cap. porrectum, cap ad Apostolicam de regularib.* Neque ab hac conditione excluditur incorporatio in Societatem Iesu per vota biennij, in qua non solum obligatur religiosus ad perpetuò manendum in societate obseruando paupertatem, castitatem, & obedientiam, sed etiam ipsa religio obligatur ad religiosum retinendum, alendum, & gubernandum, dum causa iusta ad expulsionis non adfuerit, vt benè notauit Sanch. lib. 5. sum. *c.* 4. *n.* 63. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 3. *c.* 1. *fine, & c* 5. *n.* 8. *& cap.* 7. *in princ.*

2. Sed obijcies, 5. *p. constit. cap.* 4. dici vota biennij in nullius manibus fieri debere, inquit enim constitutio. Qui, peracta sua priori probatione, & experimentis per biennium in Scholasticos approbatos admittuntur coram aliquibus domesticis quamuis non in manibus, cuiusque vota sua emittent. Et *in declarat.* subditur, vt hoc votum soli Deo offeratur, & non homini, ita nemo id admittit, propterea in nullius manibus fieri dicitur; si igitur in nullius manibus sit; nullius acceptatione indiget, nulliúsque nomine societas obligatur. Respondeo cum Suar. *locis allegatis* in nullius manibus ea vota fieri quantum ad expressam formam promittendi; benè tamen quoad rem ipsam. Deinde in nullius manibus ea vota fiunt, qui ea ita acceptet, vt societatem obliget ad ea in suo valore semper retinenda, & conseruanda; benè tamen qui ea acceptet; *vt* societatem obliget ad ea conseruanda, & Religiosum retinendum, dum domino gratum esse iudicauerit. Aliàs nulla esset differentia inter hæc vota, quibus quis constituitur religiosus, & vota illa, quæ nouitij tempore nouitiatus ex deuotione emittunt, cum ex parte emittentis eadem forma emittantur, eadémque obligatio sit; sed quia tempore nouitiatus emissa à religione non acceptantur, ea de causa religiosum non constituunt. Constituunt verò emissa post biennium, quia à Societate acceptantur, quodque satis indicauit Gregor. XIII. *in sua constitut. Ascendente*, cum dixit scholares per hæc vota se societati tradere; traditio autem esse non potest sine acceptatione facta ab eo, qui potestatem acceptandi habeat. Dicendum ergo est vota biennij acceptari, & in manibus alicuius prælati fieri, qui nomine Societatis ea acceptet, vt Religiosum retineat quamdiu ad gloriam Dei expediens esse iudicauerit, non autem fieri in manibus alicuius, vt ea perpetuo acceptet, & religiosum perpetuò retineat.

3. Sed est dubium, qui nomine religionis potestatem habeant acceptandi hanc religiosi traditionem? In Societate Iesu compertum est omnem potestatem penes solum præpositum generalem esse, qui eam communicat, quibus ceſet expediens esse, vt dicitur. 5. *p. const. c.* 1. *litt. B.* Regulariter autem etiam ad vota biennij nulli Rectorum generaliter communicatur, sed solis Prouincialibus. In aliis religionibus spectanda est forma à Sede Apostolica præscripta provt vsu, & consuetudine declarata est. Regulariter nullus prælatus absque consensu sui conuentus potest nouitios ad professionem admittere, neque conuentus sine sui prælati consensu; quia illa receptio vtrique vtilis, vel nociua est, & tradunt Nauarr. *lib.* 1. *consil. tit. de constit. conf.* 9. *à n.* 19. Paul Layman. lib. 4. sum. *tract.* 5. *c.* 5. *n.* 5. Man. *tom.* 2. *q. regul q.* 17. *art.* 7 Lessius *li.* 2. *c.* 41. *dub.* 7. *num.* 61. Sanch. lib. 5. sum. *cap.* 4. *n.* 65. Et admissio aliter facta irrita est, vt multis firmat Sanch *supra.*

4. Difficultas est; an si prælatus, vel alius ex requisitis ad receptionem excommunicatus, denuntiatus, vel manifestus clerici percussor existat, valida sit professio ab illo admissa? Videtur non esse; quia ratione excommunicationis priuatus est spirituali iurisdictione. Sed omnino tenendum est validam esse; quia hæc potestas non iurisdictionis spiritualis actus est, cum laicus, & fœmina capax illius sit, & cuilibet monacho particulari competit saltem partialiter. Quæ ratio probat idem esse dicendum de prælato prohibito, seu suspenso ab huius admissionis exercitio; validam inquam esse eius receptionem, tametsi omnino illicitam; quia præcepto, seu suspensione tantum non tollitur potestas, sed impeditur. Excipe nisi cum suspensione, seu prohibitione adesset decretum irritans, sic Sanch. aliis relatis lib. 5. sum. *cap.* 4. *n.* 78. *&* 79.

5. Maior autem difficultas est, an Prælatus superior, v.g. Generalis, vel prouincialis possit potestatem inferioris ad recipiendum ita restringere, vt eo inconsulto irrita sit receptio? Ratio dubitandi est, quia inferior Prælatus, v. g. Prior Abbas, seu Rector conuentus non recipit potestatem recipiendi nouitios ad professionem à Prouinciali, seu Generali, sed, immediatè à Pontifice, seu à tota Religione ex authoritate Pontificis eo ipso, quo superior est, vt supponimus. Ergo nequit superior Prælatus hanc potestatem inferiori restringere, & limitare; quia in ea potestate ei subordinatus non est, neque inferior dicendus. Cæterum verius credo cum Sanch. *lib.* 5, *sum. c.* 4. *c.* 71. id posse iusta, & legitima causa intercedente. Quia esto inferior prælatus potestatem admittendi ad professionem non recipiat à superiore; at vsum, & exercitium illius habet ab illo pendentem, quia id recto religionis regimini conuenit; cum enim sit illi inferior, & subditus absolutè; expediebat in re tam graui plenè illi esse subiectum, & subordinatum. Eáque de causa Nicolaus III. *in c. exiit, de verb signif. in 6. post medium, §. verum quia*, expresè dixit generalem ordinis D. Francisci posse prouincialibus licentiam recipiendi coarctare non obstante, quod potestas recipiendi iure ordinario prouincialibus competat. Duplici exemplo Sanch. *loco allegato* id ipsum confirmat. Primò de parocho, cui iure ordinario competit potestas assistendi matrimonio suorum subditorum, cuius assistentiam ita Episcopus limitare posse videtur in aliquo casu graui, & vrgenti, vt nulla sit eo inconsulto, quia ea suspensione videtur Episcopus sic coniungendos à subiectione illius parochi quoad illū casum excludere. Secundò exemplo Abbatissæ potentis recipere in suo conuentu monialem, cui Episcopus, cum monasterium subiicitur, interdicit, ne eo inconsulta aliquam admittat; aliàs admissio nulla sit; sicut enim si nollent moniales nouitias admittere; eáque de causa conuentui, signato termino, vt volentes recipiat; alioquin suppleret poterit conuentus consensum, sic poterit conuentus consensum in receptione alicuius monialis eo inconsulto suspendere, si id communi bono conuentus expedire iudicauerit. Et ex his soluitur ratio contraria.

PVNCTVM IV.

An si professioni deficiat aliqua ex substantialibus conditionibus, aliquem effectum & obligationem inducat.

SVMMARIVM.

1 *Nulla est obligatio seruandi castitatem, paupertatem, & obedientiam, est professione nulla.*
2 *Proponitur quædam obiectio. Fit illi satis.*
3 *Non est obligatus inualidè professus ratificari suam professionem.*
4 *Nec religio potest compellere religiosum, qui tentauit nullitatem probationis, nec probauit vt ratificet.*

QVæstio esse potest de duplici obligatione, nempe de obligatione seruandi castitatem, paupertatem & obedientiam, & de obligatione ratificandi professionem.

1. Et quoad primam obligationem attinet, dicendum existimo neminem inualidè profitentem siue bona fide, siue ex malitia obligatum esse seruare castitatem paupertatem, & obedientiam: nam horum obligatio oriri non potest, nisi ex verò voto. Sed votum in professione emissum nullum est, nulla existente professione; quippe est illi essentiale, vel accessorium. Ergo nulla est obligatio.

2. Dices in professione considerandam esse traditionem humanam; quia te Religionis tradis, vt Religioni inseruias, & Deo obsequaris, & deinde viam promissam; qua hoc obsequium præstare debet, scilicet obseruando paupertatem, castitatem, & obedientiam. Poterit ergo traditio esse nulla; vel quia non acceptatur, vel quia tu illius incapax es, nihilominus promissionem obseruandi castitatem, paupertatem, & obedientiam firmam persistere, vt satis colligitur ex *c. quidam c. placet, de couers. coniugat.* vbi coniugati irrita professio obligat ad non petendum debitum, & ad abstinendum à matrimonio contrahendo mortuo coniuge ob votum castitatis in illa professione inualida emissum.

In explicatione huius obiectionis stat integra difficultatis solutio. Concedo in traditione illa duo interuenire, & traditionem Religioni factam, & promissionem de castitate, paupertate, & obedientia seruanda. At ita sunt connexa inter se, corruente traditione promissionē corruere necesse sit. Quia vt nemo præsumitur intentionem habere se obligandi ad seruandam paupertatem, castitatem, & obedientiam extra Religionem, sed in Religione. Ergo cessante religioso statu corruit illorum votorum obligatio, nisi expresè de contraria voluntate constet. Solum ab hac regula excipiendus est casus coniugati, qui bona fide professionem irritam fecit, quem text. *in c. placet, c. quidam*, præsumit voluntatem habuisse se obligandi ad castitatem seruandam quantum commodè possit etiamsi professio non subsistat: cui præsumptioni in foro conscientiæ standum est dum de contraria voluntate non constat, non autem præsumit voluntatem habuisse se obligandi ad paupertatem, castitatem, & obedientiam; quia hæc extra religiosum statum raro promittuntur, & minus aptè obseruantur. Obligatio ergo obseruandi castitatem in dicto casu non ex professione inualida ortum habet; quia quod nihil est, nullum producere potest effectū, sed ex voluntate professioni inualidæ adiuncta, & ab illa distincta, quam ius præsumit habere coniugatum bona fide profitentem. Extra hunc casum non credo præsumptionem esse extendendam; quia est rigorosa præsumptio, & contra communem modum operandi, & nullum in iure fundamentum habet. Quod clarius conuincitur, si aduertamus professionē cōiugati non esse ipso iure naturæ nullam, sed iure tantum positiuo, ipsúmque ius positiuum irritare, seu non acceptare illam professionem quoad traditionem, emissionémque votorum paupertatis, & obedientiæ, acceptare verò illam quoad votum castitatis. Cùm autem hæc acceptatio in aliis professionibus inualidis non requiratur, sed potius de nullitate illarum absolutè constat, nulla ex illis relinquitur, nec à iure relicta præsumitur. Et quidem in professione inualida ob defectum ætatis, vel integri anni nouitiatus. Sanch. *l. 5. sum. c. 4. n. 103.* affirmat & bene tanquam omnino certum, nullam relinqui obligationem, vt expresè decidit à Trid. *sess. 25. c. 15. de Regular.* ibi professio antea facta sit nulla nullámque inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel Religionis, vel ordinis obseruationem ad alios quoscunque effectus.

3. Quoad secundam obligationem ratificandi professionem attinet, credo nullam habere sic inualidè professum, siue bona, siue mala fide professus fuerit; sic docent Sanch. lib. 7. de matrim. *disp. 37. n. 38. & 39.* Henriq. *l. 11. c. 11. n. 11.* Lessius *l. 2. cap. 41. dub. 7. n. 65.* Suar. *tom. 3. de relig. l. 7. c. 7. à n. 6.* Ratio est, quia professio est status ita arduus, & difficilis, vt ad illum suscipiendum contra propriam voluntatem obligatus non sis. Dices te non cogi contra propriam voluntatem; siquidem voluntatem saltem in foro externo habuisti religiosi status suscipiendi, & ratione illius cogeris. Sed contra, quia illa voluntas fuit inefficax, & nullius effectus. Ergo ex vi illius voluntatis neque ad obseruationem rei promissæ, neque ad denuo promittendum obligari potes. Et licet in foro externo fueris efficax, & effectum præsumatur habere, quia tamen re ipsa non habet, solum in foro externo cogi potes ad illius obseruantiā, non in conscientia, & secluso scandalo. Quod si instes te non posse probare nullitatem professionis, neque absque scandalo, & periculo maioris damni fugere, & ex alia parte esse obligatum alimenta à religione suscipere, illius priuilegiis vti, tum in recipiendis ordinibus, tum in administrandis Sacramentis, illisve recipiendis, tum in dispensandis votis, tum in suffraganiis ferendis, quæ vero religioso tantum concedūtur. Respondeo in hac perplexitate te getere posse, ac si verus religiosus existeres, quoties absque graui nota id vitare non potes ob ea, quæ dicta sunt *tract. 3. de legib. disp. 1. punct. 26.* Quapropter poteris alimenta à religione suscipere, tum in compensationē laboris, & ministerij à te exhibiti, si fortè æquale sit, tum animo satisfaciendi quando facultatem habueris ea in parte, qua superauerint mercedem tuis obsequiis debitam. Item potetis ordines suscipere: nam licet Ecclesiasticum præceptum sit neminem ordinari posse, quin verus religiosus sit, vel patrimonium habeat, cessat hoc præceptum, in casu vrgentis necessitatis; sicut cessat præceptum, ne excommunicatus, vel irregularis occultus Sacramenta ministret, si se excusare non potest absque suo graui damno. Item administrare Sacramenta, dispensáreque in voti potes virtute priuilegiorum aliis religiosis concessorum ob eandem rationē, & sic absoluti, vel dispensati, verè dispensati, & absoluti manent iuxta *leg. Barbarius, ff. de officio Prætor.* quia habes titulum coloratum cum errore populi. Tu verò recipere Sacramenta pœnitentiæ, dispensari in votis ab iis, qui solum potestatem absoluendi, vel dispensandi habent comparatione religiosorū non potes, vt tradit Sanch. *suprà n. 42.* quia verus religiosus non es, & absque vlla nota te excusare potes, tum manifestando veritatem Confessario, qui in illo foro tibi fidem adhibere debet, tum accedendo ad alios, quorum potestas ad seculares extendatur. Denique suffragia in electionibus ferre potes, & electioni de te factæ consentire, dum via apta euadendi tibi non occurrit fere in his omnibus consentit Nauarr. *lib. 3. cons. tit. de regular. cons. 5. aliàs 26. & comment. 4. de Regular. n. 74.* Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 37. à n. 38.* Lessius *li. 2. c. 41. dub. 7. n. 65.* vers. *notandum*, Suar. *to. 3. de relig. li. 7. c. 2. n. 6.*

4. Sed an Religio compellere possit Religiosum, qui tentauit nullitatem suæ professionis nec probare potuit, vt verè, & ex animo ratificet? Suar. *d. c. 2. n. 7. & 8.* affirmat tanquam probabilius, quia religio habet ius retinendi sic professum. Ergo habet ius, vt debito modo retineat, sed debitus, & conueniens modus retinendi religiosum est votorum vinculis, & professione alligare, quia non debet esse retentio coacta, sed voluntaria: non enim religio catior est, sed paradisus, neq; Deus vult coactum seruum, sed spontaneum. Cæterum etsi hoc sit probabile verius credo cum Nauarr. Lessio, & Sanch. *suprà* relatis, non posse religionem cogere ad veram ratificationem. Nam hæc potestas oriri non potest, nisi ex professione. Ergo pro qualitate professionis est potestas. Cum autem professio vera non sit, sed solum præsumpta, potestas cogendi religiosum vera esse non potest. sed solum præsumpta. Diximus verò *tract. de legib. disp. 1. punct. 14. n. 12.* Leges in falsa præsumptione fundatas obligationem in conscientia non inducere. Ergo ex vi legis, & præcepti impositi ob hanc falsò præsumptam professionem nulla in conscientia induci potest obligatio. Adde, religiosus media professione non se tradit religioni, vt illum compellat ad profitendum, sed vt illum compellat ad obseruandam professionem, ergo solum hanc compulsionem facere potest religio, non illam.

PVNCTVM V.

Qualiter professio nulla ratificari possit, & rata esse censeatur.

SVMMARIVM.

1 *Professio nulla esse potest ex variis impedimentis.*
2 *Ad ratificandam professionem debet tolli impedimentum, & adesse nouus consensus, tum professi, tum religionis.*
3 *Hic consensus debet esse ex notitia nullitatis.*
4 *Proponitur quædam obiectio, & explicatur qualiter ex parte religionis adesse debeat scientia nullitatis.*
5 *Reualidatio professionis inualidæ inducitur dilatione habitus professorum per quinquennium.*
6 *An nouitiatus repetendus sit, affirmant aliqui si non fuit completus, vel si fuit irritus? secus si completus fuit.*
7 *Verius est nouitiatum in nullo casu esse repetendum.*
8 *Quid facere debeas, si priori sententiæ de repetendo nouitiatu adhæreas?*
9 *Non est opus repetere solemnitates accidentales.*
10 *An sic tacite progressus se gerere possit, ac si expresè professus esset.*

1. PRofessio potest esse nulla ex impedimento se tenente ex parte solius professi, vel ex parte solius religionis, vel ex parte vtriusque. Impedimenta, quæ se tenent ex parte solius professi sunt, si fictè, vel ex metu, aut dolo consentit. Ex parte religionis, si consensit non habens facultatem, vel habens facultatem consensit fictè, aut dolo, vel errore substantiali inductus. Impedimenta ex parte vtriusque voco, quæ tam traditionem professi, quam acceptationem recipientis vitiant, si ante legitimam ætatem, vel non completo nouitiatus anno, vel existente impedimento substantiali, quale est esse coniugatum, & in pluribus religionibus, esse seruum, esse homicidam, esse infamem, &c. professio facta sit.

2. Hæc professio nulla ratificari nō potest nisi sublato impedimento, & nouo consensu professi accedente, nouáque acceptatione religionis; quia stante impedimento, & cōsensus professi nullus fuit, & acceptatio religionis nulla. Tolli ergo debet impedimentū, vt hæc omnia valida sint. Deinde nouus cōsēsus tā ex parte professi, quàm ex parte religionis esse debet: quia quod à principio nullū est, tractu temporis conualescere nō potest. Quod verū est, etsi impedimentū se teneat ex parte tantū professi, siue ex parte religionis tantū; ex quacunq; enim parte apponatur impedimētū, totam professionē vitiat. Quod sic explico. Ponamus consensū professi nullū fuisse eo quod fictè, metu, vel dolo cōsenserit, hac nullitate posita cōsēsus religionis nullus est. Tū quia nō potest esse consēsus acceptandi obligationem nullam. Tum quia non potest esse consensus se obligandi ad alendū, sustentandum, & regendū eum, qui nō se obligauit religioni obsequuturū. E contra si ex parte religionis appositum fuit impedimentum; quia carens potestate professionem acceptauit, vel eam acceptauit fictè, aut errore ductus, eo ipso consensus professi nullus fuit: quia, nunquā censendus est professus se velle religioni tradere, & obligari, nisi religio se illi obligarum tradat eum retinendi, alendi & gubernandi; est enim professio mutuus contractus, mutúaque religiosi, & religionis obligatio; ac proinde vitiata vna parte vtraque

que vitiata manet, & vna reparata, altera reparari debuit, sic docuit. Azor. *l.12.c.4.q.7.* Basil. Legion. lib.4. de matrim. *c.25. in fine*, & plures relati à Sanc. *l.2.de matr.disp.32.n.8.* & quãdo impedimentum afficit tam religiosum, quam religionem defendit pluribus relatis Sanchez *d.l.2.disp.36.n.3.& 4.* & latius *l.7.disp.37.n.64.* Suar. *t.3.de relig.l.7.c.1.& n.16.* Lessius *l.2. c.41. dub.7. circa finem, n.67. vers. quarto requiritur.*

3. Hinc deducitur non posse ratificari professionem, nisi professus professionis ante factæ nullitatem cognoscat. Quia habere non potest voluntatem ratificandi professionem, nisi cognoscat ratificationem possibilẽ sibi esse, sed ratificatio possibilis non est, nisi professio nulla extiterit. Ergo non potest habere voluntatem ratificandi, nisi nullitatem professionis cognoscat. Sic Caietan. 2.2.*q.*189.*art.*5. Nauarr. *com.4.de Regular. n.*75. & in sum. *c.*12.*n.*71. *& in variis consiliis tit. de Regularib.* Azor. 2.*p.l.*12.*c.*4.*q.*7. Sanch. l.7. de matr. *disp.*37.*n.*59. Suar. *t.*3. *de relig.l.*7.*c.*1.*n.*4. Lessius *l.*2.*c.*41 *dub.*7.*n.*60. Laym. l.4. sum. *tract.*5.*c.*5.*n.*9. Ab hac tamen regula excipiendus est, qui vellet professionem suam ratam esse, si fortè à principio fuit inualida, sic enim esto inualidam esse determinatè non cognoscat, tamen sub statu possibili, & sub ea conditione eam ratificare intendit, quod sufficiens est ad inualidam professionem ratificandam, vt bene notauit Lessius *loco allegato.*

Quæ dicta sunt de professo existimo dicenda esse de religione, necessarium inquam esse, vt religio nullitatem professionis cognoscat, & ea notitia posita velit professi nouum consensum acceptare, & se denuo obligare ad professum retinendum, alendum, & gubernandum. Nam cum reualidatio professionis fiat noua religiosi traditione, nouáque religionis acceptatione, & vtraque æque necessaria sint. Et hæc omnia libera esse debeãt, necessario scientia nullitatis, vel illius æquialens præcedere debet, quod dixerim ob illam voluntatem quasi conditionatam ratificandi professionem, si de facto professio nulla persistit.

4. Quod si dicas Concil. Trid. *sess.*25.*c.*19 *de regularib.* præsumit professum ante ætatem legitimam, vel per vim, aut metum transacto quinquennio ratificasse professionem; cáque de causa sic professus non admittatur ad allegandas causas nullitatis. De consensu autem religionis, & ratificatione illius, vtpote ignara impedimenti nihil statuitur. Ergo in ratificatione professionis solus cõsensus professi, & scientia ex parte illius, est non consensus, neque scientia nullitatis ex parte religionis expostulanda est. Respondeo hoc argumento conuinci non eodem modo scientiam nullitatis professionis ex parte religionis, ac ex parte professi requiri; tametsi ex parte vtriusque nouus cõsensus expostuletur. Ex parte namque religionis nulla determinata scientia nullitatis requiritur, quia consensus illius præstatur, quoties professus suam professionem ratam habuerit, quod abundè colligitur tum ex dicto loco Trident. tum ex *c. Ad nostram, c. significatum de regularib.* Tum ex *c.1. eodem tit. in 6.* quibus in locis professus ante ætatem legitimam censetur ratificasse suam professionem per continuam habitus professorum delationem, & eorum exercitia nulla mentione facta de acceptatione religionis, & merito nulla fit mentio de acceptione religionis, eo quod Pontifex supremus religionum prælatus media religione semper acceptat, sutumq; cõsensum de facto præstat, quoties professus suum præstiterit, & religio expresè non contradixerit: sic docuit Lessius *lib.*2. *c.*41. *dub.*7. *in fine, n.*61. Sanch. *l.*7. *de matr. disp.*37. *n.*64.

5. Igitur reualidatio professionis inualidæ casu quo nouo expresso consensu non fiat, professione tacita inducitur, nempe delatione habitus professorum, & eorum exercitiis; iis enim signis positis ius præsumit professum post scientiam nullitatis suæ professionis denuo consentire. Sed an hæc præsumptio niti possit annali habitus professorum delationi post integrum nouitiatus annum? non caret difficultate; si quidem ea dilatione inducitur tacita professio. At verius est delationem per quinquennium esse necessariam, quia Trid. *sess.* 25. *cap.*14. concedit intra quinquennium ius reclamandi. Ergo illo durante non præsumit ratificatam esse. Neque obstat tacitam professionem annali delatione habitus professorum induci; quia hoc est verum, quando præsumi non potest alius animus gestandi habitum, nisi de professione emittenda, at in eo qui professionem (esto inualidè) fecit, præsumi potest alius animus gestandi habitum, quàm de ratificanda professione, nempe gestandi habitum, quia professus reputatur; cãque de causa longiorem dilationem habitus ratificatio requirit, quam noua professionis tacitæ emissio. Præterquam quod non solent breui tempore impedimenta remoueri, neque eorum notitia haberi, & ita requiri quinquenniũ à die professionis inualidè factæ affirmat Sanch. l.7. de matr. *disp.*37.*n.*10.

6. Difficultas autem grauis est; an nouitiatus repetendus sit ad hanc reuelationem faciendam? Et quidem quando professio nulla fuit ex eo quod integer annus nouitiatus præmissus non fuerit, videtur certum præmitti debere: nam concilium *sess.*25.*c.*15.*de regularib.* expresè annullat professionem factam ante 16. ætatis annum, & antè expletum annum probationis, quod certè de professione tacita potius quam expressa est intelligendum. Ergo quousque annus probationis præmittatur, professio rata censeri non potest. Et idem est quoties præmissus nouitiatus irritus fuerit; quia quod nullum est, nullum præstat effectum. Sic Nauarr. *lib.*3. *cons.tit.de Regularibus cons.*5. alias 26.*n.*17.& 18. Man.2.*tom. sum.c.*5.*n.*2. Suar. *tom.*3.*de relig. lib.*7. *c.*1.*n.*8. Quando verò annus probationis integrè, & validè factus est, & professio ob aliquod impedimentum nulla fuit, esto probabile affirmet Suar. *d.cap.*1. *n.*34. non esse opus nouum nouitiatum irritare, at probabilius censet necessarium esse; eo quod nouitiatus ita professioni præmittendus est, vt professio immediatè nouitiatum succedat; aliàs interruptione illa, quasi extinctus censeri debet.

7. Cæterum verius credo neque in vno casu, neque in alio nouitiatum esse iterandum, & reualidationi præmittendum. Et quidem quando nouitiatus validus, & integer præmissus fuit tanquam certum supponit Sanch. *lib.*7. de matr. *disp.*37. *n.*45. Quia Trid. solum requirit ad valorem professionis, vt illam emittens prius per annum post susceptum habitum in probatione extiterit. Quod optimè verificatur de eo, qui inualidè professus fuit, & per annum integrum post susceptum habitum in probatione extitit. Neque inde fit nouitiatum iterandum non esse ab eo, qui completo anno probationis noluit professionem facere, sed religionem dimisit, vel ab ea fuit expulsus, & postea habitum susscepit; quia de eo non verificatur post susceptum habitum, quem professio subsequitur, in professione per annum extitisse. Nam prima susceptio habitus dimissione illius omnino fuit extincta, non autem fuit extincta susceptio habitus per professionem inualidam. At quando nouitiatus inualidus fuit, aut integer præmissus non est, si tamen per annum sub habitu religioso, & religionis obseruatione extitit; ea ratione moueor ad asserendũ non esse opus probationis annum professioni præmittendũ, interdicensque illius renuntiationem hunc casum minimè comprehendit, vtpote in quo cessat finis à Trid. spectatus. Finis inquam Trid. statuentis probationis annum fuit, vt religio mores professi, & professus austeritates religionis satis experiretur. Sed hæc experientia eodem prorsus modo habetur, siue professus sub titulo nouitij, siue sub titulo professi in religione persistat. Ergo eo casu probatio rigorosa necessaria non est. Deinde, si annus probationis ad reualidandam professionem necessarius foret; deberet professurus manifestare religioni nullitatem; vt eum in probatione retineret, annus namque nouitiatus tam in fauorem religiosi, quam religionis statutus est. At dum religio reputat illum professum, nequaquam in probatione retinet, de cuius essentia est dimittendi probatum, si displicuerit, sed potius retinet illum, quia existimat ritè probatum esse, nullámque dimissionis potestatem habere. Debet ergo religio cognoscere se religiosum probare, vt ipse in probatione stare censendus sit. Hoc autem præterquam quod difficillimum est, & satis durum, admittendum non est absque manifesto textu, vel ratione, quæ nulla sunt. Non igitur in eo casu nouitiatus necessarius est ad professionem ratificandam, & ita tenet Azor. 1.*p. instit. moral. l.*12.*c.*1.*q.*6.*§. si quæras*, Sanch. *l.*7. *de matr. disp.*37.*n.*47. Lessius *l.*2.*c.*41. *dub.*7.*n.*66.

8. Verum si quis contrariæ sententiæ adhæreat existimans necessarium esse professionis ratificationi præmitti integrum nouitiatus annum, monere debet prælatum penes quem est potestas recipiendi, vt eum tanquam nouitium tractet detecta prioris professionis nullitate, quod si non solùm cõsensus prælati, sed conuentus necessarius sit, monet Sanch. *lib.*7. *disp.*37. *n.*57.& 65. vt tacito nomine professi consensus conuentus expostuletur, vel à Pontifice dispensatio nouitiatus obtineatur.

9. Illud verò est omnino certum opus non esse cæremonias solitas in professione obseruare, cum hæ non ad essentiam professionis, sed ad ornatum pertineant, Azor. 1. *p. inst. moral. l.*12. *c.*4. *q.*7. Sanch. *disp.*37.*n.*66.

10. An autem hic tacitè professus frui possit priuilegiis, ac si vere eius professio expressa valida fuisset? Respondet Sanch. *n.*67. frui posse quoad res parui momenti, quales sunt primum locum tenere, primo suffragium ferre; non tamen quoad res magnæ considerationis, qualis esset electio actiua, vel passiua prælatis; tunc enim debet dispensationem procurare, & interim ab his officiis, & priuilegiorũ vsu obtinere, si fortè absque nota possit. Cæterũ aliter distinguendum existimo, aut professionis nullitas secreta est, aut publica; si nullitas professionis ita secreta sit, vt nullus sit timor, quod probari possit in foro externo; credo probabile esse, sic tacitè professum posse omnia munia expresè professi exercere, atque adeò eligi in prælatũ. Nam esto in *c. nullus de Electione, in 6.* prohibeatur eligi ad prælaturã, qui professus expresè nõ fuerit, hic ex benigna interpretatione expresè professus reputãdus est; cũ verè professus sit, & quoad Ecclesiã expressus reputetur. Secus verò dicẽdũ est in his electionibus, si nullitas professionis manifesta sit, vel facilè manifestari potest, quia neque in re ipsa, neque in iudicio firmo Ecclesiæ professus expressus existit. Nulla ergo causa est ob quam possit electionib. expresè tãtũ professo cõcessisse ingerere, nisi fortè ex graui nota exculetur, dũ dispẽsationẽ procurat, sic docuit Sua. *t.*3. *de relig.l.*7. *c.*1.*n.*36.& 37.

PVNCTVM VI.

An in Societate Iesu esse possit ratificatio professionis, vel incorporationis inualidæ.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur dubitandi ratio.*
2 *Statuitur in Societate Iesu esse posse professionis, seu incorporationis inualidæ ratificationem.*
3 *Iisdem actibus ac in aliis religionibus inducitur ratificatio.*

1. VIdetur in Societate Iesu non posse inualidam professionem aut incorporationem ratificari; quia modus ordinarius ratificandi professionem inualidam est tacita professionis emissio. At in Societate Iesu non datur tacita professio, vt constat ex his, quæ diximus *hac disp. punct. 1. in fin.* Ergo non potest esse professionis, vel incorporationis inualidæ reparatio.

2. Cæterum dicendum est esse posse, & verè esse in Societate professionis, seu incorporationis inualidæ reparationem. Quia hæc reparatio professionis inualidæ non solum iure antiquo, sed nouo Trid. *sess. 25. c. 19. de regular.* taciturnitate quinquennij approbata est in fauorē religiosi status, & in pacem & quietem religiosorum, à quo iure societas excepta non est, nec excipi conueniebat, sic docuit Suar. *t. 4. de relig. tr. 10. lib. 3. c. 8. à n. 5.* Neq; obstat professionem, seu incorporationem tacitam non habere locum in Societate, quia hoc est verum de professione, seu incorporatione tacita, quæ primò, & per se fit, secus verò quæ sit ad reparationem professionis, seu incorporationis inualidæ. Nam cum de hac reparatione nihil Societas disposuerit, & Trid. in suo generali decreto Societatem non exceperit, efficitur sanè voluisse comprehendere.

3. Quod si inquiras, quibus actibus reualidatio professionis, seu incorporationis in Societate inducta esse censeatur? Respondeo induci eodem modo, ac in aliis religionibus, nempè annali gestatione habitus professorum, seu incorporatorum, & eorum exercitiis. Neque obstat hæc omnia nouitiis communia esse, quia sufficit, quod etiam sint professorum, seu incorporatorum propria. Neque item obstat in Societate varios gradus esse, quibus status religiosus constituitur, nempe scholarium, coadiutorum, formatorum, professorum, trium, vel quatuor votorum, quominus nō possit reualidatio fieri in aliquo determinato gradu. Fit enim reualidatio in eo determinato gradu, in quo expressè, esto inualidè, quis constitutus est; quia ad eum ratificandi subsequens gestatio habitus, & exercitia diriguntur.

PVNCTVM VII.

Qualiter inualidè professis, seu in Societate incorporatis liceat religionem deserere, & aduersus illam reclamare.

SVMMARIVM.

1 *Quid statuerit Trident.*
2 *Procedit constitutio æquè de incorporatis per vota biennij in Societate, ac de professis.*
3 *Computatur quinquennium à die professionis.*
4 *Procedit aduersus ignorantem, & impeditum secundum opinionem Sanch.*
5 *Numeratur quinquennium à die professionis, vel à die sublati impedimenti cogniti, quoad effectum ratificationis, secus reclamationis?*
6 *Coram quo superiore reclamatio facienda est.*
7 *Ad allegandas causas nullitatis debes habitum retinere, nec à superioris obedientia discedere.*
8 *Si certo cognoscis professionem nullam fuisse, nec ratificasse, an fugere possis. Affirmant aliqui.*
9 *Distinguendum est de professione, quam nullam esse probare potes, vel quam non potes probare.*
10 *Si de facto fugias etiam eo casu, quo professionem nullam esse probare posses, non teneris redire.*
11 *Elapso quinquennio audiri non potest religiosus.*
12 *Dictum decretum non habet locum nisi impedimentum sublatum sit.*
13 *Si sublatum sit impedimentum, & nulla adfuit impotentia reclamandi, an possit dari restitutio in integrum? proponitur dubitandi ratio. Resoluitur posse.*
14 *Diuersimodè minoribus, & maioribus hoc beneficium conceditur.*
15 *Quo tempore post quinquennium allegare possit maior ignorantiam, vt detur restitutio.*
16 *Rogatus an sciuerit, negare potest si non ratificauit.*

1. CVm sæpè contingat professionem inualidam esse, neq; sic professum velle illam ratificare Trid. *sess. 25. c. 19.* in hæc verba statuit. Quicunq; regularis prætendat se per vim, & metum in ingressum esse religionem, aut etiam dicat ante ætatem de habitum professum fuisse, aut quid simile, vellétque habitū dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo, & ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcunque causam admittatur, sed ad monasteriū redire cogatur; & tanquam apostata puniatur, interim verò nullo priuilegio suæ religionis iuuetur. Ex quibus verbis constat sic inualidè professū intra quinquenniū à die professionis, & non vltra allegare posse causas nullitatis suæ professionis, modo tamē habitum propria authoritate non dimittat, neque ex religione sine superiorum licentia habitu retento discedat. Nam si habitum dimittit sponte, denegatur illi audientia, & pœnis apostatæ punitur, nullóq; religionis priuilegio iuuatur.

2. Quod decretum æquè de incorporatis per vota biennij in Societatem loquitur, ac de professis tum Societatis, tum aliarum religionum, quia verè religiosi sunt, & quantum est ex parte sua se religioni, & diuino obsequio perpetuo emanciparunt, Suar. *t. 4. de relig. tr. 10. l. 3. c. 8. num. 6.* Item hoc decretum comprehēdit milites S. Ioan. Hierosolimitani. Nam esto communiter in decretis Trid. pro regularibus editis hi milites, & aliorum militarium ordinum non comprehenduntur, nisi eorum expressa mentione facta. At in hoc decreto ex declaratione Cardinalium milites S. Ioan. censentur comprehensi, vt tradit decisum Barb. *d. loco consilij, & 3. de potest. Episc. alleg. 104. n. 10.* Suar, *t. 3. de relig. lib. 2. c. 4. in fine.*

3. Primò ergo statuit Concilium quinquennium, intra quod religiosus reclamare possit, computari à die professionis, quam ipse religiosus oppugnare intendit. Quæ verba difficultate non carent; nā sæpe ab illo die non cessat impedimentū, quod nullā reddit professionē, & sæpè ignoratur ob illud impedimentum nullam esse professionem, quomodo ergo ab eo die computandum est quinquenniū? Deinde ex hac quinquennij perseuerātia præsumit ius ratificasse suam professionē casu quo nulla fuisset; at si toto ferè quinquennio durauit impedimentum, quod reddidit professionem nullam, aut illius ignarus fuit, nulla ratione poterit ius eo tempore præsumere ratificari professionem, cum id sit impossibile: ergo quinquennium ex quo hæc præsumptio desumitur non à die professionis, sed à die sublati impedimenti cogniti computandum est. Neque hæc doctrina pugnat cum Trid. decreto dicentis quinquennium ad reclamandum computandum esse à die professionis tantum, quia id debet intelligi, casu quo ab ea die cesset impediment. quod verè esse tale religiosus cognoscebat.

4. Nihilominus Sanch. *li. 7. de matr. disp. 37. à n. 19.* latè probat hoc quinquenniū cōputandū esse à die professionis tātū, & procedere aduersus, ignorātē, & impedimētū. Mouetur quia sic professo interdicitur trāsacto quinquēnio audiētia non in odiū suæ negligentiæ, quod toto eo tēpore non reclamauerit, sed in fauorē religionis, ne litibus oppugnātibus suas professiones perturbetur; at quoties tēpus datur alicui ad agendū, & non in odium, sed potius in fauorē tū ipsius, tū alterius, currit ignoranti & impedito, vt cum Glossa. *c. statutum, verbo numerandū de præbendis, in 6.* aliisque doctoribus firmat Sanch. *suprà*, Ergo hoc quinquēniū currit ignorāti impedimētō, & impedito ad reclamādū. Secundò probat; quia præscriptio procedit aduersus ignorātē, & impeditū, tametsi ob ignorātiā & impedimētū reclamandi restitui possit. Cōfirmat, quia esto præscriptio nō currat cōtra habētē impedimentū iutis denegantis actionē; at benè cōtra habētē impedimētū facti cū beneficio restitutionis. At qui professionē fecit impeditus durāte impedimēto optimè potest reclamare, quod si ob ignorātiā omittit non ex iure, sed ex facto impeditur, ergo currit illi tēpus. Tertiò, nō obuiaretur litibus, nec religionis trāquillitas obtineretur, quod fuit illius decreti intentū. si contra lapsum quinquēnij cōcederetur allegatio ignorātiæ. Tandem probat ex verbis Trid. nisi intra quinquennium tantum à die professionis numerandum, & ponderat dictionem *tantum* quæ exclusiua est, & affirmatiua illius, quod ponit, & negatiua omnium aliorū casuum præter expressos, *leg. ob as, C. de prædiis minor. & l. contractum. ff. de regu. iuris. c. cum Ecclesia hutrina de causa possess. & proprie.* Deinde pōderat dictionem *tantum* non fuisse necessariam, sed additā esse maioris claritatis gratia, & vt nullus ambigendi locus supereſſet numerationem faciendam esse à die professionis, procedereque contra ignorantem, & impeditum.

5. Verū retinenda est prior sententia, quam ipsemet Sanch. videtur probasse *d. disp. 37. n. 34.* ibi enim probet, si toto quinquennio durauerit impedimentum, aut impotētia reclamandi, illud quinquennium non esse numerandum, tametsi subdat non aliud quinquennium concedendum esse sed arbitrio prudentis tempus esse signandum, intra quod reclamare, & audiri possit. Quod si intra quinquennium cessauerit impedimētum, videndum est (inquit) an arbitrio prudentis sufficiens tempus intra illud manet ad reclamandum: si enim manet, non est aliud tempus indulgendum, secus è contra. Ergo quinquennium in sententia Sanch. non currit impedito à die professionis. Ratio autem meo iudicio est efficax: nam hoc quinquennium, quo transacto inscribitur religioso potestas oppugnandi

pugnandi suam professionem, esto præscriptum non sit in odium suæ negligentiæ, sed in religionis, & religiosorum quietem, & tranquillitatem; at præscriptum est ob præsumptionem professionis eo tempore ratificatæ, sed durante impedimento, illudve ignorante professo, professio ratificari non potest. Ergo non potest esse præsumptio pro illo tempore, ergo nec præsumptio, quæ in tali præsumptione fundatur. Secus verò est in aliis præscriptionibus à iure concessis ex potestate reipublicæ, & independenter ab aliquo actu proprio illius aduersus quem præscribitur: per quæ soluta est prima & secunda ratio adducta à Sanch. Ad tertiam dico non quamlibet ignorantiam impedire lapsum quinquennij, neque allegari posse; si enim ignorares solum tibi concedi quinquennium ad reclamandum, ex hac ignorantia non impeditur lapsus quinquennij, quia non impeditur præsumptio ratificatæ professionis; ac proinde contra lapsum quinquennij eam ignorantiam allegare non posses. At si ignorasses impedimentum, cámque ignorantiam in foro externo probare posses, absque dubio non tibi curreret quinquennium, sed quia hæc ignorantia est aduersus iuris præsumptionem, præsumit enim ius te scire impedimentum, velléque illo sublato ratam professionem habere; ea de causa non admittitur ignorantiæ probatio via ordinaria, sed ad summum restitutionis beneficio. Et casu quo aliis coniecturis præter ignorantis dictum, & iuramentum probari posset. Ad vltimam iam dictum est quinquennium numerandum esse à die professionis tantum cessare impedimento, & ignorantia illius. Quod si obiicias: impedimentum metus, & ætatis de quo expressè Concilium locutum est, non solet cessare à die professionis, sed aliquo tempore prorogatur, & tamen Concilium à die professionis dicit quinquennium numerandum. Ergo currit quinquennium impedito. Propter hanc obiectionem motus est, Sanch. *d. disp. 37. n. 34.* ad asserendum currere tempus quinquennij impedito, modo intra quinquennium habeat tempus arbitrio prudentis, quo & professionem ratificare possit, & aduersus factam reclamare. Sed mihi longè verius apparet quinquennium computandum esse à die sublati impedimenti cogniti, seu à die, quo religiosus tollere illud poterat, sed quia hoc impedimentum vis, & metus, imò & ætatis cessare solet à die professionis, esto aliquando vlterius prorogetur; ea de causa Concilium in decisione spectauit id, quod est per se, & quod ex accidenti contingit; sic expressè docuit Suar. relato Nauar. *t. 3. de relig. lib. 7. c. 4. n. 6.* Deinde interrogo à doctissimo Sanch. quod tempus prudens arbitrabitur ad ratificandam professionem, nisi quinquennium; si quidem Concilium prudentissimè omnia gubernans id determinauit, præcipuè cum ipsemet Sanch. *d. disp. 37. n. 10.* optimè affirmauerit non annali gestatione habitus, neque professorum quibuscumque exercitiis induci tacitam professionem expressè reparatiuam, sed quinquennij tempus necessarium esse iuxta decretum Concilij. Signum ergo est quinquennium numerandum esse per se à die professionis casu quo auferatur impedimentum; sin minus à die sublati impedimenti cogniti. Vnde si impedimentum toto priori quinquennio durauerit, ab eo die, quo sublatum fuerit, est numerandum quinquennium.

Dixi numerandum esse quinquennium à die professionis, vel à die sublati impedimenti cogniti quod effectum inquam ratificandi professionem, & denegandi audientiam quinquennio transacto. Nam quoad effectum reclamationis optimè potest professus statim reclamare stante impedimento, & efficacius quàm illo sublato, vt de se constat.

6. Hanc reclamationem debes facere coram superiore illius conuentus, in quo professionem emisisti, & coram ordinario illius loci, in quo monasterium situm est. Quod si idem fuerit ordinarius loci, & superior conuentus, coram illo solo causa est decidenda; quia Concilium loquitur, quando sunt diuersi, vt frequentius contingit, & notauit Barbosa *3. p. de potest. Episc. alleg. 104. n. 11.*

7. Verùm ad allegandas causas nullitatis debet habitum retinere & obedientia superiorum non discedere. Quod si habitum sponte intra quinquennium dimiseris (hoc est absq; iusta, & rationabili causa, qualis esset, si denegaretur tibi potentia ad reclamandum) audiri non debes. Ob iustam igitur, & rationabilem habitus dimissionem, seu quæ iustè putatur, non est audientia deneganda Nauarr. *comment. 4. de regular. n. 78.* Azor. *1. p. li. 12. c. 4. vlt.* Sanch. lib. 7. de matr. *disp. 37. n. 3.* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 7. n. 64.* Suar. *t. 3. de relig. lib. 7. c. 3. n. 13.* At denegandæ est audientia ob temeram habitus dimissionem. Sed hoc, vt sonat; durum est, obligaris namque ad seruiendum religioni in perpetuum, vel ad perpetuò exulandum cum non leui timore, & discrimine. Quapropter quæ Nauarr. *d. comment. 4. de regul. n. 78.* quem sequitur Sanch. *d. disp. 37. n. 4.* Lessius *dub. 7. n. 64.* existimant rigorem illum temperandum esse, vt intelligatur te non esse audiendum, dum habitum non reassumis, secus verò ex bono, & æquo habitu reassumpto; quia reassumptione habitus, ad religionem redditur, religio restituta est ad suam pristinam possessionem, qua per dimissionem habitus, & fugam spoliata fuerat, consentit Suar. *t. 3. de relig. lib. 7. c. 3. in fine, n. 14.* cum iis, qui sponte ad religionem redeunt, secus qui inuiti capiantur.

8. Sed est dubium, an si tuam professionem certo cognoscas esse nullam nec ratificasse, pecces mortaliter habitum dimittens & fugiens absque sententia tui superioris, & ordinarij? Notanter dixi, si certo cognoscas, nam si dubius es, spectanda est natura dubij, vt inde inferatur pro qua parte sit possessio, an pro tua, an pro religionis parte iuxta *d. 1. p. t. 1. de conscient. disp. 3. punct. 9.* Sed in casu certo Nauarr. comment. 4. de regular. *n. 77.* Et Eman. Sà verbo *relig. nu. 71.* Barb. *3. de potest. Episc. alleg. 104. n. 12.* & alij existimant te non peccare mortaliter, quia cum non sis verè religiosus, ex nullo capite nasci potest obligatio perpetuò in religione manendi. Neque obstat Trid. decretum grauiter puniens sic fugientem; quia punit; eo quòd præsumit verum religiosum esse, & consequenter absque legitima causa fugere.

9. Cæterum, distinguendum est de professione nulla, quam probare potes; & de ea cuius nullitas probabilis non est. Si professio ita nulla sit, vt credas absq; graui difficultate te posse illius nullitatem probare, peccabis mortaliter secretò fugiens; habitumque dimittens; quia religionem priuas tua authoritate, possessione, quam habet te retinendi. Et præterea cùm in foro Ecclesiæ tanquam religiosus habearis, merito debet iudicio Ecclesiæ dissolui, si quidem id facilè fieri potest, & ita tenet Suar. *tom. 3. de relig. lib. 7. c. 3. n. 11. 12. & 13.* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 7. n. 65.* Sanch. *lib. 7. disp. 36. n. 1.* Verùm si absque graui difficultate nullitatem tuæ professionis probare non potes, vel quia impediris à religione, vel quia ob eam causam vexaris; vel quia testes nolunt veritatem declarare, vel quia impedimentum eius naturæ est, vt probationi non subsit, nullum committes peccatum fugiendo. Sic Suar. *d. c. 3. n. 9. & 13.* Lessius, Sanch. & Nauarr. *suprà.* Et ratio est manifesta; quia id quod fieri non potest absq; graui difficultate, moraliter est impossibile, sed stante impossibilitate probandi nullitatem professionis non tenetur religiosus eam probationem intentare. Ergo omissa illa probatione fugere potes, quia habes ius tuæ libertatis, nullóque religionis vinculo teneris. Limitant autem Lessius, Sanch. Suar. nisi scandalum adsit, sed raro, vel nunquam ex tali fuga orietur scandalum sub obligatione vitandum. Tum quia raro inde sumunt alij occasionem fugiendi absq; legitima causa. Tum quia ipse legitimè fugies vteris iure tuo, à quo vsu absque graui damno abstinere non potes. Illud tamen reputo certum, te fugientem habitumque dimittentem etiam eo casu, quo facilè posses professionis nullitatem probare, non esse obligatum ad monasterium redire, habitumque reassumere; quia nullo iure constat huius reditus obligatio, & ob culpam commissam obligari non potes, sicuti non obligatur propria authoritate recuperans suam rem ab alio possessam, quia authoritate iudicis facilè recuperare posset, vt eam restituat; quia solum in modo culpam commisit, non in re ablata. Adde neque te obligari, esto per excommunicationem citeris, vt compareas, quia citaris ex præsumptione, quod verus religiosus sis, citatisque non audiendus, sed puniendus, Suar. *t. 3. de relig. lib. 7. c. 3. n. 12.*

11. Secundum, quod statuit Concil. in supradicto decreto *sess. 25. c. 19. de regul.* est, ne elapso quinquennio religiosus audiatur (hoc est) admittatur ad allegandas causas nullitatis suæ professionis; eo quod præsumit eo tempore ratificasse professionem, si forte nulla fuit, præcipitque iudicib. vt sic præsumant. Ideòque vocatur præsumptio iuris, & de iure; quia à iure, ipso constituta est, vt omnino seruanda, vt latè probat Sanch. *d. disp. 37. à n. 7.* Neque inde fit te certum de nullitate professionis obligatum esse eam ratâ habere, aut perpetuo in religionis obsequio permanere: quia hoc decretum in præsumptione fundatur, quæ si falso fundamento nitatur, obligationem in conscientia non inducit. Nauarr. *comment. 4. de Regular. n. 77.* & aliis allegatis, Sanch. *disp. 37. à n. 9.* Suar. *t. 3. de rel. li. 7. c. 4. n. 3. 4. & 5.* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 7. n. 64.*

12. Vt autem hoc decretum locum habeat, requiritur primò, vt impedimentum nullam reddens professionem cessauerit ante lapsum quinquennij. Nam si toto quinquennio durauerit, audiri potes via ordinaria; quia non potes præsumi ratam habuisse professionem, cum id fuerit impossibile: Sanch. aliis relatis *li. 7. disp. 37. n. 33. & 34.* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 7. n. 64.* Suar. *t. 3. de relig. li. 7. c. 4. n. 6.* Secundò requiritur, vt tuæ professionis nullitatè ignoraueris; quia ea ignorantia posita nunquã præsumitur professio ratificata, Lessius & Suar. *sup.* Verum est tamen te allegantem hanc ignorantiam non admitti, quia aduersus illam est præsumptio iuris, & de iure, vt benè dixit Sanch. *disp. 37. n. 27.* siquidem ius præsumit ratificatã esse professionem; ac proinde præsumit scientiam nullitatis illius, vtpote de intrinseca ratificationis ratione. Quare solum (vt statim dicemus) beneficio restitutionis in integrum agere potes. Deinde si eo quinquennio impotentia reclamandi durauit, audiri potes via ordinaria, quia cessat præsumptio ratificatam fuisse professionem. Neque inde fit aduersus præsumptionem iuris, & de iure admitti probationem, non enim admittitur directa, sed indirecta, nempe admittitur probatio tollens fundamentum, cui præsumptio nititur. Nitebatur

batur enim præsumptio in eo,quod sublato impedimento toto illo quinquennio sponte non reclamaueris. Probato ergo vel adesse impedimentum, vel impotentiam reclamandi tollitur fundamentum præsumptionis, sicuti aduersus matrimonium ex copula subsequenti præsumptum admittebatur probatio concludens non interuenisse copulam aut sponsalia, aut esse dissoluta. At quia raro hæc impotentia concludenter probari potest, sed ad summum probabiliter;ea de causa ob illam vtcumque probatam datur restitutionis beneficium,vt infrà dicemus:sic multis allegatis docet Sanch.*d.disp.37.n.33.* Lessius *lib.2.c.41.dub.7.n.64.*Suar.*tom.3.de relig.lib.7.c.4.n.6.*

13. Verum,si impedimentum intra quinquennium sublatum fuit,& nulla adfuit impotentia reclamandi; vel si illa adfuit, eam probare liquidò non potes,& ex alia parte professionem ratificare non vis,nulla supereſt via,vt audiaris,nisi vtatis beneficio restitutionis in integrum.Quod an in præsenti locum habere possit,non caret difficultate;eo quod matrimonium,& professio semel facta indissolubilia sint, & restitutio concedatur ad dissoluenda ea aduersus quæ datur.At Trid.statuit reualidari professionem gestatione spontanea habitus professorum,& eorum exercitiis per quinquennium. Ergo eo lapso non potest esse restitutio,quæ hanc reualidationem infirmet, sic Flamin.*lib.13.de resignat.benefic.q.5.n.46.* Zaullos *in suis qq.pract.q.500.in fine.*

Cæterum verius est aduersus hunc quinquennij lapsum dari restitutionem posse, sicut in aliis materiis:sic Nauarr. *tom.4. de regular.n.71.vers.tertio,& n.76.vers.secundo,& li.1.cons.tit. de his quæri,cons.7.n.2.in vtraque edit.& lib.3.de regular.cons. 23.in 2.edit.*Azor.1.*p.li.13.c.4.q.vlt.*Sanch,optimè probans,*li. 7.disp.37.n.22.*Lessius *lib.2.c.41.dub.7.n.65.*Barbosa *3.p. de potest.*Episc.*alleg.104.n.108.*Aloys.Riccius, *resol.550.n.6.& alij.* Ratio ea est;quia restitutionis beneficium aduersus præscriptionem longi temporis iure speciali, & extraordinario tam minoribus,quam maioribus conceditur, diuersimodè tamen; vt constat ex *c.1.& 2.de restit.in integrum,li.6.& ex l.1.§. fin. ff.ex quib.causis maiores,*& tradunt specialiter Couar. *reg. possess.3.p.§.3.*Matienzo *li. 5. recopilat. tit.11.l.8.gl.12.à n. 4.* Sed Concil.Trid.noninterdicit huius restitutionis beneficium aduersus præscriptionem quinquennij.Nam esto dixerit eo lapso non esse audiendum,intelligi potest via ordinaria,secus hac via extraordinaria : nam leges generaliter actionem interdicentes non intelliguntur de actione competente ex iure speciali,& extraordinario, sed ex iure communi, & ordinario, iuxta *gloss.receptam in l.postquam lit.C.de Pactis,*& tradit aliis allegatis Matien.*d.tit.11.l.8.gloss.13.n.6.*Molin.*lib.3. de primogen.c.13.n.65.*Neque etiam ex natura huius præscriptionis infertur denegandum esse restitutionis beneficium;quia hæc religionis præscriptio,quia regulari denegatur audientia elapso quinquennio,nititur professioni non veræ,sed præsumptæ.At ad eneruandam præsumptionem iuris, & de iure restitutio tum minoribus,tum maioribus solet concedi,iuxta *l.si mater. ff.de except.rei iudicatæ,*vbi datur restitutio contra sententiam, quæ transit in rem iudicatam ex causa rationabili. Ergo dari potest aduersus hanc præscriptionem restitutio.

Neque obstat opposita dubitandi ratio. Fatemur inquam non posse dari restitutionem aduersus professionem certam, sicut neque aduersus matrimonium certum;quia dissolui non possunt,bene tamen aduersus professionem, & matrimonium præsumptum;quia probari potest præsumptionem veram non esse,neque in veritate fundatam; eo quod verè professio nec facta,nec ratificata sit,nec matrimonium contractum.

14. Porrò huius restitutionis beneficium diuersimodi minoribus,& maioribus conceditur.Minoribus namque,hoc est illis,qui nondum 25.annum compleuerint, ex duplici causa. Primò ex causa minoris ætatis tametsi sciuerint eorũ professionẽ nullã esse,& potuerint reclamare;quia in hac restitutione eorũ fragili naturæ fauere intenditur.Secũdò ex impotentia reclamandi,siue ex metu,siue ex ignorantia nullitatis professionis prouenerit,quia hæc causa(vt illam dicam)sufficiens est,vt maioribus restitutio cõcedatur.Maioribus 25.annis solum ex hac impotentia restitutio est concedenda : quia solum illis conceditur restitutio ex causa rationabili, qualis est impotentia,ad quam reducitur probabilis ignorantia.Nã qui probabiliter ignorat ius sibi cõpetere ad rem,quæ præscribitur,iustè dicitur impeditus ne agere possit,debet ergo restitui, iuxta *l.1.§.vlt.ff.ex quib.causis,maior.& l.1.§.si quis autem.ff. de itinere,actũque priuato,*& aliis relatis docent Matienzo,& Couarr.*suprà.*Dixi ex iusta,& probabili ignorãtia;quia crassa, & supina vtpote culpabilis,non prodest ad effectũ restitutionis,sicut neq;iuris ignorantia,nisi sit iuris nimis reconditi,aut ignorans sit miles,rusticus,vel mulier,in quibus ob eorũ cõditionẽ ignorãtia iuris facilè solet præsumi,Sãch.*disp.37.n.27.* Quapropter hac in parte difficulter ignorantia probari potest cũ sit ignorãtia iuris,deturq;aduersus illã iuris præsũptio.Vide dicta de probatione ignorantię *1.p.tr.2.de peccatis,disp.1.pun.19.*

15. Restat quo tempore post quinquennium allegare maior possit ignorantiam, vt ei detur restitutio ? Respondet Sanch. *dicta disput 37.n.26.*cum Couarr.& Matienz.*locis allegatis,*esse omne tempus,quo ignorãtia durauerit etiam centum annorum,qui ea ignorantia stante eneruatur præsumptio ratificationis stante verò scientia nullitatis, & potentia reclamandi quadriennium iure communi concedi,ex *c.1.de restitut.in integr. in 6.leg.fin. C. de temporib. in integr. restitut.* At in hoc euentu existimat id tempus non concedi nam eo ipso,quo sublato impedimento,&stante scientia nullitatis se quis professorum actibus ingerit, censetur tacitè profiteri, & non reclamando elapso quinquennio professionem factam ratificare.

Cæterum verius credo maioribus iure communi restitutionem concedendam non esse quadriennio elapso à tempore finitæ præscriptionis qualibet interueniente ignorantia.Quia si quadriennium concessum pro beneficio restitutionis computandum esset à die,quo cognoscis aduersus te præscribi;concedenda esset restitutio in quadragenaria,& centenaria præscriptione, quod certè communiter reprobatur, vt videre est in Couar.*reg.possess.p.vlt.§.vlt.n.2.*Matienzo *d.l.8.gloss.12.n.10.& 16.*In præsenti casu distinguenda est ignorantia.Alia est ignorantia nullitatis professionis, alia termini concessi ad reclamandum.Si ignorantia nullitatis adsit,toto eo tempore poteris reclamare;quia præsumi non potes professionem ratificasse : cessante verò ignorantia, & sublato impedimento incipit quinquennium computari, intra quod iure ordinario reclamare potes:si verò ignorantia tantum sit termini concessi ad reclamandum stante scientia nullitatis, & sublato impedimento ad reclamandum,& ad ratificandum, credo concedi quadriennium via restitutionis in integrum, vt elapso quinquennio possis,cum maior sis,reclamare.Quia si in huiusmodi casu non conceditur maioribus restitutio, vt reclamare possent,nullus est casus in quo illis necessarium sit vti beneficio restitutionis in integrum. Nam stante ignorantia nullitatis professionis,vel impedimento ad reclamandum, vel ad ratificandum,non iure extraordinario restitutionis,sed via ordinaria agere possunt;quippe non labitur quinquennium, quod sit tempus aptum ratificationi.Neque obstat argumento Sanch. quod stante scientia nullitatis professionis,& sublato impedimento inducitur professio tacita gestatione habitus professorum,& eorum exercitiis,& quinquennij non reclamatione illius professionis inualidæ ratificatio.Quia non inducitur vera ratificatio, sed præsumpta; ac proinde quadriennium dari potest via restitutionis,vt examinetur,an vera præsumptio sit, aliàs nec minoribus cognoscentibus nullitatem suæ professionis & sublato impedimento habitum professorum gestantibus concedenda esset restitutio.

16. Illud tamen dictum Sanch.*disp.37.num.28.*cui consentit Lessius *lib.2.c.41.dub.7.n.65.*verum existimo,nempè in foro conscientiæ maiorem, qui intra quinquennium professionem non ratificauit,posse rogatum,an sciuerit suam professionem fuisse nullam, vel labi quinquennium intra quod conceditur restitutio, negare se sciuisse subintellecta restrictione ex parte intellectus,vt professionem ratificaret;quia de scientia vtili,& fructuosa ratificationi rogatur,non de alia.

PVNCTVM VIII.

Quos effectus habeat religiosa professio, & biennia in Societate Iesu incorporatio

SVMMARIVM.

1 *Transis in dominium religionis.*
2 *Soluitur patria potestas,& qualiter redeat in electu.*
3 *Remittuntur peccata quoad pœnam. Et qualiter contingat.*
4 *Commutantur omnia vota.*
5 *Vit hac commutatio iure non diuino,sed Ecclesiastico consuetudine introducto.*
6 *Si professus huic commutationi contradicat effectum non habet.*
7 *Incorporatione in Societate non extinguntur vota sed suspenduntur.*
8 *Tollitur irregularitas ex defectu natalium.*
9 *Sed non quoad prælaturam,nec beneficium curatum.*
10 *Sola professione tollitur hæc irregularitas.*
11 *Item votis biennij.*
12 *Excluduntur fœmina illegitima à munere Abbatissæ, & Prioris.*
13 *Non excluditur corrupta.*
14 *Purgatur inhabilitas ad actus temporales.*
15 *Deletur ingratitudinis nota.*
16 *Item matrimonium irritatur.*

VArij effectus à doctoribus enumerantur, quos breuiter percurremus.

1. Primus & quasi substantialis professionis effectus est, vt vi illius in dominium, & potestatem religionis transeas obsequuturus in omnibus,quæ sunt iuxta ipsius regulas,& constitutiones,ipsáque religio vicissim tibi obligetur te alere,& gubernare,sicuti obligatur mater alere, & gubernare filium, & dominus seruum,respublica suum ciuem,ipséque seruus,filius,

& ciuis obligantur parenti, domino, & reipublicæ inſeruire, ſic omnes doct. apud Suar. *t.3.de relig.l.6.c.13.n.2.*Leſſium *l.2. c.41.dub.8.n.67.*Qui effectus ſuo etiam modo competit emittentibus biennij vota in Societate,cum ipſi perpetuo obligentur religioni obſequuturi, ipſáque religio obligetur eos alere & retinere,dum cauſa iuſtã expulſionis non ſuccedit.

2. Ex quo effectu deducitur hac profeſſione,& idem eſt de Societatis incorporatione, patriã poteſtatem ſolui, & merito, quia à religione aſſumeris gubernandus;ſic ſequentes gloſſam *in l.ſi ex cauſa*, §. *Papinian. ff. de minorib.* tradunt poſt alios Nauarr. *comment.3. de regular.n.41.* Anton. Gom. *l.48. tauri, n.7.in fine,*Couarr.*c.quia nos,n.5.de Teſtam.* Sanch. lib.5. ſum. *c.5.n.29.*Quod intelligendum venit, vt bene aduertit Nauarr. Couarr.& Sanch. *ſup.* in iis,quæ tibi vtilia ſunt,à patria poteſtate liberari, ſecus in damnoſis; quia ea quæ in tui fauorem ſtatuta ſunt,non debent in tui diſpendium retorqueri. An autem eiectus à religione ad patriam poteſtatem redeas?Diſtinguendum eſt,ſi verus religioſus maneas, non redis:quia per ſe religioni ſubiiceris,eſto per accidens ab eius gubernatione, vt indignus repellaris. At ſi à votis omnino ſolutus exiſtas, vt contingit in dimiſſis à Societate poſt vota biennij: verius eſt te in patriam poteſtatem redire;quia ceſſat cauſa ob quam ab ea liberatus eras,Sanch.lib.5.ſum.*c.5.n.31.*Layman. *lib.4. ſum. tract.5.c.10.n.5.*

3. Secundus effectus eſt tam profeſſionis, quam incorporationis in Societate Ieſu pleniſſima remiſſio peccatorum non quidem quoad culpam(hoc enim probabilitate caret,cum non ſit Sacramentum) ſed quoad pœnam. Eáque de cauſa ſæpè à Sanctis Patribus, & Doctoribus baptiſmo comparatur: ſic D. Tho.2.2.*q.*189.*art.*3.*ad* 3.& *ibi* Caiet. Azor.1.*p.l.*12. *cap.*5.*q.*11. Plar. de bono ſtatu religioſi,*l.*1.*toto c.*13. Sanch.*l.*5.*c.*5.*n.*2.Suar. *l.6.c.13.n.4.*Leſſius *l.2.c.41.dub.8. n.72.* Layman.*l.*4.*tr.*5. *c.*10. *n.*1. Sed non caret difficultate, qualiter hæc prærogatiua habeatur,an ex diuina gratitudine,& liberalitate,qua Deus omnium peccatorum ſatisfactiones debitas dimittit gratus illa oblatione,tametſi oblatio illa non ſit condigna ſatisfactio, an ex excellentia,& perfectione ipſius operis,an ex ſpeciali Pontificis indulgentia? Et quidem ex gratitudine, & liberalitate Dei hanc prærogatiuam religioſæ profeſſioni concedi, eſto pium ſit,& rationi conſonum,nullo tamen firmo fundamento nititur.Ex vi autem condignæ ſatisfactionis non videtur fieri poſſe; ſiquidem ſæpè peccata commiſſa ſunt plura, & nimis grauia, & oblatio religioſi tepida, & remiſſa, quamuis ex ſua natura ſit opus perfectiſſimũ. Quod ſi dicas traditione rerum externarũ in vſus pauperum,& pios peccata redimuntur:ergo à fortiori traditione ſui ipſius,non conuincit peccata plenè redimi;aliàs plenè redimerentur peccata,ſi te traderes in Xenodochio obſequuturum.Neque item ex eo quod tuam voluntatem diuino obſequio in perpetuum mancipes; aliàs ſimplici voto obedientiæ fieret plena remiſſio.Neque item virtute,alicuius indulgentiæ hæc plena remiſſio habetur, ſi quidem nullibi hæc extat conceſſio. Adde hanc remiſſionem virtute indulgentiæ non declarare ſatis præſtantiam huius excellentiſſimi operis; quippè aliis operibus inferioribus,concedi ſolet, quia conceditur non ex vi,& merito ipſius operis,ſed ex Chriſti,& Sanctorum ſatisfactione in theſauro Eccleſiæ repoſita.

Nihilominus dicendũ eſt hoc opus de ſe ita eſſe excellens, vt regulariter ex vi illius pro omnibus peccatis fiat condigna ſatisfactio,ſic explicat D.Thom. Suar.*t.3.de relig. l.6.c.13.n.6.* Notanter dixi *regulariter*, vt excluderem caſum, in quo peccata ſunt plura,& grauiora,& obligatio religioſi remiſſa; quia tunc non plena eſſet ſatisfactio, vt conuincit ratio dubitandi, & fortè hac de cauſa in priuilegiis plurium religionum eſt conceſſa indulgentia plenaria ſic religionem ingredientibus, quæ certè neceſſaria non eſſet, ſi omnes indiſcriminatim virtute illius ingreſſus plenariam peccatorum remiſſionem obtinerent. Sed an renouatione huius profeſſionis hæc condigna remiſſio obtineatur?Negat Sanch. *d.c.4.num.*5.eo quod prima traditio difficilior ſit, & frequentet intenſior. Affirmat Layman.*l.*4.*tract.*5.*c.*10.*n.*2. & vt probabile defendit Sà,verbo *religio,n.*17.quia renouatio quoad voluntatem, quam Deus ſpecialiter reſpicit,eſt noua traditio,& ſæpe ex maiori affectu,& amore in Deum procedit, quid ergo merito, & ſatisfactioni plenæ obſtare poteſt, tametſi faciliùs præſtetur? Placet hæc vltima ſententia, vt magis pia adhibita ſupradicta moderatione,vt peccata non ſint nimis grauia, nec renouatio remiſſa, ſed feruens,& deuota,vt par eſt.

4. Tertius effectus eſt commutatio omnium votorum antecedentium profeſſionem,ſiue vota ſint perſonalia, vt tenent ferè omnes doctores,ſiue realia, vt fert communior ſententia: colligitur apertè ex *c.ſcripturæ, de voto*, vbi de eo, qui ſepulchrum Dominicum,vel limina Apoſtolorum vouit viſitare, & religionem ingredi vult, dicitur reum facti voti non eſſe, cum temporale obſequium in perpetuam noſcatur religionis obſeruantiam commutare.

5. Sed eſt dubium, qualiter hæc commutatio fiat,an ex vouentis voluntate,an ipſo facto,& quo iure,naturali diuino, vel Eccleſiaſtico? Et quidem ex vouentis voluntate fieri poſſe nemini eſt dubium, idque manifeſtè ſupponit prædictus textus qui non tam videtur nouum ius conſtituere, quàm conſtitutũ declarare,eſt enim religioſus ita excellens, & perfectus,vt virtute, & eminenter contineat quælibet ſpecialia obſequia,quæ aliàs præſtari poſſent. Quod non ſolum verum habet in profeſſione ſolemni, ſed etiam in Societatis biennia incorporatione,vt decidit Greg.XIII.*in ſua bulla aſcendente,*& notauit Sanch.*lib.5.ſum.c.5.n.*55.Suar.*t.*4. *de relig. tr.*10. *lib.*3. *c.*4.*n.*23.At non eſſe opus ſpeciali vouentis voluntate, ſed iure ipſo diuino,naturali, & Eccleſiaſtico induci hanc cõmutationem religionis profeſſione indicauit D.Tho.2.2. *q.*88. *art.* 12. *ad* 1.*& in* 4.*diſt.*37.*q.*1.*art.*4.*q.*4. *ad* 2. Paludanus expreſſit *ea diſt.*58.*q.*4.*art.*1.*n.*15.*concl.*6.plurib.relatis,Sanch.*li.*5.*ſum.c.*5. *n.*38.Layman.*li.*4.*ſum.tr.*5.*c.*10.*n.*3.Rationes ſubdunt;quia religionis profeſſione omnes tuas facultates, & vires Deo conſecras,abundantius ergo ſoluis,quàm ſi particularia obſequia præſtares,ſicuti ſi Petro magnam ſummam deberes,omnéſque tuas facultates,quas habes,& habere potes,illi offerres, & inſuper te in ſeruum traderes,abundantiſſimè ſatisfaceres. Præterea voto adſtrictus de certa religione intranda, ſi aliã etiam laxiorem ingreditur, & in ea profitetur,poteſt(voto non obſtante priori,cui tanquam ſimplici per ſecundum noſcitur derogatum)in eadem licitè permanere, vt eſt expreſſa deciſio Text.*in c.qui poſt votum de Regular. in* 6. Ergo iure ipſo vota priùs facta religionis profeſſione extinguũtur. Hoc autem ius non videtur eſſe Eccleſiaſticum, ſed potius diuinum, & naturale,cui nititur Alex.III. *in illo c.ſcripturæ de voto*, & Bonifac. *in d.c. qui poſt votum.*

Hac vltima latione deducta ex Text.*in c. qui poſt votum*, omnino conuincor ad hanc commutationẽ opus non eſſe ſpeciali vouentis voluntate.Non enim vouens ſtrictiorẽ religionẽ poſſet in laxioris ingreſſum commutare,cum peccet ingrediendo laxiorẽ;at ſi de facto in laxiori profiteatur, extinguit ſtrictioris religionis etiã perſeuerantiæ votũ. Ergo ſignum eſt facto ipſo,& non ſpeciali vouentis volũtate hanc cõmutationem fieri.Sed quo iure id fiat?Verius credo nõ iure ipſo naturali,nec diuino poſitiuo,ſed ſolũ Eccleſiaſtico cõſuetudine introducto.Sic Suar.*t.*3.*de relig.lib.*6.*c.*14.*à n.*14. *& t.*4.*de relig. tr.*10.*li.*3.*c.*4.*n.*26. Et quidẽ non fieri hanc cõmutationẽ iure ipſo naturali probo. Vota facta ante religionis ingreſſum vel ſunt cõpatibilia cum ſtatu religioſo,vel non? Si ſunt incompatibilia,ceſſant, ſeu ſuſpenduntur aſſumptione illius ſtatus. Si verò ſunt cõpatibilia,vt ſunt ieiunia,orationes,& ſimilia,nulla est ratio cogens ipſo iure naturali profeſſione extingui: ſicuti enim facta profeſſione omnia illa vota ieiuniorũ, & orationum fieri validè poſſent,cur non antea facta poſſent firmã perſiſtere?Quod autem nec iure diuino poſitiuo hæc commutatio fiat,inde probatur;quia hoc ius ex ſacra Scriptura,& Cõciliis,Eccleſiæque traditione colligendũ eſt,at nullus apparet textus ſacræ Scripturæ,vel Conciliorũ,nulláque Eccleſiæ traditio,ex quo colligitur.Ergo. Reſtat igitur vt ſolum Eccleſiaſtico iure hæc cõmutatio faciẽda ſit, cũ autem nullum ſit ius Eccleſiaſticũ ſcriptum hanc cõmutationem expreſsè ſtatuens nã Text.*in c.ſcripturæ de voto*,nõ de omnibus votis, ſed ſolũ de incompoſſibilibus loquitur,& eſto de omnibus loqueretur, non indicat ipſo iure commutationem fieri,ſed potius vouentis voluntate;inquit enim text. Nec voti facti reus habeatur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur religionis obſeruantiam commutare, Text. *in c.qui poſt votum*,non ſtatuit ius,ſed declarat ſtatutum,cum dicat per ſecundum votum ſolemne ſimplex noſcitur eſſe derogatum; noſcitur inquam eſſe derogatum conſuetudine à Pontifice approbata, cum ex nullo alio capite conſtet.

6. Sed quid ſi profitens huic commutationi à iure inductæ cõtradicat?Sylueſt. verbo *votum*,4.*q.*7.*d.*3.quẽ ſequitur Sanc: *li.*5.*ſum.c.*5.*n.*41.Laym.*li.*4. *tr.*5.*c.*10.*n.*3.exiſtimant adhuc extingui;quia contradictio hæc impedire non poteſt efficaciam commutationis à iure inductæ. Et quidem ſi hæc cõmutatio iure ipſe naturali fieret, veriſſima eſſet ſententia Sylueſt.quia fundatur in excellentia ipſius profeſſionis,quæ cũ non immutetur illa contradictione,non poteſt non habere ſuũ effectum. At quia diximus hanc commutationem fieri iure Eccleſiaſtico cõſuetudine introducto,verius credo impediri poſſe profitẽtis voluntate;quia nõ eſt credendũ velle Pontificem inuito, & renuenti beneficiũ concedere:ſic docent Hoſtienſ.Richard. Roſſella,& Angel.relati à Sanch.*d.c.*5 *n.*37.Suar.*t.*3.*de relig.li.* 6.*c.*14.*n.*14.Leſſius *l.*2.*c.*40.*dub.*16.*n.*106.*& c.*41. *dub.*8.*n.*72.

7. Maior dubitatio eſt de incorporatione in Societatem Ieſu per vota biennij,an inquã hæc incorporatio, quæ verum religioſum cõſtituit,extinguat omnia vota antea,ſicuti extinguit ſolẽnis profeſſio?Ratio dubitãdi eſt,quia omnes rationes,quas communiter doctores adducunt, vt profeſſioni ſolemni hanc prærogatiuam extinguendi antecedentia vota concedant, eædem procedunt in hac incorporatione.Nam per hãc incorporationẽ religioſus quantum eſt ex parte ſua moritur mũdo, & Deo viuit,& ſuáque omnia in diuinum obſequium trãsfert traditione ita perfecta,vt eminenter cõtineat quodlibet aliud obſequiũ,quod in particulari præſtari poſſet, quæ ſunt ratio-

nes,ob quas hæc prærogatiua solemni professioni conceditur. Neque obstat hãc traditionẽ ex parte religionis non esse perpetuam;est enim perpetua causa dissolutionis non subsistente, esto causa posita dissolui possit; sicut dissolui potest professionis traditio per Pontificem causa legitima intercedente. Verum est tamen grauiorem multo causam exigi ad dissoluendam professionem,quam incorporationem;eáque de causa dicitur professio vinculum insolubile, incorporatio verò vinculum solubile. Sed quia vtrumque vinculum æquè arctat religiosum, & æquè illo est religioni adstrictus, ideò vtraque traditione omnia vota debent extingui,si ob excellentiam operis extinguantur.

Fateor me hac ratione omnino conuinci ad asserendum doctores illos, qui censent professione religionis omnia vota antecedentia extingui iure ipso naturali, vtpote solutione abundantiori,obligatos esse asserere biennia incorporatione Societatis etiam extingui:sed quia nos diximus hanc extinctionem non prouenire ex iure Ecclesiastico scripto , sed consuetudine introducto , nullaque sit consuetudo quod vota antecedentia hac incorporatione extinguantur ; imò potius à principio Societatis contrarium omnino seruatur, vt constat ex 1. *congreg. generali, can.*42. ibi vota , quæ nostri in sæculo emiserunt , in nostra Societate suspensa sunt , etiamsi per professionem non tollantur,& ita obligationem eorum cessare,dum in Societate manent,intelligatur;efficitur sanè prærogatiuam extinguendi votum incorporationi non concedi , & ita tenet Sanch. *lib.5. sum.c.5.n.54.* Suar.*tom.3.de relig.l.6.c.14. propè finem, n.20. & t.4.tract.10.l.3.c.4.n.25.*Layman *l.4.tract.4.in fine.*

8. Quartus effectus est sublatio irregularitatis ex defectu natalium prouenientis, habetur, *c.1.de filis presbyt.* ibi, vt filij presbyterorum , & cæteri ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoueantur,nisi aut Monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viuentes ; prælationem autem canonicam nullatenus habeant.

Circa quem Textum aduerto , solam hanc irregularitatem ex defectu natalium professione religionis tolli,quia esto aliqui dicant omnem aliam tolli excepta, quæ ex bigamia , & homicidio voluntario nascitur , fundamentum non habet , vt aduertit Sanch. lib.7. de matr. *disp.86.n.4. & l.5.sum.c.5.n.9.* Lessius *l.2.c.41.dub.8. in fine,n.73.* Dixi professione religionis, vt abstinerem ab specialibus priuilegiis , si fortè aliqua sunt alicui religioni concessa. Secundò aduerto quamlibet irregularitatem ex defectu natalium professione tolli.Vnde siue filij sint naturales , siue spurij poterunt ad sacros ordines promoueri,colligitur ex illis verbis , filij presbyterorum,& ex fornicatione nati,quæ comprehendunt filios naturales , sacrilegos, adulterinos,& incestuosos.Sic Sanch.*d.c.5.n.9.* Lessius *num.73.* Layman.*l.4. tract.5.c.10.n.4.* Tertiò aduerte,non penitus irregularitatem ex defectu natalium professione religionis tolli, quia saltem prælatura his religiosis illegitimis interdicitur *d. c.1.*Sed an alia interdicantur,difficultate non caret;quia dictus *text. in c.1.* solum de susceptione sacrorum ordinum loquitur, ibi ad sacros ordines non promoueantur , nisi Monachi fiant. Ex quibus verbis colligit Sayr.*t.1.thesaur.casuum l.6.c.11.n.3.* illegitimè natum, & absque dispensatione ordinatum , si religionem ingrediatur,non posse in susceptis ordinibus ministrare ; quia id concessum non est. Sed contrarium est tenendum cum Sanch. *l.5.c.5.n.10.* Layman.*l.4. tract.5.c.10.n.4.* quia ex supradicta concessione recipiendi sacros ordines censetur concessa facultas susceptis vtendi. Tum quia minor est,& in maiori inclusa, siquidem præcipuè ob vsum ordinum facultas illos recipiendi conceditur.

Tum quia sub ea cõcessione excluditur omnis irregularitas, & inhabilitas, quæ prohibitione recipiendi sacros ordines introducta erat.At illis verbis , *non promoueantur ad sacros ordines filij ex fornicatione nati,*introducta erat integra irregularitas non solum suscipiendi sacros ordines , sed etiam in susceptis administrandi, recipiendíque quodlibet beneficium:ergo illa concessione *nisi Monachi fiant* hæc irregularitas remouetur. Adde id ipsum sufficienter indicasse textum excipientem prælaturam : si enim sola irregularitas pro susceptione sacrorum ordinum esset sublata , vt quid textus prælaturam excipiebat ? Excipit igitur textus ab hac concessione ,& priuilegio prælaturam;quia sub prohibitione , & exceptione antecedenti comprehendebatur. Intelligenda autem est exceptio de prælatura intra religionem,quam extra,vt docent Suar.Sanch. & alij statim referendi.

9.Sed est dubium , an non solum prælatura , sed quodlibet aliud beneficium etiam simplex his religiosis interdictum sit? Affirmat Suar.*t.5.de censur.disp.*150.*sect.5.n.*15. eo quod Text. *in d.c.1.* Solum his religiosis susceptionem sacrorum ordinum concedat. Ergo non concedit susceptionem beneficij. Neque exceptione prælaturæ id colligi potest , quia illa exceptio necessaria non erat;sed ad tollendam omnem dubitationem apposita fuit. Nauar. vero *lib.1.de cons. tit.de presbyt.cons.3.aliàs 6.* quem sequitur Lessius *lib.2.c.41. dub.8. in fine.*Sanch.& alij ab eo relati,lib.5.sum. *c. 5. num.* 16. negant religiosis simplex beneficium interdici , sed solum beneficia manualia curam animarum habentia. Mouentur ex text. *in cap. fin. de filiis presbyt.* vbi illegitimi excluduntur à qualibet dignitate , & beneficio parochiali:tacitè ergo beneficium simplex manuale conceditur. Fateor hanc vltimam sententiam sequendam esse in praxi vtpote communem. At si rigor iuris spectandus esset crederem non solum beneficium simplex,sed curatũ modo non sit prælatura his religiosis illegitimis concedi.Ducor: quia esto in *c.fin.de filiis presbyter.*illegitimis interdicantur dignitates,beneficiáque curata,ab hoc interdicto eximuntur, cũ religosi fiunt;siquidem in *c. vt filij,* finale non debet esse contrariũ,sub prohibitione suscipiendi sacros ordines plena irregularitas illegitimis constituitur, vt docet Suar. *supra* , sed ab ea eximuntur,si Monachi fiant;aliàs exciperetur prælatura,si sub prohibitione , & exemptione antecedenti non esset comprehensa.Comprehendebatur inquã quodlibet beneficiũ simplex , curatum,& prælatura;cũ ergo religiosis sola prælatura expressè eis interdicatur, omniũ aliorum beneficiorum capaces sunt.Sed qui de successione in bonis paternis : Affirmant plures relati à Sanch.*c. 5. n.* 25. professione religionis illegitimos obtinere;quia verè legitimantur,sicut olim legitimabãtur oblati curiæ Principis.Auth.*quibus mod.natur.effic.suis,§ si quis collat.*7. Verum omnino tenendũ est hunc effectũ successionis ex professione religionis non prouenire ; quia nulli cauetur.Neque obstat oblationem spurij curæ Principis præstare successionem,quia eam præstabat,quia oblatum legitimum absolutè reddebat,quod non præstat professio. Sic Couarr. 4. *decret.2.p.c.*8.§.7.*n.*4.Suar. *t.5.de censur.disp* 50.*sect.5.num.*16. Sanch. *lib.5.c.5.n.*26.

10.Supereſt duplex difficultas. Prima,an sublatio huius irregularitatis non solum sit effectus professionis , sed etiam in nouitiatum ingressus?Ratio dubitandi est, quia nouitius verè Monachus dicitur , præcipuè in fauorabilibus. Deinde ; quia esto Monachus non sit saltem in congregat.canonica, regulariter viuit,cũ ergo in *d.c.*1.ab irregularitate eximantur illegitimi,qui Monachi sint, & qui in congregatione canonica regulariter viuunt,efficitur nouitionis eximi.Et confirmatur ex *c.*1.*dist.*56.vbi Vrban.II.ab ordinibus excludit illegitimos,nisi aut in cœnobiis,aut in canoniis religiosè probati fuerint conuersati:probantur autem nouitiatu , ergo nouitiatus ingressu hæc irregularitas cessat,& ita docet Man.Rodr.*t.*1. *reg.q.q.*13. *art.*4.subdique exeuntes à religione in eandem irregularitatem incidere,& ab vsu susceptorum ordinum prohiberi.

Cæterũ omnino affirmandũ est sola professione religionis hanc irregularitatẽ excludi.Quia cũ hæc irregularitas absolutè tollatur,& non ad reincidentia,expediebat tolli ob causam de se perpetuã,qualis erat sola professio,& nõ probationis ingressus.Hæc autẽ professio siue sit in religione Monachorum, siue regulariũ Canonicorũ sufficiẽs est;eáque de causa *text. in c.*1.dixit ab hac irregularitate illegitimos excludi,si Monach. fiant,aut in cõgregatione canonica regulariter viuãt,quasi diceret Monachos,& Canonicos regulares illegitimos à susceptione ordinũ non excludi,neque ibi text.*in c.*1.56.*dist.*loquitur de probatione nouitiatus , sed de probatione per probatam,& religiosam vitam,& ita tenet, latéque probat Suar.t.5. de censur. *disp.*50. *sect.5. à n.*12.Azor.1.*p.lib.* 12. *inst. mor.c.5. q.*12. Sanch.plurib.relatis,*lib.5.c.5.n.*12.

11.Illud verò certũ existimo biennij votis in Societate Iesu emissis tolli hãc irregularitatẽ æquè ac professione tollitur; quia his votis verè religiosi fiũt ex text.*in c.*1. *de filiis presbyt. & c.*1.56.*dist.*solum id expostulauit.Sic Sanch.*c.5.n.*13. Laym. *lib.4.sum. tr.5.c.*10.*n.*4. Quod si hic religiosus à Societate dimittatur in prædictã irregularitatem non reincidit , sed omnino liber manet;quia nullibi cauetur hæc reincidentia,& non est imponenda irregularitas , nisi in casibus à iure expressis, Sanch.*supra.*

12.Secunda difficultas est de fœminis illegitimis,an prælatura conuentus excludantur ? Videntur nequaquam excludi; quia hæc exclusio est quasi quædam irregularitas , sed hæc non contrahitur nisi in casibus à iure expressis. At in iure expressum non est fœminas illegitimas à prælatura sui conuentus excludi.Nam esto in *cap.*1.*de filiis presbyterorum,*filij illegitimi à prælatura excludantur,ad fœminas hoc decretũ non debet extendi.Tum quia odiosum,tum quia expressè de filiis incapacibus suscipiendi ordines loquitur.Deinde si professione moniales illegitimæ capaces non sunt prælaturæ , nullum priuilegium religiosa professio eis concedit. Denique prælatura monialibus competens vera prælatura non est , cum non habeat Ecclesiasticam iurisdictionem.Non igitur debent illegitimæ ab ea excludi,& ita tenet Man.Rodr.*to.*1. *regul. qu.*13. *art.*21.*indicat* Tabiena verba *virginum consecratio, n. penult.* Aliqui limitant,vt locum habeat in Abbatissis temporalibus, secus in perpetuis,vel benedictis. Sed est distinctio, & limitatio absque fundamento;cum esse perpetuam, vel temporalem non variet iurisdictionem.

Cæterum etsi sententia Rodrig.spectato iuris rigore tenenda esset,at spectata consuetudine, communíque doctorum interpretatione contrarium affirmandum est,nullam scilicet illegitimam eligi posse in Abbatissam,seu Priorissam perpetuã,

vel

vel temporalem. Ratio desumitur ex *d.c.*1. vbi à prælatura excluditur illegitimus religiosus, sed sub nomine prælaturæ Abbatissæ munus continetur, vt docent comuniter doctores in *c. indemnitatibus*, §. *sanc. de electione in 6. per text.* ibi, *vt à dignitate eiiciatur adepta.* Ergo illegitima excluditur à prælatura. Et licèt in illo textu nomen filij expressum sit, videatúrque loqui de capacibus sacros ordines suscipiendi; at quia est dispositio religioso statui fauorabilis, ea de causa fœminas comprehendit ea parte qua capaces sunt. Adde si sub nomine filiorum illegitimorum, & sub dispositione eos à prælaturis excludente non comprehenduntur fœminæ, vt quid *Sixtus V.* declarans suam rigorosam constitutionē contra illegitimos editam subdit. Cæterū quæ à nobis circa religiosos viros in præfata constitutione sancita sunt, ea nequaquā volumus ad moniales nunc extendi. Censebat ergo sub illegitimis exclusis à prælatura moniales comprehendi, & ita tenent Glossa *in d. c. indemnitatibus, & ibi* Io. Andr. Anchart. Monach. Archidiac. & alij, Nauarr. *tom. 2. de Regularib. n. 69.* Flamin. *de resignat. l. 3. q. 12. n. 11.* Sayros *tom. 1. thes. casuum l. 6. c. 11. n. 3.* Sanch. aliis relatis, *l. 5. c. 5. n. 19.* Suar. *t. 4.* de relig. *tr. 8. l. 2. c. 6. n. 14.* Neque obstant rationes contrariæ. Ad 1. probationem nostræ sententiæ satisfecimus. Ad 2. concedo nullum speciale priuilegium monialibus professione concedi, cum capaces non sint suscipiendi ordinis. Ad 3. admitto Abbatissæ munus non esse propriissimam prælaturam; at sufficit quod in communi acceptatione sub prælatura comprehendatur.

13. Sed quid, si fœmina erroupta sit? Affirmant plures relati à Sanch. *d. c. 5. n. 21.* excludi à munere Abbatissæ, & mouentur ex *c. iuuenculas, 20. q. 1.* ibi iuuenculas (inquit Gregor.) fieri Abbatissas vehementissimè prohibemus. Nullam igitur fraternitas tua, nisi sexagenariam virginē velari permittat. Præterea; quia non videtur decens, vt virginibus corrupta præsit; quia non poterit ad virginitatem exemplo suo hortari. Cæterum tenendum est hanc qualitatem necessariam non esse; nam sicut non est necessariū, quod sit sexagenaria ætate, sed perfectione continentiæ, vt dicit Glossa, sic necessarium non est, quod fuerit virgo, præcipuè cum non omnes moniales virgines sint. Adde D. Greg. de velo consecrationis concesso virginibus videri locutum, quod velum viduis, publicéque corruptis dari non potest, secus si secreto virginitatē amiserint. Quia non se debent manifestare, vt docet Suar. *tom. 4. de relig. tract. 9. l. 1. c. 11. à n. 8.* non autem loquitur de velo communiter monialibus tradito, & ita aliis relatis defendit Sanch. lib. 5. sum. *cap. 5. n. 22.* Suar. tom. 4. de relig. *tract. 8. lib. 2. cap. 6. n. 16.*

14. Quintus effectus religiosæ professionis est purgatio inhabilitatis ad aliquos actus temporales ratione delicti commissi, vt si ex furto, falsóve testimonio inhabilis factus sis ad testimonium ferendum professione religionis ab hac inhabilitate liberaris. Nō enim de te præsumi potest similia crimina commissurum, cum diuino obsequio sis mancipatus: sic Glossa *in c. cum deputati de iudiciis in fine, & ibi* Felin. Rebuff. *prax. benefi. tit. de dispensat. super defectu natal. n. 72.* Sanc. l. 5. sum. *c. 5. n. 27.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 10. n. 5.* colligiturq; ex *Aut. de* Monachis, *collat. 1. statim in princ.* ibi conuersationis monachalis vita sic est honesta, & vt omnem quidem humanam hominis maculā detergat. Hic effectus extenditur ad incorporationē in Societate Iesu per vota biennij, quia ex tua parte æquè diuino obsequio illis votis manciparis, & tradit Sanch. *d. c. 5. n. 28.*

15. Sextus effectus est, quod deleat omnem maculam, seu ingratitudinis notam antea commissam, ob quam exhæredari filius poterat, vel legitima parentis portione priuari. Quia hac vitæ mutatione, & perpetua ad diuinum obsequium mancipatione sufficienter reparat quamlibet iniuriam parenti factam: sic habetur in Nouella Imper. apud Gratianum, *c. fin. 19. q. 3.* & tradit Couarr. cap. Raynutius n. 28. de testam. Molin. de iustit. *tom. 1. disp. 176. fine*, Sanch. lib. 5. sum. *c. 5. n. 33.* Layman *l. 4. sum. tract. 5. c. 10. n. 6.* & alij apud ipsos. Extenditur hic effectus ad incorporationem Societatis per vota biennij, quia eadem ratio procedit. Sanch. & Layman. *suprà.*

16. Septimus effectus est irritatio matrimonij subsequentis, & antecedentis rati, de quo effectu, & qua ratione votis simplicibus Societ. Iesu cōpetat tract. de matrim. examinabimus.

Hi sunt effectus religiosi status, illū tamen professionibus varia priuilegia à Pontificibus sunt concessa, tum pro administratione, receptionéque sacramentorum, tum pro absolutione à peccatis, & censuris: aliarumque inhabilitatum dispensatione de quibus priuilegiis in suis propriis locis agendum est.

DISPVTATIO III.

De obligationibus religiosi status, castitatis, & paupertatis.

PRofessione religionis obligatur religiosus speciali voto castitatem, paupertatē, & obedientiā seruare, hisque obligationibus alias annectit iuxta institutum illius religionis, in qua professionē emittit. De omnibus specialiter differendū est.

PVNCTVM I.

Qualiter religiosus obligetur castitatis voto.

SVMMARIVM.

1 *Ad quid obliget castitatis votum?*
2 *Quid sit peccatum illius violatio.*
3 *An violatio voti solemnis castitatis à violatione voti simplicis differat, sitque circunstantia explicanda in confessione? Resoluitur non esse necessario explicandum.*

1. CErtum est apud omnes religiosos castitatis voto te obligari; primò ad abstinendum à coniugio, nisi votum faceres iuxta normam militum ordine Alcantaræ, Calatrauæ, & D. Iacobi, qui non emittunt votum absolutæ castitatis, sed coniugalis tantum. Obligaris verò ita abstinere à coniugio, vt si fortè illud attentaueris, effectum non obtineas. Quod qua ratione contingat tract. de matrimonio examinandum relinquimus, & ibi an vota scholarium in Societate hanc vim habeant subsequens matrimonium, & ratum præcedens dirimendi, & quo iure, interim vide Suar. t. 3. de relig. l. 9. de voto castitatis, *c. 21. & seq. & t. 4. de relig. tr. 10. l. 4. c. 1. & 2.* Deinde obligaris abstinere ab omni actu tam interno, quàm externo venereo, ita vt peccans contra castitatem, simul etiam pecces contra votum, & sacrilegus existas.

2. Quale autem sit peccatum contra votum, mortale, an veniale? Ex violatione castitatis sumendum erit, si violatio mortalis sit, mortale erit peccatum contra votum, si venialis, veniale. Hoc autem intelligendum est, vt benè notauit Sanch. l. 5. sum. *c. 6. n. 10.* in violatione castitatis propriæ, secus in aliena: si enim tuo facto, vel aspectu per se veniali alius ad mortale induceretur, peccares mortaliter, peccato scandali aduersus castitatis virtutem, sed aduersus votum castitatis non se extendit ad conseruandum alienam castitatem, sed propriam.

Dixi esse veniale, vel mortale pro veniali, vel mortali violatione castitatis propriæ. Non enim negari potest castitatem sæpè venialiter violari tum ob defectum perfectæ deliberationis, tum ob materiæ leuitatem. Sed non inde fit dari posse leuitatem materiæ in delectatione venerea deliberatè quæsita, hoc enim nullatenus asserendum est, esset enim virtualiter affirmare dari leuitatem materiæ in coitu, vel pollutione. Nam delectatio venerea est complacentia sumpta ex coitu, vel pollutione, vel ex commotione spirituum vitalium, motioneque seminis ex renibus ad vas pudendum, quæ est per se proxima, & natura sua causa coitus, vel pollutionis, atque adeo virtualis coitus, vel pollutio; sicut enim in coitu, vel pollutione minimū non conceditur, nec concedendū est in venerea delectatione: sic optimè docet Rebell. 2. *p. de oblig. iust. l. 3. q. 19. sect. 3. ex illo* Sanch. *l. 5. sum. cap. 6. num. 12. & 13.* Layman *l. 4. tr. 5. cap. 8.* Filiucius *tr. 30. in 6. decalogi præcepto, c. 9. per totum, præcipuè à num. 181.*

3. Porrò violatio voti solemnis castitatis à voto simplici aliqualiter differt. Sed an hæc differentia sit necessario in confessione exprimenda? variant doctores apud Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 27. à n. 23. & pluribus seqq.* Alij asserunt esse exprimendam, quia votum solemne à simplici essentialiter differt. Alij, quia saltem differt accidentaliter differentia notabiliter aggrauante. Sed verius censeo cum *eodem* Sanch. *n. 27.* non oportere exprimere; an votum fuerit solemne, vel simplex, modo expressetis te voto ligatum esse; quia hæc differentia non in obligatione castitatis seruandæ, sed in matrimonij contrahendi irritatione consistit, qui effectus vtpote omnino extrinsecus, & accidentalis obligationi castitatis violationem castitatis aggrauare nullatenus potest.

PVNCTVM II.

Quo dominio, & vsu rerum priuetur religiosus, præcipuè Societatis Iesu voto paupertatis.

SVMMARIVM.

1 *Per se, & iure naturali nullo dominio pecuniæ votum paupertatis priuat.*
2 *Priuat iure Ecclesiastico.*
3 *Quod est intelligendum de voto solemni, secus de simplici.*
4 *Religiosi Societatis peccant retinendo bona, si à superioribus præcipiantur renunciare.*
5 *Item peccant denuo acquirendo sua voluntate.*
6 *Item expendendo absque licentia.*
7 *Sed an sit dispositio valida? Negat Molin. & Lessius. Verius est validam esse.*
8 *Fit satis oppositis fundamentis.*

1. SI votum paupertatis etiam in tota ſua latitudine ſumptũ ſpectemus, nec priuat dominio acquiſito, neque ipſo facto incapacem reddit acquirendo; quia votũ caſtitatis formaliter eſt promiſſio non habendi propriũ, ſed promiſſio non habendi propriũ, proprium ipſo facto non excludit, ſed obligat excludere. Ergo votum paupertatis in ſe ſpectatũ dominio nõ priuat; ſic Suar. 3. *de rel. li.* 8. *c.* 5. *n.* 14. Idem dicendũ eſt de iure vtendi aliena re: non enim voto paupertatis præcisè ſpectato hoc ius amittitur, tametſi vouẽs obligetur ab illo iure ceſſare.

2. Verum etſi hoc ita ſit; iure tamen Eccleſiaſtico votum ſolẽne religioſæ paupertatis priuat vouentẽ iure, & dominio pecuniæ, aliarũmque rerum pecunia æſtimabiliũ, & reddit inhabilẽ acquirendi; ſic tradũt DD. omnes in *c. cum ad monaſteriũ, de ſtatu* Monach. & Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 2. *de regular.* Dixi priuare dominio pecuniæ, aliarũmque rerum pecuniæ æſtimabilium, vt excluderem à voto paupertatis iura ſpiritualia, qualia ſunt munia publica, magiſtratus, doctoratus, & Eccleſiaſticum beneficium. Item ius eligendi, præſentandi, & confirmandi, quæ per ſe diuitem non faciunt. Et licet plura ex his temporalem vtilitatem, & fructum pecuniæ habeant annexum, hoc ſolum probat, quod hic fructus ex voto paupertatis prohibeatur recipi, & expendi non tamẽ quod iura ſpiritualia, quibus eſt annexus, cũ voto paupertatis compati non poſſent; ſic D. Tho. 2. 2. *q.* 186. *a.* 7. *ad* 4. & *opuſc.* 19. *contra impugnator. relig. c.* 2. Nau. *com.* 2. *de regul.* Leſſius *lib.* 2. *c.* 4. *dub.* 5. Mirand. *t.* 1. *man. prælat. q.* 28. *a.* 1. Suar. t. 3. de relig. *c.* 4. *lib.* 8. *num.* 12.

3. Inſuper dixi votum ſolemne, non ſimplex, quale emittitur ab ſcholaribus, & coadiutoribus Societatis expleto biennio, nec tollit dominium habitum; nec incapacẽ reddit acquirendo, vt expreſsè deciditur à Greg. XIII. *in bulla, aſcendente Domino, & habetur,* 4. *p. conſtit. c.* 4. *litt. E.* Quod certè nullatenus obſtat religioſo ſtatui, & perfectioni, cum ex vi voti obligentur illo dominio non vti vſque voluntate ſuperioris, & ex alia parte conuenientiſſimum eſt regimini Societatis, vt ſic liberius, & minori cum offenſione dimitti, ſi opus fuerit, è Societate valeant, ſicuti dixit Greg. *in ſupradicta bulla.*

4. Difficultas autem eſt, qualiter peccent hi religioſi Societatis tum retinendo, tum acquirendo, tum expendendo ſua bona, quorum habent dominium, & quouſque eorum diſpoſitio valida ſit?

Dicendum eſt primò peccaturos mortaliter, ſi retineant, cum à ſuperioribus Societatis imperantur renunciare, tametſi non imperentur ſub virtute obedientiæ; quia ex voto paupertatis obligantur re propria non vti inuito ſupetiore. Hæc autem retentio eſt quidam illius dominij vſus, præterea vouent paupertatem iuxta conſtitutionem Societatis; at in conſtitutionibus declaratum eſt ſolum poſſe retinere proprium, quouſque ſuperiori viſum fuerit: ſic Suar. t. 4. de relig. *tract.* 10. *lib.* 4. *c.* 3. *n.* 3. & 20.

5. Secũdò dico religioſos Societatis prohibitos eſſe ex vi voti paupertatis dominium cuiuſvis rei acquirere abſque voluntate ſuperioris; quia nullus vſus eſt ita proprius rei, ſicut illius acquiſitio; at per votũ paupertatis omnes Societatis, religioſi prohibentur vti re independẽter à voluntate ſuperioris, vt dicitur in *exam. gen. c.* 4. & 3. *p. conſtit. c.* 1. *n.* 7. & 6. *p. conſtit. c.* 2. *n.* 11. *litt. H.* Ergo prohibentur dominium illius acquirere. Solum aduerto eſſe aliqua, quæ ex aliqua actione religioſi ex vi iuris poſſeſſi acquiruntur, vt ſunt fructus hæreditatis habitæ. Pro horum ergo acquiſitione non eſt opus ſpeciale facultate ſuperioris, ſed ex facultate conceſſa ad retinendam hæreditatem cenſetur conceſſa facultas illos fructus acquirendi. Alia vero indigent ſpeciali religioſi acceptatione, qualia ſunt quæ iure hæreditario, donatione, aut teſtamento acquiruntur, ad quorum acquiſitionem ſine dubio interuenire debet ſuperioris voluntas; aliàs grauiter violaretur paupertatis votum ob proprietarium vſum rei, cum nullus alius magis proprietarius eſſe poteſt, quàm ille quo ipſa res propria poſſidentis efficitur: ſic docuit Suar. t. 4. de relig. *tr.* 10. *lib.* 4. *c.* 4. *n.* 4.

6. Tertiò dico religioſos Societatis diſponentes de his rebus de quibus dominium retinent non conſcio; & approbante ſuperiore, ſi diſpoſitio ſit alicuius momenti, peccare mortaliter; quia votum paupertatis hoc ſpecialiter reſpicit, ne hi religioſi re propria tanquã propria vtantur. Ex quo fit religioſum via teſtamenti, renunciatione, donatione de ſuis bonis diſponentem ſuperiore non approbante, & iam ſi diſpoſitio ſit in pauperes, & iuxta conſtitutionis normam, mortaliter peccaturum; quia licet conſtitutio liberum cuilibet pro ſua deuotione reliquerit modum de ſuis bonis in pia opera diſponendi, caſu quo permitteretur diſponere, *exam. c.* 4. & 3. *p. conſt. c.* 1. *à n.* 7. Non tamen reliquit liberum, vt diſpoſitio fieret inſcio ſuperiore, ſed potius illo approbante; ſic expreſsè deciditur in *congreg.* 5. *generali, can.* 7. & *decr.* 7. & 39. & tradit Suar. t. 4. de relig. *tr.* 10. *lib.* 4. *c.* 6. *n.* 3.

7. Sed quid ſi de facto via teſtamenti, donatione, aut renunciatione de ſuis bonis inſcio ſuperiore diſponeret religioſus, eſſet ne diſpoſitio valida, eſto illicita? Negãt Molin. *t.* 1. *de inſtit. diſp.* 139. *verſ. illo qui tempore,* & Leonard. Leſſius, *lib.* 2. *c.* 4. *dub.* 5. *n.* 28. Mouentur, quia religioſus poſt votorum emiſſionem non eſt ſui iuris, ſed religionis, eiũſque voluntas omnino eſt prælato ſubiecta; nequit ergo validè eo non approbante diſponere. Et confirmari poteſt exemplo pupilli, cui religioſus comparatur, cuius diſpoſitio nulla eſt abſq; authoritate tutoris. Cæterum verius eſt diſpoſitionem validam eſſe: ſic Suar. *t.* 4. *de relig. tr.* 10. *lib.* 4. *c.* 6. *à n.* 12. Sanch. li. 7. ſum. *c.* 18. *n.* 28. & *c.* 8. *n.* 25. vbi loquitur ſpecialiter de teſtam. Laym. *li.* 4. *ſum. tr.* 5. *c.* 7. *n.* 3. Ratio eſt, quia hæc diſpoſitio nec iure naturali, nec poſitiuo eſt irrita; ſi quidem eſt diſpoſitio rerum, quarum religioſus habet dominium, & adminiſtrationem, & licet illã habeat impeditam ex virtute religionis ob paupertatis votum, hoc non tollit quominus ſi de facto diſponat, valida non ſit diſpoſitio, quia votum non tollit dominium, nec annullat diſpoſitionem, ſed eam infidelem reddit; nullum autem eſt ius poſitiuum, nec Canonicum; nec Ieſuitiuum, quod talem diſpoſitionem irritam reddat. Ergo aſſerendum eſt validam eſſe. Verum etſi valida ſit, irritari tamen poteſt, & reuocari à prælato ob poteſtatem dominatiuam, quam in ſubditi voluntatem, & in eius actiones habet, ſicuti poteſt votum, & quamlibet aliam humanam promiſſionem, quæ eſto valida ſint, ſunt tamen à prælato irritabilia, Suar. *d. c.* 6. *à n.* 12. & *ſeqq.*

8. Neque obſtant contraria. Ad primum nego religioſum non habere voluntatem, qua ſe obligare poſſit, habet vtique, eſto ob dependentiam, & ſubiectionem ad prælatum non poteſt ſe firmiter, & irreuocabiliter obligare. Ad ſecundum concedo pupilli diſpoſitionem abſque authoritate tutoris nullam eſſe, id tamen prouenit ex iure poſitiuo quod in præſenti nullum eſt.

PVNCTVM III.

Quo iure bona de quibus religioſus ante profeſſionem non diſponit, tranſeant in monaſterium.

SVMMARIVM.

1 *Statuitur diſtinctio de monaſteriis ſuccedendi capacibus, vel incapacibus ſuccedendi.*
2 *Profeſſus in religione Minorum, Capucinorum, & Societatis Ieſu non poteſt amplius de ſuis bonis diſponere.*
3 *Monaſteria, quæ religioſis ſuccedunt id habent ex iure Eccleſiaſtico, & ciuili.*
4 *Plures affirmant ſtatuto ciuili excludi poſſe monaſterium aliàs capax à ſucceſſione. Sed contrarium eſt tenendum.*
5 *Conſuetudine tamen introduci poteſt hæc excluſio.*

1. DIſtinguenda ſunt monaſteria; alia ſunt ſuccedendi capacia, vel ipſo iure, vel ex voluntate religioſi, alia vero ſunt incapacia ſuccedendi vtroque modo. Religiones omnes (præter Minores de obſeruantia, & Capucinos, & Societatis Ieſu, de qua ſtatim) ſuccedunt religioſo profeſſo nihil de ſuis bonis diſponenti, ſic omnes doctores; colligũntque ex Trid. *ſeſſ.* 25. *c. de regularib.* vbi omnium religioſorum monaſteriis tam virorum, quam mulierum (exceptis domibus S. Franciſci, Capucinorum, & eorum qui minores de obſeruantia vocantur) concedit immobilium poſſeſſionem & conſequenter hæreditariã ſucceſſionem. Minores de obſeruantia, & Capucinos excepit ob eorum ſingularem paupertatem. Et licet Societatem Ieſu Concilium non exceperit, ſed potius viſum fuerit ſub priuilegio omnibus aliis religionibus conceſſo comprehendiſſe; quia tamen non obligat religiones eo priuilegio vtijea de cauſa poſſunt ſupradicto priuilegio renunciare, ſi expedire iudicauerint. Sic Societas Ieſu nullam religioſorum ſuorum ſucceſſionem ab inteſtato admiſit, vt ſic potius aptitudinem religioſorum ad diuina miniſteria, quàm eorum diuitias ſpectaret, eoſque poſſent minori cum ſæcularium offenſione recipere & receptos regere, punire, ac ſi opus eſſet dimittere.

2. Hinc fit profitentem in religione Minorum, & Capucinorum, & in Societate Ieſu abſque diſpoſitione ſuorum bonorum non poſſe de ſuis bonis amplius diſponere, ſed hæredes ab inteſtato ſuccedere. Nam ex vi profeſſionis omnium ſuorum bonorum dominium amiſit, & cum ipſo iure monaſterium non ſuccedat; fit conſequenter, ne bona domino careant, vt habeantur pro derelicto, hæredibus ab inteſtato competere; ſic pluribus relatis firmat Sanch. *lib.* 7. *ſumm. c.* 25. *n.* 21.

3. Monaſteria vero, quæ religioſis profeſſis ſuccedunt, non ex iure naturali, ſed poſitiuo ciuili, & Eccleſiaſtico hanc ſucceſſionem habent. Ex iure ciuili conſtat *ex §. ſi qua mulier, Auth. de Sanctiſſim. Epiſc. & Auth. ſi qua mulier, authent. ingreſſi, C. de Sacroſãct. Eccl.* Ex iure Eccleſiaſtico liquet ex Greg. Magno *in c. quia ingredientibus* 19. *q.* 3. Ius autem ciuile, & Eccl. ita efficaciter hanc poteſtatem ſuccedendi monaſterio conceſſit, vt nulla profitentis actione indigeat, ſed eo ipſe quo religioſus profeſſionem emittit, omnia eius bona, iura, & actiones ſunt in monaſteriũ tranſlata, vt expreſsè deciditur Auth. *ingreſſi, C. de Sacroſanct. Eccl.* ibi ipſo ingreſſu ſe ſuáque dedicat Deo quapropter etiamſi ipſe monachus poſt profeſſionem huic tranſlationi repugnet, effectum non impediet; quia

non

non ex voluntate monachi; sed ex lege hæc translatio facta est, qua facta non est in potestate monachi eam reuocare, aut immutare.

4. Ex his oritur dubitatio, an iure ciuili excludi possit monasterium à successione bonorum, ex persona religiosi prouenientium? Non desunt doctores, qui id affirment, eo quod iure ciuili hæc successio sit, poterit ergo iuris cõditor eam concessionem reuocare, & ita tradit Menchaca *de succeſſ. creat. li. 3. 2. 21. n. 179.* Sed contrarium omnino tenendum est. Tũ quia priuilegium Ecclesiæ concessum, & ab ea acceptatum nequit, qui filius superior non est, derogare. Tum quia successio non tantum iure ciuili, sed Ecclesiastico statuta est, at iuris ciuilis conditor statuta Ecclesiastica abrogare non potest, ergo non poterit derogare hanc monasterij concessionem: sic docet aliis relatis Couarr. *de pactis 3. p. §. 2. n. 4.* Menoch. *conſ. 196. n. 32. volum. 2. & de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 83. nu 24.* Zeuallos in suis *qu. communib. q. 423. in fine*, Sanch. lib. 7. sum. *c. n. 18.*

5. Verùm, etsi statuto ciuili monasteria excludi non possint à successione ob personam religiosi; consuetudine tamen introduci potest: nam cum hæc successio non iure naturæ, sed positiuo monasteriis competat, derogari consuetudine poterit, sicuti apud Gallos factum est: sic Rebuff. *t. 1. t. constit regiar. in præmio*, Gloss. *5. n. 21. & 22. Couarr. de pactis, 3. p. §. 2. n. 4. ad finem, & c. 1. in fine, de testam.* Sanch. *lib. 7. sum. c. 12. nu. 14.* vbi benè aduertit debere spatio 40. annorum præscribi hanc consuetudinem.

PVNCTVM IV.

Quæ bona religiosi, de quibus ante professionem non dispoſuerat, transeant in monasterium, vel ad hæredes pertineant.

REegula generalis est, si monasterium incapax sit succedendi ex persona religiosi, bona illa ne maneant adespota, & suspensa, transeunt, ad hæredes abintestato sic, Bartol. *tr. minoricar. lib. 4. d. 1. c. 1. &* 2. Abbas *c. in præsentia de probationib. n. 62. & ibi Fel. n. 50. Bald. auth. ingressi, n. 38. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* & alij plures, quos plena manu refert, & sequitur Sanch. lib. 7. sum. *c. 25. n. 21.* Si autem monasterium capax sit ex persona religiosi succedendi, omnia illius bona in monasterium transeunt, vt expresè deciditur Auth. *de monachis, §. ſi quis autem, & authent. ſi qua mulier, C. de Sacroſanct. Eccleſiis*, & tradunt ferè omnes doctores, plurimúsque exornat Nau. *comm. 2. à n. 44. de Regul.* Lessius *li. 2. de inſtit. c. 41. dub. 10. n. 81.* De aliquibus verò bonis est specialis difficultas, qua ratione in illis monasterium succedere possit, ideo sigillatim examinanda sunt.

§. I.

Vsusfructus qualiter à monasterio competat.

SVMMARIVM.

1 *Aliqui affirmant vſumfructum extingui, & cum proprietate ſolidari, & quo fundamento.*
2 *Alij cenſent vſumfructum manere apud religioſum, commoditatem monaſterio inhærere.*
3 *Durante vita religioſi vſusfructus monaſterio acquiritur.*
4 *Limitatur concluſio, vt procedat in religione capaci ſuccedendi.*
5 *Secundò limitatur in religioſis Societatis* IESV *vota biennij emittentibus, qui vſumfructum retinent.*
6 *Alij limitant in vſufructu patris, vel matris in bonis aduentitiis filij, ſi religionem ingrediantur. Sed non admittitur limitatio.*
7 *Vſusfructus paternus in bonis aduentitiis filij perit in Caſtella, ſi filius ad nuptias tranſeat.*
8 *Tranſlatio religioſo ad aliud monaſterium legitimè tranſit cum illo vſusfructus.*

1. NOn desunt doctores, qui sentiant vsum fructum monasterio non competere, sed professione religionis extingui, eo quod professione religiosus quasi mortuus censeatur, at morte vsufructuarij extinguitur vsusfructus, §. *fin. inſtit. de vſufructu.* Tum quia pensio professione extinguitur, vt latè diximus *tr. de benef. diſp. 1.* Ergo & vsufructus qui pensioni comparatur, imo pensio est quidam vsusfructus beneficij. Tum quia vsusfructus non potest manere in religioso, cum sit incapax votum paupertatis habendi proprium. Neque item potest transferri in religionem, cum non sit ius transmissibile iuxta Text. §. *in fin. inſtit. de vſufructu, & leg. ſi vſufructus 67. ff. de iure dotium*, ergo extinguitur, sic Glossa *in c. ſi qua mulier, 19. q. 3.* Zeuallos *commun. opin. q. 64. fine*, consentit Fachin. *lib. 6. controuerſ. c. 12.* vt colligitur manifestè ex ratione, qua suam sententiam probat.

2. Alij doctores sentiunt vsumfructum manere apud religiosum, commoditatem vero monasterio inhærere; quia non videtur inconueniens religiosum capacem esse proprij, cuius nullam dispositionem habeat; sicut non est inconueniens coniugatum manente vinculo coniugij fieri religiosum: sic Cou. *de teſtam. c. 2. n. 9.* Ant. Gom. *leg. 48. tauri, n. 8.* Mol. *t. 1. de inſtit. diſp. 9. circà finem*, & probabile reputat Suar. t. 3. de relig. *lib. 8. c. 13. n. 4.*

3. Cæterum, media via procedendum est, & affirmandum, vsumfructum nequaquã extingui, sed monasterio acquiri durante vita religiosi lege sic disponente, sic pluribus firmat Sãch. *lib. 7. c. 13. n. 48. & ſeq.* Suar. *d. c. 13. n. 6.* Et quidem non extingui est constans ferè omnium doctorum sententia, vt videri potest in doctoribus relatis. Neque obstat pensionem extingui, quia hoc in fauorem Ecclesiæ, vt libera sint beneficia, iure Ecclesiastico introductum est. Quod autem monasterio acquiratur, sic probo. Tũ quia generale est omnia iura, & actiones religiosi in monasterium transferri. Auth. *ingreſſi, C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Tum quia religiosus voto solemni paupertatis non solum vsu, sed qualibet proprietate priuatur. Alias posset cuiuslibet rei dominium retinere absque potestate illa re vtendi, quod est contra omnes: efficitur ergo vsumfructũ monasterio acquiri: sed quia non acquiritur ex consensu, & voluntate domini proprietaris, sed ex lege, seu consuetudine recepta, qua constat in monasterium esse hoc ius translatum; ea de causa non amplius durat, neque extenditur, quàm extenderetur, si religiosus sæcularis esset. Vnde morte ipsius religiosi finitur vsusfructus, nisi fortè esset vsusfructus relictus pro se, & suo hærede, quia tunc, vt benè dicit Sanch. *d. c. 13. n. 60.* nouus vsusfructus in monasterio constituitur, ideo centum annis durare debet; quia id tempus definitũ est vsufructui directè monasterio relicto, *leg. an vſusfructus, ff. de vſufruct. & lege regia, 26. tit. 31. p. 3.*

4. Conclusio limitanda est, vt procedat in religione capaci succedendi; nã religioni incapaci habendi propria non acquiritur vsusfructus, sed perit, & cũ proprietate consolidatur, eo quod neque in religioso, neque in religione manere possit, Suar. *t. 3. de relig. lib. 8. c. 13. n. 4.* Sanch. lib. 7. sum. *c. 13. à n. 53.*

5. Secundo limita in Societate Iesu pro his, qui, qui tantum vota biennij emiserunt: si enim dominio capaces sunt, vsumfructum retinent, esto de illo absque licentia prælati disponere non possint, si vero professionem faciant, vel vota coadiutorum formatorum emittant, vsusfructus extinguitur; quia neque ipsi, neque religio ratione ipsorum capaces sunt habendi proprium.

6. Tertio limitant alij in vsufructu, quem pater, vel mater habet in bonis aduentitiis filij, quem dicunt extingui, si pater religionem profiteatur: quia illa professione soluitur patria potestas, & ius gubernandi filium amittitur, quæ sunt causæ vsumfructum patri concedendi: sic Cou. *c. 2. n. 9. de teſtam.* Fachin. *lib. 6. controuerſ. c. 12.* Zeuallos *in suis q. communib. q. 64. n. 4.* Sed iure optimo hanc limitationem reprobãt plurimi doctores quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 7. ſum. c. 14. n. 70.* Suar. t. 3. de relig. *lib. 8. c. 13. n. 5.* Quia esto causa concedendi vsumfructum sit patria potestas, & filij gubernatio, non tamen pẽdet ab hac patria potestate, & filij gubernatione, sed his cessantibus vsusfructus perseuerat, vt constat, ex *leg. 3. C. de vſufructu, & leg. vlt. C. ad Tertull.* Neque obstat filio emancipato deberi vsumfructum, & patri solum concedi in præmium beneficij emancipationis dimidiam vsusfructus partem, *leg. cum oportet, §. cum autem, C. de bonis, quæ liberis*, quia professionis religionis non emancipatur filius directè, sed indirectè, & in consequentiam; ideóque leges emancipationis in professione religionis procedere non debent.

7. Aduerte tamen hunc vsumfructum in bonis aduentitiis filij omnino perire, & ad filium deuolui, si filius in hoc Castellæ regno ad nuptias trãseat subsequutis Ecclesiæ benedictionibus. Nam vt rectè notauit Sanch. *d. c. 13. n. 75.* si patri existenti in sæculo perit vsusfructus, & ad filium nuptias contrahentem deuoluitur, *leg. 48. tauri, & leg. 9. tit. 1. lib. 5. recopilat.* à fortiori hoc procedere debet patre in religione existente.

8. Sed qui si religiosus ad aliud monasterium transeat transitne cum illo vsusfructus? Respondeo transire, si monasterium capax sit habendi proprium; quia vsusfructus est ius personalissimum, & monasterium illo fruitur, quia sibi religiosus est incorporatus. Et præterea censetur quasi quotidie constitui iuxta *leg. 1. § fin. ff. de vſufructu accreſcendo.* At si monasterium incapax est habendi proprium, vsufructus omnino perit, Sanch. *lib. 7. c. 13. n. 63.*

§. II.

Qualiter annuum legatum, peculum filiifamilias, ius patronatus, & ius retractus in monasterium transferatur.

SVMMARIVM.

1 *Qualiter annuum legatum monaſterio incapaci ſuccedendi competere poſſit.*

a *Peculium*

2 *Peculium filiifamiliæ castrense monasterio competit non profectitium ; aduentitium vero quoad vsumfructum. Probabilius est non competere, sed à patre retineri.*
3 *Ius patronatus monasterio acquiritur.*
4 *Idem dicendum de iure nominandi ad emphyteusim.*
5 *Ius retractus monasterio non competit.*

1. ET quidem, si monasterium sit succedendi capax, dubium non est, quin monasterio acquiratur, siue legatum reputetur vnum, siue quolibet anno diuersum quia omnia iura, & actiones religiosi in monasterium transeunt. At si monasterium incapax sit, & legatum multiplex esse censeatur, iuxta leg. *in singulis, ff. de annuis legatis*, eo quod in gratiam legatarij singulis annis dari mandatum sit, perit legatum ob incapacitatem religiosi, & monasterij. Si vero legatum vnicum esse reputetur, vt reputandum est, quòd in gratiam hæredis signatui singulis annis tribuendum; non religioso, nec monasterio, sed hæredibus ab intestato competit; sicut competit census, aliáque bona religiosi; quia hoc legatum, tanquam quidam census computandum est: sic Sanch. lib. 7. sum. *c.* 13. *n.* 54.

2. Sed quid dicendũ de peculio filij familias religiosi facti? Nulla est dubitatio de bonis castrensibus aut quasi; hæc enim tam quoad proprietatem, quàm quoad vsum fructum sunt filij; ac proinde non mirum quin monasterio cedant. Neque item est dubitatio profectitia monasterio competere; cùm hæc tam quoad vsumfructum, quàm quoad proprietatem sint patris. Solum de bonis aduentitiis est controuersia; eo quod vsusfructus patri conueniat, quo non videtur priuandus ob ingressum filij in religionem. Nam esto soluatur patria potestas, & filij gubernatio, non cessat honor patri debitus, ob quem præcipuè hic vsusfructus concessus est. Et ita tenendum est cum communi sententia, quam tradit Nauarr. *com.* 2. *de regularib. n.* 55. Lessius *lib.* 2. *de iust. c.* 41. *dub.* 10. *n.* 83. Man. Rodrig. *t.* 3. *q. regular. q.* 16. *art.* 4. Sanch. pluribus relatis, *lib.* 7. *c.* 13. *n.* 39.

3. Iuspatronatus alicui videbitur posse in religioso manere, eo quod non sit pretio æstimabile; ac proinde nec materia prohibita voto paupertatis. Sed dicendum omnino est, nequaquam religioso competere, sed monasterio succedendi capacis Quia Auth. *ingressi, C. de Sacrosanct. Eccles.* absque nulla distinctione decidit omnia iura & actiones religosi monasterio acquiri. Quod si monasterium sit succedendi incapax ad sequentem vocatum iuspatronatus pertinet: sic glos. *in c. beneficium, de regular. in* 6. verbo *conferendum.* Lambert. *de iure pat. lib.* 2. *p.* 1. *q.* 2. *art.* 11. *nu. vlt.* Man. Rodrig. *q. regul. t.* 2. *q.* 122. *art.* 2. Sanch. aliis relatis, *lib.* 7. *c.* 14. *n.* 2. *& seqq.*

4. Idem quod dictum est de iurepatronatus, à fortiori dicendum est de iure nominandi ad emphyteusim; est enim in pretio æstimabile, cuius religiosus professus incapax est; ac proinde monasterio succedendi capaci competit. Sic Molina *tit.* 2. *de iustit. disp.* 482, *circa finem*, Sanch. *lib.* 7. *sum. cap.* 14. *n.* 16. *&* 17.

5. De iure, & priuilegio, quod proximiori consanguineo concessum est retrahendi rem alienatam extra familiam eodem pretio emptori soluto, quod ipse pro ea dedit, optimè dicit Sanch. *d. c.* 14. *n.* 25. *& seq.* nequaquam religioso, nec monasterio competere posse: nam cum religiosus rem illam non sibi, sed monasterio acquirere debeat, extra propriam familiam hoc retractu res constitueretur, quod vitare intendebat priuilegium retractus.

§. III.

Qualiter maioratus, feudum, & emphyteusis transeant in monasterium.

SVMMARIVM.

1 *Aliquibus placet monasterium succedendi capax non succedere in matoratu religiosi. Sed tenendum est contrarium succedere inquam durante religiosi vita.*
2 *An succedat monasterium in maioratu ante professionem à religioso possesso habente clausulam expressam, vel tacitam excludentem religiosos? Affirmat Mieres succedere.*
3 *Verius est oppositum.*
4 *In feuda succedit monasterium si capax sit præstandi illius obsequia.*
5 *Excipitur feudum habens dignitatem.*
6 *Emphyteusis hæreditaria tam secularis, quàm ecclesiastica ad monasterij transit; tametsi de ecclesiastica Nau. neget.*
7 *Sanch. sentit Ecclesiasticam emphyteusim reuocari intra biennium posse. Sed non admittitur.*
8 *Si emphyteusis concessa sit ea conditione, ne transeat ad potentiorem, & si plures censeant transire ad monasterium. Verius est oppositum.*
9 *Emphyteusis solum pro vita religiosi in manasterium transit.*
11 *Quid de emphyteusi concessa alicui pro se, & suis hæredibus? Affirmat Sanch. in perpetuum ad monasterium transire Sed est difficilis sententia.*

1. A Liquibus videbitur monasterium succedendi capax non posse maioratum, quem religiosus ante professionem possederat, acquirere. Quia finis præcipuus instituentis quemlibet maioratum, est, ne bona illius extra familiam constituantur. At si monasterium succedit, iam bona illius sunt extra familiam; non igitur ex instituentis voluntate monasterium succedere potest. Cæterùm omnino tenendum est, succedere monasterium durante vita monachi, quod tanquam certum supponunt ferè omnes doctores: nam cum monasterium ex persona monachi sibi incorporati, & ex iure ei competente maioratum possideat, bona illius extra familiam hac ratione non censetur constituti, quia non directè vt in contractu, & in qualibet alia donatione contingit, sed accessoriè ad religiosum monasterio comperunt.

2. Dubium autem non leue est; an quando maioratus habet clausulam expressam excludentem religiosos vel tacitè illos excludit, eo quod institutum est cum iurisdictione in aliquod oppidum, vel ad conseruandam agnationem, vel cum onere deferendi arma, & familiæ nomen; in quibus casibus secundùm communiorem sententiã non succedit religiosus professione facta, nec ratione illius monasterium. An idem dicendum sit, quando ante professionem religiosus succesſerat, & illum maioratum possidebat? Negat. Mieres *de maioratu, 2. p. q.* 3. *n.* 33. cuius fundamentum est, quia esto monachus, & ratione illius monasterium incapax sit acquirendi de nouo supradictum maioratum, at ad retinendum illum capax esse potest; quia plura requiruntur ad nouam rei acquisitionem, quàm ad illius conseruationem, vt multis exemplis exornari facilè potest. Deinde quia sola institutoris voluntate priuari potest religiosus maioratu acquisito, at institutoris voluntate excludente religiosos à succesſione, non priuatur religiosus maioratu acquisito, sed solum acquirendo, quia solum priuatur succedere, at eo casu non succedit religiosus, sed succesſionem continuat. Item ad monasterij exclusionem clarissimæ coniecturæ voluntatis testatoris illud excludentis desiderantur, vt benè probat Cou. *1. variar. c.* 15. *n.* 11. quæ tamen in præsenti casu non apparent, cum satis congruenter dici possit voluisse excludere à noua maioratus succesſione non ab antiqua. Tandem hæc sententia religioni fauet, ac proinde sustinenda est.

3. Nihilominus verius censeo monasterium excludi, & ad sequentem succesſorem maioratum transire, sic expresè docet Sanch. *lib.* 7. *c.* 15. *n.* 31. & videntur id sentire Molin. *lib.* 1. *de primog. c.* 13. *n.* 93. *& seqq.* & Mol. Iesuita, *t.* 3. *de iustit. disp.* 623. *n.* 3. Man. Rodrig. *qu. regul. t.* 2. *qu.* 77. *art.* 12. vers. *quinto certum est.* Ratio est, quia institutor excludens monachos à succesſione maioratus, succesſorem monasterij exclusit, monachi enim professione ipsa excluſi erant.

4. De feudo dubium est; an in monasterium capax succedendi transeat? Breuiter respondeo transire, dummodo obsequium feudi præstari possit à monasterio per se, vel per substitutum. Quia à generali regula statuente omnia bona religiosi ad monasterium transire, nulla est occasio excipiendi supradictum feudum: sic Nau. *com. de Regularib. n.* 55 Molin. *li.* 1. *de primogen. c.* 13. *n.* 76. Molin. Iesuita, *t.* 1. *de iustit. disp.* 140. *vers. regulam*, Lessius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 10. *n.* 84. & alij plures, quos refert & sequitur Sanch. *lib.* 7. *c.* 15. *n.* 36.

5. Ab hac regula excipiendus est feudus habens dignitatem Ducatus, Marchionatus, seu iurisdictionem in aliquod oppidum annexum, quia hæc non possunt ea decentia, & splendore, quem dominus feudi intente, exerceri, ac proinde ex præsumpta domini voluntate transit ad succesſorem vocatum, sicut communiter dicitur de maioratu habente hanc dignitatem, & iurisdictionem. Sic Sanch. aliis relatis, *d. c.* 15. *nu.* 42. Monasterium autem potietur illo feudo, dum religiosus viuit, eo tamen defuncto deueniet ad sequentem vocatum. Quod si nullus sit, ad dominum directum deuoluitur. Sic. Mol. *de primogen. d. c.* 13. *n.* 79. Lessius *n.* 84 *Sanch. c.* 15. *n.* 46.

6. Sed quid dicendum de emphyteusi hæreditaria qualiter ad monasterium succedendi capax deueniat, Qua in re & si Nau. *com.* 2. *de regularib. n.* 55. censeat emphyteusim, cuius dominus directus est Ecclesia, quęque vocatur Ecclesiastica, non transire ad monasterium. At probabilius est hanc sicut & sæcularem transire cum omnibus melioramentis in ea factis, quippè quæ nullo iure inuenitur excepta ab illa regula generali concedente monasterio succesſionem in omnia religiosorum bona: sic docuit Felin. *c. in præsentia, de probationib. n.* 49. Decius *ibi n.* 194. Azor. *t.* 1. *lib.* 12. *c.* 8. *q.* 4. & aliis relatis Sanch. *lib.* 7. *c.* 15. *n.* 56.

7. Addit tamen Sanch. esse differentiam in succesſione Emphyteusis Ecclesiasticæ, & sæcularis. Nam Ecclesiasticam, inquit reuocare dominus directus potest intra biennium, iuxta Textum *in* §. 1. Authent. *de alienat. & emphyteusi.* At secularem reuocare non potest; quia nullibi tale priuilegium concessum est. Verum hanc differentiam non censeo admittendam;

dam;quia illa *Authentica constitutio* non loquitur de qualibet emphyteusi, sed de emphyteusi data ab Ecclesia Constantinopolitana, neque ad hæredes extraneos transmissibili,vt latiùs probaui 1. *p huius operis, tract.4.de fide,disp.5.Punct.8. n.* 3. ac proinde neque Ecclesiastica, nec sæcularis reuocari potest.

8. Sed quid si emphyteusis sit concessa ea conditione, ne transferatur ad Ecclesiam,aut personam potentiorem,vt communiter concedi solet?Adhuc plures doctores censent ad monasterium succedendi capax transire.Quia intelligi debet hæc conditio de translatione voluntaria, & directa possessoris,non de translatione indirecta, & in consequentiam,& à lege inducta, qualis est,quæ professione religionis inducitur. sic Felin. *c.in præsentia,n.36.& 49.de probationib.* Syl. verbo *emphyteusis,q.20.n* 27.Man. Rodrig. *q. regular.t.2.q.* 78. *art.* 9. Sanch. alios referens *d.c.15.n.65.* Cæterum verius censeo, de qualibet alienatione conditionem intelligendam esse. Tum quia finis apponentis eam conditionem est,ne Dominus proprietatis ob Ecclesiæ priuilegia, aut emphyteuticæ potentiam obsequio debito priuetur,qui finis etiam in translatione directa ac indirecta procedit. Aliàs etiam fiscus succederet in Emphyteusi alienari prohibita emphyteuta delictum confiscationi subiectum committente(quod Sanch.non concedit)quia etiam hæc est alienatio non voluntaria, sed indirecta,& inducta per legem. Item maioratus habens clausulam, ne monasterium succedat, monasterio competeret; quia posset quis interpretari id esse intelligendum de successione directa, & perpetua., & non successione temporanea, & per legem inducta. Ne ergo hæc admittantur, dicendum est, emphyteusim prohibitam transferri ad Ecclesiam,nullatenus monasterio acquiri, & ita docent Bartol.*auth.ingressi,C.de Sacrosanct.Eccles.in 2.lectura, n.*19.& *ibi* Bald.*n.*31.Paulus *n.*25.Iason.*n.*64.Barbac. *c. in præsentia.de probation.n.*121.Velascus *cons.*101.*num.*8.*t.*1.Flores de Mena *addit. ad Sama.decis 6. n.*2.*concl.* 3. quos omnes refert Sanch.*d.lib.*7.*sum.c.*15.*n.*64.Item quod dictum est de emphyteusi, dicendum est de quibusuis bonis alienari prohibitis ob eâsdem rationes,tametsi contrarium sentiat Sanch. *n.*67.

9. Verùm esto sententiæ asserenti in monasterium dictam emphyteusim,seu fidei commissum transferri religiosi professione, hæreamus, nullatenus concedendum est in perpetuum transferri,sed solum durante vita religiosi, ne voluntatis concedentis emphyteusim,seu fidei commissum aduersemur.

10.Solum de emphyteusi concessa alicui pro se,& suis hæredibus affirmat Sanch.*d.c.*15.*n.*62.cum Bart. dicta Authent. *ingressi,in 2.lectura n.*37.Beroio *cap in præsentia,n.*491.*de probat.* in perpetuum monasterio pertinere;quia potuit Dominus cogitare possessorem emphyteusis posse monasterium hæredem habere.Hæc tamen doctrina non caret difficultate quia verba explicantia voluntatem testatoris in proprtia significatione sunt accipienda; at monasterium religioso succedens non est propriè hæres, vt communiter doctores censent teste Sanch. *lib.7.sum.c.*12.*n.* 33. Ergo nomine hæredis non venit monasterium; & ita tradit Paris loquens de feudo *c. in præsentia de probationib. n.* 195. Quod à fortiori procedit, si emphyteusis constituta esset pro se,suisque filiis;non enim nomine filij monasterium intelligendum est, nisi in casibus à iure expressis, qualis non est hic,& consentit Sanch.plurib.relatis li.7.num.*c.* 15.*n.*63.

§. IV.

Qualiter fideicommissum monasterio competat.

SVMMARIVM.

1 *Non excluditur substitutus, si religionem incapacem succedendi ingrediatur.*
2 *Si profitearis in monasterio capaci succedendi, succedit monasterium in fideicommisso durante tua vita.*
3 *Affirmant plures testatore grauante suum hæredem,vt alicui tertio hæreditatem restituat non apposita clausula, si sine liberis decesserit, in perpetuum excludi substitutum, & monasterium succedere.*
4 *Sed oppositum est verius.*
5 *Si testator apposuit clausulam grauato,si sine liberis decesserit, & nullis filiis relictis ingreditur monasterium, excluditur in perpetuum substitutus.*
6 *Limitatur ab aliquibus, nisi testator de veris filiis intellexerit, cum eam conditionem apposuit,si sine liberis decesserit,sed non admittitur limitatio.*
7 *Secundo limitatur, nisi testator expresserit se nolle substitutum excludi.Sed alij hanc limitationem,neque improbabiliter reiiciunt.*
8 *Quid sentiendum,sub distinctione respondetur.*
9 *Tertio limitant,nisi substitutus esset filius testatoris.Sed reiicitur limitatio.*
10 *Quarto nisi grauatus ingressus fuerit animo excludendi substitutum?Non caret difficultate hæc limitatio.*
11 *Quinto limitatur nisi substitutio sit causa pia. Admittitur limitatio.*
12 *Extenditur limitatio ad quamlibet causam piam,esto fuerit mediante substituta.*
13 *Sexto limitatur, ne succedat monasterium excluso substituto in contractibus onerosis.*
14 *Septimo limitatur,vt non procedat monasterij successio,si conditio liberorum in propriam personam referatur.*
15 *Octauo limitatur monasterij successio, dummodo admittat hæreditatem, secus si reiiciat.*
16 *Substitutus eo casu statim succedit, neque oportet grauati mortem naturalem expectare.*
17 *Quid dicendum de successione fideicommissi in religione Societatis Iesu.*

1. GRauis est difficultas de fideicommissis, hoc est de bonis grauatis, seu alicui tertio restituendis; an si in his institutus sis,& religionem ingrediaris,succedat monasterium, & excludatur substitutus? Aliqua sunt in hac quæstione apud Doctores recepta;alia satis controuersa. Primo certum est, te ingrediente religionem incapacem succedendi non excludi substitutum;quia solum excludi poterat ob monasterij successionem,vt bene aliis relatis notat.Molin. Societatis Iesu, *t.* 1. *de iust.disp.*186.*col.*2.Sanch.lib.7.sum.*cap.*16.*n.* 13. imo probabilius est à puncto professionis in hac religione factæ substitutum intrare; quia ad effectum successionis hæc professio morti naturali æquiparatur, neque vlla ratio est, quare fideicommissum ad hæredes ab intestato perueniat, cum id contrarium sit dispositioni testatoris præferentis substitutum omnibus aliis hæredibus: sic Cou. *c.* 2.*n.*6.*de testam.* Menoch.*de præsumpt.lib.*4.*præsumpt.*83.*n.*71.Gutierr.*can.q.lib.*1.*c.* 32.*n.* 25. Sanch.lib.7.sum.*c.*16.*n.*16.& alij apud ipsos.

2. At si in monasterio capaci succedendi profitearis,succedit monasterium durante tua vita, nisi aliud ex præscripto instituentis cautum sit.Sic Cou.*lib.*1.*var.c.*19.*n.*7.Sanch.*lib.*7.*c.*16. *n.*10.& 49.Molin.*lib.*1.*de primogen.c.*7.*n.*77.Molin.Iesuita, *d. disput.*186.vers.*si hæres.& disp.*190.*circa finem*,vers.*in quocunque.* Dixi nisi aliud ex præscripto instituentis cautum sit.Nam si instituitor expressè,vel tacitè contrarium disposuit, voluitque à professionis tempore substitutum intrare id seruandum est.Quocirca si gratia conseruandi agnationem,suæque familiæ nomen,substitutum designauit,monasterium non succedit; quia capax non est conseruandæ agnationis: sic Cou. 1. *var. capit.* 19.*numer.*11.Gutierr.*capit* 32. *numer.* 29. Menoch. *dicta præsumpt.*83.*numer.*45. Sanch. pluribus relatis *lib.*7.*cap.*16.*numer.*44.

3. Controuersia tamen est, si testator suum descendentem grauauit restituere hæreditatem alicui tertio, & fortè extraneo non exprimens,si sine liberis decesserit sed absolutè; ille vero monasterium ingrediatur capax succedendi;an cesset substitutio, & monasterium in perpetuum succedat? Affirmant Gregor.Lopez.*leg.*10.*verbo dexare.q.*2.*tit.*4.*part.*6.Antoñ.Gomez *t.*1.*var.c.*5.*n.*34.& alij relati à Sanch.*lib.*7.*c.*16.*n.*81. Mouentur;quia taciti, & expressi idem est iudicium. At si exprimeret, si sine liberis decesserit, grauatus restituat hæreditatem, succedit monasterium,excluso substituto in perpetuum, vt statim dicemus. Ergo etiam succedit supradicta conditione non expressa;quia tacitè inest, non enim credendum est voluisse testatorem suis descendentibus filiis extraneum præferre.

4. Sed verius est non excludi in perpetuum substitutum, sed post mortem grauati successurum:sic docet Molin.Iesuita, *t.*1.*disp.*190.vers. *vtrum* Eman. Acosta. *c. si pater.* 1.*p.* verbo *si absque liberis,n.*70.& 71.*de testam in* 6. & aliis relatis Sanch. lib.7.sum.*c.*16.*n.*82. Ratio est; quia esto illa conditio tacitè insit, eaque de causa si grauatus descendens haberet filios, substitutus extraneus,etiamsi esset pia causa in perpetuum excluderetur, iuxta, *leg.autus,ff.de conditionib.& demonstr. leg. cum acutissimi,C.de fideicomm.cum aliis.* At monasterium nulla ratione eo casu loco filij habetur; quia Authent. *de sanctissimus episcop.* §. *sed & hoc præsenti*, solum concedit monasterio excludere substitutum, locúmque filij ea in parte retinere, quando aliqua ex ibi enumeratis conditionibus fuerit apposita ibi:*Adiectis conditionibus quibuscunque.*Ergo quando nulla conditio adiicitur,substitutus excluditur non debet.

5. Verùm si testator instituens grauaret hæreditatem restituere alicui tertio, si sine liberis decesserit, ipse vero nullis filiis relictis monasterium capax succedendi ingrediatur;cessat substitutio & monasterium in perpetuum succedit in fideicommisso.Est expressa decisio Text. *in authent.de Sanctissim. episc.*§. *sed & hoc præsenti*, ibi si quis sub conditione nuptiarum,aut susceptorum filiorum, vel dotis, aut nuptialis donationis gratia,vel donauerit,vel reliquerit filiis suis,aut cuicunque alij personæ vel hæreditatem, vel legatum, aut si initio

purè ipſis relinquat, poſtea ſub vna aliqua memoratarum cõditionũ ſubſtitutione, aut reſtitutione eos prægrauet, iubemus, vt ſi mares, aut familiæ, qui tali cõditioni obnoxij ſunt, monaſterium ingrediantur, aut clerici, diaconiſſæve, aut aſcetriæ fiant iſtiuſmodi conditiones inualidæ, & pro non ſcriptis ſint, &c. Quæ deciſio approbata eſt ab Innoc. III. *in c. in præſentia, de probationib.* ibi intelligendum non erat ſine hærede decedere, qui monaſterium ſibi hæredem inſtituit; quæ verba erſi ſint prolata à patre, attamen ſecundùm illa lata fuit à Pontifice ſententia. Ratio huius deciſionis multiplex redditur à doctoribus Prima; quia monaſterium loco filij habetur, vt colligitur ex dictis verbis textus: ſi autẽ filios haberet inſtitutus, excluderetur ſubſtitutus in perpetuum; ſimiliter ergo excludẽdus eſt monaſterij ingreſſu: ſed hæc ratio firma non eſt, tum quia non conſtat Pontificem ob ſupradictam rationem motum fuiſſe in deciſione, ſed eo ſolum, quod monaſterium intrauit. Aliàs ſi motus fuiſſet ad decidendum monaſterio competere illa bona excluſo ſubſtituto; quia monaſterium loco filij haberet, ſicut filio grauati exiſtente excluditur quilibet ſubſtitutus etiam cauſa pia, ſimiliter excluderetur monaſterij ingreſſu, contra *text. in §. ſed & hoc præſenti.* Authent. *de Sanctiſſim. epiſc.* Deinde eſſet in perpetuum excluſus ſubſtitutus etiamſi monaſteriũ repudiaret hæreditatem; ſicuti contingeret filiis grauati exiſtentibus, & repudiantibus hæreditatem. Alij vero dicunt rationem deciſionis ſupradictorum textuũ eſſe, ne grauatus ab ſtatu religioſo auertatur, ſciens ad ſubſtitutum eſſe fideicommiſſum deuenturum, neque in monaſterio, vbi ipſe ingreditur permanſurũ. Hæc tamen ratio minorem fitmitatem habet. Non enim religionem ingrediens, cũ paupertatem promittat, omniaq; ſua bona ſæpè pauperibus relinquat, ab ſtatu religioſo præſumi poteſt auerti, eo quod fidei commiſsũ ſubſtituto poſt mortẽ ſuã tribuatur. Deinde neq; cauſa pia ſubſtitui poſſet, ſi hęc ſubſtitutio à religione auerteret, quia eſſet reiicienda tanquam turpis Alij dicũt legitimã deciſionis rationem eſſe præſumptã teſtatoris voluntatem, qua creditur prælatũ fore monaſteriũ ſubſtituto, ſicuti prætulit filios grauati, ſi tempore ſubſtitutionis monaſterij memor eſſet. Sed neq; hæc ratio mihi probatur. Tũ quia nullũ eſt fundamentũ ad hanc præſumptionẽ, cũ adhuc poſſet de monaſterij ingreſſu cogitare, & ſæpè id contingit & nihilominus ſubſtitutũ deſignare: potius enim eſt fundamentũ pro cõtraria, ſiquidẽ teſtator deſignauit ſubſtitutũ eo caſu, quo ſine liberis inſtitutus decederet, quæ cõditio abſolutè verificatur inſtitutio ingrediente religionẽ nullis filiis relictis. Deinde quia nõ ſe mihi offert diſcriminis ratio, quare deſignato ſimpliciter ſubſtituto abſq; illa conditione expreſſa, ſi ſine liberis deceſſerit inſtitutus nõ ſuccedat monaſteriũ & excludat ſubſtitutũ, & ſuccedat appoſita illa conditione, cũ potius eo caſu præſumi poſſet, ſi memor eſſet monaſterij, fore illud prælaturũ ſubſtituto. Quapropter ea mihi videtur firma ratio; fauor ſcilicet, & priuilegiũ ſpeciale religioni conceſsũ, quo illa cõditio pro nõ ſcripta habetur, vt benè probat Fachin. *li. 4. contr. c. 56.*

6. Plures huic doctrinæ limitationes adhibent doctores, præcipuas deſignabo. Primo limitant vt non procedat, ſi teſtator dictæ conditioni addiderit aliqua verba, quibus expreſſerit ſe de veris filiis, & non fictis intellexiſſe, vt ſi diceret, ſubſtituo Titium, ſi tu ſine liberis legitimis vel maſculis, vel ex tuo corpore procreatis deceſſeris; quia ea expreſſione facta ſatis ſuam voluntatẽ declarauit, vt ſuccederet ſubſtitutus nullo filio vero exiſtente. Deinde, quia Text. *in authent. de Sanctiſſi epiſcop. §. ſed & hoc præſenti*, concedens monaſterio excluſionem ſubſtituti, eã concedit; cum apponitur ſimplex conditio, ſi ſine liberis deceſſeris. Ergo ſi huic conditioni addatur illa qualitas, *legitimis, veris, vel ex tuo corpore procreatu*, ceſſabit conceſſio; quia ſub ſimplici dictione mixta nõ cõprehẽditur, vt pluribus firmat Gutierr. *li. 1. canon. qu. c. 32. n. 41 & ſeq.* vbi latè hãc limitationem probat. eámque approbat *n. 52.* conſentit Menoch. *de præſumpt. l. 4. præſumpt. 83. à n. 17.* Man. Rodrig. *quæſt. regul. c. 2. q. 77. art. 4.* & alij plures, quos refert Sanch. *lib. 7. c. 16. n. 51.* Verùm probabilius exiſtimo cum eodẽ Sãch. *n. 51.* & pluribus doctoribus ab eo relatis hãc limitationẽ admittẽdã non eſſe, quia teſtator apponens cõditionem ſimplicem, ſi ſine liberis inſtitutus deceſſerit, de veris liberis, & non fictis loquitur; quia ſermo abſolutè prolatus iuxta propriã eius ſignificationẽ intelligendus eſt, & præcipuè in decreto correctorio iuris cõmunis. Ergo quando addit, veris legitimis, id facit pro maiori appoſitæ conditionis explicatione. Neque hæc explicatio nouam qualitatem prædictæ ſimplici conditioni addit, ſed in ea contentam clarius explicat. Neque alicuius conſiderationis eſt, quod voluntas teſtatoris ſit latis expreſſa, vt ſuccedat ſubſtitutus veris filiis grauati deficientibus, & non monaſterium; quia non ſuccedit monaſterium ex voluntate præſumpta teſtatoris excludentis ſubſtitutum; ſed ex lege, quæ illum excluſit inſtituto religionem ingrediente.

7. Secundo limitatur, vt non procedat, ſi teſtator expreſſit ſe nolle monaſterium excludere ſubſtitutũ; quia contra voluntatem teſtatoris non eſt concedenda ſucceſſio, eáque de cauſa *lege 12. tabularũ* dicitur, *Vti quiſque legaſſet ſuæ rei ita ius eſto*, conſentit *lex 1. C. de Sacroſanct. eccleſ. & lex verbis legis, ff. de verbor. obligat.* ſic Molin. de Hiſpan. primogen. *lib. 1. c. 12. n. 54.* Cou. 1. *var. c. 19. n. 10.* Gutierr. *canon. qu. l. 1. c. 32. n. 19. & 26.* & innumeris relatis Sanch. *l. 7. ſum. c. 16. n. 12.* Verùm hanc limitationem multi neque improbabiliter reiiciunt; eo quod voluntas teſtatoris diſpoſitioni legis aduerſari non poteſt. Si igitur lex diſponit, vt ingrediens religionem excludat ſubſtitutum ſub ea conditione, ſi ſine liberis deceſſerit, non videtur poſſe ſua diſpoſitione hoc ius commutare. Sic Fachin. *lib. 4. controu. c. 56. per totam*, Sarmiento *lib. 8 ſelect. ſuper §. ſi is, n. 2.* Eman. Acoſta *leg cum tale, §. ſi arbitr. ampl. 11. ff. de condit. & demonſt.* & alij plurimi relati à Sanch. *dicto c. 16. n. 11.*

8. Pro reſolutione aduerto, dupliciter poſſe teſtatorẽ exprimere voluntatem ſuã, ne ſubſtitutus excludatur profeſſione inſtituti, ſub conditione, ſi ſine liberis deceſſerit. Primò facta inſtitutione. Secundò cum ipſa inſtitutio fit. Si poſt factam inſtitutionẽ vellet teſtator, ne monaſterium ſuccederet, néve excluderet ſubſtitutũ, nullius effectus eſſet eius voluntas ob rationẽ dictam; quia lege publica, & cõmuni, cui ipſe nequit derogare, eſt tali inſtitutioni annexa ſubſtituti excluſio. Ergo dũ inſtitutio manet immutata, ſucceſſio monaſterij, & excluſio ſubſtituti perſeuerat. Verũ ſi cum fit inſtitutio, & ſubſtitutio, monaſterium excluditur à teſtatore, cenſeo omnino manere excluſum. Quia ea inſtitutio, & ſubſtitutio non eſt cui ius cõmune conceſſit priuilegium excludendi ſubſtitutum ob monaſterij ingreſſum; ſolũ enim inſtitutioni, & ſubſtitutioni ſub ſimplici conditione, ſi inſtitutus ſine liberis deceſſerit; cõceditur à iure priuilegium excludendi ſubſtitutum: at hæc inſtitutio eſt ſub geminata conditione, videlicet ſi ſine liberis deceſſerit; & deinde ne monaſterium ſuccedat; non igitur ſub priuilegio comprehenditur, præcipue cum hoc priuilegium extendendum non ſit, ſed limitandum, vtpote odioſum, & derogans ius ſubſtituit.

9. Tertiò limitãt plures, caſu, quo ſubſtitutus ſit filius teſtatoris; quia tũc præſumitur teſtator noluiſſe ſuo proprio filio monaſteriũ præferre; quæ voluntas optimè colligitur ex *leg. cũ auus, ff. de conditionib. & demonſtr.* vbi deſcendens grauatus reſtituere hereditatẽ alicui tertio, ſubintelligitur, niſi filios habuerit; quia teſtator nõ debet præſumi tertiũ extraneũ voluiſſe filiis grauati anteponere, ſic in noſtro caſu dicendũ eſt, nõ debere præſumi voluiſſe teſtatorẽ præferre monaſteriũ ſuo filio; quãdoquidẽ, filiis grauati nõ prætulit: ſic poſt alios antiquiores. Gutierr. *q. canon. l. 2. c. 32. n. 35.* Mantica *de coniectur. vlt. volunt. l. 11. tit. 7. n. 13.* Menoch. *l. 4. præſumpt. 83. n. 43.* Sanch. hos, & alios refert, *l. 7. c. 16. n. 39.* At verius cenſeo ſubſtituũ excludi, & monaſteriũ ſuccedere: ſic Greg. Lop. *leg. 10. verbo dexaſſe. tit. 4. part. 6.* Molin. Ieſuita *t. 1. de iuſt. diſp. 190. circa fin.* verſ. *multi* & alij relati à Sanch. *ſupra n. 38.* Moueor, quia excluſio ſubſtituti ob monaſterij ſucceſſionẽ nõ fundatur in præſũpta volũtate inſtituentis, ſed in priuilegio conceſſo in *§. ſed & hoc præſenti.* auth. *de Sanctiſſ. epiſc.* at in hoc priuilegio ſola cauſa pia, ſubſtituta excipitur. Ergo non eſt ad alios ſubſtitutos diſpoſitio extẽdenda. Deinde ſi filios grauati prætulit teſtator ſuo proprio filio, quid miũ quod monaſterium locum filij tenens præferre voluerit? Adde Text. *in c. in præſentia de probat.* vbi monaſteriũ, præfertur fratribus teſtatoris, qui fuerũt ſubſtituti.

10. Quartò limitatur, dũmodò grauatus monaſteriũ ingreſſus non fuerit animo excludendi ſubſtitutum; neq; enim iuſtũ eſt iniquitati, & malitiæ fauere: ſic pluribus firmant Molin. *l. 2. de primogen. c. 5. n. 29.* Anton. Gom. *l. 9. tauri, n. 58.* Mantica de coniectur. *vlt. volunt. l. 11. tit. 7. n. 13.* Sanc. *l. 7. c. 16. n. 55. & ſeqq.* vbi examinat ex quib. cõiecturis hæc fraus colligatur. Fateor hãc limitationẽ ſequendã eſſe potius ob authoritatẽ doctorũ, quàm ob rationẽ. Neque enim video quã fraudẽ, dolúmve cõmittas aduerſus ſubſtitutum ex eo quòd animũ habeas illum excludendi à ſucceſſione. Si enim à iure data eſt excluſio ſubſtituti ob religionis ingreſſum, licitum tibi erit religionem ingredi animo ſubſtitutũ excludendi. Deinde quia non videtur conſonũ, vt ius monaſterio conceſſum ob grauati malitiã impediatur; cũ non ob fauorẽ grauati, ſed monaſterij, cui grauatus incorporatur, fuerit conceſſum. Adde monaſterij ſucceſſionem, & ſubſtituti excluſionem à iure conceſſam impediri non poſſe abſque expreſſo textu, firmaque ratione; at neq; vlla ratio firma apparet, neq; vllus textus id ſuadens. nã fraus, & dotus, cui doctores cõmuniter nituntur, ob rationẽ proximè dictã ceſſat: non enim fraudẽ cõmittit, qui vtitur iure ſibi conceſſo, neque prauum animũ habet, qui habet animũ iuri, & legi conformẽ. Neque argumentũ deſumptũ à paritate rationis ex aliorũ caſuũ diſpoſitione vrget, cũ in his, quæ ex iure poſitiuo pendent, diſpoſitũ in vno debet cenſeri in alio diſpoſitum: neque enim leges extendẽdæ ſunt vltra latã verborum ſignificationem. Quod dixerim, vt infirmarem argumentum deſumptum ex *c. 2. de renunc. in 6.* vbi decidítur priuilegium alicui conceſſum, vt prouideretur in prima præbenda vacatura, non ceſſare ex eo quod aliquis renunciaſſet tenui, ne pinguem. quæ præſumitur proximè vacatura priuilegiatus obtineret; quia id factũ eſt, vt via ambitioni præcluderetur, ne ſcilicet renunciãs

dimiſſa

dimissa sua tenui præbenda obtineret pinguem in tui fraudem; at ob ingressum religionis animo excludendi substitutum nec tibi, nec monasterio maiorem hæreditatem acquirere potes.

11. Quintò limitatur, nisi substituta sit causa pia; tunc enim substitutio non cessat, & merito, quia successio monasterio, & substitutionis cessatio ob pietatem, & religionis fauorem à iure introducta est. Cum ergo in piæ causæ substitutione hæc pietas, religionisque fauor reluceat, & ex alia parte dispositioni testatoris sit conformis, ob monasterij successionem excludi non debet.

12. Solum est difficultas; an quælibet causa pia substituta hanc vim habeat impediendi successionem monasterij à iure concessam. Et ratio difficultatis est; quia tantum redemptioni captiuorum & egentium sustentationi id conceditur in *dicto § sed & hoc præsenti*, ibi, si tamen in redemptione captiuorum, & egentium alimento sub prædictis conditionibus substitutio fiat, ex nullo memoratorum modo eam excludi permittimus. Ergo ad alias causas pias substitutas extendendũ non est; his enim ius specialiter fauet, vt constat ex authent. *de restit. in princ.* vers. *si verò collat.* 8. & ibi *glossa*: sic docet Barbatia *in c. in præsentia, n.* 114. *de probat.* At omnino tenendum est quamlibet causam piam substitutam exclusam non esse monasterij successione; quia in qualibet causæ piæ substitutione pietas, & religio elucet, esto in illis duabus relucear specialiter: credendum ergo est, illas duas causas non taxatiue, sed exemplariter appositas fuisse, & ita aliis relatis tenent Menoch. *de præsumpt. l.* 4. *præsumpt.* 83. *n.* 47. Gutierr. *l.* 2. *canon. quæst. c.* 32. *n.* 39. Sanch. *l.* 7. *c.* 16. *n.* 34.

Extende hanc limitationem, etiã si causa pia fuerit mediatè substituta, & immediatè aliquis tertius, vt substitutio tertij nõ excludatur monasterij ingressu, ne causa pia maneat in perpetuum exclusa, sic alios referentes Gutier. *n.* 40. Sanch. *n.* 36. Secundò extende, etiamsi simul cum causa pia substituatur causa profana ob huius coniunctionẽ substitutio causæ piæ nõ petit, sed augetur euanescẽte substitutione profanæ cauiæ monasterij ingressu; sic relato Corneo, & Peregrino tradit *Sanch. n.* 37.

13. Sextò limitatur; vt solum procedat in contractibus lucratiuis, & non in onerosis; quia Text. *in § sed & hoc præsenti, & c. in præsentia de prob.* in quibus monasterio conceditur ius excludendi substitutum, de contractibus lucratiuis loquuntur. Non ergo ad contractus onerosos debet dispositio à iure communi exorbitans extendi, vt benè probat aliis relatis Sanch. *dicto c.* 16. *n.* 68. Quod *n* 69. extendit ad sententiam iudicis, aut arbitri, vt si sententia iudicis esset (inquit) Titius institutus hæres sub conditione, si sine liberis decederet, deuolueretur hæreditas alicui tertio; non succedet monasterium ingrediente Titio religionem; quia non ex gratia, & liberalitate, sed ex iustitia, & iuris rigore hæc institutio prouenit.

14. Septimò limitatur; vt non procedat, si conditio liberorum in propriam personam referatur, vt si Titium instituerem hæredem casu quo sine liberis decederes, vel aliquid donares, & nullis habitis liberis monasterium ingrediatis, Titij institutio, & donatio subsistit excluso monasterio; quia de conditione relata in tertiam personam textus loquuntur, neque sunt extendendi ad conditiones relatis in propriam personam: si Abbas *in c. præsentia, de probat. n.* 46. Peregrin. *de fideicommiss. art.* 28. *n.* 67. Sanch. *l.* 7. *decal. c.* 16. *n.* 66. *&* 67.

15 Octauò limitatur, monasterij successio excluso substituti, dummodo monasterium acceptet hæreditatem, nam illo repudiante deuoluitur ad substitutum qui solum in monasterij fauorem exclusus erat, vt benè post alios tradit Menoch. *l.* 4. *præsumpt.* 83. *n.* 72. Sanch. l. 7. sum. *c.* 16. *n.* 24.

16. Sed nõ caret difficultate à quo tempore substitutus succedat eo casu, an statim, an post mortem naturalem religiosi grauati? Peregr. *de fideicom. art.* 28. *n.* 64. quem refert, & sequitur Sanc. *d. c.* 16. *n.* 25. censent substitutũ succedere non statim facta professione, sed post mortem religiosi grauati, interim tamen succedere hæredes ab intestato sicut in alia bona; quia substitutus non succedit nisi ex dispositione testatoris, sed testator solũ disposuit, vt post mortẽ naturalẽ instituti absq; liberis decedentis succederet. Ergo nõ statim facta professione. Cæterum verius censeo statim succedere ex præsumpta voluntate testatoris præferente substitutũ omnibus aliis hæredibus ab intestato; cũ enim testator solum filios grauati, & monasterium ex dispositione iuris substituto prætulerit, cessante filiorũ & monasterij successione substitutus ex eius voluntate intrat; aliàs non esset eo casu substitutus grauati, sed hæredũ ab intestato. Neque obstat contraria ratio; concedo testatorem disposuisse formaliter, vt substitutus succederet post mortem naturalem instituti; quia præsumpsit, vel ipsum, vel monasterium nomine ipsius fideicommissum possessurum; at neque ipso, nec monasterio possidente credendum est voluisse substitutũ succedere, potius quã hæredes ab intestato. Adde in veriori sententia ingrediente monacho in monasteriũ incapax succedendi statim substitutus succedit in fideicõmissis, non obstãte quod formaliter solũ disposuerit successionẽ post mortẽ naturalẽ instituti.

17. Hucvsque de successione monasterij in bonis religiosi grauati spectato iure communi locuti sumus, sed quid dicendum spectato iure Iesuitico? Et quidem in Societate Iesu iuxta eius pium, ac laudabile institutum diuersa via procedendũ est; nam si illius religiosi sola biennij vota emittunt, fideicommissum retinent, neque illius proprietas, & dominium in religionem transit. Si vero professionem fecerint, vel vota coadiutorum formatorũ emiserint, neque ipsi, nec religio ratione ipsorum fideicõmissum habere potest, sed ad substitutum transit. Difficultas tamen est; an in perpetuum excludatur substitutus ex eo quod ingressus religionem Societatis per vota biennij in fauorem illius renuncies? Videtur equidé excludi non posse; quia ex solo ingressu non excluditur, neque item ex sola renunciatione, vt manifestum est. Ergo neque ex vtroque simul; quia nullibi habetur talis exclusio, & cum odiosa sit, & contraria iuris dispositioni, admittenda non est. Et confirmo. Monasterij successio in bonis religiosi grauati, exclusióque substituti ex priuilegio concesso in *§. sed & hoc præsenti. authent. de Sanctiss. episcop. & ex c. in præsentia de probation.* habetur. At supradicti textus expresè loquuntur de successione monasterij ob ingressum præcisè grauati, & non de successione aliqua ob renunciationem. Ergo si Societas Iesu ob ingressum grauati non succedit, neque substitutum excludit; neque etiam succedere potest, substitutúmve excludere, esto illi ingressui renunciatio coniungatur.

Fateor hanc rationem efficacem esse; at vt rectè probat Thom. Sanch. *l.* 7. *sum. c.* 16. *n.* 22. satis probabile est locum habere in Societate decisionem dicti *c. in præsentia, & §. sed & hoc præsenti*; siquidem Societas eo casu hæres est instituta, non ex qualibet renunciatione, sed ex renunciatione facta ob ingressum in ipsam. Textus namque supradicti solum videntur spectasse, an grauatus religionem fuerit ingressus, vt ob eam causam religioni concederent vim excludendi substitutum. Quod autem in Societate ex ea præcisè ratione locum non habeat, ex eius speciali instituto prouenit, non ex iure communi. Ne igitur Societatis religio deterioris sit conditionis aliarum religionum, æquum erat, ac rationi consonum, vt medium aliquod daretur, quo in eam ingredientes possent ipsam hæredem habere, & substitutum excludere, & ita testatur Sanch. bis decisum esse in regno Nauarræ.

PVNCTVM V.

An hæreditas, & legatum monacho post professionem delatum, deferatur ipsi immediatè, an monasterio?

SVMMARIVM.

1 *Non est quæstio de professis in ordine Minorum, neque in Societate Iesu, sed de professis aliarum religionum succedendi capacium.*

2 *Plures censent hæreditatem immediatè deferri monacho, non monasterio.*

3 *Verius, & probabilius est oppositum.*

4 *Priori sententia probabili supposita, si religiosus acceptet legatum, valet acceptatio, & si peccet; non tamen valet hæreditatis acceptatio absque licentia.*

5 *Potest hic religiosus nolens hæreditatem adire à superiore compelli. Quod si compulsus adire nollet, monasterium adire potest.*

6 *Si hæreditate delata monacho ante illius aditionem moriatur, potest monasterium illam adire etiam in sententia affirmante hæreditatem immediatè monacho deferri.*

7 *Hæreditas, emphyteusis, maioratus, fideicommissum monasterio non in perpetuũ defertur, sed solum pro religiosi vita.*

1. NOn est sermo de professis in ordine Minorum; nam in his neque monasterio, nec religioso defertur hæreditas, sed aliis hæredibus ab intestato, vt postea dicemus. De aliis religionibus quæstio procedit. Neque item est sermo de religiosis Societatis Iesu: nam si sola biennij vota emiserunt, ipsis, & non monasterio defertur hæreditas. Si vero professionem, aut vota coadiutorum formatorum emiserunt, neque ipsis, neque monasterio hæreditas acquiritur, sed aliis hæredibus, de quibus latius in sequentibus.

2. Plures censent hæreditatem immediatè deferri monacho, non monasterio, esto in monasterij vtilitatem deferatur: Sic aliis relatis Fachin. *l.* 6. *cõtrouers. c.* 16. vers. *ego video*, Menchaca *de succes. creat. l.* 3 §. 11. *n.* 25. & alij relati à Sanch. *l.* 7. *sum. c.* 12. *n.* 35. Mouentur; quia is, cui defertur hæreditas, adit hæreditatem, at monachus eam dire debet, vt probat *text. leg. Deo nobis*, §. 1. *Cod. de episcop. & cleric.* ibi, omnem parentum substantiam hæredes, quibus ab intestato competit, secũdùm leges nostras sibi defendant nullo eis impedimento ex sanctimoniali conuersatione generando; si ergo nullum habent impedimentum ex sanctimoniali conuersatione, vt hæreditatem defendant, ipsis immediatè, & propriè hæreditas acquiritur. Neque obstat omnia iura, & actiones religiosi in monasterium trãsferri; quia

id intelligendum est de actionibus, & iuribus transmissibilibus. At ius adeundi hæreditatem cum personale sit, neque personam transgrediatur transmissibile non est. Neque item obstat religiosum incapacem esse acquirendi; quia est incapax acquirendi sibi; bene tamen religioni. Neque denique obstat religiosum non habere voluntatem propriam, sed superioris voluntate regi; quia id solum probat non posse propria authoritate hæreditatem adire, sed ex consensu superioris.

3. Verum contraria sententia communior est, & probabilior hæreditatem non deferri monacho, sed monasterio ob personam monachi, sic post alias Couar. *c.* 1. *à n.* 21. *de testam.* Molin. *t.* 1. *de iustit. disp.* 140. *vers. non solum.* Sanch. plures referens, *l.* 7. *sum. c.* 12. *n.* 36. Moueor primò, quia omnia iura, & actiones religiosi sunt in monasterium translata, authent. *ingressi Cod. de Sacrosanct. eccles.* Ergo est translatum ius adeundi, quia hoc ius esto non sit transmissibile directè, est tamen transmissibile indirectè, & per consequentiam ad translationem personæ. Cum ergo religiosi persona in monasterium transferatur, ipsique incorporetur, translatum censeri debet ius adeundi. Secundò, & efficaciùs voto paupertatis religiosus incapax fit dominio hæreditatis, illiusque proprietate iure sic disponente, vt supradictum est, at si ipsi immediatè hæreditas deferretur, ipséque eam nomine proprio aditet, capax dominij esset. Neque valet dicere id esse in vtilitatem monasterij, aliàs posset omnium bonorum suorum dominium professione facta retinere, esto in monasterij vtilitatem, quod nullatenus est concedendum.

4. Verum quia probabilis est sententia affirmans hæreditatem, & legatum immediatè religioso in vtilitatem monasterij deferri, ipsúmque eam adire posse; aduertendum est ex consensu sui prælati eam adire debere, ne proprietarius fiat. Quod si absque eius consensu acceptet legatum, & hæreditatem adeat, valet legati acceptatio; quia hæc non potest monasterio præiudicare; at hæreditatis aditio non tenet; quia in his, quæ monasterio præiudicare possunt, qualis est hæreditatis aditio, non potest religiosus absque prælati consensu validè præstare; sic tradit Nauarr. *comment. 2. de regularib. num.* 65. *fine*, Sanch. *c.* 12. *n.* 37. Lessius *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 11. *n.* 87.

5. Sed quid si religiosus stante ea probabili sententia quod ipsi immediatè deferatur hæreditas, nollet hæreditatem adire? Respondeo posse à prælato compelli, tum præcepto, tum pœnis, si inobediens fuerit; quia est præceptum de re iusta, & monasterio vtili? Nam esto monasterium possit religioso inuito hæreditatem adire, hoc non est vndequaque certum, sed sub opinione positum, ne ergo litibus via aperiatur, iustè à religione compelli potest, vt hæreditatem adeat. Sic Villalob. in suis communibus opinionib. verbo *monachus*, *n.* 187. Spino *specul. testament.* glos. 12. *princip. n.* 19. & alij quos refert, & sequitur Sanch. *l.* 7. *sum. c.* 12. *n.* 41. Verum, si de facto monachus quantumuis compulsus nolit hæreditatem adire (quod raro continget) poterit eo casu monasterium non iure directo adeundi, quod sibi competat, (vt modo supponimus) sed ex iure quod habet supplendi negligentiam sui subditi, & reparandi damnum inde sibi proueniens. Quia cum hæc hæreditas tota cedat in vtilitatem monasterij, æquum non est, ob rationabilem monachi dissensum ea monasterium priuari. Et confirmari potest ex *leg. vlt. Cod. de bonis quæ liberis*, vbi statuitur posse patrem hæreditatem filio debitam adire ipso inuito, ne ob filij malitiam præiudicetur; quod à fortiori procedere debet in monasterio comparatione religiosi. Deinde commune est apud doctores religiosum tum seruo, tum filio familias comparari; prout monasterio vtilius fuerit, vt multis allegatis probat. Sanch. *l.* 7. *c.* 12. *n.* 40. Sed vtilius est monasterio quod religiosus comparetur seruo quoad acquisitionis substantiam, cum ex hac comparatione inferatur religiosum nihil sibi acquirere, sed omnia monasterio, sicut seruus qui nihil sibi, sed domino acquirit. Quoad modum vero acquisitionis vtilius est monasterio, quod religiosus filio familias comparetur qui iure antiquo non poterat hæreditatem adire, nisi ex consensu patris, *leg. placet legis qui hæres*, §. *vlt. leg. qui in aliena* §. *iussum. ff. de acquir. hæredit.* Et iure nouo, *leg. vlt. Cod. de bonis quæ liberis.* Potest pater filio inuito hæreditatem adire. Adde monasterio hæreditatem adeunte censeri monachum adire; quippè monasterium monachi vices habet, & quicquid monasterium facit, monachum facere censendum est; & ita sustinet Andr. Fachin. *l.* 6. *controuers. c.* 17. Lessius, *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 11. *n.* 87. Sanch. plures adducens li. 7. sum. *c.* 12. *n.* 40.

6 Rursus dubitabis; an si monachus post delatam sibi hæreditatem ante illius aditionem moriatur, possit monasterium illam adire? Et quidem si vera esset sententia affirmans hæreditatem immediatè deferri monasterio, non monacho; certum est mortuo monacho monasterium eam adire posse; quia ratione delationis est ius monasterio acquisitum, poterit ergo ad effectum illud ius deducere independenter à monachi existentia. Verum stante alia opinione, quod hæreditas non defertur monasterio immediatè, sed monacho in commodum monasterij, plures censent apud Sanch. *c.* 12. *n.* 44. monasterium non posse mortuo monacho hæreditatem adire; quia aditio non monasterio, sed monacho competens morte monachi extincta censetur. Alij quos sequitur Fachin. *lib.* 6. *controuers. cap.* distinctione vtuntur de monacho ignorante, vel sciente hæreditatem sibi esse delatam, dicúntque, si ignorauit posse monasterium hæreditatem adire; quia adit non iure transmissionis à monacho factæ; sed iure sibi competente ex delatione facta monacho in eius vita. Si autem sciuit hæreditatem esse delatam, distinguendum est; an ante lapsum annum delationis obierit, vel post. Si ante lapsum annum obitus contigerit, poterit monasterium adire iuxta *leg. cum antiquioribus*, *Cod. de iure deliberandi*: At lapso anno cessat hæc potestas; quia tacita repudiatione monachi videtur excluſum. Sed verius censeo cum Sanch. *dicto c.* 12. *n.* 47. monasterium adire posse hæreditatem nomine monachi, defuncti eo quod negligentiam eius ob ius acquisitum per dilationem suplere possit. Quod si adhuc aliquis huic iuri aditionis repugnet, negétque id fieri posse, concedere debet monasterio remedium restitutionis in integrum, teste Sanch. *n.* 50. vtpote quod negligentia Abbatis non cogentis religiosum adire hæreditatem læsum est.

7. Aduertendum tamen est, hæreditatem emphyteusis, maioratus, fideicommissi non deferri monasterio in perpetuum, sed pro religiosi vita; eóque defuncto ad successorem vocatum transire. Adde neque pro vita religiosi deferri monasterio, si in institutione contineatur clausula formalis, vel virtualis religiosos excludens, vt si in conseruationem familiæ, & agnationis, nominis, armorúmque delationem institutus sit, vt pluribus firmat Sanch. *toto c.* 15.

PVNCTVM VI.

An legatum relictum monacho sub conditione, vt ad ipsum pertineat independenter à superiore, validum sit, & firmum?

SVMMARIVM.

1 *Testator vellet dominium legati ad monachum pertinere, nulla est eius dispositio.*

2 *Limitatur in Societate Iesu.*

3 *Relicta legati commoditate monacho sub ea conditione, ne possit à superiore auferri, valida est dispositio, sed reiicitur illa conditio.*

4 *Si autem legatum relinquatur ea conditione, vt si à superiore auferatur monacho, cesset, & ad alium transeat si de facto auferatur, cessat legatum.*

5 *Superior legati vsum non potest irreuocabiliter religioso concedere; benè promittere non reuocare.*

1. IN legato considerandum est dominium, & commoditas illius; dominium nullatenus monacho concedi potest, cum voto paupertatis incapax illius sit, quare si testator vellet expresse, vt non solum commoditas legati; sed etiam illius dominium ad monachum pertineret, probabilius est nullam esse illius dispositionem, vtpote iuri contrariam. Sic tradunt Bart. authent. *excipitur, Cod. de bonis quæ liberis*, Abbas *in cap. monachi, n.* 8. *de statu monachorum*, Molin. *t.* 1. *de iustit. disp.* 140. vers. *si aliquid testamento*, Laym. *l.* 4. *tract.* 5. *c.* 7. *n.* 21. Neque obstat conditiones impossibiles non vitiare legata, sed reiici tanquam turpes, *leg. quæ sub conditione, leg. conditiones contra ff. de condit. institut.* quia hæc non tam est conditio, quam substantia ipsius legati.

2. Hæc doctrina limitanda est in religiosis Societatis Iesu sola biennij vota emittentibus, qui cum capaces sint dominij, poterit eis testamento, vel donatione non solum bonorum vsus, sed dominium concedi, cum dependentia tamen à voluntate superioris. Sanch. *l.* 7. *sum. c.* 18. *n.* 29.

3. Si vero testator monacho commoditatem legati relinquat, dominium vero illius monasterio, vti semper præsumendum est; at sub ea conditione ne possit à superiore auferri, plures censent corruere legatum; quia est conditio impossibilis omnino voluntatē tollens, ex cuius positione legatum pendet. At verius censeo legatum valere, & reiici illam conditionem vt turpem, & impossibilem. Nam esto in donatione, aliisque contractibus dispositio sub conditione turpi, vel impossibili vitietur, si voluntas testatoris illi hæreat, *leg. impossibilis. 7. ff. de verbor. oblig. &* §. *si impossibilis de inutilib. stipulationib.* At in testamento contrariū est; non enim dispositio vitiatur, sed conditio reiicitur, *leg. 1. & leg. si quis ita leg. quæ sub conditione, leg. conditiones, quæ leg. conditiones contra ff. de conditionib. instit.* & tradit Greg. Lop. *leg. 3. & 4. tit. 5. part. 6.* Sanch. aliis relatis, *lib. 7. sum. c. 17. n. 2.* Valq. *opusc. de redditib. c. 3. dub. 2. n. 12.*

4. Quod si monacho relinquatur hæreditas, vel legatū volūtati superioris subiectum (qualiter in casu dubij interpretandū est, quia ita expostulat cōditio personæ. *leg. equitij ff. de vsu, & habitat.*) addita tamen pœna, vt si superior illius cōmoditatē, & vsū monacho denegauerit, legatū cesset, & ad extraneū trāseat; esto plures cēseant illā pœnæ adiectionem nullam esse, & legatum manere firmum; at omnino tenēdū est cessare legatū,

& ad ſubſtitutum tranſire;quia illa non tam eſt pœna,quàm quàm conditio, ſub qua legatum fit,ſolum enim cenſetur,teſtator legaſſe, dum prælatus commoditatem legati religioſo permiſerit;eo autem denegante ceſſat conditio,& tempus pro quo legatum factum eſt;ac proinde corruit legatum:ſic Sanch. *dicto c.17.n.18.& 16.* Vaſq. *loco alleg.* Neque ad hanc legati ceſſationem neceſſaria eſt iudicis declaratoria ſententia ; quia non ceſſat in pœnam alicuius delicti;ſed quia ſpirat conditio, & finitur tempus pro quo conceſſum.

3. Sed inquires;an ſuperior poſſit tibi religioſo vſum,& commoditatem huius legati concedere irreuocabiliter?Reſpondeo non poſſe;quia non poteſt te proprietarium conſtituere,eſſes autem proprietarius, ſi independenter à voluntate ſuperioris commoditate legati vti poſſes.Sic Nauarr.*l.3. conſil. 47. aliàs 75. de regularib.in 1.edit.& in 2.conſil.15.* aliàs 3. *de ſtatu monach.*Nauarr.*l.3.de reſtit.c.1.part.3 dub.1.n.160.edit.*& pluribus relatis Sanch. *l. 7.ſum.c.17 n.28.*& 35 Layman.*l.4.tract.4.c.7. n.19.*Benè tamen poterit ſuperior tibi promittere non reuocaturum,quod intelligendum eſt abſque rationabili cauſa.Quod ſi abſque ea datam tibi licentiam reuocet, peccabit;credo tamen ſolum venialiter peccaturum ; quia hæc reuocatio non iuſtitiæ,ſed fidelitati,& veracitati opponitur. Neque hæc impoſſibilitas reuocandi,quam habet ſuperior ex vi ſuæ promiſſionis obeſt dependentiæ,quam habere debet ab eius voluntate in vſu temporalium bonorum ; quia non eſt impoſſibilitas abſoluta,& quod valorem reuocationis, ſed ſolum quoad eius licitum vſum& hoc abſque rationabili cauſa.

PVNCTVM VII.

An religioſis licitum ſit habere peculium ex ſuperioris licentia.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur dubitandi ratio.*
2 *Ante concilium Trident. poterant religioſi poſſidere aliqua bona dependenter à ſuperioris voluntate.*
3 *A tempore Trident.plures cenſent interdictum eſſe religioſis peculium.*
4 *Alij oppoſitum cenſent.*
5 *Sed prima ſententia probabilior iudicatur.*
6 *Conſuetudine tamen temperata eſt.*

1. RAtio dubitandi in hac quæſtione oritur ex iure antiquo,& nouo Trid.quod videtur hoc peculium prohibere. Nam ius antiquum ſolum videtur conceſſiſſe peculium religioſis ex cauſa adminiſtrationis, *c. monachi, de ſtatu monach.* ibi, nec peculium permittantur habere,niſi eis fuerit ab Abbate pro iniuncta adminiſtratione permiſſum. Ergo ſecluſa adminiſtratione peculium habere non poſſunt. Clarior tamen eſt prohibitio ex nouo Trid.*decret.ſeſſ.25.c.2.de regularib.* ibi, nemini igitur regularium tam virorum, quam mulierum liceat,&c.bona immobilia, vel mobilia cuiuſcunque qualitatis fuerint etiam quouis modo ab eis acquiſita tanquam propria, aut etiam nomine conuentus poſſidere,vel tenere, ſed ſtatim ea ſuperiori tradantur,conuentuique incorporentur.Nec deinceps liceat ſuperioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere etiam ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam.Adminiſtratio autem bonorum,monaſteriorum, ſeu conuentuum ad ſolos officiales eorundem ad nutum ſuperioris amobiles pertineant.Mobilium.vero vſum ita ſuperiores permittant,vt eorum ſuppellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conueniat nihilque ſuperfluì in ea ſit, nihil etiam quod neceſſarium eis denegetur.Quod ſi quis aliter quidquam tenere deprehenſus,aut conuictus fuerit, is biennio actiua ; & paſſiua voce priuatus ſit;atque etiam iuxta ſuæ regulæ, & ordinis conſtitutiones puniatur.Hæc Concilium,ex quibus verbis apertè videtur colligi prohibitio religioſis facta habendi aliqua bona,ſiue mobilia,ſiue immobilia etiam nomine conuentus.Secundo prohiberi ſuperioribus eam licentiam concedere. Tertio bona conuentus non poſſe per alios, quam per officiales adminiſtrari. Quarto denegatur ſuperioribus facultas permittendi ſuperflua. Quæ omnia conſuetudini & praxi ſatis receptæ præcipuè in conuentibus monialium videntur contraria,cum feræ ſingulæ moniales habeant annuos reditus ad ſibi neceſſaria ſuppeditanda.

2. Pro reſolutione dicendum eſt,ſi de tempore ante Concilium Trid.loquamur probabilius eſt religioſo licuiſſe poſſidere bona aliqua mobilia, vel immobilia ad ſui ſuſtentationem, & vſum dependenter à voluntate ſuperioris,eſto dominium illorum bonorũ penes monaſterium fuerit:ſic poſt alios antiquiores docent Nau.*comm.2.de regul.n.14.& comment.3.n.27.* Nau.*l.3.de reſtit.c.1.dub.1.n.163.*Greg.Lop.*leg.14.verbo proprio, tit.1.p.1.*Sanch.*l.7.c.22.n.5.*Suar.*t.3.de relig.l 8.c.14.n.* 4. & alij plures apud ipſos.Ratio eſt;quia neque iure naturali, nec poſitiuo hæc poſſeſſio erat contraria voto paupertatis.Ergo licebat. De iure naturali eſt manifeſtum;ſiquidem ex illo votum paupertatis ſolum te obligat, ne aliqua re vt propria vtaris. Quando autem ea vteris dependenter à voluntate ſuperioris, non vt tua,ſed vt aliena vteris.In iure poſitiuo nullus eſt textus hanc poſſeſſionem interdicens.Nam *text.in cap. monachi,* concedens pro iniuncta adminiſtratione peculium,non prohibet ex aliis cauſis religioni conuenientibus concedi poſſe;ſed cauſam adminiſtrationis, vt frequentiorem deſignauit, iuxta Text. *in c.cum ad monaſterium, de ſtatu monachor.* Quod clarius colligitur ex *c.inſinuare.Qui clerici,vel vouentes,* vbi approbatur profeſſio facta ſub conditione viuendi in propria domo,ibique retinendi bonorum adminiſtrationem in ſui ſuſtentationem.Licet ergo peculium cauſa iuſta intercedente.

3.Verùm ſi à tempore Concilij Trident.controuerſia procedat, plures grauiſſimique doctores cenſent interdictum eſſe Trident.decreto religioſis peculium(hoc eſt)retentionem bonorũ præcipuè immobiliũ;non quidẽ ad præſentaneum vſum, ſed ad vſum acceſſu tẽporis contingentẽ. Sic docuit.Corduba *ſum.q.54.*verſ.*lo terſero,* Man. Rodrig.*t.3. q.regul.q.29. art.12.* Molin.*t.2.de iuſt.diſp.*275.Nau.*l.3.de reſtit. c.1 part.3.dub.1.n.* 163.Valen.*22.diſp.1.q.4.punct.3.corol.4.& alij apud.* Sanch. *l.7. ſum.c.22.n.7.*Mouentur ex verbis Concilij interdicentis religioſis,retinere bona ſiue mobilia,ſiue immobilia etiã nomine conuentus.Sed præcipit ea ſuperiori tradere, cõuentuique incorporari.Deinde negat ſuperioribus poſſe alicui regulari cõcedere facultatem bona ſtabilia ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam, ſed iubet per officiales conuentus omnia adminiſtrari,quę omnia peculio repugnant.

4. Alij è contra cenſent licita eſſe peculia ex licentia ſuperioris ſtãte Trid.decreto,ſicuti licita erant ſpectato iure communi,ſic docuit Nau.*com.2. n. 15. de regul. & l.3.concl eod.tit. conſ.20.alias 15.de ſtatu monachor.*Eman. Sà, verbo *religion.n.* 48.Man.Rodr.*q.regul.t.2.qu.125. art.4 fine, & t.3.q.29.art.10.* Sanch.*l.7.ſum.c.22.n.11.*Miranda *manuali prælat.p.1.q.28.a.8. Graffis 1.p.deciſ.l.3.c.5.n.53.*Ducuntur,quia Trident. nihil noui ſtatuit,quod ſtatutum non eſſet iure antiquo, in *c.monachi,de ſtatu monachor.*eſto clarioribus verbis id expreſſerit;nam eſto Concilium prohibuerit bonorum immobilium,ſiue mobilium poſſeſſionem,etiam ad vſum, & nomine conuentus, id debet intelligi abſque cauſa iuſta,vel ad quemcunque vſum, ſiue neceſſarium, ſiue ſuperfluum. Et eodem modo explicanda eſt prohibitio ſuperioribus facta, ne bona immobilia ſubditis concedant etiam ad vſum,ſeu adminiſtrationẽ,ſcilicet paſſim, & abſque cauſa iuſta,vel ad vſus profanos & ſuperfluos. Ergo ſtante legitima cauſa optimè poterit ſuperior peculia, bonorũmque immobilium adminiſtrationem religioſis permittere ad vſus honeſtos, religioniſque conuenientes, quod abundè confirmatur ex vſu plurium religionum;præcipuè fœminarũ, qui ſi Concilio contrarius eſſet,non ita facilè permitteretur.

5. Cæterum in hac re verius exiſtimo cum prima ſententia Concil.Trid. nouum ius ſtatuiſſe, quoad obſeruantiam paupertatis,& illius perfectionem conueniens eſſe iudicauit vltra ibi relatos ſuſtinent Suar. *t. 3. de relig. l.8. c. 14.num 8.* Baſil. Ponci.*q.9 ſcholaſtica,c.4.*Vaſq.in opuſc.*de redit. cap.3. dub.2. n.14.*Moueor primo ex illis verbis.Nemini liceat bona immobilia,aut mobilia nomine conuentus poſſidere, aut tenere,ſed ea ſtatim ſuperiori tradantur;conuentuſque incorporentur.In quibus verbis manifeſtè prohibet Concilium poſſeſſionem, & retentionem bonorum etiam ex licentia Prælati;ſi quidem ea quæ nomine conuentus retinentur ex licentia, & voluntate Prælati retinentur.Quod ſi dicas id intelligi abſque iuſta cauſa,videris abſque fundamento locutus;cum nullum verbum ſit in illo decreto hanc explicationem indicans. Sed potius contrarium colligitur,ex eo quod abſolutè, & abſque vlla diſtinctione præcipiat ea bona ſuperiori tradi, cõuentuique incorporari;quaſi diceret,etſi cauſa iuſta aliàs adeſſet concedendi, religioſo bonorum retentionem,& poſſeſſionẽ ; at quia perfectioni paupertatis,quæ ſucceſſu tẽporis collapſa erat, quæque inſtaurari deſiderabatur,conuenientius erat apud ſuperiorem, quam apud ſingulos religioſos bona eſſe;ea de cauſa præcipit Concilium ſtatim ea ſuperiori tradi,conuentuſque incorporari. Notandúmque eſt verbum *incorporari.*quod denotat illa bona fieri communia,& ad vſum totius conuentus. Præterea Concilium eam adminiſtrationem,quam ſingulas religionis denegat,concedit officiali conuentus, ſed officiali conuentus concedit adminiſtrationem ex iuſta cauſa,& ad vſus honeſtos,ergo eam denegat ſingulis religioſis. Secundò moueor ex illis verbis.Ne deinceps liceat ſuperioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere.Expendo verbum *deinceps*, quod indicat ab illo puncto prohibitionem eſſe,eſto antea nulla fuerit. Tertiò præcipit Concilium,ne ſuperiores ſubditis neceſſaria negent, ſupponit ergo immediatè à ſuperioribus prouidendos eſſe, & non ex reſeruato ſibi peculio.

6. Huic doctrinæ obſtat (vt diximus) conſuetudo recepta præcipuè apud moniales habendi annuos reditus, & bonorũ ſiue mobiliũ adminiſtrationẽ,quæ plurib ſolet concedat,vt inde ſibi neceſſaria ſuppeditent,quã conſuetudinẽ dãnare du-

riſſimum eſſet, quid ergo eſt dicendum? Suar. t. 3. de relig. l. 8. c. 14. n. 13. exiſtimat annuos redditus, quos moniales habent, non aduerſari Concilio, ſi debitus modus ſeruetur. Neque enim in monialibus adhæret ius ciuile percipiendi redditus, ſed in conuentu; nominéque ipſius redditus annuos percipiunt, quibus perceptis ſi officiali conuentus ſtatim tradantur, conuentuíque incorporentur, nihil aduerſus Concilium fit; fieret autem, ſi quælibet monialis eam pecuniam apud ſe ad vſus ſucceſſu tẽporis contingentes retineret. Verum hic modus dicẽdi non ſatisfacit; ſiquidem paſſim à ſuperioribus permittitur religioſis habentibus annuos redditus apud ſe eos retinere, neque officiali cõuentus tradere, ſed in proprios, & honeſtos vſus expẽdere. Inſuper videmus paſſim aliqua bona mobilia, vel immobilia cõuentus aliquibus religioſis concedi adminiſtranda ea conditione, vt penſionem aliquam conuentui reddant, & ex reliquo viuant, vt ex Nauarr. *com.* 2. *de Regularib. n.* 15. & 18. notauit Sanch. *dicto c.* 22. *n.* 13. Quapropter cenſeo rigorem Concilij conſuetudine temperatum eſſe; ac proinde ex illa licitum eſſe ſingulis religioſis ex conſenſu ſuorum prælatorum bona mobilia, ſeu immobilia habere, vt inde ſibi proſpiciant, & in vſus honeſtos expendant; ſi enim Concilij decreto ſtatutum eſt, vt ſingulis religioſis omnia neceſſaria miniſtrentur, quod in pluribus religionibus ob earum paupertatem aliaſque cauſas non obſeruatur, quid mirum quod peculia hac occaſione in ipſis ſint introducta? ſic Baſil. Ponce. *q. illa* 9. *q. ſcolaſt. c.* 4. & *probabile reputat* Vaſq. *opuſc. de reddit. c.* 3. *dub.* 2.

PVNCTVM VIII.

An quælibet religio capax ſit hæreditariæ ſucceſſionis.

SVMMARIVM.

1 *Omnes ſunt capaces ſucceſſionis, Minoribus, & Capucinis exceptis.*
2 *Hi incapaces ſunt ſucceſſionis tam ex teſtamento, quam ab inteſtato, tam immediatè, quam mediatè.*
3 *Nulla eſt inſtitutio in Minoribus facta.*
4 *An eo caſu ſit illis danda æſtimatio hæreditatis? Aliqui affirmant, ſed contrarium tenendum eſt.*
5 *Si ſub ea conditione Minores hæredes inſtituas, vt venderetur hæreditas, adhuc inſtitutio nulla eſt.*
6 *Si inſtituas Eccleſiam, vel ſacriſtiam Minorum, plures cenſent valere inſtitutionem.*
7 *Sed oppoſitum eſt tenendum.*

EXcipio in hac quæſtione ſanctiſſimam Societatis Ieſu religionem quia de ea in ſequenti puncto ſpecialiter eſt ſermo inſtituendus. Loquendo ergo de aliis religionibus. Regula certiſſima eſt, omnes eſſe capaces ſucceſſionis (religione Minorum de obſeruantia & Capucinorum excepta) ſic expreſsè Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 3. *de Regularib.* iuncta *Clement exiui. De verbor ſignificat.* Sed quia Trident, decretum concedens omnibus aliis religionibus præter Minores, & Capucinos hæreditariam ſucceſſionem, bonaque immobilia, non continet vim præcepti, & legis obligantis, ſed priuilegij, poterit quælibet religio ſupradicto priuilegio renũciare, & paupertatẽ promittere ſimilẽ Minoribus, & Capucinis, vt benè notauit Suar. *t.* 3. *d. relig. l.* 8. *c.* 17. *n.* 1. Quocirca tota controuerſia eſt in explicanda paupertate promiſſa à Minoribus de obſeruãtia, & Capucinis.

2. Hi igitur incapaces ſunt cuiuſlibet ſucceſſionis tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato, vti definitur *dicta clement. exiui, §. cum enim de verbor. ſignificat.* ibi. Quia igitur in ſucceſſionibus tranſit non ſolum vſus rei, ſed etiã dominium ſuo tempore in hæredes, fratres autem prædicti nihil ſibi in ſpeciali acquirere, vel eorum ordini poſſunt etiã in communi, declarãdo dicimus, quod ſucceſſionis huiuſmodi, quæ etiam ex ſui natura indifferẽter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia, & immobilia ſe extendat, conſiderata ſui puritate voti nullatenus ſunt capaces. Quod non ſolum habet verum in inſtitutione directa, & immediata, ſed etiam mediata, qualis eſt per fideicommiſſum, vt ſi hæredem inſtituas grauatum reſtituere hæreditatem Minoribus. Quia verè Minores ſunt inſtituti hæredes, tibique ſuccedunt hærede inſtituto decedente, cum tamen Pontifex illos incapaces reddiderit cuiuſlibet ſucceſſionis. Et ita docent poſt alios antiquiores Corduba. *reg. D. Franciſci c.* 6. *q.* 11. *pun.* 1. Manuel Rodrig. *q. regular. t.* 2. *q.* 78. *art.* 2. Dueñas *reg.* 381. *ampliat.* 1. Sanch. *l.* 7. *ſum. c.* 25. *n.* 5.

3. Hinc infertur, ſi de facto Minores, & Capucinos hæredes inſtituas, nullam eſſe inſtitutionem vtpote factam in perſona incapaci, ſuccedentque hæredes ab inteſtato, ſi nullum alium cohæredem, aut ſubſtitutum deſignaueris. Eo autem deſignato integram hæreditatem adire poteſt.

4. Sed an hi vel hæredes ab inteſtato ſuccedẽtes teneãtur in cõſcientia æſtimationẽ hæreditatis, Minoribus inſtitutis reſtituere? Non deſunt DD. qui id ſentiant ſequentes. Bartol. tract. *Minoricar. l.* 1. *diſt. t. c.* 3. *n.* 7. & 8. & *diſt.* 2. *c.* 3. *n.* 15. quando ſcilicet credunt teſtatorem voluiſſe ſuum teſtamentum valere iure codicilli, & omni modo quo poterit; vt ſemper præſumendum eſt. Hi ſunt Roſella verbo *legare, n.* 23. Alciat. *conſ.* 53. *n.* 9. Silueſt verbo *teſtamentum*, 1. *q.* 6. Rodrig. *q. regular. t.* 3. *qu.* 69. *art.* 10. Mouentur ex *leg. apud Iulianum*, 2 *fin ff. de legat.* 1. vbi legatario incapaci ob condemnationem recipiendi legatum in propria ſpecie, tenetur hæres æſtimationem concedere, ſi illius capax eſt. At Minores capaces ſunt recipiendi hæreditatis æſtimationem. Ergo tenetur hæres eam illis concedere. Cæterùm omnino tenendum eſt, neque hæredes ab inteſtato, nec cohæredẽ, aut ſubſtitutum deſignatũ obligatos eſſe æſtimationẽ hæreditatis Minoribus inſtitutis concedere, quãtũuis conſtet id teſtatorẽ voluiſſe. Quia volũtas teſtatoris cõtraria legi, & diſpoſitioni iuris cõmunis effectum habere non poteſt. At iure cõmuni Minores incapaces ſunt cuiuſlibet hæreditatis, vt dictum eſt. Ergo incapaces ſunt recipiendi ex inſtitutione illius æſtimationem. Aliàs in æſtimatione eſſent hæredes inſtituti, verſique ſucceſſores, iuxta *leg domus*, §. *confitetur, ff. de leg.* 1. & ſuſtinet Bald. auth. *ingreſſi, n.* 48. & 49. *C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Felin. *c. in præſentia, n.* 52. *de probationib.* Spino *ſpeculo teſtament gloſſ.* 12. *n.* 15. & 16. Man. Rodrig. *to.* 2. *qu. regul. q.* 78. *art.* 2. & aliis relatis, Sanch. *l.* 7. *ſum. c.* 25. *n.* 8

5. Sed quid ſi non abſolutè Minores hæredes inſtituas, ſed adiecta clauſula, vt hæreditas vendatur, & in ipſorum vtilitatem pretium cedat? Aliqui cenſent valere inſtitutionem; quia eo caſu hæreditas videtur in legatum conuerti, & Minores legatarios eſſe, non hæredes. Adde in illa diſpoſitione duo contineri ſeparabilia, nempe Minores hæredes inſtitui, deinde hæreditatem vendi, & pretium illius Minoribus ad ſubleuandas eorum neceſſitates applicari: poterit ergo hæc ſecunda diſpoſitio ſubſiſtere, tametſi prima corruat; ſic latè docet Bartol. *in tract.* Minoric. *lib.* 1. *diſt. t. c.* 2. *n.* 30. & 31. Sorbus *in compend. priuileg. mendicant.* verbo *hæreditas*, verſ. *quæritur.* Man. Rodrig. *t.* 2. *qu. regul. q.* 78. *art.* 4.

Sed longè verius eſt, inſtitutionem nullam eſſe, & Minores pretium illius hæreditatis capere non poſſe. Aliàs acciperent hæreditatis pretium ex inſtitutione quod illis eſt penitus interdictum. Neque eſt ſimile, cũ tertius inſtituitur hæres cum obligatione vendendi hæreditatẽ, & donandi pretiũ fratribus minoribus quod ferè omnes doctores approbãt; quia tunc Minores nõ recipiunt pretium ex inſtitutione, ſed ex legatione, mandatóque teſtatoris, & donatione obligatoria hæredis inſtituti. At cũ fratres Minores inſtituuntur cũ clauſula, vt venditur hæreditas, pretiúmque illius recipiant, pretium hæreditatis ex inſtitutione, cuius ſunt incapaces, recipiunt; non igitur tenet inſtitutio. Adde venditionem hæreditatis, & pretij acceptationẽ eſſe modum, & qualitatem adiectam inſtitutioni. Ergo corruente inſtitutione corruet venditio, & pretij acceptio, vtpote omnino acceſſoria, ipſique innitens. Et ita ſuſtinet Bald. auth. *ingreſſi, à n* 50. *eod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Felin. *c. in præſentia, n.* 52. *de probationib.* Dueñas, *reg.* 381. *ampliat.* 8. Corduba, *reg. D. Franciſci, c.* 6. *q.* 11. *punct.* 3. Sanch. *l.* 7. *c.* 25. *n.* 11.

6. Rurſus dubitabis de inſtitutione non Minoribus, aut ipſorum conuentibus facta, ſed facta ipſorũ Eccleſiis, & ſacriſtiis; an inquam hæc inſtitutio teneat? Affirmat. Bartol. *in tr.* Minoric. *l.* 4. *diſt.* 4. & *diſt.* 6. *c.* 1. *nu.* 20. Abbas *conſ.* 63. *n.* 4. *l.* 2. Anton. Cucus *l.* 3. *inſtit. maiorat. tit.* 1. *n.* 37. Man. Rodrig. *t.* 2. *q. regul. q.* 78. *art.* 5. reputat probabile Sorbus *in compend. priuileg. mendicant.* verbo *hæreditas*, verſ. *ſed cum fratres.* Mouentur; quia Eccleſia quælibet, quodlibétque templum capax eſt hæreditatis, iuxta *leg.* 1. *C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Sed templa fratrum. Minorum nullo iure ab hac capacitate excluduntur. Nam Text. *in clem. exiui*, religioſos excluſit, non Eccleſiã. Quod ſi dicas, excluſis religioſis Eccleſiam manere excluſam; quia nõ ipſũ templũ materiale inſtituitur hæres, quippe nec nolle, nec velle habet, ſed religioſorum congregatio ibidẽ aſſiſtens. Contra eſt; quia ſi teſtator vellet congregationem religioſorũ hæredẽ immediatè inſtituere, non exprimeret Eccleſiam, ſed cõuentum. Exprimens ergo Eccleſiam, tacitè præfectũ illius inſtituit. Cum autẽ hic nullus alius ſit niſi Pontifex, & illius nomine ſyndicus, qui hæreditariæ ſucceſſionis capaces; efficitur validam eſſe hanc inſtitutionem, obligatúmque eſſe Pontificem & eius nomine ſyndicum ex vi illius hæreditatem expendere in Eccleſiæ materialis reparationem, conſeruationem & ornatum, quia ad hunc finem ſunt hæredes inſtituti.

7. Verum hæc ſententia probanda non eſt; ſiquidem ex illa conſtitutio denegans Minoribus etiam in communi hæreditariã ſucceſſionẽ prorſus labefactaretur, cũ facilè teſtator optãs Minoribus hæreditatem relinquere, poſſet omiſſo nomine cõuentus Eccleſiæ nomine vti. Falsúmque eſt Eccleſia Minorum hærede inſtituta eſſe immediatè inſtitutũ Pontificem aut eius ſyndicum; neque enim legatum factum Eccleſiæ Minorũ cenſetur fieri immediatè Pontifici, & eius ſyndico, ſed Minoribus quoad vtilitatẽ, & vſum. Si igitur minores cuiuſlibet ſucceſſionis incapaces ſunt, etiam in communi, eorum Eccleſiæ hanc incapacitatem habebũt. Deindè longè diuerſum eſt inſtituere

Pontificem,

Pontificem,vel eius syndicum hæredem cum obligatione reparandi Minorum Ecclesiam, & ad hunc finem, ac instituere ipsam Minorum Ecclesiam; quia in priori institutione solus Pontifex,vel eius syndicus est institutus;& Ecclesia Minorum legararia. Si igitur Minorum Ecclesia immediatè instituitur, Minores instituuntur,& ad eorum institutionem Pontifex. At Minores nullius successionis capaces sunt. Ergo neque ipsorum Ecclesiæ,& ita sustinent Bartol. retractans priorem sententiam.*leg.unica,in fine*,Cod. *de conductorib.l.*11.Bald. *auth. ingressi,n.*55.Cod. *de Sacrosanct. Eccles.* Cordub. *reg. D. Francisci,c.6. qu.*11. *punct.* 1. Sorbus, verbo *hæreditas*,vers. *sed cum fratres*,Azor.*t.*1.*sum.l.*12. *c.*23.*q.*15.& alij quos refert.& sequitur Sanch. *l.*7. *sum.c.*25. *n.*14.

PVNCTVM IX.

An quælibet religio capax sit cuiuslibet legati, & donationis sibi factæ.

SVMMARIVM.

1 *Qualibet religio excepta Minorum, & Capucinorum,capax est cuiuslibet legati, & donationis.*
2 *Minores incapaces sunt legati continentis totam hæreditatem,vel maiorem illius partem.*
3 *Item incapaces sunt legati rei immobilis.*
4 *De qua re immobili doctrina sit intelligenda.*
5 *Quis teneatur vendere legatum relictum Minoribus,non ne retineatur,sed vendatur.*
6 *Dum non venditur legatum fructus pertinent ad hæredem.*
7 *Non est opus in hac venditione iuris solemnitates pro alienatione rerum Ecclesiasticarum seruare, secus de legato aliis religionibus relicto,& ab eis acceptato.*
8 *Supradicti religiosi Minores capaces sunt cuiuslibet legati rei mobilis.*
9 *Quid dicendum de animalibus relictis Minoribus? Sub distinctione respondetur.*
10 *Quid de legato annui redditus? Distinguitur triplex modus legandi.*
11 *Si per modum vnius census legetur,valet secus si per modum plurium,& annuatim soluendus.*
12 *Si hæredem,vel legatarium instituas sub obligatione reddendi singulis annis certam pensionem Minoribus, valet legatum;tametsi Sanch. & alij contrarium sentiant.*
13 *Si de facto supradictum legatum non tenet, vt est probabilis sententia, hæres non est obligatus legatum vendere, & æstimationem Minoribus concedere.*
14 *Concesso esse nullã supradictũ legatum, limitant aliqui primò.vt intelligatur de legato perpetuo,vel ad longum tempus,secus ad biennium, sed non admittitur limitatio.*
15 *Secundò,limitatur & benè,vt procedat in legato pro alimentis religiosorum,secus pro necessariis ad diuinum cultum.*
16 *Tertio limitatur,vt non procedat in anniuersariis,& capellaniis, sed reiicitur limitatio.*
17 *Debet hæres grauatus onus iniunctum Missarum implere.*
18 *Quarto limitant alij de legato pro liberis relicto sed non caret difficultate limitatio.*
19 *Quinto limitatur, ne procedat pro legato ad infirmos curandos,sed non est probanda limitatio.*
20 *Sexto limitatur ne procedat pro legato in sustentationem hospitum, sed est intelligendum de sustentatione hospitum externorum.*
21 *Possessionem alicuius prædij potes Minoribus reuocabiliter concedere, secus irreuocabiliter.*
22 *Quibus remediis possint Minores recuperare legatum sibi relictum.*

1. REgula generalis est omnes religiones(præter Minores de Obseruantia,& Capucinos)cuiuslibet legati, & donationis , siue rei mobilis,siue immobilis sunt capaces , deciditur in Trident. *sess.*25. *c.*3.*de regularib.* Tota ergo difficultas versatur in exceptione Minorum , & Capucinorum,cuiusnam legati incapaces sunt ?

2. Dicendum est primo,incapaces esse legati continentis totam hæreditatem, vel maiorem illius partẽ,si præsumi posset in fraudem legis prohibentis hæreditatẽ successionem factã esse,sic videtur decidi in clemẽt.*exiui de verbor. signific. vers. nec licet*, & *ibi* glossa. Dixi incapaces esse supradicti legati. Nam esto Pontifex vtatur verbo *non licet*, & verbo *prohibemus*, ex illo satis colligitur incapaces esse.Tum quia loquens de annuis redditibus vsus similiter fuit verbo *non licet*, cùm tamen(vt dicemus)reddituum incapaces sint.Tum quia hi religiosi solum illius rei vsus capaces esse possunt, qui eis fuerit à Pontifice concessus; at huius legati vsus non est concessus, sed potius interdictus.Ergo.Tum denique quia voto paupertatis se astringunt,ne illud legatum recipiant, neve illo vtantur. Ergo redduntur illius incapaces. Quia in vsu facti nulla alia incapacitas esse potest , nisi quæ voto, vel præcepto superioris prouenit. Hinc infero legatum caducum esse , & nullum,neque teneri hæredes illud soluere ; quia frustranea est solutio,vbi non est,qui possit admittere.

3. Dico secundo,hos religiosos,Minores,& Capucinos incapaces esse legati rei immobilis , vt illud sic retinere possint. Deciditur expressè *supra d.clement.* Quare si Minori,vel illius conuentui domus,ager,vinea , aliáve res immobilis absolutè donetur,vel legetur,non est præsumendũ legari,vt sic retineatur,sed vt vendatur,& pretiũ illius in vsum, & vtilitatẽ legatarij conuertatur,vt expressè deciditur in *d clem. §. si verò fratribus*,& tradunt communiter DD. teste *Sanch.l.*7. *sum. c.*26. *n.*29.Quod si testator expresserit se legare rem immobilem, vt Minores illam semper retineant , non desunt qui sentiant valere legatum,reiiciendámque esse conditionem vt impossibilem,& iuri contrariam:siquidem commune est conditiones impossibiles ab vltimis voluntatibus reiici,*leg. obtinuit ; ff. de condit.& demonstr.* sic Menoch.*cons.*1014.*n.*19.*vol.*11. Sed omnino dicendũ est,caducum esse id legatum,cum expressè Pontifex in *d.clem.* dixerit abstinendum esse à receptione vineæ, vel agri legati ad colendum, repugnaréque regulæ,& ordinis puritati.Et ratio est manifesta;quia Minores non sunt capaces legati rei immobilis,nisi ex modo adiecto , vel subintellecto mobilis fiat.At sic modus,qui debebat legatum aptum constituere,expressè à testatore reiicitur.Non igitur illius capaces sunt.Quare hic modus non est conditio adiecta legato,vt possit reiici,quia absque illa non est legatum constitutum, & illa conditio posita impedit,vt constituatur:& ita sustinent *Bartol. tract.* Minoric. *l.*2.*dist.*2.*c.*1.*n.*9.Bald.authent. *ingressi.n.*58. *Cod.de Sacrosanct.Eccles.*Nauar.*l.*3.*consil.de testament.cons.*14. *aliàs* 8. Sorbus *in compend. priuileg. mendicant.* verbo *legata*, vers.*idem dicendum*,Sanch.lib.7.sum.*c.*26.*n* 18.

4.Conclusio intelligenda est de re immobili,quæ necessaria non est religiosorum sustentationi , quæque incertam mendicitatem excludit, Quod dixerim, nam his religiosis conceditur domus ad habitandum,Ecclesia ad diuina celebranda, vinea aliqua,seu hortus,tum ad religiosorum leuamen , tum vt inde olera,& vuas sumant;non tamen vt vinum sibi necessarium pareant,minúsque vt fructus vendant,& hortum conducant,constat ex *dicta clement.exiui §.licet vero,de verb. significat.*& tradit Corduba *in reg. D. Francisci, c.*6.*q.*19. *punct.*2. Sanch.l.7.sum.*c.*26.Suar.*t.*3.de relig.*l* 8.*c.*16.*n.*3.

5.Posito autem valere legatũ rei immobilis non vt retineatur à Minoribus,sed vt vendatur,vel permutetur;rogabis,quis teneatur illud vendere,& cuius sint illius fructus dũ non venditur?Respondeo hæredẽ in primis esse obligatum,vt constat,illo autem negligẽte testamenti executores.Quod si hi bis moniti nõ præstiterint,Episcopus,vel iudex sæcularis ex proprio officio vendere potest.Auth.de Ecclesiastic.*tit.*§.*si quis autem*, ipsi vero Minores nec vendere, nec permutare possunt , quia legatum immobile non transit in eorum potestatem , quousque immobilitatem amittat. Solum ergo possunt rogare hæredem & executores,vt votum testatoris exequantur, illis vero negligentibus iudicis officium implorare:sic ex Bartol. *tr.* Minoric.*lib.*2.*dist.*4.*c.*3.docet Sanch.lib.7.sum.*c.*26.*n.*29.

6.Interim tamen dum non venditur legatũ,fructus illius ad hæredem pertinent;quippe is est illius dominus. Si autem ob fructuũ perceptiones steterit in mora vendendi;& ob eam causam minoris venditur , obligatus est Minoribus damnum resarcire.Secus vero si nullũ in pretio detrimentum patiuntur; quia solũ pretium illis debitum est;non negotiationi exponẽdum,sed in proprias necessitates expendendum.Sanch.*d.c.*26. *n.*32. Negligens hæres præsumetur , si oblata occasione vendendi, vel permutandi legatum iuxta rationabilem Minorũ voluntatẽ noluerit vendere,executores si bis moniti fuerint.

7.In hac autem venditione,vt benè aduertit Sanch. *d.c.*26. *n.*30.*aliis relatis*,non est opus iuris solemnitates requisitas in alienatione rerum Ecclesiasticarum seruare;quia res illa vendenda ex voluntate,& dispositione testatoris venditur;neque censetur Ecclesiastica , dum immobilis persistit , cum non sit Minoribus addicta.Secus vero dicendum est in legato rei immobilis aliis religionibus relicto, & acceptato:nã eo ipso est bonum Ecclesiasticum , quod non distrahitur ex dispositione testatoris,sed ex voluntate religionis cui est applicatum.Sanch. *d.c.*26.*n.*31. cum Nauarr.*tom.*2.*de regularib.n.*50.

8.Dico tertiò,supradictos religiosos Minores,& Capucinos capaces esse legati cuiuscunque rei mobilis, vini, tritici, olei, pecuniæ,& similium;quia his rebus eorũ necessitatibus subuenitur.Ad debent ea in moderata quantitate, & ad occurrentes necessitates recipere,ne videatur thesaurizatio , potius quam necessitatis subuentio,néve auaritiam redoleant,vti cauetur in *d.Clem.exiui.*Quod si legatũ superabundãs fuerit,neque breui tempore consumendũ,poterunt minores, & debent, si in alios pauperes non distribuunt,medio syndico commutare,aut vendere,vt inde sibi alia necessaria coëmant.Sic Man.Rodrig.*qu. regular.t.*1.*q.*26.*art.*4. Cordub. in compend. priuileg. mendicant.*in annotat.* verbo *commutare*: Sanch.*lib.*7.*c.*26.*n.*14.

9. Reſtat duplex difficultas examinanda. Prima de animalibus: Secunda de cenſibus,annuiſque reditibus. Circa primã eſt dubium, an poſſint Minores retinere animalia ſibi legata, oues ſcilicet,boues, aliaque ſimilia? Et quidem ſi retineantur in paruo numero, & ad ſuorum ſuſtentationem, manifeſtum eſt poſſe retinere. Secus eſt ſi in exceſſiuo numero retineantur, vel retineantur ad fructificandũ Quia illa retenſione incerta mendicitas vel in totum, vel ex parte excluderetur. Deinde in Clement. *exiui, §. cum annui reditus.* Excluduntur omnes reditus à Minoribus, ſed fructus animalium ſunt verè reditus iuxta *leg. deducta, §. hæreditatem iuncta gloſſa, ff. ad Trebell.* & tradit Gloſſa *in cap. generali de elect. in* 6. verbo *reditus.* Ergo illorum capaces non ſunt,& ita ſuſtinet Suar. t. 3. de relig. *l.* 8. *c.* 17. *n.* 11. Neq; inde fit, illis non licere nutrire aliquas gallinas, aut colũbas ad occurrentes,& præſentaneas neceſſitates. Nam eſto oua,pullique columbarũ fructus, & reditus reputentur, ob eorũ leuitatẽ ſunt conſuetudini permiſſi,ſicuti ex domeſtico horto fructus permittũtur. Sic Suar. *dicto c.* 17. *n.* 14. Cordub. *in reg. D. Franciſci, c.* 6. *q.* 10. *punct.* 2. Sanch. *l.* 7. *cap.* 26. *n.* 16.

10. Secunda difficultas,& grauior eſt de cenſibus annuiſque reditibus; an inquam huius legati Minores capaces ſint, poſſintque illud retinere? Pro cuius explicatione aduerte tripliciter cenſum, annuúmque reditum legati Minoribus poſſe. Primo, per modum vnius, vt ſi dicas lego Minoribus hunc cenſum,annuúmque reditum,quem poſſideo. Secundò,ſi leges illum cenſum exprimens, vt ſingulis annis reditus illius accipiant. Tertiò ſi hæredem, vel legatarium conſtituas cum obligatione ſingulis annis donandi Minoribus certam pẽſionem.

11. Si primo modo cenſum leges, valet legatum; ſicuti valet legatum ſimpliciter relictum alterius rei immobilis; non quidem vt ſic accipiatur, & retineatur, ſed vt accipiatur in æſtimatione. Sic Bartol. *tractat.* Minoric. *l.* 2. *diſtinct.* 6. *c.* 1. *n.* 33. quem ſequitur Sanch. lib. 7. ſum. *cap.* 26. *n.* 33. Si vero ſecundo modo leges, corruit legatum; quia continet modum paupertati Minorum aduerſum;ſcilicet eſſe legatum perpetuum Minoribus ex voluntate teſtatoris tranſlatum: ſic expreſsè decidit in dicta Clement. *exiui*, verſ. *cumque annui reditus inter immobilia cenſeantur à iure, &c.*

12. Si tertio modo leges,maiorem difficultatem habet;quia verè ſunt annui reditus perpetui, quorum Minores incapaces ſunt:& ita tenet Bartolus *ſupra* Abbas, *cap. in præſentia, n.* 63. *de Probationibus.* Nauarr. *l.* 3. *conſil. titul. de teſtament. conſ.* 14. *aliàs* 8. Sanch. alios referens *l.* 7. *c.* 26. *n.* 46. Cæterũm verius cenſeo legatum ſubſiſtere: ſic Siluester *verbo legatum*, 2. *q.* 3. *dicto* 3. Angellus *eodem n.* 5. Tabiena 1. *q.* 4. *n.* 5. Man. Rodrig. *quæſt. regul. t.* 2. *q.* 126. *artic.* 4. Suarez *t.* 3. *de relig. l.* 8. *c.* 17. *n.* 19. *&* 25. *& t.* 4. *tractat.* 10. *l.* 4. *c.* 9. *n.* 9. probabile reputat Sanchez *n.* 35. Ratio ea eſt: Nam eſto hæredi, vel principali legatario imponatur obligatio perpetua donandi Minoribus annuos reditus; at hæc obligatio non eſt ex iure aliquo ciuili Minoribus acquiſito,ſed ex hæreditate relicta à teſtatore, & comparatione illius,ſicuti ſi tuo famulo donares diuitias pauperibus diſtribuendas,famulus obligatus eſſet pauperibus donare,non ex iure aliquo, quod pauperes habuerint, ſed ex tuo imperio, diſpoſitione. Vnde cum Pontifex prohibet Minoribus annuos reditus,intelligi debet de reditibus,qui comparatione religioſorum, & ex iure ipſis competente ſunt debiti, non de reditibus,qui comparatione religioſorum eleemoſynæ ſunt, & gratis donantur.

13. Verum vt hæc doctrina ex omni parte luceat; concedamus hoc legatum caducum eſſe, neque Minores capaces eſſe illius,poteritne vendi,ſicuti venditur legatum alterius rei immobilis? Reſpondeo conſentiente hærede certum eſt vendi;vel potius de nouo conſtitui poſſe; an vero teneatur hæres vendere,vel venditioni conſentire: non caret difficultate; ſi quidem hac venditione facta voluntas teſtatoris meliori modo quo poteſt impletur: monaſterium enim recepto pretio recipit æquiualenter penſionem ſibi legatam, hæres vero manet grauatus emptori ſingulis annis concedere. Sed oppoſitum verius eſt, nempe hæredẽ non eſſe obligatũ vendere, neque vẽditioni conſentire; imo nec poſſe, quia ex illo legato nullum ius monaſterio accreſcit, ſed ſolũ in hærede reſultat obligatio cõparatione teſtatoris dandi Minoribus annuam penſionẽ. At vbi nullũ adeſt ius tranſmiſsibile,nulla eſſe poteſt venditio: ergo hoc legatũ annuæ penſionis capax eſſe non poteſt vẽditionis.

14. Rurſus conceſſo illud legatum nullum eſſe: huic nullitati plures limitationes Doctores adhibent. Prima,& præcipua eſt, vt intelligatur de legato perpetuo, ſecus ad breue tempus, quale reputatur quodlibet breuius decẽnio, vt pluribus firmat Sanch. *l.* 7. *ſum. c.* 26. *n.* 30. Suarez *t.* 3. *de relig. l.* 8. *c.* 17. *n.* 20. Ratio eſt; quia reditus ad breue tempus inter res mobiles reputãtur, cõputarique debent ac ſi tota illa quantitas ſimul, & per modum vnius legaretur,neque ratione illius mendicitas tollitur, ſed ſubleuatur: ſic ſuſtinent Abbas *conſ.* 66. *n.* 6. *l.* 2. Syluester *verbo legatũ*, 2. *q.* 3. *dicto* 1. Cordub. *regul. D. Franciſci, c.* 6. *q.* 11. *punct.* 3. Emanuel Sà *verbo religio, n.* 57. & alios referens Sanch. l. 7. ſum. *c.* 26. *num.* 36. *& n.* 37. extendit doctrinam ad reditus annuos pro vita alicuius ſingularis religioſi, quia cum ſit incertum,quo tempore duratura ſit, dici non poteſt legatum perpetuum,ſeu ad longum tempus. At hæc limitatio mihi nõ probatur,vtpote aliena à verbis *Clement. exiui*: ibi enim Pontifex fratres Minores incapaces fecit quorumcũque annuorũ redituum. Notandaque eſt dictio *quorumcumque*, quæ reditus tam perpetuos,quam temporales comprehendit. Deinde ex vi illorum redituum excluditur incerta mendicitas ſaltẽ pro tempore quo durant, cum fiduciam Minores haberent in legato ad ſui ſuſtentationem,& non in ſolo Deo,quod Pontifex vitare intendit. Deinde eadem ratione dici poſſet Minores capaces eſſe ſuccedendi in vſufructu,in fidei commiſſo,in maioratibus,& ſimilibus;cum ea ſucceſſio non perpetua,ſed temporalis,& ad vitam religioſi ſit,quod nemo ſanæ mentis concedet. Ergo neque concedendum eſt de annuo reditu temporali & ad vitam religioſi; & ita docet Bartolus *tractat.* Minoric. *lib.* 2. *diſt.* 6. *c.* 3. *n.* 35. Socin. *in tractat, de obligationib. libell.* 8. *q.* 7. *n.* 7. *fine.* Man. Rodriguez *t.* 2. *q.* 126. *art.* 6. Suarez probabilem reputat. *t.* 3. *de relig. lib.* 8. *c.* 17. *n.* 29.

15. Secundò limitant Doctores,& benè,vt ſolum procedat in legato annuorum redituum pro ſuſtẽtatione religioſorum; ſecus ſi conſtitutum ſit pro expenſis neceſſariis ad diuinum cultum ceræ, vini, olei, ornamentorum,& ſimilium, & à fortiori pro Eccleſiæ fabrica. Tum quia ex hoc legato non tollitur incerta religioſorum mendicitas;cum ipſi reditus non cedant immediatè in eorum vtilitatem,ſed in reparationem Eccleſiæ, & diuini cultus ſuſtentationem. Praxis quæ recepta hanc limitationem confirmat:& ita ſuſtinent poſt alios antiquiores Syluester verbo *leg.* 2. *q.* 3. *d.* 1. Tabiena *eod.* 1. *qu.* 4. Nau. *l.* 3. *conſil. tit. de teſtam. conſ.* 15. *alias* 9. *nu.* 3. Corduba *in regul. diui Franciſci, c.* 6. *q.* 11. *punct.* 3. Menoch. *conſ.* 1014. *n.* 36. *vol.* 11. Man. Rodrig. *qu. regular. t.* 2. *q.* 126. *art.* 5. Suarez *t.* 3. *de relig. l.* 8. *c.* 17. *n.* 28. Sanch. lib. 7. ſum. *c.* 24. *n.* 42.

16. Tertiò limitatur,vt non habeat locum in anniuerſariis perpetuis,& capellanis Minoribus relictis. Quando ſcilicet teſtator iubet hæredi, vel principali legatario ſingulis annis certam penſionem minoribus tribuere, vt pro eius anima tot faciant ſacrificia. Quia ea anniuerſaria non tam ſunt legata, quam Miſſarum ſtipendia. Sic docent Antonius Cucus *l.* 3. *inſtit. maiorat, tit.* 1. *n.* 36. *& ſeq.* Man. Rodr. *q. regular. t.* 2. *q.* 126. *a.* 4. Fauet Silueſt. & Tabian. *ſupra*. At hæc limitatio probanda non eſt;quia ſtipẽdium Miſſarum immediatè cedit in religioſorum ſuſtentationem,& ad hunc finem conceditur, tametſi titulus,ob quem conceditur ſpiritualis ſit. Si ergo hoc ſtipendium illis debitum eſt,& tanquam œconomi, & adminiſtratores ius habent medio ſyndico,illud exigendi, ſecuri erunt de ſua ſuſtentatione, nullamque habebunt neceſſitatem mendicandi. Non igitur eis licet hæc ſtipendia ſtabilia habere. Sic Nauarr. *l.* 3. *conſil. tit. de teſtam. conſ.* 14. *alias* 8. *n.* 3. Corduba in regul. D. Franciſci, *c.* 6. *q.* 11. *punct.* 4. refertque ſic deciſum eſſe in capitulo generali: Sanchez *l.* 7. *c.* 26. *n.* 44. Suarez *t.* 3. *de relig. l.* 8. *c.* 17. *n.* 32.

17. Aduertendum tamen eſt hæredem, ſeu legatarium ſic grauatum obligatum eſſe onus iniunctum Miſſarum implere. Nam cum ad ipſum legatum deuoluatur, onus ei adiunctum reiicere non poteſt; quia æquum non eſt reiecto onere vtilitatem legati accipere, deciditurque expreſsè *leg.* 1. *§. pro ſecundo, C. de caduc. tollend.* Non tamen tenetur ea ſacra facere per fratres Minores; benè tamen in Eccleſiis, vel altaribus à teſtatore deſignatis,ſi id fieri poſſit:ſic. Nauar. *l.* 3. *conſ. tit. de teſtament. conſ.* 14. *aliàs* 8. *n.* 8. Menoch. *conſ.* 1014. *n.* 8. *vol.* 11. Sanch, *l.* 7. *c.* 26. *n.* 50.

18. Quartò limitatur,vt non procedat in legato facto pro libris emendis ad religioſorũ ſtudiũ: quia hoc legatũ non tollit eorũ mendicitatẽ,ſicuti non tollit legatum relictũ pro reparatione Eccleſiæ ad diuina officia celebranda,ſecus eſſet, ſi pro ſtudentiũ alimentis fieret: ſic Abbas *conſ.* 63. *l.* 1. *cũ gloſſa Clem. dudum verbo indirectè: De ſepulturis:* Menoch. *conſ.* 1014. *n.* 38. *vol.* 11. Sanch. *l.* 7. *c.* 26. *n.* 45. & verè hæc ſententia eſt ſatis probabilis,tametſi Suar. *t.* 3. *de relig. l.* 8. *c.* 17. *n.* 30. contrarium ſentiat,nec leui fundamento ductus. Quia hoc legatum in monaſterij vtilitatem, & in religioſorum commodum immediatè cedit;ea autem quæ ſic cedunt,ſub religioſorum ſuſtentatione comprehenduntur. Secus eſt de legato pro neceſſariis ad diuinum cultum,quod in Dei honorem cedit immediatè,

19. Quinto limitant alij,ne locum habeat in legato relicto pro infirmis curandis;quia non videtur in infirmorum ſuſtentationem cedere,ſed in medici,& ſeruientium vtilitatem: ſic Ananias *conſ.* 30. *à n.* 3. Man. *qu. regul.* 2. *t. q.* 126. *art.* 4. *fine.* At hæc limitatio nullatenus eſt admittenda; quia ſatis cedit in ſuſtentationem religioſorum, quod cedit in eorum vitæ conſeruationem:& ita tradit Sanch. *d. c.* 26. *n.* 47.

20. Sextò limitant alij,ne procedat in legato pro ſuſtentatione hoſpitum,quaſi ij ſint à monaſterio alieni. Sed vt hæc limitatio vera ſit, debet intelligi de hoſpitibus ſæcularibus, vel alterius religionis;ſecus de his, qui eadem regula, & obſeruatione tenentur. Suarez *t.* 3. *de relig. lib.* 8. *c.* 17. *n.* 31.

21. Ex

21. Ex omnibus ſupradictis deciditur quæſtio, qualiter poſſis Minoribus poſſeſſionem, vel cenſum tradere non quoad dominium, ſed quoad vſumfructum, ipſiſque liceat accipere? Et quidem ſi reuocabiliter tradas, & ſemper à tua voluntate dependenter, non eſt dubium illis licere; quia eſt quædam continuata eleemoſyna abſque vllo iure perpetuo, vel ad tempus in ipſos trãſlato. At ſi irreuocabiliter tradas ſingulis annis fructus colligendos, etiamſi hæc traditio ad breue tempus fiat, cenſeo probabilius non licere; ſicuti dixi de legato relicto annuorum redituum; quia verè hi fructus ſunt annui reditus. Quod à fortiori procedit, ſi propria induſtria, & labore fructus illius poſſeſſionis comparandi eſſent. Non enim negociatione parare ſibi poſſunt ſuſtentationem. Quapropter ſolum tibi licet Minoribus facultatem, & ius irreuocabile concedere, ipſiſque licet accipere ad fructus vna vice colligendos, conſentit in his Suar. *t.3. de relig.8, cap.17. à n.34.*

22. Tandem inquires; quo remedio vti debent Minores pro recuperando legato ſibi validè relicto? Breuiter reſpondeo poſſe medio ſyndico, qui nomine Pontificis agere poteſt in iudicio, vt legata Minoribus debita concedantur. Sed hoc intelligo de legatis, ex quibus in legatario actio ciuilis reſultat, ſic Cordub. *regul. D. Franciſci, capit. 4. quæſtion. 16. punct. 2.* Manuel. Rodrig. *t.2. qu. regul. q.78. art.1.* Sanchez *d.c.26. n.59. & 63.*

Deinde poſſunt implorare extra iudicium officium iudicis tam Eccleſiaſtici, quam ſæcularis, ipſéque iudex tenetur petitioni annuere. Sic Cordub. *ſupra, c.6. q.11. p.4.* Man. *q.126. a.4.* & aliis relatis Sanch. *c 26. n. 62.* Adde ipſum iudicem nemine petente, ex proprio officio debere id procurare, ſi ei conſtat de hæredis, ſeu legatarij negligentia; quia obligatus eſt ratione officij vt ſubditi ſuis obligationibus ſatisfaciant: Sanchez aliis relatis *ſupra numer. 60.* Quæ omnia ſatis conſtant ex *capit. exiit, §. ad hæc, de Verbor. ſignificat. in 6.* & ex Clement. *exiui, eod. tit.*

Punctum X.

Qualiter religio Societatis Ieſu, eiuſque Religioſi capaces ſint hæreditariæ ſucceſſionis ex teſtamento, vel ab inteſtato, & cuiuſvis legati.

SVMMARIVM.

1 *Diſtinguuntur varij gradus Religioſorum, & Conuentuum in Societate Ieſu.*
2 *Domus profeſſa incapax eſt habendi bona ſtabilia.*
3 *Si aliquid ſtabile relinquatur, debet vendi quamprimum oportunè fieri poſſit.*
4 *Si hæredem graues, vt ſingulis annis domui Profeſſæ aliquam penſionem relinquat, videtur non valere legatum.*
5 *Probabilius eſt oppoſitum.*
7 *Qualiter interdicatur religioſis Societatis ad has eleemoſynas Societate faciendas fideles excitare.*

1. IN Societate varij gradus Religioſorum & Conuentuum ſunt diſtinguendi: Alij ſunt Religioſi profeſſi; alij Coadiutores formati, alij Scholaſtici vocantur. Deinde ex Conuentibus alij ſunt domus Profeſſæ; alij Collegia, domûſque Probationis. Religioſi, qui ſolum vota biennij ſimplicia emiſerunt capaces ſunt cuiuſlibet hæreditariæ ſucceſſionis, & legati non ſolum quoad vſum, & adminiſtrationem illius ex licentia Superioris, ſed etiam quoad dominium, vt cõſtat ex Bulla *Aſcendente* Greg. XIII. & ex conſtit. *4. p.c.4. n.5. & 6. & 6. p.c.2. n.11.* Profeſſi verò, & Coadiutores formati cuiuſlibet hæreditariæ ſucceſſionis incapaces ſunt, non tamen legati, vt ſupradicta Bulla, & Conſtitutiones decidunt; legatum verò ipſis relictum acquirit ur Collegio, vel Domui, in qua reſident, & iuxta huius capacitatem, vel incapacitatem legatum tenet.

2 Primò ergo profeſſa domus incapax eſt habendi bona ſtabilia, quales ſunt poſſeſſiones, annuíque reditus etiam applicati ſacriſtiæ, aut fabricæ Eccleſiæ præter communem, & conſueram habitationem: ſub qua domus, Eccleſia, & hortus contiguus comprehenditur, & præter aliquam vineam, ſeu hortum cum ſua domo ad extraordinarium religioſorum leuamen, qui ſi fructus aliquos habeat, nec locari, nec vẽdi poſſunt; tametſi eis profeſſi vti poſſint ad ſui ſuſtentationem: habetur expreſsè in *Conſtit. 6. p.c.2.* colligitúrque ex Bulla Pauli III. & Iulji III. & Greg. XIII. inſtitutum Societatis confirmantium. Neque aduerſus hanc ſtrictam paupertatem eſt, ſi aliquis ex fundatoribus domorum, vel Eccleſiarũ vellet reditus aliquos ad fabricæ vſum relinquere; dummodo nec diſpoſitio eorum ad Societatem pertineat, nec ſit, vnde ei competat actio in illos (quamuis id illi curæ eſſet, vt is cui tale munus commiſſum eſt ſuum officium faceret) & ſic in rebus ſimilibus: habetur expreſsè *dicto loco Conſtit. in declarat. litt. B.* Neque item eſt aduerſus hanc paupertatem, quod domus profeſſa poſſit inſtitui hæres, modo non ſit inſtituta aliquo bono ſtabili; quia nullibi cauetur incapacem eſſe ſucceſſionis hæreditariæ ſi Solum in ſupradicto loco *Conſtit. n.12. dicitur.* Hanc incapacitatem habere ratione ſuorum religioſorum, tacitè innuens ex alio capite, ſcilicet ex libera teſtatoris voluntate inſtitui hæredem poſſe, ſicut & collegium: & ita docet Molin. *tom. 1. diſtinct. 195.* verſ. *à regula propoſita.* Sanch. *lib. 7. ſum. cap. 27. num. 15.*

3. Quod ſi domui profeſſæ, vel eius Eccleſiæ aut ſacriſtiæ aliquod ſtabile non neceſſarium ad habitationem, vel recreationem legetur, aut donetur, vendi debet quamprimum poſſit; ſicuti diximus de legato immobili fratribus Minoribus relicto, & traditur *dicto loco conſtit. 6. p.c.2. n.5. in declarat. litt. L.* Sanch. *loco allegato.* Sed quia continget ſæpè noo inueniri ſtatim emptorem, qui iuſtam æſtimationem concedat; ea de cauſa opportunitas expectanda eſt, vt dicitur in *dicta Conſtitut. declarat.* Interim tamen iuxta probabilem ſententiam locari, ſeu conduci poteſt, & reditus in vtilitatẽ profeſſorum conuerti, modo in breui tempore, ſcilicet infra decennium fiat. Sanc. *lib. 7. c. 27. n.22.* Probabilius tamen eſt fructus expendendos eſſe in pauperes, aliàs ſocietas profeſſa pro aliquo tempore reditus haberet, & mendicitatem excluderet contra prohibitionem ſæpè in conſtitutionibus latam vllos reditus habendi: *Exam. gener. cap. 1. num.4. & 6. part. Conſtit. cap. 2. num.2.*

4. Difficultas autem eo pertinet; an ſi hæredem graues, vt ſingulis annis domui profeſſæ certam penſionem tribuat pro profeſſorum ſuſtentatione, vel pro fabrica Eccleſiæ, aut ſacriſtiæ ornatu, valeat legatum, teneatúrque hæres grauatus votum teſtatoris exequi, capaxque ſit domus profeſſa illud acquirendi. Videtur nullum eſſe tale legatum; quia eſt legatum annuorum redituum, quorum Societas profeſſa incapax eſt. Item vt ſingulare priuilegium conceſſum videtur fundatoribus Eccleſiarum, vt poſſint hos reditus annuos pro Eccleſiæ fabrica relinquere: *6. p. Conſtit. cap.2. in declarat. litt. B.* Non enim abſque cauſa nomen fundatoris expreſſum eſt. Ergo cõparatione aliorum huiuſmodi legatum nullum eſt. Deinde expendo verba conſtitutionis. Inquit enim ſanctiſſimus Ignatius *dicto c.2. n.6.* Si aliquis ſponte ſuo eas perpetuas eleemoſynas (ſcilicet annuos reditus) relinqueret, nullum ius ciuile ad eas petendas in iudicio acquiritur, Sed cum ad id charitas propter Deum eos mouerit, elargiantur. Si igitur ex charitate in Deum moueri debent, ſignum eſt non ex obligatione, ſed gratis eas elargiri; obligatio enim ſi aliqua in præſenti adeſt, iuſtitiæ eſt, non charitatis.

5. Cæterùm verius cenſeo, id legatũ valere, hæredẽque grauatũ obligatum eſſe, profeſſæ Societati præſtare: ſic docet Sanc. l.7. ſum. c.27. n.9. inclinat Suar. t.4. de relig. *tract.* 10. *l.4. c.6. n.9. præcipuè in fine.* Ratio ea eſt; quia ex voto paupertatis iuxta Societatis cõſtitutiones ſolũ interdicitur domui profeſſæ ius ciuile ad hos reditus acquirendos, non tamẽ illotũ acquiſitio, ſi de facto dẽtur. Obligatio autem hæredis illos elargiẽdi ſuppoſita capacitate domus profeſſæ impediri à Societate nõ poterant, cũ hæc obligatio ex diſpoſitione, & voluntate teſtatoris proueniat. Neq; obſtat ſocietatẽ profeſſam incapacem eſſe habendi annuos reditus; quia id debet intelligi de annuis reditibus, ad quos ipſa Societas ius ciuile haberet; ſecus de annuis reditibus cõparatione Societatis gratis, & liberalibus. Neq; obſtat cõſtitutionis declarationẽ ſpecialiter legata fũdatorũ pro Eccleſiæ fabrica valida declaraſſe; quia id fecit, vt indicaret in hoc caſu ſemper Societati conuenire hæc legata acceptare, quod in legatis aliorum non æquè cernitur. Vnde ex hac fundatorum expreſſione non licet inferre aliorum ſimilia legata ſub paupertatis voto comprehendi, nullaque eſſe, imo contrariũ non leuiter colligitur ex illis verbis conſtitutionis, *ſic in rebus ſimilibus*, ſcilicet in ſimilibus legatis perpetuis eſſe idem dicendum, ac dictum eſt de legatis annuorum redituum conſtitutis à fundatore. Neque denique obſtat, quod hæres grauatus moueatur ex charitate in Deum ad hæc legata exequenda; quia etiam moueri poteſt & debet ex iuſtitiæ obligatione, comparatione inquam teſtatoris ex tacito cum illo contractu ob hæreditatem acceptam. At quia comparatione Societatis nullam obligationem habet; eo quod ex tali legato nullum ius ei eſt acquiſitum, ideo dixit Sanctiſſimus Ignatius hæredem moueri ex charitate ad has eleemoſynas perpetuas elargiendas.

6. Subdit verò conſtitutio *dicto cap. 2. num. 6.* ne vllus è Societate ad has eleemoſynas perpetuas elargiendas domibus, vel Eccleſiis Societatis profeſſæ, fideles excitet ob maiorem ſcilicet ædificationem, & paupertatis puritatem. Sĩ tamen aliquis ſimplici ſuaſione excitaret, non credo peccaturum; quia hæc excitatio non eſt materia voti paupertatis, & ex alia parte ſola conſtitutione prohibetur, & non in virtute obedientiæ: ergo ex nullo capite eſſe

poteſt

potest peccatum. Sic Suar. *t.4. de relig. tract.10. l.4. c.9. n.9. fine & c.11. fine*, Sanch. l.7. sum. c.26. n.11.

PVNCTVM XI.

Qualiter Societati Iesu, eiúsque religiosis interdictum sit pro Missis, concionibus, aliisque ministeriis stipendia recipere.

SVMMARIVM.

1 *Supradictis religiosis hæc stipendia, vel eleemosyna in recompensationem interdicuntur.*
2 *Probatur solum ex regula, & non ex voto interdici.*
3 *Ex hac sententia videtur inferri, cui est concessum à Superiore pecunias recipere non peccaturum mortaliter, si eas in stipendium Missarum recipiat.*
4 *Contraria sententia tenenda est, scilicet ex voto hanc obligationem esse.*
5 *Si gratis, & non ex debito eleemosyna detur, optimè recipi potest.*
6 *Qualiter pro religiosorum sustentatione, pro viatico, aliisque requisitis ad ministeria exercenda eleemosyna recipi possit.*
7 *Videris posse Titio obligari faciendi sacrum, si pauperi, vel consanguineo stipendium concedat.*
8 *Titio obligato sacra facere potes, promittere te suo nomine sacra facturum.*
9 *Si stipendium pro Missa recipias, Missa celebrata, non teneris danti restituere stipendium; tametsi Sanch. contrarium sentiat.*
10 *Stipendio consumpto potes, & debes sacra facere.*
11 *Hæc Sacrificia præferenda sunt Sacrificiis debitis ex instituto, & regula.*

1. NEmini esse potest dubium religiosis Societatis Iesu interdictum esse pro Missarum sacrificiis prædicationibus, lectionibus, sacramentorum administratione, aliisque piis officiis, quæ Societas iuxta suum laudabile institutum exercet, stipendium vllum, vel eleemosynam quæ ad compensationem huiusmodi ministeriorum dari solent admittere. Sic expresè in *constit. exam. gener. c.1. n.3.*

2. Difficultas autem est; an hæc obligatio sit solum iuxta regulam, & constitutionem, vt paupertatis votum perfectius obseruetur, & cum maiori proximorum ædificatione, ân vero sit materia ipsius voti? si enim solum obligantur Societatis religiosi abstinere à receptione huius stipendij, & eleemosynæ ex regula, & non ex voto, nullum per se peccatum committent ex illius transgressione, cum regulæ nostræ religionis non obligent ad culpam, sed solum ad pœnam arbitrariam.

Videtur autem obligatio abstinendi ab hoc stipendio solum esse ex regula, & non ex voto. Quia in bulla Pauli III. quæ incipit *Regimini militantis Ecclesiæ*, nostrum institutum primo confirmantis, votúmque paupertatis, eiusque materiam exactè explicantis nulla mentio facta est huius obligationis; cum tamen si essentialis esset, debebat in declaratione apponi, Inquit enim constitutio. Voueant singuli, & vniuersi, (loquitur de professis) perpetuam paupertatem declarantes, quod non solum priuatim, sed neque etiam communiter possint pro Societatis sustentatione, aut vsu ad bona aliqua stabilia, aut ad prouentus, seu introitus aliquos, ius aliquod ciuile acquirere, sed sint contenti vsu tantùm rerum sibi donatarum ad necessaria sibi comparanda accipere. Deinde ex nulla constitutione, aut bulla Pontificis apertè constat sub voto, tanquam sub eius materia hanc obligationem comprehendi. Nam esto in Bulla Iulij III. quæ incipit *exposcit debitum pastoralis officij*, vbi institutum Societatis confirmatur, declaratum sit ministeria Societatis exequenda esse gratis omnino, & nullo pro suo labore stipendio accepto; non inde infertur sub voto tanquam sub materia promissa hanc obligationem comprehendi, quia ibi non votum paupertatis, sed instituti conditio declaratur. In constitutionibus autem, vbi huius rei mentio fit, commendatur illius obseruatio, non tanquam voti materia, sed tanquam professionis nostræ proprium, & ædificationi proximorum maximè conueniens, vt constet ex *4.p. const. c.7. n.3.* ibi cum tamen proprium sit nostræ professionis nullum temporale præmium accipere pro spiritualibus ministeriis, &c. Non enim dixit, cum tamen proprium sit nostræ *paupertatis promissæ*, sed *nostræ professionis*, quasi indicans ad modum tantum procedendi pertinere, idque apertiùs declarauit, subiungens nullas esse recipiendas obligationes, vel conditiones, quæ sinceritatem impediant in nostri procedendi modo, qui est dare gratis, quæ gratis accipimus. Et *6.p. constit. c. 2.* vbi paupertas Societatis, tum domorum, tum collegiorum, tum particularium personarum latissimè declaratur, vt simplex quædam constitutio quamuis grauissima proponitur, non recipere stipendia; vel eleemosynas vllas promisit, &c. inquit enim constitutio *nn. 7.* omnes, qui sub obedientia sunt Societatis meminerint se gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, nec postulando, neque admittendo stipendium, vel eleemosynas vllas, &c. vt sic maiori cum libertate, & proximorum ædificatione possint in diuino seruitio procedere, expende non dixisse, vt paupertas promissa obseruetur, sed vt proximorum ædificationi consulatur, & maiori cum libertate spiritus procedatur. Eaque de causa *10. p. const. §.5.* dictum est referre plurimum ad conseruationem, & augmentum totius Societatis nullos reditus, vel possessiones, vel stipendia pro missis, &c. admittere. Maturè vsus est S. Ignarius, verbo *refert*, quod conuenientiam indicat, non necessitatem; quia stipendia cum reditibus, & possessionibus coniunxit; si non solum de reditibus, & possessionibus mentionem faceret, cum horum priuatio ad Societatis professæ conseruationem omnino necessaria sit, non verbo *refert*, sed verbo indicante necessitatem vteretur. Solum illa verba, *exam. gener. c.1. n.3.* grauiter vrgent pro contraria parte, ibi enim. N. P. S. Ignarius declarans paupertatem Societatis professæ. inquit. Tria vota, obedientiæ, paupertatis & castitatis emittantur, sic paupertatem accipiendo, vt nec velit, nec possit reditus vllos ad suam sustentationem, neque ad quod vis aliud habere. Quod non tantùm in particulari de vnoquoque sed etiam de Ecclesiis, & domibus Societatis professæ est intelligendum. Nec etiam (quamuis aliis sit licitum, pro Missarum sacrificiis, vel prædicationibus, vel lectionibus vel vllius Sacramenti administratione, vel quouis alia pro officio ex iis, quæ iuxta suum institutum Societas potest exercere, stipendium vllum, vel eleemosynam, quæ ad compensationem huiusmodi ministeriorum dari solent, ab alio, quàm à Deo (ob cuius obsequium omnia purè facere debent) possunt admittere. Ecce qualiter paupertatem promissam accepit S. Ignatius, vt scilicet priuationem reditum, & stipendij pro ministeriis comprehenderet. At constat priuationem reditum sub voto paupertatis comprehensam esse. Ergo & priuatio huius stipendij censetur comprehendi. Fateor hunc locum difficilem solutionem habere; sed quia manifestè non conuincit sub paupertate promissa abstinentiam à receptione dicti stipendij, comprehendi non est hæc obligatio imponenda. Explicari enim potest acceptam ibi esse paupertatem iuxta nostras constitutiones, & modum procedendi, non vt voti materiam. Et licèt carentia reditum, & possessionum voti materia sit, non habet esse materiam ex hoc loco constitutionis, sed ex aliis, in quibus id satis declaratur. Cum ergo in aliis constitutionis locis hoc stipendio carere potius ad puritatem paupertatis, quàm ad illius materiam colligatur pertinere, dicendum est S. Ignatium eo loco examinis paupertatem accepisse iuxta constitutiones, & modum Societatis procedendi, non pro voti materia. Ex quibus omnibus videtur satis probabiliter colligi receptionem stipendij, vt talis, non esse contra votum, sed solum contra regulas, & constitutiones. Quod non leuiter confirmatur ex eo quòd in *congr. 5. generali decreto 21.* dicitur circa *caput. 1. exam. §.3. & c. 2. constit. 6.p. §.7.* postulatum fuit, vt congregatio declararet; an accipere aliquid pro ministeriis Societatis, tanquam stipendium, vel eleemosynam in compensationem sit contra votum paupertatis Societatis, vel contra constitutionem tantum. Et cùm hæc quæstio seriò, & accuratè per plures dies agitata fuisset, tandem placuit congregationi nihil in alterutram partem definire, aut declarare, sed exactissimam illius grauissimæ constitutionis obseruationem ad maiorem ædificationem, & paupertatis nostræ synceritatem ac puritatem retinendam perneccessarium vehementer omnibus commendare, ac omnino prohibere, ne vllus superior, ac ne ipse quidem Præpositus Generalis in ea dispenset. Ecce qualiter congregatio dubia fuit, & tandem abstinentiam ab stipendij receptione ad synceritatem & puritatem paupertatis, non ad illius substantiam definiuit pertinere. Signum ergo est, dubium non leue esse, an sub voto paupertatis comprehendatur. Posito autem hoc esse dubium, certum videtur religiosos Societatis vouentes paupertatem ad illius constitutionis obseruationem ex vi voti non obligari; quia votum sicut & lex ad res certas, & non dubias extenditur.

3. Hinc inferet aliquis & fortè probabiliter, te non peccaturum aduersus paupertatis votum, si habita licentia superioris accipiendi aliquas pecunias in tui vsum, neque inueniens gratis datas, eas accipias in stipendium Missarum; quia solum in modo accipiendi pecunias delinqui, non in illarum receptione, quæ ex voluntate superioris fit; at modus supposita sententia nuper proposita non est contra votum. Ergo. Quod duplici exemplo relato à Suar. *t.4. de relig. tract.10. l.4. c.8. num.7.* confirmari potest. Primum est de religioso, cui est data licentia recipiendi aliquas pecunias, & cum non inueniat gratis datas, negotiatione prohibita eas acquirit, qui certè solum videtur peccare in negotiatione, non in pecuniarum receptione. Secundum est de eo, cui est similis licentia concessa recipiendi pecunias spontè oblatas, non tamen petitas, imò ei expresè est petitio interdicta, si de facto petat, & pecunias recipiat, non peccat contra votum, cùm sola petitio pecuniæ, & non illius receptio sit contra voluntatem superioris. Sed hæc illatio etiã supposita dicta sententia admittenda non est. Quia non solum modus recipiendi pecuniam, sed etiam illius receptio aliena

est

est à voluntate superioris, superior namque licentiam concessit ad receptionem eleemosynæ, & non ad receptionem stipendij, ad receptionem pecuniæ gratis datæ, non ex obligatione; igitur cum illud stipendium recipis, sine vlla superioris licentia recipis. Ergo peccas contra votum: modus enim ille variat substantialiter receptionem, secus est in receptione pecuniæ sponte oblatæ, vel petitæ, & ita docet Sanch. l.7. sum. *c.28.n.7.* Suar. t.4. de relig. *tract.* 10. *l.4.c.8.n.11.*

4. His tamen non obstantibus tenenda est, vt verior, & probabilior sententia affirmans sub voto paupertatis hanc stipendij receptionem contineri: sic docet Petr. Nauarr. *l.3. de restit. c.1.p.3.dub.2.n.170. in noua editione,* Man. Rodrig. *q. regul t.3. q.19.art.13.* Sanch. l.7. sum. *c.28.n.6.* Suar. *t.4. de relig. tract.10. l.4.c.8.n.10.* Moueor, quia sic sentiunt Doctores omnes, qui de hac materia sua scripta typis mandarunt, & merito: est enim hæc sententia constitutionibus Societatis conformior, eiúsque paupertatem summoperè commendat, cum non solum prohibeat receptionem pecuniæ absque voluntate superioris, sed etiam modum recipiendi illam. Præterea negari non potest abstinentiam ab huius stipendij receptione esse propriam nostræ professionis, & instituti. Ergo est propria voti paupertatis, cum substantia instituti in votis consistat. Adde S. Ignatium in *exam. gener. c.1.n.5.* votum paupertatis declarans, hoc videtur expressisse. Nam postquã dixerit tria vota in Societate emitti; obedientiæ, paupertatis, & castitatis, immediatè subiungit sic paupertatem accipiendo, (id est) sic paupertatem promissam accipiendo, vt nec velit, nec possit reditus vllos ad suã sustentationem, aut quoduis aliud habere, nec etiam pro Missarum sacrificiis stipendiũ. Non enim de alia paupertate, sed de paupertate cadente sub voto declaratio fiebat. Rationes item quibus opposita sententia nititur, leues sunt. Nam quæ desumitur ex eo, quod in bulla Pauli III. huius stipendij mentio non fuerit facta, cum paupertas declarabatur, non vrget; quia non erat opus exactè omnem materiam paupertatis declarare, & forte ob eius omissionem Iulius III. in bulla institutum Societatis confirmante eam circumstantiam vt substantialem instituti expressit, ac proinde vt voti materiam. Reliqua verò, quæ ibi ex constitutionibus adducũtur nostræ potiùs, quàm oppositæ sententiæ fauent. Quod vero congregatio 5. dubia fuerit in hac materia, solúmque definierit ad puritatem paupertatis obseruantiam illius constitutionis pertinere, nihil aliud probat, quàm quod nostra sententia non est vndequaque certa; eáque de causa tantùm vt probabiliorem, veriorem, securiorem, & constitutionibus magis conformem proponimus.

5. Notanter dixi receptionem stipendij pro ministeriis Societatis sub voto comprehendi. Nã si gratis detur eleemosyna, quæ aliàs posset esse stipendium; tametsi occasione ministerij specialis exhibiti donetur, benè potest recipi. Quia solũ stipendiũ, seu eleemosyna in cõpensationẽ prohibetur, constátq; *ex constitut.6.p.c.2.n.6.* Cauendũ tamen est, ne sub prætextu eleemosynæ gratuitæ compensatio fiat. Sic Sanc. l.7. sum. *c.28.n.2.*

6. Deinde, si pecunia non pro ministeriis, & in illorum compensationem, sed pro requisitis ad illa exequenda concedatur, vt si concedatur pro religiosorum sustentatione, pro viatico, aliisque necessariis ad verbum diuinum seminandum omnino licitũ est. Sed non caret difficultate, qualiter hæc dari, & recipi possint absque violatione paupertatis ex pacto, & obligatione, vt spiritualia ministrentur; quia videtur dari vt stipendia spiritualium. Neque enim alia via pecunia data clerico sæculari pro Missa celebranda inducit stipendij rationem, nisi quia datur ad illius sustentationem sub obligatione faciendi sacrum, & sic ab eo acceptatur; sacri enim pretium illiúsque æqua cõpensatio esse non potest. Si igitur pecuniam exhibeas in religiosorum Societatis sustentationem, sub obligatione vt spiritualia ipsi ministrent, & sic eam acceperint, planè videtur conuinci in stipendium, & compensationẽ recipi. Neque satisfacit quod ait Sanch. *dicto c.28.n.3. & 4.* pecuniã dari, & recipi non pro ministeriis exercendis, sed pro obligatione exercendi illa; quia id ipsum procedit in stipendiis concessis clerico sæculari. Adde dari pecuniam pro obligatione spirituali ministrandi, est æquiualenter dari pro ipsorum spiritualiũ ministratione; imò dans pecuniã non tam illã concedit pro obligatione, quæ præcisè spectata inutilis, & infructuosa tibi est, quàm pro ministeriis ad quæ obligatio inducitur. Propter hæc censerem dicendum non posse Societatem obligari obligatione iustitiæ ad spiritualia ministranda ex fundatione collegiorum, missionum, & similium; bene tamen ex gratitudine, & fidelitate.

7. Pro supradictorum pleniori intelligentia supersunt aliquot difficultates examinandæ. Prima; an sit contra votum paupertatis, si Titio obligeris faciendi sacrum sub ea conditione, & pacto, vt tuo consanguineo stipendiũ concedat? Affirmat Nauarra lib.3. de restitut. *cap.1.p.3. dub.2 n.171. in 2. edit.* Man. Rodrig. *q. regular. t.3. q.29.art.13.* Sanch. l.7. sum. *c.28.n.15.* Mouentur: quia non gratis, sed ob stipẽdium Sacra facis, quod est aduersum constitutionibus votum paupertatis declarantibus. Deinde absque voluntate superioris pecuniam acquiris, eámque manu Titij tuo consanguineo concedis, peccas ergo tum in acquisitione, tũ in distributione. Cæterũ verius censeo fieri hoc posse absque voti paupertatis violatione. Hoc enim votum nullatenus violari potest absque acceptione, retẽtione, vel distributione pecuniæ; at in præsenti nulla est ex parte tua necessaria acceptio, nullâque acceptæ pecuniæ distributio. Nã ob Sacrum à te celebratum non tu recipis pecuniam, sed tuus consanguineus, neque Titius ei tribuit nomine tuo, esto ob eam causam tribuat, sicut si eam tribueret ob tuã intercessionem. Ergo nullum est aduersus votum paupertatis peccatum. Neque obstat te gratis sacrificia non facere, sed ob stipendiũ, quia voto paupertatis non obligaris sacrificia vtcunque gratis facere, sed ita gratis facere, vt tu ob illorum causam stipendiũ non admittas, in admissione enim stipendij stat paupertatis violatio. *Exam. gen. c.1.n.3. & 4.p.const.c.7.n.3. & 6.p.c.2.n.7.*

8. Ex quo à fortiori inferre potes, te non violaturum paupertatis votum, si Titio obligato aliqua Sacra facere ob stipendia recepta promittas sacra facturum, & de facto facias; quia tu sic promittens, sacráque faciẽs nullũ stipendiũ recipis, neq; Titio concedis, sed solũ es causa, vt Titius stipendiũ acceptum iustè retineat liberando illũ ab obligatione quã habebat. Quod si dicas nullum in Titio esse titulum, vt stipendiũ accipiat, & retineat, quovsq; Sacra fiant. Ergo faciens Sacra ei titulũ concedis. Ergo concedis stipendium? Facilè respondetur, negando te concedere stipendiũ ex eo quod concedas titulũ, apponásque causam iustè accipiendi illud. Adde Sacrum à te factum, & Titio concessum non esse titulum, ob quem formaliter Titius stipendiũ accepit, sed conditionẽ sine qua non potest iustè accipere, aut retinere, titulum namque formaliter concessit, qui stipendium dedit sub onere sacra faciendi. Denique hæredibus legatarijs, & capellanis obligatis sacra facere admittit Sanch. *Et benè d.l.7. sum. c.28.n.18.* te posse loco illorum sacra facere nullo à te stipendio recepto. Quia (inquit Sanch.) hæredes, legatarijj, & capellani titulum habent accipiendi scilicet hæreditatem, legatum, & capellaniã, ac proinde tuis sacris non acquiritur illis stipendiũ, sed eo acquisito liberas ab obligatione dicendi sacrũ, quam habent. At idẽ prorsus est in eo, qui stipẽdia accepta habet, quia ea habet ex titulo donationis onerosę, neq; tu eo stipẽdia acquiris, sed eis acquisitis liberas ab obligatione susceptа ob stipẽdiorũ acquisitionẽ. Et hunc modũ dicẽdi probarũt P. Michaël. Vasq. Primarius Theologię Professor in Salmaticẽsi-Collegio, & Doctissi. Ioann. de Salas in Vallisoletano Colleg. similiter Primarius Theol. Profess. à me cõsulti.

9. Secunda difficultas, an tenearis restituere stipendiũ, si de facto accepisti ob sacra, aliáve spiritualia Societatis ministeria? Et quidẽ si sacra facta non sint, manifestum est te obligatũ esse ex voto paupertatis stipendiũ reddere, quia nõ potes illud sub eo onere retinere, necdum admittere. Neque superior eam licentiam tibi potest concedere, cum etiam præposito generali interdicta sit facultas in hac parte dispentandi *decreto 21. congreg 5.* Si vero sacra feceris, & stipendiũ retines, censet Sanc. *l.7. sum. c.28.n.11.* te obligatũ esse nõ lege iustitiæ, sed voti reddere danti, neque posse superiori tradere, & in pios vsus expẽdere: quia ex voto obligaris ne stipendia pro sacris admittas, & consequenter neque admissum expẽdas, debes ergo reddere danti, vt eo reditu sacra censeantur gratis facta, cæterum vlterius censeo, te hac obligatione reddendi danti astrictum non esse, sed posse ex licentia superioris in pios vsus expendere, sic docuit expressè Petr. Nauarr. *l.3. de restit. c.1.p.3.n.179. & 180. in noua edit.* Henriq. *l.9. de Euchar. c.22. n.3. in comm. litt. P.* Ducor, quia neque lege iustitiæ, neque ex voto teneris reddere danti. Non iustitiæ, quia voluntati donantis planè sacris à te factis satisfeceris. Votum autem te solum obligat, ne pro sacris stipendium petas, neve illud admittas: at eo admisso, & sacris ob illud factis nõ te obligat stipendiũ reddere, quia cessat finis illius obligationis, qui erat, vt spiritualia gratis ministrarẽtur, quę si semel ob stipendiũ acceptũ gratis ministrata nõ fuerũt quãtũcunque stipendiũ reddas, non poteris facere, vt cẽsẽatur gratis ministrata. Ergo ex nullo cap. teneris dãti stipẽdiũ reddere. Ergo poteris in pios vsus ex superior. volũtate expẽdere.

10. Sed quid, si stipendium consumpsisti, neque es soluendo, & sacra non feceris, poteris-ne ea sacra facere, vt obligationi ex stipendio accepto, & consumpto satisfacias? videris non posse, quia non gratis, sed ob stipendium facis. Contrarium tamen existimo verum cum Sanch. lib.7. sum. *c.28.n.15.* quia illis sacris non stipendium acquiris, sed obligationi iustitiæ ex illius acceptione, & consumptione ortæ satisfacias, imò nõ solùm potes ea sacra facere, sed etiam teneris, quia teneris obligationi iustitiæ satisfacere, cum id facere possis absque detrimento tuæ professionis. Quæ à fortiori procedunt teste Sanch. *d.c.28. n.23.* si ante ingressum religionis, vel tempore nouitiatus hæc stipendia recepisti, & consumpsisti.

11. Sed dubium est, an debeas hæc sacra præferre sacris ex instituto debitis, Sanch. *d. c.28. num.23. & 25.* respondet, si eam sacrorum obligationem contraxisti in sæculo, vel tempore nouitiatus, te obligatum esse ea sacra præferre sacris ex constitutione debitis, quia obligationem sacrorum ex instituto susciperе non poteras in præiudicium obligationis iustitiæ prius ortæ. At si post vota bienni, hanc obligationem iustitiæ suscepisti, credit Sanch. Missas ex præscripto

religionis

religionis præferēdas esse, quia illis votis ius acquisiuit societas in tuam voluntatem, vt sacra in religione præscripta faceres, cui iuri nequis ex contractu à te inito derogare. Nihilominus verius censeo, te vtroque casu obligatum esse Missas ex obligatione stipendij accepti præferre, quia obligatio iustitiæ vtpote grauior præferenda est obligationi decentiæ, & honestatis, at obligatio faciendi sacra à religione præscripta, est obligatio tantùm ex honestate, vt ipsemet Sanch. *d.c.28.n.23.* testatur, vel ad summum ex fidelitate. Ergo præferenda est illi obligatio stipendij accepti, quæ est obligatio iustitiæ. Neque obstat fundamentum Sanch. Concedo inquam Societatem votis biennij ius in tuam voluntatem acquirere vt sacra in ordine præscripta facias, sed hoc intelligi debet, vt facias, quando liber à iustitiæ obligatione existis: si enim non obstante iure religionis contrahere potes obligationem iustitiæ ex stipendio accepto, signum est sane hanc obligationem obligationi religionis præferendam esse.

PVNCTVM XII.

Qualiter religionis Professis interdictum sit testamentum concedere.

SVMMARIVM.

1 *Absque superioris licentia, nec licitè, nec validè possunt religiosi professi testari.*
2 *Nouitij, & qui vota biennij in societate emiserunt, testari possunt, sed hi ex superioris licentia.*
3 *Si absque superioris licentia testentur, valet testamentum, quamuis alij contra sentiant.*
4 *Coadiutores formati in Societate incapaces sunt testandi.*
5 *Secus Eremitæ oblati, & qui lato vocabulo religiosi nūcupatur.*
6 *Qui religiosi professi in ordinibus militaribus incapaces sunt testandi.*
7 *Potestas testandi in equitibus commendatariis ad bona patrimonialia, & commendarum extenditur.*
8 *Religiosi equites D. Ioannis capaces sunt testandi.*
9 *Clerici religiosi horum ordinum, si intra clausturum commorentur incapaces sunt testandi, secus si extra.*
10 *Superior potens hanc facultatem concedere est solus Pōtifex.*
12 *Non potest hæc facultas nisi facta dispensatione in voto irreuocabiliter concedi.*
13 *Bona de quibus est facultas sunt religionis.*
14 *Extenditur hæc facultas ad codicillos.*

1. REgula certissima est religiosos professos nec licitè, nec validè testari posse. Dicitur in Auth. *ingressi. C. de sacrosanct. Eccles. & c. Quia ingredientib. 19. q.3.* & tradunt omnes Doctores. Ratio est manifesta, quia religiosis absque superioris facultate interdicta est bonorum temporalium dispositio. Deinde nihil habent proprium, quod possint in alium transferre. Quod si aliquis sęcularis eis cōcedat, vt de eius bonis via testamenti disponant, ea dispositio absque superioris facultate nulla est; quippè est facta nomine proprio, cuius religiosi professi incapaces sunt, vt ex supradictis textibus liquet, & tradit Nau. *comm.2.n.57. de Regul.* Sanch. *li.7. sum.c.8.n.6.* Extenditúrque hæc prohibitio ad codicillos, quia codicillus pars est testamenti, illiúsque defectum suppler, ideoque impotens testari capacitatē habet codicillos cōdendi, vt bene tradit. Glos. verbo *test. ex text. in l. Diuus, §. codic lles ff de iure codicillorum*, & notaui Greg. Lop. *leg.13 tit.1 p.6. & leg.1. tit.12. eadem part.*

2. Dixi hanc incapacitatē testandi religiosis professis impositā esse, vt indicarem nouitios ab hac incapacitate excludi; hi enim testari possunt etiā absque superiorū licentia; quia liberā suorum bonorum dispositionem habent. Item qui in Societate vota biennij tantum emiserunt; quia esto sint propriè religiosi non sunt professi, & retinent bonorum suorum dominium; ac proinde sub relata prohibitione Text. *in cap. ingredientib.* non comprehenduntur. At quia bonorum suorum liberum vsum non habent, sed pendentem à voluntate superioris; ea de causa illicitum illis est absque eius licentia testari.

3. Si tamen nulla superioris requisita licentia testentur; non desunt Doctores qui sentiant testamentū nullū esse, eo quod hi religiosi votis biennij ligati tranflati sint in superiorem potestatē, nec velle nec nolle habeāt, strictius quàm pupillus, qui trāslatus est in tutoris potestatē. Ergo sicut dispositio facta à pupillo suorū bonorum sine authoritate tutoris nō tenet; neq; etiā tenere debet hæc dispositio facta ab his religiosis Societatis Iesu, & ita sustinent Mol. Iesuita *t.1. de iust. disp.139.* post medium, Less. *lib.2.c.4. dub.5.n.28.* Nihilominus verius censeo testamentū validū esse, esto aduersū paupertatis votum; quia paupertatis votū solū præstat, vt dispositio bonorū absque cōsensu superioris illicita sit, non tamen quod sit nulla. Nullitas enim ex aliquo decreto, & constitutione prouenire debebat, quæ tamen non reperitur in Societate. Vnde non est simile de pupillo, cui iure positiuo, & non naturali dispositio bonorum absque tutoris authoritate sub decreto irritante interdicitur. Sic Sanc. li.7. *sum.c.8.n.25.* indicat Azor. *t.1. instit. mor.c.12.q.8.*

4. Qui vero in Societate coadiutores firmati sunt, esto non sint professi, incapaces sunt testandi; quia nullius proprij capaces sunt, quæ fuit ratio decisionis illius, Auth. *de monachis, & c. ingred. 19.q.3.* ac proinde hi religiosi sub eo decreto comprehenduntur, vt benè tradit Sanch. *loc. alleg.*

5. Deinde sub dicta incapacitate testandi non comprehenduntur eremitæ oblati, aliique religiosi sic lato vocabulo nuncupati; eo quod professionem non emittunt, neque incapaces sunt bonorum suorum dominij. Sic aliis relatis, Sanch. lib.7. sum. *c.8.n.40.*

6. De religiosis professis in ordinibus militaribus est inter DD. grauis controuersia, an testari possint? Et variis placitis omissis distinctione vtendū est. Alij sunt laici in sæculo vitam cōmunem cū aliis sæcularibus degentes & matrimoniū incūtes. Alij clerici, & ex his alij in conuentu viuunt, alij extra claustra beneficio seruientes, vel aliquam administrationē habentes Religiosi laici, quique equites militares vocātur testari possunt, tum ex priuilegio Pontificis, tum ex recepta consuetudine. Nam Innoc. VIII. & Clem. VII. militibus S. Iacobi facultatē testandi concessit, & licèt Pius V. hanc facultatem reuocauerit, Greg. XIII. eā reuocationem sustulit, & priuilegia his militibus à Sede Apostolica concessa confirmauit. Clarius hæc facultas testandi constat ex recepta consuetudine, ob quā non solū hæredes instituuntur, & in maioratu succedunt, sed & illum instituere possunt, & de facto instituunt, teste Suar. *t.3. de relig. lib.8. c.16. num.22.* Mol. Iesuita *tom.1. disp.141.* vers. *est vero regid. & t.3. disp.604. fin.* Sanch. *lib.7. c.8. à n.29.*

7. An autem hæc potestas testandi sit solum ex bonis Patrimonialibus, an etiā ex fructibus cōmendarū? Credo verius ad omnia bona extendi, eo quod cōsuetudo obtinuit hos milites perinde ac alios sęculares, disponere posse de omnib. bonis. Sic Mol. Suar. & Sanch. locis allegatis, Mol. dicta *disp.141.* affirmat ex vi voti nō priuari dominio suorū bonorum, neq; incapaces fieri de nouo acquirendi, esto vsum illius dominij ligatum habeant, & voluntati superioris subordinatum. Quod si ita est, valebit vtiq; testamentū ab his militibus factum, tametsi contra voluntatē suorū superiorum, vt diximus de religiosis Societatis Iesu sola biennij vota emittentibus. Verū ne vorū paupertatis in hac testamēti factione, bonorū nq; suorum dispositione violent, seruare debent circumstantias in suis legibus, & ordinationibus præscriptas. Vt si præscriptum sit fieri quotannis inuentarium bonorum tam mobilium, quàm immobilium, & ostendi superiori, vel visitatori, debeant in hac parte fidelitatem seruare, aliàs rei erunt voti paupertatis, vt benè ex aliis notauit Sanch. lib.7. sum. *cap.8. à num.33. & 34.*

8. Religiosos equites D. Ioannis, qui matrimonij contrahendi incapaces sunt, aliquibus videtur esse testādi incapaces, tum ex voto, tum ex iure communi. Sic Suar. *t.3. de relig. li.8. c.16. in fine. n.25.* At verius est oppositum, cum enim vitam in sæculo degant, aliis sæcularibus similem, consonum erat, vt votum paupertatis non esset ita strictum, sed permitteret eos retinere dominium suorū bonorum, illorūmque dispositionō superioribus consentiētibus. Quocirca solū eis interdicta est testamenti factio absque superiorū suorum licentia ex regula, & cōstitutione, ac proinde si testamentū fiat, etiam absque licentia, validum erit. Sic multis firmat Iacob. de Boret. *cons. 96.n.1. & 3. vol.1.* quem refert, & sequit. Sanc. *d. lib.7. c.8.n.36.*

9. Clerici horū ordinum militariū, si intra claustra viuant, & cōmorentur æquè ac religiosi aliorum ordinū sunt incapaces testandi, quia votū solemne paupertatis emittunt, quo dominio, & proprietate suorū bonorū priuātur, neque alicubi inueniuntur excepti. Sic Suar. *n.3. de relig. li.8. c.16. in fine, n.15.* At non debent censeri intra claustra cōmorari, si solū ad tempus ratione alicuius officij, vt Prioris, cōmorentur, statim eo finito ad sæculū reuersuri, sic ex Motta *li. instruct. vt commenda: arij tendant ad perfectionem &c. 4. § 4. n.52.* docet Sanch. *d. c.8. n.37.* Quod si hi religiosi extra claustra commorentur ex legitima licentia, vti solent causa inseruiendi beneficio, vel alicui prælato, testandi habent facultatem ex quibuscunque bonis, dummodo illorum inuentarium singulis annis conficiant, & suo superiori præsentent, insuperque tertio quoque anno à superiore licentiam testandi petant, sic Motta, & Sanch. *loco alleg.* affirmant Clemen. VII. eam eis facultatem concessisse.

10. Insuper dixi religiosos professos incapaces esse testandi absque superioris licentia. Posse autem superiorem illis hanc facultatē concedere absque relaxatione voti paupertatis, mihi indubitati iuris est, sicut enim potest superior concessione alicuius dominij religiosis professis facultatē concedere donādi aliqua bona in vita, cur non poterit concedere facultatem ea donandi in morte via testamenti? cū ad vtramque donationē sola administratio bonorū dependens à superioris voluntate concedatur; & sic posse, & de facto fieri sustinet Nau. *comm.2. de regul. n.57. & q.3. de reditib. Eccles. §.11. moneo*, Couar. *c.2. de testam. num.10.* Mol. Iesuita, *t. 1. de iustit. disp.141. circa finem*, Sanch. lib.7. sum. *c.8.n.4.* Suar. *t.3. de relig. li.8. c.16. n.9.*

11. Quòd si roges, quis superior hāc valet facultatē concedere? Respondeo nullū alium præter Summū Pōtificem, quia est prohibitio iure communi inducta quę ipsos prælatos regula-

res,ac alios ſubditos aſtringens,neque alicubi inuenitur conceſſum prælatis,vt ſecum ipſi , & cũ ſuis ſubditis in ea prohibitione diſpenſent:ſic Abbas *in c.in præſentia,n* 61. *de probat.* Nau.*comm.*2.*de regul.n.*34.*&* 58.Mol.*t.*1.*de iuſtit.diſp.*141.*circa finẽ*,Leſſ.*lib.*2.*c.*41.*dub.*8.*n.*73.Sanch.alios referens,*li.*7.*c.*8. *n.*5.45.*&* 47.Suar.*t.*3.*de rel.lib.*8.*c.*16.*n.*9.*&* 10.

12.Hanc Autẽ facultatẽ nequit Pontifex (niſi diſpenſando in voto paupertatis)irreuocabiliter cõcedere,etiãſi eã conceſſerit data cõpoſitione,ſeu cõpenſatione.Quia licentia irreuocabilis pro bonis diſponendi concedit illorum dominium , & proprietatem;ſiquidem concedit illorum diſpoſitionem independentem ab aliena voluntate. Quapropter poterit eam reuocare,quoties ſibi placuerit , antequam morte teſtamentum confirmetur,cãque reuocata eo ipſo teſtamentum factum annullatur;quia ſolum vires habet,quatenus procedit ex voluntate teſtatoris habentis facultatem de bonis diſponendi : ſic Suar.*d.lib.*8.*c.*16.*n.*13.*&* 16.Hæc facultas non finitur , quouſque teſtamentum teſtatoris morte firmetur;quia vſque ad illud tempus non habet actum ſuũ perfectum,& conſummatũ, ſed poteſt religioſus vno teſtamento condito aliud de nouo efficere & præexiſtens reuocare ; quia cenſendum eſt facultatem concedi iuxta teſtamenti naturam , quæ eſt , vt durante vita teſtatoris reuocari poſſit , & aliud de nouo , effici docet Suar.*c.*17 *n.*15.Sanch. *lib.*8.*de matr.diſp.*6.*n.*16.

13.Bona de quibus hæc facultas religioſo conceditur , religionis ſunt ; quia religioſus voto paupertatis incapax eſt ſibi aliquid acquirendi;ſed omnia quæ acquirit,religioni acquirit. At quia Pontifex vtpote ſupremus religionum prælatus omnium illorum bonorum diſpenſator eſt,& adminiſtrator, licẽtiam concedere poteſt de illis bonis diſponendi:ſed quia illorum dominus non eſt , nec licitè concedere hanc facultatem poteſt ad vſus vanos , & profanos , & religioſum ſtatum dedecentes,qualis eſſet maioratus inſtitutio ad familiæ nomen conſeruandum.Qui enim mundo mortuus eſt,longè ab his vanitatibus eſſe debet.Sic Mol.Iuriſta *lib.*2. *de primog. c.*9.*n.*67. Mol.Ieſuita *t.*3.*de iuſt.diſp.*604.*n.*5.Sanch.*li.*7.*c.*8.*n.*53. Quapropter ad ſolos vſus pios vel ſaltem honeſtos , neque à religioſo ſtatu alienos licentiã concedere poteſt,Sanc.*d.c.*8.*n.*52.

14.Extenditur dicta facultas ad codicillos condendos;quia codicillus pars eſt teſtamenti,vt benè tradit Gloſ.1.*inſt.de teſt. initio,vnde in leg.conficiuntur.ff.de iure codicillor.*dicitur, potentem facere teſtamentum,poſſe codicillos facere,quod non eſt intelligendũ ſolum de potentibus à iure,vt explicuit Graffis,1.*p.dec.li.*2.*c.*31.*n.*28.ſed etiam de potentibus ex priuilegio, cum lex non diſtinguat,& priuilegium à principe conceſſum latè debeat interpretari;ſic aliis docet Sanc.*li.*8.*de matr.diſp.*1. *n.*38 *&* *lib.*7. *ſum.c.*8.*n.*57.Adde extendi facultatem ad donationem cauſa mortis;quia hæc teſtamento æquiparatur vtpote vltimæ voluntatis diſpoſitio , deciditurque expreſsè , *leg. Marcellus,ff.de donat.cauſa mort.*ibi.Nam & mortis cauſa donare poterit,cui teſtari conceſſum eſt. Neque obſtat prohibitionem religioſis factam teſtandi non extendi ad donationem cauſa mortis,vt multis firmat Sanch.*lib.*7. *ſum.c.*8. *n.* 11. quia prohibitio vtpotè odioſa non debet extendi , ſed limitari ; at facultas, & licentia , quæ eſt priuilegium principis , extendi debet,ſic ſuſtinent Sanch.*d.lib.*8.*de matr.diſp.*1.*n.*38.

PVNCTVM XIII.

Qualiter profeſſis habentibus deſcendentes , vel aſcendentes legitimos licitum ſit teſtari,& bona inter eos diuidere.

SVMMARIVM.

1 *Habenti deſcendentes legitimos conceditur bonorum diuiſio.*
2 *Hæc diſpoſitio iure canonico non tam ſcripto,quàm conſuetudine introducto approbata eſt.*
3 *Explicatur,qualiter profeſſio non impediat hanc bonorum diuiſionem.*
4 *Hæc bonorum diuiſio teſtamenti rationem non habet;tametſi plures contra ſentiant.*
5 *Sufficit vnicum filium adeſſe,vt poſſit profeſſus hanc diuiſionem facere.*
6 *Comprehenduntur ſub nomine liberorum nepotes,item legitimati,item naturales,& ſpurij,cũ ſunt neceſſarij heredes.*
7 *Qualiter inter filios hæc diuiſio facienda eſt.*
8 *Poteſt in Hiſpania pater religioſus in hac diuiſione meliorare filium in tertia parte bonorum,& in quinta retenta ſua æquali parte monaſterio.*
9 *Non extenditur hoc priuilegium ad aſcendentes,tametſi aliqui contradicant.*

1. TAmetſi in ſuperiori puncto dictum ſit religioſum profeſſum incapacem eſſe teſtãdi;nihilominus ſi filios habeat,neque inter illos ante profeſſionem hæreditatem diuiſit, bonãq; diſtribuit,conceditur ei facultas bona diuidendi , ſic enim habetur in Auth.*ſi qua mulier,de ſanctiſſim. Epiſcop.collat.*9.*tit.*15.*c.*38.& in auth.*ſi qua mulier.C.de Sacroſanct. Eccl.* & in auth.*nũc autem C. de Epiſc.& cleric.*& refertur à Gratiano *in c.ſi qua mulier* 19.*q.*3.ibi ſi qua mulier;aut vir monaſticã elegerit vitam,& intrauerit monaſterium,liberis non extantibus monaſterio,quod ingreditur,res eius competere iubemus. Sed ſi perſona liberos habens,antequã de rebus ſuis inter eos diſponat,monaſteriũ intret,liceat ei poſtea inter eos diuidere, legitima non diminuta,& quod eis nõ dedit monaſterio cõpetat.Sed ſi omnem ſubſtãtiam inter filios diuidere noluerit,ſua perſona filiis connumerata partẽ ſibi retineat,quæ monaſterio competere debet.Sed ſi poſt ingreſſum moriatur , antequã inter eos diuidat,filij legitimam percipiant , reliqua ſubſtantia monaſterio cõpetente.Nunc autem cũ monachus factus eſt, hoc ipſo res ſuas obtuliſſe videtur,ſi priùs teſtatus non ſit ,& exinde iudicio eius ceſſante lege diſponitur , vt ſi liberos habeat,in quos,aut nihil , aut minùs legitima portione quoquo donandi titulo contulerit,eatenus ſubſtantiæ monaſterij deſtinatæ detrahatur , ne quid contingat circa liberos iniquum. Procedit hæc lex tantùm in religioſo ingrediente monaſteriũ capax ſucceſſionis,vt conſtat ex illis verbis , *monaſterio quod ingreditur res eius competere iubemus*,& ex illis *ſua perſona filiis connumerata partẽ ſibi retineat,quæ monaſterio cõpetere debet.*Vnde profeſſus in religione Minorum,& Capucinorum,& in Societ.Ieſu,vel ibi vota coadiutorum firmatorum emittens nequit hanc diuiſionem bonorum inter filios facere,ſed à puncto profeſſionis,ſeu incorporationis filij ſuccedunt, tanquam ſi naturaliter mortuus eſſet,vt benè relato Bart. & Iaſone docuit Sanch.lib.7.ſum.*c.*9.*n.*2.*&* 3. *&* *n.*4.aduertit & benè ad hanc diuiſionem faciendam nulla religioſum profeſſum indigere licentia ; quia hæc à iure conceditur , eãque de cauſa à prælatis religionis nequit impediri.

2.Verùm vt hæc diſpoſitio clarius eluceat enodandæ ſunt aliquot difficultates.Prima:qualiter hæc diſpoſitio cũ ſit iuris ciuilis,poſſit de bonis religioſorum diſponere teneatúrq; monaſterium ei aſſentiri?Sed huius difficultatis facilis eſt ſolutio aſſerendo illã diſpoſitionem ciuilẽ iure canonico canonizatã eſſe,nõ quia Gratianus eã in decreto retulit,(hoc enim inſufficiẽs erat)ſed quia Greg.Pap.*in Epiſt.*6.*li.*3.virtute approbauit; vſúque & cõſuetudine ſatis recepta eſt,ſic tradit Leſſ.*li.*2.*c.*41. *dub.*10.*n.*82.Mol. Ieſuita *t.*1.*diſp.*141. *poſt princ.* verſ. *Hinc,in regn.*Suar.*t.*3.*de rel.lib.*8.*c.*10.*n.*2.Sanch.*li.*7. *ſum.c.* 9.*n.*7.

3.Secunda difficultas,qualiter religioſus profeſſus hãc diuiſionẽ bonorum inter filios facere poſſit , cum omnia bona,de quibus religioſus ante profeſſionẽ non diſpoſuit monaſterio capaci ſuccedendi competant excepta filiorũ legitima,& religioſus habẽdi propriũ incapax ſit.Sed huic difficultati optimè reſpondet Suar.*d.t.*3.*lib.*8.*c.*16.*n.*4.primò aſſerendo votũ paupertatis à religioſo habente filios emiſſum,non priuare bonorũ dominio & illorũ diſpoſitione comparatione filiorũ faciẽda,ſed potius ſub ea intentione , & conditione à iure permiſſa emitti,quod non repugnat voto ſolemni paupertatis priuanti dominio,& diſpoſitione ad alios vſus.Secundò reſpondet, illã diſtributionẽ non eſſe actũ dominij,ſed cuiuſdã libertoris adminiſtrationis lege cõmiſſæ in fauorẽ tũ filiorũ tũ religionis, vt ſic amor in filios,& pietas in religionẽ abſq; vlla ſpecie iniuſtitiæ , & auaritiæ efficacius oſtenderetur. Dominium verò illorum bonorum ante diuiſionem factam ad filios & monaſterium pro indiuiſo tranſire,& ſic permanere,donec bona diuidantur,conſentit huic reſponſioni Sanch.*lib.*7. *c.*9.*n.*10.

4.Tertiajan hæc diuiſio vim habeat teſtamenti ? Affirmat gloſſ.*in c.ſi qua mulier* 19.*q.*3.verbo *diuidere*.Bartol.d.Auth. *ſi qua mulier n.*20.Azor.*t.*1.*inſtit.mor.lib.*12.*c.*6.*q.*5.*in fine*.Suar. *t.*3.*de relig.lib.*8.*c.*16.*n.*2.Mouentur,quia eſt vltima voluntas, quæ morte ciuili cõfirmatur,ſuccedítq; loco teſtamenti,quod ante profeſſionẽ fieri debebat.At verius cenſeo illã diuiſionem bonorum teſtamentũ non eſſe , eſto loco teſtamenti ſuccedat, ſed eſſe quendã actum adminiſtrationis à lege permiſſum.Sic Nau.*com.*2.*&* *de regular.n.*45.Leſſius *lib.*2.*de iuſtit. c.*41.*dub.* 10.*n.*82.Sanch.alios referens,lib.7.ſum.*c.*6. *n.*11. Ratio ea eſt; quia nullũ eſt verbum indicans hanc diuiſionẽ bonorum teſtamentũ eſſe,cur ergo aſſerendũ eſt,& corrigenda lex generaliter prohibẽs religioſis teſtamentũ condere;præcipuè cum ex hac ſententia religioſi diuidentes bona,fauorẽ recipiãt, quippè ſua diſpoſitio via diuiſionis & cuiuſdã adminiſtrationis facta firmior perſiſtit,quã via teſtamenti, nã ex teſtamento oritur actio,quæ diuiſioni denegatur,*leg.diuiſionis placitum,ff.de Pactis*.Deinde in Hiſp. vbi idẽ numerus teſtium requiſitus eſt pro teſtamento inter liberos,ac inter extraneos, *leg.* 3. Tauri. *quæ eſt lex* 2.*tit.*4.*lib.*5.*compilat.*duplici teſte hæc diuiſio contenta erit,quæ ſi teſtamentum eſſet ſeptẽ indigeret.Adde ſi illa diuiſio teſtamentũ eſt , non videtur poſſe ante mortem naturalem confirmari ; nam mors ciuilis quæ eſt profeſſio,præceſſit qua non obſtante lex concedit teſtamenti factionem, ergo debet illam concedere iuxta materiam ſubiectam, & teſtamenti conditionem,quæ eſt,vt ſit vſque ad mortem deambulatoria. Aſſerendum ergo eſt , illam diuiſionem teſtamentum non eſſe,ſed actum adminiſtrat. à lege permiſſum.

5.Quarta:quot liberos religioſus profeſſus habere debeat, vt gaudeat hac facultate bona inter eos diuidendi ; Reſpondeo

vnicum ſufficere, neque opus eſſe plures habere, vt deciditur in *leg. non eſt ſine liberis qui vnum tantum habet, ff. de Verbor. ſignificat.* Item diſpoſitio etiam pœnalis vtens verbo numeri pluralis habet locum in ſingulari, modo eadem ſubſit ratio, *leg. 2. §. ſed ſi vnus ff. de vi bonor. raptor.* per quem notat *Bart. ibi*: quod ſtatutum puniens producentes falſos teſtes, includit. tantum vnum producentem, ſic his verbis tradit Nau. *comm. 2. de regularib. n. 47.* conſentit Man. Rodrig. *t. 2. q. regul. q. 80. art. 2. Sanch. lib. 7. ſum. c. 9. n. 12.*

6. Nomine vero liberorum præcipuè in decreto fauorabili, quale hoc eſt non ſolũ filij, ſed & nepotes, aliíque deſcendentes intelliguntur, vti traditur *leg. liberorum 220. ff. de verb. ſign. & leg. regia 17. tit. 1. p. 6.* & notauit Sanc. *d. c. 9. n. 13.* Sed qui filij veniant intelligendi, legitimi tantũ, an etiã legitimati, an etiã naturales, & ſpurij; Reſpondeo legitimatos comprehendi, quia iura legitimorum habent, ſic Iaſon. in auth. *ſi qua mulier, à n. 45.* quem refert, & ſequitur Nau. *d. com. 2. de regul. n. 47.* Man. Rodrig. *t. 2. q. regul. q. 80. art. 2.* Sanch. *d. c. 9. n. 17.* Naturales vero, & ſpurij illis in quibus neceſſario ſuccedunt deficientibus legitimis, vt in regno Caſtellæ ſuccedunt marti, qui non ſunt ex damnato concubitu, vel ſacrilego. *leg. 7. & 8. lib. 5. recopilat.* comprehenduntur, quia in eis procedit ratio deciſionis vtpote hæredes neceſſarij. Sic expreſsè Nau. *d. com. 2. de regularib. num. 47.* Man. *quæſt. 80. art. 2.* Sanch. *capit. 9. numer. 15. & 16.*

7. Quinta difficultas, qualiter hæc diuiſio inter filios facienda ſit? Pro cuius deciſione ſuppono te nihil detrahere poſſe filiis de legitima ipſis debita; quia ſic cauetur in ſuprad. auth. *ſi qua mulier.* ibi legitima nulli diminuta. Legitima autẽ filiorum (ſi ius commune ſpectemus) eſt tertia pars bonorum patris, ſi filij non excedunt numerum quaternarium, ſi vero excedant, eſt dimidia. At iure Hiſpano legitima filiorum ſunt omnia bona patris præter quintũ de legitima, ergo nihil potes monaſterio applicare. Iis vero filiis conceſſis, poteris quæ ſuperſunt monaſteriis cõcedere, vt conſtat ex ſuprad. auth. *ſi qua mulier.* ibi, & quod eis non dederit, monaſterio competat. An vero ipſis filiis bona quæ ſuperſunt vltra legitimam concedere poſſis? Reſpondet Iuſtin. poſſe, dũmodo monaſterium loco filij in hac diuiſione ſuccedat, eíq; competat æqua portio. Quare ſi filij ſunt duo; portio libera diuidenda eſt in tres partes, quarum vna applicãda eſt monaſterio, & reliquæ filiis, poteris autẽ ſi velis vni filiorum duplicẽ illam partem concedere, alteri nihil concedendo cũ in hac conceſſione nihil detrahas monaſterio ex portione ei debita. Neque enim ex his bonis debetur monaſterio æqua portio, ac eſt ea, quam ob ſpecialem amorem alicui filio tribuis (quidquid ſentiat Mol. Hiſpan. primog. *lib. 2. cap. 9. n. 59.* Greg. Lop. *leg. 17. tit. 1. p. 6.* verbo *connumerata.* Sanch. *lib. 7. cap. 9. n. 26.* cum. Gloſſ. in auth. *ſi qua mulier, verbo connumerata.*) quia in ſupradicta auth. ſolum cauetur, vt monaſterium connumeretur inter filios, ex qua connumeratione ſolum infertur, vt pars quæ facta æquali diuiſione competere ſingulis filiis debebat, ea competat monaſt. ſic notauit Suar. *t. 3. de rel. lib. 8. c. 16. n. 6.*

8. Ex qua doctrina deciditur illa quæſtio, an in Hiſpan. poſſis meliorare filium in tertia, & quinta bonorum parte? Et quidẽ te poſſe in tertia parte mihi eſt certum, quia ex hac meliotione non lædis monaſterium, cum nihil ex illis bonis præter quintũ ei competere poſſit, ſed omnia ſunt legitima filiorũ, & ita tradit Mol. *lib. 2. de primog. c. 9. à n. 57.* Mol. Ieſuita *t. 1. diſp. 141.* verſ. *Hinc in regno Caſtellæ, & t. 3. d 604. n. 4.* Sanch. aliis relatis, *lib. 7. ſum. c. 9. num. 29.* At in quinto ne quis aliquem meliorare, niſi eam partem retineas monaſterio, quæ facta æquali diuiſione illius quinti inter filios ei competere poteſt.

9. Sexta difficultas eſt, an ſi careas filiis, habeas tamen aſcendentes legitimos, poſſis vti hac facultate diuidendi bona inter eos, ſicut dictum eſt de filiis? Certum apud omnes eſſe debet (tametſi aliqui Doctores non infimæ notæ contradicant) legitimam debitam aſcendentibus non poſſe minui ex deſcendentium profeſſione, ſicuti ex aſcendentium profeſſione non minuitur legitima deſcendentium, quia æquè vtriſque eſt debita, ſuntque inuicem hæredes neceſſarij *leg. nam etſi parentibus, ff. de inoffic. teſt.* ſic Gloſſ. d. auth. *ſi qua mulier verbo libero*, Nau. *com. 2. de regul. n. 46.* Greg. Lopez, *leg. 17. tit. 1 p. 6.* Gutierr. *lib. 2. can. q. c. 1. n. 95. & 96.* & innumeris aliis relatis Sanch. *lib. 7. c. 9. n. 19.* At ea legitima non diminuta plures cenſent poſſe filium reliqua bona inter aſcendentes diuidere monaſterio inter ipſos connumerato, quia eadem videtur eſſe ratio; ac proinde eadem eſſe debet iuris diſpoſitio; præcipuè cum hæc lex correctoria non ſit prohibitionis teſtandi, ſed ſit quoddam priuilegium in iure inſertum quod latam admittit interpretationem. Sic Molin. *lib. 2. de primogen. cap 9. n. 64.* Contrarium verius cenſeo cum Sanc. *lib. 7. ſum. t. 9. n. 20. &* Suar. *t. 3. de relig. lib. 8. cap. 16. num. 7.* quia priuilegium ita ſpeciale, & paupertatem religioſam non parum diminuens non debet extendi vltra ipſius verba. At ſub verbi dicti priuilegij ſolum deſcendentes comprehenduntur, *ibi ſi liberos habens.* Ergo ad aſcendentes non debet extendi. Adde habendi filios hæc licentia conceditur. Ergo illis carenti, quantumuis aſcendentes habeat, tacitè denegatur. Denique non eſt eadem ratio in parente comparatione filiorum, ac in filio comparatione parentum: nam eſto inuicem ſint hæredes neceſſarij, non tamen æquis portionibus neque eodem modo; filij enim ſemper aſcendentibus præferuntur, illíſque ſtantibus nihil aſcendentes recipiunt.

PVNCTVM XIV.

An patre profeſſo debeatur ſtatim filiis legitima.

SVMMARIVM.

1 *Debetur à puncto profeſſionis, ſi pater profeſſionem fecit in ordine incapaci ſuccedendi.*
2 *Idem affirmant plures; eſto profeſſus fuerit in ordine capaci ſucceſſionis.*
3 *Verius oppoſitum.*
4 *Fundamentis contrariis ſit ſatis.*
5 *Idem quod dicitur de patre, dicendum eſt de filio profeſſo non deberi patri legitimam ante mortem naturalem filij.*

1. NOn eſt dubium deberi à puncto profeſſionis legitimam filiis, ſi pater profeſſus fuit in ordine incapaci ſuccedendi; cum enim tunc illa bona non tranſeant in monaſterium, neque retineantur à religioſo, neceſſe eſt, vt deueniãt ad filios, vtpote hæredes neceſſarios: Et ita tanquam indubitatum tradunt poſt, alios antiquiores Gutier. *lib. 2. canon. qu. c. 1. n. 93.* Sanch. *lib. 7. ſum. c. 10. n. 1.* vbi hanc doctrinam optimè extendit ad profeſſos, & coadiutores formatos Societ. Ieſu; quia ipſi, & religio ratione ipſorum incapaces ſunt proprij retinendi. Quapropter quæſtio, & ſanè difficilis procedit de patre ingrediente monaſter. capax ſucceſſionis: an eò caſu debeatur ſtatim filiis legit.

2. Plures, grauiſſimíque Doctores affirmant tanquam probabilius, & æquitati conformius. Mouentur primo ex *c. cum ſimus, de Regular.* vbi Pontifex concedit filio monaſterium deferenti bona paterna; quæ ipſi ex ſucceſſione proueniunt, poſtulare. Et expendendum eſt verbum *proueniunt*, quod eſt temporis præſentis. Quod ſi dicas ibi patrem eſſe mortuum; ẽáque de cauſa filium poſſe bona ex ſucceſſione prouenientia poſtulare, videris abſque fundamento locutus, cum ex tota illa decretali non conſtet patrem religioſum mortuum eſſe. Neque obſtat quod viuentis nulla ſit ſucceſſio, nullãque hæreditas, *l. qui ſuperſtiti. ff. de acq. hæred.* quia profeſſus mortuus reputatur; aliàs profeſſio in ordine incapaci ſuccedendi, nulla eſſet profeſſio, ſed expectanda eſſet eius mors naturalis contra ſupradicta. Secundò probant, ex *auth. ſi qua mulier*, vbi patri profeſſo permittitur diuidere bona inter filios, quod certè non videbatur permittendum, ſi bona profeſſi toto ſuæ vitæ tempore monaſterio competerent; fieret enim graue monaſterio præiudicium; cui auferuntur bona poſſeſſa. Tertiò ſibi perſuadent ex §. *ſi quis autem, verſ. ſi vero filios in Auth.* de monachis, ibi, ſin autem nihil eis (ſcilicet filiis) donauerit, aut minus quarta, poſtquam abrenuncians conuerſatus fuerit inter monachos, nihilominus quarta debeatur filiis, aut ſupplementum, ſi contingit eos aliquid accepiſſe, aut etiam quatenus totum eis detur. In quibus verbis Iuſtin. indicat legitimam filiis deberi, eo ipſo quo pater profeſſionem fecit, ibi *poſtquam abrenuncians conuerſatus fuerit inter monachos*, nihilominus quarta debeatur filiis. Quartò ſi filiis non debetur ſtatim legitima patris, ſed durante eius vita monaſterium retinere illius bona poteſt, obligantur filij alimenta à monaſterio petere; ipſumque monaſterium obligarum eſſe ea præbere, quod certè & filiis durum eſt, & monaſterio non parum oneroſum; ſiquidẽ ſæpè ex ſuis bonis obligarentur religioſi filiis ſuccurere legitima parentis non ſufficiente; ſicuti obligatur pater filiis alimenta præbere, cum legitima non ſufficit. Quintò, quia profeſſi nulla poteſt eſſe ſucceſſio, cum nulla bona habeat, ſed omnia illius bona in monaſterium transferantur, ergo fruſtra eius mortem naturalem expectabunt. Succedent ergo à die profeſſionis. Et ita ſuſtinent gloſſa, §. *ſi quis autem*, ver. *illud verò, authent. de monachis.* Nauarr. *com. 2. de Regular. n. 48. & 54.* Couarr. *c. 2. n. 7. de teſtam.* Menchaca *de ſucceſſ. creat. lib. 1. §. 10. n. 284. de ſucceſſ. progreſſu, lib. 1. §. 10. n. 48.* Andreas Fachin. *lib. 6. controu. c. 13. verſ. ego priorem.* Azor. *t. 1. inſt. mor. lib. 12. & 9. 7.* Molina *t. 1 de iuſtit. diſp. 140. verſ. an vero ſtatim.* Leſſius *lib. 2. de iuſtit. c. 41. dub. 10. n. 87.* Sanch. innumeros alios referens, *lib. 7. ſum. c. 10. n. 3.* Sua. *t. 3. de rel. lib. 8. c. 16. n. 7.* & eſt ſatis probabilis ſententia.

3. Nihilominus contrariam ſententiam (rigore iuris ſpectato) veriorem cenſeo. Primo ex Text. *in Auth. ſi qua mulier*, vbi patri profeſſo permittitur bona omnia inter filios diuidere legitima non diminuta, quam diuiſionem non cogitur pater ſtatim facere; imò nec facere, cum ex nullo text. hæc obligatio colligatur; eſt enim quoddam priuilegium ipſi

in

in fauorem filiorum conceſſum, quo vti poteſt, quando ſibi placuerit,ſed ad hanc diuiſionem;ſeu bonorum tranſlationem in filios,debet pater,vel eius nomine monaſterium bona trãſferenda retinere,ergo filij in ipſis bonis à die profeſſionis non ſuccedunt.Secundò ſtatutum à iure eſt legitimam non deberi filio viuente patre, ſed poſt eius naturalem mortem *l.* 1. *§. ſi impubere,ff.de coll.bon. l. lex Cornelia ad fin. ff. vulg. & pup. ſubſt.* Sed ab hac generali regula recedendum non eſt abſque manifeſto textu,vel ratione,nullus autem adeſt textus; nec manifeſta ratio probans à die profeſſionis patris legitimam filiis deberi,vt ex ſolutione argumentorum oppoſitæ ſententiæ conſtabit,ergo,&c. Tertiò firmatum à iure eſt monaſterio capaci ſucceſſionis omnia bona profeſſi acquiri à die profeſſionis,de quibus antea non diſpoſuerat profeſſus, vt conſtat ex *§.ſi qua mulier.* Auth.*de ſanctiſſ. Epiſc.& §.illud quidem,* Auth. *de monachis,*& Auth. *ſi qua mulier, & auth. ingreſſi. C. de ſacroſ.Eccl.*& habetur.*c.quia ingredientibus* 19.*q.*3.Sed ab hoc iure,& conceſſione legitima filiorum non inuenitur excepta, imò potius ſub illo generali iure ſatis iudicatur comprehendi in dicta auth.*ſi qua mulier, relato in c.ſi qua mulier, vel vir,* 19.*q.*3.ibi.ſed ſi poſt ingreſſum moriatur, antequam inter eos diuidat filij legitimam, percipiant reliqua ſubſtantia monaſterio competente.Indicatur ergo debere filios mortem patris expectare ad legitimam percipiendam.Et ita ſuſtinent Gloſſa *in d.auth.ſi qua mulier,*verbo *moriatur.* Bart.*ibi,n.*22.Fel.*c. in præſentia,de probat.n.*56.Abbas *c.cum ſimus, n.vlt.de Regul.* Greg.Lop.*l.*17.*verbo ſus hijos,tit.* 1.*p.* 6. Menchaca *de ſucceſſ. creat.lib.*3.*p.* 21.*n.*175. *& de controu. illuſtr. lib.*1.*cap.*37. *n.*10. Gutierr.*lib.*2. *canon,q.c.*1.Man.*q.regul.t.*2. *q.*80.*art.*2.Matienzo *lib.*5.*recopil.tit.*4. *leg.*3. *gloſſ.*2.*n.*3.& alij plures apud ipſos, præcipuè apud Sanch.*d.c.*10. *n.* 2. affirmantem eſſe hanc ſententiam probabiliſſimam.

4.Neque argumenta in contrarium vrgent.Ad primum,& præcipuum deſumptum ex text. *in c.cum ſimus de regul.* reſpondeo ex illo non colligi poſſe filium viuente patre ſuam legitimam petere, quia in dicto textu, id non dicitur. Nam eſto in principio textus mentio facta fuerit de patre & filio ſimul religionem ingredientibus;at in fine textus,vbi filio cõceditur legitimam petere,nulla patris viui mentio fit:imò tacitè inducatur naturaliter patrem mortuum eſſe illis verbis. Et bona paterna,quæ ſibi ex ſucceſſione proueniunt, poſtulare.Non enim filius ex ſucceſſione petit legitimam, niſi mortuo parente,vt notat Gl.*in c.*1.18.*q.*1.Quod apertius conſtat,ſi vera eſt lectio illius decretalis relata ab Ant.Aug. *in collect.*2. *decret.lib.*3.*tit.*18.quam approbat Guti.*d.lib.*2.*can.q.c.*1. *n.*83. addit enim aduerbium *rectè* & bona, inquit,paterna quæ ipſi rectè ex ſucceſſione proueniunt poſtulare; quaſi diceret,poterit poſtulare bona paterna, quæ ipſi rectè,& ſecundũ regulas iuris ex ſucceſſione proueniunt. At rectè, & ſecundum iuris regulas filio non proueniunt ex ſucceſſione bona paterna niſi mortuo patre.Ergo tacitè indicatur patrem mortuum eſſe,faciléque tũc credi poteſt,cũ lepra infectus monaſterium fuerit ingreſſus, & filius abſque vllo timore deſerere monaſterium voluerit,non enim viuente patre ita facilè religionem relinqueret,quam ſimul cum illo amplexus fuit. Adde eſto concederemus patrem mortuum non eſſe,verba illius textus ſic intelligenda ſunt,vt filius poſſit petere legitimam, quæ ſibi prouenit ex ſucceſſione eo tempore,quo ei ſucceſſio defertur,cum vero vrges viuentis ſucceſſionem dari poſſe, vt contingit in profeſſo ordinis incapacis ſuccedendi,atque adeò viuente illo patre poſſe filium ſuccedere, & bona paterna poſtulare. Reſpondeo longè diuerſam eſſe rationem in eo, qui monaſterium incapax ſucceſſionis ingreditur, ac in eo qui ingreditur monaſteriũ ſucceſſionis capax.Nã prioris datur ſucceſſio, ne bona maneant ſuſpenſa,& abſque domino.Secus eſt vbi monaſteriũ loco religioſi ſuccedit. Ad ſecundum dico ex illa diuiſione potius colligi monaſterio bona competere,& non filiis, quibus facta diuiſione conceduntur.Nequeobſtat in hac diuiſione monaſterium aliquo modo præiudicari bonis acquiſitis illud priuãdo,quia id fit ex indulgẽtia,& priuilegio à iure cõceſſo parenti in filiorũ fauorem. Ad tertium dico deberi filiis legitimã non ſtatim concedendã,ſed poſt mortẽ.Neque aliud colligitur ex illo Auth.*de Monachis.*Ad quartum cõcedo poſſe filios alimenta à monaſterio petere, ipſumque obligatum eſſe eis præbere,ſi aliunde non habent, at cum hæc obligatio non ex natura,ſicut in patre,ſed ex bonis patris receptis oriatur vltra ea obligatio extendi non poteſt, vt benè dixit Abbas *c.in præſentia,n.*77.*de probationib.*Sylueſt. Verbo *relig.* 8. *qu.*3. Mol.*t.*1.*diſp.* 140. *verſ.eo ipſo.* A dquintum nego non dari ſucceſſionem profeſſi, nam eſto in ſua perſona bona non habeat, habet tamen in monaſterio quod ipſum repræſentat.Aliàs religioſo habente maioratum,fideique commiſſum, ſuccederet ſubſtituto à die profeſſionis contra ſuperius dicta.

5. Ex his infertur idem eſſe à fortiori dicendum, ſi filius religionem ingrediatur, non deberi parentibus legitimam, quouſque ipſe obeat, ſed interim monaſterium illa frui poſſe, vt benè tradit Gutierr. *can.q.lib.*2.*c.*1. *n.*93.

PVNCTVM XV.

An Religioſus validè contrahat abſque ſuperioris facultate:obligenturque ipſe,& cum eo contrahentes ſtare contractui.

SVMMARIVM.

1 *Ex facultate ſuperioris contrahens naturaliter, & ciuiliter obligatur.*
2 *Abſque facultate contrahentem affirmant quidem nec ciuiliter,nec naturaliter obligari. Alij cenſent ſolum naturaliter obligatum eſſe.*
3 *Quadam diſtinctione conciliantur ſententiæ ſupradictæ.*
4 *Soluuntur fundamenta oppoſita.*
5 *Excipitur contractus ſtipulationis, qui validus eſt.*
6 *In contractibus temporalia reſpicientibus ſentit* Sanch. *contrahentem cum religioſo obligatum eſſe ſtare contractui, expectareque ſuperioris conſenſum.*
7 *Verius eſt oppoſitum.*

1. CErtum eſt ex facultate expreſſa, vel tacita ſuperioris validè religioſum contrahere,obligatúmque eſſe naturaliter,& ciuiliter ſtare contractui,quia in eo contractu vtpote legitima authoritate initio concurrunt requiſita ad naturalem,& ciuilem obligationem.Sic docuit Abbas,*c.ex reſcripto, n.*1.*de iureiur.*Felin.*ibi,n.*1.Tapia auth. *ingreſſi verbo ſua c.*18. *n.*17.*eod.de ſacroſanct.Eccl.*Quod adeo verum eſt, vt nec ſuperior, qui facultatem conceſſit, nec illius ſucceſſor poſſit dictum contractum irritare,& obligationem caſſare;quia eſt ius hoc acquiſitum, cuius vices prælatus non habet,& ita tradit Man.Rodriq. relatis Abbate,Balbo, Cardinali, & Decio, *t.*3. *q.regul. q.*26.*art.*1.Sanch.lib.7.ſum.*c.*31.*n.*41.

2. Difficultas ergo eſt,qualiter obligetur religioſus ex contractu inito abſque ſuperioris expreſſa, vel tacita facultate. Prima ſententia docet non ciuiliter, nec naturaliter, hoc eſt neque in foro externo, neque in conſcientiæ foro obligari, quia eius volũtas diſpoſitioni prælati ſubiicitur,*c.non dicatis,* 12.*q.*1.eáque de cauſa dici ſolet religioſum nec velle,nec nolle habere,*c.*2. *de Teſtam.in* 6. Deinde quia eius obligationi lex reſiſtit,*d.c. non dicatis,* 12. *q.*1. Ergo ex nullo c.oriri obligatio poteſt.Et ita ſuſtinent Hoſtienſ. *in ſum. de fideiuſſ. §. pro quo poſſis,verſ.& quis,*Panorm. & Fel. *c.ex reſcripto de iureiurando, n.*1. Iaſ. *leg.ſi id quod ff. de condict. indebit. n.*1. Ant. Cucus *lib.*3. *inſtit.maior.tit.*3. *n.*37. Zeballos in ſuis communib. opinion. *q.*446. & alij relati à Sanch.*lib.* 7. *c.*31.*n.*36. Secunda ſententia,quam Sanch. *n.*37. probabiliorem reputat, affirmat religioſum ſic contrahentem abſque licentia prælati naturaliter obligari, eſto non ciuiliter. Mouetur ex eo, quòd nullum diſcrimen inueniat inter vota, & promiſſiones homini factas, cum vtraque obligatio conſenſum exigat, & vt irreuocabilis ſit conſenſum ſuperioris expoſtulet. Deinde quia ſi religioſus ſic promittens, & contrahens non obligaretur naturaliter, nec eius fideiuſſor obligaretur,cum receptiſſima ſit doctorum ſententia principali non obligato ſaltem naturaliter fideiuſſorem non teneri,*l.*1.*&* 2. *ff. de fideiuſſorib.* Idemque eſſet dicendum de pignore dato pro ſecuritate obligationis. Tamdem quia nulla eſt lex, quæ magis obligationi promittentis monachi reſiſtat, quàm obligationi ſerui:at ſeruus contrahens ſine domini conſenſu obligatur naturaliter,*l.natural.& leg.ſi id quod ff.de condict. indebiti.* Ergo & monachus contrahens abſque prælati conſenſu obligatus erit:ſic docuit Abbas *conſ* 10.4.*vol.* 1.Sylu.verbo *religio, n.*8.*q.*3. Azor.*t.*1.*inſt. mor. li.*12. *q.* 5. *c.* 11. Leſſ.*lib.*2.*c.*2.*dub.*1.*n.*6.Rebellus *de iuſtit.*2.*p.lib.*1.*q.*8 *ſect.* 1.*n.* 4.Sanch.aliis relatis,lib.7.ſum.*c.*31.*n.*37.

3.Cæterum in hac re diſtinguendum cenſeo de contractibus actiones perſonales religioſi reſpicientibus,vel de contractibus reſpicientibus res temporales,& materiam paupertatis. Si ſermo ſit de contractibus actiones perſonales reſpicientibus,tenenda eſt ſecunda ſententia validos eſſe tales contractus,obligatũq;eſſe religioſum illas actiones perſonales promiſſas exhibere,dum ſuperior non contradicit,quia comparatione harum actionum nulla eſt lex quæ reſiſtat, & argumentum ex voto deſumptum in his actionibus,& obligationibus optimè procedit. At ſi loquamur de contractibus materiam paupertatis reſpicientibus,cenſeo cum prima ſententia religioſum nullam nec naturalem contrahere obligationem, ſi contractum celebret abſq;ſuperioris expreſſa, vel tacita licentia, quia eſt obligatio iniqua,& contra paupertatis votũ:hoc enim obligat, vt abſq; ſuperioris conſenſu nec dare, nec recipere religioſos poſſit,& conſequenter nec poſſit ſe obligare ad ſic dandum,vt recipiendum,vt optimè dicitur *in c.non dicatis,* 12. *q.* 1. ibi certum eſt eos nihil habere, poſſidere, dare, vel recipere ſine ſuperioris licentia debere. Quapropter Nau. *d. com.* 2. *de Regularib. numer.* 42. concilians ſupradictas oppoſitas ſententias prudenter dixit, religioſum naturaliter obligari ex contractu qui non ſit contra regulam in genere,nec in ſpecie, donec præla-

tus irritet, aut contradicat. At contractus circa temporalia abſque prælati conſenſu eſt non ſolum contra regulam, ſed contra votum, ergo nullam obligationem inducit. Secus verò eſt de contractu circa actiones perſonales, qui eſto ſit abſque voluntate ſuperioris, non inde infertur eſſe contra ipſam, nec contra regulam, ac proinde obligare poteſt, dum Prælatus non irritat.

4. Qua facta diſtinctione facilè ſoluuntur vtriuſque ſententiæ fundamenta, quatenus noſtræ doctrinæ contradicere videntur. Ad primum primæ ſententiæ reſpondeo religioſum non habere velle, vel nolle, quod ſuperiori ſubiectum non ſit, at illi ſubiectum, & ſubordinatum optimè habere poteſt. Ad ſecundum concedo, legem reſiſtere contractui ſine voluntate ſuperioris inito à religioſo circa temporalia bona, ſecus circa operationes perſonales. Ad primum ſecundæ ſententiæ concedo, inter votum, & promiſſionem homini factam circa actiones perſonales non adeſſe diſcrimen, ſecus circa bona temporalia, quorum diſpoſitio voto paupertatis prohibetur. Deinde negari poteſt inter votum, & promiſſionem homini factam non adeſſe diſcrimen, ſiquidem votum etiam ex licentia ſuperioris emiſſum irritari poteſt, ſecus promiſſio homini facta. Ad ſecundum concedo fideiuſſorem adhibitum ad ſecuritatem illius contractus non obligari ob rationem ibi factam, quia principali non obligato, acceſſorij obligatio ſubſiſtere non poteſt. Neque hoc eſt inconueniens, quia ferè ſemper fideiuſſor aſſumptus induit perſonam principalis debitoris, & de debito alieno facit proprium renunciando beneficio excuſſionis conceſſo in Auth. *præſenti*, *C. de fideiuſſorib.* vel in eadem ſcriptura ſe vt principalem debitorem obligando. Quo caſu, (eſto principalis nulla obligatione teneatur ſtare contractui) fideiuſſor obligatus manebit. Ad vltimum negamus nullam eſſe legem reſiſtentem his contractibus, ſiquidem eſt lex diuina, & naturalis ex obligatione voti orta, approbatáque in *c. non dicatis*, 12. *q.* 1.

5. Limitanda eſt noſtra concluſio, ne procedat in contractu ſtipulationis pro monaſterio factæ, qui validus eſt, dum monaſterium non contradicit, vt deciditur expreſsè, *in* §. *ſi quis alij, inſtit. de inutilib. ſtipulationib. & lex regia*, 17. *tit.* 11. *p.* 5. & tradunt poſt alios Nau. *com.* 2. *de Regul. n.* 31. Tapia Auth. *ingreſſi*, verbo *ſua*, *c.* 7. *n.* 5. *C. de ſacroſanct. Eccleſiis*, Sanch. *lib.* 7. *ſum. capitul.* 31. *n.* 32. Et ratio huius concluſionis eſt manifeſta; quia hæc ſtipulario in fauorem monaſterij cedit in cuius vtilitatem præſumitur fieri donationem. An autem hic religioſus carens licentia ſtipulandi peccet, ſi pro monaſterio ſtipuletur? Reſpondet Sanch. *d. c.* 31. *n.* 34. eſſe peccatum, ſed non mortale, ſi acceptet animo non ſibi quærendi, aut retinendi, ſed monaſterio, quia nec donanti, nec monaſterio damnum infert, ſed in eius vtilitatem cedit. At ego credo nullum peccatum eſſe, tum quia ad hanc ſtipulationem faciendam tacitè à iure ob monaſterij fauorem conceſſa eſt cuilibet religioſo facultas in *d.* §. *ſi quis alij inſt. de inutilibus ſtipul.* Et præterea quia peccatum eſſe non poteſt, niſi quia voto paupertatis aduerſetur: at hæc ſtipulatio, vt ipſemet Sanch. indicat, contra paupertatem non eſt, cum media illa acceptatione non ſibi, ſed monaſterio rem donatam quærat. Quod ſi alteri à monaſterio religioſus ſtipuletur, nulla eſt ſtipulatio, quia nullibi eſt conceſſa religioſo facultas alteri ſtipulandi abſque eius mandato. At ſi mandatum dedit (inquit Sanch. *d. c.* 31. *n.* 32.) actio non acquiritur mandati, ſed monaſterio cui omnes religioſi actiones ſubduntur; tenebitur tamen monaſterium hanc actionem mandanti cedere, argumento ſerui fructuarij, cuius ſtipulatio pro alio facta domino cedit tenetur tamen dominus cedere actionem mandanti.

6. Sed extra hunc contractum ſtipulationis, dubium eſt; an contrahens circa temporalia cum religioſo nullam à ſuo prælato licentiam habente teneatur ſtare contractui expectaréque conſenſum, vel diſſenſum monaſterij, vt reſilire poſſit. Affirmat Sanch. pluribus relatis, *lib.* 7. *c.* 31. *n.* 28, ſed ferè omnes de contractu ſtipulationis pro monaſterio factæ loquuntur. Mouetur; quia religioſo concedendum eſt, vt gaudeat priuilegio minoris, & pupilli, qui ſi contrahant abſque authoritate tutoris, vel curatoris contractus ex parte ſua claudicat, quia ei ſtare non tenentur, at cum illo contrahens obligati ſunt vt, vt deciditur, *inſt. de auth. tutorum, in fine princ. & leg.* Iulian. § *ſi quis à pupillo ff. de actionib. empti.* Item contrahentem cum Eccleſia abſque debita ſolemnitate communiter Doctores ſentiunt obligatum eſſe ſtare contractui, nec poſſe reſilire, quouſq; Eccleſia diſſentiat, agere tamen poſſe, ne ſit in ſuſpenſo, vt conſenſum, vel diſſenſum explicet, ſicuti pluribus relatis docet Sarmiento *de reditibus Eccleſ. p.* 1. *c.* 2. *n.* 19. At in præſenti contrahens cum religioſo cenſetur cum Eccleſia contrahere. Ergo tenetur ſtare contractui, tametſi religioſus ob defectum ſolemnitatis in illo contractu requiſitæ ſtare non teneatur. Ex qua doctrina optimè infert Sanch. *d. c.* 31. *n.* 29. religioſum ſic contrahentem cum eo, qui neſcius eſſet ſe monaſterio approbanti contractum manere obligatum peccare mortaliter, cum tamen nec religioſus, nec monaſterium obligationem vllam ſubeat, quia eſt grauis deceptio.

7. Cæterum verius cenſeo ſic contrahentem nullam obligationem habere ſtandi contractui, ſed poſſe pro libito reſilire. Moueor; quia regula generalis eſt in contractibus æqualitatem inter contrahentes ſeruandam eſſe à qua regula non inuenitur exceptus contractus cum religioſo factus ſine prælati licentia, imo neque videtur conueniens hæc exceptio, ne violationi paupertatis, & deceptioni contrahentium faueat. Neque argumentum deſumptum ex pupillo, & minore, & ex Eccleſia vrget, quia in priuilegiis præcipuè à iure exorbitantibus non eſt facienda extenſio de vno caſu ad alium, etiamſi militet eadem ratio conceſſionis, vt latè probaui, Tract. *de legib. diſp.* 4. *punct.* 13. *n.* 4. Quinimo in præſenti diuerſa ratio eſt, nam contractibus pupilli, & minoris conceditur illud priuilegium in odium contrahentium, qui præſumuntur intendiſſe pupillos, & minores decipere, vtpote aptos decipi ob ætatis defectum. At hæc conſideratio in contractibus cum religioſo locum habere non poteſt, cum potius debeat præſumi religioſum voluiſſe ſecum contrahentes decipere, quam è contra. Item Eccleſiæ contractibus conceditur priuilegium, quia ex parte ſua culpa eſſe non poteſt, ſecus eſt in religioſo, qui nomine ſuo contrahit, & non nomine conuentus: neque ſic contractus debet dici contractus Eccleſiæ, licet ſit à perſona Eccleſiaſtica, neque illius priuilegio gaudere; aliàs quoties beneficiatus in ſuis contractibus ſingularibus vellet decipere contrahentes, gauderet priuilegio contractibus Eccleſiæ conceſſo, quod falſiſſimum eſt. Rationi ergo, & veritati ſatis conſonum eſt aſſerere hos contractus ex nulla parte obligationem aliquam inducere, ſed eſſe prorſus irritos, & nullos; & ita docet Leſſ. *lib.* 2. *de iuſt. c.* 41. *d.* 12. *n.* 90.

PVNCTVM XVI.

An monaſterium ex delicto religioſi, & eius contractibus obligetur.

SVMMARIVM.

1 *Ex delicto religioſi etiam prælati non obligatur monaſterium.*
2 *Ex contractibus ante profeſſionem obligatur monaſterium pro viribus hæreditatis tantum.*
3 *Ex bonis occaſione monachi profeſſi monaſterio prouenientibus, communis eſt ſententia obligari monaſterium ſatisfacere, ſed non caret difficultate,*
4 *Ex contractibus poſt profeſſionẽ nulla eſt obligatio monaſterio.*
5 *Qualiter ex contractu religioſi extra clauſtra commorantis obligetur monaſterium.*
6 *Qualiter ex contractu prælati.*
7 *An religioſus teneatur ſoluere mutuum malè conſumptum, & ex quibus bonis.*

1. CErtum eſt ex delicto religioſi etiã prælati monaſteriũ nullam contrahere ſatisfaciendi obligationẽ, niſi quatenus ex illo delicto aliquod commodum perceperit, deciditur expreſsè, *c. ſi Epiſc.* 16. *q.* 6. *& reg. delictum*, 76. *de Reg. Iuris, in* 6. & tradit Gloſſ. *vlt. leg. ſi quis in tantam, C. vnde. vi.* Nau. *com.* 2. *de Regul. n.* 62. Leſſius, *lib.* 2. *c.* 42. *dub.* 11. *n.* 90. Molin. *t.* 1. *de iuſtit. diſp.* 140. *circa finem*, verſ. *monaſterium*, Sanch. *lib.* 7. *c.* 31. *n.* 11. Neque obſtat dominum teneri de delicto ſerui, tametſi eo ignorante commiſerit, §. *inſtit. de Moralib. actionib. & leg. quod ſi minor.* §. *ſeruus de Minorib.* quia ſeruus vtpote pretio æſtimabilis tradi poteſt pro noxa, ſecus religioſus qui liber homo eſt, & ſacer pro nulla noxa commutari poteſt, iuxta *leg. liber. homo ff. Ad leg. Aquiliam, & leg. inter ſtipulantem*, §. *ſacramenta. ff. de Verbor. obligation.* Notanter dixi, niſi ex illo delicto aliquod commodum monaſterium perceperit, vt ſi ex religioſi furto ditius monaſterium eſſet, quia tunc monaſterium ratione rei acceptæ ſatisfacere tenetur. Religioſum verò, ſi peculium habeat non eſt dubium, ex illo obligatum eſſe ſatisfacere, illoque non ſatisfaciente obligari poſſe monaſterium, vt ex illo peculio ſatisfactionem exhibeat, ſicuti obligatur pater de dolo filij, quatenus eſt in eius peculio. Nau. *d. com.* 2. *de Regul. n.* 62.

2. At ſi loquamur de contractibus à religioſo initis diſtinctio facienda eſt de contractibus ante profeſſionẽ. vel poſt profeſſionẽ celebratis. Itẽ de contractibus ex expreſſa, vel tacita prælati licẽtia, vel ſine illa. Si ſermo ſit de contractibus ante profeſſionẽ, monaſterium eã ſolam obligationẽ habet ſatisfaciendi, quatenus bona religioſi accepit, quia cum illo onere in monaſterium tranſlata ſunt, eaque de cauſa hæc obligatio bona excedere non debet, ſic aliis relatis docuit Sanch. *li.* 7. *c.* 31. *n.* 3.

3. Difficultas autem eſt, an ſi ex ſupradictis bonis non fiat integra debitorum ſolutio, teneatur monaſterium ex hæreditate, donatione, vel legato occaſione monachi ſibi poſtmodũ proueniente ſatisfacere, vel ex his, quæ ſuo labore, & induſtria monachus acquirit. Affirmant. Felin. *c. cum l. & A. de Sententia, & re iudicata Bertrand. conſ.* 22. *n.* 5. *vol.* 7. Monal. *conſ.* 30. *n.* 8. *& 8. vol.* 2. Azor. *t.* 1. *inſt. moral. lib.* 12. *c.* 10. *q.* 8. & indicat

Tapia

Tapia auth. *ingressi, C. de sacrosanct. Eccl. c. 18. n. 5.* Molin. *t. 1. de iust. disp. 140. vers. eo ipso,* Sanch. eos referens *lib. 7. c. 31. n. 4.* Mouentur; quia per professionē iuri creditorum derogatum non est. At ante professionem obligatus erat religiosus ex illis bonis creditoribus satisfacere. Ergo eandem obligationem subire debet monasterium ea bona accipiens. Cæterum hæc sententia difficultate non caret: pluribus namque doctoribus firmatum relinquimus *disp. 1. pun. 7. §. 4.* debitorem, cui non subest spes breui tempore satisfaciendi creditoribus posse religionem ingredi cedendo bonis; eáque cessione facta, & religionis ingressu debita omnia extinguere, neque prælatum obligatum esse facultatem concedere, vt manibus laboret in creditorum satisfactionem; neque ea facultate concessa ipse religiosus laborare tenetur. Ergo monasterium ex bonis occasione religionis post professionem acquisitis satisfacere creditoribus non tenetur. Tum quia debita sunt extincta. Tum quia illa bona religioso non acquiruntur, vt exinde onus creditoribus satisfaciendi accipiant, & sub eo onere in monasterium transferantur, sed immediatè acquiruntur monasterio, quod non ex persona religiosi, sed ex bonis ab illo acceptis, & sub eo onere obligationem satisfaciendi creditoribus habet. Hæc disputationis gratia dicta sint, aliis definienda committimus.

4. Quod si sermo sit de contractibus post professionē initis; regula est ab omnibus recepta, monasteriū nullam obligationem habere, si absque eius expresso, vel tacito consensu celebrati sunt, nisi forte ex illis ditius factum fuerit; quia tunc ratione rei acceptæ obligationem habet. At si ex eius legitimo consensu expresso, vel tacito sint celebrati contractus non est dubiū, monasterium obligatū esse, quia eius nomine facti sunt.

5. Hinc deducitur religiosum extra monasterium ex legitima licentia commorantem, ibique mutuum accipientem ad sibi necessaria suppeditanda iuxta vsum, & consuetudinē suæ religionis obligari monasterium eo mutuo; quia ex eius tacito consensu acceptū est; concedens enim religioso licentiā viuēdi extra monasterium, concedit ea sine quibus commodè vitam transigere non potest. Et ita docent post alios antiquiores Nauarr. *comment. 2. de Regul.* Surd. de alimentis *priu. 97. n. 2. 5. & 6.* Azor. *t. 1. inst. moral. li. 12. c. 11. q. 11.* Zaullos in suis communibus opinionibus *q. 446. n. 15.* Sanch. alios plures referens, *lib. 7. sum. c. 31. n. 15. & 16.* optimè addit posse libros, aliaque supellectilia pro securitate mutui obligare, si id necessarium sit; quia nomine conuent. hæc omnia fiunt. Notanter dixi, si mutuum accipiat ad sibi necessaria suppeditanda iuxta vsum, & consuetudinem suæ relig. si enim ad sumptus excedentes hunc terminum acciperet, conuentus non obligaretur; quia nec censetur, nec potest consentire. Sanch. *d. c. 31. n. 17.*

6. Quod dictum est de religioso priuato dicendū est de prælato bona conuentus administrante; posse inquam pro vtilitate conuentus mutuū accipere, & ad illius securitatē bona conuentus consensu. Cui obligationi non obstat, esto postea mutata voluntate in varios vsus mutuum expendat, quia hæc praua distributio non tollit, quin mutuū nomine conuentus acceptū sit; ac proinde conuentus obligetur. At si tēpore quo mutuum accipit, eo fine accipiat, vt in vsus conuentui minimè conuenientes distribuat, vt persona particularis procedit, neque cōuentus obligatur, tametsi voluntate mutata in vtilitatem conuentus mutuum expendat. Sic Tapia Auth. *ingressi, C. de Sacrosanct.* Eccles. verbo *sua c 18. n 5.* Sanch. *lib. 7. c. 31. n 13.*

7. Sed inquires, qualiter religiosus teneatur soluere mutuum malè consumptum,? At qui eum excusant solutione; eo quod filiofamilias comparetur, qui vanè mutuum expendēs non tenetur soluere, *§. pen. instit. Quod cum eo qui in aliena potest, & leg. 1. & seqq. C. ad Macedonianum.* Sed est excusatio absque vllo fundamento: nam esto religiosus filiofamilias comparetur; ex eo quod vterque habet debitam subiectionem, & subordinationem; non inde infertur omnia priuilegia filiofamilias concessa religiosis concessa esse, præcipuè cum adest diuersa ratio: nam filiofamilias conceditur, ne mutuum acceptum, & malè expensum soluat, ne mortem patris, cui successurus est, capter, causa illud soluēdi, quę ratio cessat in religioso, qui nec prælato, nec conuentui succedere potest. Dicendum ergo est religiosum obligatum esse soluere mutuum acceptum, & malè expensum vel ratione contract. si validus fuit, vel ratione iniustæ acceptionis, si nullus extitit. Sic Zeball. *com. opin. q 446. n. 19.* Sanch. *lib. 7. sum. c. 31. n. 22. fine.* Bona autem, ex quibus hæc solutio facienda est, sunt ea, quorum religiosus liberam à prælato dispositionem habet, vt de se constat.

PVNCTVM XVII.

An ex vna religione ad aliam transiens possit deferre bona priori religioni acquisita?

SErmo est de transitu licito, & valido, quo obligatio ad priorem religionem extinguitur. Deinde de bonis, quæ tempore prioris ingressus tecum relig. detulisti, & de bonis post illum ingressum religioni, occasione tui acquisitis.

§. I.

Bona acquisita durante professione prioris religionis tecum deferre non potes.

SVMMARIVM.

1 *Acquisita durante prioris religionis professione nullatenus deferre potes.*
2 *Proponitur obiectio, & eius occasione explicatur, an libros an scripta, an instrumenta artis tecum deferre possis.*
3 *Hæreditas, & legatum plenè priori religioni acquisita tecum non potes deferre.*
4 *Sed quid si delata tibi fuit hæreditas tempore prioris religionis, & non adisti. Secundam religionem adire posse plures probabiliter censent.*
5 *Sed oppositum verius est.*
6 *Quod efficacius procedit in maioratibus Hispaniæ.*
7 *Si deferatur tibi existenti in religione minorum hæreditas, non potes eam adire translatus ad religionem capacem succedendi.*
8 *Idem est, si eo tempore instituaris hæres, tametsi tempore mortis testatoris capax sis successionis.*
9 *Si tibi in sæculo commoranti deferatur hæreditas, & transeas ad religionem incapacem. si ante additionem factus sis Episcopus, affirmat Sanch. & alij te posse hæreditatem adire.*
10 *Verius est oppositum.*
11 *Non est idem dicendum in substitutione.*
12 *Si professus religionem incapacem instituaris absolutè, nulla est institutio: si sub conditione, spectandum est tempus impletæ conditionis.*
13 *Contrarium procedit in donationibus, & promissionibus sub conditione casuali, & non potestatiua.*

1. COmmunis est sententia te nullo modo posse deferre bona, quæ in priori religione quouis titulo acquisisti, nempe tua industria, labore, donatione, successione, aut legato, siue transeas ad laxiorem religionem, siue ad strictiorem; sic ex communi sententia tradit Nauarr. *Com. 4. de Reg. n 24. vers. 11. & cons 55. de Reg. in 2. edit.* Cou. *c. 1. à n. 20. de test.* Surdus *de aliment. c. 9. q. 27. n. 8.* Mol. *t. 1. disp. 140. circa fin. vers. quando religiosus.* Suar. *t. 4. de rel. tr. 8. lib. 3. c. 13. n. 2.* Ratio est, quia omnia illa bona sunt priori religioni absolutè quæsita iure sic disponente; at nullum est ius disponens bona priori religioni quæsita in nouiter assumptam transferri. Ergo asserendum non est, & confirmari potest exemplo serui, cui religiosus comparatur; qui ex vnius dominio in alium transiens, non obinde transfert acquisita durante priori seruitute; quia dominio absolutè, & absque vlla conditione quæsita sunt.

2. Dices inde inferri te non posse deferre vestes, nec libros, aut instrumenta artis, quibus vteris; imo neque tua scripta; quia omnia hæc sunt prætio æstimabilia, & religioni priori absolutè quæsita.

Concedenda est sequela per se; at ex tacito consensu prioris religionis, & consuetudine recepta temperatur. Et quidem vestes duplicatas ferre non est tibi permissum, simplices vero permittuntur, ne nudus, vel indecenter incedas. Neque secunda religio obligatur facta professione hæc vestimenta restituere priori (esto ad id à priori religione per se obligari posset) ne noram auaritiæ contrahat. Suar. *d. t. 4. de rel. tr. 8. li. 3. c. 13. nu. 8.* Sanch. *lib. 7. dec. c. 32. n. 13.* de libris est res indubitata secum ferre non posse; quamuis à tuis cognatis acceperis, licentiam, & facultatem illis vtendi habueris, quia hæc licentia reuocari potest, & de facto reuocata censetur cum ad aliam religionem transis. Non enim est præsumendum concedi pro vsu extra religionem. Et idem est de quolibet alio peculio, sic Suar. *d. c. 13. n. 9.* Sanch. loquens generaliter de omni peculio, *c. 32. n. 14.* De tuis scriptis est aliqualis difficultas eo quod hæc omnino necessaria sint ad scientiam, & doctrinam in religione comparatam conseruandam; cum ergo tecum scientiam deferre possis, poteris & hæc scripta vtpote illi accessoria. Propter hoc argumentum non audet Suar. *d. c. 13. n. 10. in fin.* condemnare, eum qui ea scripta vnica, & singularia deferret, præcipuè si eo animo deferat, vt cum primum absque graui incommodo potuerit priori religioni restituere, præstet. Nihilominus communis sententia, vt ipsemet Suar. testatur æquè obligat hæc scripta priori religioni relinquere ac alia bona, ita vt tecum deferre non possis nisi sint priori religioni inutilia, vel ex tacito prælati consensu, Nau. *cons. 35. de reg. 2. edit. n. 10.* Man. Rodr. *t. 2. q. reg. q. 79. art. 2. in fin.* Aliquis extenderet hanc doctrinam ad instrumenta artis, quæ etiam videntur esse pars scientiæ cum fine illis exerceri ars non possit. Sed immerito, tum quia non excitant scientiā, sicut scripta, sed solum vsui illius deseruiunt. Tum quia facilius alia similia inueniuntur. Quod si aliqua instrumenta essent ita exquisita, quæ absque magno labore, & difficultate inuenire non possis, credit, Suar. *d. c. 13. in fin.* debe-

re tibi prælatum prioris religionis interim murare, vel vendere, si adest qui pretium concedat.

3. Maior difficultas est de hæreditate, & legato acquisitis, dū in priori religione commorabaris, an tecum deferas religioni assumptæ? Si legatum absolutum sit illiusque capax existis tēpore mortis testatoris, nemini esse potest dubiū, tecum deferre non posse, quia priori religioni est plenè acquisitum absque dependentia ab accidentali mutatione, Sic Sanch. l. 7. sum. c. 32. n. 14. & 25. Suar. t. 4. de rel. t. 8. l. 3. c. 14. n. 8. Neq; obstat tibi ad vsum esse concessū quia subintelligitur, dū in ea religione perseueras, secus ad aliā translatus. At si legatū sub ea cōditione factū sit, dū à religione, cui est proprietas acquisita tibi vsū illius concesserit, secus amittatur, religione priori tibi vsum non concedente deperditur legatū, religioni tamen assumptæ non acquiretur, nisi id expressum fuerit, sed deueniet ad hæredes testatoris. Idem quod dictum est de legato dicendum est de hæreditate, si plenè priori religioni acquisita est.

4. Dubium tamen non leue est, an priori religione non adeūte hæreditatē tibi delatam, possit secunda religio, cui est trāslatus, adire. Ponimus vtramq; religionē successionis capacem esse. Quod posito plures, & satis probabiliter affirmāt secundā religionē posse, & debere hæreditatem exclusa priori, quia ad acquirendā hæreditatem non tā inspicitur tēpus, quo tibi delata est, quā tempus, quo eam adire potes, §. *in extraneo, inst. de Hared. qual. & different.* ibi ius hæredis eo maximè tēpore inspiciendū est, quo acquirit hæreditatē. Quod exemplo serui, cui delata est hæreditas, & ante aditionē dominum mutauit, illustrari potest, acquisitio enim huius hæreditatis non priori domino, sed secundo cōpetit, soluso; secundus adire eā potest, vt deciditur expresse, *l si seruus eius ff de acquirenda hared. & l. 2. §. 1. duo sint hæredes, ff. de bonor. possess. 2. tab.* Et ratio est, quia ius adeundi hæreditatē domino competit ex persona serui, & monasterio ex persona religiosi. Ergo sicut translato seruo in aliū dominum, transfertur in illum ius adeundi hæreditatem seruo delatam, neque aditam sic transferendum est in posteriorem religionem translatione religiosi in eam facta, sibique imputare debet prior religio, sicut & prior dominus, quod hæreditatem non adierit. Huius sententiæ sunt Bart. *l. 2. § si seruus, ff. de donor. possess. 2. tab.* Bald. *leg. si quis mihi ff. de acquirenda har.* & alij plures relati à Sanch. *lib. 7. sum. c. 31. n. 17.*

5. Sed contrarium vt verius, & probabilius tenēdum est cum Sanch. *n. 18.* Cou. *c. 1. n. 21. de Testam.* Less. *li. 2. c. 41. dub. 11. n. 88.* Mol. lib. 2. de Hisp. primog. *c. 13. n. 36.* & aliis apud ipsos. Fundamentum est, quia eo ipso, quo monasterio delata est hæreditas ob personam religiosi, quam secum habet, competit illi ius eam adeundi, sed hoc ius religiosus mutare non potest neque variare, quia non ab eius voluntate pendet, sed ex lege. Nulla autem est lex indicans translatione religiosi in aliam religionem hoc ius priori amitti, & secundæ acquiri. Ergo. Neque obstant contraria. Concedo ad perfectam, & completā hæreditatis acquisitionem tam tempus delationis, quam aditionis spectari, nego tamen ex iure competente religioni ob delatam sibi hæreditatem eam adire non posse quia ex persoa religiosi sibi incorporata tempore delationis eam adit. Neque est simile de seruo mutante dominum, quia domino non competit ius adeundi hæreditatē, eo præcisè quod seruo delata est, sed insuper requiritur, vt seruus consentiat aditioni, at religioni independēter à voluntate relig. illóq; inuito competit ius adeūdi. Ergo quamuis religiosus in aliam religionem transferatur non obinde ius adeundi priori religioni quæsitum amittitur.

6. Quæ doctrina, vt benè aduertit Sanch. statim referendus efficacius procedit in maioratibus Hispaniæ, in quorum successione solum spectatur tempus mortis vltimi possessoris, eo enim defuncto transit maioratus ad sequentem vocatum ex dispositione primi instituentis absque illa aditione ipsius vocati, vt benè probat Mol. *lib. 3. de primog. c. 2. n. 17. & 19.* Mieres de maior. *1. p. q. 2. n. 12.* Quapropter, si cum eras in priori religione succedendi capaci, mortuus fuit vltimus possessor, ob cuius obitum tu vocaris, succedet illa religio; tametsi ante aditionem ad aliam transeas: sic Sanch. *lib. 7. sum. c. 32. n. 23.*

7. Ex his deducitur si tibi commoranti in religione incapaci succedendi deferatur hæreditas, transeásque ad religionem capacem succedendi, vel ad Episcopatum, non obinde posse hæreditatem adire, sed eius aditionem tuis hæredibus ab intestato competere, quia nec prior religio ob incapacitatem adire potest, nec secunda ob ius tuis hæredibus acquisitum Sanch. aliis relatis *lib. 7. c. 31. n. 22.*

8. Secundò deducitur, si existens in ea religione incapaci succedendi instituaris hæres, tametsi tempore, quo mortuus est institutor, translatus sis ad religionem succedendi capacem, non obinde te, aut tuo nomine religionem succedere. Quia institutio, ex qua successio prouenire debebat, fuit nulla, vtpote facta de persona incapaci. Temperatur tamen hæc doctrina in hoc Castellæ regno, vt non procedat casu, quo tu sis filius instituentis *leg. 22. tit. 3. p. 6.* Quia ob ius succedendi necessarium tibi competens tempore mortis instituentis, instituto libera, nulla, & irrita conualescit, Sic Greg. Lop. *d. l. 22.* verbo *herencia.* Spino *specul testam. gloss. 12. pr. n. 38.* Man. Rodr. *tit. 2. q. reg. q. 79. art. 1.* Sanch. lib. 7. sum. *c. 32. n. 28. & 29.*

9. Sed quid dicendum est, si tibi in sæculo commoranti deferatur hæreditas, & ante illius aditionem in religione Minorum profitearis, qua professione durante tui hæredes hæreditatem non adierunt, poteritne illam adire, translatus ad Episcoparum, vel monasterium capax successionis? Affirmat Sanc. *lib. 7. sum. c. 32. n. 27. cum Federico Senen. cons. 26. n. 2. & 3.* Menchaca. *in quæstionib. vsu frequentib. lib. 1. c. 1. n. 25.* Greg. Lop. *d. l. 22. verb. temporales.* Aluarad. *de coniectata mente testatoris, lib. 2. c. 3. n. 10.* Man. Rodr. *q. regul. tit. 2. q. 79. art. 1.* Mouentur ij Doctores, quia tria tempora inspici debent, vt hæreditatem etiam extranei acquiras, nempe tempus confecti testamenti, mortis testatoris, & aditionis hæreditatis, *l si alienum §. in extraneis, ff. de hæredib. instit. & §. in extraneis, instit. de hæredum qualit. & differentia.* At omnibus iis temporibus capax extitisti, ergo potes illam acquirere. Neque obstat, quod medio tempore inhabilis fueris; quia eo tempore neque hæres institutus fuisti, neque tibi delata fuit hæreditas, neque illam adisti: non igitur ex illa inhabilitate contrahere potuisti impedimentum adeundi tempore habili. Neque item obstat, quod professione in religione incapaci succedendi, visus fueris tacitè renunciare hæreditatem, quia solus es censendus renunciare sub conditione, quod non fueris capax ante aditionem tuorum hæredum.

10. Cæterum verius censeo, te non posse hæreditatem adire, sed hæredibus ab intestato aditionem competere: sic docuit Faber. §. *in extraneis n. fin. instit. de hæredum qualit. & differentia.* Moueor, quia professione facta in religione incapaci amisisti ius quod habebas adeundi hæreditatem, translatumque fuit ad tuos hæredes absolutè, & absque aliqua conditione, sicuti omnes aliæ actiones, & iura transferuntur, ex nullo enim textu constat translationem conditionalem esse præcipuè cum status religiosus vt perpetuus assumatur. Ergo ex capacitate superueniente illud ius amissum, & in hæredes translatum acquirere non potes. Et confirmo. Eodē modo transfers inhæredes ius quod habes adeundi hæreditatē, quo transferres in monasterium, si capax esset successionis, at eo sic translato, tametsi monasterium illud relinquas ante aditam hæreditatem, & in aliud transeas, non obinde prius monasterium amittit ius adeundi. Ergo neque hæredes amittent ex superueniente tua capacitate. Neque rationes contrariæ obstant. Concedo ad acquisitionem hæreditatis inspici debere illa tua tempora, si omnibus illis temporibus perseuerat ius adeundi, at in præsenti non perseuerat, eo quod amiseris ingrediens religionem incapacem, ac proinde esto habilis factus sis spectato statu religionis assumptæ ad hæreditatis aditionem inhabilis tamen es ob ius delationis amissum, & in hæredes translatum, quia sine hoc iure adire hæreditatem non potest.

11. Ex hac doctrina inferet fortè aliquis te factum Episcopum non posse capere hæreditatem, ad quam substitutus fuisti, si facta substitutione religionem Minorum ingressus fuisti, quia per huiusmodi ingressum videtur substitutionem euanuisse, & hæreditatem hæredibus ab intestato competere. Cæterum dicendum est te posse hæreditatem acquirere, si eo tēpore, quo factus es Episcopus, vel ingressus es religionem capacem succedendi, mors hæredis contingat, quia ante illius mortem nec tibi defertur hæreditas, nec ius aliquod ad illam acquiris. Cum autem hæres moritur, hæreditatis capax es, ergo illam adire pores. Secus esset, si tempore quo inhabilis eras ad hæreditatem mors hæredis contigisset. Ex quo fit in omni substitutione non esse inspiciendam capacitatem substituti tempore testamenti, nec mortis testatoris, si quidem sæpè substituuntur, qui nondum nati sunt, sed inspiciendum esse tempus mortis illius, in cuius defectum tu substitutus es, quia eo tempore tibi defertur hæreditas, & ius illam adeundi acquiris. Sic Sanch. *lib. 7. sum. c. 32. n. 34. & 36.*

12. Sed quid dicendum non de substitutione, sed de institutione facta eo tempore quo profitebaris religionem succedendi incapacem, valetne institutio, si tempore mortis testatoris religionem capacem succedendi ingressus sis, vel fias Episcopus. Respondeo, si institutio pura fuit, & absoluta euanescit inhabilitate instituti eo tempore contingente, quia tunc ius ad hæreditatem conceditur instituto. At si institutio conditionalis sit, spectandum est tempus impletæ conditionis, quia ab ea pendet ius instituti. Vnde si eo tempore habilis es, tametsi antea inhabilis steteris, hæreditatem acquiris. Habetur expresse, *leg. si cum hares, 4. ff. Quando dies legati cedit:* & tradunt Tiraq. *de retract. lignagier, §. 1. gloss. 9. n. 84. 91. & 97.* Mieres de maiorat. *1. p. q. 2. n. 11.* Barbosa *leg. si constante § fin. n. 4. ff. Soluto matrimon.* Sanch. *l. 7. c. 32. n. 41.* & alij plures apud ipsos.

13. Contrarium procedit in donationibus, & promissionibus sub conditione casuali, quia in his non spectatur tempus impletæ conditionis ad iuris acquisitionem sed ab eo tempore, quo est donatio, vel promissio, ius donatatio, & promissario est acquisitum iuxta regulam *quæ legata, 18. ff. de Reg. iuris, & leg. si filiusfamilias ff. de verbor. obligationib.*

Vnde

Vnde si cum eras frater Minor tibi aliquid promissum, aut donatum est sub conditione casuali, hoc est à te independenti, tametsi tempore impletæ conditionis Episcopus sis, vel religionem capacem succedendi fueris ingressus, donatum acquirere non potes, quia ea conditio, & donatio ob incapacitatem eo tempore contingentem nulla fuit: sic Cou. *cap.1. n.20. de Testamentis*, Azor. *tit.1. inst. moral. lib.12. c.15. fine* Sanch. lib.7. sum. *c.32. n.42.* Notanter dixi sub conditione casuali, nam si promissio, vel donatio sub conditione à tua voluntate pendente fiat, tempus impletæ conditionis spectatur, sicut in institutione, & legato, *leg. potior. ff. Qui potiores in pignore habeantur, & leg. qui balneum, eodem, tit.* quia cum illa conditio, sub qua promissio facta est, à tua voluntate pendeat, non censeris acceptare promissum, & donatum, dum eam conditionem non exequeris, secus est quando conditio non à tua voluntate pendet. Ratio autem, quare in institutione, & legato inspicitur tempus impletæ conditionis, non vero in contractibus conditionalibus, ea est, quia institutio, & legatum mutari potest pro libito instituentis, & legantis, ac proinde instituto, & legatario ius firmum non acquiratur, quovsque morte instituentis, & legantis confirmetur, & hæreditas & legatum instituto, & legatario deferatur, at donans, & promittens, tametsi sub conditione donet, & promittat, nec reuocare pro libito donationem potest, neque spectandus est euentus promissionis, vt ius promissario, & donatario acquiratur, sed à puncto donationis, & promissionis acceptatæ acquiritur.

§. II.

An bona, quæ tecum religioni detulisti, possis deferre religioni posteriori assumptæ.

SVMMARIVM.

1 *Distinguitur duplex modus, quo bona religioni deferri possunt.*
2 *Bona delata religioni in consequentiam, alij affirmant te posse deferre, alij sub quadam limitatione.*
3 *Tenendum est deferri non posse.*
4 *Fit satis fundamentis vtriusque sententiæ oppositis.*
5 *Bona ex donatione priori religioni acquisita plures censent secundæ transferri.*
6 *Sub distinctione respondetur.*
7 *Fit satis fundamentis n.5. adductis.*

1. DVpliciter hæc bona priori religioni potuisti deferre, vel ex dispositione iuris, quo statutum est omnia bona religiosi simul cum persona in monasterium transferri, vel ex donatione, aut testamento condito. De vtroque modo translationis est specialis difficultas, an possis ea sic priori religioni tradita in posteriorem assumptam transferre.

2. De primo modo translationis, qui est in consequentiam personæ, est triplex sententia probabilis. Prima concedit omnia transferri: sic Glossa, *c. quod à te in fine. De cleric. coniugat.* & ibi Card. *n. vnic. oppos it.4.* Nata *cons.180. n.8.* Menoch. *lib.2. de arbitr. cent.5. c.436. à n.13.* & alij relati à Sanch. lib.7. sum. *c.32. n.4.* Mouentur primo, quia sic translata in consequentiam personæ, cum translatione personæ debent transferri, vtpotè accessoria. Secundò: transferuntur priori religioni, vt ex illis religioso alimenta concedantur: at religio, ex qua religiosus est translatus non tenetur post translationem alimenta subministrare, sed eam obligationem suscepit religio in quam denuò transfertur. Ergo huic religioni debent bona concedi, & à priori auferri. Tertiò, quia spes succedendi parentibus priori monasterio quæsita transit cum religioso ad posterius monasterium, vel ad Episcopatum assumptum, vt expressè deciditur *c. statum. 18. q.1.* ibi, monachus factus Episcopus velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea iure vendicandi potestatem habeat. Ergo idem est dicendum de aliis iuribus, & actionibus. Quartò, si horum bonorum translatio denegatur, impedimentum apponitur religioso, ne strictiorem religionem assumat, à qua alimenta postulat nullo subsidio concesso. Ne igitur hæc via professionis impediatur, bona in priorem religionem translata, transferenda sunt in posteriorem.

Secunda sententia præcedentem limitat asserens sic prædicta bona quoad vsumfructum transferri tantum, non quoad proprietatem, quia ea translatione facta cessant inconuenientia nuper proposita; siquidem posteriori religioni alimenta subministrantur. Sic Host. in sum. tit. de clericis coniugatis circa finem, vers. *si cum licentia.* Mendos. in praxi signatur. *gratia, §. translat. circa finem*, vers. *sed quæro.* Man. *q. reg. tit.3. q.2. art.27.* & alij relati à Sanch. *d.c.32. n.7.* Sublimitant aliqui, vt intelligatur, quando secundum monasterium est mors, sic Men. *cons.* 193. *n.22. vol.2.* Alij ne totus vsusfructus bonorum concedatur, sed ea pars, quæ alimentis religiosi sufficiens fuerit, quia ea solum concessa monasterium non grauabitur religioso.

3. Tertia sententia, quæ omnino sustinenda est, affirmat nulla bona, quæ tecum priori religioni detulisti in sequentem transferri; sic post alios antiquiores docuerunt Nau. *tom.4. de Regul. n.24.* vers. 11. Mol. *tit.1. de iust. disp.140.* vers. *quando religiosus.* Azor. *t.1. instit. moral. lib.12. c.15. q.3. & c.16. q.8.* Sanc. *l.7. sum. c.32. n.8.* Suar. *t.4. de relig. tr.8. lib.3. c.14. n.5.* & alij plures apud ipsos. Et videtur decidi in Auth. *de Monach. §. si vero*, ibi, si vero relinquens monasterium in quo conuersationem habuerit, ad aliud transeat, etiam si quidem eius substantia maneat, &c. vindicetur à priori monasterio, vbi abrenuncians hanc reliquit. Ratio autem ea est; quia esto illa bona in consequentiam personæ monasterio translata sint; at sunt absolutè translata absque vlla dependentia, seu conditione, quod in illo monasterio religiosus perseuerauerit. Quis enim talem dependentiam, aut conditionem apposuit, cum in iure nullum fundamentum habeat? Neque enim ex eo, quod ius permittat religioso transitum ab strictiorem religionē, inferri potest concedere translationem bonorum, quæ sunt priori religioni quæsita, cum prior religio parata sit religiosum tenere, illumque alere. Adde illa bona in religionem transferri per modum cuiusdam liberalis eleemosynæ absque vllo onere, & obligatione alimentorum religioni impositis. Non enim religio ob bona accepta obligatur religiosum alere, sed ob professionem; alias strictius obligaretur alere religiosum plura bona secum deferentem religioni, quam religiosum, qui nulla bona detulit, quod non est concedendum, cum hæc obligatio non ex bonis acceptis, sed ex professione religiosa, quæ omnibus communis est, oriatur. Ex qua ratione constat aduersus secundam sententiam priorem religionem non solum obligatam non esse bona religiosi professione quæsita concedere posteriori religioni quoad proprietatem, sed neque quoad vsumfructum; si quidem trãslatione facta, & priori professione extincta cessat in priori religione obligatio religiosum alendi, quæ solum ex professione oriebatur, & succedit secunda religio in eam obligationem. Adde vsumfructum semper comitari proprietatem, dum aliud expressè cautum non est, quod in præsenti non reperitur.

4. Fundamenta duplicis sententiæ oppositæ non vrgent. Ad primum primæ concedo bona in consequentiã personæ transferri; sed non dependenter ab illius in religione perseuerantia, quam ius semper præsumit. Ad secundũ nego bona transferri, vt religiosus ex illis alatur, sed potius vt religio habeat, vnde omnes alere possit. Deinde esto bona transferrentur, vt religiosus ex illis alimenta susciperet, subintelligendum est, dum in ea religione perseuerat; secus si illam deserit. Ad tertium concedo, spem illam succedendi parentibus, quia personæ religiosi inhæret, in sequentem religionem transferri, secus de aliis bonis in religionem translatis. Neque obest paupertati, quod spes illa religioso inhæreat, cum non sit, vt ipse mortuo parente succedat, sed vt nomine ipsius succedat religio. Adde illum casum hæreditatis à communi regula negante translationem bonorum esse exceptum; ac proinde firmat regulam in aliis bonis non exceptis. Ad vltimum nego impediri transitum religionis strictioris; eo quod religioso denegetur bonorum priori religioni quæsitorum translatio. Nam religio præcipuè strictior, quæque maiorem puritatem, & à temporalibus independentiam sectatur non debet in admittendis hæc subsidia temporalia quærere. Quod si aliquando ob inopiam quæret, non tenetur prior religio ad tollendum hoc impedimentum sua bona erogare, vt benè notauit Suar. *tit.4. de relig. tract.8. lib.3. c.14. n.14. fine.*

5. Maior dubitatio est de bonis, quæ in priorem religionem transtulisti ex liberali tua donatione. Hæc enim videris religioni priori donasse, eo quod existimasti in ea perpetuo victurum. Cum ergo hic finis licitè cesset translatione in aliam religionem, vel Episcopatum, reuocari debet donatio. Et confirmari potest ex monialiũ dotibus, quæ monasterio in alimenta perpetua monialium conceduntur. Si ergo monialis in aliud monasterium transferatur, cessat occasio, & finis, ob quem dos priori monasterio concessa fuit. Debet ergo simul cũ moniali in aliud monasterium, quod obligationem alimentorum suscipit transferri. Deinde dissoluto matrimonio professione religionis, vel ex dispensatione Pontificis dos redditur sponsæ. Ergo dissoluta priori professione dos moniali reddenda est, vt posteriori monasterio cõcedatur; Et ita sustinent Abbas, *c. quod à te, n. vlt. de cleric. coniugat.* Rosella verbo *religio*, 4. *n.12.* Bart. Socin. *cons.122. n.3. vol.2.* Redoan. *de spoliis Eccles. q.8. in princ. n.79. & 80.* Nic. de Vvald. de succession. ab intestat. 2. *p. n. vlt.* Tapia auth. *ingressi*, verbo *sua, c.6. n.10. C. de Sacr. Eccles.*

6. Sed in hac re distinctione vtendum est iuxta duplicem modum donationis: si enim illa bona donasti religioni sub ea conditione expressa, quod si aliquando contigerit te ad aliam religionem migrare, bona illa in sequentem religionem transferantur, non est dubium, te in eam trãslato, & bona transferri. Neque hoc est inconueniens, cum ea bona non fuerint priori religioni plenè acquisita, sed dependenter à tua in illa perseuerantia: sic Suar. tit.4. de relig. *tract.8. lib.3. cap.14. num.17.* Quod si absque hac expressa conditione donasti, censendus es

absolutè donasse, ſicuti ſi donatio facta eſſet pauperibus vel hoſpitali. Vnde ſicut pauperes, vel hoſpitale obligati non eſſent tibi mutanti religionem bona accepta reddere, neque etiam prior religio obligari debet. Hanc enim obligationem contrahere poterat prior religio, tum ex conditione perſeuerantiæ imbibita in donatione, tum ex alimentis tibi debitis. At nullum eſt fundamentum, quod in illa abſoluta donatione conditio perſeuerantiæ imbibatur: cum ſemper ius præſumat te religionem amplecti animo firmo, & conſtanti in ea perpetuo manendi. Ex occaſione item alimentorum obligatio te alendi priori religioni eſſe non poteſt, ſiquidem ſecunda religio ob profeſſionem in ea factam hanc obligationem ſubiit; ei enim inſeruis, & acquiris, quid mirum ſi te alat?

7. Neque obſtant argumenta contraria num. præced. allata. Ad primum concedo te illam bonorum donationem feciſſe priori religioni, quia exiſtimaſti in ea perpetuò victurum, quod verum ſemper eſt; tametſi poſtea religionem deſeras: ab hac enim deſertione non pendet donatio illa abſoluta, quæ ſuum effectum habuit. Ad confirmationem admitto, moniales dotem monaſterio concedere in ſui alimenta. Ex quo ad ſummum infertur monaſterium obligatum eſſe monialem alere, dum ibi perſeuerat; non tamen inde infertur, quod volentem inde exire, & in aliud monaſterium ingredi, teneatur eam ibi alere, ſeu dotare. Non enim ſub hac conditione dos à priori monaſterio accepta eſt. Quare ſi ſecundum monaſterium eam indotatam recipit, ſibi imputet, neque ob id priori monaſterio eſt onus alimentorum imponendum. At ſi inuoluntariè admitteret ſuperior cogens ad hanc admiſſionem, ſimul etiam de dote prouidere debeat: ſic tradit Nauar. *comm. 4. v. 24. verſ. vndecimo, de Regularib.* Man. Rodrig *quæſt. regular. tit. 2. q. 79. art. 2.* Sanch. lib. 7. ſumm. *c. 32. n. 12.* Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. c. 14. n. 15.* Ad vltimum dico eſſe longè diſparem rationem de matrimonio carnali, & ſpirituali per profeſſionem: nam matrimonio carnali rato diſſoluto ob ingreſſum religionis, vel Pontificis diſpenſationem, redditur ſponſæ dos; quia illius dominium ſemper retinuit; at in matrimonio ſpirituali cum Chriſto per profeſſionem contracto, dotis dominium amiſſum eſt, & in religionem tranſlatum; non igitur ei debet reddi.

PVNCTVM XVIII.

An religio teneatur alere religioſum expulſum, fugitiuum, vel recluſum aliena religione.

SVMMARIVM.

1 *Iuſtè expulſum non tenetur alere.*
2 *Bona donata Societati non tenetur Societas expulſis reddere.*
3 *Fugitiuos tenetur per ſe religio alere, per accidens excuſatur.*
4 *Recluſi in aliena religione à propria ſunt alendi.*
5 *Apponitur limitatio, niſi vtilis ſit monaſterio, ſed non eſt omnino certa.*

1. FAcilis eſt horum deciſio; ſi religioſus iuſtè expulſus eſt, eo ipſo excluditur à religionis cura, & poteſtate; ac proinde religionis alimenta percipere non debet, Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. c. 14. n. 12.* Quod à fortiori procedit in religioſis Societatis IESV non profeſſis, qui à religione dimiſſi à votis omnino abſoluuntur, & ſæculares fiunt, ac ſi nunquam Societatem ingreſſi fuiſſent. Hos enim nullatenus Societas alere tenetur.

2. Solum eſt aliquod dubium; an ſi aliqua bona ſocietati donarunt, ea ſint illis reddēda. Sed huic dubitationi diſputatione præcedenti ſatisfecimus negantes ex rigore iuſtitiæ eis aliqua bona debere reddi; quia ea ſocietati abſolutè donarunt, & abſque vlla recuperationis ſpe, ſicuti ſi hoſpitali, aliiſque pauperibus donationem feciſſent. Hic enim modus donationis abſolutæ conſtitutionibus eſt conformis, vt conſtat ex *exam. gener. c. 3.* Præterea religioſis conuenientior eſt, ne liberius viuant ſperantes non eſſe à ſocietate dimittendos ob non dimittenda bona conceſſa, vel minus timentes dimitti. Deinde religioni maximè expedit, vt ſic liberius poſſit dyſcolos dimittere. Verum eſto ita ſit; at ex æquitate ſocietas aliqua bona accepta dimiſſis concedit, præcipuè cum illis indigent ad ſui ſuſtentationem; neque illa conceſſio cenſenda eſt bonorum Eccleſiaſticorum alienatio; eo quod à principio ea conditione illa bona accepta fuerunt, vt poſſet ſocietas, ſi expedire iudicauerit, ea omnia, vel illorum partem religioſo dimiſſo concedere, provt hæc omnia larius tradit Suar. *tit. 4. de relig. tract. 8. l. 3. c. 14. à n. 21. vſque in finem.*

3. Fugitiuos vero religioſos per ſe religio alere tenetur; quia ſub eius cura, & poteſtate exiſtunt; at excuſatur ob eorum malitiam; nam cum ipſi poteſtatem religionis fugiant, alimentis cedunt. Neque in hoc eſt aliqua difficultas.

4. De recluſis autem, ſeu in alienam religionem ad pœnitentiam tranſlatis, communis eſt doctorum ſententia alendos eſſe à proprio monaſterio, vel religione. Tum quia illius ſunt membra. Tum quia non eſt æquum alienum monaſterium, vel religionem grauari ob religioſi ſibi non competentis delicta, ſic tradunt Gloſſa *in c. ſi quis rapuerit, 16. q. 6.* verbo *cautiori per Text. ibid.* Sylu. verbo *apoſtaſia, q. 9. num. 12.* & verbo *religio, 4. q. 10.* Cou. *cap. 1. n. 20. de teſtamentis.* Mol. *t. 1. de iuſt. diſp. 140.* verſ. *quando relig.* Azor. *t. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 15. quæſt. 3.* Manuel. *quæſt. regul. t. 3. quæſt. 5. art. 5.* Sanch. aliis relatis lib. 7. ſum. *c. 32. n. 46.* Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 14. num. 11.*

5. Limitat autem Sanch. *dicto loco*, ne procedat hæc obligatio, ſi recluſus vtilis eſt monaſterio, ita vt eius obſequia alimentis æquiualeant. Sed non caret difficultate hæc limitatio; eo quod ſecundum monaſterium non tenetur ea obſequia loco alimentorum acceptare.

PVNCTVM XIX.

Cui acquirat religioſus recluſus, fugitiuus, eiectus, Epiſcopus factus, vel beneficiarius?

SVMMARIVM.

1 *In religioſi acquiſitione ſpectanda eſt religionis conſuetudo.*
2 *Recluſus ad pœnitentiam in aliena religione ſeu monaſterio, non ei, ſed proprio acquirit.*
3 *Fugitiuus ſua religioni acquirit, quid ſi aliam ingrediatur?*
4 *Fugitiuus factus Epiſcopus abſque diſpenſatione ſuæ Eccleſiæ acquirit ex Epiſcopatu, ſecus ex alio tit.*
5 *De eiecto proponitur difficultas, cui acquirat.*
6 *Si iniuſtè expulſus ſit, acquirit religioni.*
7 *Idem eſt ſi iuſtè, & pro limitato tempore expulſus ſit, ſecus ſi in perpetuum, cui in eo caſu acquirat.*
8 *Liberam illorum bonorum adminiſtrationem habes, quamuis teſtari non poſſis.*
9 *Si expendas in illicita, valet diſtributio ex ſententia* Molinæ & Leſſij. *Sed oppoſitum eſt verius.*
10 *Dominium bonorum, quæ acquiſita ſunt poſt aſſumptionem Epiſcopatus, vel beneficij cedunt Eccleſiæ.*
11 *Secus ſi ad hos ſtatus tranſlatus non ſis.*
12 *Satisfit fundamentis adductis*, n. 7.
13 *Religioſus Epiſcopus ſuæ Eccleſiæ acquirit, ſiue arte, ſiue ſucceſſione.*
14 *Extenditur doctrina, eſto ex religione Minorum ſit Epiſcopus. Deinde ad Epiſcopum titularem: Item ad Epiſcopum, cui non in titulum, ſed in commendam Eccleſia commiſſa eſt.*
15 *De religioſo beneficiario cui acquirat ſtatuitur communis ſententia.*
16 *Non caret probabilitate omnia acquiſita durante beneficio cedere Eccleſiæ.*
17 *Quid dicendum de religioſo promoto ad prioratum amobiliter?*
18 *Proponitur difficultas, an poſſit ex vno Epiſcopatu, vel beneficio ad aliud tranſlatus religioſus ſecum deferre fructus collectos, qui ſuperfluunt ex priori beneficio?*
19 *Verius eſt deferre poſſe.*
20 *Quid in hac parte ſtatuerit Pius IV.*
21 *Quid Greg. XIII.*

1. REgula eſt religioſum non ſibi, ſed ſuæ religioni acquirere. Sed an toti religioni acquirat, an conuentui, in quo profeſſionem emiſit, & cuius filius dicitur eſſe? Spectanda eſt religionis conſuetudo, quæ pro qualitate bonorum etiam in eadem religione diuerſa eſſe ſolet vt benè aliis relatis docet Sanch. lib. 7. ſum *c. 32. n. 53.* De recluſo in aliena religione, fugitiuo, eiecto, Epiſc. facto, vel beneficiario eſt aliqualis difficult. cui acquirat?

2. Et quidem recluſum in aliena religione, ſeu monaſterio ad pœnitentiam acquirere ei religioni, in qua commoratur docuit Man. Rod. *t. 3. q. reg. q. 5. art. 5.* cuius ſententia approbauit Tap. Auth. *ingreſſi, C. de ſacroſ. Eccl. verbo ſua, c. 6. n. 39.* ſaltem quoad vſum fructum, & quoad proprietatem, ſi prior religio aliqua bona religioſi habeat. Mouetur *ex §. ſi monach. reliquerit, in fin. Auth. de Sanctiſſi. Epiſc.* vbi id expreſsè decidi videtur. Verum ab hac ſententia omnino recedendum eſt, & affirmandum illum religioſum ſuæ religioni, vel monaſterio acquirere; quia ſola profeſſio acquiſitionem religioni concedit, non recluſio. Neque contrarium dicitur, *in §. ſi monach.* loquitur enim eo caſu, quo recluſus profeſſionem in ſecunda religione faceret; vel dici poteſt, religioſum ſic recluſum ſecundæ religioni acquirere ex bonis ſibi obuenientibus, quæ neceſſaria

necessaria fuerint ad sui sustentationem, si à priori religione non suppeditantur. Secus vero, si nec professionem in secunda religione fecit, nec prior religio omittit ei alimenta præbere.

3. Fugitiuum religiosum omnes conueniunt (spectato iure communi antiquo) suæ religioni acquirere æquè ac si intra religionem esset; quia nec fuga illum à relig. domino excludit, neque prælatis tollit potestatem, quam habent illum gubernandi, coërcendi, & puniendi, vt deciditur *c. Abb. 18. q. 2.*

Si vero huiusmodi fugitiuus aliam religionem ingrediatur absque debita licentia, & facultate, distinguendum est; an huius malitiæ conscius sit prælatus, vel non? si conscio prælato factū est, communis omnium sententia est ex eo transitu nullo impediri non posse, quominus suæ religioni omnia acquisita cedant. Excipe nisi contemplatione religionis assumptæ aliquid ei esset donatum; quia tunc videtur religioni, potius quam religioso donari. Sic aliis relatis firmat Sanch. lib. 7. sum. *cap. 33. n. 10. & 11. & 12.* At si bona fide prælati, & religionis professionem fugitiuus fecerit, durante ea bona fide plures censent putatiuo monasterio acquirere; eo quod religiosus seruo comparetur, qui non vero domino, sed putatiuo bona fide possidenti acquireret, *leg. si seruus qui bona fide. ff. de acquir. rerū dominio.* Quod intelligendum est quando ex rebus secundi monasterij, vel ex illis, cum operis suis, vel ex sua tantum industria, & labore acquirit; secus de acquisitis successione, donatione, & legato. Sic Nau. com. 2. de Regularib. *n. 30.* Azor. *tom. 1. instit. moral. cap. 10. q. 1.* Tapia auth. *ingressi*, C. *de sacrosanct.* Eccl. verbo *sua, c. 6. n. 22. & 23.* adducuntque pro se Bart. *leg. si seruus communis, 37. ff. de Stipul. seruorum, n. vlt.* At verius censeo religiosum, quomodocumque acquirat, priori monasterio acquirere. Moueor, quia ex bona fide secundi monasterij ius acquisitum priori succedendi in omnia iura, & actiones sui religiosi diminui non potest iure naturali, vt de se constat. Iure autem positiuo non inuenitur diminutum, nam esto religiosus seruo comparetur, & seruus bona fide à domino possessus ei acquirat, non indè infertur religiosum monasterio bona fide possidenti acquirere, quia non debet religiosus seruo in omnibus comparari, præcipuè, cum non possideatur à monasterio instar serui, sed potius instar filij, quia à quocunque possideatur non possessori, sed patri acquirit, *leg. per eum ff. de acquir. possess.* Adde esse longe diuersam rationem, ob quam seruus acquirere possit putatiuo domino, non tamen religiosus, quia possessio bona fide legitimo tempore præscripta dominium præcedens mutare potest, & nouum constituere, *leg. per eum, ff. de acquirenda possess. §. fin.* At putatiua professio veram professionem causare non potest. Nullum igitur est firmum fundamentum, vt asseramus religiosum putatiuum monasterio bona fide possidenti quærere quidquid ex illius bonis, vel sua opera, & arte quærit exclusio priori suo monasterio, & religione. Et ita sustinet Alex. *leg. 1. §. per seruum qui est in fuga, n. 14. ff. de acquirenda possess. & ex parte consentit* Sanch. *lib. 7. c. 33. n. 16.* affirmans sola acquisita ex bonis secundi monasterij, vel ex illis cum sua industria cedere monasterio, non vero quę religiosus sua tantum opera, & arte quæsiuit, quia neque hæc in seruo cedunt putatiuo domino, cum eius opera locari non possint, vt colligitur ex *l. per seruum ff. de vsu, & habit.*

4. Verum si hic fugitiuus religiosus absq; debita dispensatione ad Episcopatū, vel aliud quoduis beneficium promoueatur cum illius promotio nulla sit, quidquid inde acquirit, Ecclesiæ cedit; censentur enim in hac parte ea beneficia quasi vacantia. Acquisita vero non titulo beneficij, nec illius intuitu, sed contēplatione personæ religioni relictæ cedūt. In casu dubij cuius intuitu relictæ sunt coniecturis standū est, iuxta *term. in c. requis. de Text.* & tradit pluribus relatis Sanc. *li. 7. sum. c. 33. n. 16.*

5. De professo ejecto à religione est grauior dubitatio, cui acquirat? non enim videtur posse sibi acquirere cum per expulsionem voto paupertatis liberatus non sit neque item religioni, à qua præcisus est, & quacum communicationem non habet, neque item Episcopo, in cuius diœcesi commoratur, cum illi nō sit aliter subiectus, quā reliqui clerici sæculares, nec deniq; Pontifici, nā esto id possit statui, vnde constat statutū esse?

6. Sed vt certa ab incertis separemus. Si à religione iniustè expulsus sis ob malitiam prælati, vel minoris partis conuentus, non est dubium, omnia, à te acquisita religioni cedere, quia malitia prælati, vel illius cum minore parte conuentus non debet religioni nocere Reg. *delictum, 76. de Regul. Iuris, in 6.* & tradunt omnes. Si vero ob malitiam religionis, vel conuentus iniustè expulsus sis, adhuc bona à te acquisita religioni cedunt, tametsi eis in pœnam priuari possit. Nam cum expulsio iniusta sit, non se exemit religio ab obligatione, quam habet te alendi, & gubernandi. Ergo non se eximit à iure succedendi in bonis à te acquisitis. Adde, tu teneris ad illam reuerti, & ipsa tenetur te recipere, & adhuc inuitum, & fugientem reuocare. Ergo reuocandus es cum omnibus bonis, & ita docent Mol. *t. 1. de iust. disp. 140.* vers. *quoad votum*, Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 15. n. 112.* Sanch. *lib. 7. c. 33. n. 24.* Suar. *t. 4. de relig. tr. 8. lib. 3. cap. 6. n. 19.*

7. Quod si iustè expulsus sis (vt semper præsumendum est) si pro limitato tempore fiat, omnia à te acquisita religioni expellenti cedunt, si quidem cum omnibus illis finito tempore expulsionis debes ad eam reuertere. Suar. *d. lib. 3. c. 6. n. 19.* At si absolutè, seu in perpetuum expulsus sis, communis sententia docet, te non monasterio non acquirere, eo quod cum illo communicationem non habeas, ipsumque monasterium te à se expellendo omnia tua videtur expellere, & à se abiicere. Et confirmari potest exemplo serui, cui religiosus in acquirendo comparatur, qui si à domino relinquatur, non domino acquirit. *leg. quod seruus, ff. de Stipul. seruorum.* Item exemplo infantis à parente expositi, qui non parenti lucratur, sed sibi, *cap. vnic. de infantibus, & languidis.* Ergo à monasterio expulsus non monasterio acquirere debes. Et ita sustinent Gloss. *verbo languidis*, & *ibi* Abbas *ad finem.* Nau. *com. 2. de Regularib. n. 33.* Azor. *t. 1. inst. moral. lib. 12. c. 16. q. 9.* Sanch. aliis relatis, lib. 7. sum. *c. 33. n. 26.* Sed inter hos Doctores est difficultas, cui acquiras posito quod monasterio non acquiris. Nam tibi ob incapacitatem, quam habes, acquirere non potest. Alij dicunt nulli acquirere, quia nullius es. Sed est sententia absque vllo fundamento. Aliàs nullus contractus donationis, & venditionis tecum celebratus validus esset, si nullum dominium translatum esset. Alij affirmant dominium illorum bonorum acquiri Deo, administrationem Episcopo, in cuius obedientiam recidis. Sic Nau. *com. 2. de Regul. n. 33.* Sed facili negotio hæc sententia conuincitur. Tum quia omnia bona temporalia in dominium humanum cedere debent, & non tantum in diuinum, deinde Episcopo quo titulo administratio illorum bonorum competere potest, cum in eius obedientiam non recidas magis quam alij clerici sæculares, vt dicemus. Et præterea tibi concessa administratio bonorum durante expulsione, non igitur Episcopo competit. Denique alij sentiunt de his bonis iudicandum esse, ac de bonis vacantibus, quæ ad Principem, vel Rempublicam deueniunt, ac proinde Pontif. acquiri, & nomine ipsius Episc. vel Eccles. quæ te defuncto bona distribuere poterit. Sic docuit Sayr. in claui regia, *li. 6. c. 9. n. 28.* Azor. *t. 1. inst. mor. lib. 12. c. 18. q. 9.* Sanch. li. 7. sum. *c. 33. n. 28.*

8. Verum reiecta hac opinionum varietate dicendum in primis est, te liberam habere bonorum quæ acquiris administrationem, quippè id necessarium erat expulsionis statui. De illis tamen testari non potes, quia tibi concessum non est, nec adest necessitas concedendi. Sic Lessius, *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 15. n. 113.* Mol. *t. 1. de iustit. disp. 140. circa finem*, vers. *quando vero.*

9. Dubium tamen est, an ita liberam administrationem habeas, vt si in vsus vanos, & illicitos expendas, valida sit distributio, sicuti facta à clerico sæculari? Affirmat Mol. *t. 2. tr. 2. de iust. disp. 276. vers. quoad cæteros.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 15. num. 113.* Mouentur, quia esto dominium bonorum non habeas, habes tamen illorum administrationem, ac si dominium haberes. Præterea, quia vsu receptum est sic accipientes ad restitutionem non obligari. Cæterum verius credo, te solum in vsus honestos, & tuo statui conuenientes expendere posse, & aliter distributa restitutioni obnoxia esse, sic indicat Snar. t. 4. de relig. *tr. 8. li. 3. c. 6. n. 21.* Moueor, quia non est credendum religionem, vel Ecclesiam, cui illa bona quoad dominium, & proprietatem competunt, eam tibi administrationem concedere, vt in quoscunque vsus etiam vanos, & turpes possis expendere cum hic concessionis modus nec necessarius, sit, nec decens.

10. Quod si de proprietate, & domino bonorum loquamur, distinguendum est, si post expulsionem translatus sis ad Episcopatum, vel ad aliquam Ecclesiam, seu beneficium, omnia, quæ acquiris, quomodocunque; acquiras, Ecclesiæ cedunt, iuxta Text. *in c. vnic. 18. q. 1.* vbi religiosus ad Episcopatū, vel beneficiū religioni non subiectū translatus non religioni, sed Ecclesiæ acquirit. Ergo à fortiori dicendum est de ejecto, qui minus religioni subiicitur, & ita docent Azor. *t. 1. lib. 12. c. 16. q. 9.* Lessius, *lib. 2. c. 41. dub. 16. num. 112.* Sanch. *lib. 7. sum. c. 33. n. 30.* Suar. *d. c. 6. n. 21.* extendit hanc doctrinam ad translationem voluntariam, qua te sub obedientia Episcopi constitueres speciali voto emisso: nam esto hoc votum non extinguat professionem antiquam, nec religiosum constituat, videtur tamen te integrè à religione eximere, & Episcopo tradere, & consequenter omnia bona à te acquisita ei conferre, vt sub illius dispositione existant. Probabilis est extensio, sed non firma; quippè nullo iure fundamenta. Nam Text. *in c. statutum 18. q. 1.* de translatione ad Episcopatum loquitur, & *text. in c. si quis translatus, 21. q. 2.* de translatione ex vna Ecclesia in aliam. Nullus ergo textus est, qui ob translationem ex voto non constituente religiosum bonorum dominium transferat.

11. Quapropter excluſa translatione ad Episcopatum, vel beneficium probabilius existimo omnia à te acquisita religioni quoad proprietatem, & dominium cedere; quia ex eo quod te vt sibi inutilem; & nociuum abiecerit; non infertur bona à te acquisita abiicere, cum hæc non sibi nocumentum, sed vtilitatem afferant. Item religio non te ita efficaciter abiicit; quin te emendatum possit, & debeat admittere.

Signum

Signum ergo est religionem non amisisse expulsione ius in te; tuaque bona quæsitum. Adde iure statutum esse omnia bona religiosi religioni cedere, sed ab hoc iure non repetitur eiectus exemptus. Ergo eiecti bona religioni cedunt, & ita sustinent Mol. *t. 1. de iust. disp.140.col.penult.vers.quoad votum*, Lessius *l.2.c.41.dub.15.n.112.* Suar. *t. 4. de relig. tr. 8.lib.3.c.6.fine n.22.*

12. Neque obstant adducta in contrarium n. 7. Concedo te expulsum non habere actualem cum religione communicationem; habes tamen possibilem, & debitam, si te reducas, & dignum exhibeas, ac proinde priuare non potes religionem iure, quod habet tua bona possidendi. Neque ex eo quod te à se expulerit, censenda est bona tua repulisse, quia bona non sunt illi nociua, secus tu, qui ei nocumentum præstabas. Exemplum serui, & infantis expositi non vrget. Nam seruus à domino eiectus libertatem consequitur, & sibi acquirit, vt colligitur ex *c.vnico, De infantibus, & languid.* At religiosus nec solutionem votorum obtinet, nec sibi acquirere potest; infans expositus patria potestate liberatur, at religiosus iugum monasticæ disciplinæ non excutit. Adde dominum, & parentem in pœnam desertionis priuari bonis à seruo, & infante acquisitis; at religio cum nullam in eiectione iusta culpam commiserit non debet sui religiosi priuari, cum nec religioso id vtile sit.

13. Religiosum vero Episcopum omnes conueniunt non religioni, sed suæ Ecclesiæ acquirere, ac proinde eo defuncto non religionem, sed Ecclesiam succedere. Habetur *c. vnic. 18. q. 1.* Quod non solum de bonis titulo Ecclesiæ acquisitis intelligendum est, sed etiam de acquisitis successione, donatione, legato, propria arte, & industria. Quia dictus *text. in c. vnic.* generaliter loquitur, & tradit Sanch. alios referens, *li.7. c. 32. n. 63.* Suar. *t.4. de relig. tract.8. lib.3.c.16.n.12.*

14. Extendenda est hæc doctrina, tametsi ex religione Minorũ sit Episcopus assumptus: quia licet in *d.c.vnico.* de religioso S. Benedicti in Episc. translato fuerit sermo, eadem ratio est de omnibus aliis religiosis, si quidem æquè omnes à religionis obedientia eximuntur. Sic Tapia in Auth. *ingressi, verbo suæ c. 6.n.87.* Mol. *t.1. de iustit. disp.140. in pr. vers. quando relig. & in fine disp.* Azor. *t.1. institit. mor. li.12.c.10.q.6. & c.15.q.3.* Sanch. *li. 7. sum. c. 32.n.64.* Secundò extendi debet ad Episc. titularem. Nam esto suæ Eccles. non inseruiat, seruit tamen Eccles. vniuersali, & Pontif. à sua religione plenè exẽptus; ac proinde Pontif. cõparat. Sic Azor. *t.1. li.12.c.10.q.7. fine*, Sanch. *d.c.32.n.68.* tametsi alij satis probabiliter censeant religioni acquirere. Tertiò extendi debet ad Episc. cui non in titulum, sed in commendam Eccles. conceditur, nam durante ea commendatione à religionis iurisd. exemptus est, ac proinde acquisita non religioni, sed Eccles. commendatæ cedere debent. Sanch. *v.69.* Quartò extende ad Episc. electum, & confirmatum, tametsi consecratus non sit, nec possessionem Eccles. nactus, quia virtute confirmationis à religione eximitur, & suæ Eccles. inseruire potest munera Episcopalis iurisdictionis exercendo. Ergo æquum est, vt suæ Ecclesiæ, non religioni acquirat: sic Man. Rodrig. *t. 3. reg. quæst.q.69.art.4. & 2. sum.c.70. n.6.* Sanch. *li.sum c.32. n. 67.* Quæ dicta sunt de Episcopo regulari procedunt, si Cardin. sit Ecclesiæ Romanæ quia ob hanc supremam dignitatem à religionis obedientia eximitur, vt benè relato Riminal. tradit Sanch. *n.70.*

15. Quod si religiosus ad beneficium promoueatur variant Doctores cuinam cedant eo tempore acquisitionis horum opiniones optimè refert. Sanch. *lib. 7. sum.c. 32.à n.71.* & tandem concludit sequutus Barthol. *leg.1.§ si fructuarius, n. 4. ff. de stipul.* Seruor. *& leg. fil. & si quis stipul.§. interdum, ff. de Vsufructu.* Bald. *in c. præsent. n. 16. de probat.* si beneficium sit monasterio pleno iure subiectum, & maximè in temporalibus monasterio cedere, quæ religiosus acquirit successione, donatione aut legato, non tamen quæ acquirit ex beneficio, aut sua arte, & industria. At si beneficiũ nõ sit monasterio subiectum sed ordinario, omnia (inquit Sanch) cedere Ecclesiæ, cui sententiæ subscribit Suar. *t.4. de relig. tr.8. li.3.c.19.à n.7. & 22.* Ratio ea est, quia si beneficium non sit pleno iure monasterio subiectum, nequit prælatus regularis religiosum remouere, quippe ab eius obedientia, & iugo regulæ exemptus est, & Ecclesiæ in perpetuum addictus, sed propter hanc rationem statutum est, *c.vnic. 18. q. 1.* religiosum assumptum ad Episcopat. non monasterio, sed Ecclesiæ acquirere quocunque modo acquirat. Ergo idem est dicendum de regulari habente beneficium perpetuum. At si beneficium sit manuale ad nutum prælati amouibile, cum eo casu beneficiarius sit prælato regulari subiectus in omnibus, quæ administrationis beneficio non obsunt, sicuti alij regulares intra claustrum degentes, efficitur sanè omnia acquisita ab illo beneficiario monasterio cedere nisi specialiter à iure excipiantur. At solum ea, quæ acquirit intuitu beneficij, & suis operibus videntur excepta. Ergo hæc sola Ecclesiæ cedunt, alia monasterio. Minor probari potest quoad fructus beneficij ex *Clem. vnic. de Supplenda neglig. pral.* vbi prælatis regularibus interdicitur bona horum beneficiorum manualium suis mensis applicare & vacantia aliquo modo occupare, & pensiones his beneficiis imponere. Quæ satis indicant fructus, & prouentus illorum beneficiorum monasterio non pertinere. De acquisitis opera, & industria beneficiarij non est textus probans Eccl. competere, at est efficax ratio, eo quod beneficiarius eo tempore, quo beneficium retinet addictus sit Eccl. inseruire, tametsi quoad proprietatem monasterio maneat subiectus. Ergo sicut seruus donatus alteri ad eius vsum, & seruitium pro aliquo tempore, ei cedunt, quæ sua opera, & industria acquirit, non quæ successione, aut donatione, hæc. n. Domino cedunt, sic de beneficiario dicendum est.

16. Verum etsi hæc sententia vtpote communior tenenda sit in consulendo, & iudicando. At probabilitate non caret ea, quę affirmat siue beneficium sit subiectum, siue non quæcunque à religioso beneficiario acquiruntur, quomodocunque acquirãtur, cedere Ecclesiæ quia durante beneficio quodcunque sit etiam manuale à religionis regimine, & obedientia exemptus est; sicuti quilibet alius religiosus habens beneficium monasterio non subiectum; solum enim subiectus videtur in beneficij conseruatione, vnde enim alia subiectio constat? At ex prædicta subiectione nõ infertur acquisita successione, donatione, aut legato religioni cedere debere; cum non cedant acquisita industriâ, & arte. Adde frequenter conuenire acquisita à religioso beneficiario sua opera, & industria, cuius beneficium monasterio est plenè subiectum, Ecclesiæ competere. Cur ergo acquisita successione, legato, & donatione monasterio, & non Ecclesiæ cedere debent; præcipuè cum in iure nulla horum bonorum distinctio facta sit. Deinde si monasterio illa bona cederent, non posset illorum administrationem habere nisi pro voluntate prælati; at commune est hos beneficiarios durante beneficio liberam acquisitorum dispositionem habere. Ergo signum est non monasterio, sed Ecclesiæ cedere. Et ita docuit Abbas *c.fin.n.3. de Regularib. & c. in præsentia, n.67. de Probationib.* Nauarr. *comm.2. de Regularib.n.6. & 10. & lib.3. cons.tit.de Regularib.cons.70.* alias *de statu monach.cons.13.n.6. & 7. & tit.de Donat.cons.6.n.1.* alias *de præsumpt.cons.2.* Man. *q.regul.t.2.q.47.art.7.* Eman. Sa; *verbo Religio, n.64.*

17. Ex his constat, quid dicendum sit de regulari promoto amobiliter ad prioratum alterius ordinis, cui cedant ab eo acquisita? Et dicendum est iuxta nostram, & Bart. sententiam cedere suo monasterio, & religioni, nisi ex prioratu, vel suis operis acquisierit. At iuxta sententiam Abbatis, & Nauarr. omnia suo monasterio, & religioni cedunt. Vide Sanch. *lib.7. c.32. à n.79.*

18. Sed circa supradicta non est leuis difficultas; an regularis Episcopus, vel beneficiarius promotus ad alium Episcopatum, vel beneficium, vel eo relicto ad religionem rediens possit fructus Episcopatus, & beneficij, qui suæ sustentationi superfuerunt, secum deferre, & in monasterij, vel Ecclesiæ assumptæ vtilitatem expendere? Ratio dubitandi desumitur, *c. statutum, 18.q.1.* vbi de regulari in Episcopum assumpto dicitur: ad altare ad quod sanctificatur, & titulatur secundùm sacros canones, quod acquirere poterit, restituat. Si igitur illi altari restituenda sunt, nequit alteri Ecclesiæ, vel suo monasterio concedere. Præterea illorum bonorum vsus, & administratio regulari conceditur, quatenus illius Ecclesiæ sponsus est: ergo cessante hoc titulo nequit illa bona administrare, illisve vti, & ita sustinet Suar. loquens de regulari Episcopo, *t. 4. de relig. tract.8. lib.3.c.16.à n.24.*

Cæterum verius credo, posse hunc Episcopum, vel beneficiarium regularem alteri beneficio, vel Episcopatui translatum, aut monasterio redeuntem secum transferre, quæ in priori beneficio acquisiuit. Quia non est dubium, dum Episcopatum, seu beneficium retinet, fructus qui sibi, suæque sustentationi supersunt in vsus pios expendere posse, neque enim obligatus est in suæ Ecclesiæ vtilitatem insumere, nisi fortè indigeat. Ergo poterit antequam monasterio, vel alteri Ecclesiæ transferatur & priorem relinquat, eos fructus monasterio, vel illi Ecclesiæ applicare; sicut poterat applicare pauperibus, alterive pio operi. Et ita sustinet Suar. non satis consequenter loquens de regulari beneficiario, *t.4. de relig.tr.8. lib.3.c.19.n.20. & 21.* Neque aduersus hanc doctrinam obstat *Text. in c. statutum*, ibi enim solum deciditur regularem Episcopum restituere debere altari ad quod sanctificatur, quod ibidem acquirit. Quod non impedit; quin possit ea insumere in sui sustentationem, & quæ supersunt in pios vsus expendere. Adde restituenda esse altari post mortem, si durante vita distributa non sunt. Ad confirmationem concedo bonorum illorum vsum, & administrationem regulari concedi, quatenus illius beneficij sponsus est; ac proinde solo eo tempore administrare ea bona posse. Sed quia durante administratione ea bona alteri Ecclesiæ applicuit, poterit translatus ad eam Ecclesiam illis vti; quippè iam sunt bona suæ Ecclesiæ ad quam sanctificatur, & intitulatur.

20. Hactenus loquuti sumus spectato iure communi antiquo, at iure nouo Pij IV. & Greg. XIII. aliqua sunt mutata. Nam Pius IV. constitutionem edidit, quæ incipit: *Decens esse censemus*, qua statuit omnia acquisita à clericis etiam in sacris tam sæcularibus, quam regularibus per illicitã negotiationem.

vel

vel aliàs contra ſacros canones, ad cameram Apoſtolicam pertinere. Id ipſũ confirmauit alia conſtitutione incipiente Rom. Pontif. cuius meminit Nau. *comm. de ſpoliis* §. 6. *n.* 3. 4. & 5. Excepit tamen Eccleſiæ Romanæ Cardinales. His ergo conſtitutionibus conſtat regularem fugitiuum, eiectum, vel ad beneficium promotum, vel extra conuentum ex facultate ſuperioris degentem, ſi illicitè, vel contra ſacros canones lucretur non monaſterio, ſed cameræ apoſtolicæ acquirere. Debet tamen regularis non eſſe ex num. laïcorum; quia hi eſto ſub nomine clerici in fauorabilibus veniant, non tamen in odioſis, & pœnalibus, qualis eſt hæc conſtitutio priuans religionẽ iure ſuccedendi in ſuorum religioſorum acquiſita; & ita ſuſtinet Suar. *t.* 4 *de rel. tr.* 8. *lib.* 3. *c.* 2. *n.* 24. Vt autem hæc conſtitutio locum habeat, acquiſitio debet eſſe illicita ex natura rei, vel contra ſacros canones, nec ſufficit quod ſit illicita ſpectatis propriæ religionis conſtitutionibus; quia non eſſet illicita clerico vt talis eſt, de quo expreſsè loquitur conſtitutio, vt benè aduertit Suar. *d. c.* 2. *n.* 25. Non tamen eſt opus, quod extra monaſterium acquiſitio contingat; quia conſtitutio hanc limitationem non fecit, ſed abſolutè loquitur, ſicuti nec de fugitiuis, aut eiectis tantum, ſed de quibuſcunque regularibus etiam ad beneficiũ legitimè promotis, vel ex diſpenſatione extra monaſteriũ degentibus intelligenda eſt; quia omnes hi ſub nomine clerici regularis comprehenduntur. Suar. *d. c.* 2. *n.* 30. Probabile vero eſt religioſum obligatum non eſſe bona ſic acquiſita cameræ apoſtolicæ applicare ante ſententiã iudicis, ſed poſſe monaſterio cõcedere, quia cum hęc cõſtitutio ſit lex pœnalis priuans religionẽ iure quęſito, videtur vim nõ habere ante iudicis sẽtẽtiã. Quod ſatis indicant illa verba conſtitutionis, *quib. in vita priuati fuerint*, per ſententiam inquam, & tradit Suar. *d. c.* 2. *n.* 28.

21. Inſuper Gregor. XIII. aliam conſtitutionem edidit, quæ eſt in bullario 44. *aliàs* 19. quæ incipit, *officij noſtri*. Qua cõſtitutione ſtatutum eſt bona quocunque modo acquiſita à regulari extra clauſtrum decedente, tametſi cum legitima ſuorum prælatorum licentia abſit, ad cameram apoſtolicam pertinere, nec monaſterio, neque alteri pio operi adiudicari poſſe: & ita tradit Suar. *d. c.* 2. *à n.* 28. Sanc. *lib.* 7. *ſum. c.* 32. *n.* 60. & *c.* 33. *n.* 21.

PVNCTVM XX.

Quale peccatum ſit violare religioſam paupertatem, & quibus modis contingit.

SVMMARIVM.

1 *Sacrilegium eſt violatio paupertatis. Datur tamen leuis materia.*
2 *Grauis, vel leuis materia in voto paupertatis ex proportione ad furti materiam deſumitur ſecundùm omnẽ ſententiã.*
3 *Poteſt ſtante violatione leui iuſtitiæ grauis eſſe violatio paupertatis.*
4 *Frequenter cum violas paupertatem committis iniuſtitiæ peccatum, ſed non ſemper.*

1. NOn eſt dubium hanc violationem ex ſe graui peccatum ſacrilegij eſſe; quia eſt contra reuerentiam Deo debitam, cui te infidelem exhibes non exequendo quę illi promiſiſti. Quod adeo aliqui Doctor. exaggerant, vt nec materiam leuem in hoc peccato admittant. Sed non ſunt audiendi; quia generale eſt in votorum tranſgreſſione dari leuem materiam, neque hoc votum aliquid ſpeciale continet, ob cuius rationem excipi debeat à regula communi, & ita tradit Nau. *lib.* 3. *conſ. tit. de Regularib. conſ.* 75. aliàs, 3. *de Statu Monach. n.* 18. Azor. *t.* 1. *inſt. mor. lib.* 12. *c.* 12. *q.* 6. aliis relatis Sanch. *lib.* 7. *c.* 20. *n.* 2. Suar. *t.* 3. *de relig. lib* 8. *c.* 6. *n.* 4.

2. Solum eſt explicatu difficile, quando ſit cenſenda leuis, quando grauis materia, vt peccatum proprietatis graue, vel leue iudicetur? Communis ſententia affirmat ex materia furti ſeclusis circunſtantiis hanc grauitatem, vel leuitatem eſſe deſumendam, ita vt illa ſit in materia proprietatis grauis materia, grauéque peccatum conſtituat, quæ ex ſe in materia furti grauis eſt, grauéque peccatum conſtituit, illa vero ſit leuis materia, & leue peccatum, quæ in materia furti leuis eſt, nec culpam venialem excedit. Sic tradent Azor. Nau. Sanch. *n. præced. relati*. Dixi debere deſumi hanc grauitatẽ ex materia furti ſecundùm ſe, & ſeclusis circunſtantiis perſonæ à qua furaris. Nam certum eſt ab homine paupere ſæpè eſſe graue peccatũ furti, ſi furripias argenteum vnum, vel duos ob damnũ graue, quod inde patitur, è contra eſſet peccatum leue furripere à Rege, vel homine ditiſſimo duos, vel tres aureos, ſi ſolum ſpectetur damnum, quod inde accepit. Non igitur ex hac diuerſitate grauitas, vel leuitas violationis voti paupertatis deſumẽda eſt, ſed ex materia furti ſecundùm ſe, & ſeclusis his circunſtantiis, cuius grauitas, vel leuitas deſumenda eſt ex eo, quod res ſuſcepta grauiter conducat ad humanas actiones, & hominum neceſſitatem ſubleuandas, vt benè notauit Suar. *t.* 3. *de relig. lib.* 8. *c.* 6. *n.* 7. affirmans infra aureum non eſſe cenſendam materiam grauiter ſupradicto fini conducere.

3. Cæterum etſi veriſſimum ſit violationem paupertatis grauem eſſe quoties violatio iuſtitiæ ſecundum ſe grauis eſt, at exiſtimo ſtante violatione iuſtitiæ leui ſecundùm ſe violationem paupertatis grauem eſſe poſſe: maior enim quantitas ad grauem iuſtitiæ violationem videtur requiri quam ad violationem paupertatis. Nam violationis iuſtitiæ grauitas deſumitur ex læſione proximo facta in bonis externis ad vsũ vitæ neceſſariis, quæ latiorem viam habet, quam læſio paupertatis, quæ deſumitur ex infidelitate, quâ in Deum præſtas non exequendo promiſſa, quæ infidelitas, vtpotè diuini cultus omiſſio ad ſui grauitatem minori materia contenta eſt. Et confirmari poteſt ex voto erogandi in pauperes, tres vel quatuor argenteos, cuius tranſgreſſio grauis eſſet cenſenda, & peccatum mortale ob diuini cultus notabilem diminutionem; tametſi in materia furti tres, vel quatuor argentei leuis materia reputentur. Dicendum igitur eſt ex voto eleemoſynæ grauitatem, vel leuitatem voti paupertatis deſumendã eſſe, illamque eſſe materiam leuẽ, vel grauem, cuius omiſſio in voto eleemoſynæ grauis, vel leuis eſſet. Cum autẽ in voto eleemoſynæ quatuor argẽtei cẽſendi ſint materia grauis, eorũ etiã diſpoſitio inuito ſuperiore in materia paupertatis grauis materia cẽſenda erit. Et ita explicat Suar. huius peccati grauitatẽ *d. t.* 3. *l.* 8. *c.* 6. *n.* 9.

4. Sed eſt dubium, an quoties peccatum committis aduerſus paupertatis religioſæ votum, ſimul etiam comittas peccatum furti, & iniuſtitiæ? Breuiter Reſpondeo frequẽter ita eſſe, non tamen ſemper. Quoties igitur res monaſterij vel à ſæcularib. abſolutè donatas recipis, retines vel expendis ſuperiore inconſulto, peccatum proprietatis, & furti committis, quia eſt inuitum monaſterium in cuius dominium ſunt tranſlatæ. At ſi ſæcularis ſic tibi donata concederet, vt nollet in monaſterium eorum dominium nec adminiſtrationem tranſire, ſolum peccatum ſacrilegij aduerſus paupertatis votum committeres illis vtendo, non tamen furti, & iniuſtitiæ, cum Dominus non ſit inuitus. Sic Corduб. in ſum. *q.* 109. Nau. *li.* 3. *de reſt. c.* 4. *p.* 3. *dub.* 3. *n.* 182. *in edit.* Sayra in claui regia *li.* 9. *c.* 16. *n.* 21. Sanch. *li.* 7. *ſum. c.* 19. *n.* 55. & *c.* 20. *n.* 7. & *ſeq.* Leſſius *li.* 2. *c.* 41. *dub.* 9. *n.* 80. Econtra affirmat Sanch. *d. c.* 20. *n.* 10. & conſentit Suar. *t.* 3. *de rel. li.* 8. *c.* 11. *n.* 15. te peccare poſſe aduerſus iuſtitiã, non tamen aduerſus paupertatem, vt ſi à ſæcularibus fueris non tibi retinendum, ſed monaſterio tradendum vel aliena contra Domini voluntatem deſtruas, quia in iis actionib. nihil tibi vſurpas. Et idem eſt ſi ex voluntate ſuperioris furtum commiſſum retineres, peccares (inquit Sanch. & Suar.) contra iuſtitiam, ſed non contra paupertatem, quia non proprio, ſed alieno nomine rem vſurpas. At hæc mihi non placent, quia paupertatis violationẽ conſtituit rei temporalis vſus, & adminiſtratio abſque licentia legitima ſuperioris, at furans rem alienam, vt monaſterio tradas, cui tradere non potes, alienam rem vſurpas, illáque vteris abſque ſuperioris legitima licentia. Ergo peccas contra votum paupertatis. Nec te excuſat, quod eam accipias, vt monaſterio tradas, quia ea traditio nulla eſt, ſicut non te excuſaret, ſi eam acciperes, vt alteri ſæculari concederes. Neque item te liberat ab hac paupertatis tranſgreſſione, quod ex voluntate ſuperioris furtum commiſeris; quia ea ſuperioris voluntas vtpotè iniqua nullius eſt effectus. Non enim ſuperior concedere poteſt ſibi ſubditis recipere, quæ ipſe adminiſtrare nequit. Deinde deſtructio rei alienæ inuito Domino etiam eſt contra paupertatis votum: vſurpas enim rem alienam non retinendam, ſed conſumendam: quo vſu nihil magis proprium dominij excogitari poteſt. Violatio igitur paupertatis in vſu rei temporalis pretio æſtimabilis abſque ſuperioris legitima licentia conſiſtit. Et ita ſuſtinet Val. 2. 2. *diſp.* 10. *q.* 4. *punct.* 3. *verſ. patet*. Leſſius *li.* 2. *c.* 41. *dub.* 9. *n.* 79. Hic autem vius tripliciter contingere poteſt acceptione, retentione, & diſtributione.

PVNCTVM XXI.

Qua acceptione, & retentione paupertatis votum violetur.

SVMMARIVM.

1 *Videtur ex acceptione, & retentione abſque licentia, quod extenditur ad comeſtibilia.*
2 *Quanti hæc æſtimanda ſint, vt graue peccatum conſtituant.*
3 *Quid de rebus conuentus vſu præſentaneis non conſumptibilibus.*
4 *Si accipias ab externis, vt tibi retineas, illiſque vtaris, peccas.*
5 *Si accipias vt ſuperiori tradas raro poteſt eſſe mortale.*
6 *Accipere à ſæcularibus pecuniam in cuſtodiam vt opportunæ occaſione ex licentia ſuperioris vtaris, non videtur graue peccatum.*

1. QVæſito reſpondeo, ea acceptione, & retentione paupertatis votum violari, quæ abſque ſuperioris conſenſu

ſenſu ſit, nam eo ipſo ſit nomine proprio, colligitur expreſsè ex *c. non dicatis, 12.q.1. & ex c. cum ad monaſterium, de ſtatu monach.* & tradunt omnes. Ea autem, quæ accipere potes, vel ſunt bona conuentus, vel externorum. Si ſint bona conuentus, eáque occultes in tuum vſum proprium, peccas mortaliter ſtante materia graui tum contra iuſtitiam, tum contra religionem: Sic Suar. t. 3. de rel. *lib. 8. c. 11. n.59.* quia nomine proprio vteris re pretio æſtimabili inuito Domino. Solum aduerto ex comeſtibilib. quæ communiter religioſorum ſuſtentationi deſignantur, ſi ad tuum vſum accipias, grauiorem multo materiam deſiderari vt pecces mortaliter. Tum quia ſuperiores in hac parte non ſunt æquè inuiti, ſed inſtar patrum cum filiis ſe habent. Tum quia eo vſu parcis aliis rebus, quæ à ſuperiore in tui ſuſtentationem erant concedendæ. Sic Suar. *tom.3. lib. 8. cap. 11. numer. 41.* Sanch. *lib.7. ſum. cap. 21. à numer. 31.*

2. Quanti autem hæc comeſtibilia æſtimanda ſint, vt occulte accepta cenſeantur materiam grauem, & peccatum mortale conſtituere, prudenti arbitrio eſt definiendum, vt notant Suar. & Sanch. *ſuprà.* Si enim paulatim modica accipias etiamſi cum animo firmo perſeuerandi in ea iniqua acceptione, peccatum mortale non committes, niſi forte religioni grauis damnificatio fiat, religioſique alij debita ſuſtentatione priuentur. Sanch. *d.c.21.n.31.* At ſi ſimul hæc comeſtibilia accipias, vt ſic accepta occulte retineas, & paulatim conſumas; crederem te peccaturum mortaliter, ſi valorem vnius aurei excederent, quia grauem deformitatem continet hæc acceptio, & retentio, meritóque ſuperior eſt inuitus. Quod à fortiori procederet, ſi res accepta pretioſa ſit, neque ad communem vſum, ſed extraordinarium religioſorum, vel pro infirmis deſtinata eſt Sanch. *d.c.21. n.33.* Notanter dixi de acceptione, & retentione comeſtibilium ad tuum vſum: nam ſi ea accipias, vt vendens, vel cum externis diſtribuas, non dubito, minorem quantitatem ſufficere ad peccatum mortale conſtituendum, quia in eo vſu vtpote religioni magis nociuo ſuperior inuitus eſt, & ita notauit Leſſ. loquens de famulis, & filiisfamilias, *l.2. de iuſt.c.12. dub.8.n.48.* Sanch. *d.l.7. ſum.c.21. num. 11.*

3. Si vero quæ ex conuentu accipis non ſint vſu præſentaneo conſumptibilia, qualia ſunt libri, imagines, veſtes, & ſimilia, Diſtinguendum eſt, vel ea accipis, vt occultè retineas, & inſcio ſuperiore vtaris, ne poſſit à te auferre & in eo caſu manifeſtum eſt vſum eſſe mortaliter peccaminoſum, ſi per longum tempus vnius ſcilicet anni fiat. Suar. *lib.8. cap.12.n.4. & ſeq.* At ſi non occultè retineas, ſed palam habeas, ita tamen cum aliis rebus ex ſuperioris licentia poſſeſſis immixta, vt vix ſuperior diſtinguere poſſit, nec inuenire. Affirmat Azor. *t.1. inſt. mor. cap.12. q.3. lib.12.* ſi ſolum ad tempus, & non in perpetuum ea ſic velis retinere, non eſſe peccatum mortale. Verius tamen exiſtimo contrarium, ſi diuturno tempore horum retentio continuetur, quia eſt retentio abſque voluntate ſuperioris ipſo facto ita occulta, vt ſuperior moraliter loquendo ſic retentis vti non poſſit, nec pro libito diſponere. Adde, eſto à principio ex voluntate ſuperioris ea acceperis, ſi poſtea timens ne ea auferat, vis ita celare, vt non poſſit pro libito auferre, proprietarius eris, quia vis poſſidere rem irreuocabiliter, & à ſuperioris voluntate independenter. Sic Suar. *tom.3. de relig.lib.8.cap.12. num.4. & 6.* Sanch. *lib.7. ſum.c.19, numer. 57.*

4. Quod ſi bona, quæ accipis abſque ſuperioris conſenſu; externorum ſint, ea accipis, vt tibi retineas, & inſcio ſuperiore vtaris, non eſt dubium, eſſe acceptationem mortaliter peccaminoſam, ſi materia grauis ſit. Quod adeo verum eſt, vt etiamſi ſæcularis tibi eam ad vſum concedat, retento apud ſe Domino, adhuc tu illis vtens abſque ſuperioris conſenſu peccas mortaliter, quia voto paupertatis non ſolum priuaris rerum dominio, ſed illorum libero vſu, & à ſuperiore independente, vt benè tradit Azor. *t.1. inſt. mor. lib.12.c.12.q.2.* Leſſius *lib.2. de inſt.c.4. dub.5.n.28.* Sanch. lib.7. ſum. *c.19. n.53.* Neque ab hoc peccato proprietatis excuſat, quod ſic donata à ſæcularibus ſint comeſtibilia, quia etiam illorum vſus eſt pretio æſtimabilis, & contra votum paupertatis, ſi abſque conſenſu ſuperioris habeatur: tametſi, vt dixi, quantitas maior in his deſideretur ad peccatum mortale conſtituendum, quam in pecunia, aliiſque materiis. Imo maior expoſtulatur in ſic acceptis, quam in vſurpatis à conuentu, quia minus prælatus inuoluntarius eſt. Sanch. lib.7. ſum. *c.19.n.53. & c.21. à n.31.* Suar. *t.5. de relig.lib.8. cap. 11. n.41.*

5. Dixi ſi rem accipis, vt tibi retineas, nam ſi eam accipis ſuperiori tradendam, raro poteſt eſſe mortale peccatum. Tum quia ſuperior frequenter conſentit. Tum quia liber eſt ad rem acceptandam, vel repellendam, provt ſibi magis placuerit. At ſi daremus ſuperiorem eſſe inuitum, & quantitatem acceptam eo renuente grauem eſſe, non dubito poſſe per ſe peccatum mortale conſtituere, quia ea acceptio, & traditio in monaſterij vſus actus eſt proprietatis, quia eſt vſus rei tanquam propriæ, & ita tradit Suar. *d.lib.8. c.11.n.32.*

6. Sed quid ſi pecuniam, vel aliud quidvis à ſæculari acciperes in cuſtodiã, vt opportuna occaſione ex licentia ſuperioris libros emeres, aliiſque tuis neceſſitatibus ſuccurreres? Affirmant Sanch. *lib.7. ſum.c.19.n.50.* & Suar. *t. 3. de relig.li.8.c.11. fine n.45.* Laym. *lib.4.tr.5.c.7.q.1.* verſ. *At vero,* te excuſari à vitio proprietatis, eo quod nec dominium nec vſum, neque adminiſtrationem illius pecuniæ acceptas, ſed hæc omnia vis eſſe apud deponentem ſolo officio cuſtodis admiſſo. Quod voto paupertatis non videtur prohibitum, vt ſatis indicat *Nicol 3. in c.exiit*, verſ. *ad maiorem de Verb. ſignific.* vbi loquens de fratribus Minoribus in quorum fauorem ſæculares apud ſyndicum pecunias deponunt, inquit, Patet ex præmiſſis in tali commendatione pecuniæ ipſos fratres non ſolum à receptione pecuniæ, proprietate, dominio, vſu, ac contrectatione qualibet ipſius, & ab ea pecunia penitus eſſe alienos. Idem autem eſt; vt benè notauit Sanch. ſuprà ex D. Bonauent. quòd pecunia apud te, vel apud tertiam perſonam deponatur, ſi nolis illius dominium, vſum, aut adminiſtrationem acceptare ſuperiore inconſulto. Verum etſi aduerſus votum paupertatis hæc diſpoſitio non ſit, ſæpè eſt contra regulas, & religionis conſtitutiones; quippè multum minuit in Deum fiduciam, & non parum derogat paupertatis religioſæ profectioni, & ſplendori, ac proinde admittenda non eſt. Aduerte tamen ſupradictam depoſitionem non debere admitti in vim depoſiti, ſed ſolum in vim cuiuſdam familiaris cuſtodiæ, aliàs peccaret religioſus aduerſus paupertatis votum depoſiti contractum celebrando, quia eſto contractus nullus ſit, nullãmque obligationem monaſterio imponat, at velle quantum eſt ex ſe eam obligationem ſubire, & iura depoſiti deponenti concedere ſuperiore inconſulto, iniquum eſt.

PVNCTVM XXII.

Qua diſtributione, & diſpenſatione pecuniæ votum paupertatis violetur.

SVMMARIVM.

1 *Diſtributio ſine licentia tacita, vel expreſſa violaret paupertatem.*
2 *Si obtenta licentia ad vnum in aliud expendas, abſque alia præſumpta licentia peccas.*
3 *Ex bonis conuentus deſtinatis non licet religioſis priuatis eleemoſynas facere: ex bonis tantum vſui, ſpeciali illorum eſt conſuetudini ſtandum.*
4 *Quid de acceptis à ſecularibus? Sub diſtinctione reſpondetur.*

1. REgula eſt ab omnibus doctoribus recepta eam diſtributionem pecuniæ contra votum eſſe, quæ fieret abſque expreſſa, vel tacita ſuperioris licentia, quia eſt vſus ſatis apertus dominij. Quod non ſolum verum habet in donatione, ſed etiam in mutuo, depoſito, & commodato, vteris enim re tanquam propria. Non enim tibi licet alium pecuniæ vſum habere præter eum, qui à ſuperiore expreſſè, vel tacitè conceſſus eſt. Solum aduerto cum Sanch. li.7. ſum. *c. 29. n.65.* te ferè ſemper excuſari à mortali mutuando, commodando res ad tuum vſum deſtinatas, ſi ſecurus es de reſtitutione, aut conſeruatione illarum: quia videtur eſſe leuis materia. Ego dicerem, quia eo caſu ſuperior non cenſetur eſſe notabiliter inuitus.

2. Hinc infero, ſi licentiam habeas expendendi pecuniam in libros, v. g. te peccaturum ſi abſque alia licentia præſumpta aliter expendas, quia illa prior licentia limitata erat, neque ad aliam diſpoſitionem extenditur, ac proinde eſt vſus pecuniæ abſque licentia. Mend. *in quodlib.q.8.concl.* Man. Rodr. *q.reg.t. 3, q.29.art.10.concl.4.* Sanch. *lib.7 ſum.c.19, n. 68,* Suar. *t.3. de relig.lib.8.c.15.q.8.* Quapropter ſi pro iter agendo datæ tibi eſſent pecuniæ, tu vero ſtrictius ſolito viueres, non obinde poteris ex tibi ſubtractis libros emere, eleemoſynas facere; alterive vſui applicare, quia ſolum pro ſuſtentatione, & neceſſitatibus in itinere concurrentibus conceſſæ ſunt. Excipere tamen debes, niſi contrarium conſuetudine religionis receptum ſit. Plures enim religiones ſuis religioſis determinatam quotam pro cibo, & potu, aliiſque neceſſariis deſignant, ea lege, vt nihil amplius teneatur monaſterium eis dare, neque ipſi de reſiduo rationem reddere, ſed ſuo damno, vel incommodo eam expendunt. In his enim religionibus apertum eſt nullum eſſe peccatum reſidua donare, in aliumve vſum pium expendere. Sic Nau. *com.2. n. 8. de Reg. & li.3. conſ. tit. de Reg. conſ.75.* aliàs de ſtatu Mon. *conſ.3. n.46.* Petr. Nau. lib.3. de reſtit. *t.1. dub.1. n.158. in 2. edit.* Mol. *t.2. de iuſt. diſp.276.* verſ. *religioſus in conuentu* Sanch. lib.7. ſum. *c. 19. n.100.* Suar. *t.3. de relig. lib.8.c.15.n.8.* At in ea religione, vt in Societate Ieſu, in qua religioſis nulla quota determinata aſſignatur, ſed quæ fuerint neceſſaria ſingulis religioſis concedantur, nullatenus poſſunt quæ ſibi ſubtrahunt de ſuſtentatione etiam iter agendo in alios vſus expendere, quia ſolum vſum facti in particulari habent.

3. Secundò infero, ſingulis religioſis licitum non eſſe eleemoſynas

ſynas facere ex bonis communitati deſtinatis, quia non ipſis, ſed ſuperiori competit eorum bonorum adminiſtratio. Ex rebus tamen proprio vſui deſtinatis conſuetudini ſtandum eſt, ex qua colligitur expreſſa, vel tacita ſuperioris voluntas. In omnibus quippè religionibus receptum eſt, religioſos iter agentes, vel extra clauſtra in ſtudiis verſantes aliquas moderatas eleemoſynas facere poſſe, id enim & pietati, & religioni conſonum eſt. Imo & donationes aliquas leues conſanguineis, vel amicis in ſignum gratitudiuis beneficij recepti, vel in ſignificationem debitæ amicitiæ, vel ad conciliandam eorum voluntatem in fauorem religionis. Suar. *d. c.* 15. *à n.* 11. Procuratori conuentus ſolum eleemoſynæ ex rebus conuentus permittuntur, quarum fuerit præſcripta conſuetudo illius religionis, & voluntas ſuperioris præſumpta, aliàs non ſe geret vt prælati adminiſtrator, ſed vt Dominus Azor. *t.* 2. *inſtit. moral. lib.* 12. *c.* 10 *q.* 3. Sanch. *li.* 7. *ſum. c.* 19. *n.* 92. *&* 94. Suar. *t.* 3. *de rel. li.* 8. *c.* 15. *n.*, 9. Prælatus vero religionis in eleemoſynis, donationibuſve præſtandis ſeruare debet conſuetudinem ſuæ religionis, quia hæc indicant quid poteſtatis habeat, vt bene Suar. *c.* 15. *n.* 10. *&* 11.

4. Sed quid dicendum, ſi non bona conuentus, neque in tui vſum deſtinata, ſed à ſæcularibus accepta tradas conſanguineis, vel amicis eritne hæc traditio, & diſpenſatio contra paupertatem? Diſtinguendum eſt, ſi ea abſolutè accipias non ſolum contra paupertatem, ſed etiam contra iuſtitiam aduerſus religionem, cui illa bona tua acceptatione ſunt incorporata, peccas. At ſi ea nolis accipere, ſed donanti manifeſtes te eius nomine conſanguineis donaturum non videris iuſtitiam, nec paupertatem violare, non iuſtitiam, cum ex Domini voluntate traditio fiat non, paupertatem, quia tu nec donas, nec aliquid tradis conſanguineis, ſed ſæcularis tuo medio donationem præſtat. Sanch. lib. 6 de matr. *diſp.* 4. *n.* 7. *&* *lib.* 7. *ſum. c.* 19. *n.* 74. Suar. *t.* 3. *de relig. lib.* 8. *c.* 15. *num.* 16. Quod verum habet, etiamſi ſæcularis non deſignauerit quibus pecunia concedenda ſit, ſed id tuo arbitrio reliquerit, quia ſola perſonarum electio tibi competit quæ non eſt contra paupertatem, non tamen pecuniæ diſtributio, ſic Suar. *d. t.* 3. *de rel. li.* 8. *c.* 15. *n.* 16. At ſi ſæcularis pecuniam tibi concedat, vſum illius non determinans, ſed tuo arbitrio relinquens vt nomine ipſius in vſum quem elegeris, expendas, affirmat Suar. *d. c.* 15. *n.* 16. te peccaturum contra paupertatem ſic pecuniam accipiendo abſque voluntate ſuperioris; quia virtute accipis poteſtatem eam in tui commodum expendendi. Verùm excuſari ab hoc peccato poſſes, ſi nunquam in tui vſum expendas ſuperiore non conſentiente, neque eam voluntatem habeas, cum acceptas. Quia eo caſu comparatione tui ſolum habes eam pecuniam in cuſtodiam abſque poteſtate conuertendi eam in tui commodum. Neque obſtat ſæcularem tradentem tibi pecuniam nomine ſuo diſtribuendam æque in tui, ac in aliorum vſum conceſſiſſe; nam eſto ſæcularis eo modo concedat, tu liber es in acceptatione; ac proinde acceptare potes illam pecuniam ſic in aliorum vſum diſtribuendam abſque ſuperiori conſenſu. In tui vere vſum ex voluntate ſuperioris.

PVNCTVM XXIII.

Quæ licentia ſuperioris excuſet ſubditum à paupertatis tranſgreſſione.

SVMMARIVM.

1 *Licentia voluntaria debet eſſe.*
2 *Debet eſſe iuſta, hoc eſt abſque iniuſtitia.*
3 *Proponitur obiectio, & ſit illi ſatis.*
4 *Nulla eſt facultas ad vſus turpes, vanos & ſuperfluos.*
5 *Accipiens ſic pecunias debet reſtituere. Ex accidenti excuſari poteſt.*
6 *Hæc licentia ſufficit, ſi ſit tacita, vel præſumpta.*
7 *Tacita ſufficit, eſto ſuperior adiri poſſit.*
8 *Sufficit etiam præſumpta.*
9 *Sed ferè ſemper in hoc vſu veniale peccatum committitur.*
10 *Qualiter debita licentia ſufficere poſſit.*
11 *Quis ſit ſuperior, qui debet licentiam concedere.*

1. DIcendum eſt, ſolam licentiam voluntariam, & iuſtam, ſiue tacita ſit, ſiue expreſſa te à paupertatis tranſgreſſione excuſare. Quia ea poſita non operaris nomine proprio, ſed alieno ſcilicet ſuperioris, 1. Igitur debet eſſe licentia voluntaria abſque vllo metu, coactione, dolo, vel fraude exorta; quia hæc reddunt actum ſimpliciter inuoluntarium Sanch. *li.* 4. *c.* 19. *n.* 16. Suar. *t.* 3. *de relig. lib.* 8. *c.* 11. *n.* 14. Ad dolum vel fraudem reducitur, ſi ea taceas, quibus declaratis non ſolet licentia concedi, vel ea falsò exprimas, quorum ratione conceditur licentia, alias non concedenda, Suar. & Sanch. *locu alleg.* Secus vero ſi ea taceas, vel falſo exprimas, quibus tacitis, vel expreſſis non ſolet per ſe licentia concedi; tametſi difficilius concedatur. Suar. *d. c.* 11. *numer.* 14.

2. Secundò requiritur licentiam eſſe iuſtam, hoc eſt abſque iniuſtitia conceſſam. Si enim ex prælati voluntate aliena ſurripias, & de ipſis diſponeres non ſolum iniuſtus, ſed ſacrilegus aduerſus paupertatis votum eris. Prælatus enim poteſtatem non habet de alienis rebus inuitis ſuis dominis diſponendi. Ergo nec poteſtatem habet, vt tibi eam diſpoſitionem concedat. Ergo cum de facto concedat, ea conceſſio nulla eſt; neque in ea concedenda vt ſuperiorem & prælatum à Deo conſtitutum ſe gerit. Debet ergo licentia eſſe iuſta, vt vitium paupertatis excuſet; & ita ſuſtinet Nau. *comm.* 2. *de Regularib. n.* 21. Petr. Nauarra *lib.* 3. *de reſtit. c.* 1. *p.* 3. *dub.* 1. *n.* 168. & alij relati à Sanch. lib. 7. ſumm. *c.* 19. *n.* 21.

3. Dices voto paupertatis te obligatum vitare iniuſtitiam, ſed ſolum vitare proprietatem, quæ in eo conſiſtit, ne rebus temporalibus proprio nomine vtaris; at cum aliena ex conſenſu tui ſuperioris ſurripis, & de illis diſponis, non proprio, ſed alieno nomine illis vteris. Ergo vitas proprietatem. Ergo non eſt neceſſaria licentia iuſta pro vitanda paupertatis tranſgreſſione. Et confirmo, ſi pro ſuffragio ferendo, vel opere ſeruili in die feſto aliquid ex licentia prælati accipias, & expendas, valida eſt acceptio, & diſtributio. Ergo ſignum eſt validam eſſe licentiam, tametſi iniquè detur. Ergo ad vitandam paupertatem quæcunque licentia ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſit ſufficit, & ita ſuſtinet Suar. *t.* 3. *de rel. li.* 8. *c.* 11. *n.* 15. & alij plures relati à Sanch. *d. c.* 19. *n.* 20.

Sed hæc non vrgent, vt à propoſita, & communi ſententia recedamus. Fateor equidem te voto paupertatis obligatum non eſſe vitare iniuſtitiam, ſed ſolum proprietatem, quam violat alienis vtens, non quia vteris alienis præcisè, ſed quia illis vteris abſque licentia legitima, & iuridica ſuperioris. illa enim licentia, vtpotè iniqua, & iniuſta eſt licentia de facto non de iure, ac proinde te excuſare non poteſt. Ad confirmationem dico, dupliciter concedi tibi poſſe licentiam ad recipiendum pretium ob turpem actionem. Primò abſolutè, & antecedenter ad ipſum actum turpem. Secundò illo ſuppoſito; ſi abſolutè, & antecedenter ad actum turpem detur licentia nulla eſt quia eſt facultas ad faciendam iniquitatem: nam recipere pretium ſub onere & obligatione faciendi peccatum, iniquitas eſt. At ſi tibi detur licentia ad recipiendum pretium; caſu quo actionem honeſtam præſtiteris, valida eſt talis licentia, quia eſt de actu licito, & à fortiori valet licentia ad ſic acceptum expendendum.

4. Ex hac conditione deducitur non poſſe prælatum tibi concedere facultatem ad bonorum diſtributionem, turpem, vanam, & ſuperfluam; quia prælato vtpote non domino, ſed diſpenſatori, & adminiſtratori bonorum religionis non eſt datum ea diſtribuere in quemcunque vſum, ſed in vſum honeſtum, pium, & religioni congruum. Quapropter ſi de facto prælatus tibi eam concedat facultatem, cum nulla ſit conceſſio, non excuſaris ob illam è proprietate, & ita tenent Nau. & Petr, Nauarr. Sanch. *n.* 2. *relati.* Adde neque ipſum prælatum eam facultatem ſibi concedere poſſe; quia non poteſt ſibi ampliorem, quam ſubditis vſurpare iuriſdictionem. Deinde iuxta præſcriptum religionis ſibi, & ſubditis licentiam concedit, at non eſt præſumendum religionem velle, vt in actus turpes vanos, & ſuperfluos eius bona abſumantur. Ergo quoad huiuſmodi vſum nulla prælatus gaudet authoritate. Sic Nau. *li.* 3. *conſ.* 3. *de Reg. conſ.* 75; *aliàs, de Statu Mon. conſ.* 3. *n.* 42. *&* *com.* 2. *de Reg. n.* 21. *&* *com.* 3. *n.* 27. Sanch. li. 7. ſum. *c.* 19. *n.* 23.

5. Deinde deducitur, accipientem pecunias à religioſo in vſus turpes, vanos, & ſuperfluos expenſas per ſe obligatum eſſe monaſterio reſtituere; quia ſunt acceptæ ab eo, qui eas dare non poterat, & contra voluntatem religionis, quæ illarum dominus eſt: ſic docent Sylueſt. *relig.* 6. *q.* 7. Mol. *t.* 1. *de iuſt. diſp.* 140. verſ. *ſi aliquid, & t.* 2. *diſp.* 276. Man. Rodr. *qq. reg. n.* 2. *q.* 125. *art.* 2. Petr. Nau. *lib.* 3. *de reſtit. c.* 1. *dub.* 3. *n.* 138. Sanch. lib. 7. ſum. *c.* 19. *n.* 30. Dixi *per ſe*, quia ex accidenti cenſeo frequenter ſic accipientem deobligatum eſſe à reſtitutione, eo quod facta alienatione præſumi poteſt religionem conſentire, ne ſibi reſtituantur ſic accepta. Quod facere poteſt, ne eius, & religioſi honor periclitetur: ſic docet Rebel. *de oblig. iuſt. 2. p. lib.* 12. *q.* 4. *ſect.* 2. *n.* 6. & generaliter accipientem à religioſo habente à ſuperiore facultatem expendendi pecuniam in vſus, qui ſibi placuerint, non eſſe obligatum reſtituere docuerunt Bannes, 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *dub.* Lud. Lop. *lib.* 2. *de contract. c.* 40. verſ. *an autem religioſus, & alij viri docti* eo fundamento ducti, quia eſto religio in modo expendendi pecuniam inuita fuerit, non tamen in illius diſtributione, cum licentiam generalem conceſſerit. Sed eſt friuola ratio; ſiquidem modus ille diſtributionis ab illa determinata diſtributione non diſtinguitur; ac proinde cum modus ſit præter voluntatem religionis, & ipſa diſtributio præter eius voluntatem cenſenda eſt, & obligationem per ſe reſtitutionis in accipiente inducit.

6. Tertiò, hæc licentia voluntaria, & iuſta debet eſſe expreſſa, tacita, vel præſumpta. Quocunque enim ex his modis habeatur, ſufficit ad excuſandum proprietatis vitium. Nam eo poſito

ponto verum erit te non operari proprio nomine, & à ſuperiore independenter ab eius voluntate, cui tum operationem ſubijcis. Et quidem hanc licentiam tacitam vel præſumptam ſufficere ad excludendam proprietatem, quando ſuperior commodè adiri non poteſt, & vrget occaſio accipiendi, retinendi, vel expendendi, certum eſt ex benigna interpretatione voti paupertatis, quòd præſumi non debet extenſum fuiſſe ad expreſſam licentiam moraliter impoſſibilem. Sic Suar. *to.3. de relig. lib.8. c.11. n.3.*

7. Deinde exiſtimo certum, etiamſi ſuperior adiri poſſit, licentiam tacitam ſufficientem eſſe. Illam voco tacitam licentiam, quæ virtute in alia expreſſa continetur, vt ſi ſuperior tibi concedat licentiam peregrinandi, nec prohibeat aliquid recipere, & recepta expendere, eo ipſo cenſetur conceſſiſſe, teſte Suar. *t.3. de rel. li.8. c.11. n.7.* Item ſi conſuetudine introductum ſit, te poſſe aliqua recipere, retinere, vel expendere, & ſuperior conſuetudinem non reuocet, cum poſſit, ea omnia cenſetur approbare, Sic Suar. *d.t.3. lib.8. c.11. n.7.* Sanch. *li.7. ſum. c.19. n.7.* At idem eſt, ſi ſuperiore conſcio, nec prohibente, cum facilè poſſet, aliquid recipias, retineas, aut expendas, quia in ea diſſimulatione virtute continetur quædam approbatiua voluntas, *c. error. c. conſentire, 83. diſt.* Secus eſſet, ſi difficulter impedire poſſet; eo quod timet domum eſſe pertutbandam tuis querelis; quia eo caſu ea diſſimulatio non eſt licentiæ conceſſio, ſed facti permiſſio, quæ te non excuſat. Sic Nau. *conſ.2. de Regul. n.22.* Mendoza *in ſuis quodlibet, q.8. concl.7.* Man. Rodriq. *q. regul. t.3. q.29. art.11.* Sanch. lib.7. ſum. *c.19.* Suar. *dicto cap.11. n.8.*

8. Difficultas ſolum eſt de licentia præſumpta, quando ſcilicet præſumis ſuperiorem daturum fore licentiam, ſi ab eo peteres, & tu præ verecundia, aliovè humano reſpectu petere omittis: an eo caſu à proprietate excuſeris? Videris non excuſatus, quia licentia futura ſuperioris, cùm de facto non ſit, non poteſt efficere, vt nomine illius diſpoſitio præſtetur. Cæterum communis ſententia docet ſupradictam licentiam præſumptam ſufficientem eſſe ad vitandam proprietatem. Quia ad hunc effectum ſufficit, quod voluntati ſuperioris ſaltem futuræ nixus opereris. Si enim ad vitandum furtum, ea præſumptio de voluntate domini ſufficit, vt conſtat ex *l. inter omnes, §. rectè, ff. de furtis*, à fortiori ſufficit ad vitandam proprietatem. Neque credendum eſt vouentes paupertatem ſtrictius ſe obligare voluiſſe. Atque ita ſuſtinet Nau. *com. 2. de Reg. n.20.* Petr. Nau. *lib.3. de reſt. c.1. p.3. dub.1. n.160.* Val. *2.2. diſp.10. q.4. pun.3. poſt initium*, Azor. *t.1. inſt. mor. lib.12. cap.12. q.2.3. & 4.* Sanch. *lib.7. ſum. c.19. n.4.* Suar. *t.3. de relig. lib.8. c.11. n.4.* Qualis autem cognitio huius voluntatis futuræ deſideretur, an certa, an ſufficiat probabilis? Variant Doct. Plures affirmant certam requiri: aliàs erit periculum operandi abſque vlla licentia, & contra domini voluntatem: ſic Mol. *t.2. de iuſt. diſp. 276. circ fin.* Petr. Led. *2.2. ſum. tr 8. c.21. diffic.7.* Verius tamen eſt probabilem cognitionem ſufficere, quia ſic operans moraliter certus eſt de voluntate ſuperioris, neque periculo morali operandi ſine licentia exponitur tametſi phyſico exponatur. Sic. Nau. *com.2. de Reg. n.20. & 17. ſum. c.17. n.5.* Leſſius *lib.2. de iuſt. c.2. dub.8. n.49. & c 41. dub.9. n 80.* Mendoza in quolib. *q.8 concl.8.* Sanch. plures referens, lib.7. ſum. *c.19. num 13. in fine*, Suar. t.3. de rel. *lib.8. c.11. n.11.*

9. Aduerto tamen in hac receptione, & bonorum diſpoſitione ferè ſemper peccatum veniale committi; eo quod ſuperior cum commodè adiri poteſt, ægrè ferat hanc clandeſtinam, & furtiuam receptionem, & diſpoſitionem, vtpotè obſeruantiæ religioſæ, & paupertatis puritati ſatis aduerſam. Sed quia hæc contradictio ſolum eſt de modo clandeſtino, & furtiuo non de ipſa receptione, & diſpoſitione, culpam venialem non excedit. Sic Nau. Suar. Sanch. *n præcedenti relati.*

10. Rurſus aliqui dicunt ad vitandam proprietatem non requiri licentiam, expreſſam, tacitam vel præſumptam; ſed ſufficere debitam: ſic docuit Mend. *in quodlib. q.9. in fin.* Et mouetur, quia voto paupertatis non te obligaſti ad paupertatem irrationabilem. Sed in hac re in primis dicendum eſt licentiã præſumi poſſe, quoties eſt debita, quia ſemper præſumi poteſt ſuperiorem operaturum ſecundùm regulas rectæ rationis. Quare prædicta quæſtio ſolum locum obtinet, cum ſuperior eſt expreſsè negat licentiã, quam debebat cõcedere, quod non facilè preſumendũ de ſuperiore, qui plurib. rationibus moueri poteſt ſubdito occultis, quæ negatam licẽtiam honeſtent. Cõceſſo tamen gratis ſuperiorem imprudenter, & præter religionis morem licentiam tibi nega e; non obinde infertur te poſſe aduerſus paupertatis votum procedere ſicuti non infertur voto caſtitatis obſtrictum ducere vxorem poſſe diſpenſatione non obtenta; tametſi imprudenter, & præter conſuetum diſpẽſatio negetur. Dicendum igitur eſt dupliciter licentiam debeberi poſſe, vel ex debito ſe tenente ex parte prælati tantum, vel ex debito ſe tenente ex parte ſubditi. Si debita ſit licentia ex parte prælati tantum, & negetur; non excuſaris à voti trãſgreſſione. At ſi licentia tibi ſit debita; eo quod à religione ius habeas, vt tibi concedatur; credo eſſe ſufficientem, ne votum violes, quia eſto ſuperior licentiam neget, à religione iure ipſo conceditur. Quapropter ſi prælatus tibi non ſuppeditaret neceſſaria ad victum, & veſtitum iuxta morem receptum religionis, ſi inſuper negaret facultatem ab externis accipiendi, illa negatio nullius conſiderationis eſſet vtpote iniqua, & contra ius à religione tibi conceſſum. Aliàs prælatus poſſet te obligare ad paupertatem ſtrictiorem promiſſa.

11. Tandem requiritur, vt licentia à vero ſuperiore, vel ſic communiter reputato procedat. Si autem plures ſuperior ſubordinatos habeas, non eſt opus, vt ab omnib. licentiã obtineas ſufficit ab aliquo illorum, cuius poteſtas à ſuperiore illius reſtricta non ſit, ſolũ eſt dubium de monialibus; an Abbatiſſa ſit verè illarũ ſuperior potens eis concedere facultatẽ accipiendi, retinendi, & diſtribuendi? Et dicendum eſt poſſe; quia verè habet adminiſtrationẽ bonorũ cõuẽtus, ipſíque obedientia promittitur, atq; ita docẽt Lud. Lop. *1.p. inſtr. conſcient. c.155. circ. fin. & li.2. de contr. c.48. verſ.3. dicimus.* Cordub. *ſum. q.54. duo. vlt.* Greg. Lop. *l.14. verb. propr. t.7. p.1.* Laym. *lib.4. tr.5. c.7. n.15.* & alij, quos refert, & ſeq. Sanch. lib.7. ſum. *c.19. n.44.*

PVNCTVM XXIV.

Quæ pœnæ impoſitæ ſint violantibus paupertatem?

SVMMARIVM.

1 *Tres ſunt: Prima, ne in loco ſacro ſepeliatur.*
2 *Secunda: Expulſio à conuentu, vel in eo recluſio.*
3 *Tertia: priuatio vocis actiuæ, & paſſiuæ.*
4 *Indigent hæ pœnæ iudicis ſententia, & ſolum pro retentione ſunt ſtatutæ.*

1. IVre canonico tres tantùm pœnæ reperiuntur ſtatutę. Prima, ne in loco ſacro, ſed in ſterquilinio cum ſua pecunia ſepeliatur religioſus, qui fuerit conuictus deceſſiſſe retinendo proprium: habetur, *c. Monachi, & c. cum ad monaſterium, de ſtatu Monach.* Quod ſi in loco ſacro ſepultus fuerit, extrahi debet, ſi abſque ſcandalo fieri poſſit. *c. ſuper quodam eodem tit.* Et licet ſpectato iuris rigore, & exemplo D. Gregorij *lib.4. Dialog. c.55.* tota pecunia ſimul cum proprietario eſſet ſepelienda, at ex benignitate quælibet pars ſufficit arbitrio iudicis; quia per eam ſatis abundè proprietarij perditio ſignificatur, reliquis in vſus vtiles reſeruatis. Sic Abb. *d. c. cum ad monaſt. n.15.* Io. Andr. *n.4.* Greg. Lop. *l.14. n.3. to.7. p. art. 1.* Sanch. *lib.7. ſum. c.20. n.11.* Laym. *lib.4. ſum. tr. 5. c.7. n.22.*

2. Secunda pœna eſt expulſio à conuentu *d. c. cum ad monaſterium.* At hæc pœna correcta eſt, *c. fin. de Regul.* ne religioſis daretur occaſio vagandi, ſed loco illius in carcerem detruduntur, & ibi pro qualitate culpæ plecti debent. Abbas *d. cap. cum ad monaſterium n.13.* Sanch. & Laym. *ſupra.*

3. Tertia pœna eſt, vt priuetur proprietarius voce actiua, & paſſiua per biennium, aliiſque pœnis puniatur iuxta religionis conſtitutiones. Sic ſtatutum eſt à Trid. *ſeſſ.25. c.2. de Reg.*

4. Aduerte has pœnas non incurri ante iudicis ſententiam, quod de priuatione Eccleſiaſticæ ſepulturæ, & recluſione in carcerem dubium eſſe non poteſt. De priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ ſatis indicant illa verba *deprehenſus conuictuſque fuerit*, quæ actionem iudicis ſonant, atque ita notauit Sanch. *lib 7. ſum. c. 20. n. 14.* Secundò aduerte non cuicunque vitio proprietatis has pœnas eſſe ſtatutas, ſed ſolum retentioni. Nam eſto acciperes abſq; licentia, vel acceptũ expenderes, ſi tamen conuictus nõ fueris retinere, ſupradictæ pœnæ locum non habẽt, Sanc. *d. c. 20. n. 13.* & Laym. li. 4. ſum. *tr. 5. c. 7. in fin.*

DISPVTATIO IV.

De voto religioſæ obedientiæ.

AN religioſa obedientia contineat vltra votum, promiſſionem obediendi prælatis religionis, & traditionem in eorum poteſtatem, & quod peccatum ſit illius tranſgreſſio?

PVNCTVM I.

1 *Religioſa obedientia continet votum formaliter, & acceſſoriè promiſſionem, & traditionem prælato factam.*
2 *In violatione obedientiæ plures malitiæ continentur.*
3 *Expenditur, quæ malitiæ contineantur.*
4 *Tranſgreſſio regulæ quas contineat malitias.*

1. BReuiter reſpondeo, religioſam obedientiam in ſua formali ratione votũ Deo factum obediendi prælatis cõtinere, habere tamen ſibi adiunctam humanam promiſſionẽ, & traditionem. Priorẽ partẽ ſic probo. Nã cũ votũ ſit promiſſio facta Deo, & non homini, votũ obedientiæ continere ſolũ debet in ſua formali ratione promiſſionẽ Deo factam obediendi homini, quod abſque vlla promiſſione, vel traditione ipſi homini facta ſtare optimè poteſt, ſicuti ſtat votum dandi elee-

moſynam

mosynam Petro, quin Petro promissio dirigatur, 2. conclusionis pars constat ex religioso statu, qui est perfecta quædam abnegatio sui (vt passim patres docent) ob cuius causam (iure sic disponẽte) te propria libert. & dominio spolias, & in prælatum religionis, transfers, eique te totum tradis regendum, & gubernandum efficacius quam seruus traditus est domino, & filius patri. In hac traditione virtute continetur promissio exequendi superioris præcepta, si quidem ad hunc finem te tradis; aliter enim regi aut gubernari non potes. Sed ne hæc traditio, & promissio humana tantum sit, voto religiosæ obedientiæ superaddito sacratur. Quo præstito factum est gratissimum Deo sacrificium, & holocaustum, vt latiùs prosequitur Suar. 3. *tom. lib.* 10. *c.* 5. *per totum*, præcipuè à n. 4.

2. Verum ex hac explicatione conuinci videtur violationem obedientiæ religiosæ plures malitias specie distinctas continere; continet enim malitiam sacrilegij aduersus votum, & promissionem Deo factam. Et insuper malitiam iniustitiæ aduersus prælatum, seu religionem, cui est promissione, & traditione religiosi ius acquisitum. Et præterea continet malitiam aduersus illam virtutem, circa quam versatur actus imperatus, vt si præceptum sit de ieiunio continebit malitiam intemperantiæ, si fuerit de Missa audienda, oratione fundenda, continebit malitiam irreligionis; superior enim ob iurisdictionem, quam à Pontifice obtinet, potestatem habet, rem præceptam constituendi in specie necessaria virtutis, quæ aliàs constituta non erat. Deinde inobedientia continet malitiam aduersus obedientiæ virtutem. At durum videtur in vno actu tot malitiæ species multiplicari. Ergo dicendum est, in religiosa obedientia solum adesse votum, seu promissionem Deo factam excluſa promissione, & traditione humana, aliáve superioris iurisdictione.

3. Nihilominus à proposita doctrina recedendum non est. Concedo enim te violantem superioris præceptum peccare aduersus religionem ob transgressionem voti, & aduersus iustitiam ob ius religioni per traditionẽ acquisitum; imò & aduersus veracitatem, & fidelitatem debitam ob promissionẽ in ipsa traditione inclusam. Neque est inconueniens, vnicũ actum duplicem, vel triplicem malitiam continere, si plura iura violet, vt patet in famulo, vel seruo obligato ex iustitia sui domini mandata exequi, qui si votum eliciat ea mandata exequendi, dupliciter, vel tripliciter peccabit transgrediens domini mandatum aduersus iustitiam, fidelitatem, & religionem: atque ita tradit Suar. *t.* 3. *de rel. lib.* 10. *c.* 6. *n.* 3. At aduersus eam virtutem, circa quam actus imperatus versatur, non semper es censendus peccare, sed solum quando superior tibi præciperet vtens iurisdictione Ecclesiastica à Pont. concessa, quod non est præsumendum, nisi clarè exprimat, scilicet imperando sub pœna excommunicationis, vel statuendo legem. Nam cum possit ob obedientiam sibi debitam ex voto præceptum imponere; credendum est absolutè præcipientem eam solum exigere. Sic docet Sanch. *lib.* 4. *sum. c.* 111. *n.* 25. Suar. *tom.* 3. *de rel. lib.* 10. *c.* 6. *n.* 6. Laym. *lib.* 4. *tr. c.* 7. *n.* 6. Quando verò sub pœna excommunicationis, vel alterius censuræ præcipit, credo iurisdictione Ecclesiastica vti non solum in censuræ impositione, de quo non est dubium, sed etiam in ipsius præcepti impositione, ob cuius transgressionem censuram fert. Et idem est quoties imperat statuendo legem; quia legem nullus ferre potest, nisi iurisdictionem habeat. Et in his casibus violans legem, vel præceptum vltra prædictas malitias sacrilegij, & iniustitiæ, peccat aduersus illam virtutem, cuius rectitudinem per actum imperatum procurabat superior obtinere.

4. Hinc deducit Sanch. *lib.* 4. *sum. c.* 11. *n.* 25. cum Vasq. 1. 2. *disp.* 162. *num.* 16. si transgrediaris regulam aliquam, seu constitutionem obligantem sub mortali, esse duplicis malitiæ reum, scilicet aduersus votum, & aduersus illam virtutem, circa quam actus imperatus versatur; quia regula est quædam lex. Sed distinguendum existimo, si id quod à regula imperatur, aliàs lege Ecclesiastica, vel diuina præcipitur, credendum est regulam; legem propriè non esse, sed admonitionem, & excitationem obligationis impositæ: tradit Sanch. *lib.* 6. *moral. c.* 4. *n.* 6. Layman. *lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 6. At si regula præcipit, quæ aliàs sub præcepto non sunt, adhuc est distinguendum; si absolutè præcipiat, erit lex rigorosè sumpta, & constituet transgressionem in duplici illa specie malitiæ: at si præcipiat addens in virtute obedientiæ, existimo constitutionem legem non esse obligantem ex iurisdictione Ecclesiastica, sed ex voto, & ob honestatem diuini cultus, solamque malitiam irreligionis, & iniustitiæ continere. Illa enim verba ex virtute obedientiæ, clarè denotant obligationem ex voto postulari, & non aliam imponi. Quod si demus regulam, vel præceptum superioris titulo iurisdictionis Ecclesiasticæ obligare, non caret probabilitate cessare eo casu obligationem voti, & traditionis religiosæ: quia non est credendum, etsi fieri possit, superiorem velle duplici potestate & obligatione vti in suo mandato, scilicet potestate iurisdictionis, & voti, cum æquum non sit absque graui causa occasionem præbere tot malitias multiplicandi. Suar. *t.* 3. *de rel. lib.* 10. *c.* 6. *n.* 6.

PVNCTVM II.

Cui prælato ex voto obedientiæ parere religiosi debent, & qualiter ipse debeat præcipere.

SVMMARIVM.

1 *Omnibus superioribus debet religiosus parere.*
2 *Abbatissam non posse suis monialibus in virtute obedientiæ præcipere docet Sanch. Probabilius est oppositum.*
3 *Potest præcipere Abbatissa eo fine, vt saluti subditarum consulat.*
4 *Pontifex vt supremus prælatus potest obligare quoslibet religiosos.*
5 *Episcopus præcipere potest monialibus sibi subiectis; non tamen religiosis exemptis, nisi in aliquibus casibus, & qui hi sint.*
6 *In religiosos non exemptos communis sententia defendit Episcopum non posse præcipere quæ pertinent ad disciplinam regularem, sed tantum ad Ecclesiasticam. Probabilius est oppositum.*
7 *Qualiter dicti prælati præcipere debent, vt teneantur ex voto obedientiæ subditi.*

1. NOn est dubium te obligatum esse parere prælatis tuæ religionis, scil. Prouinciali, Generali, & Præposito locali, seu Rectori conuentus, quia hi verè superiores sunt, quibus te obediendo subdidisti. Seruare tamen debes ordinem inter illos, vt Generalis Prouinciali, & Prouincialis Rectori præferatur: quia inferioris iurisdictio non se potest extendere aduersus superioris iurisdictionem, nec contrarium illius præcipere, esset enim iniquum præceptum, atque adeò non seruandum. Sic Suar. *t.* 3. *de rel. lib.* 10. *c.* 11. *n.* 6. *& seqq.* Horum tamen iurisdictio ordinaria est; ac proinde delegari potest. Non tamen censetur delegata officialibus domus v. g. vicario chori, conuentus, Ecclesiæ vel etiam in actibus ad suum officium pertinentibus vt latius tradit Suar. *d. c.* 11. *n.* 18. *&* 19.

2. Solum de triplici superiore est difficultas. An ex voto obedientiæ suis subditis imperare possint, nempe de Abbatissa in moniales. De Episcopo in religiosos non exemptos, & de summo Pontifice in omnes religiosos. Et quidem Abbatissam in virtute obedientiæ non posse suis monialibus imperare, docuit Victoria *de potest. Eccl. q.* 2. *n.* 4. quem sequitur Sanch. lib. 6. sum. *c.* 1. 21. quia Abbatissa, (iure Ecclesiastico saltem) incapax est iurisdictionis spiritualis, at ad imperandum ex virtute obedientiæ iurisdictio spiritualis videtur requiri; quippe ille modus imperandi finem spiritualem respicit. Cæterum dicendum est Abbatissam suis monialibus præcipere posse quidquid expediens esse iudicauerit ad rectum sui monasterij temporalem, seu politicam gubernationem. Nam cum ab ipsa religione constituta sit monasterij gubernatrix, & hanc gubernationem non possit conuenienter præstare absque iurisdictione, ea de causa ad hæc imperanda illi iurisdictio concessa est. Vnde potest prohibere monialibus ne cum externis loquantur, ne litteras accipiant, vel scribant, ne ad hortos exeant, & alia similia, quæ rectæ gubernationi domesticæ, & bono nomini conuentus congruunt. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *art.* 4. *vers. hinc fit.* Bart. de Led. sum. *Sacram. vbi de claus. difficul.* 4. *dub. vlt.* Sanch. aliis relatis, lib. 6. sum. *c.* 1. *n.* 17. Deinde potest de defectibus monialium commune bonum impedientibus inquirere, & delinquentes punire; quia hæc potestas ad politicam gubernationem pertinet, quod solum vi voti absque traditione dominij fieri non poterat, vt rectè notauit Vasquez 1. 2. *t.* 2. *disp.* 166. *c.* 4. Sanc. li. 5. sum. *c.* 1. *n.* 20. *& li.* 6. *c.* 1. *n.* 27. Hoc posito certissimum est, Abbatissam obligare posse moniales sub virtute voti ad exequenda, quæ aliàs ex iurisdict. temporali, & politica præcipere potest. Si enim Rector alicuius vniuersitatis, vel collegij scholaribus præcipere potest sub pœna præstiti iuramenti, quæ sibi visa fuerint rectæ vniuersitatis gubernationi conuenire; à fortiori Abbatissa poterit monialibus sub pœna præstiti voti præcipere quæ ad rectam domus gubernationem conducunt, cum votum illud fuerit emissum de obediendo Abbatissæ saltem in iis, in quibus ipsa habet iurisdictionem, & ita tenet Sanch. lib. 6. sum. *c.* 1. *n.* 22.

3. Deinde probabilius existimo Abbatissam ex vi voti non solum præcipere posse supradicta, quatenus rectæ domus gubernationi congruunt, sed quatenus congruunt spirituali cuiuscunque profectui, atque adeò præcipere posse omnia illa, quæ iuxta regulas, & constitutiones obseruare moniales tenentur. Qui negari non potest, te posse voto simplici obligari fœminæ, vel laico obedire in iis, quæ ipsi iudicauerint ad tuũ spiritualem profectum conuenire, tametsi ex hoc voto nullã spiritualem iurisdictionem obtineant. Quæ enim in hac obligat. est repugnãtia, aut indecẽtia? Similiter ergo possũt moniales vouere obedire Abbatissæ in iis quę cõueniẽtia fuerint iuxta cõstitutiones religionis earũ spirituali profectui. Ergo cre-

dendum, eſt ea intentione votum emiſſum eſſe ; cum id ſit religioni congruentius. Adde , ſi Abbatiſſa ſolum præcipere poteſt ex voto , quæ rectæ domus gubernationi conducunt , & in ordine ad hunc finem; efficitur ſanè moniales, quibus præcipit , ne abſque eius licentia litteras mittant , vel recipiant, neve cum externis colloquantur , non peccaturas mortaliter, ſi occultè , & abſque vlla domus perturbat. opinioniſve diminutione hæc præſtent, quia ceſſat finis , ob quem præceptum impoſitum eſt. Inſuper efficitur non peccaturas mortaliter, quibus imperatum eſſet Miſſam aliquo die feriali audire;aliáve opera pietatis exercere,ſicuti communiter dicitur de ſcholaſticis quibus Rector collegij ſub pœna præſtiti iuramenti aliquot ſingularibus diebus præcipit Miſſæ auditionem,quam ſi omittant , non cenſentur mortaliter peccare. At durum eſt hæc omnia admittere;cum ex illis diſciplina religioſa , & obſeruantia regularis non parùm labefactetur. Ergo dicendum eſt , per ſe Abbatiſſam ex voto præcipere poſſe monialibus quæ eo titulo prælat. localis poteſt ſuis ſubditis , & ita tenet Suar. *tom.3.de rel.lib.*10. *c.*11.*in fine n.*20. tametſi contrar. doceat Sanch. *aliis relat.lib.6.cap.*1.*n.*19.

4. De ſummo Pont. ferè omnes Doct. cenſent poteſtatem habere obligandi quoſlibet religioſos ad obſeruantiam regularem , non ſolum ex iuriſdictione ſibi à Chriſto conceſſa , ſed etiam ex obedientiæ voto , quod ipſi cenſendum eſt emitti, tanquam ſupremo omnium religionum generali ; nam cum ipſe omnium prælatorum caput ſit , ab eóque eorum iuriſdictio dependeat , conueniens erit , vt obligatio illis ex voto acquiſita efficacius ei acquireretur. Deinde cum ipſe religiones approbauerit , credendum eſt ſub ea conditione approbaſſe , vt ipſe ſupremus illius religionis prælatus exiſteret; atque ita tenent Sotus , *lib.*7. *de iuſtit. p.*3. *artic.* 1. Nauarr. *ſum. cap.*12. *num.* 76. Suar. *tom.*3. *de relig. lib.*10. *cap.*11. *n.*13. Sanch. *lib.*6.*ſum.cap.*1.*num.*8.Layman.*lib.*4.*ſum.tract.*5.*cap.*8. *numer.* 3.

5. Reſtat dicendum de Epiſcopo , de quo duo certa ſunt. Primum:Monialibus ſibi ſubiectis poſſe in virtute obedientiæ præcipere; quia eſt earum ſuperior, inſtar alij prælati regulares.Sanch. *lib.*6. *ſum.c.*1.*n.*11. Secundum : In religioſos exemptos, (quales ſunt fere omnes alij religioſi) non habere ex vi voti poteſtatem præcipiendi ; quia abſolutè non eſt eorum ſuperior quoad regularem obſeruantiam, tametſi in aliquibus actionibus ad diſciplinam Eccleſ. pertinentibus eos ſubiectos habeat , videlicet in librorum impreſſione , in audiendarum confeſſionum , officiique prædicandi licentia , in obſeruat. feſtorum, & cenſuratum , in aſſiſtentia ad publicas proceſſiones , in componendis controuerſiis de præcedentia locorum, in punitione religioſi publicè delinquentis , in explorat. voluntatis puellæ profeſſuræ. Quos tamen religioſos, ſi priuilegium habeant à ſede Apoſtolica , ne poſſint excommunicari, ſuſpendi , aut interdici (quale habent omnes Mendicantes, vt conſtat ex eorum compendio, verbo *exemptio* , *num.* 9. 23. & 24. Et Societas Iesv ex bulla Pauli III. *edita anno* 1549. & omnes alij religioſi, qui in mendicantium priuilegiis communicant) nequit Epiſc. ad hæc obſeruanda cenſuris Eccleſ. cogere, niſi in caſibus à Trid. expreſſis, videlicet cum abſque licentia celebrant in oratorio priuato , & horis non debitis, ſuperſtitionéſve in celebrat. admittunt, vti dicitur , *ſeſſ.* 22. *decreto de vitandis,& obſeruandis in celebr. Miſſa*, vel quando clauſuram monialium tentant impedire *ſeſſ.*25. *c.*5. *de Reg.* vel cum nolunt bona nouitiis reſipiſcentibus reſtituere , *ead. ſeſſ. cap.*16. In aliis verò caſibus depoſitione, detruſione in arctius monaſt. aliiſve pœnis arbitriis procedere debet, vt rectè dixit Gl. Hoſt. Io. Andr. & alij *in c.*1. *de priu. in* 6. & pluribus firmat Sanch. *lib.*7. de matr.*diſp.*33.*n.*23.Aug. Barb.3.*p. de poteſt. Epiſ. all.*78. *n.*25.

6. Dubia quæſtio eſt de Epiſc. comparat. religioſorum non exemptorum (ſi qui vltra moniales ſint) habeat ne poteſtatem ex vi voti eos compellendi ad obſeruantiam regularem. Communis ſententia negat , ſolumque admittit compulſionem in pertinentibus ad diſciplinam Eccleſiaſt. in qua Epiſcopus præferendus eſt prælato regulari , ſecus in obſeruandis religionis ſtatutis,ſic tenet Sanch. aliis relatis, lib.6. ſum. *c.*1. *n.* 13. Laym. lib.4. ſum. *tr.*5. *cap.*8. *num.*2. Et videtur eſſe D. Th.*in* 2.*diſt.* 44. *in expoſit. litt. ad* 3. Cæterum verius cenſeo poſſe Epiſcopum religioſos non exemptos ad obſeruantiã regularem cogere non ſolum ex poteſtate iuriſdictionis ; ſed etiam ex poteſtate dominatiua orta ex voto obedientiæ , & traditione religioſorum ſibi facta. Moueor primò quia ſi hi religioſi non eſſent obligati Epiſcopo obedire , ſed ſuo regulari prælato in pertinentibus ad regularem obſeruantiam, abſolutè exempti eſſent ab Epiſcopi iuriſdict. quod eſt contra ſuppoſitum. Secundò prælatus regularis horum religioſorum vel habet iuriſdict. in ſuos religioſos immediatè à Papa , vel medio Epiſcopo. Si immediatè à Papa, erit religio exempta, de qua non eſt ſermo : ſi medio Epiſcopo; ergo Epiſcopo, vtpote principaliori prælato , & à quo prælati regularis iuriſdictio dependet, obedientia promittitur. Tertiò , Communis eſt apud Doct. Epiſcopum in ſua diœceſi poſſe , quidquid Pontifex in tota Eccleſia , niſi eius poteſtas à Pontifice limitetur. Sed de Pontifice dixim. ex vi voti poteſtatem habere in totius Eccleſiæ religioſos , vt eos ad obſeruantiam regularem compellat. Ergo idem affirmandum eſt de Epiſcopo in ſua diœceſi, dum non reſtringitur eius poteſtas. Quartò , Rationes , quibus mouetur communis ſententia ad aſſerendum Pontificem eſſe ordinarium paſtorem religioſorum , in eoſque poteſtatem dominatiuam habere, procedunt in Epiſcopo comparat. eorum religioſorum , qui ſua iuriſdict. exempti non ſunt. Ob duplicem enim rationem ea poteſtas dominatiua affirmatur de Pontifice ; videlic. quia ad ipſum pertinet religionis approbatio , quam non eſt cenſendum concedere niſi ſub conditione , quod ipſi tanquam ſupremo capiti obedientia promittatur. Deinde quia Eccleſiæ bono maximè neceſſarium eſt , ne religioſi viam perfectionis amplectentes ab ea deflectant ; nam eſto non ſit neceſſarium ſtatum relig. aſſumere ; at eo aſſumpto neceſſaria eſt ad ſalutem eius obſeruatio. Sed hæ rationes in Epiſcopo procedunt. Nam Epiſcopo competit per ſe religionum approbatio , ſi hæc à Pontifice reſeruata non eſſet. Et præterea ei competit cura, & diligentia , ne ſibi ſubditi deflectant à via ſalutis incepta. Ergo affirmand. eſt ſecluſo priuilegio , & exempt. Epiſc. paſtorem eſſe religioſorum eique obedientiam promitti,atque ita tenet Petr. de Led.2. *t. ſum.tr.*10.*c.*7. *notab.*2. inclinat. Suar. *t.*3. *de rel. lib.* 10. *c.*11. *à n.*15.

7. Tandem inquires qualiter ſupradicti prælati præcipere debeant ſubditis religioſis , vt ipſi ex voto teneantur obedire. Reſpondeo debere præcipere in virtute Sanctæ obedientiæ, vel in nomine Ieſu Chriſti,vel ſub alia formula , quæ ſatis exprimat voluntatem obligandi;vt latius proſequitur Sanch.li.6. ſum.*c.*4.*à num.*67.Vnde in Soc.Ieſu cautum eſt,præcept.ſuperioris nullam oblig.inducere,quantumcunque verbis præceptiuis vtatur,niſi addat in virtute obedientiæ,vel in nomine Ieſu Ch.(atque idem credo ſi adderet in virtute Spir.S.)ſic habetur *6.p.conſt.c.*5. *in fine.*

Pvnctvm III.

An ex voto obedientiæ tenearis ſub mortali,vel veniali ſeruare omnia contenta in regulis,& conſtitutionibus religionis,& qualiter ad perfectionem tendere debeas.

SVMMARIVM.

1 *Diſtinguuntur varia regula diuerſas obligationes continentes.*

2 *Ex duplici capite obligat regula ad veniale,ex leuitate materiæ, & ex intentione legiſlatoris.*

3 *Regula ad nullam culpam obligant tranſgreſſio non eſt contra votum obedientiæ; imò aliquando carere culpa poteſt, ſi honeſtum finem habeat.*

4 *Tranſgreſſor regulæ debet ſubire pœnam ; eſto coram Deo non habeat culpam.*

5 *Proponitur difficultas ; an ſit in ſtatu peccati mortalis religioſus conſuetudinem habens violandi regulas non obligantes ſub mortali.*

6 *Per ſe non committit peccatum mortale.*

7 *Benè tamen per accidens.*

1. PRæmitto poſſe in religione dari aliquas conſtitutiones, & regulas obligantes ſub mortali,alias ſub veniali, alias ad nullam culpam.Et hæc diuerſitas ex verbis conſtitutionis, & ex conſuetudine illius religionis deſumenda eſt. Si regula obliget ſub mortali : communis eſt ſententia illius tranſgreſſionem mortalem eſſe contra votum obedientiæ. Si autem ſolum ſub veniali obliget,tranſgreſſio illius venialis erit : quia votum ſit de obedientia prælatis præſtanda , qui non minus ore tenus, quam lege , & conſtitutione religionis præcipiunt, ſic D.Thom.*in* 2.*diſt.* 44.*q.*2.*art.*3.Valen.2.2.*diſp.*10.*q.*4.*punct.* 5. Sanch. *lib.*7.*moral.c.*1.*n.*5.*& cap.*4.*n.*6.Layman. *l.*4.*tract.*5. *cap.*8.*n.*6. & alij apud ipſos.

2. Ex duplici capite poteſt regula ad culpam venialem obligare. Primò ex leuitate materiæ,& de hoc capite nulla eſt controuerſia. Secundò ex intentione legiſlatoris. Nam eſto materia capax ſit obligationis grauis,legiſlator ſua voluntate eam obligationem reſtringit. Si enim poterat ab ea materia omnem obligationem ſecludere,quid mirum ſi grauem ſecludat,& leuem relinquat vt latius Suar.*l.*4. *de relig.tract.*8.*lib.*1. *cap.* 2. *n.*4. Votum autem obedientiæ non eſt de exequenda illa materia graui , ſed de exequendo præcepto illius , quod cum ex voluntate legiſlatoris leue ſit, abſolutè votum reſpicit materiam leuem : & ita tradit Suar. *l.*3.*de relig. lib.*10. *cap.*7. *numer.* 11.

3. At ſi regula per ſe ad nullam culpam obligat, vt ſunt regulæ

gulæ ordinis Prædicatorum, Minorum, & Societatis Iesu: illius transgressio ob votum obedientiæ nullam culpam inducit; quia illud votum non est de seruanda illa regula, sed de seruandis præceptis religionis siue à iure, siue ab homine latis. At regulæ nullam in conscientia obligationem ad sui executionem inducentes præcepta non sunt. Ergo de illis non est votum obedientiæ, sic Suar. *d. cap. 7. num. 13.* Sanch. *lib. 6. cap. 4. num. 11. & 12. iuncto cap. 1. num. 2.* Quapropter si in transgressione regulæ honesto aliquo fine ducaris, virtutis actum exercebis, non vitij, quamuis non ita perfectum ac esset si te regulæ conformares. Vasq. *l. 2. tom. 2. disp. 258. c. 3. n. 16.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 4. n. 14.* Laym. *lib. 4. sum. tr. c. 8. n. 7.* Sua. *t. 4. de relig. tr. 8. lib. 1. c. 5. n. 12.* & est sententia D. Tho. *2. 2. q. 166. art. 9.* Regulariter autem culpam venialem in transgressione cuiusuis regulæ committis, tum quia non recto fine duceris, sed ex ociositate, torpore, vel libidine, tum quia occasionem præbes religiosam disciplinam labefactandi, tradit D. Thom. Suar. Vasq. Sanch. & Laymau. *locis allegatis.*

4. Verum esto violans regulas, nullam coram Deo culpam haberes: non obinde excularis subire pœnam transgredientibus impositam. Quia hæc pœna quæ propria pœna non est. sed quædam pœnalitas: non ob culpam moralem, sed regularem imponi potest, vt bene dixit Sanch. *d. c. 4. n. 13.* Laym. *c. 8. n. 8.* Suar. *t. 3. de relig. lib. 10. cap. 7. num. 16. & t. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 2. num. 6.* Neque est dubium teste Suar. *loco allegato*, te à superiore obligari posse in conscientia, & ex vi voti ad pœnam sustinendam; aliàs inefficax esset gubernatio, & regula à mero consilio non distingueretur. De facto tamen & ex vi regulæ credo te obligatum non esse in conscientia. Quia de omnibus regulis, & ordinationibus absque vlla distinctione dictum est in ordine Prædicatorum & in religione Societatis *6. p. constit. cap. 5.* ad nullam culpam obligari, nisi sub nomine Iesu Christi; vel in virtute obedientiæ ferantur. At subire pœnam ob transgressionem regulæ est quædam regula, & constitutio absolutè lata absque additione nomini Iesu Christi, vel virtutis obedientiæ. Ergo illius omissio per se peccatum non est, sic Suar. *tom. 4. de rel. tract. 8. lib. 1. capit. 2. numer. 13.* Sanch. & Laymau. *sup.*

5. Restat solum difficultas de religioso, qui consuetudinem haberet transgrediendi regulas sub nulla culpa obligantes, vel obligantes ad venialem tantum; an sit in statu peccati mortalis? Ratio difficultatis est; quia consuetudo eam solam culpam inducit, quam inducunt actus, ex quibus coalescit; quia ab ipsis non distinguitur. At actus, ex quibus supradicta consuetudo coalescit, nullam culpam habent, vel tantum habent venialem quia omnes illi sunt transgressiones regularum sub nulla culpa obligantium. Ergo neque consuetudo. E contra assuetus transgredi regulas caret proposito firmo eas seruandi; ergo deficit à via perfectionis, quam assumptione religiosi status professus est. Ergo est in statu peccati mortalis. Deinde hac praua consuetudine affectus non se vult subiicere regulæ, ergo illam contemnit, vt contemptus regulæ est mortale vt sentit D. Tho. *2. 2. q. 186. a. 9.* & *ibi* Cajet. ergo, &c.

6. Nihilominus existimo per se loquendo peccatum mortale non cõmittere religiosum, qui careret intentione seruandi regulas ad culpam mortalem non obligantes, illasque passim violaret: imò esto haberet expressam intentionem illas non seruandi: sic latè docuit Suar. *t. 4. de rel. tr. 8. lib. 1. c. 4. à num. 10.* Ratio est quia non est propositum transgressionis alicuius obligationis sub mortali, cum omnes regulæ non excedant obligationem venialis culpæ. Neque item in hoc proposito est periculum morale, & proximum transgrediendi aliquam regulam obligantem sub mortali, vt benè Suar. *d. c. 4. n. 18.* si quidem compati potest cum illius obseruatione firma. Neque item infertur te hac praua consuetudine regulas propriè comtemnere: aliàs quoties velles aliquam regulam violare, censendus esses illius contemptor, & peccati mortalis reus, quod falsissimum est. Requiritur ergo ad contemptum, vt regulam violes tanquam inutilem; friuolam, & nullius considerationis, vel eam violes animo determinato ob illis transgressionem non te pœnæ subiiciendi, sed prælato resistendi. Secluſa ergo hac intentione nec propositum violandi regulas, neque illarum violatio contempus formalis est, vt latius dixi *tract. 1. disp. 2. pun. 9. §. 2.* Nec denique ex hoc proposito, prauaque consuetudine fit religiosum desistere à via perfectionis incepta in necessariis, qualia sunt obseruatio votorum, & præceptorum religionis, tametsi deficiat in accidentalibus, & leuem obligationem inducentibus. Neque enim sub graui culpa tenetur his mediis perfectionem procurare dummodo obseruatione votorum, & præceptorum religionis illum procuret, vt latius prosequitur Sanch. *lib. 6. sum. toto cap. 5.*

7. Dixi per se non committere peccatum mortale religiosum sic passim regulas violantem: at per accidens credo sæpe peccatum mortale committere, nisi efficaciter proponat, & procuret illius praua consuetudinis correctionem: contingit autem hoc peccatum cum religiosus aduertit ex suo licentioso, & irregulari modo operandi graue detrimentum & sibi, & religioni fieri. Religioni tum in regulari obseruantia; eo quod inde plures sumant occasionem regulas passim violandi. Tum in vtilitate, & fructu, quem ex illo religioso sperabat percipere, qui suis prauis moribus se inutilem reddit: sibi verò cum credit se probabili periculo exponi formalis contemptus, regularum, transgressionis votorum, aut præceptorum, quod apertum est. Vel denique cum timet probabiliter ob eam causam à religione esse expellendum. Quia expulsio graue damnum est, seque ad eam vitandam professione obligauit: promisit enim se ita corrigere, & mores componere, vt dignus esset in cœtu religiosorum viuere: sic docet aliis relatis Sanch. lib. 6. sum. *cap. 4. à n. 18. vsque ad 22.* Lay. *li. 4. sum. tr. 5. c. 8. n. 9. q. 2. conel. 4. & n. 13. q. vlt.*

PVNCTVM IV.

An prælatus regularis possit subditis præcipere quamcunque rem honestam, siue sit intra siue supra regulam.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur dubitandi ratio.*
2 *Resoluitur quamcunque rem honestam ex voto obedientiæ præcipi non posse à prælatis.*
3 *Satisfit rationi dubitandi.*
4 *Quæ in regula continentur tacitè, vel expressè, præcipere potest.*
5 *Exponuntur casus frequentiores, qui in regula tacitè continentur.*
6 *Missio ad Indos non continetur sub regula quacunque, bene tamen sub regula Societatis Iesu.*
7 *De obligatione cum periculo vitæ, & qualiter imponi possit, vbi de curandis infirmis contagio infectis.*
8 *An obligari possis sustinere asperitates regulæ primitiuæ & Pontifice approbatæ? proponitur difficultas.*
9 *Sub distinctione fit satis.*
10 *Communis sententia defendit regulam reformatam te obligatum esse seruare.*
11 *Qualiter hæc communis sententia vera sit.*

1. VIdetur posse prælatus quamlibet rem honestam præcipere suis subditis. Tum quia subditi omnem suam voluntatem in prælati voluntatem transtulerunt. Tum quia profitentur perfectam Christi sequelam, de cuius ratione esse videtur, vt omnem suam voluntatem penitus abnegent, & sub superioris nutu constituant. Tum denique quia in plurium religionum regulis est præscriptum, vt obediant religiosi prælato in omnibus iis, quæ turpitudinem non apparent continere, vt dicitur in constit. Societatis Iesu *3. p. c. 1. n. 23. & 6. p. c. 1. n. 1.* Ergo in his religionibus quælibet honesta præcipi possunt cum sit obedientia secundum regulam.

2. Nihilominus dicendum est, nequaquam posse prælatum religiosis sibi subditis præcipere quæ sunt absolutè extra regulam: sic pluribus firmant Nauarr. *c. 23. n. 39. & com. 4. de Regul. n. 22.* Valent. *2. 2. disp. 7. q. 3. p. 2. fine, & disp. 10. q. 4. pun. 3. circa fin.* Gab. Vasq. *1. 2. disp. 154. c. 4. n. 21.* Sanch. lib. 6. sum. *c. 2. n. 15.* Suar. *t. 3. de relig. lib. 10. c. 8. n. 6.* & est Sententia expressa D. Bern. li. de præcepto, & dispensa. *c. 7.* & D. Thom. *2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. & in 2. dist. 44. q. 2. art. 3.* Ratio est manifesta: quia superior nequit obligare suo præcepto religiosos, nisi secundum quod ipsi religiosi se illi obediendo tradiderunt; est enim hæc subiectio voluntaria. At religiosi voto obedientiæ solum se tradiderunt obediendo in iis, quæ fuerint secundum regulam. Ergo hæc sola præcipere prælatus poterit. Alias si quæliber honesta præcipere posset, potestatem haberet obligandi religiosum ad mutandum statum quod falsum est.

3. Ex his soluitur ratio dubitandi. Non enim religiosus indiscriminatim suam voluntatem in superioris voluntatem transtulit, sed iuxta regulam, quam professus est, neque sequela Christi aliud expostulat. Fateor tamen perfectissimam Christi sequelam & obedientiam extendi ad obediendum prælato in his omnibus, quæ cum statu perfecto assumpto non repugnant: eáque de causa triplicem obedientiam D. Thomas distinxit ex D. Benedicto *in 2. distin. 44. q. 2. art. 4.* indiscretam, imperfectam, & perfectam. Indiscretam appellauit, quæ est de rebus illicitis: imperfectam, id est minus perfectam, quæ terminis regulæ continetur: perfectam verò, quæ nullis arctatur terminis. Hanc igitur obedientiam Societas Iesu, aliæque religiones consulunt, non præcipiunt.

4. Igitur ſolum præcipere poteſt ſuperior quæ in regula obligante expreſsè, vel tacitè continentur; quia hæc omnia votum obedientiæ comprehendit. Taciti enim, & expreſſi idem iuris eſt, iuxta *regul. expreſſa* 156. *ff. de regul. iuris*, & *ibi* gloſſa, & *l. cum quid ff. ſi certum petatur.* Illa verò ſub regula tacitè comprehenſa cenſentur, quæ moraliter neceſſaria iudicantur ad ipſius regulæ expreſſæ obſeruationem, ſic docuit D. Thom. *in 2. diſt.* 44. *q.* 2. *art.* 3. & *ibi* Duran. *q.* 4. *n.* 6. Sylueſt. *verbo relig.* 6. *q.* 6. Leſſius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 9. *n.* 77. Vaſq. 1. 2 *diſp.* 154. *c.* 4. *n.* 20. Sanch. lib. 6. ſum. *c.* 2. *n.* 9. Suar. *t.* 3. *de rel. lib.* 10. *c.* 8. *à n.* 7. & 13. Quod ſi roges quæ iudicentur moraliter neceſſaria ad ſtatus aſſumpti obſeruationem; Reſpondeo non poſſe facilè definiri, & prudentis arbitrio potius quam aliis regulis decidendum eſſe. Præſumptio tamen ſemper pro mandato ſuperioris facienda eſt. Ex his deducitur qualiter religioſi teneantur obedire prælato nouas auſteritates indicenti. Si enim conſtet ſub regula, nec expreſsè, nec virtute eas auſteritates contineri (quod non eſt facilè præſumendum) nullam obediendi obligationem habent. At ſi ſub regula ſaltem virtualiter comprehenduntur, obligationem habent obediendi: ſic relati Doctores.

5. Placet tamen aliquos caſus expendere, ex quibus colligi alij poſſint: an ſub regula comprehendantur? Primo enim comprehenditur ſub obedientia regulæ iuſta punitio ob illius tranſgreſſionem: quia hæc ad communem illius obſeruantiam neceſſaria eſt: aliàs paſſim regulæ violarentur, ſic ferè omnes doct. apud Suar. *tom.* 3. *de rel. lib.* 10. *cap.* 8. *num.* 7. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 77. Sanch. *lib.* 6. *ſum. cap.* 2. *num.* 45.

Secundò, ſi ieiunium, recluſio, aliaue pœnitentia iudicetur moraliter neceſſaria, ſeu valde conueniens, vt peccati lapſum euites, vota, ſtatutaque religionis exactè obſeruet, poterit ſuperior ad eius obſeruantiam te præcepto obligare; quippe hæc ſub regula implicitè continentur: ſic aliis relatis Suar. *num.* 8. Leſſius & Sanch. *ſup.* Quod optimè confirmatur ſtatuto Bonif. VIII. *cap. vnic. de ſtatu Regular.* renouato per Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de Regul.* perpetuam clauſuram monialibus, tametſi eam profeſſæ non ſint, indicente: quia ad obſeruantiam caſtitatis promiſſæ iudicata eſt clauſura perpetua moraliter neceſſaria.

Tertiò ſub regula eſt indictio aliquorum ieiuniorum, aliarumve pœnitentiarum ob publicam neceſſitatem. Si enim Epiſcopus ob hanc cauſam hæc præcipere poteſt ſuis ſubditis, cur non prælatus regularis ſuis religioſis, cum in illos non ſolum poteſtatem iuriſdictionis, ſed dominatiuam, & ex voto habeat? præcipuè cum hæc ad rectam illius ſtatus gubernationem conducant, & ita docet Leſſius, & Sanch. *ſuprà*, Layman. *lib.* 4. *tract.* 5 *cap.* 8. *quæſt.* 4. *in fine.* Hæc certa; at dubia ſunt, & à doctoribus controuerſa.

6. Primum; an ſub regula comprehendantur miſſio ad Indos, & infideles ad eos conuertendos, vel miſſio ad terram hæreticorum ad eos reducendos? Affirmant aliqui de omnibus religionibus, quarum inſtitutum eſt, non ſolum propriæ, ſed ſaluti proximorum incumbere; quippe ad hunc finem conſequendum valdè neceſſaria eſt hæc miſſio. Præterea infideles, & hæretici in maiori ſunt neceſſitate conſtituti, quam fideles, & catholici, ergo religioſi obligari ex inſtituto procurare proximorum ſalutem, efficacius obligati ſunt infidelibus, & hæreticis, quam reliquis. Et ita ſupponere, videre Sotus *lib.* 7. *de iuſtit. quæſt.* 2. *art.* 4. *in fine corp.* Nihilominus dicendum eſt, ex ſolo illo fine generali procurandi proximorum ſalutem non ſatis probari ſub regula illarum religionum contineri miſſionem ad ludos, reliquoſque infideles, & hæreticos; quippe hæc miſſio, horumque conuerſio, etſi Eccleſiæ valde neceſſaria ſit, difficillima eſt, multiſque periculis, tum animæ, tum corporis expoſita, ad quæ ſubeunda nemo eſt præſumendus obligatus ex generali promiſſione procurandi proximorum ſalutem, ſed neceſſario requiritur ſpecialis, & expreſſa obligatio: ſic docuit Cordub. *in expoſit. reg. D. Franciſci*, *cap.* 10. & 12. *quæſt.* 2. Man. Rodr. *quæſt. regul. tom.* 3. *quæſt.* 19. *art.* 7. & 2. *tom. ſum. cap.* 9. *num.* 5. Ludouic. Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 56. *verſ. & an prælati.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 77. Sanch. *lib.* 6. *ſum. cap.* 2. *num.* 47. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 4. *à num.* 22.

Notanter dixi miſſionem ad Indos, & infideles conuertendos, & inter eos habitandum non contineri ſub regula obligante, quia aliter dicendum eſt, ſi in eorum terris aliquis conuentus ordinis eſſet ædificatus, poſſet inquam illius prælatus religioſos illuc mittere, ibidemque ad habitandum compellere, quia non compellet ad habitationem ſuæ profeſſioni alienam, ſed maximè propriam, & debitam, vt conſeruari poſſit, vt benè notauit Suar. *d. lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 22. ex Nauarr. *com.* 3. *de Regular. num.* 22.

Religioſi verò Societatis Ieſu non ſolum qui profeſſi ſint quatuor votorum, ſed omnes alij tametſi ſolis biennij votis aſtricti mitti poſſunt ad Indos, & Sarracenos conuertendos, & inter eos commorandum, etiamſi nulla domus vel collegium Societatis ibi ædificatum ſit; quia finis Societatis cuilibet religioſo propoſitus eſt peragrare omnes mundi partes; vbi ſperatur maius Dei obſequium & proximorum ſalus, eaque de cauſa dicitur 9. *part. conſt. cap.* 3. §. 9. Mittere poterit (ſcilicet Generalis Præpoſitus) omnes ſibi ſubditos ſiue profeſſionem emiſerint, ſiue non emiſerint, quos mittendos iudicauerit, ad quaſlibet mundi partes (id eſt, vt in declarationibus ſubiicitur) inter fideles in Indicis, & inter infideles, vbi ſunt aliqui incolæ Chriſtiani, & etiamſi nulli ſint ad quodvis tempus vel definitum, vel indefinitum, ad quamuis actionem ex iis, quibus vti ad proximorum auxilium Societas ſolet, exercendam. Sic docuit Ribadeneyra de Societatis inſtituto, *cap.* 20. Sanch. *lib.* 6. *ſumm. cap.* 2. *num.* 47. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 17. Aduertenda tamen ſunt illa verba conſtitutionis *ad quamuis actionem ex iis, quibus vti ad proximorum auxilium Societas ſolet exercendam.* In quibus tacitè declaratur ad alias actiones, quas Societas exercere non ſolet in proximorum auxilium non poſſe Generalem mittere ex obligatione Societatis religioſos. Vnde non poteſt ex vi voti obedientiæ obligare religioſos vt cauſa redimendi captiuos, legationis faciendæ, negotij alicuius tractandi commodum temporale reipublicæ ſpectantis illuc proficiſcantur, vt rectè notauit Suarez *tomo* 4. *de religion. libro* 4. *capite* 12. *numero* 11. & 18.

7. Secundò dubitatur de obligatione cum periculo vitæ: an poſſit à ſuperiore imponi; Et quidem ſi ex actione illa periculoſa bonum commune religionis pendet, non dubito à ſuperiore præcipi poſſe: ſi enim princeps ob bonum temporale reipublicæ poteſt ſubditos ſuos ad bellum, & nauigationem periculoſam obligare, cur non poterit prælatus regularis ſibi ſubditis ob bonum totius ſuæ religionis eam obligationem imponere? poteſt vtique, & ita tradit relato Caietan. 3. *tom. opuſc. tract.* 9. & *communi ſententia in* 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 29.

Ex qua doctrina deducitur, qualiter poſſis obligari aſſiſtere infirmis peſte infectis, ſi enim infirmi ſunt fratres eiuſdem religionis, compelli abſque dubio potes: quia ad conſeruationem, & bonum regimen religionis pertinet religioſos mutua ſibi obſequia præſtare, & in neceſſariis ſuccurrere, & ita docet Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *libro* 2. *cap.* 9. *numer.* 19. Man. Rodrig. *quæſt. regul. tom.* 3. *quæſt.* 31. *artic.* 3. Sanchez *lib.* 6. *ſumm. cap.* 1. *num.* 56. Conſideranda tamen eſt in hac parte conditio infirmorum, & inſeruientium, præcipere enim viris delicatis, vel ſpeciali ſcientia, & virtute pollentibus, & religioni proficuis, vt infirmis carentibus ſupradictis dotibus inſeruiant, cum ſint alij, per quos illud officium exerceri poſſit, rationi diſſonum eſt, & bono communi religionis aduerſum; ac proinde obligare non poteſt id mandatum, ſic Man. Rodrig. *dict. quæſt.* 31. *artic. vlt.* Sanchez *num.* 57.

Si verò infirmi exteri ſunt, regulariter non teneris cum eo vitæ diſcrimine eis cibaria ſuppeditare; quia ex præcepto Charitatis non obligaris efficacius, quam alij clerici ſæculares. Ex voto autem, & profeſſione religionis non obligaris, ſi religionem profeſſus ſis monachalem, ſeu ſpectantem ex inſtituto propriam tantum ſalutem, vt dixit Man. *dict. artic.* 3. Sanchez *num.* 59. At ſi profeſſus ſis religionem mendicantem, ſeu ex inſtituto proximorum ſalutem ſpectantem, ſolum videris obligatus, cum vrget proximorum ſpiritualis ſalus; eo quod non adeſt parochus, neque alius clericus etiam mercede ab Epiſcopo conductus qui eis poſſit, & velit ſacramenta miniſtrare, hoc enim teſte Sanchez *num.* 62. prius tentandum eſt, quam tibi obligatio imponatur, quia ſolum in ſubſidium parochorum, & aliorum clericorum obligaris. At ob medicinas, & cibaria miniſtranda non videris obligari poſſe: quia tuæ religionis finis non eſt proximorum temporali ſaluti, ſed ſpirituali incumbere, & ita docuit Armilla, verbo *obedientia num.* 5. & Tabiena *ibi*, *quæſt.* 5. *num.* 6. Adde non carere probabilitate neque ob neceſſitatem ſpiritualem te obligari poſſe, quia eſto ex inſtituto habeas eſſe coadiutorem Epiſcoporum, & parochorum in ſpirituali proximorum ſalute, id debet intelligi ſeruato charitatis ordine, ex cuius obligatione non teneris proximorum ſaluti conſulere ſtante tuæ vitæ periculo. Sic Nauarr. *ſumm. cap.* 24. *num.* 11. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 26. *artic.* 5. *ad ſin.* Bann. *quæſt.* 33. *artic.* 3. *dub.* 4. Certum tamen exiſtimarem, ſi aliquando bono nomini religionis notabiliter expediret religioſum peſte infectis aſſiſtere; poſſe, & debere prælatum ſibi ſubditum obligare ad id munus obeundum, teneríque religioſum cuiuſcumque ordinis ſit obedire; quia tam prælatus, quam ſubditus

obligantur

obligantur bono communi religionis consulere, colligitur manifestè ex Suar. *tom. 4. de relig. tractat. 8. lib. 2. capit. 9. num. 29.*

8. Tertiò dubitatur; an obligari possis sustinere asperitates regulæ primitiuæ à fundatore institutæ, à Pontifice approbatæ tametsi decursu temporis relaxata sit: Videris posse obligari; quia voues obedientiam secundum regulam, quod intelligi debet de regula legitima, non de regula malitia religiosorum corrupta, præcipuè cum religiosi non videantur potuisse suis transgressionibus efficaciam regulæ derogare; quippè illæ transgressiones votorum paupertatis, castitatis, seu obedientiæ violationes sunt, At actibus iuri naturali, & diuino contrariis introduci non potest consuetudo, quæ regulam deroget.

9. In hac re distinctione vtendum est: Aliæ sunt austeritates à regula primum præscriptæ, quæ tamen sub votis actu non continentur. Aliæ quæ ab ipso religionis exordio continentur. Ad obseruationem austeritatum, quæ sub votis nunquam fuerunt contentæ, obligari non potes, si decursu temporis, & consuetudine longæua derogatæ sunt. Posse autem aduersus regulam, & legem has austeritates indicentem præscribi constat ex his, quæ diximus, *tractat. 3. de legibus de consuet.* ibi enim probauimus aduersus quamlibet legem Ecclesiasticam præualere consuetudinem posse. Lex autem illa statuens has austeritates pro maiori religiosi status obseruatione Ecclesiastica est. Ergo potuit derogari consuetudine. At sic derogata nec lex est, nec regula, ergo votum obedientiæ secundum regulam illas austeritates non comprehendit, & ita docet Nauarr. *capit. 12. numer. 50.* Lud. Lop. 1. *p. instruct. capit. 4. versicul. non excusatur.* Suar. *tom. 3. de relig. lib. 10. tom. 8. numer. 18.* Sanchez lib. 6. sum. *capit. 2. numer. 26. & sequentibus.* Verum si austeritates, & regulares obseruantiæ sub votis fuerint ab ipso institurore contentæ necessario debes facto voto eas obseruare; quia contra votum vtpote obligationem iure diuino, & naturali inducens, nulla consuetudo præualet. Sic Nauarr. Sanch. & Suar. *suprà.* Hoc autem procedit, dum vrget præceptum, & lex statuens sub votis religiosorum eas obseruantias comprehendi; at quia hæc comprehensio iuris est Ecclesiastici non diuini consuetudine derogari potest. Qua derogat. posita vota denuo facta eas obseruantias non comprehendunt. Ex his dissolura manet dubitandi ratio. Nego enim votum obedientiæ semper fieri secundum rigorem regulæ à fundatore institutæ & in principio approbatæ, sed fieri secundum quod consuetudine legitimè præscripta mitigata est. Consuetudo autem mitigare, & derogare potest regulam, quatenus talis est; tametsi quatenus est sub voto comprehensa derogari non possit.

10. Quartò dubitabis de regula reformata, & in pristinum statum restituta à Prælato cum generali capitulo; an tenearis ex vi professionis ante reformationem factæ eam obseruare? Nam ex professione post reformationem nemini est dubium. Communis sententia affirmat, quia illa non est noua austeritas, sed antiquæ debita restitutio. Item religionis prælato cum capitulo generali concessum est posse religionem collapsam erigere, & constitutionibus denuo editis reparare, ne penitus pereat, sed hoc efficaciter præstare non potest, nisi simul possit sibi subditos ad ad eam obseruantiam mouere. Ergo dicendum est facta reformatione omnes obligatos esse. Sic docuit Felin. *capit. cum omnes numer. 15. de constitut.* Abbas *capit. super eo versiculo austeritatem numero 6. de Regular.* Siluest. verbo *religio 6. quæstion. 6.* Azor. *tom. prim. institution. moral. lib. 23. capit. 11. quæstion. 17. & 19.* Gab. Vasq. 1. 2. *disputation. 154. capit. 4. numero 15. & sequentibus* pluribus relatis Sanch. lib. 6. sum. *capit. 1. numer. 35.* Suar. *tom. 3. de rel. lib. 10. capit. 7. numer. 19.* Layman *lib. 4. sum. tract. 5. cap. 9. qu. 4.*

11. Hæc sententia eo tantum casu vera est, quo reformatio iudicaretur maximè expediens, seu moraliter necessaria ad conseruationem religionis assumptæ in statu mitigationis per legitimam consuetudinem introductæ, sic colligitur ex supra relatis doctoribus. Ratio est; quia ex voto solum potes obligari ad obseruandam regulam quatenus viget, non quatenus abolita est: & deinde obligari tantum potes ad obseruanda quæ necessaria fuerint ad illius secundum statum assumptum conseruationem vtpote tacitè, & in virtute sub regula comprehensa, non tamen ad statuta, quæ moraliter necessaria non sunt ad regulæ mitigatæ conseruationem; quia sub tuo voto, nec expressè, nec tacitè continentur. Alias posses ad nouam religionem obligari. Quod si roges, quando iudicabitur reformatio moraliter necessaria ad religionis assumptæ conseruationem? Optimè respondet Layman. *lib. 4. sum. tract. 5. cap. 9. quæst. 4. co. 2.* inquit enim. Tunc reformatio regulæ necessaria videri debet ad regularis ordinis conseruationem, si cum præsente obseruatione paucissimi ad perfectionem religiosam peruenire studeant, si cum scandalo & querela sæcularium viuant. vt expediret omnino religionem dissolui, quam ita continuari, si neque essentialia voto v. g. quæ ad paupertatem religiosam spectant, communiter obseruentur.

PVNCTVM V.

An possis obligari ad relinquendam subiectionem debitam in statu assumpto.

SVMMARIVM.

1 *Ex voto nunquam potes obligari ad relinquendum statum matrimonio assumpto.*

2 *Neque etiam obligari potes ex voto religiosæ obedientiæ communiter factæ Episcopatum acceptare; benè tamen alio capite.*

3 *Ad acceptandum beneficium sæculare, vel alterius Ordinis obligari non potes, benè tamen ad acceptandum beneficium tui Ordinis.*

4 *Non potes obligari ad transitum alterius Religionis.*

1. DEbitam subiectionem relinquere potes legitimo matrimonio contracto, assumptione ad Episcopatum vel beneficium curatum, & per ingressum alterius Religionis. Regula ergo certissima est, nullo modo posse voto obedientiæ obligari ad debitam subiectionem relinquendam; quia non potest votum sibi esse contrarium; ex illo enim subiiceris Religioni. Ergo ex illo à Religione liber esse non potes. Quod amplius explicatur expendendo modos, quibus debita subiectio relinquitur. Et primo ad statum matrimonij constat ex professione Religionis te obligari non posse; si quidem professione Religionis supradicto statui renuncias. Quare si in aliquo casu rarissimo ad contrahendum matrimonium obligari posses, ea obligatio non ex potestate à voto accepta, sed aliunde prouenire debet: Sic omnes Doctores.

Deinde ex vi voti non potes obligari ad Episcopatum assumendum; quia eo assumpto manes liber ab obedientia regulari *c. 1. 18. q. 1.* cui votum te subiecit. Ergo ex illo non potes ab obedientia regulari libertatem consequi. Et confirmo. Votum obedientiæ est secundum regulam; at Episcopatus est extra regulam. Ergo ad illius acceptationem votum non extenditur. Adde Episcopatum non referre ad bonum Religionis, & Religiosi, sed ad bonum commune Ecclesiæ, cui prouidere non est Prælati regularis, & ita tradit Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 51. dub. 9. n. 76.* Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 10. n. 21.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 2. n. 49.* Verùm etsi hoc ita sit, potest Pontifex te in Episcopum assumere, quoties id Ecclesiæ expedire iudicauerit non ex vi voti obedientiæ, sed ex iurisdictione, quam habet in totam Ecclesiam, cui eius cura, & regimen concessum est, vt pluribus relatis firmat Suarez *dicto cap. 10. num. 19.* Sanch. *num. 49.*

2. Maior difficultas est; an ex vi voti obligatus sis non consentire Episcopatui absque licentia tui Prælati? Ratio difficultatis est; quia *in cap. Religiosus de electione in 6.* irritus declaratur consensus absque tui Prælati licentia, ibi, consensus non teneat. Nihilominus ex vi illius textus non conuincitur, te obligatum esse ex vi voti ad non præstandum consensus absque superioris licentia; quia consensus absque superioris licentia prohiberi, & irritari potest iure Ecclesiastico, vt de facto prohibetur, & irritatur, absque eo quod ex voto vlla sit prohibitio, aut irritatio. Adde Episcopatum statum esse Religione perfectiorem, nullo modo dispositioni regularis Prælati subiectum. Ergo ex vi voti regularis obedientiæ non prohiberis eius electioni tuum consensum præstare. Verùm etsi hoc ita sit; negari non potest, te potuisse voto obedientiæ ad id obligari; cum sit res honesta, & iuri communi conformis, vti docet Suar. *t. 3. de Relig. lib. 10. c. 10. n. 14.* Aduertere tamen debes, solùm consensum in electionem absque Prælati licentia tibi esse prohibitum; quia Textus *in cap. si Religiosus* tantum de electione loquitur, non de collatione, & præsentatione. Vnde consensus in hac prouisione nec est nullus, nec videtur prohibitus: tradit Suar. *dicto cap. 10. n. 16. & 17.* Deinde loquitur textus non de cuiusuis beneficij electione, sed Prælaturæ, qualis non est beneficium curatum, nec simplex: poteris ergo hæc inconsulto Prælato acceptare, si in ea prouidearis à potente conferre.

3. De obligatione verò accipiendi beneficium curatum, aut simplex, sub distinctione respondendum est: si beneficium sæculare sit, non potes ab vllo Prælato regulari etiam supremo, quatenus talis est, obligari, quia illa beneficia non pertinent ad regulam; cum te extra regulam, obseruantiámque

regularem constituant; neque eorum prouisio spectat bonum monasterij, sed bonum Ecclesiæ. Sic Nauarr. *comm. 4. de Regul. num. 23.* Man. Rod. *t. 1. qq. regul. q. 34.* Suar. *t. 3. de Rel. lib. 10. c. 10. in fine* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 2. n. 51.* Ab hac doctrina excipiunt aliqui Doctores munus parochorum inter Indos, quod cum ex motu Pij V. Religiosis conferri possit, videtur ad Religionem pertinere, & quasi regulare esse; ac proinde posse Religiosos ad illud subeundum compelli. Sic Ludou. Lopez *1. p. instruct. c. 56. col. 3.* Man. Rodrig. *2. t. sum. cap. 9. n. 6.* Suar. *d. cap. 10. in fine.* Sed oppositum verius censeo cum Sanch. *lib. 6. sum. cap. 3. num. 50.* quia illa Pontificia concessio non mutat beneficij sæcularis naturam, & consequenter non præstat, vt ad illud subeundum obligari possis. Quod si beneficium regulare sit tui Ordinis, ad illud subeundum compelli à tuo Prælato potes; cum enim à Religiosis illius Ordinis administrari debeat, necessum erat, vt Prælatus penes quem est Ordinis ministratio potestatem haberet compellendi ad illius beneficij administrationem. Nauarr. Suar. Sanch. & Man. *locis allegatis.* Sumiturque ex *cap. quorundam de electione in 6.* Quod extendi debet ad beneficium, etiamsi reditus tenues habeat; quia non commodum Religiosi, sed Religionis in hac administratione spectatur, & docuit Nauarr. & Sanch. *suprà*, & Suar. *t. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 19. n. 5.* ob illud tamen tenue beneficium, & ad sustentationem insufficiens, non poterit Religiosus à Prælato obligari relinquere monasterium, vt in eo resideat, nisi ex bonis monasterij insufficientiam alimentorum suppleat. Suar. *loco allegato.* Notanter dixi tui Ordinis; quia ad beneficia regularia alterius Ordinis compelli non potes; quia ea, eorumque munera tuæ Religioni non competunt; ac proinde non censeris ad ea subeunda obligatus. Sanch. *d. cap. 2. num. 51.*

Hinc fit te obligari posse ex voto obedientiæ ad subeundum munus Prælati; alterius ve officij in tuo Ordine, secus extra Sanch. *num. 52.*

4. Vltimo dicendum est de transitu ad aliam Religionem, ad quem certum existimo te obligari non posse. Tùm ob rationem generalem, quia non videtur posse superior præcipere subdito id per quod ab eius obedientia eximitur. Tùm quia vel Religio assumenda est æqualis, inferior, vel superior: Si inferior; aut æqualis sit Religioni assumptæ, sub voto facto comprehendi non potest, vtpote minus bonum; Si perfectior, continetur sub voto per modum exceptionis: promittis enim obedientiam in hoc Ordine, dum perfectiorem ingressus non fueris; at quia non promittis perfectiorem ingredi, nec obedire Prælato eius ingressum præcipienti; ea de causa obligari non potes. Sic Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 10. n. 4.* Qualiter autem possis ex vna Religione ad aliam transire, infrà dicemus.

PVNCTVM VI.

An Religiosis interdicta sit habitus suæ Religionis dimissio, & sub qua pœna?

SVMMARIVM.

1 *Sub pœna excommunicationis dimissio habitus interdicitur.*
2 *Religiosos Societatis* IESV *in hanc excommunicationem non incidere docet Sanch. Probabilius est oppositum.*
3 *Explicatur quæ sit temeraria habitus dimissio.*
4 *Non requiritur noua habitus dimissio, tametsi contra sentiat Sanch.*
5 *Si retento habitu propriæ Religionis sæcularem induas extorius, incidis in dictam excommunicationem.*
6 *Non caret oppositum probabilitate.*
7 *Esto excommunicationem vitares occultando habitum; at non vitas peccatum mortale.*
8 *Hæc dimissio habitus debet esse temeraria, & quæ hæc sit.*
9 *Non excusaris ab hac censura, ex eo quod habitum alterius Religionis induas.*
10 *Non excusaris ex eo quod sit hæc habitus dimissio intra claustra propria Religionis.*
11 *Neque excusaris ex eo quod per horam tantum dimiseris.*
12 *Benè excusaris, si ob actionem cedentem in proximorum vtilitatem dimittas. Item si ob graue aliquod damnum vitandum.*
13 *Item excusari potes ex dispensatione.*

1. ESse omnibus Religiosis Professis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda interdictam temerariam habitus suæ Religionis dimissionem compertum est apud omnes. Ex *cap. vt periculosa. Ne clerici, vel monachi in 6.* ibi, vt periculosa Religiosis euagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliquis quamcumque Religionem tacitè, vel expressè professus in scholis, vel alibi temerè habitum Religionis suæ dimittat: & paulò inferius. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto. Ratio huius prohibitionis, vt constat ex proœmio dicti cap. est ne Religiosi occasionem habeant euagandi. Præterquam quod satis rationi consonum est, ne habitus qui datur in signum status Religiosi assumpti dimittatur non dimisso statu, ad quem significandum assumitur. Hæc igitur prohibitio circa Religiosos professos versatur, ibi, *tacitè, vel expressè professus.* Quod intelligendum est, siue viri sint, siue fœminæ; quia de omnibus est eadem ratio. Vnde nouitij non comprehenduntur, & merito; quia in illis non potest esse temeraria habitus dimissio, cum pro libito à via incepta desistere possint, & liberè vagari.

2. Difficultas autem est de Religiosis Societatis tam professis, quam non professis, an si temerè habitum dimittant, peccent mortaliter, & excommunicationem supradictam incurrant. Negat Sanch. *lib. 6. sum. cap. 8. num. 70.* eo quod Societas nullum specialem habitum habeat, sed communem, & accommodatum vsui patriæ, vt dicitur *6. p. constit. cap. 2. n. 15.* At dictus textus *vt periculosa*, supponit professos dimittentes habitum suæ Religionis habere specialem habitum, quo à cæteris distinguantur; aliàs ex illius dispositione occasionem vagandi non habebunt. Verius tamen credo sub eo decreto Religiosos Societatis comprehendi, quia esto non habeant habitum vnicum, & specialem, quo in omni loco vti debeant, tenentur tamen vti habitu honesto clericorum illius Religionis. Ergo si hunc dimittunt, & sæculari veste induantur, proprium habitum suæ Religionis dimittunt. Aliàs si sub dicto decreto Societatis Religiosi non comprehenduntur, non committent per se vllam culpam temerè habitum deponentes, & sæcularem induentes; cum iure naturali habitus Religiosi dimissio stante firmo proposito non retrocedendi ab statu prohibitus non sit. Quod certè durum est, & vagandi materiam satis aptam præbet, & licet textus loquatur de professis, id fecit gratia frequentioris vsus; & quia eo tempore nullus erat religiosus à nouitiis distinctus, qui tacitè, vel expressè professus non esset.

3. Actio verò hoc decreto prohibita est temeraria habitus dimissio. Circa quam occurrit dubitandum, quæ depositio habitus sit temeraria illius dimissio. In qua re certum est, non esse temerariam habitus dimissionem, cum illum deponis ad dormiendum, quiescendum, natandum, aliámve similem actionem; quia illa non est dimissio, sed prudens, & cordata depositio, seu nudatio, & spoliatio. Sic Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 5. num. 3. & omnes.* Petit ergo habitus dimissio depositionem illius fieri animo occultandi statum, & se alium ab eo, qui est significandi: Ex quo fit non esse propriè dimissionem habitus, si illum deponis, vt aptius aliquam personam in ludo, & recreatione repræsentes, vt cursum velociorem consummes, vt lapidem expeditius proiicias; quia illa depositio non est status voluntaria occultatio. Sic Nauarr. *cap. 26. n. 131.* Man. Rodrig. *quæst. reg. t. 2. q. 76. art. 6. notab. 2.* Azor. *t. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 13. q. 5. casu, 16. & cap. 17. q. 9.* Suar. *tom. 5. de censur. disp. 23. sect. 4. n. 27.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 8. n. 55.* Quod intelligendum est, tametsi aliæ vestes ad eum effectum induantur, vt nuper relati Doctores notant, & ratio facta conuincit. Imò Nauarr. Suar. & Sanch. *pluribus relatis,* doctrinam extendunt ad depositionem habitus ob finem turpem, vel iniustum, scilicet vt voluptuosius forniceris, vel liberius fureris. Sed hoc intelligi debet, dummodo prima intentio deponendi habitum sit voluptas fornicationis, & furti expedita executio. Nam si primo intendis tuum statum occultare, vt sic liberius pecces, non dubito; quin illa sit vera, & propria habitus dimissio excommunicationi subiecta.

4. Dubium igitur est, debeásne in depositione habitus alium accipere, vt censearis verè, & propriè habitum dimittere. Affirmant Sylvest. verbo *excommunicat. 9. casu 24. n. 52.* Nauarr. *sum. cap. 27. n. 131.* Man. Rodrig. *q. regul. t. 2. q. 76. art. 6.* Sanch. alios referens *lib. 6. sum. cap. 8. n. 51.* Mouentur; quia aliàs non esset dimissio, sed nudatio, & spoliatio. Item ex sola habitus Religiosi nudatione, nisi alius accipiatur, non est Religiosis occasio vagandi, quia non solent nudi, vel indecenter vestiti incedere. Nihilominus verius censeo solam depositionem habitus ob finem occultandi statum, esse veram habitus dimissionem, tametsi alium nouum non induas; quia potes depositio tuæ Religionis habitu solis vestibus internis vestitus incedere omnino incognitus. Ergo est dimissio habitus, ex qua datur occasio vagandi, quæ licet non sit æque frequens, & apta ac ea, quâ nouis vestibus indutus incedis; sufficit tamen, vt præbeat tibi occasionem vagandi incognitus. Sic Suar. *t. 5. de censur. disp. 23. sect. 4. n. 28.* Neque illa depositio est dicenda nudatio; aut spoliatio, cum fiat ex animo te occultandi, sed vera, & propria dimissio.

5. Sed quid dicendum, si retento habitu propriæ Religionis sæcularem induas, & sic incognitus incedas, iudicandúsne est habitus dimissus, & excommunicatus? Communior

sententia

sententia affirmat, vt constat ex pluribus, quos refert, & sequitur Sanch *lib.6. sum.cap.8. num.63.* quia illa occultatio licet non sit materialis habitus dimissio, est vera, & formalis, siquidem ea facta tollitur ab habitu esse signum cognoscitivum Religiosi status, ad quem significandum ille habitus materialis assumitur. Aliàs si retento interius habitu, eóque occultato possis excommunicationem dimittentibus habitum impositam fugere, facilè legem prohibentem dimissionem eluderes. At quoties lex pœnalis eludi potest extensione non facta, communiter Doctores censent, extendi debere, vt constat ex *cap. in nonnullis de Iudæis*; vbi iubentur Iudæi commorantes inter Christianos signum quoddam gestare, quo secernantur, qui si occultum gestent, pœnas ibi impositas non euitant, & *ex cap. quanquam vsurarij, de vsuris in 6.* vbi irritato testamento vsurarij irritatur codicillus, & donatio causa mortis. Et ex *Clem. 1. de sepultur.* prohibente sepelire in cœmiterio tempore interdicti, censetur in Ecclesiis prohibitum esse, ne inquam finis legis eludatur. Quia in dispositione legis potiùs mens, quam materialia verba spectanda est.

Nihilominus etsi supradicta sententia, vt longè verior, probabilior, & communior amplectanda sit in iudicando, & consulendo. At opposita probabilitate non caret: tenet enim eam Sayro de censur. *lib.6.c.33. num. 9. &* 10. Suar. *t.5. de censur. disp.23. sect.4. num.33. & 34. & tom.4. de Relig. tract.8. lib.1. cap. 5. num.* 12. & alij relati à Sanch. *dicto cap.8. num. 62.* Ipséque affirmat esse satis probabilem. Ratio est, quia in eo textu non quælibet occasio vagandi prohibetur, sed quæ fit per dimissionem Religiosi habitus. At occultans habitum nonnullum dimittit, sed potius retinet, occultum tamen. Neque est verum occultantem habitum dimittere signum Religiosi status; non enim illud dimittit, sed dissimulat & celat. Ergo pœna imposita dimittentibus non debet extendi ad occultantem. Neque iterum est verum, ex hac occultatione finem legis eludi; non enim ita facilè Religiosus incedere potest incognitus retento habitu, ac illo dimisso. Deinde lex pœnalis ad summum extendi potest ad casum sublata verborum forma comprehensum; at occultatio habitus non continetur sub dimissione, sed potius est illi opposita: ergo. Neque textus in contrarium relati vrgent. Nam *in cap. in nonnullis*, non præcipitur Iudæis vtcunque determinatio habitus gestati, sed qua publicè ab aliis populis distinguantur, ibi statuimus vt tales vtriusque sexus in omni Christianorum Prouincia, & omni tempore, qualitate habitus *publicè* ab aliis populis distinguantur, quod cum occultatione esse non poterat. *In cap. quanquam vsurarij*, etsi non careat difficultate extendi irritationem testamenti ad codicillos, vt tradit Glossa *ibi*; at illa non est extensio, sed inclusio. Tum quia codicillus est quoddam testamentum, est enim mentis testatio. §. *sed aliud instit. de testament.* Tùm præcipuè, quia textus de dispositione in vltima voluntate loquitur, vt colligitur ex primis verbis ibi: in vltima voluntate mandauerit, ac proinde codicillus, & donatio causa mortis, quæ sunt vltimæ voluntatis dispositiones comprehendi debent, & licèt textus solùm testamentum expresserit id gratia frequentioris vsus fecit, non vt dispositio ad solum testamentum restringeretur. Igitur ex hoc textu ad nostrum casum desumi non potest argumentum; cum occultatio habitus non sit illius dimissio, tametsi occasionem præbeat vagandi, Minus vrget Textus *in Clem. eos qui de sepultur.* Concedo namque prohibita sepultura in cœmiteriis, à fortiori in Ecclesiis prohiberi; cum Ecclesiæ sint loci sacratiores. Expressit autem Pontifex cœmiteria, quia frequentius ibi corpora sepeliebantur, quam intra Ecclesiam.

7. Sed quamuis verum sit ex occultatione habitus illo retento excommunicationem vitari; at in peccatum graue incidis. Tùm quia occasionem vagandi assumis. Tùm præcipuè quia Trident. supponit hanc occultationem grauiter esse prohibitam; siquidem *sess.25. c.19. de Regularibus* prohibet Prælatis, ne licentiam Religiosis concedant habitum suæ Religionis tegendi, qua licentia non indigerent, si nulla illis esset prohibitio. Barbosa *in remission. Concil.*

8. Habitus tamen dimissio censuram inferens debet esse temeraria, vt constat ex *textu*, ibi, temerè habitum suæ Religionis dimittat, & infrà. Temerarius violator extiterit. Quapropter ignorantia crassa modo affectata non sit, etsi à peccato non excuset, vt tradit Suar. *tom.4. de Relig. tract.8. lib. 1. cap.5. n.8.* excusat ab hac censura; quia non est præsumptio nec temeritas, vt pluribus firmat Sanch. *lib.9. de matr. disp.32. num.36. & lib.6. sum. cap.8. n.43.* Ille igitur temerè habitum dimittit, qui nulla legitima causa ductus dimittit pro nihilo ducens legis violationem. Quo sensu dixit D. Thom. 2. 2. *q.53. art. 3. ad 2.* & *ibi* Caiet. temerariam violationem legis esse illius contemptum; non quidem formalem, sed virtualem consistentem in libera, & impudenti legis transgressione, sicuti explicat Sanch. & Suar. *loc alleg.* Restat examinare, an sint aliqui casus excusantes dimissionem habitus à censura incurrenda, & à peccato?

9. Primò excusant aliqui hanc dimissionem, si habitum alterius Religionis induas, quia eo induto non est tibi materia vagandi, sicuti non est Religiosis illius Ordinis. Sed hæc excusatio sic absolutè sumpta omnino reiicienda est, quippe est contraria Textui *in dicto cap.2.* excommunicari eum, qui temerè habitum suæ Religionis dimittit quam dimissionem non euitat, esto alium assumat. Non enim dixit textus qui temerè habitum Religionis dimittit, sed notanter addit suæ, vt inde excluderet excusationem ex assumptione alterius Religionis habitus. Præterea, quia ex illa assumptione non tibi subtrahitur absolutè materia vagandi, cum facilè possis deprehensus probare non esse Religiosum illius Ordinis, quem habitus indicat. Quo probato, & habitu dimisso libera tibi vagatio permitteretur, cum non constet cui Religioni astrictus sis; sic pluribus relatis Sanch. lib.6. sum. *cap.8. n. 65.* Suar. *t.5. de censur. disp.23. sect.4. n* 32. verùm si simul cum susceptione habitus alterius Religionis, illam ingrediaris, tametsi contra iura, & inualidè pluribus firmat Sanch. *dicto cap.8. n.68.* Rodrig. *q. regular. t.2. q.76. art.8.* Lessius *c.41. dub.13. n.* 102. te excusatum esse ab hac censura, quamuis à peccato grauissimo non excuseris. Mouetur Sanch. quia Textus *in dicto cap. 2.* eam dimissionem, habitus excommunicationi subiecit, ex qua datur occasio vagandi. At ingressus in Religionem, habituque illius assumpto vagari non potes: ergo, &c. Nihilominus vetius censeo, te censuram non euitare. Sic Sylvest. *excommunicatio. 9. num.* 54. & verbo *Religio 4. quæst.* 4. Nauarr. *cap.27. num.131.* Azor. *1. t. instit. moral. lib.12. c.13. q.3. & cap.14. quæst.10. & cap.17. quæst.11.* Suar. *t.5. de censur. disp.23. sect.4. numer.* 32. Ducor, quia verè, & propriè dimittis habitum tuæ Religionis irrationabiliter, & temerè, quamuis alium assumas. Sed dimittenti temerè habitum est excommunicatio imposita quin in textu sit vlla limitatio ob alterius habitus assumptionem: ergo illam contrahis. Neque valet dicere limitari ex proœmio textus intendentis materiam vagandi Religiosis subtrahere, eo quod hic finis videatur obtineri, nouæ Religionis, & illius habitus assumptione quamuis inualida non inquam valet, tum quia verè à tua Religione vagaris; esto apparenter in Religione sis. Tùm quia transitus in Religionem nullus non potest iure, & obligatione impedire vagationis materiam, tametsi illam de facto impediat eaque de causa probata nullitate transitus, recedere liberè poteris, & vagari quantum est ex parte Religionis nulliter assumptæ.

10. Secundò excusant alij hanc habitus dimissionem, si fit intra propriæ Religionis claustra non extra. Nituntur illis verbis textus, *ne in scholis, vel alibi*, temerè habitum suæ Religionis dimittat. Verbum enim *alibi* videtur qualitatem habere præcedentis verbi *in scholis*; ac proinde intelligi debet de dimissione alibi à claustro, & scholis facta; aliàs vt quid expressis in scholis; clarius enim eo omisso diceret, vbilibet, aut in quouis loco. Præterea, quia habitatio intra claustra impedit dimittentem liberè vagari: ergo, dimissio ea qualitate affecta excommunicationi non subiicitur; quippè non præbet materiam vagandi, & ita sustinet, Angel. verbo *excommunicatio 7. casu* 27. fauet Rosella verbo *excommunicatio. 1. casu 16. n.16.* quatenus dicit post factum hanc opinionem esse amplectendam. Verùm contraria sententia omnino tenenda est, scilicet hunc Religiosum excommunicationi subiici; quia absolutè dimittit habitum suæ Religionis, ex qua dimissione per se nascitur occasio vagandi; esto per accidens vagatio impediatur; sicuti si dimittentem extra claustra habitum recluderes in carcerem, reclusio impediret vagationem, sed non impediret, quin dimissio præberet occasionem vagandi, & ita tenet, Sylvest, verbo *excommunicatio. 9. casu 24. n.54. q.5.* Nauarr. *c.27. n.131.* Azor. *lib.12. c.17. quæst.15.* Sayro *de censur. li.3. c.33. num.11.* Sanch. *lib.6. sum. cap.8. n.61.* Hanc sententiam limitant Sylvester, & Sayro *suprà*, & Man. Rodrig. *2. t. quæst. regul. q. 76. art.6* & alij relati à Sanch. *dicto num. 61.* vt procedat tantum cum Religiosus se oculis videntium ostendit, secus si se occultare procurat; quia dum se occultat: non videtur animum habere vagandi. Hæc tamen limitatio non placet Sanchio, neque Azor. *q.13. & 14.* & meritò; quia Textus *in dicto c.2.* non attendit, an Religiosus oculis intuentium pateat, seque illis offerat, sed an occasionem assumat se offerendi incognitum, & per orbem vagandi: quod certè præstat habitus dimissione.

11. Tertiò excusant alij habitus dimissionem à peccato mortali, & ab incurrenda censura, si breui tempore duret, scilicet per horam; quia illa momentanea duratio præstat, ne censeatur illa depositio moralis dimissio; sicuti non censetur recedere, qui breui reuertitur, *leg. diuortium ff. de diuortiis*, sic Eman. Sa verbo *excommunicatio reseruata, num.9.* Tolet. *lib. 4. sum. cap.18. num.3.* Azor. *1. part. instit. moral. 12. c.13. quæst.5. casu.16.* Sanch. *lib.6. sum. cap.8. numer.57.* Sed verius censeo hanc excusationem admittendam non esse; eo enim ipso, quod habitum deponis animo occultandi statim, & induendi incognitum, præstas totum id quod in supradicto textu requiritur

quiritur ad cenſuram contrahendam : dimittis enim tuæ Religionis habitum , & expeditior redderis vagationi. Perſeuerare autem in dimiſſione non petitur in textu , & meritò, quia perſeuerantia non facit dimiſſionem , ſed dimiſſionem, factam continuat , & extendit ; & ita tenet Sylueſt. verbo *excommunicatio. 9. caſu* 24. *n.* 53. Sayro de cenſur. *lib.* 3. *c.* 33. *n.* 16. Bannez 2, 2. *quæſt.* 12. *art.* 2. *dub.* 2. Suar. *t.* 5. *de cenſur. diſp.* 23. *ſect.* 4. *n.* 31. *& t.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *c.* 5. *n.* 9.

12. Quartò excuſaris ab incurrenda cenſura , ſi ob aliquam actionem cedentem in proximorum ſalutem, qualis eſt infidelium, & hæreticorum conuerſio , dimittas habitum quam tamen retento habitu commodè exercere non potes. Item ſi ob vitandum tui , tuorúmque temporale periculum ſcandali, infamiæ, iacturæ , diuitiarum dimittas; quia illa dimiſſio non eſt temeraria, ſed rationabilis, & prudens; & generaliter quoties adeſt iuſta cauſa dimittendi, ideóque in textu dicitur, niſi iuſta cauſa timoris exegerit habitum transformari , ſic ferè omnes Doctores apud Sanch. *lib.* 6. *ſum. cap.* 8. *n.* 41. Suar. *t.* 5. *de cenſur. diſp.* 23. *ſect.* 4. *n.* 27. *&* 28. *& t.* 4. *de Relig. tract.* 8. *li.* 1. *cap.* 5. *n.* 13. *&* 14. Quæ autem ſit iuſta cauſa arbitrio prudentis relinquitur , nec opus eſt , vt de iuſtificatione illius euidenter conſtet; ſufficit; ſi probabiliter appatet ; quia cognitio probabilis excludit temeritatem, & ex alia parte titulum ſufficientem præſtat ad prudenter operandum, Sic Suar. & Sanch. *loc. alleg.*

13. Quintò excuſari potes ab hac cenſura , & peccato , ſi diſpenſationem obtineas; cum enim hæc prohibitio, & cenſura ex iure Eccleſiaſtico proueniat , diſpenſatione tolli poteſt. Vt autem licitè à Pontifice præſtetur, adeſſe debet iuſta cauſa arbitrio prudentis vt benè aduertit Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 15. Hanc igitur diſpenſationem nequit alius à Pontifice concedere , quia eſt diſpenſatio in iure communi, & licet Prælatis regularibus data ſit facultas in iure communi diſpenſandi, id intelligitur quoad res frequenter occurrentes, & regulari viuendi modo neceſſarias, qualis non eſt habitus dimiſſio. Quod ſi inſtes, ſæpe aggrediendum eſt opus , de quo dubium eſt, an ob illius executionem dimittere habitum poſſis; quo caſu propria authoritate nequis dimittere; quia in caſu dubio excuſante à lege lex ſeruanda eſt. At authoritate Prælati optimè potes; habet ergo poteſtatem diſpenſandi? Reſpondeo, illam non eſſe diſpenſationem, ſed authenticam legis interpretationem; interpretatur enim eo caſu legem non obligare , & in hanc interpretationem faciendam in caſu dubio Prælati poteſtatem habent, vtpotè recto ſubditorum regimini neceſſariam, Suar *dicto. c.* 5. *n.* 17.

PVNCTVM VII.

Qualiter interdicatur Religioſis viris à ſuo Monaſterio egreſſus,

SVMMARIVM.

1 *Interdictus eſt hic egreſſus, ſed quo iure expenditur.*
2 *Non ſolùm poſitiuo ſed naturali , ſuppoſita profeſſione interdicitur.*
3 *Quando ſit peccatum mortale , vel veniale hic egreſſus ſine licentia ?*
4 *Ex licentia expreſſa, vel præſumpta ſuperioris peccato excuſatur.*

1. REligioſis interdictum eſſe è monaſterio egreſſum abſque ſuperioris licentia omnes Doctores firmant. Vnde autem hæc obligatio oriatur, an ex iure naturali; an poſitiuo, an ex voto ? non ſatis exploratum eſt. Monachis enim , quorum profeſſio erat Deo vacare , & ſaluti propriæ incumbere Alexand. II. *in cap. iuxta* 16. *quæſt.* 1. videtur præceptum impoſuiſſe, ne è monaſterio egrederentur: ibi , iuxta Calcedonenſis tenorem optimi Concilij monachis quamuis Religioſis ad Normam S. Benedicti intra clauſtrum morari præcipimus, vicos, caſtella, ciuitates peragrare prohibemus & in *cap. qui verè eadem cauſa, & quæſt.* inquit Concilium Calcedonenſ. in locis, in quibus ſe ſemel Deo dedicauerunt permanentes , & ſubdit pœnam priuationis communionis his tranſgreſſoribus. Idem habetur *in cap. placuit.* 1. *&* 2. *& cap. monachi* 2. *eadem cauſa* 16. *q.* 1. Sed quia hæc decreta omnibus Religioſis communia non ſunt, & præterea ex illis non ſatis colligitur prohiberi egreſſum vtcunque , ſed ad Eccleſiaſticas functiones exercendas, quibus ſecundùm ſuum ſtatum monachi priuati erant, vtpotè non ſacerdotes; ea de cauſa ex illis non ſumitur efficax argumentum ad hanc obligationem pro omnibus regularibus ſtatuendam. Efficacius verò deſumitur argumentum ex *cap. quanto de officio ordinar. & clem.* 1. §. *quia verò de ſtatu monach.* Vbi directè prohibita diuagatione Religioſorum ad curias principum ; ſupponitur intra clauſtra commorari debere iuxta regularia inſtituta. Denique *Trid ſeſſ.* 25. *c.* 4. *de Regularib.* apertè hanc obligationem expreſſit dicens: Non liceat regularibus à ſuis Conuentibus recedere , etiam prætextu ad ſuperiores ſuos accedendi, niſi ab eis miſſi, aut vocati fuerint.

2. Verùm non ſolùm iure poſitiuo, ſed etiam naturali ſuppoſita profeſſione , & ex voto obedientiæ exiſtimo Religioſos obligatos eſſe clauſtrum non exire abſque licentia ſuperioris. Nam ex vi profeſſionis traduntur Religioſi Prælatis gubernandi, à qua gubernatione ſe ſubtrahunt furtiuo monaſterij egreſſu. Item ex voto obedientiæ non ſolùm obligantur Prælatis parere, ſed parati eſſe ad obediendum, quam diſpoſitionem nequeunt habere, cum à Prælati oculis, & notitia recedunt. Sic Suar. *t.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *c.* 6 *per totum. ſpecialiter, n.* 8.

3. Sed inquires, quibus euentibus hic à monaſterio diſceſſus ſit peccatum mortale, vel veniale? Reſpondeo, ex omnium ſententia, quoties ex eo diſceſſu poteſt ſcandalum, vel infamia tùm Religioſo, tùm Religioni generari peccatum eſſe mortale ; quia eſt ſignum manifeſtum grauiter cuſtodiam Religionis violatam eſſe. Hinc fit ſi noctu diſcedas etiam ad horam te peccare mortaliter; quia eſt diſceſſus graue ſcandalum generans: nocturna enim, ac furtiua è monaſterio egreſſio etiam non animo apoſtatandi facta, vnus eſt ex caſibus reſeruatis à Clem. V III. non autem reſeruatur, niſi quod eſt peccatum mortale, manifeſte. Deinde etiam eſt peccatum mortale ſi per diem exeas animo pernoctandi extra monaſterium; quia aſſiſtentia nocturna extra monaſterium grauem infamiam cauſat. Suar. *dicto c.* 6. *n.* 7. Quapropter ſolum egreſſum diurnum modo conſueto exiſtimo poſſe à peccato mortali excuſari; quia cuſtodia Religionis, & ſubiectio Prælati debita non videtur grauiter læsi. Suar. *n.* 10.

4. At peccato non ſolum mortali , ſed veniali aduersùs clauſuram Religioſus excuſatur, quoties ex licentia expreſſa, vel præſumpta ſuperioris clauſtrum egreditur : quia ſpectato iure communi non eſt illi abſolutè interdictus egreſſus , ſed egreſſus abſque licentia. Quare poſita licentia egreſſus licet Quod adeò verum eſt, vt etiam licentia imprudenter , & abſque iuſta cauſa à ſuperiore conceſſa ſufficiens ſit excuſare omne peccatum aduersùs clauſuram , & Prælati ſubiectionem; eſto aliunde committatur: quia quomodocunque à ſuperiore concedatur licentia , Religioſus eſt ſub regimine Prælati , & non extra. Notanter dixi ſpectato iure communi , nam ſi ſpeciales cuiuſuis Religionis conſtitutiones ſpectemus, ſunt aliquæ Religiones præcipuè ex Monachalibus. Carthuſienſes ſcilicet & Camaldulenſes, in quibus ſub peccato egreſſus à monaſterio abſque cauſa eſt abſolutè prohibitus ; in iis enim ſi Prælatus abſque rationabili cauſa licentiam concedat , nulla eſt conceſſio, vtpotè diſpenſatio in lege ſuperioris ; ac proinde Religioſus vtens ea licentia cenſetur à monaſterio ſine licentia exire , peccatúmque committere iuxta obligationem regulæ, vt latius hæc omnia proſequitur Suar. *dicto t.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *c.* 6. *à n.* 12. *& ſeqq.*

PVNCTVM VIII.

Qualiter fœminis interdictum ſit in monaſterium virorum Religioſorum ingredi, ipſiſque Religioſis eas admittere, & ſub quibus pœnis ?

SVMMARIVM

1 *Proponuntur conſtitutiones Pij V.*
2 *Quæ examinanda ſunt in his conſtitutionibus.*
3 *Non comprehenduntur Regina, nec de ſanguine regio.*
4 *Fundatrices communis ſententia docet comprehendi, ſed oppoſitum probabilitate non caret.*
5 *Quæ poſſunt ingredi decentem comitatum, & ſolitum deferre poſſunt.*
6 *Monaſterium eſt locus prohibitus.*
7 *Quid ſub nomine monaſterij ?*
8 *Ex pietate, & neceſſitate eſt licitus hic ingreſſus. Explicatúrque caſus neceſſitatis.*
9 *Explicatur caſus pietatis.*
10 *Pœnæ conſtitutæ tranſgreſſoribus expenduntur.*
11 *Quid ſi fœminam introductam fabulationibus detineas, ne è monaſterio egrediatur ?*
12 *Expenditur quis poſſit à ſupradictis pœnis abſoluere, & diſpenſare.*
13 *Quis poſt latam ſententiam.*

1 QVæſtio hæc verſatur in explicanda *Conſtitutione Pij V. edita anno* 1566. quæ incipit : *Regularium perſonarum* , & in Conſtitutione eiuſdem Pontificis ſupradictam Conſtitutionem declarante, & extendente *anno* 1570. *die Iulij* 16. quæ incipit , *Romanum Pontificem* , quam ad verbum

verbum refert, *Confectius in priuilegiis Ordinum mendicantium inter litteras Apostolicas, fol.* 179. cuiusque meminit Sanch. *lib. 6. sum. capit.* 16. *numer.* 79. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 11. *capit.* 7. *numer.* 9. Item siue procedit quæstio in declaranda Constitutione Gregorij XIII. *edita anno* 1575. *idibus Iunij* quæ incipit: *Vbi gratia*, & alia eiusdem *edita* 23. *Decembr.* 1581. incipiente *dubiis quæ emergunt.* Sed quia Constitutiones Gregor. specialiter loquuntur de personis, quæ virtute facultatis acceptæ à Summo Pontifice, & his Constitutionibus reuocatæ monasteria Monialium ingrediuntur extra casus necessitatis, de earum intellectu in sequentibus dicemus, pauca tamen, quia ratò contingere potest aliquem ingredi virtute facultatis à tempore Gregor. concessæ, & ab eodem reuocatæ. Quo circa controuersiæ præsentis difficultas tota versatur in explicatione Constitutionis Pij V. nam licet in Constit. Pij V. quæ incipit. *Regularium personarum* solùm prohibuerit Pontifex ingressum fœminarum in monasteria virorum virtute facultatis à Summo Pontifice acceptæ, & præsentis constitutione reuocatæ. At in constit. Incipiente *Romanum Pontificem* declarat contenta in constit. *Regularium personarum* intelligenda esse de quolibet fœminarum ingressu in virorum monasteria extra casus permissos. Ibi, authoritate Apostolica tenore præsentium dicimus, & declaramus fuisse, & esse mentem, & intentionem nostram, quod dictæ litteræ non solum comprehenderent, & comprehendant mulieres habentes, & prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi monasteria: *Sed etiam omnes, & quascunque mulieres alias tam in genere, quam in specie, &c.* Ex quo fit iam non esse licitum dubitare, peccatum esse mortale, & censuris, aliisque pœnis subiectum fœminarum ingressum in monasteria virorum absque necessitate, specialique permissione, & ita tradit Sanch. *dicto lib. 6. sum. cap.* 16. *num.* 79. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 9.

2. Pro explicatione igitur harum constitutionum Pij V. quatuor examinanda sunt cum supradictis doctoribus. Primum, quibus personis in monasteria virorum censeatur his constitutionibus ingressus prohibitus. Secundum, quid nomine monasterij, domus, & loci Religiosi à quibus fit exclusio intelligatur. Tertium qui sint casus, in quibus hic ingressus permissus est. Quartum, quibus pœnis subiaceant illicitè ingredientes, & admittentes, & ob quam actionem.

3. Circa primum respondet Pontifex comprehendi mulieres cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, & quacunque dignitate, ac præeminentia præditas etiam, Comitissas, Marchionissas, Ducissas. Ex quibus verbis manifestum est Reginas, Imperatrices, filias, & neptes regum non comprehendi. Tùm quia Comitissæ. Marchionissæ & Ducissæ expressæ fuerunt vt gradus supremi. Tum quia sub generali prohibitione mulieribus facta, Reginæ, earúmque filiæ non censentur comprehensæ ob earum supremam dignitatem. Suar. *dict. tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *capit.* 7. *numer.* 6. Sanch. *lib.* 6. *Sum. cap.* 17 *num.* 4. Layman. *lib.* 4. *tract.* 5. *capit.* 12. *num* 5. Neque obstat Gregor. XIII. cum Cardinalium congregatione consultum, an supradictis constitutionibus derogatum sit Regulæ Minimorum permittenti in sua monasteria ingredi mulieres de stirpe regia cum decenti comitatu, & fundatrices, respondisse non derogari quoad Reginas, vel fundatrices duntaxat, teste Man. Rodrig. 1. *t. quæst. regul. q.* 48 *art.* 1. Sorbus *in compend. priuil. mendicant.* verbo *Ingressus monasteriorum Monialium in suis annot. in fine.* Ex quibus videtur quoad reliquas mulieres de stirpe Regia derogatum esse. Non inquam obstat. Tum quia (vt bene ait Suar. *dicto cap.* 7. *num.* 6.) de illa declaratione Gregor. non satis constat. Tum quia esto constet, vniuersalis censeri non debet. sed specialis, & restricta ad Minimorum Religionem ob eius singularem obseruantiam. Tùm & præcipuè quia si in regula per Pontificem approbata nulla erat prohibitio fœminis de stirpe Regia ingrediendi virorum monasteria, nulla facultate, quæ reuocari posset his constitutionibus, indigebant ad illum ingressum.

4. Deinde est dubium, an comprehendantur his constitutionibus fundatrices? Sanch. *dict. capit.* 18. *num.* 7. & Layman. *lib.* 2. *Sum. tr.* 5. *c.* 12. *n.* 5. & Man. Rodrig. *in exposit. constit. Pij V. num.* 3. affirmant comprehendi, nisi forte in aliqua Religione fuerit regula earum ingressum permittens, cui regulæ censent his constitutionibus non derogari ob declarationem supradictam Gregor. XIII. Nihilominus probabilitate non caret fundatrices exemptas esse à prohibitione harum constitutionum. Non enim sub prohibitione generali extraneis facta æquum erat comprehendi monasteriorum patronas, & fundatrices; si enim mulieres de stirpe Regia ob earum dignitatem à generali prohibitione excluduntur; à fortiori fundatrices, & patronæ ob earum qualitatem arctius monasteria deuincientem excludi debent. Neque ex declaratione Gregor. aliquod argumentum desumitur ad affirmandum fundatrices comprehendi sub his constitutionibus in ea Religione, in qua non est regula permittens earum ingressum: secus vbi est regula eum ingressum permittens; quia hæ constitutiones non ad derogandas regulas, sed ad derogandas facultates aduersus regulas expeditæ sunt, & ita iudicat Suar. *t.* 4. *de Relig. tract.* 8 *lib.* 1 *c.* 7 *n.* 6.

5. Mulieres verò de stirpe regia, aliæque ex speciali priuilegio monasteria virorum ingredientes, deferre secum possunt eorum comitatum personarum, quo frequenter incedunt, arg. *c. licèt de priuil in* 6. & docuit Mand. Rodrig. *in exposit. dictæ constit. Pij V. numer.* 4. Laym. *lib* 4. *Sum. tract.* 5. *cap.* 12. *num.* 5. & praxis ipsa testatur. Spectanda tamen est semper decentia, & honestas, ob quam æquum est puellas comitantes excludi, & loco illarum mulieres prouectæ ætatis assumi, illisque comitari. Secundò examinandum est quid nomine monasterij, & domus in supradictis constitutionibus intelligatur?

6. Primo debet esse monasterium, ad cuius rationem opus est, vt ibi Religiosi permanenter degant vitam communem. Quapropter si in aliqua domo ad tempus commorentur, vti solent Religiosi Societatis in residentiis temporariis, sub iis constitutionibus ea domus non comprehenditur; quia ob eius instabilitatem verè Conuentus non est, teste Sanch. *lib.* 6 *Sum. cap.* 17. *num.* 20. Layman. *cap.* 12. *num.* 5. Idem est cum causa Conuentus ædificandi aliqui Religiosi habitationem sumunt quia ex modo habitationis non censetur fixam habere sedem: sic relato *Sorbo in priuileg mendicant. verbo Ingressus monasterij monialium in suis annotat. num.* 11. *tradit.* Sanch. *dicto capit.* 17. *numer.* 19. Barbos. *alleg.* 72. *numer* 87. Prioratus autem Sancti Benedicti, & Sancti Bernardi si ibi conuentualiter viuitur, verè monasteria sunt, & sub dictis constitutionibus comprehensis. Secus verò si frequenter plures ibi non resideant; eáque de causa vidi in aliquibus mulierem coquam, & infirmariam, nullamque clausuram obseruari.

7. Secundò nomine monasterij veniunt omnia loca illius sub clausura contenta. Ex quo fit prædia, hortósque separatos etsi loca monasterij sint, sub clausura non contineri; quia nec monasterium constituunt, nec sunt partes illius, vt tradunt Nauarr. *Com.* 4. *n.* 62. *de Regul. c.* 17. *n.* 11. Secus verò dicendum est de hortis monasterio contiguis, ad quos Religiosis, patet aditus per claustrum. Neque obstat his hortis ianuam esse, per quam sæculares ingredi possunt, quin claustra ingrediantur; qua illa ianua est frequenter clausa, quod est signum ea loca sub clausura contineri, & sub nomine officinarum interiorum, quarum ingressus à Pontificibus interdicitur, comprehendi: Sic Sanch. *lib.* 6. *Sum. c.* 17. *n.* 15. Layman. *lib.* 4. *Sum tract.* 5. *c.* 12. *n* 5. *fine.* Secundò fit, Ecclesiam sub his constitutionibus non comprehendi, dummodò sit Ecclesia, quæ sæcularibus absque custodia pateat. Quod dixerim propter Ecclesias Carthusianorum, & Camaldulensium intra septa monasterij, & sub eius clausura inclusas, Suar. *t.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 2. Tertio fit in probabili sententia sacristiam, ad quam immediatè patet ingressus per ipsam Ecclesiam non comprehendi; quia reputatur pars Ecclesiæ. *Argum. c. si ciuitas de sententia excommunicat in* 6. & tradit Suar. *t* 4. *de Relig tr.* 8 *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 2. probabilius tamen est oppositum; eò quod sacristia medio pariete ab Ecclesia disiuncta pars Ecclesiæ non censeatur, & frequenter sub clausura sit; aliàs æquè fœminæ ingredi illud possent, ac in Ecclesiam, quod decentiæ, honestati praxíque receptæ repugnat. Neque obstat immediatè per Ecclesiam esse aditum ad ipsum; nam etiam solet esse ad claustrum aliásque separatas capellas, & tamen inde non infertur sub nomine Ecclesiæ comprehendi licitúmque esse fœminis ad ea loca ingredi: Et ita docet Sanch. *lib.* 6. *Sum c.* 17. *num.* 17. Quartò fit, atrium Scholarium Societatis IESV claustro contiguum sub clausura non contineri, quia absque vlla custodia patet aditus omnibus; expedit tamen ne mulieres illuc ingredi permittantur, vt verè de facto nunquam permittitur; tametsi causa rationabili intercedente permitti posset Sanch. *li.* 6. *Sum. c.* 17. *n.* 18 Laym. *li.* 4 *Sum. tr.* 5. *c.* 12. *n.* 5.

8. Tertiò explicandum venit, qui sint casus, in quibus ingressus in monasteria virorum fœminis permissus sit? Respondeo, in genere duplicem esse necessitatis, & pietatis, seu Religionis. Casus necessitatis contingit, si pro defensione bonorum Conuentus incendio flagrantis, oporteret fœminas ingredi. Si enim ex hac causa possunt viri in Monialium Conuentus ingredi, & Moniales inde exire; à fortiori poterunt fœminæ Conuentus virorum ingredi, qui non tenentur clausura æquè stricta. Item si nullus alius præter mulierem eo loco inueniretur, qui Religiosum habentem brachia, aut crura confracta, aut ossa dissoluta, vel alio graui morbo laborantem, nec commodè potentem è monasterio exire, mederetur; posset mulier decenter comitata ingredi; neque enim hæc lex clausuræ censenda est violari stante ea graui necessitate, sic late probat

Mand.

Mand.Rodrig.*in expoſit.huius conſtit.Pij V.n.1.& 3.& t.1.q.regul.q.46.à n.7.ad finem.*Sorbus *in comp. priuil.mendicantium, verbo Ingreſſus monaſteriorum Monialium, n.6.* Sanch. *lib.6. Sum.c.17.n.30.*Extenduntque Sorbus,& Man.hanc doctrinam, cum in Conuentu ſunt plures infirmi, neque adſunt Religioſi qui poſſint,nec viri ſæculares,qui velint eos mederi;poſſe honeſtas fœminas ingredi.Sed hic caſus,vt benè aduertit Sanch. eſt moraliter impoſſibilis.

9. Caſus pietatis. & Religionis eſt,ſi proceſſio aliqua Miſſa, vigilia, funus defuncti, aut quod vis aliud officium in clauſtro,vel in eius capellis celebretur : ceſſat enim eo tempore, cum ſupradicta celebrantur, eo in loco, prohibitio, vti declarauit Pius V.*viua vocis oraculo.15. Nouembr. anno* 1569. teſte Man. Rodrig. *in expoſit. huius conſtit. n.* 15. Quòd ſi roges quid intellexerit Pontifex nomine alterius officij? Reſpondeo,intelligi officium ſimile præcedentibus,quale eſt concio,lorio pedum in die Cœnæ,habitus Religioſi ſuſceptio, vel profeſſio.Man.*in expoſit.dictæ conſtit.n.*18.*& c.1. q.regul. q.48. art.*3.Sanch.*c.17.n.*25. qui benè addit *n.*27. ob theſes Theologiæ defendendas,vel ob repræſentationem alicuius comœdiæ piæ & Religioſæ non poſſe mulieres clauſtrum ingredi; quia hæc non ſunt officium pium,& Religioſum ſimile proceſſioni, miſſæ,vigiliæ,funerique defuncti. Inſuper permittitur mulieribus clauſtrum, vel lucum alium Religioſorum ingredi, quando nequeunt alia via ad Eccleſiam accedere ob multitudinem populi ad concionem,aliúdve officium illuc confluentem;debent tamen via recta ad Eccleſiam ire,& exire. Barboſa 3.*p.de poteſt. Epiſc.alleg.*102. *n.* 86. Man.*in expoſit.dictæ conſtit.n.*15. Sanch. *lib.6.c.17.n.*22.

Ingreſſæ verò mulieres in clauſtrum inferius, vbi ſolet proceſſio, miſſa, aliàque pia officia celebrari, non poſſunt abſque violatione clauſuræ clauſtrum ſuperius aſcendere, vel officinas interiores,nec per ſe patentes ingredi;quia ſolùm ceſſat clauſura eo in loco,vbi officia diuina celebrantur,& tradit Sanch. *n.*25. Man.*in expoſit.huius conſtit. num.*18. Deinde nequeunt mulieres;antequam diuina celebrentur, vel prope ſit celebrationi,illuc ingredi;quia non adeſt cauſa ingreſſum honeſtans.Vnde ſi veſpere, & non manè proceſſio facienda eſt, manè non eſt permittendus ingreſſus. Et è contra,ſi manè diuina celebrantur, & non veſpere, nequeunt veſpere clauſtrum ingredi;quia moraliter ceſſauit cauſa, cui priuilegium violandi clauſuram innititur.Man.Rodr.*t.1.q.regul.q* 48.*a.2. fine. & in expoſ.huius conſtit.n.*19.Sanch.*lib.6.ſum cap.*17.*n* 24.*&* 29. Eo tamen tempore,quo diuina celebrantur, excuſantur mulieres clauſtrum ingredientes à violatione clauſuræ, tametſi ingrediantur non animo aſſiſtendi diuinis,ſed explendi curioſitatem,vel alio fine prauo ductæ; quia prauus finis ingredientium non tollit ab eis generale priuilegium conceſſum illuc ingrediendi. Nam eſto illud priuilegium concedatur, vt poſſint diuinis aſſiſtere; non tamen conceditur ſub conditione,vt aſſiſtant.Sic Man.*dicta q.*48.*art.*3. *notab.*2.*& in expoſit. huius conſtit.n.*17. Sanch.*c.*17.*n.*28.qui in fine videtur ſibi eſſe contrarius.

Propterea non licet Religioſis proceſſiones inſtituere eo ſolo fine, vt mulieres clauſtrum ingrediantur; quia Pontifex pietatem,& Religionem fouere intendit, non clauſuræ relaxationem. Man. Rodrig. *in expoſit. dictæ conſtit.n.* 16. *& c.* 1. *Quæſt.regul.q.*48.*a.*3.Sorbus *in compend. priuil mendicant.verbo Ingreſſus monaſt. Monial.in annot.n.*7. Sanch.*c.*17. *n.*23. Secus eſſet,ſi adeſſet aliqua cauſa pia,qua credendum eſt ſemper Religioſos moueri.

10.Quartò explicari debent pœnæ ſtatutæ in dicta Conſtit. Pij V. tam aduersùs mulieres monaſteria virorum ingredientes extra caſus permiſſos,quam aduersùs eas introducentes, & admittentes,& qualiter incurrantur ? Dicendum eſt,aduersùs mulieres ſtatutam eſſe excommunicationem Pontifici reſeruatam, quam mulieres ingredientes in virorum monaſteria ipſo facto incurrunt. At abbatibus, prioribus, aliiſque præſidentibus monaſteriorum,& eorum monachis,canonicis, & fratribus ſiue mendicantibus, ſiue non mendicantibus ſupradictas mulieres introducere, admittereve præſumentibus pœnam priuationis officiorum, quæ in præſenti obtinent, & inhabilitatis in poſterum ad illa, & alia omnia, & ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto ſine alia declaratione incurrendam impoſitam eſſe. Sed eſt notanda differentia inter ſuſpenſionis pœnam,& pœnam priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa;quod ſuſpenſio,quia eſt cenſura *cap. quærenti. de verbor. ſignificat.* nulla indiget iudicis ſententia,vt incurratur; at priuatio officiorum, & inhabilitas ad illa ſententiam requirit criminis declaratoriam, quamuis non ſit declaratoria pœnæ; vt latiùs probaui, *tract.* 3. *huius operis diſput.* 2. *punct.* 2. & tradit in præſenti Sanch. *lib.6.cap.*15. *num.* 65. *&* *c.*17. *n.* 39. Nomine officiorum, quibus Religioſi introducentes fœminas,vel eas admittentes priuantur, veniunt intelligenda officia iuriſdictionem habentia, ſcilicet eſſe Generalem,Prouincialem, Viſitatorem, Commiſſarium, Præpoſitum localem, Vicarium Monialium; non tamen eſſe Definitorem, Diſcretum, Concionatorem, Confeſſorem, Lectorem Theologiæ; quia hæc iuriſdictionem nullam continent.Manuel.*in expoſit. dict. conſtit.num.*21.Sorbus *in compend.priuil. mendicant.verbo ingreſſus monaſteriorum Monial. in annot.n.* 8. Sanch.*lib.6. ſum.c.15. n.66.*

Rurſus aduerte ad incurrendas ſupradictas pœnas præſumptione opus eſſe, quod ſatis indicat verbum *audeat*, quo vtitur Pontifex in ferenda pœna excommunicationis, & verbum *præſumant* appoſitum in ferenda priuationis officiorum, & ſuſpenſionis à diuinis pœna. Vnde quælibet ignorantia etiam craſſa, modò affectata non ſit, ab iis incurrendis excuſat,vt latè probaui. *tr.* 2. *diſp.*1.*punct.* 18. & tradit in præſenti Sanch.*lib.6. ſum.c.*16.*n.*96. *&* 96. *&* *c.*17.*n.*36. Actio autem, ob quam Religioſi ſupradictis pœnis afficiuntur; eſt, quia in monaſteria virorum fœminas introducere, admittereve præſumunt. Præſumunt igitur introducere, ſi poſitiuè, & immediatè ad ingreſſum cooperantur, vel oſtium aperiendo, vel eas aliquo modo adiuuando. Solùm eſt dubium; an cenſearis introducere,vel admittere,ſi ingreſſum præcipias, vel conſulas,deinde ſi ingreſſas comiteris; & confabulationibus detineas ? Et quidem ſi ipſis ingredientibus ingreſſum præcipias, vel conſulas ſine dubio cenſendus es illarum introductor, & admiſſor; cum illius Ingreſſus ſatis cauſa moralis;ſis & tradit Suar.*t.*4.*de cenſur.diſp.*22.*ſect.*6.*n.*14. Sanch. *lib. 6. Sum. c.*16. *n.*93.At ſi Admittentibus conſulas, vel præcipias vt admittant, diſtinguendum eſt,ſi ex officio teneris cuſtodiæ regulari prouidere,cenſeris admittere;quia eo facto incitas, approbáſque Ingreſſum, quem tenebaris impedire. Sanch. Suar. *ſupra.* Si autem ex officio obligatus non ſis ingredientes impedire;quia non es Prælatus, nec tibi ianuarum cuſtodia commiſſa eſt;non es cenſendus admittere,eſto conſulas, & præcipias,aliis,vt admittunt; quia aliud eſt admittere, aliud de admiſſione conſilium dare. Cum igitur hæc lex Pontificia ſolùm puniat admiſſionem,non illius conſilium, & præceptum : ob conſilium,vèl præceptum de admiſſione datum non contrahis pœnas admiſſori, & introductori impoſitas. Sic Sanch. *lib.6. ſum.c.*16. *n.*94.

11. Ex his decidenda venit ſecunda dubitatio;an ſi fœminas iam Ingreſſas in monaſteria,vel ibi extra caſus permiſſos commorantes comiteris, confabulationibúſve detineas, ne egrediantur, cenſearis illarum admiſſor, pœnaſque priuationis, inhabilitatis, & ſuſpenſionis incurras ? Si ex officio teneris ſeruare cuſtodiam, ſine dubio cenſendus es admiſſor, pœnáſque ſupradictas incurris; quia ſaltem indirectè recipis, retines, & admittis fœminam iniquè intrà clauſtra commorantem:Siquidem non expellis,cum poſſis, & debeas:Neque obſtat te eam non introduxiſſe, ſufficit ſi introductam admittas, quia non ſolùm introducentibus, ſed admittentibus pœnæ impoſitæ ſunt. Et præterea fœminis ingreſſus eſt interdictus non tàm momentaneus, quam permanens:Si autem ex officio non es obligatus cuſtodiam ſeruare, diſtinguendum eſt,ſi tuo comitatu, vaniſque confabulationibus cauſa es, vt ibidem mulier detineatur, dicendus es illius admiſſor. At ſi comitatus,vel confabulatio cauſa non eſt detentionis; quia illis ſublatis adhuc mulier in Conuentu detineretur,non es reputandus admiſſor, quippè nec directè, nec indirectè detentioni concurris,vt benè dicit, Suar. *t.*5.*de cenſur.diſp.*22.*ſect.*6. *n.*14. Sanch.*lib.6.ſum.cap.*16.*num.*93.95.

12. Reſtabat dicendum quis poſſit ab his pœnis incurſis abſoluere, vel diſpenſare ? Cui dubitationi breuiter reſpondeo,incidentes in excommunicationem ob ingreſſum ſolum Summum Pontificem abſoluere poſſe ab ea, quia eſt ſibi reſeruata.Epiſcopum verò tanquam delegatum ſedis Apoſtolicæ,ſi excommunicatio occulta ſit,neque ad forum contentioſum deducta,iuxta Trident.*ſeſſ.*24.*c.*6.*de reform.*&ab Ordinario approbatum virtute Bullæ cruciatæ in foro conſcientiæ, ſemel in vita, & in morte. Itémque Confeſſarios ordinum Mendicantium, & reliquos ſuis priuilegiis communicantes, quia in Bulla cruciatæ, & in priuilegiis Religioſorum nulla eſt reſtrictio facta pro excommunicatione publica, aut ad forum contentioſum deducta. Neque obſtat Epiſcopis hanc facultatem Concilium reſtrinxiſſe, vt inde inferas cuilibet ſacerdoti electo per bullam,cuilibétque Religioſo ob Priuilegia Ordinis potiori iure reſtringendam eſſe; quia Epiſcopis reſtringitur;quia ſunt iudices non ſolùm pro foro conſcientiæ, ſed externo. Deinde quia erat facultas per modum legis, & ſtatuti,quæ in priuilegio Bullæ,& ordinibus conceſſo nequaquam procedunt; ac proinde non eſt mirum, quod horum virtute excommunicatio publica,deductáque ad forum,exteriùs abſolui poſſit in foro conſcientiæ, non autem conceſſione Epiſcopis facta,vt latius Sanch. *lib.6. ſum.cap.*15. *n.*76. *&* *c.*17.*n.*43.

Deinde à ſuſpenſione à diuinis incurſa ab his, qui fœminas iniquè in monaſteria virorum admittunt, vtpotè non reſeruata Pontifici, poterit Epiſcopus abſoluere; tametſi ad forum contentioſum deducta ſit. Virtute verò cruciatæ, & priuilegiorum mendicantium toties quoties id neceſſarium fuerit.

In

in priuatione officiorum, & inhabilitate ad illa maior est est dubitatio, quis possit dispensare? Et quidem si hæ pœnæ ipso facto ante iudicis sententiam contraherentur, essentque occultæ, neque ad forum contentiosum deductæ, posset Episcopus dispensare virtute Trid. concedentis omnes casus occultos, idipsumque possent Religiosi mendicantes, & omnes alij eorum priuilegiis fruentes ob Constitutionem Pij V. in fauorem Dominicanæ familiæ, cuius meminit Man. Rodrig. *tom.1.quæst.regul. quæst.69. art.1. & in expositione præsentis Constitutionis propè finem num.35.* qua Prælatis dictæ Religionis concessit, vt possent suis subditis; ea tamen conditione, vt per se ipsos, & non per substitutos, & delegatos faciant. Verùm si hæ pœnæ publicæ sint, vel ad forum contentiosum deductæ (esto Episcopus in eis dispensare non possit, quod non est certum, vt statim dicemus, siquidem non sunt Pontifici reseruatæ) at Prælati Religionum mendicantium, & confessores ab eis deputati dispensare optimè possunt semel in vitâ, & in morte, concessione Eugenij IV. facta minoribus, quæ refertur *in mare magno fol. 61. & 64. concess. 85. & in compend. priuil. verbo absolutio extraordinaria quoad fratres 6. §.3.* cuiusque meminit Man. Rodrig. *in expositione præsentis constit. Pij V. propè finem, n.35.* Debent tamen dispensari virtute huius priuilegij singulis hebdomadis per annos psalmos pœnitentiales recitare, quod si aliqua hebdomada ob legitimum impedimentum id præstare non possint, anno sequenti supplere debent. Deinde Prælati Societatis Iesv, & qui in eisdem priuilegiis communicant possunt ex concessione, Pauli III. *relata verbo Absolutio. n.1.* in hac priuatione, & inhabilitate dispensare; quia ibidem conceditur potestas absoluendi ab omnibus casibus sedi Apostolicæ reseruatis præter contentos in Bulla Cœnæ, & ab omnibus censuris, & pœnis consurgentibus ex eis. Cum autem hæ pœnæ ex delictis non reseruatis in Bulla Cœnæ consurgant, poterunt aboleri à dictis Prælatis. Neque obstat priuilegium vti verbo absoluendi, cum tamen hæ pœnæ non absolutione, sed dispensatione tolli debeant; quia sæpe in priuilegiis absolutionis nomen latissimam habet significationem, vt idem significet quod tollere, & abolere, vt notauit Suar. *tom.4.de Relig.tract.8.lib.2.cap.21.fine n.16.* & ita tenet in præsenti Sanch. *lib.6.sum.cap.15.fine,n.78.*

Sed quid si supradictæ pœnæ priuationis, & inhabilitatis, vtpotè indigentes ad earum incursum sententia iudicis, ex illius sententia declaratoria impositæ sint? Negat Sanch. *lib. 6. sum. cap.15. n.78. initio.* Episcopum, vel Religionis Prælatum dispensare posse, nullum tamen adducit fundamentum, sed illud esse potest; quia sunt pœnæ Pontificio iure statutæ, & facta delicti declaratione censetur à Pontifice imponi; at inferior nequit superioris facto derogare, ergo neque Episcopus, neque Religionis Prælatus poterit in supradictis dispensare. Cæterùm verius credo & posse Episcopum, & Religionis Prælatum cum suis subditis in his pœnis dispensare, postquam resipuerint; egerintque pœnitentiam; quia cum hæ pœnæ Pontifici non sint reseruatæ, censentur Ordinariis concessæ. *Argum. cap. nuper. de sententia excommunicat.* expedit enim hæc concessio recto Ecclesiæ regimini, sic pluribus firmati, *tract.3. de legibus disp. vlt. de dispensat. punct. 6.* appositis quibusdam limitationibus, quæ ibi videri possunt.

Punctvm IX.

Qualiter Monialibus interdictus sit è suo monasterio egressus?

SVMMARIVM.

1 *Omnes Moniales iure Ecclesiastico obligantur, ne è monasterio exeant.*
2 *Non est dubium ad clausuram Moniales obligari posse.*
3 *Quæ Moniales conuersæ, seu laicæ clausurâ excipiantur.*
4 *Consuetudine abrogari potest lex clausuræ.*
5 *Explicantur loca, quorum comparatione hæc clausura seruanda sit.*
6 *Potest Episcopus in monasteriis sibi subiectis hanc clausuram inducere.*
7 *Quid de monasteriis regularibus subiectis? Probatur latè in his posse Episcopos clausuram indicere, eáque visitare.*
8 *Non est opus quotannis clausuræ decretum publicare.*
9 *Spectato iuris rigore necessarium erat Moniali ad egressus, non solùm vt Prælati regulares, quibus est subiecta, approbarent causam, sed etiam Episcopi.*
10 *Qui nomine Episcopo veniat?*
11 *Stante legitima causa manifesta, & euidenti egressus, si Episcopus nollet approbare causam, vel Prælatus licentiam concedere, potest Monialis exire, impediri tamen potest ex accidenti.*
12 *Expenditur quæ sit legitima causa egressus.*
13 *Ex causa simili supradictis potest licentia concedi.*
14 *Ob morbum aliis non contagiosum negat communis sententia licentiam concedi posse.*
15 *Oppositum probabilitate non caret.*
16 *Legitima est causa egressus, si exeat Monialis ad fundandum monasterium, vel regendum.*
17 *Ob iuramentum fidelitatis, idémque ob pœnitentiam agendam licentia concedi potest.*
18 *Quid ob æris intemperiem, & continuas infirmitates.*
19 *Cessante causa, ob quam Monialis egressa est, redire illico debet.*
20 *Quæ pœnæ sint impositæ egredientibus, & ad egressum cooperantibus?*
21 *An hæ pœnæ afficiant Monialem legitimo titulo egressam, sed iniquè extra commorantem.*
22 *An Episcopi in supradictas pœnas incurrere possint? Proponitur dubitandi ratio, sed resoluitur posse incurrere.*
23 *Quis comitatus, & receptio sint necessarij ad incurrendas dictas pœnas.*
24 *Requiritur ad supradictarum pœnarum incursum egressum ex clausura completum esse.*

1. IVre Ecclesiastico constat omnibus monialibus professis egressum è suo monasterio interdictum esse, *cap. periculoso, de statu regular. in 6.* quod dictum renouauit Trident. *sess.15.c.5.de regularib.* & Pius V. sua constit. incipiente, *circa pastorales, edita anno 1566. 4 Kalendas Iunij*, & alia incipiente, *Decori, & honestati, edita Kalend. Februar. anno 1569.* obligare autem hæc decreta omnes Moniales professas, sine antè vouissent, obseruassentve clausuram, siue non, euidens est. Nam Bonifac. VIII. *in c. periculoso*, non tam intendit hanc obligationem vt antiquam renouare, quam denuò statuere, vt satis indicant illa verba: *Præsenti constitutione perpetuò irrefragabiliter valitura sancimus vniuersas, & singulas Moniales præsentes, atque futuras*, cuiuscunque Religionis sint, vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes sub perpetua in suis monasteriis decere de cætero permanere clausura. Idem constat ex *Trident.* renouante hanc constitutionem, & Episcopis præcipiente, vt in omnibus monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis verò sedis Apostolicæ authoritate clausuram Monialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent; quasi diceret, vbi clausura indicta à Bonifac. VIII. violata fuerit, restituatur, vbi seruata est, retineatur diligenter; & paulò inferius subdit: Nemini sanctimonialium liceat post professionem exire à monasterio etiam ad breue tempus quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, indultis quibuscunque, & priuilegiis non obstantibus, & in *cap. 22. eiusdem sess.* præcepit Concilium omnia in præcedentibus capitulis statuta seruari, non obstantibus quibuscunque statutis, & priuilegiis quacunque firmitate munitis, & quibuscunque præscriptionibus, & consuetudinibus etiá immemorabilibus. Erat autem in *cap. 5.* præcepta omnibus Monialibus clausura: ergo, non obstante præscriptione, & consuetudine immemorabili in contrarium seruanda est. Clarius Pius in sua dicta constitut. *circa pastoralis*, hanc obligationem expressit his verbis. Hac igitur perpetuò valitura constitutione inhærentes etiam constitutioni felicis recordationis Bonifac. Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit: *Periculoso*, & decretis Concilij Trident. super clausuram Monialium editis, authoritate Apostolica statuimus tenore præsentium, atque perpetuò decernimus, vniuersas, & singulas Moniales præsentes, atque futuras cuiuscunque Religionis, Ordinis, vel militiarum etiamsi. Hierosolymitanæ sint, quæ vel iam receptæ sint, vel imposterum in quibuscuis monasteriis; siue domibus recipientur, & tacitè, vel expressè Religionem professæ, etiamsi conuersæ aut quocunque nomine appellentur, etiam si ex institutis, vel fundationibus earum regulæ ad clausuram non teneantur, nec vnquam in earum monasteriis, seu domibus etiam ab immemorabili tempore ea seruata fuerit, sub perpetua in suis monasteriis, seu domibus de cætero debere permanere clausura; & paulò inferius inquit: Quod si aliquæ Moniales forsan reperiantur, quæ consuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel fundatione regulæ suæ factæ animo obstinato clausuræ resistant, aut quoquo modo reluctentur, ordinarij vna cum superioribus earum omnibus iuris, & facti remediis compellant easdem tanquam rebelles, & incorrigibiles ad præcisè subeundam dictam clausuram, & perpetuo obseruandam. Mulieres quoque quæ Tertiariæ, seu de pœnitentia dicuntur cuiuscunque Ordinis fuerint in Congregatione viuentes si & ipsæ professæ fuerint, ita vt solemne votum emiserint ad clausuram præcisè, vt præmittitur & ipsæ teneantur. Quod si votum solemne non emiserint, ordinarij vna cum superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, vt illud emittant, & profiteantur, ac post emissionem & professionem eidem clausuræ se subiiciant. Quod si recusauerint, & aliquæ ex eis inuentæ fuerint scandalosè viuere, seuerissimè puniantur. Cæteris autē omnibus sic absq; emissione

profeſſionis,& clauſuræ viuere omnino volentibus interdicimus, & perpetuo prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorſus in ſuum Ordinem, Religionem, Congregationemve recipiant. Quod ſi circa huiuſmodi, ac noſtram prohibitionem,& decretum aliquas receperint,eas ad ſic viuendum omnino inhabiles reddimus,ac illarum quaſlibet profeſſiones, & receptiones irritas decernimus, & nullas; prout etiam præſenti decreto irritas facimus, & annullamus. Deinde hanc conſtitutionem idem Pius V. roborauit grauiſſimis pœnis ſtatutis in conſtitutione,quæ incipit:*Decori*,vbi prohibet exitum Monialibus ſub excommunicatione ſibi reſeruata, niſi ex cauſa magni incendij, vel infirmitatis, lepræ,aut epidemiæ: quæ cauſa cognita,& approbata ſit in ſcriptis ab ordinario; tametſi monaſterium exemptum ſit. Deinde Gregor. XIII. in ſua conſtitutione, quæ incipit,*Deo ſacris virginibus, edita anno* 1572. 3.*Kalend. Ianuarij*, eandem clauſuram confirmauit,explicuitque loca ſub clauſura contenta.

2. Ex quibus liquido conſtat, nemini iam eſſe licitum dubitare Pontificem poſſe, & de facto obligaſſe Religioſas Profeſſas ad hanc clauſuram, tametſi cum Profeſſionem fecerint, exemptæ fuerint ab illius obſeruatione. Ratio autem, in qua hæc poteſtas fundatur, ea eſt;quia aſſumens aliquem ſtatum, & obligatus in eo perſeuerare,eo ipſo obligatur ad ea,quæ ad conſeruationem integram, & puram illius iudicata fuerint à Rectore illius ſtatus moraliter neceſſaria. At clauſura Monialium iudicata eſt à Pontifice moraliter neceſſaria, vt Religioſus ſtatus fœminarum integrè, & purè conſeruetur; eaque de cauſa Bonif. VIII. vocauit ſtatum Monialiũ ſine clauſura periculoſum, & noxium. Ergo poteſt Pontifex hanc clauſuram dicto ſtatui annectere, & Moniales Profeſſas obligare ad illius obſeruationem. Poteſt inquam, & fecit, cum ex iuriſdictione, qua Eccleſiam Dei gubernat, & neceſſaria, ſeu valde vtilia cuiuſlibet ſtatus conformationi prouidet, tũm ex poteſtate dominatiua, quam in Religioſos obtinet ex voto obedientiæ emiſſo, & profeſſione facta, atque ita tenent omnes Doctores Catholici apud Nauarr. *comm.* 4. *de Regularib.num.*40. Eman. Rodrig. *t.*1. *q. regular. q.*44. *art.*2. *ſeqq.* Suar. *t.*4. *de Relig.tract.*8. *lib.*1. *cap* 8. *n.*7. *&* 8. Barboſa 3.*p.de poteſt.* Epiſc.alleg.102. *n.* 13. *& ſeqq.* Sanch. *lib.* 4. *ſum. cap.*15.*num.*3.

3. Ab hac regula generali videntur excipiendæ Moniales conuerſæ (ſic nuncupatæ, quia ad ſeruitia miniſteriáque corporalia deſtinantur) tametſi Profeſſæ ſint ex Conſtitutione Pij V. *circa paſtoralis.* His enim indulget Pontifex, ſi monaſterium eleemoſynis fidelium indigeat per has conuerſas colligendis, poſſe extra monaſterium in domo aliqua contigua manere ad hunc effectum, dummodo ætatis ſint 40. neque monaſterium ingrediantur,niſi in caſibus permiſſis, neque ad colligendas eleemoſynas accedant, niſi de licentia ordinarij, & ſuorum ſuperiorum. Hæc tamen indulgentia, & clauſuræ remiſſio ſolum erat pro conuerſis profeſſis eo tempore exiſtentibus.Nam de cætero inquit Pius V. nullæ aliæ profeſſæ conuerſæ recipi amplius etiam de conſenſu ſuorum ſuperiorum vel Prælatorum poſſint, hoc eſt vt extra monaſterium ad hunc effectum colligendi eleemoſynas degant. At Greg. XIII. in ſua Conſtitut. *Deo ſacris virginibus*, videtur prædicti Pij V. Pontificis mentem explicuiſſe aliquo modo mutando. Nam poſtquam ſtatuit omnes conuerſas profeſſas reducendas eſſe ad clauſuram, nullaſque aliàs in futurum recipi in monaſteria debere, niſi profeſſionem ſuo tempore emiſſuras,ſubdit hæc verba difficilia. Quod autẽ idem Pius ſtatuit de cætero nullas alias conuerſas profeſſas recipi amplius poſſe,ita eſſe intelligendum declaramus, præter illas conuerſas, quæ extra monaſterium in domibus contiguis degerent. Ex quibus verbis colligitur(inquit Suar.*t.*4.*de Relig.tr.*8.*lib.*1.*c.*8. *n.*21.)conceſſiſſe Gregor.poſſe recipi Moniales conuerſas profeſſas,vt extra monaſterium degerent,ſi ad effectum colligendi eleemoſynas neceſſariæ ſint; ſed non credo hunc eſſe ſenſum illorum verborum Gregorij;aliàs non mentem Pij V. declararet,ſed contradictorium illius; ſiquidem Pius V.manifeſtè voluit nullas alias profeſſas conuerſas recipi amplius poſſe,vt extra monaſterium degant,etiam ſi videantur neceſſariæ ad eleemoſynarum collectionem;præcipit enim ſuperioribus, vt ipſi prouideant de aliis perſonis, & Deo deuotis,quæ fidelium eleemoſynas colligant,ſi neceſſitati Monialium ſuccurri ſufficienter non poſſit,nullas alias profeſſas conuerſas abſque obligatione clauſuræ recipiendo. Quapropter exiſtimo verba Gregorij,ſic eſſe intelligenda,vt nullæ aliæ conuerſæ profeſſæ recipi poſſint extra monaſterium degentes præter illas conuerſas, quæ de facto extra monaſterium in domibus contiguis degerent,vel vt placet Mand. Rodrig. *t.*1. *q.regul.q.*44.*a.* 4.*concl.* 2. præter illas conuerſas non profeſſas, ſed ſola vota caſtitatis, & obedientiæ ſimplicia emittentes. Sit ergo certum,nullam Monialem,etiam ex conuerſis recipi amplius ad profeſſionem poſſe, quæ obligatione careat ſeruandi clauſuram,ſed omnes profeſſas hac obligatione teneri.

4. Verùm etſi hoc ita ſit; poteſt nihilominus ſupradicta lex clauſuræ conſuetudine abrogari: quippè ſolo iure Eccleſiaſtico introducta eſt. Nec enim ſtatus Religioſus, nec votum caſtitatis hanc clauſuram vt neceſſariam ad ſui eſſentiam expoſtulant, eſto exigant illam;vt maximè conueniẽtem.At aduersùs legem Eccleſiaſticam prævalere poteſt conſuetudo, vt latè probaui, *t.p.tr.*3. *de legib. diſp. de conſuetud.* Ergo conſuetudine hæc lex clauſuræ abrogari poterit.Sic Azor.*t.p.inſt. mor.lib.*13.*c.*8. *q.*1. Sanch. *lib.*6 *ſum.c.*15. *n.*4.

5. Loca in quibus ſeruanda eſt clauſura ſunt ea;quæ ſæcularibus non patent. Quare ſi è clauſtro ad Eccleſiam Monialis exeat, vel ad ianuam primi oſtij communiter ſæcularibus patentem, clauſuram violat,neque ab eius violatione excuſatur;eo quod Eccleſia, aut oſtium illud eo tempore quo exit, clauſum ſit.quia id eſt per accidens.Sic explicuit Greg. XIII. in ſua Bulla: *De ſacris virginibus*, ibi: Declaramus præterea nullis Monialibus etiam tertiariis licere habere oſtium, per quod ex monaſterio interiori introiri poſſit in ipſarum Monialium Eccleſiam exteriorem, in quam ſæcularibus ad Miſſam;& diuina officia patere ſolet acceſſus, ſed omnino muro obſtruendum. Nec itidem licere Monialibus etiam tertiariis egredi à ianua monaſterij, quæ eſt pro clauſura monaſterij ipſius, etiam ad claudendam aliam vlteriorem ianuam, qua patere ſolet aditus ſæcularibus venientibus vel ad rotam, vel ad crates,ſeu loca colloquiis deſtinata,quæ vulgò Parlatoria vocantur,vel ad pulſandum ipſam ianuam clauſuræ,quæ loca cum ſaltem pro cauſis prædictis patere ſoleant ſæcularibus, extra clauſuram cenſeri debent etiam quo tempore clauſa ſint.

6. Reſtat tamen quadruplex enodanda difficultas. 1. An Epiſcopis competat etiam in monaſteria regularibus Prælatis ſubiecta hanc clauſuram indicere, & de eius obſeruantia vigilare? 2.An eis competat approbatio cauſæ legitimæ ad egreſſum? 3.Quæ ſit legitima cauſa egreſſus? 4.Quæ ſint pœnæ impoſitæ egredientibus abſque cauſa,vel ad eam actionem cooperantibus.

Primò igitur poſſe Epiſcopum clauſuram indicere monaſteriis ſibi ſubiectis authoritate ordinaria; ſubiectis verò ſedi Apoſtolicæ authoritate delegata expreſsè deciditur à Trid. *ſeſſ.* 25. *c.*5. *&* 21.*de regul.* Sed quia alia ſunt monaſteria à iuriſdictione Epiſcopi exempta,neque Pontifici immediatè ſubiecta,ſed ſubiecta regularibus Prælatis.

7. Dubium eſt, an his monaſteriis Epiſcopi clauſuram indicere poſſint, & indictam inſtare,an obſeruetur? Affirmat id poſſe Praxis Epiſc.2. 2.*p.* verbo *Monialis q.* 4. *&* 8. Barboſa 3. *p.de poteſt. Epiſc.alleg.*102. *n.*7.*&* 8. refertque ibi, & in remiſſion. Concilij à Sacra Congregatione deciſum eſſe. Mouerique poſſunt;nam eſto Bonifac.VIII. *in c.periculoſo* clauſuram horum monaſteriorum indicendam commiſerit eorum Prælatis,vt cõſtat illis verbis:Abbates,& alij tam exempti,quam non exempti Prælati Eccleſiarum; monaſteriorum, & Ordinum quorumcunque in monaſteriis huiuſmodi ſibi ſubiectis de Monialibus includendis, quamprimum commodè potuerunt prouidere procurent;inde tamen non infertur Trid. decreto & Conſtit.Pij V. hanc facultatem Epiſcopis conceſſam non eſſe.Non enim abſque cauſa Trid.cum de monaſteriis ſedi Apoſtolicæ ſubiectis locutum eſt, omiſit dicere immediatè ſubiectis,ſicuti dixit Bonifac.vt hac ratione poteſtatem Epiſcopi extenderet ad monaſteria ſedi Apoſtolicæ ſubiecta ſiue immediatè,ſiue mediatè mediis ſcilicet Prælatis regularibus, quod Pius V. vt omnem dubitationem tolleret in ſuo motu proprio incipiente *circa paſtoralis*, videtur expreſsè declaraſſe.Mandantes (inquit)in virtute S. Obedientiæ Primatibus. Archiepiſcopis & Epiſcopis quatenus in ciuitatibus & diœceſibus propriis præſentes noſtras literas publicare faciant, ac in monaſteriis Monialium ſibi ordinario iure ſubiectis. In iis verò quæ ad Romanam mediatè, & immediatè ſpectant Eccleſiam, ſedis Apoſtolicæ authoritate vna cum ſuperioribus eorumdem monaſteriorum clauſuram, vt præmittitur quamprimum poterit ſeruari,procurent. Conſtat ergo ex his verbis Epiſcopis ſedis Apoſtolicæ authoritate poſſe clauſuram indicere monaſteriis regularibus Prælatis ſubiectis, vna cum ipſorum monaſteriorum prælatis, id eſt ſimul ac ipſi monaſteriorum illorum Prælati.

Dices, Trid. & Pium V. non intendiſſe ſuis decretis diſpoſitioni Bonifacij VIII. derogare, ſed potius eam confirmare,& reuocare.At Bonifac. VIII.ſolùm conceſſit Epiſcopis,vt in monaſteria ſedi Pontificiæ immediatè ſubiecta clauſuram indicerent. Ea verò, quæ Prælatis regularibus ſubiiciuntur eorum gubernationi ſubiecit, vt conſtat ex verbis num. præcedenti relatis, ergo Trid. decreto, & Pij V. Conſtitutione aliam authoritatem habere non poſſunt; ſi quidem commune eſt conſtitutionem declarantem, & interpretantem intelligi debere cum eiſdem extenſionibus, & limitationibus ac eſt conſtitutio declarata, præterquam quod Pius V. ſolùm dixit poſſe Epiſcopos in monaſteriis ſedi Apoſtolicæ mediatè, vel immediatè ſubiectis clauſuram indicere vna cum ſuperioribus eorundem monaſteriorum.

Quod

Quod intelligendum venit, singula singulis tribuendo; nempe posse Episcopos in iis, quæ immediatè, Prælatos verò regulares in iis, quæ mediatè, sedi Apostolicæ subiiciuntur; non autem vt possint Episcopi in iis quæ mediatè sedi Apostolicæ, & regularibus Prælatis immediatè subiiciuntur. Alias non rectè Pius V. diceret clausuram indicere iuxta formam Constitution. Bonif. VIII. in sacro Conc. Trident. innouatam, & approbatam séque illam approbare, & innouare in omnibus & per omnia; atque ita hunc modum dicendi tenet Nauarr. *comm.* 4. *numer.* 60. *initio de regul.* Llamas Methodo curationis in appendice, quam ponit in fine §. 5. Sanch. lib. 6. sum. *c.* 15. *n.* 21.

Respondeo concedendo Trid. & Pium V. confirmare, & innouare Constit. Bonif. VIII. nullóque modo eam derogare; tametsi ad constituendam clausuram maiorem authoritatem præstent Episcopis, quam præstitit Bonifac. VIII. ex hac enim maioris authoritatis, concessione, scilicet in monasteria Prælatis regularibus subiecta non tollitur, nec minuitur Prælatis regularibus potestas sed potius illis fauet. Ergo ob hanc concessionem non derogatur dispositioni Bonif. VIII. sicuti iurisdictioni, quam habent ordinarij absoluendi à peccatis & censuris non derogatur ex eo quod Religiosi eandem potestatem ex priuilegio habeant. Præterea si Prælatus regularis manifestè negligens esset in indicenda, & conseruanda suorum monasteriorum Monialium clausura, posset vtique Episcopus, sedis Apostolicæ delegatus illius obseruationem procurare, vt tenet Ludou. Mirand. *in Man. Pral. tr. de sacris Monial. q. 2. art. 14. n. 3.* Ergo signum est, in monasteria Prælatis regularibus subiecta Episcopos iurisdictionem habere quoad effectum clausuræ obseruandæ. Ex quo fit, non solum eo casu, cum de manifesta violatione clausuræ constat, sed quoties id dubium est posse Episcopum dicta monasteria visitare, an clausura rectè obseruetur, vti variis decisionibus comprobat Bart. *tum in remiss. Conc. sess.* 25. *capit.* 5. *tom.* 3. §. *de potest. Episc. alleg.* 102. *numer.* 7. & 8. neque enim Concilium, aut Pius V. eius facultatem restrinxit pro manifesta clausuræ violatione sed potius generalem facultatem fecit pro clausura procuranda.

8. Vnus autem ex modis, quibus Pius V. in sua constit. quæ incipit *Decori*, voluit vt Episcopi, aliique Prælati ordinarij clausuram procurarent; fuit, vt quotannis decretum de obseruanda clausura in suo districtu publicarent; sic enim eis præcepit in dicta Constitutione. At hoc præceptum videtur Greg. XIII. in sua constitutione temperasse solum vnicam indicendo publicationem; præterquam quòd præceptum vsu, & consuetudine derogatum videtur; cum nullibi Prælati singulis annis illud decretum publicent, nec se sentiant ea obligatione astrictos. Nau. *com.* 4. *de Reg. n.* 54. Sanch. *li.* 6. *sum. c.* 15. *n.* 23.

9. Ex decisione præsentis difficultatis venit decidenda secũda; an Episcopis competat approbatio causæ, vt possit quælibet Monialis è claustro egredi? Non est dubium Episcopo competere, si Monialis illi est subiecta, vel est subiecta immediatè sedi Apostolicæ; quia tunc non solùm debet approbare adesse causam legitimam egrediendi, sed etiam debet vt superior licentiam ad egressum concedere. Solum de moniali ab Episcopo exempta, & regulari Prælato subiecta, est dubium, an approbationem causæ legitimæ egressus ab Episcopo requirat; Negat Man. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. reg. quæst.* 49. *art.* 6. duplici ratione: Prima, quia non est in vsu. Secunda, quia concessa facultate à Prouinciali, seu Generali Prælato, quibus hæc monasteria subduntur, censetur concessa ab Episcopo; quippè illi habent iurisdictionem quasi Episcospalem: consentit huic sententiæ *Llamas Methodo curat. in append.* §. 5. & 9. Sed dicendum est spectato iuris rigore necessariam esse prædictæ Moniali non solum licentiam, & approbationem causæ sui egressus datam à Prælatis regularibus, sed etiam ab Episcopo ex constit. Pij V. incipiente *decori*, & *honestati*, ibi. Quæ tamen infirmitas præter alios Ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci ordinarium, etiamsi prædicta monasteria ab Episcoporum, & ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expressè in scriptis approbata sit. Ex quibus verbis manifestè conuincitur sententia Man. Rodrig. asserentis sufficere licentiam Generalis, vel Prouincialis Religionis, siquidem præ illos approbatio Episcopi, seu loci ordinarij requiritur. Adde si nomine Episcopi, & ordinarij in illis monasteriis exemptis veniret Prouincialis, vel Generalis, vltra horum approbationem, approbatio, seu licentia sui superioris immediatè necessaria esset; quia vtrumque petit Pius V. quod tamen ipse Man. negat. Sit ergo certum spectata dicta constitutione præter licentiam regularium Prælatorum approbationem causæ ab ordinario requiri: & ita docet Nauarr. *comm.* 4. *de regul. numer.* 60. Azor. *tom.* 2. *institut. moral. lib.* 13. *capit.* 8. *quæst.* 1. Thomas Zerola *prax. Episc.* 2. *p.* verbo *Monialis dub.* 8. Sanch. *lib.* 6. *sum. c.* 15. *n.* 28. Barbosa 3. *p. de potest. Episcop. alleg.* 102.

num. 28. Suar. *t.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 15. & *cap.* 10. *num.* 12.

Verùm spectato vsu, & consuetudine credo approbationem Episcopi pro Moniali supradictorum monasteriorum necessariam non esse, sed sufficere sui Prælati licentiam; quia ita videtur vsus obtinuisse in Hispania teste Mand. Rodrig. *suprà* Miranda *in Man. Prælat. tract. de sacris Monial. quæst.* 3. *à* 6. *concl.* 1. Fr. Ioan. de la Cruz de statu Relig. *lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 3. Sanch. *dicto c.* 15. *n.* 28. Llamas Meth. *curatu append.* §. 9. Hic autem Prælatus, qui hanc licentiam & approbationem concedere debet, est Prælatus siue mediatus, siue immediatus, cui monasterium quoad regimen, & gubernationem subiicitur; quia in prædictis constitutionibus sic cauetur absque vlla distinctione de superiore mediato, vel immediato, & notauit Sanch. *n.* 28. vbi optimè aduertit sub huiusmodi superiore Abbatissam non comprehendi, vtpote eodem præcepto clausuræ obligatam.

10. Nomine Episcopi qui approbare causam debet iuxta Trident. & Constitutiones supra dictas venit Vicarius generalis, non foraneus; quia ille verè est ordinarius, non hic, vnumque cum Episcopo tribunal constituit. Sic Barbosa 3. *p. de potest. Episc. alleg.* 102. *num.* 28. *fine*, Sanch. *dicto cap.* 15. *num.* 30. Sed an eam potestatem habeat ex vi Vicariatus? Sanch. censet habere quoad monasteria Episcopo subiecta; secus quoad monasteria sedi Apostolicæ immediatè subiecta, vel subiecta Prælatis regularibus, quia in prioribus procedit Episcopus vt ordinarius, in posterioribus vt delegatus à Sede Apostolica. At potestas delegata non transit in Vicarium nisi expresè committatur, secus ordinaria. Ego verò existimo ex vi Vicariatus neutram potestatem habere, sed indigere speciali commissione; eo quod sit res grauis quæ speciali mandato indiget. Neque obstat competere ipso iure ordinario hanc potestatem in monasteria sibi subiecta: nã plura sunt quæ eo iure Episcopo competunt? indigent tamen speciali mandato, vt intelligantur Vicario commissa, vt patet ex prædictis, Barbosa *alleg.* 54. *à numer.* 60. & *in præsenti tradit decisum à sacra Congregatione.* Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 11. Barbosa *alleg.* 102. *num.* 28. & 38. Neque ex eo quod Pius V. dixit licentiam approbandam esse ab Episcopo, seu alio loci ordinario inferre potes Vicarium vtpotè ordinarium eam potestatem habere non ex commissione Episcopi, sed ex commissione sedis Apostolicæ. Nam sub illis verbis *alio loci ordinario* non intelligitur Vicarius Episcopi; hic enim non est alius ab Episcopo, at idem cum Episcopo; sed intelligitur ordinarius, qui Episcopus non sit, quales sint plures Abbates & Priores diœcesim habentes. De Vicario capituli sede vacante idem dicendum est, hanc potestatem habere, si ei à capitulo expresè committatur, habere autem capitulum hanc potestatem etiam quoad monasteria constat, quia ad rectum Ecclesiæ regimen spectat. Neque obstat ea quæ competunt Episcopo iure speciali, & ex delegatione sedis Apostolicæ, ad capitulum sede vacante non deuenire: quia id debet intelligi de his, quæ competunt iure speciali specialissimo; secus de his quæ competunt Episcopo iure speciali communi, & tanquam ordinario attributo, vt multis allegatis probat Barb. *alleg.* 36. *n.* 16.

11. Sed quid dicendum, si stante causa legitima egressus, nolit Episcopus, vel Prælatus regularis approbationem, & licentiam egrediendi concedere, poterit ne monialis ea omissa exire? Dubium procedit, cũ manifestè constat de legitimitate causæ, nam si sub dubio, vel opinione sit, superioris iudicio standum est. Ea tamen certitudine posita credo posse Monialem absolutè exire, siue teneatur ad clausuram ex sola lege Ecclesiastica, siue ex voto; quia nec lex Ecclesiastica, neque votum, quod eius obligationem imitatur, censetur per se obligare cum graui detrimento propriæ vitæ, vel ad boni communis detrimentum: hæ enim solum sunt legitimæ causæ egressus. Ergo illis positis non obligatur Monialis clausuræ præcepto, vel voto Sanch. *li.* 6. *can.* 15. *n.* 51. Laym. *li.* 4. *sum. tr.* 5. *c.* 12. *n.* 1. *vers.* 4. Neque inde fit non teneri Monialem petere licentiam, & approbationem stante causa legitima, si eam obtinere potest; quia cum hæc obligatio sit ex lege, & ex voto, quæ obligant Monialem ne è monasterio exeat absque licentia, & approbatione? cum de facto obtineri potest, obseruari omnino debet. Sanch. *loco allegato.* Notantet dixi posse Monialem in supradicto casu absolutè exire negata licentia, vel approbatione, vt tacitè insinuarem per accidens impediri posse, scilicet ex scandalo, vel infamia Religionis, quæ si adessent (vt frequenter contingit ex resistentia Prælato facta, illius mandati contemptu) sustinenda esset clausura etiam cum periculo vitæ: vt latius tradit Suar. *t.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 12. & 16.

12. Tertia difficultas est, quæ sit legitima causa egressus; Qua in re Bonif. VIII. *in dicto c. periculoso de statu Regul. in* 6. Vtrictè locutus est, eam solam legitimam assignans, si Monialis, laboret tanto, & tali morbo, quo cum absque graui Monialium periculo, vel scandalo commorari in monasterio

non poſſet. Mitius verò Conc. Trid. proceſſit legitimam cauſam arbitrio ordinarij relinquens, ſiquidem nullam deſignauit in particulari „ſed eam dixit eſſe ſufficientem, quam Epiſcopus legitimam eſſe probauerit ibi: niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda. At ne cuiuſlibet ordinarij arbitrio diſpenſatio legis ita grauis Monialibuſque profeſſis neceſſariæ relinqueretur Pius V. in ſua conſtitutione incipiente, *Decori, & honeſtati* cauſam legitimam eſſe expreſſit magnum incendium, infirmitatem lepræ, aut epidimiam, Subdens, ſub grauiſſimis pœnis præter has non concedendam. Nomine magni incendij communiter. Doctores intelligunt incendium, cui ſuccurri non poteſt abſque periculo pereundi Moniales, ſi intra clauſtra commorentur. Sub lepræ nomine venit infirmitas contagioſa; ob quam ea infectus à communi conſortio ſeparatur. Sub nomine epidemiæ non ſolum intelligitur morbus peſtifer maiorem partem ægrotorum interimens, ſed morbus, qui facilè ad alios diffunditur, etſi maiorem partem quos ferit, non interimat; quia eo ipſo laborans eo morbo nequit cum aliis abſque graui illorum periculo infectionis communicare, qui eſt finis concedendi relaxationem clauſuræ, vti tradit Man. Rodrig. *quæſt. regul. t. 1. q. 49. art. 4.* Sanch. *li. 6. c. 15. n. 34.* Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. li. 1. c. 9. n. 3.*

13. Dubium ergo eſt; an ex cauſa ſimili ſupradictis poſſit licentia concedi; Ratio dubitandi eſt, quia ſi ex aliis ſimilibus cauſis licentia concedenda eſt, fruſtra Pius V. has tres cauſas tantum expreſſit ſub dictione taxatiua ſtatuens extra illas nemini monialium licentiam eſſe exeundi, nec vlli prælato licentiam concedere. Non igitur ex aliis cauſis licentia concedi poteſt; & ita tenet Addition. ad Nauarr. *lib. 3. conſil. tit. de Regularib. conſ. 70. in 2. edit.* Thomas Zerola *praxi epiſcop. 1. p.* verbo *monialis ad 16. quæſt. dub. 2. & p. 2.* verbo *monialis fine*, teſtanturque ſic deciſum eſſe à ſacra congregatione. Cæterum omnino tenendum eſt, ad cauſas ſimiles diſpoſitionem Pij V. extendendam eſſe, quia illa non eſt extenſio formalis, ſed materialis. Satis enim apud doctores receptum eſt diſpoſitionem legis non ſolum fauorabilem, ſed odioſam ad caſus ſimiles ſub ratione decidendi comprehenſos extendi; quia illa dicenda non eſt extenſio, ſed incluſio. Qua ratione eſto in Authent. *vt cum, de appellat. cognoſcit. §. aliud quoque capitulum. & leg. regia 8. titul. 7. part. 6.* enumerentur quatuor cauſæ, ob quas tantum exhæredari filius poſſit, teſtantur communiter doctores apud Couarruu. *cap.* Raynutius *n. 16. de Teſtament.* ad ſimiles expreſſis extendi. Et eſto in *leg. fin. Cod. de reuocand donationib.* ſtatuatur ob ſolas cauſas ibi expreſſas, reuocari donationem poſſe, affirmant communiter ſcribentes apud Molin. *lib. 1. de primogen. c. 9. n. 32.* ex cauſis ſimilibus eam reuocationem poſſe fieri, & eſto ob ſolum æs alienum poſſint prædia minorum diſtrahi *leg. ob æs alienum. Cod. de prædiis & aliis reb. minor.* At æque diſtrahi poteſt datis aliis cauſis ſimilibus, vt teſtatur ibi gloſſa. & quamuis in *§. ſed etſi quis tit. de nuptiis collat.* 4. tantum promotis ad ordines minores lectoris, & cantoris concedatur vxorem ducere, non obinde excluduntur Oſtiarij, & exorciſtæ, quia ſunt gradus omnino ſimiles expreſſis. Ergo in præſenti etiamſi Pontifex tres tantum cauſas legitimas egreſſus enumerauerit, ſi aliæ ſimiles, vel efficaciores apponantur, ex illis concedenda eſt. Non enim Pontifex illas tres cauſas, vt legitimas decidit ob eſſe materiale, quod habent; ſed quia monaſterio, totique communitati nociuæ ſunt. Ergo dato eodem nocumento in aliis materialiter diuerſis, ad ipſas eſt conceſſio extendenda; & ita ſuſtinet Nauar. *comen. 4. nu. 48. de Regularib. Gutier. lib. 1. canon. quæſt. c. 14. n. 9.* Azor, *1. p. lib. 13. c. 8. q. 1. ad finem* Man. Rodrig. *t. 1. quæſt. regul. q. 49. art. 3.* Zenedo *collect. 31. ad ſext. decret.* Sanch. aliis relatis lib. 6. ſum. *c. 15. n. 37.* Auguſt. Barboſa *3. p. de poteſt.* epiſc. *allegat. 102. n. 16. & ſeqq. Suar. t. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. c. 9. n. 3.*

Hinc deducitur; ſi bellum ingruat, & periculum ſit quòd hoſtes monaſterium inuadant, honorque monialium, & fortè vltra periclitetur, niſi exeant, dari ſufficientem cauſam egreſſus. At idem eſt ſi conuentus inundationis periculum habeat: quia ſunt caſus incendio ſimiles, & tenent, Nauarr. Gutier. Zenedo. Azor. Suar. *loci alleg.* Sanch. *n. 44.*

14. Sed an ob morbum non aliis contagioſum, ſed tantum patienti periculoſum, & nociuum, quique iudicatur interemptutus monialem, ſi in monaſterio perſeueret, vel ob aëris intemperiem, vel ob tædium, quo ibi afficitur, vel ob penuriam rerum, & medicinarum ad recuperandam ſalutem, vel ob longam medicorum diſtantiam, ſeu abſentiam, vel ob alias cauſas: at ſi è monaſterio egrediatur? creditur à periculo liberandam, poſſit concedi egreſſus. Grauior eſt dubitatio. Communis ſententia negat hanc eſſe legitimam cauſam facultatis concedendo: ſic Gutier. *lib. 1. canon. quæſt. c. 14. n. 7. & ſeqq.* Zenedo *collect. 31. ad ſextum decretal.* Manuel. *quæſt. regul. t. 1. q. 49. art. 3.* Thom. Zerola *praxi epiſcop. 2. p.* verbo *monialis in fine.* Sanh. *lib. 6. ſum. c. 15. n. 39.* Barboſ. *3. p. de poteſt. epiſc. alleg. 102. n. 21.* Layman. *lib. 4. ſum. tract. 5. c. 12. num. 1. verſ. 3.* Mouentur; quia hæc cauſa non eſt ſimilis, ſed potius diſſimilis iis, quas Pius V. vt legitimas tantum expreſſit, iis enim Pontifex eas legitimas cauſas expreſſit, quæ non tam bonum ſpeciale ſingularium monialium, quam conuentus ſpectabant, vt conſtat ex aſſignatione magni incendij, infirmitatis lepræ, & epidemiæ, quæ toti conuentui detrimentum afferunt, ergo cauſa ſingulariter nociua ſimilis non eſt à Pontifice enumeratis; ac proinde non eſt cenſenda legitima. Et confirmo, ſi quælibet ſingularis infirmitas periculoſa tantum obſeruanti clauſuram præberet cauſam legitimam egreſſus, vt quid Pontifex decidens cauſas legitimas, infirmitates contagioſas expreſſit? facilius enim dicere poſſet quamlibet infirmitatem, cui in monaſterio ſuccurri non poteſt, benè extra, eſſe legitimam cauſam egreſſus. Cum ergo id non dixerit, cenſuit non eſſe cauſam legitimam. Neque durum videri debet obligari monialem ad perſeuerandum in loco cum periculo vitæ; quia ea obligatio non eſt à lege ipſi impoſita, ſed ab ipſa voluntariè aſſumpta, cum profeſſionem emiſit; tunc enim ſe ſubdidit legi præcipienti ibidem manere, tametſi ex illius loci habitatione periculum corporalis ſalutis immineat, ſicut enim religioſi viri ſubduntur ea in regione, & conuentu habitare, vbi prælatus bono communi religionis iudicauerit expedire, eſto ibi ſint cum periculo mortis, à fortiori obligandæ ſunt moniales. Aliàs ſi prælatus religioſis viris ſcientibus aëris intemperiem ſibi eſſe nociuam, teneretur facultatem inde exeundi concedere, quem poſſet compellere ad habitandum in regionibus infauſtis? Periculum ergo, ſingulare bono communi, & religionis poſtponendum eſt: præcipuè cum hoc periculum non ita clarum ſit, & manifeſtum; ſed ſæpè id ſibi perſuadet monialis auiditate exeundi, & medici voluntate ei placendi in non leue clauſuræ, religionis & honeſtatis detrimentum. Expedit ergo hoc oſtium authoritate Pij V. communi ſententia firmata præcludi.

15. Nihilominus etſi ſupradicta ſententia omnino tenenda eſt, & conſulenda; at contraria probabilitate non caret, ſcilicet ob infirmitatem patienti tantum nociuam, cuius remedium egreſſu monaſterij ſperatur, intra verò deſperatur, licentiam exeundi concedi poſſe, tenet eam piiſſimus, & doctiſſimus Nauarr. *com. 4. de regul. n. 49.* Suar. *t. 4. de relig. tr. 8. lib. 1. ca. 9. n. 9.* Mouentur triplici fundamento. Primò: quia legiſlator humanus nunquam obligat, nec videtur obligare poſſe, ne fugias mortem etiam ſuppoſita voluntaria obligatione ſtatus aſſumpti, niſi in ea fuga bonum commune maximè periclitetur, vt contingit in bello, & in exemplo adducto de religioſis commorantibus in regione infeſta, qui ſi ibi compelli non poſſent habitare, conuentus diſſolueretur; at ex egreſſu vnius, vel alterius monialis infirmæ, cuius ſalus ſperatur extra clauſtra, intra verò deſperatur, non videtur bonum commune caſtitatis, & religionis periclitari. Ergo non eſt cenſendus Pontifex ſuo præcepto ad clauſuram in hoc caſu obligare voluiſſe. Secundò; quia ſatis probabiliter dici poteſt Pontificem hunc caſum infirmitatis ita frequentis omiſiſſe exprimendo caſum infirmitatis contagioſæ, quia exiſtimauit eſſe moraliter impoſſibile dari caſum, in quo extra clauſtra ſperetur ſalus, deſperetur intra. Ergo ſi de facto is caſus detur lex Pontificia vt-pote falſa præſumptione fundata, eo caſu non obligabit. Tertio, quia is caſus non videtur diſſimilis iis, quos Pontifex vt legitimos expreſſit, ſed potius ſub illis conuentus. Non enim Pontifex ſolam cauſam publicam, & toti conuentui nociuam ſpectaſſe viderur, ſed etiam ſingularem ſingulis monialibus periculoſam, quod exemplo incendij probat Suar. *dicto c. 9. n. 11.* Si enim fingeremus incendium talis conditionis eſſe, vt eo vna., vel altera monialis periclitaretur, niſi exirent, reliquis abſque periculo manentibus, cui dubium eſſe poteſt illas moniales periclitantes cauſam legitimam habere egreſſus? Ergo ex paritate rationis, quoties vel ex incendio, vel bello, vel infirmitate, vel alia cauſa periculum manifeſtum adſit in obſeruanda clauſura, ceſſet verò extra illam, legitima erit cauſa egreſſus. Confirmarique poteſt exemplo mortis violentiæ, quam ſi monialis fugere non poſſet, niſi è monaſterio egrederetur, poſſet vtique egredi, vt ipſemet Sanch. & Barb. admittunt, & tamen is caſus ſolum patienti eſt nociuus, non aliis: ergo cauſa non publica ſed ſingularis, ſinguliſque periculoſa legitima eſt egreſſus. Neque inde fit, poſſe monialem ſic infirmam inconſulto prælato exire, ſicuti poteſt in caſu incendij, quia incendium non patitur moram; benè tamen infirmitas.

16. Deinde dubitare potes, an ſit legitima cauſa egreſſus, ſi monialis exeat ad fundationem alicuius monaſterij, vel ad regimen illius? Videtur enim non eſſe ſufficientem, quia hæc cauſa non eſt ex enumeratis à Pio V. cum non ſit incendium, neque infirmitas contagioſa, neque etiam eſt ſimilis illis, cum nullum damnum ex omiſſione illius exitus religioni proueniat; neque in temporalibus, neque in ſpiritualibus; tametſi ceſſet incrementum, quod ſperari poterat. Ob lucrum verò acquirendum non videtur monialem è conuentu exire poſſe. Cæterum omnino tenendum eſt legitimam cauſam egreſſus eſſe ad regendum monaſterium: ſic docuit Nauarr. *com. 4. de Regularib. bonum 48. & lib. 3. conſil. tit. de Regularib. conſil. 48.*

aliàs de statu Monach. *consil.5.n.3.* Gutierr. *lib.1.canon.quæst. cap.14.n.10.& 11.* Man.Rodr. *tom.1.quæst regul.quæst.49.art.5.* Sanch. *lib.6.c.15.n.45.& seqq.* Barbos. *3.de potest.pisc.alleg.102. n.15.* Suar. *tom.4.de relig.tract.8 lib.1.cap.9.n.13.* Ratio ea est; quia esto hæ causæ non comprehendantur sub enumeratis à Pio V. comprehenduntur tamen sub non exclusis ab illo: non enim illa dictione taxativa,& exclusiva generali censetur exclusisse causam specialiter à iure concessam. Quia genus non derogat speciem neque vniuersale singulare, tametsi hoc præcedat: At à Trid. *sess.25.c.7.de Regularib.* concessus est transitus ex vno monasterio ad aliud ob illius gubernationem. Ergo hæc concessio à Pio V. non censetur derogata.

Hinc fit, per æquiparationem idem esse dicendum de monasterij fundatione, cum ex illo egressu & bonum temporale & spirituale religioni proueniat, sitque fundatio quondam regimen religioni valdè necessarium: & tradit Nauarr. *dicto cons.48.de Regular.aliàs de statu monach.5.* Rodrig. *dict.q.49. art.5.* Sanch. *n.47.* Suar. *cap.9.n.13.* Barbos. *num.21.*

17. Ob supradictam rationem est causa legitima egressus, si pro iuramento fidelitatis præstandi alicui principi in recognitionem feudi, quod monasterium habet debeat Abbatissa egredi; quia *in cap.periculoso §. verum*, hæc causa egressus iudicatur legitima, neque Pius V. qui Bonifac. constitutionem innouauit hanc causam à Bonifac. expressam censendus est repellere. Item est legitima causa, si opus sit monasterium ex vno loco in aliud transferri; quia in Trid. *sess.25.c.5.de Regul.* hæc causa approbata est, neque præsumi potest à Pio V. reuocari, atque ita docent Man. Rodrig. *tom.1. qq. reg.q.49.art.5. corollar.4.* Sanch. *lib.6.sum.c.15.n.53.* Suar. *t.4.de relig.tract.8. lib.1.c.9.n.13.* At idem est, si necesse sit, monialem alio monasterio recludi ad pœnitentiam faciendam; quia *in cap.quoniam de Simonia.* hæc causa, vt legitima approbatur; quam Pius V. non est censendus derogare: sic Sanch. *n.47.* Suar. *n.13.* sub qua causa vtpote omnino simili comprehenditur egressus necessarius, vt monialis corrigatur; contingere enim potest ob potentiam cognatorum, vel ob aliam causam ibi commodè corrigi non posse: poterit ergo tunc ex illo monasterio exire, præcipuè cum hic exitus, sicut & exitus ad faciendam pœnitentiam non tam sit voluntarius, quam necessarius, bonumque commune in eis spectetur, tum vt aliæ moniales timeant, tum ne malo exemplo minus punitæ, & correctæ peruertantur, & ita sustinet Man. Rodrig. *dicta q.49.art.5.corol.2.* Nauarr. *dicto cons.48.de Regul.aliàs 5. de statu* Monach. Sanch. *cap.15.n.47.* Suar. *tom.4. tract 8. lib.1.cap.9.num.13.*

18. An vero sit causa sufficiens egressus ad aliud monasterium, si in eo, in quo monialis existit ob aëris intemperiem, vel alimentorum qualitatem continua laborat infirmitate, quam sperat medendam loci mutatione; quamuis hæc causa insufficiens iudicetur pro egressu monasterij, vt in sæculo commoretur. Videtur enim esse sufficiens: quia illa non tam est egressio à clausura, quam illius mutatio. Neque censendus est Pius V. & Trid. clausuræ mutationem interdixisse, sed tantum illius desertionem: sic Gutierr. *lib.2.canon.qq.c.14.n.10.* probat posse monialem ex vno monasterio in aliud transferri, vt sit Abbatissa. Sed non placet hæc sententia; quia esto ille egressus sit clausuræ mutatio, est tamen illa mutatio vera præcedentis clausuræ egressio, & desertio. Ergo negato ob causam singularem, & propriam vnius monialis posse clausuram deserere, asserendum omnino est ob supradictam causam nō posse monialem ex vno monasterio in aliud transire. Aliàs si verum esset solam clausuræ absolutam desertionem, non illius mutationem prohiberi, liceret moniali egredi per vnam monasterij portā, vt statim sine vlla mora per aliā ingrederetur præcipuè, si aliquo honesto fine ducatur, quod est à veritate omnino alienum, & ita sustinet Suar. *t.4.de relig.tract.8.lib.1.c.9.n.5.& 6.*

19. Illud vero est omnino aduertendum, cessante causa, ob quam moniali egressus permissus est, debere illico redire ad clausuram vt expressè decidit Text. *in cap. periculoso, de statu Monach. in 6.* & Pius V. in constitut. incipienti: *Decori & honestati.* Sed hoc non est ita metaphysicè intelligendum, vt quælibet, mora in statu peccati monialem constituat; debet enim esse ita diuturna, vt per se appareat in fraudem legis fieri, qualis non censetur detentio vnius vel alterius diei: sic Man. Rodrig. *tom.1.quæst.reg.q.47.art.11.* Sanch. *lib.5.sum. cap.15. n.50.* vbi *n.61.* optimè infert monialem è monasterio exeuntem causa fundationis, correctionis, vel gubernationis alicuius monasterij, esto obligata sit via recta tendere; si tamen aliquantulum demoretur, vel à via recta intra octo, vel nouem leucas discedat causa inuisendæ cognatæ, amicæ, vel imaginis, non violare clausuram; quia est brevis detentio, & moraliter necessaria, spectato communi stylo iter agentium, iuxta quem præceptum clausuræ mensurandum est.

20. Quarta difficultas est de pœnis impositis, tum illicitè egredientibus, tum comitantibus, vel aliquo modo ad egressum cooperantibus. Pro iis actionibus Bonifac. VIII. *in dicto cap.periculoso*, nullam pœnam tulit, neque item Trid. Solum aduersus magistratus sæculares negantes Episcopo auxilium ad clausuram instaurandam statuit excommunicationem ipso facto. At Pius V. in dicta constitut. quæ incipit *Decori, & honestati* pœnam excommunicationis reseruatæ imponit aduersus egredientes, seu licentiam egressus quomodocumque concedentes, aliter quam in constitut. permissum est. Item aduersus concomitantes, ac illarum receptatrices personas, siue laicas, aut sæculares, vel Ecclesiasticas, consanguineas, vel non. Insuperque aduersus egressas, & superiores licentias concedentes fert Pontifex priuationem, dignitatum, officiorum, & administrationum, quæ eo tempore obtinent, redditque inhabiles ad ea, & ad alia in posterum obtinenda. Ex dictis *punct. præced.* constat nomine dignitatum, officiorum, & administrationum, quibus egressæ, & superiores licentias concedentes priuantur, intelligi dignitates, officia, & administrationes superioritatem, & quasi iurisdictionem habentia. Item ex eodem punct. constat ad hanc pœnam incurrendam iudicis sententiam saltem declaratoriam criminis, quamuis non declaratoriam pœnæ, exigi.

21. Quocirca explicandum restat, quas personas excommunicatio, & priuatio officiorum, inhabilitásque ad illa afficiant? Et primo dubitatur; an afficiant monialem legitimo titulo egressam, sed iniquè extra clausuram commorantem; eo quod cessauerit causa, ob quam egressus concessus fuit? Negat Sanch. *lib.6.sum.cap.15.n.70.* Mouetur, quia Pontifex has pœnas indixit egredientibus aliter quam ipse disposuerat, at hæc monialis non aliter egressa est, esto aliter post egressum commoretur, ergo hæ pœnæ illam non comprehendunt. Nihilominus oppositum verius censeo. Nam Pontifex has pœnas indixit monialibus egredientibus aliter quam ipse disposuerat, sed ipse disposuit, vt nonnisi ex causa incendij, infirmitatis, lepræ, & epidemiæ ab Episcopo cognita, & in scriptis approbanda è monasterio exirent, neque extra illa nisi ad necessarium tempus starent: ergo stans vltra necessarium tempus extra monasterium, non egreditur à monasterio qualiter Pontifex præscripsit, si quidem non exequitur illam conditionem, vt solum durante necessitate foras existeret. Deinde monialis, quæ extra monasteria vagatur, propriè dicitur à monasterio egredi ens; quia ad hanc denominationē non est spectandus primus egressus Physicus, sufficit moralis, & continuatus. Adde Pontificem imponentem priuationis, & inhabilitatis pœnā non vsum fuisse verbo egredientes, sed egressas, vt tacitè insinuaret illis verbis idem significari. At constat monialem egressam, & vltra tempus necessarium in sæculo commorantē violare Pontificium statutum. Ergo afficitur illius pœnis: hæ enim non videntur impositæ egredientibus vtcunque, sed egredientibus, si vltra tempus necessarium in sæculo commorentur; si quidem verbum illud (*vt præfertur*) ad omnia antecedentia referendum est; at immediatè antecessit, ne egrediens vltra tempus necessarium extra monasterium existeret. Ergo hanc pœnæ comprehendunt: & ita docet Llamas *in methodo curat. in append.* §. 10.

22. Secundo dubitatur, an hæc excommunicatio, & officiorum, dignitatū, & administrationū priuatio afficiat Episcopos comitantes monialem, vel iniquè licentiā concedētes, seu approbantes? Ratio dubitandi est; quia textus apponendo pœnas expressè mentionem Episcoporum non fecit, sed solum generaliter dixit, excommunicationi subiacere comitantes iniquè egressam, vel illam receptantes, licentiámque exeundi aliter quam præfertur cōcedentes, & infra, tam egressas, quam præsidentes, & alios superiores prædictos eis licētiam huiusmodi concedentes dignitatibus, officiis, & administrationibus per eas, & per eos tunc obtentis, priuat, & illos ad obtenta, & ad alia in posterum obtinenda inhabiles decernit. Quæ omnia de regularibus prælatis, aliisque ordinariis videntur tantum intelligenda, non de Episcopis, quorum expressa mentio facta non est; præcipuè cum in *cap.quia periculoso.de sent.excomm. in 6.* decisum sit nulla suspēsione episcopos ligari, nisi illorum fiat expressa mentio: hæc autem priuatio, & inhabilitas dignitatum, &c. est quædā suspensio. Ergo saltē hanc pœnā episcopi non contrahunt. At verius censeo episcopos his pœnis comprehendi, sic docuit Sanch. *lib.6.c.15.n.75.* Et de pœna excommunicationis certum reputo, si fortè monialem iniquè egressam comitetur, vel recipiat, aut licentiā absque causa legitima cōcedat; quia à pœna excōmunicationis ob supradictas actiones imposita non possunt eximi episcopi; eo quod illorū non fuerit expressa mentio facta; quia ad eam pœnā incurrendam ea mentio necessaria non est, vt colligitur ex *d.c.quia periculoso, de sent, excomm. in 6.* De pœna priuationis, & inhabilitatis non est ita certū ob ea quæ dicuntur in ratione dubitandi. Vt verius existimo eam pœnā episcopum iniquè licētiam concedentē incurrere. Tum quia hæc priuatio, & inhabilitas non est suspensio quæ sit cēsura, & in *c quia periculoso.* de suspensionis censura videtur Pontifex locutus. Tum & præcipuè, quia expressè episcopi mentio facta est; si quidē dixit textus episcopi, & regularis prælati esse hanc licentiam cōcedere, & postea subdidit, priuationis pœnā aduersus superiores prædictos eis licentiā huiusmodi cōcedētes. Debēt ergo hæc verba intelligi

de ſuperioribus, de quibus immediatè antea dixerat, at hi erant epiſcopi, & regulares prælati, ergo omnes ij his pœnis comprehenduntur.

23. Tertio dubitatur, qui comitatus, & receptio neceſſarij ſint, vt comitantes, & recipientes monialem iniquè egreſſam cenſuram excommunicationis incurrant? Breuiter reſpondeo, debere eſſe comitatum, vel receptionem, quæ eum egreſſum, vel illius perſeuerantiam foueat, aliàs non eſt formalis comitatus, vel receptio monialis è monaſterio egreſſæ: ſic Man. Rodrig. *tom. 1. quæſt. regul. quæſt. 49. art. vlt.* Sanchez *lib. 6. ſum. cap. 15. num. 72.*

24. Aduertendum tamen eſt ad incurrendum ſupradictas pœnas egreſſum à clauſura completum requiri, quod ſufficit etiam ſi ad breuiſſimum tempus fiat. Secus verò ſi egreſſus incompletus eſſet, qualem cenſeo ſi extra limen clauſuræ non totum corpus, ſed partem haberes. Sanchez *lib. 6. ſum. cap 15. num. 6. 8. & 68. & cap. 16. num. 70.* Barboſ. *3. part. de poteſt. epiſc. alleg. 102. num. 30.*

PVNCTVM X.

Qualiter ingreſſus in monaſteria monialium ſit prohibitus.

COnſtat in monaſteria monialium ingreſſum prohibitum eſſe à Bonifac. VIII. *in cap. periculoſo de ſtatu Regular. in 6.* ibi. Nulli aliquatenus inhoneſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ (niſi rationabilis, & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius ad quem pertinuerit ſpeciali licentia) ingreſſus, vel acceſſus pateat ad eaſdem moniales. Quod decretum quoad ingreſſum confirmauit Trid. *in dicta excommunicationis pœna*, ibi, ingredi intra ſepta monaſterij nemini liceat cuiuſcumque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit ſine epiſcopi, aut ſuperioris licentia in ſcriptis obtenta ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Dare autem tantum epiſcopus, vel ſuperior licentiam debet in caſibus neceſſariis. Pius verò V. & Greg. XIII. & Sixtus V. varias conſtitutiones nouis pœnis auctas in fauorem huius clauſuræ ediderunt: ſed hæ non tam prohibent ingreſſum, quam ingreſſum prætextu facultatis conceſſæ, & reuocatæ, de quarum intellectu infra aliquid attingemus. Vt igitur hæc prohibitio clarius innoteſcat, examinandum ſigillatim eſt. Primo, quæ ſint perſonæ ſub hac prohibitione comprehenſæ. Secundo, qui poſſint licentiam dare ad ingreſſum, & qualiter hæc licentia concedenda eſt. Tertio, quæ cauſa neceſſaria ſit, & ſufficiat ad prædictam licentiam concedendam. Quarto, quæ pœnæ impoſitæ ſint tum ingredientibus, tum admittentibus, tum licentiam concedentibus aliter quam à iure permittitur.

§. I.

Quæ ſint perſonæ, quibus ingreſſus in monaſteria Monialium interdictus eſt.

SVMMARIVM.

1 *Omnibus cuiuſcunque conditionis excepto Rege, Regina, &c. prohibetur.*
2 *Non prohibetur infantibus.*
3 *Prohibetur perpetuò amentibus.*
4 *Quid dicendum de Monialibus licitè egreſſis; Proponitur ſententia Llamas & Sanch. Verius eſt in nullum monaſterium ingredi poſſe.*

1. COnſtat ex *cap. periculoſo de ſtatu Regular. in 6.* & ex Trident. *dicto cap. 5. ſeſſ. 25.* interdictum eſſe in monaſteria monialium ingreſſum omnibus cuiuſcunque ætatis, & conditionis ſint tam viris, quam fœminis, tam laicis, quam clericis, tam ſæcularibus, quam regularibus, ac etiam epiſcopis, vt tenet Nauarr. *com. 4. de Regularib. num. 39.* Gratian. *diſceptat. forenſ. cap. 393. num. 5. & 20.* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 1. in princ.* Solum Reges, Reginæ, eorúmque filij, & nepotes tacitè excipiuntur. Hi enim non cenſentur ſub generalibus verbis comprehenſi ob eorum regalem conditionem, ſed opus eſt illorum expreſſa mentione. Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 16. num. 3. & cap. 17. num. 5.* Quocirca de triplici perſonarum genere eſt aliqualis difficultas; an ſit eis ingreſſus interdictus, nempe de infantibus, de amentibus, & de Monialibus ob neceſſariam cauſam à monaſterio egreſſi.

2. Quod attinet ad infantes, qui vſum rationis non attigerunt, manifeſtum eſt hac prohibitione non teneri; quia ipſi nullius præcepti capaces ſunt. Ex quo fit neque moniales prohibitas eſſe illos admittere. Quia prohibitio monialibus facta eſt acceſſoria prohibitioni ingredientium, vt manifeſtè colligitur ex Trident. dicente, nemini liceat intraſepta Monaſterij ingredi. Cum ergo hi infantes nulla ingreſſus teneantur prohibitione, neque moniales tenentur illos non admittere: ſic Nauarr. *com. 4. de Regularib. num. 59. & in ſum. cap. 28. addit. 2. ad num. 143. cap. 25.* Azor. *tom. 1. inſtit. mor. lib. 13. cap. 8. quæſt. 5.* Man. Rodrig. *quæſt. regul. tom. 1. quæſt. 46. art. 1.* Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 16. num. 5.* Barboſa *3. part. de poteſt. epiſc. alleg. 102. num. 32.* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. num. 2.* & alij apud ipſos.

3. De perpetuò amentibus grauior eſt dubitatio: nam cum ipſi aſtringi non poſſint præcepto obſeruandi monialium clauſuram; eo quòd vſu rationis careant? neque moniales videntur obligatæ illos non admittere? ſicuti de infantibus diximus. Verum omnino tenendum eſt hos amentes excludendos eſſe, grauiterque peccaturos qui illos in monaſteria monialium introducunt, vel admittunt. Nam ipſi ſicut ebrij, & dormientes hac obligatione ligati ſunt, tametſi ob defectum rationis ab illius obſeruatione excuſentur: quam excuſationem habere non poſſunt eos liberè introducentes, & admittentes; ſicuti non haberent, ſi ebrios, & dormientes introduceret. Et fortè ea de cauſa in *cap. periculoſo* ſub verbo paſſiuo dictum eſt. Nulli inhoneſtæ, vel honeſtæ perſonæ ingreſſus pateat; vt ſic non tantum liberè ingredientes; ſed permittentes ingreſſum comprehenderentur, & manifeſtum eſt ſub perſona honeſta, vel inhoneſta hos amentes intelligi, qui & monaſteria perturbare poſſunt, & vanis locutionibus ad malum prouocare, & ita tenet Nauarr. *comment. 4. de Regul. num. 59.* Sanch. *lib. 6. cap. 16. num. 8.* Man. Rodrig. *quæſt. regul. quæſt. 46. art. 1.* Barboſa *alleg. 102. num. 32. fine* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. à num. 3.*

4. Tertio dubitari poteſt de monialibus licitè è monaſterio egreſſis; an liceat monaſteria ingredi: Et quidem ingredi in proprium monaſterium, in quo clauſuram profeſſæ ſunt, nemini poteſt eſſe dubium licitum omnino eſſe: ſi quidem ſolum pro neceſſitate vrgente, & licentia in ſcriptis obtenta permiſſum monialibus eſt extra illud manere; at poſſe in alienum monaſterium ingredi ſiue ſit eiuſdem ordinis, & habitus ſiue diuerſi difficultate non caret, eo quod ſit ingreſſus in monaſterium abſque licentia. Llamas *in methodo curat. in append. §. 11. in fine* exiſtimat monialem, quæ ex vno monaſterio in aliud transfertur; ſi in via accedat ad locum, in quo monaſterium exiſtit ſiue ſit eiuſdem ordinis, & habitus, ſiue diuerſi, poſſe ibi hoſpitio recipi; quia ſic ingrediens ſeruat clauſuram eo modo quo poteſt, & recipientes hanc obſeruationem fouent. Ergo nulla eſt ibi clauſuræ violatio, neque credendum eſt Pontificem hunc ingreſſum ita honeſtati monialis conuenientem interdixiſſe.

Sanch. vero *lib. 6. ſum. cap. 6. num. 10.* ſupradictam ſententiam admittit comparatione monaſterij eiuſdem Ordinis, & habitus, ſecus diuerſi. Mouetur; quia comparatione monaſterij eiuſdem Ordinis ceſſat prohibitio, quæ eſt, ne extranea illuc ingrediatur; at monialis eiuſdem ordinis, & habitus non eſt extranea à conuentu, ſed moraliter propria illius. Ergo ingredi poteſt ſiue cauſa hoſpitij, ſiue gratia animi recreandi, aut inuiſendi moniales. Quæ ratio non procedit in monaſterio diuerſi ordinis, ac proinde in illud abſque licentia ingredi non debet. Hæc autem licentia (inquit Sanch.) concedi poteſt, ſi eo in loco non ſit aliquod hoſpitium, in quo commodè noctem ducere poſſet; quia religioſa charitas, honeſtaſque monialis ſufficientem cauſam præbent illius licentiæ concedendæ.

Sed hæc Sanch. diſtinctio mihi non probetur; nam eſto monaſterium ſit eiuſdem ordinis, & habitus, cuius eſt monialis illuc ingrediens; non inde fit, monialem alibi profeſſam, & alterius monaſterij clauſuræ obligatam eſſe propriam illius. Aliàs omnes moniales eiuſdem ordinis, & habitus poſſent pro libito quælibet monaſteria ſuæ religionis ingredi, cum ſint ſub eadem clauſura, quod eſt omnino falſum. Quocirca verius exiſtimo ſiue monaſterium ſit eiuſdem ordinis, ſiue diuerſi non poſſe monialem illuc ingredi abſque ſuperioris illius licentia; quia cum non ſit illius monaſterij, ſed alterius, comprehenditur ſub prohibitione concilij interdicentis omnibus, qui illius monaſterij non ſunt, ingreſſum in illud. Supradictámque licentiam exiſtimo dari poſſe, ſi eo in loco non adſit hoſpitium, quo commodè noctem ducere poſſet; quia eo caſu honeſtati monialis, & decentiæ religioſi habitus conſulitur; ac proinde cenſeri debet legitima cauſa licentiam concedendi. Secus vero ſi monialis cauſa recuperandæ ſalutis in aliquo oppido exiſteret, velletque cauſa animi recreandi, vel moniales inuiſendi monaſterium ingredi, cenſerem vtique cauſam legitimam non eſſe ingreſſus quia non eſt neceſſaria.

§. II.

Qui possint licentiam dare ad ingressum in monialium monasteria, & qualiter hæc licentia concedenda sit?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus concedit licentiam in monasteriis sibi, sedique Apostolicæ immediatè subiectis, in aliis regularis Prælatus?*
2 *Qui nomine Episcopi veniant?*
3 *Qui veniant nomine superioris.*
4 *Nemini alteri à superiore conuentus huius facultatis concessio delegari potest.*
5 *Prælati potentes aliis concedere facultatem sibi assumere possunt ex causa tamen necessaria.*
6 *In scriptis hæc facultas concedi debet.*
7 *Limitant aliqui in casibus frequenter occurrentibus, & à iure concessis. Sed non admittitur limitatio.*
8 *An casu, quo à superiore expostulari licentia nequit, debeat peti ab Abbatissa, cui nec facultas, nec arbitrium commissum est? Affirmant aliqui. Verius est oppositum, appositâ quadam declaratione.*
9 *Primo ingressu licentia absolutè concessa finitur.*

1. EPiscopus in monasteriis sibi subiectis, & subiectis immediatè sedi Apostolicæ hanc licentiam concedit. In monasteriis verò exemptis, & regulari Prælato subiectis prælatus regularis. Quod satis indicauit Concilium *dicto cap. 5.* sub disiunctione Episcopi, vel superioris licentiam requirens, ibi; sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta; & infra. Dare autem Episcopus, vel superior licentiam debet in casibus necessariis. Non quasi vellet Episcopum, vel regularem prælatum in quælibet monasteria potestate gaudere concedendi has licentias, sed Episcopum in monasteria sibi, vel sedi Apostolicæ subiecta, regularem vero Prælatum in monasteria suæ iurisdictionis: sic Nauarr. *com. 4. de Regularib. n. 60.* Azor. *1. part. lib. 13. c. 8. q. 7.* Man. Rodrig. *t. 1. quæst. regular. q. 46. art. 2.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 16. n. 13.* Barbosa *alleg. 102. n. 40. & 41.* Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. c. 10. n. 11. & 12.*

2. Nomine Episcopi intelligitur Abbas, Prior, & quilibet alius iurisdictionem quasi Episcopalem habens. Non enim dignitatis, sed officij, & iurisdictionis eo nomine Episcopi spectatur. Deinde intelligendus venit vicarius Episcopi, & capituli sede vacante, quia hi sunt ordinarij, quibus monasteria subiecta Episcopali iurisdictioni subiiciuntur. An autem debeant habere speciale mandatum? Affirmant communiter doctores præcipuè quoad monasteria Sedi Apostolicæ immediatè subiecta: nam hæc non authoritate ordinaria, sed delegata reguntur ab Episcopo, quæ ex designatione vicarius communicari non censetur: sic Barbos. *alleg. 102. n. 28.* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. ca. 10. n. 11.* testaturque à sacra congregatione decisum.

3. Nomine superioris intelligitur regularis ille prælatus siue generalis, siue prouincialis, siue localis, cui monasterium subiicitur: quia solum subiectionem, & gubernationem Concilium spectauit. Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. à num. 12.* Sanch. *lib. 6. sum. c. 16. n. 15. & 16.* Barbosa *alleg. 102. num. 40. & 41.* Abbatissa vero sub illo nomine superioris non comprehenditur; quia illi monasterium absolutè subiectum non est, sed secundum quid quoad regimen domesticum: & tradunt pro certo Nauarr. *com. 4. de Regul. n. 59. sibi contrarius iis quæ docuerat. c. 28. addit. 2. ad n. 143. c. 25.* Azor. *t. 1. instit. moral. lib. 13. c. 8. q. 6.* Man. *q. regul. t. 1. q. 46. art. 2.* Sanch, aliis relatis *lib. 6. sum. c. 16. n. 22.* Suar. *t. 4. de relig. tr. 8. lib. 1. c. 10. n. 14.*

4. An autem prælatus conuentus vices suas committere Abbatissæ; vel confessario possit? Affirmat Nauar. *dicto com. 4. de Regular. n. 60.* Man. Rodrig. *q. 46. art. 2. in fine.* Graffis *1. p. decis. lib. 4. cap. 13. n. 6.* Sanch. *lib. 6. c. 16. n. 22.* quia hæc potestas iure ordinariæ prælato competit; eaque de causa videtur posse eam cuilibet delegare. At verius censeo nemini alteri à superiore conuentus delegari posse: quia Concilium Trident. hanc delegationem videtur prohibuisse, si quidem dixit nullum alium præter Episcopum, & superiorem hanc licentiam concedere posse etiam vigore *cuiuscunque facultatis*, vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi. Non ergo Abbatissæ, vel confessario hæc facultas committi potest: sic sustinet Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. num. 14.* Quod si obiicias frequenter contingere casus, qui necessario postulant ingressum, & superior abest: expediebat ergo hanc potestatem Abbatissæ communicari. Facilè respondetur affirmando absque communicatione facultatis illis casibus prouideri posse; si superior eam facultatem ingressus concedat, cui Abbatissa, vel confessarius iudicauerit expedire. Vnde Abbatissæ, vel confessario non committitur facultas, sed causæ iudicium, vt facultas à superiore concessa habeat effectum. Si verò vrgeas, ex illis verbis concilij inferri neque Pontificem posse Abbatissæ, vel confessario, vel alteri ab Episcopo, & superiore conuentus hanc facultatem concedere, cum concilium generaliter loquatur, negandum est, quia par in parem non habet imperium: neque enim Concilium voluit, nec potuit Pontificem hac potestate priuare, sed voluit, vt nunquam à Pontifice talis commissio fieret: sic Suar. *d. cap. 10. n. 4.*

5. Rursus Episcopus, vel Prælatus, qui possunt aliis licentiam ingrediendi concedere, & sibi concedere possunt ex causis tamen necessariis: tum quia secum dispensare possunt, sicut possunt cum subditis: tum quia illa non tam est dispensatio, quam vsus licentiæ à iure concessæ: tum denique quia sic decidit Greg. III. in bulla incipiente *Dubiis quæ emergunt edita anno 1581. Decembr. 25.* caueturque in dicta bulla eos debere ingredi à paucis, & senioribus associatos: & ita tradit Nauarr. *lib. 3. consil. tit. de statu Monach. conf. 6. aliàs 9.* Man. Rod. *t. 1. quæst. regul. q. 46. art. 5.* Azor. *1. p. instit. moral. lib. 13. cap. 8. q. 9.* Sanch. *li. 6. sum. cap. 16. n. 25.* Barbosa *alleg. 102. n. 43.* Extendendaque est hæc doctrina ad omnes illos, qui ex delegatione haberent potestatem dispensandi ad huiusmodi ingressum absque personarum limitatione, vel cum limitatione personarum, sub quibus ipsi comprehenduntur; Hi enim possent secum dispensare, sicuti cum aliis, vt benè aduertit Sanch. *n. 26. & 27.*

6. Modus autem, quo hæc licentia concedi debet præscribitur à concilio, vt sit in scriptis, vt hac ratione rarius, maturiorique consideratione concedatur. Quocirca sine dubio existimo peccaturum mortaliter, & in excommunicationem à concilio statutam incidere, qui licentia ore tenus concessa contentus monialium monasteria ingrederetur, cum posset licentiam in scriptis obtinere. Neque enim existimandum est qualitatem scripturæ tanquam rem leuem, leuisque considerationis à Concilio, & Pio V. expostulari: sic sustinet Llamas *in methodo curat. in append. §. 6. in fine.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 16. n. 32.* Quod adeo verum est, vt si superior generalem licentiam ingrediendi concedat omnibus illis, quos Abbatissa, vel alius tertius ingredi necessarium esse iudicauerint, debeat in scriptis hanc concessionem facere: quia illa concessio est vera licentia pro ingressu. Secus dicendum est de iudicio necessitatis ab Abbatissa facto; quia illud iudicium non est licentia, sub conditione, vt licentia à superiore concessa effectum habeat; ac proinde scriptura non indiget: sic sustinet Sanch. *li. 6. sum. cap. 16. n. 38.*

7. Hanc conclusionem limitat Llamas *supra*, & frater Ioan. de la Cruz *lib. 1. de statu Religioso. cap. 5. dub. 2. concl. 3. notab. 3.* Barbosa *allegat. 102. num. 57. & in remissione concil. dicti cap. 5. circa finem*, vt non procedat in casibus frequenter occurrentibus, & à iure concessis, quales sunt ingressus medici, confessoris, visitatoris, artificis, & similium. Cæterum verius existimo pro iis omnibus licentiam in scriptis necessariam esse, si commodè obtineri potest; quia concilium absque vlla exceptione pro casibus necessariis licentiam in scriptis requisiuit. Et licet ingressus medici, confessoris, visitatoris, artificis à iure concessus sit, quando adest necessitas; at hanc examinare, & approbare Episcopo, vel superiori conuentus competit: Præterquam quod sæpè expediet hanc licentiam aliquibus ex his ministris negare; quia suspecti sunt, aliis tamen concessa. Merito ergo in tali approbatione scriptura interuenire debet, vt sic cum maiori consideratione concedatur: sic Sanch. *lib. 6. sum. cap. 16. n. 33.* Dixi si commodè in scriptis obtineri licentia potest, vt excluderem casum, quo ex expectatione dictæ licentiæ graue damnum timeretur. Non enim lex humana cum eo rigore obligat, imo nec obligaret licentiam ore tenus expectare, si ex illius expectatione periculum esset grauis damni: sic Nauarr. *com. 4 de Regularib. n. 60.* Graffis *1. p. decis. lib. 4. cap. 13. n. 6.* Sanchez *lib. 6 sum. c. 16. n. 34.*

7. Sed an eo casu, quo à superiore expectari licentia nequit, debeat ab Abbatissa expostulari, difficultate non caret. Et quidem si Abbatissæ commissa sit facultas licentiam concedendi, vt committi potest iuxta probabilem aliorum sententiam, vel secundùm nostram concessa sit à superiore facultas iis, quibus Abbatissa necessarium esse iudicauerit, certum est hanc facultatem; vel hoc arbitrium ab Abbatissa esse expostulandum, vt sic fiat ingressus ex superioris licentia. At si nec licentia, neque arbitrium commissum Abbatissæ sit, variant doctores; an eius consensus sit expostulandus? Affirmant expostulandum esse. Man. Rodrig. *t. 1. regul. qq. quæst. 46. art. 2. in fine & q. 47. art. 4. in fine* 1. Sanchez *lib. 6 sum. cap. 16. num. 37.* Mouentur; quia credendum est prælatum pro his casibus vrgentibus, quibus consuli non potest, vices suas Abbatissæ commisisse, vt sic maiori cum decentia ingressus fiat, & quoad fieri potest, lex de præmittenda licentia obseruetur. Sed contrarium verius existimo, eo quòd Abbatissæ hæc facultas committi non possit, vt ex Trident. probauimus. Et licet committi possit arbitrium, seu iudi-

cium de legitima causa, id non postulat Abbatissæ, officium, cum cuilibet alteri singulari committi possit. Non igitur postulanda est illius licentia, & ita docent Nauarr. *comment. 4. de Regul. n. 60*, Graff. *t. p. decis. lib. 4. cap. 23. n. 6.* Verum etsi hoc ita sit, consensus tamen Abbatissæ cuilibet ingredienti etiam ex licentia superioris inscripti obtenta est necessarius, quia cum Abbatissæ regimen conuentus commissum sit, non est credendum superior. in contra eius voluntatem licentiam alicui concedere illuc ingrediendi.

9. Denique aduerte, licentiam absolutè concessam ad ingrediendum monialium conuentum primo ingressu finiri, nisi aliud expressè in concessione declaretur; quia est dispensatio aduersus clausuram iure communi statutam; ac proinde strictè est interpretanda; vti latè probaui *tract. 5. de legib. disp. 4. punct. 14. à num. 5.* & tradit decisum Aloys. Riccius *praxi rerum fori Ecclesiast. decis. 649.* aliàs *resolut. 545.* Barbosa *3. p. de potest. episc. alleg. 102. n. 59.*

§. III.

Quæ causa necessaria sit ad prædictam licentiam concedendam.

SVMMARIVM.

1 *Quid in hac re ex Pontificum decretis constet?*
2 *Quæ necessitas sufficiat? expenduntur necessitates ex parte conuentus.*
3 *Pro exhortatione facienda, suffragiisque suscipiendis in electione Abbatissæ non est legitima causa ingressus.*
4 *Non licet ingredi pro benedicenda moniali, nec pro ministratione Eucharistiæ extra morbum.*
5 *Pro necessitate monialium ingressus licet, sed non debent ancillæ admitti pro necessitate monialis directè, non autem pro necessitate conuentus.*
6 *Pro administratione sacramentorum moniali infirmæ facienda.*
7 *Qualiter sacerdos ingredi debet; potest dicere sacrum in infirmaria.*
8 *Ob sepeliendam monialem qui ingredi possunt?*
9 *Qualiter medicus, pharmacopola, minutor sanguinis & alij similes ingredi possint.*
10 *Ob consolandam monialem in extremis non licet matri, nec aliis cognatis ingredi.*
11 *Quid de sartoribus, & sutoribus.*
12 *Cessante causa ingressus illico exeundum est.*
13 *Excellentia Episcopi, & superioris possunt puellæ educandæ ingredi.*
14 *Nuptæ ingredi non possunt, nisi ob timorem saltim.*
15 *Viduis, vt vitam ibi degant nequit ab alio præter Romanum Pontificem licentiam concedi.*

1. BOnifac. VIII. in dicto *cap. periculoso, de statu* Monach. *in 6.* causam rationabilem, & manifestam expostulauit, manifestam inquam non populo, sed licentiam concedenti, vt docuit Man. Rodrig. *t. 1. quæst. regular. q. 45. art. 4. vers. circa causam.* At Trident. supradictum decretum declarans, vel limitans eam causam iudicauit rationabilem, quæ necessaria est. Idemque tradidit Pius V. & Greg. XIII. in suis constitutionibus. Quanta autem debeat esse hæc necessitas neque Concilium, neque Pontifices definierunt, neque commodè definiri poterat, cum ex casibus particularibus, eorumque circunstantiis dependeat; ideóque reliquerunt arbitrio prudentis. Illud vero est certum, neque requiri extremam, neque strictissimam necessitatem, sed grauem sufficere, cui moraliter succurri non potest absque monasterij ingressu: sic Eman. Rodrig. *t. 1. quæst. regul. quæst. 46. art. 4.* Ludouic. de Miranda Manuel. *prælat. t. 2. in fine tract. de sacris monial. q. 2. art. 4. concl. 2.* Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. n. 17.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 16. n. 40.* Barbosa *alleg. 102. n. 48.* Placet tamen minorem causam requiri pro ingressu fœminarum, quam virorum, & pro ingressu diurno, quam nocturno; quia minus est indecens, & pro ingressu matris, sororis, alteriusve consanguineæ, quàm extraneæ: quia magis pietatem concernit, & pro ingressu in priora receptacula, quam in officinas interiores, & cubicula: quia minus clausuram offendit. Man. *dicta q. 46. art. 4.* Sanch. *lib. 6. sum. c. 16. n. 40.* Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. c. 10. n. 17.*

2. Hæc igitur necessitas, ex qua licentia conceditur, potest esse necessitas totius conuentus, vel singularium monialium, vel externorum ingredientium, quocunque modo contingat, præstat legitimam causam dispensationis. Vt autem hæc clarius innotescant, & ne licentia plus iusto coarctetur, vel excendatur, figillatim aliqui casus enumerandi sunt. Ex parte conuentus erit sufficiens causa, si artifices ad illius reparationem ingrediantur: sic Nauarr. *com. 4. de Regul. n. 49.* Minand. manual. *prælat. t. 2. tract. de sacris monial. q. 2. art. 7. concl. unica. vers. septimus casus,* Barbosa *alleg. 102. n. 56.* Item si aliquà res ponderosa illuc esset introducenda, vel inde extrahenda, quod per moniales commodè præstari non potest. Barbosa *allegat. 102. n. 56.* Sanch. *c. 16. n. 56.* Item si pro plantandis arboribus, hortoque rigando, & excolendo esset ingressus; quia hæc officia non solent moniales per se exercere. Barbosa *n. 55.* Sanch. *num. 56.* Item si pro expeditione alicuius negotij, scriptura in archiuo recondita quærenda esset ab œconomo monasterij, posset illuc ingredi; quia nec conuenit clauem fidere monialibus, nec ipsæ regulariter aptæ sunt huiç inquisitioni. Llamas in method. curat. *in appendic. §. 6.* Sanch. *dicto c. 16. n. 55.* Item ad expellendum malefactorem illic commorantem non solum iudici, sed cuilibet ingressus: dedecet enim maximè illum in societate virginum esse. Neque obstat inde eius vitam periclitari; eo quod ex clausura extractus ducetur in carcerem; quippe immunitate Ecclesiæ non gaudet; quia id est per accidens; neque enim moniales tenentur cum diminutione sui honoris malefactoris vitam tueri, neque vllus alius debet illius vitam præferre monialium honestati, & religiosæ decentiæ: sic Sanch. *lib. 6. c. 16. à n. 57.* Quocirca si malefactori prodest Ecclesia, solum licitum est iudici, & cuilibet alteri illum ex clausura extrahere in Ecclesia relinquendum, ad quam actionem licentia Episcopi, vel superioris conuentus expostulanda est, quæ si negetur, non debet iudex propria authoritate ingredi; vim enim monasterio eo ingressu inferret. Ad si manifestum sit, malefactorem Ecclesiæ immunitate non gaudere, & potest iudex petita superioris licentia monasterium ingredi; tam ad excipiendam malefactoris confessionem, tam ad ducendum illum in carcerem. Quod si superior petitam licentiam negauerit, quia negatur iniustè, ea omissa potest iudex vtens iure suo ingredi. Sanch. *dicto c. 16. n. 58.* Item ex parte conuentus est sufficiens causa ingressus superioris visitatio, constat manifestè ex bulla Gregor. XIII. id superioribus concedentis, ea tamen conditione, vt paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis associati ingrediantur. Vnde possunt, & debent ingredi cum secretario, vt visitationem denuncient, edicta proponant, exhortationem pro visitatione habeant: decent enim hæc exclusis externis coram solis visitandis fieri; ac proinde in monalium capitulo. Quod à fortiori procedit: pro publicanda visitatione, culpisque puniendis. Item ingredi licet ipsis superioribus cum secretario ad videndum, an omnia monasterij rectè se habeant, sit ne clausura reparata, cellæ monialium, earúmque supellectilia religiosæ paupertati, & honestati decentia, officinæ, & dormitoria prout religiosas expedit, & similia. Quia hæc omnia in bonum conuentus diriguntur, & pro visitatione expedienda maximè necessaria sunt. Sanch. *lib. 6. sum. c. 16. n. 54.* cum Llamas *method. curat. in appendic. §. 7.* Barbosa *3. p. de potest. episc. alleg. 102. n. 45.*

3. Hanc legitimam causam ingressus extendunt alij pro exhortatione facienda, suffragiisque suscipiendis in electione Abbatissæ, quia non decent hæc, sicut nec visitationis denunciatio publicè fieri. Sed immeritò hanc admittunt extensionem: cum expressè Tridentin. *sess. 25. c. 7. de Regularib.* dixerit: is qui electioni præest, Episcopus, siue alius superior claustra monasterij non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat. Quæ verba etsi clarè præceptum non contineant; denotant tamen manifestè non esse causam legitimam ingressus electioni Abbatissæ præsse, cum totum id extra clauluram ianuis Ecclesiæ clausis fieri possit: sic Nauarr. *tom. 4. de Regularib. n. 59.* Man. Rodrig. *t. 1. qq. regul. q. 46. art. 5.* Ioann. de la Cruz de statu religios. *lib. 1. c. 5. dub. 2. concl. 3. notab. 3.* Miranda manual. *prælat. t. 2. in fine tract. de sacris monialib. q. 2. art. 15. concl. 3.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 16. n. 50.* Barb. *alleg. 102. n. 46.* Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. c. 10. n. 23.* Verum si ob inquietudinem monialium, & subornationis periculum, vel ob aliam causam superiores iudicent opus esse monasterium ingredi, & in illius capitulo electionem facere, possunt vtique. Quia Concilium *dicto cap. 7.* non reuocauit ingressum necessarium in *c. 5.* permissum, sed declarauit solam electioni assistentiam non esse casum necessitatis: sic Nauarr, Ioan. de la Cruz Man. Rodrig. Barbos. Sanch. Suar. nuper relati.

4. Ex his à fortiori constat, non esse sufficientem ingressus causam monialem benedicere, & consecrare, cum hoc ad fenestellas Ecclesiæ possit commodè fieri. Sic relato Man. Rodrig. *q. 47. art. 10.* docet Sanch. *dicto cap. 16. n. 52.* Idemque est pro ministrando sacramento Confirmationis, cum possit in loco receptioni Eucharistiæ designato ministrari; si tamen præ infirmitate illuc monialis accedere non posset, periculumque esset absque illo sacramento decedendi, posset Episcopus ingredi; quia iam est casus necessitatis Sanch. *num. 53.* Denique pro communi exhortatione facienda nunquam existimo licere ingressum, cum satis aptè ad fenestellas ianuis Ecclesiæ clausis fieri possit.

5. Item

5. Item ex parte conuentus est legitima causa ingressus, si moniales indigeant ad infirma domus officia, & ad curandas infirmas fœminis seruitricibus: sæpè enim moniales choro destinatæ non valent iis officiis incumbere, & cum non adsint laïcæ, seu conuersæ, per quas commodè præstari possint, opus est has famulas recipi: debent tamen recipi sub conditione seruandi clausuram: sic Man. Rodrig. *tom.*11. *qq. regular. quæst.*46. *art.*7. *& seqq.* Sanch. *lib.*6. *sum. cap.*16. *n.*65. *& 66.* Suar. *tom.*4. *de relig. tract.*8. *lib.*1. *cap.*10. *num.*18. *&* 19. Barbosa *allegat.*102. *num.*60. An vero pro priuatæ monialis ministerio admitti possint hæ ancillæ? Affirmat Sanch. *n.*66. eo casu quo persona nobilis esset, ægræque valetudinis, aut nimiæ senectutis, nec satis per famulas monasterij, seu laicas consuli posset. Cæterum existimo directe ob nullius monialis ministerium recipi ancillas posse, sed omnes recipi debere, vt conuentui inseruiant, qui obligationem habet infirmis consulendi. Quod si id præstare non possit per receptas, possunt aliæ recipi, esto ea intentione recipiantur, vt famulatui alicuius singularis applicentur Suarez *tom.*4. *de relig. tract.*8. *lib.*1. *cap.*10. *num.*20.

6. Ex parte verò singularium monialium, quarum necessitatis remedium in bonum conuentus redundat, dantur plures casus, quibus licitus est ingressus. Primo si moniali ægrotanti ministrandum est sacramentum confessionis, Eucharistiæ, vel extremæ vnctionis. Et quidem si adsit periculum mortis, nemini est dubium licere; imo superiorem ad eum ingressum obligari, cum non possit aliter ea sacramenta necessitatis sibi subditæ ministrare. Secluſa vero hac extrema necessitate licet ingressus ob ministrandum infirmæ sacramentum confessionis, & Eucharistiæ, quoties ex præscripto regulæ aliis monialibus ministratur; quia ob infirmitatem deterioris conditionis esse non debet, cum eo tempore magis indigeat. Item illis temporibus, quibus solita erat supradicta sacramenta frequentare, poterit frequentare infirma; quia æquum non est eo subsidio tempore maioris necessitatis priuari: sic Man. Rodrig. *tom.*1. *quæst. regul. quæst.*47. *art.*4. Miranda manuel *prælat. t.*2. *tract. de sacris monialib. q.*2. *art.*7. Barbos. *alleg.*102. *n.*49. Sanch. *lib.*6. *sum. cap.*16. *n.*45. *&* 46.

7. Ad hæc sacramenta ministranda cum sacerdos ingreditur, ingredi debet indutus alba, seu superpellicio, & stola, & duobus, vel saltem vno socio comitatus, vt cauetur ab Vrbano IV. in reg. monialium S. Claræ *cap.*7. & tradit Sanch. Man. Miranda, & Barbosa *suprà*. Imo licitum est sacerdoti sic ministraturo sacramentum ad eum finem sacrum in infirmaria facere; quia eo facto decentius sacramentum infirmis ministratur, quam si ex Ecclesiæ custodia deportetur, specialique consolatione recreantur infirmæ sacrum audiendo: sic Man. *dicta q.*47. *art.*4. *in* 2. *dub.* Mirand. *tract. de sacris monialib. q.*2. *art.*18. *concl.*2. Barbosa *dicta alleg.*102. *n.*49. Insuper licet sacerdoti ingredi, vt monialem in extremis constitutam piis exhortationibus adiuuet, illius scrupulos, perturbationes sedet; indigent enim maximè hoc ministerio morituræ. Llamas *in method. curat. in append.* §. 6. Sanch. *lib.*6. *sum. cap.*16. *n.*48.

8. Secundo moniali obeunte licitus est ingressus omnium illorum, qui ad aperiendum sepulturam, illamque coaptandam, deferendum defunctæ corpus, officiumque sepulturæ exercendum necessarij fuerint. Sanch. *lib.*6. *sum. cap.*16. *n.*45. Barbos. *alleg.*102. *n.*50.

9. Tertio ob curandam monialem infirmam potest medicus ingredi, sed absque famulo; si vero infirmitas grauis sit, expediatque plures medicos conuocari, omnes ingredi possunt; quia est casus necessitatis. Barbos. *alleg.*102. *n.*52. Sanch. *lib.*6. *cap.*16. *n.*43. Pharmacopolæ autem raro licet ingressus, cum possit potionem extra clausuram præparare, & mediis monialibus infirmæ porrigere. Si tamen aliquando opus sit moniales docere, quomodo medicamenta aliqua præparanda sunt, vel asseruanda, idque non possit præstare extra clausuram existens, posset clausuram ingredi; quia est moralis necessitas: sic expresè Sanch. *dicto cap.*16. *n.*56. Quarto, ingredi potest ob eandem causam medendi monialem minutor sanguinis seu barbitonsor, & Chirurgus; quia est officium infirmæ satis necessarium, nec illud valent moniales exercere. Sanch. *n.*43. Barbosa *num.*14.

10. Quinto de matre, sorore, aliisque consanguineis dubitare quit posset; an causa inuisendi monialem morti proximam, eamque consolandi ingredi possint? Sed in hac parte decisionem negatiuam habemus à sacra congregatione, eo quòd illa visitatio potius mœrorem cauſet, quam solatium, mentem monialis distrahat, & in amore Dei repescere faciat: sic Man. Rodrig. *tom.*1. *quæst. regul. quæst.*46. *art.*11. Mirand. *manual. prælat. tom.*2. *tract. de sacris monial. quæst.*2. *art.*4. Barbos. *allegat.*102. *n.*68. Ioan. de la Cruz *lib.*1. *de statu religioso. cap.*5. *dub.*2. *concl.*3. *& alij.*

11. Sexto de sartoribus, qui vestes sarciunt, & de sutoribus qui calceos suunt, est dubium an legitimam habeant ingressus causam? Negat de vtrisque Barbosa *num.*55. quia tam vestes, quam calceos meriti ab extra possunt. Sanch. *dict. cap.*16. *n.*43. Huic sententiæ consentit pro sutoribus, qua absque ingressu possunt de calceamentorum mensura certiores fieri, vel ostenso calceo, vel declaratis punctis. At pro sartoribus reprobat cum Nauarr. *Com.*4. *de Regular. n.*59. quia existimat moniali vestes commodè aptari non posse, nisi immediatè corpus dimetiantur. Ergo vero existimo nec his ingressum necessarium esse, nam esto debeant corpus meriti, & panum forcipibus præparare, præstare id possunt in limine clausuræ, ita vt nec monialis egrediatur, nec ipsi ingrediantur.

12 Qui verò ob prædictas necessitates monasteria, ingrediuntur, illis cessantibus exire illico debent. Quia cessat finis concessionis, & præcepti dispensationis. Sed hoc non est ita strictè & rigorosè intelligendum, vt quælibet breuis mora peccatum mortale constituat; quia hæc præcepta morali, & non metaphysico modo sunt intelligenda. Debet ergo mora esse diuturna, vt ex se pateat in fraudem legis fieri: sic Ludouic. de Miranda *manual. prælat. tractat. de sacris monial. quæst.*2. *art.*10. Barb. *allegat.*102. *num.*59. Sanch. *lib.*6. *sum. cap.*16. *n.*68. Man. Rod. *t.*1. *qq. regul. q.*47. *art.*11. *& alij.*

13. Ex necessitate ingredientium desumi itidem potest sufficiens causa ingressus. In hoc ergo ordine primum locum obtinent puellæ in monasterio educandæ, vt sic religioni afficiantur, illiusque habitum suscipiant, sin minus virtutibus instructæ nubant. Posse inquam ob hanc causam ex licentia Episcopi, vel superioris, Abbatissa, & maiore parte conuentus consentiente has puellas admitti docent passim doctores testanturque à sacra congregatione decisum Man. *t.*1. *quæst. regul. quæst.*46. *art.*10. Sanch. *lib.*6. *sum. c.*16. *num.*61. Suar. *t.*4. *de relig. tract.*8. *lib.*1. *cap.*10, *num.* 21. Barbosa *alleg.* 102. *num.* 62. & alij plures apud ipsos. Aliquæ tamen conditiones ex sacra congregatione pro his puellis recipiendis seruandæ sunt teste Man. Sanch. Suar. & Barbosa *suprà*. Prima est, ne monasterium habeat statutum in contrarium; quia illud obseruandum est: eaque de causa si numerus statutus est, vltra numerum recipi non possunt. Secunda, vt adsit licentia Episcopi, vel superioris conuentus in scriptis, consensusque Abbatissæ & maioris patris monialium. Tertia, ingredi debent fine an, cillis obligatæ clausuram obseruare, ita vt inde exire possint, nisi non reuersuræ. Verum si ob ægritudinem curandam ex licentia Abbatissæ, & conuentus exierint, noua superioris licentia, nouoque Abbatissæ, & monialium consensu accedente recipi possunt. Quarta, debent vti vestibus, quæ virginali pudori conueniant. Quintò, ne inhonestè vixerint, præcipuè si monasterium non est solitum similes recipere. Sexta, vt quolibet semestri eis anticipata soluatur portio pro alimentis. Septima, vt locum habeant separatum à reliquis monialibus, & nouitiis ad dormiendum, & laborandum. Octaua, ne recipiantur minores septennio, nec maiores 25. eo tamen tempore accedente debet puella vel habitum religionis suscipere, vel ad domum paternam reuertere, ad idque compelli potest ab Episcopo, vel monasterij prælato cùm designatione temporis.

14. Secundo, succedunt mulieres nuptæ, quæ separatæ à marito viuunt. Sed hæ nulla ratione admitti possunt absque Pontificia dispensatione, vt eo loco virtutibus instruantur; quia hic ingressus non tam necessarius, quam vtilis iudicatur. Mirand. *manual. prælat.* 2. *tract. de sacris monialib. q.*2. *art.* 8. *concluſ. vnica allegat.* 102. *n.* 66. Si vero ob timorem sæuitiæ mariti ad monasterium confugiant, recipi possunt ex licentia superioris, & Abbatissæ, monialiumque consensu; quia ita vsus obtinuit; videturque casus summæ necessitatis, & debitæ charitatis, sicque à sacra Congregatione referunt decisum Man. Rodrig, *t.*1. *q. regular. q.*69. *art.*10. *declarat.*13. quamuis in 14. videatur contrarium decidi Tho. Zerolà *prax. Episcop.*1. *p.* verbo *monialis q.*11. Sanch. *lib.*6. *sum. cap.* 16. *n.*64. Ioan. de la Cruz *lib.*1. *de statu relig. cap.*5. *dub.*2. *concl.*3. Barbos. *alleg.* 102. *n.* 66. Debent tamen seruare conditiones pro puellis educandis appositas: vt tradit Zerola, Sanch. Ioan. de la Cruz & Barb. *loc. alleg.*

15. Tertio restat dicendum de viduis, an in monasterium recipi possint, vt vitam honestam, & à sæcularibus separatim degant? Qua in re omnino tenendum est, Episcopo, vel monasterij Prælato nullatenus permissum esse facultatem concedere ad hunc ingressum, sed Pontificis indulgentia opus esse. Quia casus non necessitatis, sed vtilitatis iudicandus est; ac proinde sub potestate Episcopi, vel superioris monasterij non cadit. sic referunt decisum. Man. Rodrig. *t.*1. *q. regul. q.*46. *art.* 10. Sanch. *lib.*6. *sum. c.*16. *n.*64. Barbosa *alleg.*102. *n.*67. Suar. *t.*4. *de relig. tr.*8. *lib.*1. *c.*10. *n.*11. *& alij.*

§. IV.

Quæ pœnæ impositæ sint ingredientibus monialium clausuram.

SVMMARIVM.

1 *Quid statuerit Trident.*
2 *Quid Gregor. XIII.*
3 *Quæ veniant intelligenda nomine monialis?*
4 *Quid nomine dignitatis, & officiorum, quorum priuatio imponitur.*
5 *Quas pœnas imposuit Gregor. XIII. Prælatis iniquè ingredientibus.*

1. VAriæ pœnæ tum violantibus monialium clausuram, tum ad illius violationem cooperantibus impositæ sunt.

Primo imposita est à Trident. *sess. 25. cap. 5. de Regularib.* excommunicatio non reseruata aduersus ingredientes monialium monasteria sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta. Quæ excommunicatio ex parte personarum generalis est, cum afficiat quoslibet ingredientes cuiuscunque generis, conditionis, sexus, vel ætatis fuerint. Episcopos autem, vel superiores monasterij non videtur afficere; quia ipsi non debent à se licentiam in scriptis obtinere. Debet item hæc licentia in scriptis obtenta legitima esse (hoc est non vi, vel dolo impetrata, neque ex falsa causa) alias vtpotè irrita, & nullius effectus excommunicationem non impedit: sic latè probat Sanch. *lib. 6 sum. c. 16. num. 73.*

2. Deinde Gregor. XIII. in bulla incipiente, *Vbi gratia, edita Idibus Iunij anno* 1575. pœnam excommunicationis reseruatæ imposuit aduersus monialium monasteria ingredientes prætextu facultatis à sede Apostolica hactenus concessæ, Abbatissis verò, nec non Abbatibus conuentus, ac aliis monasteriorum vtriusque sexus superioribus, & personis quocunque nomine vocatis, qui prætextu supradictæ facultatis ingressum fouent, vel permittunt, vltra pœnam excommunicationis reseruatæ imponitur priuatio dignitatum, beneficiorum suorum, ac inhabilitas ad illa, & alia in posterum obtinenda. Sed his pœnis iam non est locus; cum nullus sit, qui prætextu facultatis à sede Apostolica ante Gregor. concessæ, & ab ipso reuocatæ, monasteria monialium ingredi tenet, vt benè notauit Suarez *tom. 5. de censur. disp. 22. sect. 6. n. 14.* Qua de causa Greg. in eadem bulla subdidit, eisdem pœnis excommunicationis reseruatæ, priuationis dignatum, & beneficiorum, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda omnes, & quascunque personas Ecclesiasticas, & sæculares, ac etiam ordinum quorumcumque etiam mendicantium regulares, qui prætextu licentiarum ab Episcopo, vel à superioribus (quibus illas concedendi in casibus necessariis tantum ex decreto Concilij Trident. facultas tribuitur) monasteria monialium pro libito, & non necessitatibus vrgentibus dumtaxat ingrediuntur. Moniales vero præsumentes supradictos admittere eisdem pœnis affecit. Quæ sunt valdè notanda, quia passim contingere possunt. Vnde si prætextu facultatis ab Episcopo, vel superiore concessæ etiam ex legitima causa, monialium monasteria ingrediaris ex causa deficiente, supradictis pœnis afficeris; quia iam ingrederis vltra necessitatem vrgentem prætextu facultatis concessæ: sic Suar. *tom. 5. de censur. disp. 22. sect. 6. num. 14.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 16. n. 90.* Neque hæ pœnæ limitandæ sunt ad ingredientes prætextu facultatis ab Episcopo, vel superiore concessæ tempore Greg. & non ad ingredientes prætextu facultatis postmodum concedendæ. Quia Greg. nullum fundamentum præbuit huius limitationis, sed potius significauit & facultatem concessam, & concedendam comprehendisse: siquidem generaliter dixit: Ne prætextu licentiarum ab Episcopo, &c. neque ibi eam facultatem reuocauit, sicuti reuocauit à Sede Apostolica concessam. Sanch. *dict. cap. 16. n. 76.*

3. Sub nomine monialium, quibus interdicitur sub prædictis pœnis excommunicationis, priuationis, & inhabilitatis, ne sic ingredientes admittant, non solum moniales subditæ, sed præcipuè prælatæ, & quibus regimen, & cura monasterij incumbit, intelliguntur. Quia quando materia prohibitionis æquè subditis, & prælatis aptatur, sub nomine monachi, & monialis Abbas, & Abbatissa veniunt. Idemque est, quando materia bonum religionis, salutemque animæ concernit; vt multis exornat Sanchez *lib. 6. sum. cap. 16. n. 91.* Sed admittere ingredientes æquè Abbatissæ, ac Priorissæ aptatur, ac reliquis subditis, imo efficacius. Ex alia parte hæc lex bonum religionis, salutemque spiritualem monialium concernit. Ergo sub illa Abbatissa, & Priorissa comprehenduntur. Deinde nemini alteri ab Abbatissa, & Priorissa competere potest pœna priuationis dignitatis, & officiorum, ergo ex illius impositione non leue argumentum desumitur voluisse Pontificem Priorissas, & Abbatissas comprehendere: sic docuit Sanch. *dicto cap. 16. num. 91.*

4. Quid autem nomine dignitatis, & officiorum, quibus sic ingredientes priuantur, & inhabiles fiunt, & an hæc priuatio, & inhabilitas iudicis sententiam requirat; Qui-ve dicantur ingredientes admittere, vt supradictis pœnis subiiciantur? superiori pun. explicatum est.

5. Insuper Greg. XIII. in alia bulla incipiente. *Dubiis, quæ emergunt, edita 23. Decemb. anno* 1581. varias pœnas indicit prælatis tam sæcularibus, quam regularibus, qui potestate sibi à iure attributa monialium monasteria ingrediendi vtuntur extra casus necessitatis, & à paucis iisque senioribus, & religiosis personis comitati. Quod si extra casus necessitatis ingrediantur, qui pontificalis dignitatis fuerint, prima vice Ecclesiæ ingressu interdicitur, pro secunda à munere Pontificali, & à diuinis suspendantur. Deinceps excommunicationi subiiciantur. Regulares verò à prima vice omni officio, ac ministerio priuantur, eidemque excommunicationi subiacent.

PVNCTVM II.

Qualiter accessus ad monialium monasteria sit prohibitus, & sub qua pœna?

SVMMARIVM.

1 *Expenduntur textus in cap. monasteria de vita, & honest. clericor. & cap periculoso. de statu Monach. in 6.*
2 *Qui accessus in dictis decretis prohibeatur, & qua frequentia.*
3 *Sub prædicto accessu non venit missio litterarum.*
4 *Quibusdam religiosis, ciuibusque Romanis prohibitum est monialibus litteras mittere.*
5 *Sub hac prohibitione non comprehenditur missio litterarum, quæ ad manus monialis non peruenerunt.*
6 *Sub obligatione mortali prohiberi potest, & de facto prohibetur, quoties imponitur excommunicatio.*
7 *Per se secluso circunstantiis accessus prohibitus non est.*
8 *Spectatis circunstantiis extrinsecis sæpe est peccatum mortale. Et quando contingat.*
9 *Quid dicendum de frequentia.*

1. TOta difficultas huius puncti versatur in explicatione Textus *in cap. monasteria de vita, & honest. cleric. & cap. periculoso. de statu Monach. in 6.* Nam *in cap. monasteria* expresè Alexand. III. intendens frequentem accessum ad monialium monasteria remouere, dixit: Monasteria monialium si quisquam clericus sine manifesta, & notabili causa, frequentare præsumpserit, per Episcopum arceatur, & si non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis; si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni. At Bonif. VIII. *in dicto cap. periculoso* non solum frequentem accessum, sed accessum ad dicta monasteria interdixit tam viris, quam fœminis, ibi: Nullique aliquatenus inhonestæ personæ, neque etiam honestæ, nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius ad quem pertinuerit speciali licentia ingressus, & accessus pateat ad easdem moniales. Ex quibus textibus constat non eodem tenore Alexand. III. & Bonifac. VIII. processisse. Nam Alex. III. solum frequētiam virorum prohibuit; at Bonifac. cuiuslibet personæ siue viri, siue fœminæ accessum interdixit. Itē Alex. post monitionē ab Episcopo factā cōminatur clericis à frequentia non desistentibus, suspensionem ab officio, laicis excommunicationem non quidem ipso iure latam, sed ab Episcopo imponendam. At Bonif. nullam pœnam suæ cōstitutionis transgressoribus designauit.

Circa hæc decreta duplex venit enodanda difficultas. Prima; qui accessus, & frequentia his decretis prohibeantur? Secunda sub qua obligatione, mortali, an veniali?

2. Quoad primam difficultatem attinet, accessus prohibitus *in dicto cap. periculoso* est aditus ad monialium monasteria gratia videndi, seu colloquendi cum monialibus, nam si ex alia causa illuc accedas, sub dicta prohibitione non comprehendetis: sic Nauarr. *com. 4. n. 61. de regularib. vers. 5.* Mant. *tom. 1. qq. regular. q. 45. art. 2.* Sanch. *lib. 6. sum. c. 16. n. 112.* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. c. 10. n. 24.* Frequentem vero accessum sentit Glossa *in dict. cap. monasteria* induci duobus actibus, cui fauet Abbas *n. 5. ibi* quæstionem indecisam relinquens. Cosmas *in pragmat. ad cap. frequens §. quapropter. fol. 54.* Steph. Gratian. *discept. forens. cap. 393. n. 18.* Sed rectius alij oppositum sentiunt: si enim inter vnum, & alium accessum, longum tempus interponatur nulla ratione dici potest frequentem accessum habere. Quapropter ex communi modo loquendi hæc quæstio decidenda est, & prudentis arbitrio relinquenda; sic docuit Nauarr. *com. 4. de Regularib. num. 61.* Man. Rodrig. *tom. 1. quæst. regul. q. 45. art. 4.* Sanch. post alios antiquiores,

quiores, *li.6 sum.c.16.n.110.* Suar. *t.4.de relig.tract.8.lib.1.c.10. n.25.* Barbosa *allegat. 102. nu.70.* Vnde Nauarr. & Man. *supra* existimant non esse frequentiam, si singulis annis tribus, vel quatuor vicibus accederes, bene tamen si tribus diebus continuis. Llamas *in methodo curat. in append.* §. 4. strictius ex parte loquitur, affirmans frequentiam constitui, si duabus vicibus vna die, vel duobus diebus continuis ad monasteria accedas, secus si vno mense duabus vicibus Sanch. vero existimat ex vnico accessu singulis mensibus anni, vel ex accessu tribus diebus continuis fieri frequentiam. Et placet arbitrium Sanch. si per annum integrum repetitio accessus singulis mensibus fiat.

3. Sed dubium est: an sub prædicto accessu, missio litterarum comprehendatur? Ratio dubitandi est; quia his decretis non tam accessus materialis corporum, quam formalis mentium prohibetur, cum igitur missione litterarum mente, & animo ad monialem accedas, & cum illa colloquaris, sub dicta prohibitione accessus comprehenderis. Et confirmari potest ex *cap.clericis* 81. *distinct.* vbi sub eisdem pœnis prohibetur clericis secreta per domesticos matronę mandare, sub quibus est prohibitus accessus ad eius domicilium. Nihilominus pro certo tenendum est, sub accessu missionem litterarum non venire: neque enim cum alicui litteras mittis, propriè diceris ad illum accedere; quia accessus in sua propria significatione sumptus, est aditus, seu appropinquatio; at in legibus, & præceptis non sunt verba improprianda præcipuè ad effectum extendendi prohibitionem: ergo nulla ratione missio litterarum sub prohibitione accessus comprehendi debet; & ita sustinet Suar. *t.4.de relig. tract.8. lib.1,c.10. fine, n.28.* Barbosa *3. part.de post. Episc. alleg 102.num.80.* & colligitur ex Nauarr. *com.4.de Regul.num.61.*

4. Verum etsi hoc ita sit, Gregor. XIII. prout refert Nau. *conf.60.de sent. excommunic. aliàs 5.* præcepit quibusdam regularibus sub excommunicatione latæ sententiæ, ne scriberent monialibus sui Ordinis. Et Romæ est decretum à Vicario Pontificis promulgatum teste eodem Nauarr. *comm. 4. de Regular.n.61.* ne quis vir, vel fœmina nocte, aut die loquatur, vel scribat alicui moniali, vel Prælatæ, vel puellæ in monasterio quacunque de causa includæ, absque Vicarij Pontificis, aut Protectoris ordinis licentia, sub pœna quingentorum aureorum, & aliis arbitrariis exceptis deferentibus eleemosynas aut opera manuum ab eis facienda, qui solam Abbatissam, aut eius vicariam alloqui poterunt. Quod decretum, vt benè aduertit ipse Nauarr. quem sequitur Man. Rodrig. *tom.1. quæst.regul.quæst.45. art.3.* Sanch. *lib.6 summ.cap.16.num.116.* extra ditionem Romanam non extenditur. Tum quia factum est à Vicario Pontificis cuius iurisdictio extra Romanam curiam non extenditur. Tum quia licentia eius, Protectoris Romæ commorantium expostulatur.

5. Sed inquires, an si religiosi illi, vel Romani ciues epistolam mitterent moniali, quæ tamen ad eius manus non peruenit, incidant, in excommunicationem, & pœnas supradictis decretis contentas? Videantur incidere; quia præstant opus, cui annexæ sunt: opus namque est scribere monialibus, quod certè præstari non potest, quin scriptum moniales recipiant. Sed verius est oppositum, vt optimè probat Nauarr. *conf.60. aliàs 19. de sentent. excommunicat.* quem sequuntur Man. Rodrig. *tom.1.qu. regul.q.45. art.3.* Sanchez *lib.6. sum. c.16. n.117.* Barbosa *allegat.102.n.77.* Ratio ea est; quia Pontifex prohibens, ne monialibus scribas, non prohibet scripturam vtcunque, sed scripturam, qua cum monialibus fiat communicatio; quia in illa communicatione datur ipsis occasio inquietudinis, & fortè turpitudinis, quod periculum intendit Pontifex ea prohibitione remouere. At dum scripturaad manus monialis non peruenit, neque ab ea legitur, nulla cum illa est communicatio, neque vlla occasio peccandi tribuitur. Ergo non est opus, cui sunt annexæ pœnæ, atque adeo ex illo præcisè non contrahuntur.

6. Grauior est secunda quæstio, sub qua obligatione mortali, an veniali accessus, & frequentia prohibeantur? Videntur enim sub obligatione mortali prohiberi tam accessus, quam frequentia. Nam *in cap.periculoso* à Tridentin. & Pio V. renouato sub iisdem verbis prohibetur accessus, & ingressus: sed ingressus prohibetur sub mortali, ergo & accessus. Item *in cap monasteria* prohibetur frequentia sub comminatione excommunicationis, & aliarum grauium pœnarum, quod inique fieret, si frequentia non esset delictum, dignum omnibus illis pœnis. Dicendum igitur est non solùm frequentiam, sed accessum tantum sine licentia prælati prohiberi posse sub obligatione mortali, & sic prohiberi quoties sub excommunicatione ipso facto incurrenda prohibetur. Quia excommunicatio nunquam imponitur nisi ob peccatum mortale. Neque hoc peccatum impeditur ex eo quo in vno, vel in altero casu nulla adsint inconuenientia; quia satis est, quod frequenter adsint; quippe horum frequens periculum prætendi legislator sua prohibitione remouere: sic Suarez *tom.4. de Relig. tract.8. lib.1. c.10.n.27.*

7. Sed an de facto accessus per se prohibitus sit secluſis circunstantiis extrinsecis, mihi dubium est. Probabilius existimo cum Suar. *dicto cap. 10. num.26.* per se prohibitum non esse. Nam prohibitio facta *in cap.periculoso* tam de accessu, quam ingressu consuetudine fuit abrogata, teste Nauarr. *comm. 4. de Regular. num.61.* Man. Rodrig. *tom. 1. qq. regul. q. 45. art. 4.* Suar. *dicto cap.10. num. 27.* At nec Trident. decreto, neque vlla alia Pontificia constitutione est illa prohibitio accessus reuocata. Nam Trident. esto initio decreti dixerit se renouare constitutionem Bonifac. VIII. at cum renouationem subiungit, solum meminit egressus, & ingressus nulla de accessu mentione facta. Pius vero V. etsi in constitution. incipiente *circa pastoralis officij.* Dixerit se approbare, & innouare in omnibus & per omnia constitutionem Bonifac. illamque districtè obseruari mandet; non inde infertur renouare prohibitionem accessus: quia nec verbum vllum fecit de accessu, & illa generalia verba iuxta subiectam materiam accipienda sunt. Cum igitur in illa constitutione solum de monialium clausura loquatur, imo non de omni clausura, sed de clausura quoad egressum, illa verba in omnibus: & per omnia eum sensum habent, se renouare constitutionem Bonifac. prohibentem monialibus egressum in omnibus, & per omnia, quæ hanc prohibitionem concernunt. Extra hæc decreta nullum aliud esse videtur, quo accessus prohibitus existat. Nam Textus *in cap.in decima, & cap.definimus.* & alij qui referuntur 18. *quæst.2.* præceptiua verba non continent. Ergo per se secluſis circunstantiis non est peccatum; quia per se peccatum esse non potest, nisi stante iuris positiui prohibitione.

Solum mihi difficultatem ingerit decretum sanctæ Congregationis editum Nonis Maij *anno* 1590. cuius meminit Sorbus *in compend.mendicant.* verbo, *Ingredi monasteria.* Quaranta in summ. Bullar. verbo, *monasteria monialium, pag.451. in nouiss.* Sanch. *lib.6 summ.cap.16.n.115* Barbos. *allegat.102.num. 72.* Hoc enim decreto prohibet Cardinalium congregatio omnibus religiosis superiore monialium, & confessario ordinario, & extraordinario cum ad tempus deputatur exceptis) ne ablque expressa eiusdem Congregationis licentia accedant ad monialium cœnobia, siue sui, siue alieni ordinis, nec ipsas moniales alloquantur, nec alias personas intra clausuram existentes: & confessarijs similiter interdixit, ne in ædibus monasterij, vel eius contiguis pernoctent, aut alios pernoctare faciant, néve ibi comedant, bibant, reficiantur, aut cibum sumant excepto confessore sub pœna priuationis officiorum, & vocis actiuæ, ac passiuæ ipso facto incurrenda. Sed hoc decretum dubito pro monasteriis totius orbis fuisse prolatum, sed ad summum pro monasteriis Romæ existentibus: quia durissimum esset quemlibet religiosum obligari licentiam petere à sacra Congregatione, vt ad monialium monasteria accederet, posset que cum monialibus, vel sæcularibus ibi existentibus loqui. Deinde dubito, an sit satis promulgatum, denique an sit satis receptum.

8. Verum etsi accessus ad monialium monasteria per se prohibitus non sit, nec peccatum. A spectatis circunstantiis extrinsecis sæpè sæpius grauem culpam constituit, nam si praua intentione accedis, tum si periculum lapsus habes, vel moniali alloquendæ initias, tum si aliis scandalum es, & occasio siniſtram de monasterio opinionem habendi. Quæ omnia maximè procedunt, si accessus ad colloquendum furtiuus sit, hoc est absque licentia Abbatissæ, seu superioris: hic enim aptior est ad siniſtram suspicionem generandam. At ea suspicione, & periculo cessante accessus graue peccatum non erit. Neque obstat accessum ad colloquendum cum virgine sub cura parentum existente sine voluntate parentis esse graue peccatum ob ius paternum violatum: vt inde inferas, quamlibet locutionem sine licentia Abbatissæ graue peccatum esse; quia in priore locutione frequentius pericula imminent ob libertatem, quam puella habet eligendi statum, & de suo corpore disponendi, quæ tamen cessant in moniali, vtpote professione, & monasterij clausura custodita. Adde non quemlibet accessum ad colloquendum cum virgine sub cura parentis existente constituere graue peccatum, sed illum tantum qui esset contra parentis expressum mandatum, vel ex quo siniſtra suspicio generari posset; illum tamen accessum furtiuum crederem esse peccatum mortale, qui esset ad colloquendum cum moniali per loca secreta, & inuisitata; quia natum est grauem suspicionem, & scandalum generare sic Suar. *com.4.de relig.tract.8.li.1.c.10.n.27.*

9. Quoad frequentiam attinet, spectandæ sunt supradictæ circunstantiæ, scandali, siniſtræ suspicionis, & periculi, quia in frequentia facilius aderunt: ideoque frequentem collocutionẽ adolescẽtis cum moniali raro à mortali excusarem. Posito autem, quod illæ circunstantiæ cessent, satis probabile existimo, solam esse culpam venialem, nisi adesset superioris monitio præceptiua. Mouebor, quia non videtur res grauis. Neque obstat Textus *in dicto capit. monasteria* graues pœnas indicens, qui censendus non est consuetudine reuocatus. Quia illæ pœnæ statutæ non sunt aduersus frequentantes

tantes absolutè,sed aduersus frequentantes, postquam à superiore monitione præceptiua correcti fuerint, vt constat ex illis verbis textus,*per Episcopum arceãtur*,id est,per Episcopum monitione corrigantur, vt explicuit Cardinal. & Ioan.Andr. *ibi*. Quibus innuit Pontifex ante monitionem Episcopi frequentiam dignam non esse illis pœnis : sic Nauarr. *summ. c.* 25.*n.*10.Sanc.*li.*6. *sum.c.*16.*n.*120.Suar.*t.*4.*de relig.tract.*8.*li.*1. *c.*10.*n.*25.*in fine.*

PVNCTVM XII.

Qui actus iudiciales, & qualiter religiosis interdicantur.

AD iudicium spectat officium iudicis, actoris,rei, procuratoris,aduocati, tabellionis,& testis:singula percurrenda sunt, vt inde constet,qui actus iudiciales, & qualiter religiosis interdicti.

§. I.

Qualiter officium iudicis, & assessoris interdicatur religiosis.

1 *Nequit religiosus esse iudex absque vtilitate monasterij, & licentia prælati.*
2 *Quilibet qui verè superior est hanc licentiam concedere potest.*
3 *Præter licentiam adesse debet vtilitas monasterij saltem indirecta.*
4 *Religiosis Franciscanis dicta licentia concedi non potest.*
5 *Possunt religiosi (Franciscanis exceptis) esse vicarij Episcoporum.*
6 *Item iudices arbitri.*
7 *Item iudices assessores.*
8 *Item iudices delegati Episcoporum, at Pontificis, vel eius legati soli prælati.*
9 *Qui possunt esse iudices conseruatores.*

1. REligiosus forensis, & Ecclesiastici negotij iudex esse non potest,nisi licentia sui prælati, & vtilitate monasterij interueniente: sic expressè dicitur *cap.* 2. *Monachis el.* 2.ex Concil.Tarraconens.16.*quæst.* 1.ibi:nullus monachorum forensis negocij susceptor, vel executor existat, nisi quod monasterij exposcit vtilitas Abbate sibi nihilominus imperante Consonat.*cap.ex parte de postulando*, ibi, forensis, vel Ecclesiastici negotij. At ex omnibus qui ad iudicium concurrunt,nullus æqui forensis susceptor est, ac iudex. Ergo religiosus iudex esse non potest : sic tradunt *in dicto cap.ex parte.* Hostiens. Ioan. Andr. Abbas, Anton. Cardin. Ancharan. quos sequitur Sanch.*li.*6.*sum.*13.*n.*55.& 85.Ratio huius prohibitionis est;quia statum religiosum iudicialia dedecent,quippe quæ auocant mentem ab spiritualibus exercitiis, quibus religiosus vacare debet. Concessa vero licentia prælati,& vtilitate monasterij interueniente reparatur distractio,'quæ ex supradicta occupatione prouenire religioso potest.

2. Hanc licentiam concedere potest non solum Generalis prælatus,& prouincialis,sed localis,quia verè est superior, & textus supradicti solam Abbatis qui solet esse superior localis,licentiam expostularunt : sic aliis relatis docet Sanch.*lib.* 6.*summ.c.*13.*n.* 8. Excipe tamen, nisi generalis superior, vel prouincialis sibi cum facultatem reseruassent,vti in Societate Iesu 6.*p.constitut.cap.*3.§.7.*in declarat.lit. D.*Præposito Generali reseruata est:ac proinde nullus superior, qui ab eo potestatem non acceperit, nec dare priuato religioso facultatem iudicandi,nec sibi sumere potest.

3. Vltra licentiam adesse debet vtilitas monasterij quæ sufficit indirecta:qualis est, si monasterio prudenter iudicetur grauiter expedire annuere voluntati concedentis facultatem iudicandi,vel partes iudicandas gratas habere ex tali iudicio:si enim pro sola vtilitate directa monasterij consistente in propriis rebus,& iuribus petendis vel defendendis officium iudicis susci pi posset,non tam ex vtilitate, quàm necessitate susciperetur ; cum necessarium, & obligatorium sit religiosis iura sua defendere,& in iudicio petere,quando alia via haberi,vel conseruari non possunt:vt probat text. *in cap.*1.*& fin.de postulando.*Ergo vtilitas indirecta sufficit ad hoc officium exercendum:sic Abbas *dicto cap.ex parte de Postulando*, Nauarr. *comm.*2.*de Regular.n.*66.Salzedo *pract.ca.*63.*post princ.*Sanch. alios referens *lib.*6.*cap.*13.*n.*17.Laym.*lib.*4.*sum.tract.*5.*cap.*11. *num.*2.

4. A supradicta regula,& doctrina excipiuntur religiosi Franciscani, quibus ob eorum speciale institutum prohibita est quælibet in iure assistẽtia vti constat ex Clem.*exiui de paradiso,de verborũ significe.post medium ibi*:Nullo modo debent huiusmodi voti voti, & regulæ professores se talibus curis & litigiosis actibus immiscere:& paulo inferius:cum dicti ordinis professores pro nulla te temporali possint in iudicio experiri:Quapropter nec superioris licentiã, & vtilitate conuentus accedente officium iudicis hi religiosi valent suscipere;& tradit Sanch. *li.*6.*c.*13.*n.*11.65.66.81.94.*& alibi.*

Hinc deducitur, quoslibet Religiosos (exceptis Franciscanis)esse posse vicarios Episcopi ex licentia suorum prælatorum : quia in eo officio sumendo vtilitas monasterij cernitur non leuis,qualis est Episcopum habere proprium: & ita tenet Nauarr.*com.*2.*de Regularib.ad finem.vers. addito* 15. & *comm.* 4.*n.*15.& *lib.*3.*conf.*1 it.*de Regularib.consil.*65.aliàs 74.*n.*3.Man. Rodr.*t.*3.*quæst.Regularium q.*76.*art.vlt.*Sanch. *lib.*7.*sum.c.*13. *n.*88.Barbos.*alleg.*54.*n.*11.& alij plures apud ipsos. Quod limitandum est,ne procedãt in Religiosis mendicantibus transeuntibus ad non mendicantes, nam ij ab hoc officio excluduntur,Argument.*textus in Clement.*1.§.*ad prioratus de Regularib.*Sanch.*dicto c.*13.*n.*88.

6. Secundò deducitur, quemlibet Religiosum (exceptis Franciscanis)eligi posse in iudicem arbitrum,accedẽte tamen licentia Pælati,& monasterij vtilitate ,secus è contrà;quia est quasi iudex ex consensu partium iurisdictione accepta : sic pluribus firmat Sanch.*lib.* 6. *sum.c.* 13. *n.* 55. Layman. *lib.* 4. *sum.tract.*5.*c.*11.*n.*6.Arbitrator tamen esse potest etiam Franciscanus ex licentia Prælati ; tametsi nulla specialis monasterij cernatur vtilitas;quia in actibus extra iudicialibus, quale est officium arbitratoris nullibi expostulatur, sed sufficit generalis vtilitas exercendi pietatem : sic Sanch.& Layman. *suprà*. Dixi etiam Franciscanis, quia hæc compositio, & dissidentium conciliatio, cum sit absque iudicij strepitu alienum non est à Franciscano instituto, vt bene aliis relatis firmat Sanch. *dicto c.* 13.*n.* 66.Differunt autem arbiter,& arbitrator, quod ille constituitur à partibus,vt secundùm iuris ordinem procedat : Arbitrator verò, vt procedat tanquam amicabilis compositor. Quapropter hic potest pro bono pacis de iure vnius alteri applicare, secus arbiter colligitur ex *leg. si Societatem §. arbitrorum ff. pro socio & leg.regia* 23.*tit.* 4.*part.* 3. *& tradunt omnes.*

7. Tertiò deducitur Religiosum quemlibet (Franciscano excepto) esse posse iudicis assessorem ex licentia Prælati, & vtilitate monasterij interueniente,quia verè est actus spectans iudicium.Nam esto assessor iurisdictionem non habeat,neque sententiam ferat ; ordinat tamen illam, illique subscribit, & iuxta illius subscriptum iudex procedit Adesse ergo debet licentia Prælati,& vtilitas monasterij Sanch.*li.*6.*sum.c.*13.*n.*85.

8. Quartò deducitur,quid dicendum de iudice delegato? Et quidem si sit delegatus ab Episcopo, vel alio extrà Pontificem,eiusque legatum, poterit esse quilibet Religiosus(Franciscano excepto) stante Prælati licentia,& vtilitate monasterij;quia nullibi est prohibitum, secus aliqua ex his conditionibus deficiente;quia verè est iudex,iudiciumque exercet:Sic aliis relatis Sanch. *lib.*6.*sum.cap.*13.*n.*77.At delegatus Pontificis,vel eius legati solus superior,qui dignitatem cum administratione habet, esse potest, qualis est qui in eo Conuentu nullum alium superiorem habet:sic deciditur *in cap.statutum de rescript.in* 6.& *in Clement.* 2.*in fine,de rescript.* Neque in hac delegatione assumenda indiget superior alterius superioris licentia(iure communi spectato)quia verè est superior,neque item alia proprij monasterij vtilitate ab ea, quæ resultat ex acceptatione Pontificij rescripti, quæ est gratum habere Pontificem eius rescripta exequendo:sic Gloss.*in Clement.* 2. *de rescript.*verbo *per electionem*, Abbas,Cardinal.Ancharan.& Immola *ibi*,Sylvest. verbo *delegatus q.*2.*num.*3.& verbo,*Religio* 6.*quæst.*11.Sanch.*lib.*6.*sum.cap.*13.*n.*78.Layman.*lib.*4.*sum. tract.*5.*c.*11.*n.*7.

9. Quintò deducitur, quid dicendum sit de iudice conseruatore, qui à Pontifice designatur pro defensione miserabilium personarum,puta viduarum,pupillorum, senum, decrepitorum,& Religiosorum?Respondeo,spectato iure communi nullum Religiosum esse posse,qui dignitatem in Ecclesia Cathedrali habeat;quia ita cauetur *in cap.vltim.de officio delegat. lib.*6.limitans textum *in dicto cap.statutum*:in illo enim cap. statuitur conseruatores esse non posse,nisi Episcopos, aut eorum superiores, vel Abbates,seu dignitates,vel personatus in Ecclesiis Cathedralibus, seu collegaris obtinentes:Sic Man. Rodrig.*t.*1.*quæst.regularium q.*65.*art.*2.Mirand.Manual. *Prælat.tom.*2.*q.*47.*art.*2.Molin.*tom.*6.*de iustit.disp.*29.*num.*3.Barbos.*alleg.*106.*n.*8.Dixi spectato iure communi;nam si specialia priuilegia Societatis Iesv spectentur, quilibet superior regularis eligi potest in iudicem conseruatorem, vt constat ex Bulla Gregor. XIII. *edita anno* 1572.[cuius meminit Man. Rodrig.*t.*1.*quæst.Regul.q.*65.*art.*3. Sanch. *lib.* 6.*sum.cap.*13.*n.* *n.*79.Sed quidquid sit de his priuilegiis, & de decisione *cap. fin. de officio delegat.in* 6. standum est constitutioni Clem. VIII. *edita anno* 1592 & constitutioni Gregor. XV. *edita*

anno

anno 1621. quarum tenorem refert Barboſa *alleg.* 106. *in fine à n.* 53. quibus cauetur nullum alium conſeruatorem eligi poſſe à Regularibus, niſi qui qualitates habeat *in dicto cap. ſtatutum* præſcriptas, deſignatuſque iudex ſit in Synodo Prouinciali, vel diœceſana. Et ob hanc cauſam quærente Archiepiſcopo Turriano; an regulares vnius Conuentus, monaſterij, vel domus aliquem Priorem, ſeu Guardianum, vel quamuis alium quauis dignitate regulari fulgentem in ſuum conſeruatorem eligere, vel deputare poſſint? Sacra Cardinalium Congregatio reſpondit 6. Octob. anno 1617. non poſſe, teſte Barboſ. *alleg.* 102. *num.* 15.

§. II.

Qualiter Religioſo prohibitum eſt eſſe actorem, reum in iudicio.

SVMMARIVM.

1 *In cauſis ciuilibus nullus Religioſus eſſe poteſt nomine proprio actor, vel reus in iudicio.*
2 *In cauſis criminalibus intentare actionem Religioſus non poteſt, niſi de licentia ſaltem præſumpta ſuperioris.*
3 *Pro iniuria monacho facta non competit eius patri, aut filiis actio iniuriarum.*
4 *Expenduntur varia limitationes dictæ regulæ.*
5 *Quoties permittitur Religioſo agere, poteſt procuratorem eligere.*
6 *In ſupradictis caſibus debet monaſterium expenſas ſuppeditare ſi non habeat Religioſus peculium.*
7 *Item ſuperiori accuſato, vel denunciato expenſæ adminiſtrandæ ſunt.*
8 *Idem eſt cum ſuperior inquirit de defectibus ſubditorum.*

1. REgula certiſſima eſt, nullum Religioſum eſſe poſſe actorem, vel reum iudicio in cauſis ciuilibus. Quia cum omnia ſua bona, iura, & actiones in monaſterium tranſtulerit, non ipſe, ſed monaſterium petere, vel reſpondere debet. Nauarr. *comm.* 2. *de Regularib. numer.* 64. Sanch. *lib.* 6. *ſumm. cap.* 12. *num.* 1. Layman. lib. 4. ſumm. *tract.* 5. *cap.* 11. *initio*, & omnes Doctores *c. cum delicta, de reſcript.* & authent. *cauſa quæ fit cum monacho. Cod. de Epiſcop. & cleric.* Quod adeo verum eſt, vt etiam de contractu in ſæculo inito nec conuenire, nec conueniri poſſit; quia ipſe nihil habet, ſed monaſterium, vel illius Procurator conuenire, & conueniri debet; non tamen conueniendus eſt vltra bona à monacho accepta. Sic Felin. *cap.* cum Layman de ſentent. & re iudicata. Gregor. Lopez *leg. regia.* 10. *tit.* 2. *part.* 3. Nauarr. *com.* 2. *de Regularib. num.* 67. Azor. *tom.* 1. *inſtitut. moral. lib.* 11. *c.* 11. *q.* 12. Ex contractu tamen poſt profeſſionem initio abſque ſuperioris licentia monaſterium conueniri non poteſt, niſi quatenus inde locupletius factum fuerit, vt benè aduertit Sanchez *lib.* 6. ſumm. *cap.* 12. *num.* 2. Quia ſibi imputare debet, qui cum incapaci contraxit.

2. In cauſis verò criminalibus intentare Religioſus actionem non poteſt, niſi de licentia ſaltem præſumpta ſui ſuperioris, quæ cenſetur conceſſa ſuperiore abſente, nec procuratorem relinquente: Sic Nauarr. *comm.* 2. *de Regularib. n.* 29. & 64. Gregor. Lopez *leg.* 10. *tit.* 9. *part.* 6. Zabellos *quæſt. commun. quæſt.* 446. *num.* 14. Sanchez aliis relatis *cap.* 12. *n.* 5. Ratio eſt manifeſta; quia monachus ſui iuris non eſt, ſed Religionis? ac proinde non ipſe, ſed Religio actionem iniuriarum intentare debet, iuxta, *leg. ſed ſi vnius* §. *ait prætor ff. de iniuriis.* Quapropter remiſſio iniuriæ monacho factæ, non monacho, ſed Religioni competi, eamque facere poteſt etiam monacho inuito, vt benè probat Nauarr. *dicto comm.* 2. *de Regularib. num.* 64. Sanch. *dicto cap.* 12. *à num.* 6. Verum ſi monachus deliquerit, non Religio, ſed ipſe conueniendus eſt; quia ex delicto monachi non obligatur Religio; ſicuti nec dominus ex delicto ſerui, *leg. penul. Cod. de noxalib.* & tradit Felin. *cap.* cum Layman. *à n.* 10. *de ſentent. & re iudic.* Sanchez *cap.* 12. *n.* 3.

3. Ex his deducitur monacho vulnerato, vel interfecto non eius patri, aut filiis in ſæculo relictis, ſed monaſterio actionem iniuriarum competere. Quia non ipſis à quibus per profeſſionem ſeparatus erat, ſed monaſterio, cui erat vnitus & incorporatus, læſio facta eſt. Sic Tapia auth. *ingreſſi, de Sacroſ. Eccleſ. c.* 13. *n.* 46. Farinac. *praxi t.* 1. *qu.* 13. *n.* 26. Manual. *tom.* 2. *quæſt. regular. quæſt.* 42. *art.* 3. Sanch. *lib.* 6. *ſumm. cap.* 12. *num.* 40. *cum præcedenti*, ob eandem rationem, ſi monachi pater, vel filius in ſæculo relicti vulnerati, interfectique ſint, non monacho, nec ratione illius monaſterio actio iniuriarum competit; quia cum monachus tanquam mortuus reputetur, non ipſi cenſetur iniuria facta, cuius actionem monaſterium intentare poſſit. Farinac. *quæſt.* 13. *num.* 26. Quod ſi hæc vulneratio; vel interfectio patris vel filij ante profeſſionem monachi contigiſſet, cum monacho tunc competat actio iniuriarum, non eſt dubium monaſterio ſuccedenti in reliqua monachi bona eam actionem competere, ſicuti benè notauit Sanch. *dicto cap.* 12. *n.* 38.

4. Aliquas tamen exceptiones prædicta regula patitur, quibus Religioſus, actor, & reus eſſe poteſt tam in ciuilibus, quam in criminalibus abſque ſui Prælati licentia: ex licentia tamen à iure conceſſa. Primo ſi Religioſus beneficium habeat ſaltem manuale, quia eo tempore liberam habet beneficij adminiſtrationem, & ſui iuris eſſe reputatur; Ac proinde tùm in ciuilibus, tùm in criminalibus conuenire, & conueniri poteſt, vti docet aliis relatis Nauarr. *comm.* 2. *de Regularib. n.* 64. Sanch. *cap.* 12. *n.* 17. *Layman. cap.* 11. *n.* 1. Secundò ſi ex licentia Prælati ſit in ſtudio litterarum, vel in alio negotio, ageret, conueniri poteſt pro contractibus occaſione ſtudij, vel negotij celebratis. Itémque pro iniuria eo tempore accepta. Tacitè enim Prælatus ad hæc omnia vtpotè neceſſariò conſequentia licentiam conceſſit, cum Religioſum extra monaſterium & à ſe abſentem ſtare permiſit: Sic Nauarr. *comm.* 2. *de Regularib. n.* 29. & 65. Azor. 1. *part. inſtit. moral. lib.* 12. *cap.* 11. *qu.* 9. Sanch. *lib.* 6. *c.* 12. *n.* 14. Tertiò ſi ſuperior abſens ſit, præſumátque Religioſus licentiam conceſſurum, poteſt agere, & reſpondere; quia iam agit, & reſpondet ex præſumpta licentia Nauarr. Azor. Sanch. Layman *ſuprà* Quartò agere poteſt pro conſeruatione iuris ſibi ex profeſſione competentis, quale eſt ne iniuſtè è Religione expellatur, neve alimenta communia denegentur, neve præeminentiæ ferendi ſuffragium, ſedendi in choro, & ſimiles auferantur, ne beneficio ſæculari, perpetuò, imò nec manuali ex vindicta, malove animo ſpolietur. Quia horum defenſio iure naturali eſt conceſſa, cui Religioſus non cenſetur per profeſſionem renunciare; præcipuè cum hæc defenſio ſit aduerſus Prælatum iniuriam inferentem, à quo ſi petenda eſſet venia, indefenſus Religioſus maneret; quippè licentiam Prælatus non concederet, ne factum eius emendaretur: Sic Nauarr. *comm.* 2. *de Regularib. n.* 64. Azor. *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 12. *c.* 11. *q.* 9. Sanc. *lib.* 6. *c.* 12. *n.* 16. Quintò ob eandem rationem, ſi intentanda eſſet lis circa profeſſionis valorem, poterit agere abſque licentia Abbatis, cum aduersùs illum pro iure libertatis in hac cauſa procedat. Sanch. *c.* 12. *n.* 4. Sextò accuſare poterit Abbatem ob delictum commiſſum, ſi expedire iudicauerit; quia in ea accuſatione vtilitatem monaſterij gerit, cui maximè intereſt probum habere Prælatum: habetur expreſſe *cap. ex parte de accuſationib.* neque ad hanc accuſationem indiget licentia, vel venia Abbatis accuſati. Tùm quia à iure hæc licentia conceditur *dicto c. ex parte.* Tùm quia non expediebat eam licentiam ab accuſato petere, à quo non erat concedenda. Sic Sanch. *dicto lib.* 6. *c.* 12. *n.* 18. & 19. Layman. *lib.* 4. *ſum. tract.* 5. *c.* 11. *n.* 1. Alium autem præter Abbatem nequit Religioſus accuſare, vt traditur *dicto cap. ex parte de accuſationib.* niſi licentia ſuperioris, & vtilitas monaſterij accedat, iis enim conditionibus poſitis vtique accuſare poterit: Sic Gloſſa *dicto cap. ex parte*, & *ibi* Abbas *num.* 6. Felin. *n.* 2. *Hoſtienſ. num.* 1. Farinac. *praxi tit. de accuſat. qu.* 3. *num.* 24. Sanchez *cap.* 12. *num.* 19. 27. & *ſequent.* Idem quod dictum eſt de accuſatione, dicendum eſt de denunciatione iudiciali, quia hæc accuſationem imitatur, ſecus de denunciatione fraterna, & charitatiua tendente ad ſolam fratris correctionem, quam quilibet Religioſus de quocunque alio facere poteſt iuxta præceptum Chriſti, *Matth.* 18. Si te non audierit, dic Eccleſiæ, ſic Gloſſa, Felin. & Sanchez *locis allegatis.*

5. Aduertere tamen debes, poſſe Religioſum eligere Procuratorem, vt in iudicio compareat abſque vlla Abbatis licentia, quoties abſque illa ipſe vel agendo, vel ſe defendendo iudicio ſtare poteſt. Quia quæ poteſt præſtare per ſeipſum, à fortiori poterit per alium. Sic Gloſſa Clement. Religioſus de Procuratoribus verbo *conſtituere*, Nauarr. *com.* 2. *num.* 27. *de Regularib.* Sanch. plures referens *lib.* 6. *cap.* 12. *numer.* 32. vbi optimè addunt in hoc caſu formandum eſſe libellum nomine Religioſi, & in eius perſonam ſententia condemnatoria publicanda, ſi fortè Religioſus condemnandus eſſet. Idemque eſt in 4. & 5. caſu.

6. Sed inquires; an monaſterium debeat expenſas ad lites in prædictis caſibus Religioſos ſuppeditare? Reſpondeo debere, ſi Religioſus peculium non habeat. Et quidem quando accuſat Abbatem, vel ex licentia illius aliquem fratrem, cuius accuſatio in monaſterij vtilitatem cedit, ferè omnes Doctores affirmant expenſas à monaſterio miniſtrandas eſſe; quia eius negotium geritur: Sic Gloſſa *dicto cap. ex parte de accuſationib. in fine*, Abbas *n.* 9. Felin. *n.* 4. Henriquez *n.* 6. Sanchez *cap.* 12. *n.* 20. Layman. *cap.* 11. *n.* 1. At quando propriam cauſam defendit, non ſic apud Doctores receptum eſt. Nihilominus tamen vt probabilius eſt tenendum eſſe expenſas à monaſterio concedendas; tum ne Religioſus indefenſus maneat, tùm quia in monaſterij vtilitatem cedit ſaltem indirectè, ne Religioſum coactum habeat, neve eius iura læſa, & irreparata. Tùm denique quia inutilis eſſet facultas ſe defendendi, ſi medi[illegible] quibus ſe defendere poteſt, non ſuppeditantur;

colligitur ex Gloſſa *d.c.ex parte accuſat. in fine*, ex ratione ibi tradita, Ioann. Andr. *ibi*, Abbate *n.* 9. Felino *n.*4. & aliis.

Dixi ſi Religioſus peculium non habeat; nam eo habito æquum non eſt à monaſterio expenſas litis petere maximè ſi propriam cauſam ſequatur, quia eo ſine peculium conceditur, vt Religioſus ex illo ſibi neceſſaria ad caſus occurrentes prouideat; & monaſterij bonis parcat; Sic Abbas *dicto cap.ex parte n.*9. Felin.*n.*4. Suar. *de aliment.t.*1. *q.*121.*n.*1.Sanch.lib.6. *c.*12 *num.*21.

7. Superiori autem accuſato, vel denunciato, niſi peculium habeat expenſæ à monaſterio miniſtrandæ ſunt: ſicuti Religioſo accuſanti; quia in ea defenſione rem monaſterij gerit, cuius non leuiter intereſt ſuum caput conſeruare indemne, & illius gubernatione non priuari abſque cauſa. Gloſſa *dicto cap. ex parte* verbo *alia*, Abbas *ibi n.* 15. Ioan. Andr. *n.* 8. Anton. *n.*9. Surd. *de aliment. t.* 1. *quæſt.* 127. *n.* 1. Sanch. aliis relatis *cap.*12.*n.*24.

8. Cum verò ſuperior de defectibus ſui Religioſi inquirit; tam ipſi ſuperiori inquirenti, quam inquiſito expenſæ neceſſariæ à monaſterio miniſtrandæ ſunt, niſi aliunde habeat; quia ſuperior ea Inquiſitione non ſuum, ſed monaſterij negotium gerit, cui vtile eſt Religioſos delinquentes punire in aliorum exemplum. Subdito verò inquiſito; ne ob inopiam expenſarum ad ſe defendendum, & veritatem inueſtigandam condemnetur iniuſtè, ſic Felin. *dict. cap. ex parte fine.* Ancarran. *n.*7. Sanchez *dict.cap.*12.*n.*25.

§. III.

Quo ratione Religioſo prohibeatur officium Aduocati, Procuratoris, Tabellionis, & Teſtis.

SVMMARIVM.

1 *Officium Aduocati, & Procuratoris in iudicio interdicitur non accedente licentia Prælati, & monaſterij vtilitate.*
2. *Quæ licentia, & quæ vtilitas requiratur.*
3. *Eſſe Procuratorem extra iudicium per ſe non eſt interdictum.*
4. *Neque ad hæc officia indigent Religioſi licentia.*
5. *Cuiuſlibet cauſæ patrocinium in iudicio prohibetur, tametſi aliqui contrà ſentiant.*
6. *Interdicitur Religioſo procuratorem ſubſtituere.*
7. *Si Religioſus conſtituatur ſimplex nuncius ad conſtituendum procuratorem, licentia non indiget, eſto contrà ſentiat. Sanch.*
8. *Officium Tabellionis omnibus Religioſis eſt prohibitum: ſignare inſtrumenta, vel extendere quæ in protocollo ſunt ſuccinctè ſcripta optimè poſſunt.*
9. *Religioſus etiam Franciſcanus eſſe poteſt teſtis in iudicio, & in cauſa ſui conuentus.*
10. *Requiritur licentia Superioris, ſi depoſitio facienda eſt coram iudice non ſuo.*
11. *Extendunt aliqui, ſed immerito neceſſitatem huius licentiæ ad teſtimonium extra iudicium.*

1. MAnifeſtum eſt officium Aduocati, & Procuratoris in iudicio tam Eccleſiaſtico quam ſæculari Religioſis interdictum eſſe, niſi accedat licentia ſui ſuperioris, & vtilitas, monaſterij: acciditur expreſsè *cap. monachi diſt.* 2. 16. *quæſt.*1. *& cap.ex parte de poſtulando, & Clem. Religioſus de Procuratorib.* Ne his rebus forenſibus immixti à ſuo fine, & inſtituto auocentur. Poſita verò illa duplici conditione hoc inconueniens temperatur, & Religioſi ea officia exercere permittuntur, ſicuti diximus de officio iudicis §. 1. Ab hac tamen regula excipiendi ſunt fratres Minores, quibus ob nullam ſui monaſterij vtilitatem permittitur aduocare, vel procurare in iudicio. Clement. *exiui de verbor. ſignificat. poſt medium*, Sanch. *lib.6.ſummæ.c.*13.*n.*11.

2. Licentia ad hæc officia præſtanda, ſufficit tacita, vel præſumpta; quia eſt veré licentia. Debet tamen eſſe à Superiore potente illam Concedere, Spectato iure communi tam generalis, quam Prouincialis, & Conuentualis ſuperior eam concedere poteſt. At in Societate Præpoſito generali eſt hæc poteſtas reſeruata, vt latius §. Primo dixi: Vtilitas verò, vt ibidem notaui, ſufficit indirecta. Quapropter ex licentia ſuperioris poteris Aduocatus, vel Procurator conſtitui pro defenſione cuiuſlibet Religioſi tui Ordinis, etiamſi ex alieno monaſterio ſit, quia euidens vtilitas ſaltem indirecta tuæ Religionis in eo negotio cernitur. Secus verò eſt pro defenſione Relligioſi alterius Ordinis, quia vtilitas alienæ Religionis, ſi in propriæ Religionis vtilitatem non cedit, non præſtat ſufficientem cauſam hæc officia aſſumendi. Sic expreſsè Immola *Clement. Religioſus de Procuratoribus numer.* 8. *Felin. capit. cum* Layman. *numer.* 12. *de ſentent. & re iudic.* Fulvius Paceian. *conſ.* 162. *numer.* 196. Sanch. *lib. 6. ſum. capit.* 13. *numer.* 20. *&* 21. & colligitur manifeſtè ex ſupradicta *Clem. Religioſus.* Item pro defenſione Epiſcopi, vel patroni tui monaſterij, vel alicuius Dynaſtæ poteris ſupradicta officia ex licentia ſuperioris ſuſcipere; quia monaſterio non leuem vtilitatem confers, ſi has perſonas gratas, & obligatas reddas, ſic Felin. *ſuprà*, Pauian. *numer.* 190. Sanch. *numer.* 22. Item pro defenſione miſerabilium perſonarum, nempe viduarum, pupillorum, Religioſorum, egenorum, &c. poteris hæc munia ex licentia tui Prælati obire; quia harum perſonarum defenſio, & patrocinium eſt inſigne pietatis opus, ideoque non leuis reputatur vtilitas tuæ Religionis, & monaſterij tàm pio operi incumbere; ſic Nauarr. *com.* 2. *de Regularibus numer.* 66. Sayro claui regia *lib.* 12. *cap.* 22. *numer.* 5. Sanchez plures referens dicto *capit.* 13. *n.* 23. Item pro defenſione alicuius cauſæ tibi, aliiſque communis, poteris ex licentia Prælati procurator deſignari, vt deciditur manifeſtè, *dicta Clement. Religioſus*, & tradit ibi Gloſſa, Innocent. Hoſtienſ. Ioann. Andr. & alij. Pro defenſione verò cognatorum, niſi notabiliter egeant hæc officia ſuſcipienda non ſunt; quia non decet Religioſos cognatorum negociis implicari, ideoque non vtilitas; ſed damnum ex tali occupatione monaſterio accreſcit; ſic pluribus firmat Sanch. dicto lib. 6. ſum. *capit.*13.*num.*24.

3. Notanter dixi *in iudicio*, nam eſſe Aduocatum, vel Procuratorem extrà, non eſt per ſe prohibitum, cum expreſsè *dicti textus in cap. monachi capit. ex parte*, de procuratione, & aduocatione in iudicio loquantur vt optimè probat Sanchez *lib.6. ſum. cap.*13. *num.*37. Quocirca licitum eſt Religioſis etiam Franciſcanis (dum à ſuo ſuperiore non ſunt prohibiti) verbo, vel ſcripto rogare iudicem, vt fauorem præſtet litiganti; quantum, æquitas permiſerit, tum concedendo terminos, tum admittendo teſtes, tum in fauorem eius ſententiam pronunciando, etiamſi ad prædictum effectum iura partium alleget, quia ea allegare poteſt priuatim, & extra iudicium. Quæ allegatio, vt docet Bar. *leg.*1.§. *Aduocatos num.*2. 3. *&* 4. *ff. de variis, & extraordin. cognitionib.* & Abbas Rub. *de poſtulando num.*1. non eſt Aduocatio, vel procuratio, & ita tenet Bart. & Abbas *locis allegatis.* Sylueſt. verbo *Aduocatus quæſt.*1. Roſella, Angel. Tabiena *eodem initio.* Bernard. Diaz, *pract. canon. cap.*62. *numer.*2. Sanchez *lib.6.ſumm. cap.*13. *num.*32. *&* 37. *Layman. lib.*4 *ſum. tract.*5. *cap.*11.*n.*2.

4. Dixi, dum à ſuo ſuperiore non ſunt prohibiti, vt indè inſinuarem licentiam, facultatem ſuperioris ad aduocandum, vel procurandum extraiudicialia non eſſe per ſe requiſitam (tametſi contrarium ſentiàt. Sanchez *dicto cap.* 13. *num.*38. *Layman. cap.* 11. *num.*2.) Non enim video textum, quo hæc licentia expoſtuletur. Nam vt ipſemet Sanch. probat *numer.*37. omnes textus prohibentes aduocationem, & procurationem, de iudicialibus loquuntur; quia in his ſpecialis occaſio diſtractionis reperitur. Neque ex eo quod hæc licentia requiritur ad munus teſtamentarij ſuſcipiendum, & exequendum, inferendum eſt ad prædicta hæc officia requiri. Quia ex vno caſu ad alium non eſt extenſio in legibus facienda; præcipuè cum adeſt diuerſa ratio; quippè officium teſtamentarij iudicio vicinum eſt obligationem reddendi rationem. Et item multis curis, & obligationibus implicatum, tum vendendi bona defuncti, tum ſatisfaciendi creditoribus, tum exequendi legata, quæ in aduocatione, & procuratione extraiudiciali non procedunt.

5. Sed non modica eſt difficultas? an hæc prohibitio ita ſtricta ſit, vt neque in vna, vel altera cauſa liceat Religioſis aduocare, vel procurare in iudicio; Et eadem quæſtio eſt de officio iudicis. Negat *Angel.* verbo *Aduocatus numer.* 9. Nauarr. *comm.* 2. *de Regularibus num.* 66. Salzedo *pract. canon. capit.* 57. *&* 63. Sayro claui regia *lib. cap.* 22. *numer.* 5. & tenentur docere omnes illi, qui cenſent clericis non interdictum in vna, vel altera cauſa præcipuè non multum ardua & difficili procuratoris, & Aduocati munus ſuſcipere, ſed eſſe expoſitos ad quaſlibet cauſas ſuſcipiendas, quos referunt, & ſequuntur Felin. *cap. cum à numer.*12. *de ſentent. & re iudic.* Gregor. Lopez *leg.*5. *verbo otioſi, titul.* 5. *part.*3. Bernard. Diaz. *pract. canon. cap.* 57. *numer.*2. *&* *ibi* Salzedo. Mouentur, quia ſuſcipiens defendendam vnam, vel aliam cauſam non eſt abſolutè Aduocatus, vel procurator, neque in rigore Aduocati, vel procuratoris officium habet; hoc enim officium, vt conſtat ex communi modo loquendi vſum continuatum aduocandi, & procurandi expoſtulat. At textus in *cap. monachi* 16. *quæſt.* 1. *& cap.ex parte de poſtulando, & Clem.* 2. *de Procuratoribus* prohibent eam aduocationem, & procurationem, quæ verè aduocatum, & procuratorem conſtituit, & ratione cuius dici poteſt eam exercens officium Aduocati, & procuratoris habere. Ergo ſuſceptio vnius, vel alterius cauſæ breuiter expediendæ prohibita non eſt.

Nihilominus

Nihilominus verius censeo supradictis textibus cuislibet causæ patrocinium prohiberi. Nam in *cap. monachi, & cap. 2. de postulando* dicitur, ne vllus monachorum forensis, vel Ecclesiastici negotij susceptor, vel executor existat, nisi quod monasterij expoſcit vtilitas, & Abbas imperet suscipiendum. Et iuxta hos textus explicanda est. Clemen. *Religiosus, de Procuratorib.* dicens: Non potest sine sui superioris licentia procuratoris officium susci pere, id est non potest officium susci pere cuiuslibet causæ procurandæ; singularis enim causæ susceptio, & procuratio ibidem prohibetur, vt constat ex illis verbis immediatis, nisi pro suo in eadem lite consorte, sic Sylvest. verbo *Aduocatus quæst.* 7. Decius *cap.* 2. *numer.* 74. *de Iudic.* Sanch. *lib.* 6. *sum. cap.* 13. *num.* 34.

6. Rursus non solùm Religioso est prohibitum procuratoris munus susci pere absque licentia superioris, sed etiam procuratorem constituere, seu substituere, deciditur expresse Clement. *Religiosus de Procuratoribus* ibi ita non potest alium procuratorem constituere, seu substituere, etiamsi per constituentem hoc sibi expresse fuerit commissum. Prohibita enim Religioso procuratione, æquum erat prohiberi facultatem procurandi alteri communicare. Sed an requiratur ad hanc substitutionem faciendam vltra licentiam superioris vtilitas monasterij; non caret difficultate, sed placet sententia Sanchez *lib. 6. sum. cap.* 13. *num.* 12. negantis requiri, quia ex nullo textu colligi potest esse requisitam. Nam dicta Clem. *Religiosus* solius licentiæ mentionem fecit. Textus verò in *cap. monachi 16. quæst. 1. & cap. ex parte de postulando*, non de substitutione, sed de procuratione ab ipso Religioso exercita loquuntur. Quod si dicas, supradictam Clement. æquè prohibere hanc substitutionem, sicuti procurationem, vt constat ex illa coniunctione ita appositа in textu, quæ similitudinem subsequentium cum præcedentibus denotat, procurationisque susceptionem prohiberi cessante monasterij vtilitate: ergo eodem modo censendam esse prohibitam procurationis substitutionem; Facile respondetur, quia ex *dicta Clement. Religiosus* Procurationis susceptio solùm absque licentia prohibetur (tametsi ex aliis textibus cessante vtilitate monasterij prohibeatur) ideoque substitutio procuratoris, quæ solum ex dicta Clement. interdicitur censenda est solùm interdicta, si absque licentia fiat.

7. Sed quid si Religiosus non constituatur Procurator, sed simplex nuncius ad constituendum Procuratorem indigebit ne Religiosus ad hanc Constitutionem superioris licentia? Affirmat Sanch. lib. 6. sum. *cap.* 13. *n.* 14. *cum. Abbate*, Clem. *Religiosus in fine*; quia dicta Clement. indistinctè loquitur de Constitutione procuratoris, & quia Religiosus non habet velle, aut nolle. Sed oppositum verius censeo cum Bart. *leg. 1. §. item acquiremus num. vlt. ff. de acquirend. possess.* Quia eo casu Religiosus non constituit procuratorem, sed tantum nominat personam ab alio in procuratorem, constituendam. At Clement. de vera Constitutione, & substitutione loquitur. Ergo non comprehendit hanc dominationem. Neque obstat Religiosum non habere velle, aut nolle; id enim solum probat prohibere eam nominationem à suo superiore posse, quia non habet velle, aut nolle independens, at non probat ad omnem voluntatem superioris licentiam prærequiri.

8. Quod officium verò tabellionis constat manifestè omnibus Religiosis prohibitum esse; ac proinde nec possunt illud susci pere etiam ex superioris licentia, & susceptum tenentur deponere: constat manifestè ex *cap. sicut ne clerici, vel monach. & ex cap. vt officium inquisitionis §. verum de hæreticis in 6.* vbi tanquam quid speciale ob fauorem fidei conceditur Religioso, qui in sæculo fuerat Tabellio, tabellionis officium exercere: igitur ex nulla alia causa hoc officium assumi potest. Quia reputatur dedecens omnino Religiosum statum. Et ita docet Couarr. *pract. quæst. cap.* 19. *num.* 8. vers. *monachi* Sanch. *lib. 6. cap.* 13. *num.* 46. Layman. *lib. 4. summ. tract. 5. cap.* 11. *num.* 4. Cum hoc tamen stat; quod possit signare instrumenta, quæ in seculo confecerat, vel latius extendere, quæ in protocollo succinctè scripserat, Quia hæc scriptio, & signatura non est noui instrumenti confectio, sed præcedentis perfectio, & executio; ideóque retrorahitur ad tempus habile: sic docent aliis relatis Nauarr. *comm. 2. de Regularib. n.* 32. Couarru. *pract. cap.* 19. *n.* 8. Sanch. *cap.* 13. *num.* 49. Oportet tamen ad id licentiam à superiore expostulari, vt de honestate illius occupationis constet. Quam licentiam superior negare non debet, sed potius parte petente tenetur, concedere, & compellere Religiosum, si fortè renuat prædicta instrumenta conficere; ne pars, in cuius fauorem fuerunt quoad substantiam celebrata, cadat à iure quæsito: Sic Man. Rodrig. *tom. 3. quæst. regular. quæst.* 8. *artic. vltim.* Sanch. *lib. 6. sum. cap.* 13 *num.* 51.

9. Denique quoad testimonium ferendum constans est Doctorum sententia Religiosum etiam Franciscanum tàm in iudicio, quam extra testem esse posse: quia nullibi inuenitur prohibitum; imò potius rationabili causa existente conceditur *cap. nuper de testibus, & authent. de monachis. §. cogitandum, collocat.* 1. atque ita docent Abbas *ca. cum nuncius n.* 4. *de testib.* Iason. *dicta authent. ingressi n.* 20. Sylvest. verbo *testis q.* 1. *dicto* 1. Farinac. *de testib. quæst. 60. num.* 466. *& q.* 61. *num.* 126. Sanch. *lib. 5. summ. ca.* 13. *num.* 100. *&* 101. Quod adeo verum est, vt in qualibet causa suum conuentum spectante testis esse possit. Quia non ob inde infertur in propria causa testificari, siquidem causa communitatis distincta est ab ea, quæ singulas partes tangit. Quapropter scribi testis potest in testamento in quo eius Conuentus instituitur hæres, vel aliquid legatur, ortóque dubio de valore illius testamenti, potest testimonium ferre: Nam dum ipsi testi nihil specialiter legatum est, nullatenus dici potest in propria causa testificari; Sic pluribus firmat Farinac. *de testib. quæst. 60. n.* 463. Sanch. *lib. 6 sum. c. 13. n.* 102.

10. Exigi verò licentiam superioris ad præstandum testimonium coram iudice non suo est manifestum, quia nec decet, nec debet subditus alieno superiori se submittere absque proprij consensu. Sic Iason authent. *ingressi n.* 19. Abbas *cap. cum nuncius n. 4. de testib.* Felin. *ibi n.* 3. Sylvest. verbo *testis q.* 1. *dicto* 1. Sanch. plures referens *lib. 6. sum. cap.* 13. *n.* 103. Layman. *li. 4. tr. 5. c. 11. n.* 3. Hæc tamen licentia in causa criminali, vtpote à Religioso aliena concedi non debet, neque in ciuili, si testimonium vni fauens alteri nociturum est, vt expresse in Societate cauetur. *6. part. const. cap. 3. n. 7. in declarat. litt. E.*

11. Plures Doctores supradictæ licentiæ necessitatem extendunt ad testimonium extraiudiciale, dicuntque Religiosum permittere non posse se testem scribi in aliquo instrumento, nisi habita prius licentia à superiore. Tùm quia non est sui iuris, nec habet velle, & nolle. Tùm quia non decet Religiosum statum sæcularibus negociis ampliari. Eaque de causa Eugen. 2. *in cap. fin.* 14. *q* 2. dixit. Quamquam sacerdotum testimonium credibilius habetur, tamen ipsi in sæcularibus negociis pro testimoniis, aut conficiendis instrumentis non rogentur; quia eos in talibus rebus esse non conuenit; atque ita tradunt Farinac. *tract. de testib. q.* 61. *n.* 130. Laym. *lib. 4. summ. tract. 5. c. 11. n.* 3. Excipit tamen nisi causa pia, vel Conuentus in ipso instrumento, in quo Religiosus est testis instruerentur. Idem docent Faber. Mascard. Angel. Sanch. *dicto c.* 13. *n.* 105. Sed contrarium verius existimo, nulla esse opus licentia, vt Religiosus testis instrumentarius sit tam in testamento, quam in qualibet alia scriptura: sic pluribus firmat Greg. Lopez *leg. 9. tit. 1. part.* 6. verbo, *ni los sieruos, Burgos de Paz, leg.* 3. *tauri part.* 1. *n.* 467. *&* 408. Sanch. *n.* 106. Ratio est; quia nullibi interdicitur Religiosis instrumentarios testes esse. Nam *textus in c. quamquam* 14. *q.* 1. de testimonio iudiciali loquitur, vt expendenti constabit, & præterea non prohibet ipsis Religiosis, si rogati sint testimonium ferre, sed iudicibus interdicit, ne pro testimonio ferendo eos rogent, si aliunde veritas cognosci potest. Neque ex Generali obligatione, qua Religiosi tenentur à sæcularibus negociis abstinere infertur non posse in vno, vel alio instrumento testes esse rationabili aliqua causa intercedente; sed solum infertur, ne passim in qualibet scriptura testes assistant, neve in aliqua testimonium præstent, quin honesto fine ducantur. Extendendáque est conclusio Ad Religiosos Franciscanos, & Iesuitas, quibus suæ Religionis regulæ, constitutiones hoc testimonium præstare non interdicunt. Sic notauit Sanch. *de Franciscanis n.* 101. *& de Iesuitis n.* 106.

§. IV.

An supradicta officia Iudicis, Actoris, Rei, Aduocati, Procuratoris, tabellionis, & testis, pro quorum licito vsu licentiam Superioris diximus requiri nulla sint & irrita si absque licentia fiant?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur ratio dubitandi.*
2 *Communis sententia docet irrita esse. Specialiter id probatur de officio iudicis. Non caret difficultate hæc resolutio.*
3 *Officium actoris nullum est absque licentia in iis causis, pro quibus licentia requiritur.*
4 *Communis sententia defendit Religiosi procurationem nullam esse.*
5 *Contrarium est verius.*
6 *Officium tabellionatus à Religioso exercitum nullum esse plures firmant: contrarium probabilius est.*
7 *Idem est dicendum de testimonio in iudicio.*

1, RAtio dubitandi est; quia ex nullo iure constat supradicta officia absque superioris licentia præstita esse nulla. Nam Textus *in cap. Monachi 16. q.* 1. nullius irritationis mentionem fecit, sed solum prohibuit, ne vllus monacho-

chorum forenſis negocij ſuſceptor, vel executor exiſtat: quod clarius expreſſit *cap. ex parte de poſtulando*, dicens Religioſos non debere eſſe forenſis, vel Eccleſiaſtici negocij ſuſceptores. Quibus verbis debitum legale; & obligatio exprimitur, non irritatio actus, & licet in Clement. *Religioſus de Procuratorib.* dicatur Religioſum non poſſe ſine ſui ſuperioris licentia Procuratoris officium ſuſcipere; non inde infertur, ſi de facto ſuſcipiat, actum irritum eſſe, cum de potentia licita, & valida optimè hæc verba explicari poſſint, præcipuè cum ſic explicanda ſint de ſubſtitutione. Procuratoris in eodem textu eiſdem verbis habita. Neque obſtat Religioſum ſeruo comparari, cuius iudicium nullum eſt, quia etiam comparatur filiofamilias, cuius iudicium validum, tametſi patris conſenſus non acceſſerit; aliàs ſi ex comparatione ad ſeruum inferendum eſſet ſupradicta officia à Religioſo exercita nullius eſſe momẽti; dicendum eſſet neque ex licentia Prælati valida fore; ſi quidem ſeruus etiam ex licentia domini iudex eſſe non poteſt. Ergo ſupradicta officia à Religioſo ſine licentia Prælati præſtita valida ſunt, tametſi iniquè præſtentur, & ita tenet, pluribuſque relatis firmat Fuluius Pauian. *conſt. 162. à n. 72. & ſeqq.*

2. Nihilominus contrarium poſſet communis ſententia, quam expedit per partes explicare, vt inde conſtet quid tenendum ſit. Primò affirmat officium iudicis à Religioſo ſuceptum, ab eóque exercitum abſque ſui Prælati licentia nullum eſſe, ſic docuit Gloſſa *loquens de officio arbitri in leg.* Prædius 7. § *in ſeruum ff. de arbitris*, Sanch. *lib. 6. ſumm. c. 15. n. 69. & 97.* vbi loquitur de officio Vicarij. Layman. *lib. 4. ſum. cap. 11. n. 6. fine.* Mouentur exemplo ſerui, cuius arbitrium, & iudicium nullum eſt. Fateor inefficax eſſe argumentum ob ea quæ dixi in ratione dubitandi. Et præcipuè quia ex ſerui iudicio irritato non debes inferre iudicium Religioſi annullari, cum ſit diuerſa ratio. Serui enim iudicium annullatur, non quia ſeruus domino ſubiectus eſt; ſed quia vilis eſt. Quapropter cenſerem Religioſi iudicium validum eſſe: dum à Prælato non irritatur; poſſe autem Prælatum illud irritare, & annullare nemini eſſe poteſt dubium ob dominium, & poteſtatem, quam in eius voluntatem habet.

3. Quod munus actoris tenendum eſt inualidè à Religioſo præſtari ſine licentia Prælati in omnibus illis cauſis, quibus diximus licentiam requiri. Sic teſtatur ex omnium ſententia Nauarr. *com. 2. de Regul. num. 64.* Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 12. à n. 1.* Layman. *lib. 4. tract. 5. cap. 11. in princ.* Ratio ea eſt; quia Religioſus caret fundamento iudicij, cum nihil habeat proprium, omniáque ſua iura, & actiones Religionis ſint; ac proinde independenter à Religione inualidè petit, vel ab eo petitur. Et in hac parte veriſſimum eſt ſeruo, & filiofamilias comparari, qui nec agere, nec conueniri in iudicio poſſunt *leg. lis nulla, leg. vix ff. de iudiciis, leg. ſeruus, Cod. eodem tit.*

4. De officio Procuratoris, & aduocati communis eſt ſententia carere Religioſum poteſtate illud in iudicio exercendi abſque ſuperioris licentia. Quia non cenſetur legitima perſona, vt ibi nomine proprio, vel alieno aſſiſtat; ſicuti ſeruus, cui in hac parte comparandus videtur. Præterea; quia dicta Clement. *Religioſus*; loquens de Procuratoris officio Religioſus interdicto vtitur verbo *non poteſt*, quod inducit neceſſitatem, & actum contra geſtum reddit omnino nullum, vt tradit Gloſſa *regul. non poteſt. de Reg. iuris in 6.* Tiraquel. *poſt. leg. conubial. gloſſ. 4. n. 1.* Couarr. *cap. tua de teſtam. n. 1.* Gutierr. *leg. nemo. poteſt. n. 147. ff. de legat. 2.* Sanch. *lib. 6. de matr. diſp. 38 n. 20. in 3. argum.* atque ita tenent in propris terminis Abbas *cap. in noſtra, n. 9. de procuratorib.* Decius *cap. 2. à n. 78. de iudic. in 2. edit.* Cardin. *dicta Clement. Religioſus, num. 7. oppoſit. 11.* & *ibi* Immola. *n. 13.* Bonifa. *n. 26. & 27.* Layman. *lib. 4 ſum. tract. 5. c. 11. n. 2.* Hanc tamen ſententiam limitat Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 13. n. 41.* ne procedat in procuratione ex licentia ſuperioris ſuſcepta; tametſi abſque vtilitate monaſterij. Secundò ne procedat in officio aduocati, quod exiſtimat validum eſſe etiam abſque ſuperioris licentia. Quia *Clement. Religioſus*, cui hæc irritatio præcipuè nititur loquens de procuratione ſolius licentiæ mentionem fecit. De aduocatione verò nihil definiuit.

5. Cæterùm veriùs cenſeo; officium Aduocati & Procuratoris à Religioſo ſuſceptum ſine ſuperioris licentia validum eſſe, dum à ſuperiore non irritatur, vel à parte contraria excipitur; quia Religioſus iure naturali etiam ſuppoſita eius profeſſione non eſt inhabilis ad hæc officia, cum non agat nomine proprio, ſed alieno, nec iura propria, ſed aliena patrocinetur. Ex iure autem poſitiuo non apparet textus, ex quo hæc inhabilitas colligatur, vt expendimus in ratione dubitandi. Neque eſt verum verbum *non poteſt* ſemper inducere incapacitatem in actu, ſed ſolum quando ipſum actum afficit; vt ſi lex diceret: non poteſt talis actus eſſe. Secus verò quando perſonam operantem aliàs habilem afficit, vt in præſenti: Quod optimè confirmatur aduerſus Sanch. ex ſubſtitutione procuratoris abſque licentia facta, quem ipſe *dicto ca. 13. n. 15.* concedit valere; tùm ad extraiudicialia, tùm cum fit à Religioſo tanquam à ſimplice nuncio; eſto admittat omnem hanc ſubſtitutionem dictæ Clem. *Religioſus* prohiberi ſub verbo *non poteſt*. Adde, *in cap. 2. de teſtam in 6.* ſub verbo *non poteſt* prohibetur Religioſis eſſe teſtamentorum executores, & tamen ipſe Sanch. *c. 11. n. 44.* plures referens firmat validam eſſe executionem abſque ſuperioris licentia factam. Ergo ex verbo *non poteſt* non deſumitur efficax argumentum aſtruendi hanc irritationem. Dixi niſi à parte contraria excipiatur, nam ea exceptio legitima eſt, quamque iudex tenetur admittere, vtpote legi conformis; ac proinde ea facta cenſendus eſt Religioſus à iudiciali procuratione, & aduocatione iure ipſo repulſus, conſentit. Sanch. *lib. 6. ſum. c. 13. n. 42. cum.* Bellamera *cap. ex parte n. 2. de Poſtulando.*

6. De officio tabellionatus exercito à Religioſo docet Couarr. *pract. q. c. 19. n. 9. verſ. monachus* cum Decio *c. 2. num. 8. aliàs 78. de iudiciis*, inualidum eſſe inſtrumentum ſine licentia Abbatis confectum; quia eſt aduerſus legem relatam *in c. ſicut, Ne clerici, vel Monachi* prohibentem illius vſum. Cæterùm verius eſt, ea inſtrumenta confecta valida eſſe: quia nullus eſt textus irritans eorum valorem, nam textus, *in c. ſicut æqui* de clericis, ac monachis loquitur, nullumque ibi eſt verbum irrationem ſignificans. Et in clericis, qui ante clericatum tabelliones erant, plurimi doctores, quos refert, & ſequitur Couarr. *d. c. 19. n. 8.* verſ. *quod ſi ſacerdos.* Defendunt valida eſſe illorum inſtrumenta in clericatu confecta. Neque ex eo quod actus fiat contra legem inferendum eſt eſſe nullum, quia inſuper requiritur, vt fiat contra formam, & ſolemnitatem à lege præſcriptam, vti docui *tr. 3. de legib. diſp. 2. punct. 8.* atque ita ſuſtinent in præſenti Gregor. Lopez *leg. 28. tit. 11. p. 5.* verbo *contra nueſtra.* Sanch. *lib. 6 ſum. cap. 13. n. 48.* Layman *lib. 4. ſum. tract. 5. c. 11. n. 4.* Excipi tamen debet, niſi ſuperior interdiceret Religioſo tabellionatus vſum, & de hoc interdicto publicè conſtaret; quia hoc interdictum prohibitioni legis additum cenſetur eſſe actus irritatio, ne ſit fruſtaneum, & inutile: ſic loquens de clerico tradunt Abbas *eo cap. ſicut n. 11.* Anch. *n. 7.* Roſella verbo *tabellio. n. 7.* Sylueſt. *ibi, q. 3. dicto 5.* Couarr. alios referens, *pract. dicto c. 19. n. 8.* verſ. *quod ſi ſacerdos*, & in propriis terminis de Religioſo docent Sanch. & Layman *ſuprà.*

7. Denique quoad teſtimonium in iudicio ferendum, non non deſunt Doctores, qui ſentiant inualidum eſſe præſtitum à Religioſo ſine ſui ſuperioris licentia: Sic Angel. de Arecio inſtit. de iure perſonar. *in Rubr. n. 7. Angel. de Clauaſio ſum. verbo teſtis n. 4. inclinat. Felin. c. cum nuncius, n. 3. de teſtib. & atteſtationib.* Et probari poteſt; quia eo ipſo, quo Religioſus deponit abſque ſui ſuperioris facultate, deponit coram non iudice; quia comparatione illius iudex non eſt. Ergo illa depoſitio iudicialis valere non poteſt. Cæterum verius cenſeo validam eſſe depoſitionem; tametſi coram iudice incompetente; quia incompetentia iudicis depoſitionem non reddit nullam, vt ſupponit Couarr. *lib. 2. var. c. 13. n. 7. verſ. ex quo apud me*, ex alia parte nullus eſt textus hanc depoſitionem infirmans. Ergo valida erit tametſi illicitè facta: Sic Abbas *cap. cum nuncius n. 4. de deteſtib. & atteſtationib.* Farinac. *tr. de teſtib. q. 61. n. 154.* Layman. *lib. 4. tract. 5. c. 11. n. 3.* Sanch. *lib. 6. c. 13. n. 10.* & alij apud ipſos.

PVNCTVM XIII.

Quæ actiones extraiudiciales ſint Religioſis ſpecialiter interdictæ.

VAtiæ enumerantur à doctoribus: præcipuas, & frequentiores percurremus.

§. I.

De executione teſtamenti: ſeu vltimæ voluntatis.

SVMMARIVM.

1 *Suſceptio, executioque teſtamenti abſque licentia ſuperioris eſt Religioſo interdicta.*
2 *Poſita licentia prohibitio ceſſat.*
3 *Quilibet Prælatus etiam localis hanc licentiam concedere poteſt, niſi conſuetudine, vel Religionis conſtitutionibus aliter ſit præſcriptum, vt in Societate Ieſu.*
4 *Et licentia vti poſſunt ſuperiores ſecum.*
5 *Reuocari poteſt, antequam ſubditus ea vti incipiat, ſecus poſt.*
6 *Subditus petens licentiam à ſuperiore concedente retrocedere non poteſt.*
7 *Coram ordinario tenetur Religioſus teſtamentarius rationem reddere.*
8 *Acceptationem, & executionem teſtamenti ſine ſuperioris licentia plures cenſent inualidas eſſe. Verius eſt oppoſitum.*
9 *Limitatur, niſi ſuperior contradixerit, vel niſi in iudicio opponatur defectus licentiæ.*

10 *Negant*

10 *Negant plures officium commissarij sine licentia Prælati posse exerceri? Verius videtur oppositum.*

11 *Idem est dicendum de electione executorum; esto Sanch. contra teneat.*

12 *Idem de electione pauperum, cui Sanch. contradicit.*

13 *Consilium in testamento exequendo optimè potest Religiosus præbere sine licentia prælati, executores petere tenentur, esto non sequi, si testator præscripsit fieri executionem de consilio Religiosi.*

14 *Si testator præcipiat executoribus sequi Religiosi consilium; negat Sanch. obligationem petendi. Contrarium verius est.*

15 *Religiosus testamentarius potest bona in pauperes distribuenda sibi applicare.*

16 *Religiosis minoribus executio testamenti est omnino interdicta.*

17 *Neque ab hoc interdicto excusatur, etiamsi distributio inter ipsos Religiosos, vel Sancta Clara Moniales facienda sit.*

18 *Possunt esse Commissarij ex voluntate testatoris, & pauperum electores.*

1. PRima actio extraiudicialis prohibita Religiosis absque suorum superiorum licentia enumerari potest susceptio, & executio vltimæ voluntatis, sicuti deciditur *cap. Religiosus 2. de testam. in 6.* ibi. Religiosus executor ab aliquo in sua vltima voluntate deputatus, non potest (cum velle, vel nolle non habeat) huiusmodi officium susципere, vel exequi, nisi à superiore suo petita super hoc licentia, & obtenta. Idem traditur. Clem. *vnica de testam.* Ex quibus verbis manifestè constat Religiosum absque sui superioris licentia susципere non posse, neque post susceptionem exequi officium executoris vltimæ voluntatis, siue vltima voluntas fuerit declarata testamento, siue codicillo, siue donatione causa mortis, vel alio simili, Glossa *dicta Clem. vers. cuilibet, & ibi* Cardinal. *n.2.* Immol. *n.6.* Sanch. *lib.6. cap.11. n.2.*

2. Posita verò sui superioris licentia constat ex supradictis textibus Religiosis permitti tam quoad institutionem, & legata profana, quam pia; quia supradicti texrus indistinctè de cuiuslibet vltimæ voluntatis susceptione, & executione loquuntur. Præterquam quod satis pium est, quamcunque defuncti voluntatem licitam, & honestam exequi. Neque in huius officij executione, & susceptione opus est, vt aliqua specialis vtilitas monasterio proueniat; quia dicti textus illam non expostulant, sed solùm licentia Prælati contenti sunt, vt optimè aliis relatis aduertit Sanch. *lib.6. sum.c.11.n.8.& 9.*

3. Hanc licentiam quilibet Prælatus siue generalis, siue Prouincialis, siue localis suis subditis concedere potest; quia verè Prælatus est, & prædicti textus solius Prælati licentiæ absque vlla restrictione meminerunt, & ita tradunt Cardinal. *ea Clem. vnica n. 41. notabil. 5. ibi* Immol. *n. 9.* Bonif. *n. 52.* Sylvest. verbo *testam. 2. q. 1. concl. 2.* Molin. *de iustit. tom.1. disp.247. circa finem*, Sanch. aliis relatis *lib. 6. summ. cap.11. n.15.* Excipiendum tamen est, nisi consuetudine, aut statuto Religionis generali, vel Prouinciali hæc licentia reseruata sit, vti in societate IESV Generali præposito reseruatur. *6.part. Constit.cap.3. §.7.* Quia eo casu Prouincialis, vel localis Prælatus, Prælatus non est.

4. Hinc infertur superiorem potentem subditis supradictam licentiam concedere, sibi etiam concedere posse: quia commune est apud Doctores superiorem vti posse facultatibus, quas aliis communicare potest, ne deterioris conditionis suis subditis existat, quando in Religione contrarium statutum non est: sic Sylvest. *testam. 2. quæst. 2. concl.1.* Molin. *tom.4. disp.247. circa finem*, Man. Rodrig. *quæst. regul. tom.3. quæst.70. art.1.* Sanch. *lib.6. sum. cap.11. n.5.*

5. Ea verò licentia concessa, si subditus eâ vti non cœpit, poterit superior causa aliqua honesta ductus reuocare. Secus si subditus cœpit ea vti, quia per executionem cœptam hæres, & legatarij ius obtinuerunt, vt ad finem executio perducatur; ac proinde superior, qui eo casu licentiam datam subdito reuocaret, iniurius, & iniustus hæredi, & legatariis esset, ab illisque compelli posset in priori concessione perseuerare; sic aliis relatis docet Sanch. *lib.6. summ. cap.11. n.12.*

6. Adde, eo solum quod subditus ad acceptandum testamentarij officium licentiam petit, & superior concedit, retrocedere non debet, sed compelli poterit ad acceptandum, & exequendum. *Arg. cap. quidam de renunc.* vbi potens licentiam ad renunciandum, cogitur concessa licentia renunciare; quia illa petito accedente superioris consensu est tacita officij acceptatio: Sic Cardin. *dict. Clem. vnica de testam. n.11. q.4. & ibi* Immola *n.9.* Bonif. *n.37. & seqq.* Sanch. *lib.6. cap.11. n.13.*

Susceptum à Religioso officium executoris nequit monasterium loco Religiosi exequi; quia hoc ius personale est; quippe eligitur à testatore industria personæ: ac proinde non transit in monasterium: Sic sustinent Bart. *1. leg. in suis quæst. quæst.12. ad finem*, Immola *Clem. vnica n.24. de testam.* Sanch. *lib.6. sum. cap.11. num.21.*

7. Tenetur tamen Religiosus etiamsi exemptus sit coram ordinario rationem suæ executionis reddere, ipséque ordinarius obligatus est eam exigere, quia ita cauetur in *dict. Clem. vnica de testam.* Et licet Man. Rodrig. *tom.1 quæst. regul. q.70. art. vlt. cum Richard.* affirmet hoc esse intelligendum de Religiosis solam communem exemptionem habentibus, qui ratione contractus, vel delicti coram ordinario conueniri possunt, iuxta *cap.1. de Priuileg. in 6.* non autem de Religiosis ita plenè exemptis, vt ob illas causas coram ordinario non conueniantur, quales sunt modò omnes mendicantes, & eorum priuilegiis gaudentes, tenendum nihilominus est, omnes Religiosos cuiuscunque exemptionis sint in hac parte ordinariis subiici, nisi expressum priuilegium habeant, quo *dicta Clem.* derogetur, quia *Clement.* absolutè loquitur, & absque vlla distinctione; & ita sustinent absque prædicta distinctione; Molin. *tom.1. de iust. disp.247. circa finem*, Sanch. *lib.6. sum. cap.11. num.22.* Barbos. plures referens *alleg. 82. num.34. & alleg.185. num.50.*

8. Restant tamen aliquot difficultates enodandæ. Prima an Religiosus acceptans deputationem sui à testatore factam, illamque exequens absque superioris licentia valeat acceptatio, & executio? Negant plures valere, quia Textus *in cap. Religiosus de testam. in 6.* vtitur verbo *non potest.* quod videtur potentiam tollere, & actum contra gestum reddere nullum. Deinde illa acceptatio est contra legis prohibitionem, quæ regulariter reddit actum nullum, iuxta *leg. non dubium Cod. de legib.* Denique est acceptatio, & executio sine voluntate, cum sit absque voluntate Prælati. Nam cum Religiosus non habeat velle, vel nolle, dici non potest voluntatem habere, ergo est nulla, sic sustinet Couar. *cap. tua nos de testam. n 2. fine*, manuel. *quæst. regul. tom.1. quæst.65. art.3. disp.247. circa finem*, & alij relati & Sanch. *lib.6. summ.11. num.43.* Sed quamuis hæc sententia sit valdè probabilis (vt inquit Sanch.) probabiliorem existimo contrariam scilicet acceptationem deputationis, ipsiúsque executionem absque superioris licentia præstitam validam esse; eo quod in *dicto cap.2. de testam. in 6.* solum hæc susceptio, & executio prohibeatur, neque vlterius lex præcedat ad irritandum actum prohibitum; ideo enim diximus officium Procuratoris sine superioris licentia validè susципi, quia Textus *in cap. monachi 16. quæst.1. & Clem. Religiosus de procuratorib.* sola prohibitione contenti sunt absque addita irritatione. Cum ergo Textus *in cap. Religiosus* prohibitionem statuerit, quin irritationem addiderit, affirmandum est, actus gestos validos esse; tametsi illicitè præstentur. Exemplóque militis confirmari potest, cui prohibitum est esse procuratorem; si tamen à iudicio non repellitur, vellent gesta per eum, *leg. filius familias §. veterani ff. de procuratorib.* Atque ita docent post alios antiquiores Greg. Lopez *leg.2.* verbo Frayles *tit.10. part.6.* Menoch. *de præsumpt. lib.2. præsumpt.46. n.14.* Ador. *tom.1. lib.12. instit. moral. cap.11 quæst.1.* Marien. *lib.5. recop. tit.4. leg.14. gloss.1. n.4.* Sanch. pluribus relatis *lib.6. sum. cap.11. num.44.* Neque obstant contraria. Ad primum nego verbum *non potest* inducere nullitatem, quando prohibitio eo verbo significata non tàm factum ipsum, quam personam respicit, item quando spectat honestatem personæ, & sui status perfectionem, & non eius indignitatem, vt in præsenti contingit, prohibetur enim Religiosis esse testamentarios; non quia indigni sunt eo munere, sed potius quia illud munus eos non decet. Deinde quando actus prohibitus non cedit in commodum personarum, quibus fit prohibitio, sed aliorum, vt hìc euenit. Non cedit executio in commodum Religiosorum, sed in commodum hæredis & legatariorum, quibus non delinquentibus non oportebit actum executionis annullari. Ad secundum similiter negandum est actum contra legem prohibentem esse nullum, nisi deficiat in forma, vel solemnitate per legem præscripta. Ad tertium nego acceptationem, & executionem fieri sine voluntate, nam Religiosus esto non habeat velle, nolle à superiore independens; habet tamen velle, & nolle naturale proprium, & liberum, quod sufficit, vt valorem actui præstet.

9. Duplex limitatio huic doctrinæ apponitur. Prima ne procedat interueniente superioris contradictione. Nam eo ipso actus contrà gestus erit nullus; sic tenet Federic *const.293. ad finem*, Ludou. Roman. *singul.242. aliàs 245.* Matienzo *dicta leg.14.* Gloss. *1. n.4.* Sed Sanch. *d cap.11. n.45.* eos referens dicit esse intelligendum, si vltra prohibitionem decretum irritans superior addiderit; quia simplex prohibitio hominis non sat est ad irritandum actum, quandoquidem prohibitio iuris id non præstat; sicuti vt superior vota Religiosorum annullet, non sat est simpliciter prohibere ne emittantur, sed insuper decretum irritans addere debet. Sed credo in præsenti non esse necessarium hoc expressum decretum, sed in simplici prohibitione præsumendum est contineri. Nam cum iure ipso testamentarij officium Religiosis interdictum sit, quando superior supradictæ prohibitione suam prohibitionem annectit, ne frustanea sit, sed potius aliquid operetur, annullationem est præsumendus indicere. Secus contingit

ib votis, quorum emissio Religiosis interdicta non est. Secunda limitatio est, nisi in iudicio opponatur Religioso defectus legitimæ potestatis ad exequendum. Nam eo ipso superior tenetur eum ab executione remouere. Quod si non remoueat, ius ipsum consuetudine introductum eam negligentiam supplet, & ab executione remouet: Sic Ludouic. Roman. *consil.*409.*n.*6.Menoc. *lib.*2.*præsumpt.*46.*n.*14.Sanch. aliis relatis *lib.*6.*sum.cap.*11.*n.*46.

10. Secunda difficultas est; an Religiosus indigeat speciali superioris licentia, vt ex voluntate testatoris sit Commissarius ad condendum testamentum, ad eligendos executores, nominandas personas, quibus legata distribuenda sunt, præbendumque consilium ipsis executoribus, vt iuxta illud testamentum exequantur? Quod officium Commissarij Sanch *lib.* 6.*summ.c.*11.*n.*48.& Spino speculo testament.Gloss.28.*principali n.*32. & Matien.*lib.*5.*recopil. tit.*4.*leg.*6.*Gloss.*8.*fine*,verius existimant Prælati licentiam necessariã esse;æquiparant enim officium Commissarij, & executoris. Nam ideo executio testamenti Religiosis interdicitur, ne litigiis inuoluantur, neve curis sæcularibus implicentur, quæ ratio æquè videtur procedere in officio Commissarij. Cæterum probabilius credo Religiosum non indigere speciali licentia, vt ex voluntate testatoris Commissarius existat ad condendum testamentum,eo casu quo permittitur per commissarium condi; quia huius officij nulla in iure inuenitur expressa prohibitio. Tacita autẽ colligi non potest ex prohibitione officij executoris. Quia leges prohibitiuæ vtpotè odiosè extendendæ non sunt ad casum diuersum necdum similem. At condere testamentum longè diuersum est à testamenti conditi executione;quia illud est exprimere voluntatem testatoris, hoc voluntatem expressam ipsius testatoris exequi. Præterea ratio ob quam executio prohibetur, non procedit in Commissario ad condendum testamentum; ea enim fuit, ne Religiosus pecunias contractaret, ne litigia haberet in bonorum distributione, ne obligaretur iudicio stare ad reddendam executionis rationem.Quæ omnia in testamento condendo nullo modo procedunt,vt intuenti constare potest. Cum ergo nec expressè, nec tacitè esse Commissarium ad condendum testamentum inueniatur prohibitum,nulla opus erit superioris licentia.

11.De electione executorum à testatore Religioso commissa affirmat Sanch. *lib.*6.*sum. c.*11. *n.*41. opus esse superioris licentia;quia Religiosus non habet velle,aut nolle.Sed omnino contrarium scilicet nulla esse opus licentia verius existimo, quia hæc licentia ideo expostulanda necessario esset;quia electio executorum sit Religioso interdicta; at nullo textu id constare potest. Ergo expostulanda non est. Quod si dicas ex eo quòd Religioso interdicta est testamenti executio, interdictam esse executoris electionem, quia est pars testamenti exequendi: Facilè respondetur, esse partem complentem, & constituentem testamenti dispositionem; non autem esse partem executionis testamenti dispositi. At Textus *in cap. Religiosus de testament. in* 6. solùm interdicit Religiosus testamenti dispositi executionem; non verò illius constitutionem, & quæ ad executionem prærequiruntur. Adde si hæc electio executorum pars esset executionis testamenti, Religiosis Franciscanis omnino esset interdicta contra id quod ipsemet Sanch. *n.*32. firmat. Ergo non esset dicendum electionem executorum sub executione contineri. Neque obstat ratio contraria,quod Religiosus non habeat velle,vel nolle scilicet à superiore independens, quominus possit executorem eligere;quia ad hanc electionem sufficit habere velle, vel nolle à superiore dependens.Qualiter autem hæc electio executorum facienda sit, an inquam debeat necessario fieri vnius ex certis, qui possent exequi testamentum Commissario non eligente,generalis est quæstio tam Religiosis, quam sæcularibus. Vide optimè eam disputantem Tello Fernand. *leg.*31. Tauri *à n.*4. *& pluribus seqq.*

12. Quoad pauperum nominationem *idem* Sanch. *lib.* 6 *sum.c.*11. *n.* 34. existimat fieri non posse absque superioris licentia. Quia pertinet ad exequendam testatoris voluntatem. Testator enim relinquens aliqua bona inter pauperes, quos Religiosus elegerit distribuenda,impleri non potest Religioso non eligente:ergo eius electio necessaria est ad voluntatis defuncti executionem. Cæterùm verius censeo, nulla esse opus licentia ad hanc electionem faciendam, quia vt sæpè dictum est,nulla huius electionis adest prohibitio expressa.Sub interdicto autẽ exequendi testamẽtum non continetur; quia testator non disponit electionem faciendam,sed disponit pecuniæ distributionem electione facta. Ergo electio cum non sit ex dispositione testatoris præcepta, nulla ratione dici potest testamenti executio.Ergo nec tacitè, neque expressè est prohibita.Ergo nulla est opus licentia; atque ita sustinet Lambertin. *de iure patronat. lib.* 2. *p.*1. *q.* 2. *art.* 11. *n. vlt.* Neque obstat ratio contraria. Concedo exequi non posse voluntatem defuncti, non facta electione, essèque necessariam ad voluntatis defuncti executionem: nego tamen illius voluntatis executionem esse;quia defuncti voluntas non fuit de electione, sed de distributione facienda in personas electas; ac proinde electio prætequisita est ad executionem, sed nullo modo pars illius.

13. Difficilior quæstio est de consilio,& consensu,an præstari à Religioso possit nulla superioris petita licentia?Et quidem cum testator non astrinxit executorem ad sequendum Religiosi consilium, sed solùm ad illud petendum:credo nullo modo Religiosum indigere ea licentia; quia nullibi Religiosis dare consilium in executione testamentorum interdicitur,sed potius vt quid conueniens Religioni approbatur etiam in fratribus minoribus Clement.*exitui, de verbor.significat.* §. *proinde*,& ita tradit Azor.*tom.*1.*institut.moral.lib.*12.*cap.*11. *q.* 1.Sanch.*lib.*6.*sum.cap.*11.*n.*29.Executor autem testamenti,cui est mandatum à testatore prædictum consilium expostulare, tametsi non teneatur illud sequi, ita obligatur petere, vt eius petitionis omissio nullam reddat testamenti executionem; quia est defectus in forma substãtiali;qua posita poterat executio aliter fieri, quam facta est; Sic Glossa *vlt. in cap. non est de consuetud.lib.*6. Panormit.*in cap. ad Apostolicam de Regularib.*Bart.*leg.*1.§.*si plures n.*12.*ff.de exercitor. act.* Felin. *cap. penult.num.*1.*de constitut.*Matien.*lib.*5.*recop.tit.*4.*leg.*14.Gloss. 1.*n.*62.& alij ab ipso relati.

14. Verùm si testator præciperet sui testamenti executoribus consilium Religiosi sequi,affirmat plures referens Sanch. *lib.*6.*sum.c.*11.*num.*38.loquens de religiosis minoribus executorem deobligari ab eo consilio petendo; quia supradicti Religiosi incapaces sunt illius consilij præstandi; quia eo præstito exequuntur testamentum non per se, sed per alium, qui eorum consilium sequi tenetur.Idemque diceret Sanch.de aliorum Ordinum Religiosis,non posse inquam præstare hoc concilium absque superioris licentia, neque executores illud petere obligari,dum ea licentia non ponitur.

Cæterùm verius existimo, quemlibet Religiosum etiam Franciscanum supradictum consilium dare posse nulla superioris petita licentia,ipsosque executores obligatos esse illud petere,& sequi;sic docuit Bad.Rub.*Cod.de exercit. n.* 6. quem refert & sequitur Matien.*lib.*5.*recopilat.tit.*4.*leg.*14.Gloss.1.*n.* 62.*fine.* Ratio ea est; quia ex parte Religiosi idem omnino est consilium, quando executores obligati sunt illud sequi,ac quando non, totaque diuersitas ex parte executorum se tenet, non ex parte consulentis.Ergo si in vno casu possunt Religiosi nulla superioris petita licentia consilium dare,in altero etiam poterunt.Item executores testamenti non obligantur sequi prædictum consilium ex imperio consulentis,sed ex voluntate testatoris; ergo falsum est,consulentem exequi testamentum medio executore designato. Ad hoc enim necessarium erat, vt consulens suo consilio necessitaret, executores ad testamenti executionem. Præterea ipsemet Sanch. concedit non esse Franciscanis interdictum in vna, vel altera causa testamenti consilium ex obligatione sequendum præbere. Ergo neque etiam est interdictum in omnibus causis in testamento contentis; ideò enim illud consilium in vna,vel altera causa permitti potest; quia consulentem executorem testamenti etiam partialiter non constituit. Nam si verum executorem partis testamenti constitueret,sine dubio permitti non posset;sicuti non permittitur in vna,vel alia causa procuratorem iudicio existere;quia prohibitio generalis est, & quemlibet executorem, & procuratorem comprehendit. Sed eiusdem rationis est consilium dandum in omnibus causis testamenti, solaque differentia est penes magis, & minus, ergo æquè vtrumque consilium Religioso licet.

15. Tertia difficultas est, an Religiosus testamentarius ex licentia Prælati possit bona, & pecunias in pauperes ex voluntate testatoris distribuenda sibimet tanquam pauperi applicare?Et quæstio procedit casu quo vera esset sententia negans hanc potestatem cuilibet alteri executori;quæ sententia non leuem difficultatem continet: sed ea gratis supposita, videtur idem de Religioso executore dicendum:ideo enim ea sententia negat executori potestatem sibi ea bona applicandi,tametsi pauper sit; quia ex voluntate testatoris præsumitur exclusus; siquidem mandat executori bona sua distribuere,non tamen ea retinere; si enim vellet sub pauperibus, inter quos distributio facienda est executorem contineri, non ea forma disponeret,sed hac: Executor ea bona, quæ sibi non retinuerit in pauperes distribuat. Cum ergo in contrarium disposuerit,scilicet vt omnia in pauperes distribuantur;effici videtur, executorem pauperem non posse sibi aliqua ex his retinere. At idem videtur dicendum in Religioso executore; ergo nequit Religiosus executor ea sibi applicare; & ita sustinet Sylvest. *verbo testamentum* 2. *q.*2. *dicto* 5. Man. Rodrig. *qq. regular. tom.*3. *q.*70. *art.* 4. Cæterùm tenendum est eam applicari posse; quia non applicat sibi, sed Religioni, tametsi Religio illorum vsum ei concedat. Sic Sanch.*lib.*6.*sum. c.*11.*n.*61.

16. Quarta difficultas est de Religiosis Minoribus,qualiter supradicta munia executoris, commissarij, consiliarij, &c. interdicantur? Nulla est dubitatio munus executoris etiam

in

in qualibet minima causa esse his fratribus interdictum itavt nullus suæ Religionis superior possit eis licentiam concedere: colligitur manifestè ex Clem. *exiui de verb signif.* §. *proinde*, & tradunt omnes. Quod verum habet, dum ij fratres regulari obseruantiæ subiiciuntur, secus si ab ea eximuntur ob Episcopatum, vel beneficium assumptum; quia eo casu cum contrectare pecuniam possint, & litibus subortis respondere in iudicio, nulla est causa, ob quam ab hoc munere suscipiendo repellantur; sic Sanch. *lib. 6. sum. c. 11. n. 26.* cum Cardin. *Clem. vnic. n. 5. notab. 7. de testam. & ibi* Bonifac. *n 64.*

17. Et quamuis Man. Rodrig. *tom. 3. qq. reg. q. 70. art. 2. ad finem*, & clarius *art. 3. in fine*, & alij relati à Sanch. *n. 27.* censeant Minores executores esse posse testamenti ex Prælati licentia, si distributio inter fratres Minores, vel moniales Sanctæ Claræ facienda sit, eo quod in hac executione non videantur rationes relatæ *in dicta Clem.* procedere. At contrarium tenendum omnino est cum Sanch. *ibi.* Tùm quia *Clem.* generaliter loquitur absque vllà restrictione. Tùm quia rationes relatæ *in dict. Clem.* in hoc casu procedunt, si quidem hac occasione cõtrectatione, administratioñeque pecuniæ inuoluuntur, tum relicta à defuncto fratribus applicando, tum recipiendo quæ ex bonis venditis proueuit. Et præterea rationibus reddendis subiiciuntur, exponunturque sæpè in iudicio se sistere ad lites subortas decidendas. Non igitur his fratribus executio testamenti etiam in fauorem suorum conuentuum facti permittitur. Quod si fratres contra dictam prohibitionem munus executoris suscipiant, & exequantur, valida est eorum susceptio, & executio, dum in iudicio non excipiuntur, sicuti de aliis Religiosis hæc officia, susciptiẽtibus absque Prælati licentia diximus. Quia *dicta Clem.* solùm prohibitionem continet, neque vlterius procedit ad actum irritandum: Sic relato Federico, & Ludou. Rom. docent Greg. Lopez *leg. 2.* verbo Frayles *tit. 10. p. 6.* Matien. *lib. 5. recopil. tit. 4 lig. 14.* Gloss. *1. n. 4.* Menoch. *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 46. n. 14.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 11. n. 44.* & alij apud ipsos.

18. Verùm etsi hoc ita sit, permitti debet his fratribus, sicut & aliis Religiosis esse Commissarios ex voluntate testatoris ad condendum testamentum; quia pro hac commissione nulla est eis specialis prohibitio. Neque rationes, quibus nititur *Clem.* prohibens testamenti executionem in hac commissione procedunt. Siquidem in ea non correctatur pecunia, non venduntur bona, non exiguntur rationes, non litigia passim suboriuntur, sicuti ex testamentorum executione proueniunt. Ob quas rationes idem existimo dicendum de nominatione executorum his fratribus cõmissæ, posse inquam eam exequi, sicuti alij Religiosi: Quia nec inuenio pro hac nominatione specialem prohibitionem, neque rationes contrectationis pecuniæ, & litigij in ea locum habent. Neque obstat posse hos fratres nominare amicum, qui ipsis legata pia in pauperes distribuenda applicet; quia id est per accidens: atque ita sustinent Couarr. *cap. tua nos de testam. n. 1. fine*, Matien. *lib. 5. recop. tit. 4 leg. 14.* Gloss. *1. n. 3.* Man. Rodr. *tom. 3. qq. regul. q. 70. art. 2.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 11. n. 41.* De electione pauperum, quibus legata pia distribuenda sunt, quamuis plures Doctores, quos refert Sanch. *dict. cap. 11. n. 31.* sentiant his fratribus interdici; quia testator committens fratribus hanc electionem, cui executores adhærere debent, videtur eos suæ dispositionis executores facere non immediatè, sed mediis executoribus. At probabilius est nullam huius electionis prohibitionem habere; quia hæc electio non est dispositiõnis testatoris executio, sed conditio, vt dispositio testatoris locum habeat, neque eligens pauperes, cogit executores illis bona distribuere, quod necessarium erat, vt saltem immediatè dispositioñe testatoris exequeretur, sed executores ex voluntate testatoris coguntur posita electione tanquam conditione: Sic Couarr. *cap. tua nos de testam. n. 1. fine.* Greg. Lopez *leg. 2.* verbo Frayles *tit. 10. part. 6.* Matien. *lib. 5. recop. leg. 14.* Gloss. *1. n. tit. 4.* Man. Rodr. *tom. 3. qq. reg. q. 70. art. 2.* Sanch. plures alios referens *lib. 6. sum. c. 11. n. 32.* Quoad consilium vero siue ex obligatione ab executoribus testamenti sequendum sit siue non; credo fratribus Minoribus permitti, sicut & aliis Religiosis; quia cõsiliarius non est obligatus rationes distributionis reddere, nec litibus subortis ex distributione respondere, quia non est executor, & tradit Matien. *d. leg. 14.* Gloss. *1. num. 62.*

§. II.

De officio Medici, & Chirurgi.

SVMMARIVM.

1 *Officium Medici, & Chirurgi cum incisione vel adustione est Religiosis prohibitum.*
2 *Proponitur citrà incisionem, vel adustionem hoc officium Religiosis licere.*
3 *Contrarium tenendum est.*
4 *Religiosus supradictum officium exercens citrà mortis periculum causa pietatis non peccat.*
5 *Quid possit ex Societatis Iesu priuilegiis præstare medicus Religiosus.*

1. NOn est dubium, officium Chirurgi cum incisione, vel adustione esse Religiosis prohibitum, vt colligitur ex *cap. de Homicidio*, vbi deciditur esse irregularem monachum Chirurgia cum incisione vtentẽ secuta morte, quamuis summam diligentiam apposuerit in ea euitanda; quia exercebat artem prohibitam. Neque ab ea culpa excusatur, tametsi ex causa pietatis exerceat, vt benè notauit Abbas *dict. cap. tua n. 5.* Antonin. *n. 4.* Socin. *n. 5.* Eandem prohibitionem habent clerici in sacris constituti, vt constat ex *cap. sententiam sanguinis ne Clerici, vel Monachi*, imò & constituti in Minoribus si beneficium sufficiens ad victum habeant; quia esto his non sit aliquis expressus textus prædictum officium prohibens; at apud Doctores receptum est, interdicta clericis in sacris, censeri his beneficiatis interdicta, sicuti docuit Nauar. *summ. cap. 25. n. 110. & com. 4 de regul. n. 28.* Sanch. *lib. 6 summ. cap. 14. n. 14.* Emanuel Sà verbo *clericus num. 2.*

2. Difficultas igitur est, an liceat Religiosis (& idem est de clericis in sacris, vel in Minoribus sufficiens beneficium habentibus) officium Medici, & Chirurgi citrà incisionem, vel adustionem exercere? Videtur licere; quia citrà incisionem, vel adustionem nullus est textus, quo huius officij exercitium prohibeatur; imò potius permissum censetur *in cap. ad aures de ætate, & qualit.* vbi excusatur ab irregularitate Canonicus illud exercens, tametsi infirmus mortuus fuerit, qui certè non excusaretur, si opus prohibitum exerceret, quia esset excusatio contra decisionem Textus *in cap. tua nos de Homicidio.* Neque ex eo quod *in cap. non magnoperè, & in cap. fin. Ne Clerici vel Monach.* arceantur supradicti ab studio Medicinæ, quæ ibi vocatur Physica, inferendum est illius exercitium prohiberi. Tùm quia exercitium diuersum est ab studio. Tùm quia non propter exercitium prohibetur studium, aliàs prohibitum esset legum exercitium, quarum studium eodem modo ibi, ac studium medicinæ prohibetur, sed illarum scientiarum studia clericis, & Religiosis interdicuntur, vt studium Theologiæ, & sacrorum Canonum promoueatur. Nulla igitur est clericis, & Religiosis de exercitio Medicinæ, & Chirurgiæ citrà incisionem, & adustionem prohibitio. Et ita videtur tenere Emanuel Sà verbo *clericus n. 20.*

3. Cæterum tenenda est communis sententia, huius officij exercitium esse clericis, & Religiosis interdictum ex *cap. Clerici 2. de vita & honest. Clericor. & ex cap. 1. & seqq. Ne Clerici, vel Monachi*; quibus textibus generaliter clericis, & monachis interdicuntur sæcularia officia. At hoc officium Medici, & Chirurgi etiam citrà incisionem, & adustionem nimis sæculare est, & statum Religiosum dedecẽs. Ergo ex hac parte prohibitum censetur, atque ita docent Syluest. verbo *medicus quæst. 2.* Rosella *ibi in fine*, Angel. *n. 11.* Armilla. *n. 4.* Nauar. *c. 15. n. 110.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 14. n. 18.* Hinc soluitur ratio dubitandi. Concedo nullum esse textum, quo exercitium Medicinæ, vel Chirurgiæ citra incisionem, vel adustionem prohibeatur specialiter, & expresè nego tamen non esse textum, quo sub generalibus verbis prohibitum non sit. Ad textum in *cap. ad aures* dic verum esse hoc officium non esse clericis, & Religiosis prohibitum ob periculum mortis, sicuti est prohibitum, cum exercetur per incisionem, vel adustionem, sed ob indecentiam; eâque de causa non inducit irregularitatem morte sequuta, si debita diligentia apposita est, illam verò inducit, cum per incisionem, vel adustionem exercetur.

4. Ex his deducitur Religiosum, & sacerdotem à peccato liberari, si hoc officium citrà mortis periculum exerceant causa pietatis, ac proinde gratis circa personas miserabiles, vel cognatas; quia sic exercitum non est officium sæculare statum Ecclesiasticum, & Religiosum dedecens, sed potius illi conforme: sic Nauarr. Angel. Syluest. Rosell. Armilla *locis citatis*, & Sanch. *n. 19.* Sà verbo *clericus n. 20.*

5. Obseruandum tamen est cum eodem Sanch. *n. 20.* in Societate IESV esse priuilegium à Gregor. XIII. concessum, quodque refertur *in compend. priuil. verbo medicus*, Religiosis Societatis IESV medicinæ arte peritis conceditur posse domesticos, & externos mederi ex licentia superioris etiam localis, quando commodè sæcularis medicus haberi non potest, & dummodo per seipsos adustionem, vel combustionem non præstent.

§. III.

De negociatione Religiosis interdicta.

SVMMARIVM.

1 *Negociatio propria Religiosis est interdicta.*
2 *Qualis sit hæc negociatio.*

3. *Inferuntur plura, quæ à negotiatione excuſantur.*
4. *Quæ conductio ſit Religioſo prohibita.*
5. *Examinatur, an emere merces in India in Hiſpania vendendas, eo quod priuilegium ſit à Rege conceſſum, ſit negotiatio? Proponitur dubitandi ratio, & reſoluitur eſſe negotiationem.*
6. *Ex vnico actu grauis negotiationis peccatum mortale inducitur; tametſi plures contrarium ſentiant.*
7. *Non ſolùm per propriam, ſed per interpoſitam perſonam negotiatio eſt prohibita ſecundùm probabiliorẽ ſententiam.*
8. *Neceſſitas grauis propriæ perſonæ, & familiæ licitam facit negotiationem.*
9. *Aſſiſtere nundinis prohibitum eſt Religioſis.*

1. CErtum eſt negotiationem propriam eſſe Religioſis, & Clericis in ſacris interdictam: conſtat *ex cap. conſequens, cap. negotiatorum, cap. fornicari* 88. *diſt. & cap. fin. de vita, honeſt. clericor.* vbi bona clerici ter moniti, neque à negotiatione deſiſtentis amittunt priuilegium clericale. Idem traditur *Clement. 1. de vita & honeſtate clericor.* & *in cap. ſecundum ne Clerici, vel Monach.* ſub anathematis interminatione prohibetur clericis, & monachis lucri cauſa negotiatio, & tradunt omnes Doctores referendi.

2. Negotiatio propria, quæ his decretis prohibetur eſt emptio alicuius rei eo animo facta, vt integram, & immutatam carius vendas, & ſic lucris: Sic D. Chryſ. *hom. 38. in Matth.* relatus in *c. eiiciens* 88. *diſt.* quem ſequuntur omnes Doctores cum D. Th. 2. 2. *q. 77. art. 4. ad argum.* Molin. *t. 2. de iuſtit. diſp. 339.* Rebell. de obligation. *2. p. q. vlt. ſect. 1.* Tolet. de ſeptem peccat. *c. 53.* Quapropter duplex conditio ad negotiationem interdictam requiſita eſt, prima vt emptio fiat animo rem emptã vendendi, ſecunda animo vendendi rem integram.

3. Ex quo fit ſi rem emas, vt conſumas, poſtea verò quia ſuperfluit, vel illius pretium creuit, poteris vendere carius quàm emiſti ſperans vilius poſtea ſimilem emporum. Non enim in hac venditione eſt negotiatio, cum non præſupponat emptionem ob finem venditionis factam, ſed eſt quædam domeſtica gubernatio ſatis prudens: ſic ex communi ſententia tradit Molin. *t. 2. de iuſtit. diſp. 342. concl. 2.* Sà verbo *clericus n. 23.* Zenedo *collect. 37. ad c. principes p. 23. q. 5. n. 21.* Salas *tr. de empt. & vendit. dub. 2. n. 9.* optimè Gutierr. *pract. qq. lib. 7. q. 93. n. 17. & ſeqq.* Deinde poteris materiam aliquam emere, vt inde artefactum conficias, & vendas, quia non emis animo vendendi; ſed animo artefactum conficiendi, neque vendis rem qualiter emiſti, ſed tua induſtria aliter factam, exemplo antiquorum Religioſorum, qui fortè emebant materiam, ex qua ſportas ſtoreas conficiebant vendendas in ſui ſuſtentationem. Sic Molin. *dicta diſp. 242. concl. 5.* Salas *dub. 2. n. 9.* multis alleg. Gutierr. *pract. qq. lib. 7. q. 93. n. 48. & ſeqq.* At idem eſt ſi mulam, vel equum rudem emas, vt cultiorem vendas, quia viris potius tuam induſtriã, quam rem emptam vendere. Gutier. 51. cum. Laſſarte de decimis *c. 19. n. 55.* Item poteris emere animalia in tuis agris paſcenda, vt cum creuerint, vel partus ediderint, illa illorumque fructus vendas, quia non tam emis vendenda, quam paſcenda. Sic Molin. & Salas *ſuprà.* Prætereà poteris emere agrum etiam fructibus maturis plenum, vt inde tibi, tuæque familiæ prouideas, & ſi quid ſuperfluerit, vendas; quia non emis fructus vendendos, ſed emis agrum, ex quo fructus colligas tanquam ex propria prædio emptione comparato. Sic Molin. *dicta diſp. 242. verſ. illud etiam*, tametſi contrarium in hoc caſu non improbabiliter defendat Laſſarte de decim. *c. 9. n. 60. & 77.* Gutierr. *dicta q. 93. n. 66.*

4. Affinis negotiationi prohibitæ eſt conductio, quæ clericis in ſacris, & Religioſis interdicitur, expreſsè, *c. 1. & 3. 21. qu. 3. & c. 1. Ne Clerici, vel Monachi.* Sed non quælibet conductio hæc prohibitione continetur, nam ſi conducas agros, vt per te, tuoſque colonas colas in tui ſuſtentationem, non peccas. Item ſi proprios agros aliis conducas, vt tenent Doctores omnes: illa ergo conductio eſt prohibita, quæ ſupponit emptionem eo fine conductionis factam, vt ſi emeres prædia, vel animalia ad conducendum, vel eſt conductio ſpectans venditionem ſubſequendam, vt ſi conduceres agros colendos non in tui ſuſtentationem, ſed ad vendendos fructus, & inde lucrum comparandum. Quocirca infert Molin. *dicta diſp. 342. verſ. ſecundùm eſt*, cum Laſſarte *de Decimis c. 19. à n. 56.* eſſe Eccleſiaſticis, & Religioſis interdictum vuas emere, vt vinum per conductos miniſtros vendant. Idem eſt, ſi lanam emas, vt pannos artificiis conductis confectos vendas, conſentit Gutier. *lib. 7. pract. q. 93. n. 42. & 53.* Quinimo ex lana propriorum animalium conficere pannos per conductos miniſtros ad vendendum, genus eſt prohibitæ negotiationis, gabellaque inde debetur, vti ex probabiliori ſententia defendit Molin. *dicta diſp. 342. verſ. idem dicerem*, Gutier. *pract. qq. vbi de gabellis lib. 7. q. 93. n. 38. & ſeqq.*

5. Supereſt tamen quadruplex enodanda difficultas. Prima; an ſit negotiatio prohibita, ſi alicui Religioni eſſet à Rege priuilegium conceſſum aſportandi merces ex India in Hiſpania vendendas abſque obligatione ſoluendi gabellam, ſi de facto illa Religio merces emat in Hiſpania vendendas eo fine, vt priuilegio conceſſo fruatur, & lucrum comparet? Fortè videtur alicui hanc negotiationem permiſſam eſſe; quis illæ merces non tam emuntur, vt vendantur, quam vt earum venditione priuilegium conceſſum non ſoluendi gabellam vtile ſit, & proficuum. Sicuti cum oues, & boues emuntur paſcendæ in propriis montibus iterumque vendendæ. Sed nullatenus hæc ſententia eſt probabilis, quia illa eſt vera emptio mercium eo fine facta, vt immutatæ vendantur, & lucrum, tum ex venditione, tùm ex non ſoluta gabella comparetur. Ergo eſt vera negotiatio. Neque eſt ſimile de emptione animalium paſcendorum in propriis montibus, quia non emit immediatè, vt vendat, ſed vt paſcat, at illæ merces ad nullum alium finem immeditè emuntur, niſi vt vendantur. Item habens prædia, emenſque boues, & oues ibi paſcendas, antecedenter ad emptionem habet rem fructiferam, cuius fructus ne perdantur poteſt animalia emere ibi paſcenda. At illud priuilegiũ Regis non ſoluendi alcabalam ex rebus vendentis non eſt fructiferum, nec pretio æſtimabile antecedenter ad negotiationem, ſed tota eius æſtimatio fundatur in negotiatione, quæ cum ſit omnino illicita Religioſis, etiam illicitè poterunt tali priuilegio vti, neque capaces ſunt talis gratiæ ad vſum proprium, ſed ſolùm vt in ſæculares laïcos trãsferant. Neque hæc negotiatio honeſtari poteſt ex eo quod ordinetur ad finem maximè ſpiritualem, qualis eſt ſuſtentare in Hiſpania plures miniſtros Euangelicos in indiam mittendos, nam ſi hic finis honeſtaret negotiationem, quælibet Religio poſſet negotiari, & quilibet clericus. Quapropter quando Doctores dicunt negotiationem clericis, & Religioſis permitti ob aliquem finem honeſtum, intelligunt de fine honeſto neceſſariò, quique alia via ſuppleri non poteſt, vt in 5. difficultate dicemus, non de miniſtris Euangelicis accreſcendis, quod eſt opus ſupererogationis. Aliàs poſſent Religioſi, ſi à Rege haberent priuilegium exemptionis gabellæ emere triticum, & vinum iterum vendenda, quia maiori pretio, & lucro comparato plures Regioſi ſuſtententur, quod nullus (credo) concedet.

6. Secunda difficultas eſt, an Religioſus, vel clericus vna, vel altera vice negotiando peccet mortaliter? Negat Caiet. verbo *clericus*, Lalazios *2. de contractib. c. 10.* Salas *de empt. & vendit. dub. 2. n. 4.* reputat probabile Eman. Rodr. in ſum. verbo *negotiatio. nu. 2.* Mouentur, quia clericis, & Religioſis non videtur quilibet actus negotiationis, & mercaturæ interdictus, ſed qui veram negotiationem, & mercaturam conſtituat, & ex quo illum operans negotiator, & mercator dici valeat; at ad huiuſmodi denominationem negotiatio cum frequentia requiritur vt colligitur ex *l. 1. §. 1. ff. de tribut.* & tradit Bart. *in leg. incerti. §. 1. per textum* ibi, *ff. de adulter.* Caſſan. in conſuetudinib. Burgund. *Rub. 4. §. 1.* Laſſarte de decim. *c. 19. n. 87*, Ergo ex vna, vel altera negotiatione non inducitur peccatum mortale.

Sed oppoſitum tanquam verius tenendum eſt, Religioſos, Eccleſiaſticos peccare mortaliter ex vnico actu grauis negotiationis, ſic ex communi ſententia tradit Molin. *t. 2. de iuſtit. diſp. 342. in princ.* verſ. Pœna Salon. *2. 2. q. 77. art. 4.* Morla in empor. iuris *part. 1. tit. 9. q. 10.* Rebell. de obligat. iuſtit. *2. p. q. vlt. ſect. 2.* Gutierr. de Gabellis *lib. 7. pract. q. 93. à n. 42. & ſeqq.* Ratio eſt quia in *c. 1. Ne Clerici, vel Monach. cap. fin. de vita, & honeſt. Clericor. cap. Negotiatorem, c. fornicari*, 88. *diſtinct.* Clericis & religioſis prohibita eſt negotiatio, ſed ad verã negotiationem non requiritur repetita emptio, & venditio, ſed in vna tantum emptione, & venditione conſiſtere poteſt, vt manifeſtè probat, *Teſt. in cap. eiiciens 88. diſt.* ibi qui vero rem comparat. Ergo ex vnico tantùm actu negociationis peccatum mortale eſſe poteſt. Adde ex vnico actu gabellam debitam eſſe, iuxta *leg. Regiam, 7. tit. 18. lib. 9. recopilat.* ibi: No aya lugar en lo que los clerigos vendieren por via de mercaduria, trato, y negociacion, vbi ſolam venditionem ſpectat, tametſi mercatorem non conſtituat, vt pluribus allegatis firmat. Gutierr. *d. q. 93. à num. 42.*

7. Tertia difficultas eſt, an ſola negociatio per propriam perſonam ſit clericis, & religioſis interdicta debeatúrque inde gabella, non vero quæ fit per alios vt clerici, & religioſi ſolam pecuniam exponant, alij verò apponant induſtriam? Plures Doctores cenſent non eſſe mortale hoc genus negotiationis: ſic Ioannes Medina, Cod. de reſtit. *q. 30. art. 2.* Leſſius lib. 2. de iuſtit. *cap. 21. dub. 1. §. vlt.* Valent. 2. 2. *diſp. 5. quæſt. 20. punct. 5. §. addit.* Medina, Rebello de obligat. iuſtit. *lib. 1. quæſt. vlt. ſect. 2. num. 8.* Aragon. 2. 2. *q. 77. art. 4. pag. 644.* Molin. *diſp. 342.* verſ. *vtrum autem* Sà, verbo *clericus. num. 23.* pluribus relatis Salas, *tract. de empt. & vendit. dub. 2. n. 8.* Mouentur, quia textus loquentes de negociatione indicant per propriam perſonam exercendam eſſe vt colligitur ex *Clem. 1. De vita, & honeſt. cleric.* Quia in ea negotiatione eſt vera indecentia, & diſtractio, non autem in ea quæ per interpoſitam perſonam fit & ita exiſtimo dicendum. Ex qua doctrina non improbabiliter quis inferet clericum, & religioſum ex lu-

cro

ero tali negociatione comparato non debere gabellam. Sed verius est oppositũ,nam esto nõ sit ea negociatio illicita mortaliter, negari non potest aliquam indecentiam continere, vt optimè considerauit Molin. *suprà*,& Gutierr. *lib.7.pract.quæst. vbi de gabellis, quæst.*73. *à n.*30. Ergo ob hanc causam gabella soluenda est, & ita tradit Molin.& Gutierr. *locis allegatis.*

8.Quarta difficultas est;an sit aliqua causa excusãs clericos, & religiosos à supradicta negociationis prohibitione,solutionéque gabellæ ? Respõdeo esse solã necessitatẽ propriæ personæ,& familiæ;quia aliter commodè sustentari non possunt,eo enim casu Põtificia prohibitio cessat,vt satis probari potest ex Concil.Elibertino,*c.*19.permittente in necessitate clericis negociari per se intra prouinciam,per alios extra.Non enim lex Ecclesiastica,quæ solũ ob decentiam status cõstituta est,rigidius obligare debebat;imo non solũ ob tuam, tuorumque necessitatem hæc negociatio permittitur,sed etiã ob necessitatẽ grauem pupilli,viduæ,alteriusque personæ miserabilis:sic Reginald.*t.2.sum.lib.25.c.21.§.3.circunstant.*Torres *tract.de iust. disp.59. dub.2.§. commun.sensus,* Molin. *t.2.de iustit.disp.*342. §.3.*obseruandum*,vbi excusat à peccato religiosos commorantes in Brasilia, neque habentes vnde commodè sustententur, si ibi emant merces transportandas Olissipon. ibique carius vendendas, dum modo nihil plus mercium,quam ad emenda in Lusitania ad sui sustentationem necessaria mittantur, idem tradit Gutierr. *dict. quæst.*93.*num.*75.

9.Ad prohibitionem negotiationis reducere possumus,si clericus in nundinis vel in foro inter mercatores assistat:nõ quidem causa emẽdi sibi necessaria,sed potius exercẽdi inter eos proxenetarum officium.Hispane corredores:colligitur ex *cap. cleric.*II.Consil.Carthag.91.*dist.* sic Petr.Nauar.*lib.2.de restit. c.2.n.*326. Salas *de emp.& vendit.dub.2.in fin.*At credo solum esse peccatum mortale quando mediatio esset in contractibus simoniacis vsurariis,vel aliàs illicitis,iuxta doctrinam *Romani* 722.incipit *Pronexa*,vel quando mediatio esset ita frequẽs, vt scandalum causaret, statúmve Ecclesiasticum grauiter dedeceret, impedirétve obligationibus illius satisfacere.

§. IV.

De fideiussione, & depositi religioso interdictis.

SVMMARIVM.

1 *Non possunt fideiubere religiosi, nisi de licentia prælati.*
2 *Fideiussio absque licentia prælati non tenet.*
3 *Religiosi capaces sunt depositi,at monasterium obligatum non remanet.*
4 *Prælatus non potest domino non consentiente à subdito depositum remouere.*
5 *Tenetur prælatus de deposito, si non corrigat subditum depositum expendentem.*
6 *Depositum factum Ecclesiæ, vel conuentui, si ob culpam illorum commissum sit, tenentur depositum soluere.*
7 *Non iuuatur Ecclesia aduersus hanc obligationem beneficio restitutionis.*
8 *Quando censeatur depositum fieri Ecclesiæ, vel prælato.*

1. REligiosi fideiubere non possunt nisi de licentia prælati, & maioris partis capituli,iuxta Textum *in cap.penult. de fideiussion. & leg.2.tit.12.part.5.* In religione autem vbi capitulum non congregatur,vt in nostra Societate sufficit licentia prælati valentis licentiam concedere,vti docet Molin.*t.2. de iustit.disp.*540.*post medium* vers. *Religiosi.* Sanch. *lib.6.sum. c.*14.*n.*38. Debet autẽ in fideiussione vtilitas monasterij interuenire, quia est virtualis quædã bonorũ religionis alienatio : Sanch.*n.*38.Ipse tamẽ prælatus eo casu quo potest aliis fideiubẽdi licentiã cõcedere,fideiubere potest;quia potest vti facultatibus,quas subditis cõcedit,ne deterioris cõditionis existat.

2.Quod si religiosus absque legitima prælati licentia fideiubeat,fideiussio non tenet;quia esto peculium habeat,cum Superioris volũtati subiectum sit,obligare illud non potest solutioni independenter à prælati voluntate. Ex quo notanda est differentia fideiussionis religiosi à fideiussione clerici.Nã quãuis fideiussio omnibus prohibeatur;at clericus cũ bona habeat propria potest ea solutioni firmiter obligare nulla licentia requisita.Secus verò religiosus,qui proprio caret. Adde clericis non quamlibet fideiussionẽ interdictam esse,sed fideiussionem pro laicis, & in casu non necessario ; at religiosis quælibet fideiussio sine licentia prælati interdicitur ; ac proinde sic facta nulla est:tradunt post alios antiquiores Syluest.verbo *Excommunicatio 9.n.*55. *fine*, Greg.Lopez *leg.*2. verbo *de los Obispos, tit.12.part.5.*Azor.*t.1.l.12.c.11.q.2.* Molin.*t.2.tract.2.disp.*540. vers.*religiosi.* Sanch.*alias relatis,c.*14.*n.*41.Quin 42.docet optimè religiosum extra monasterium de licentia Abbatis existentem fideiubere non posse licitè, nec validè; quia solum potest eos contractus celebrare, qui ad sui sustentationem fuerint necessarij, qualis nunquam est fideiussio.

3. Quoad depositum attinet certũ est religiosos illius capaces esse *argum.c.*1. *De depositi, & habetur,l.Regia 3.part.5.* At mortaliter peccabit religiosus,si absque consensu saltem præsumpto prælati potentis licentiam concedere,depositum graue accipiat ob contractum initum,& obligationem, quã propria authoritate suscipit : sic Molin. *tract.2.de iustit.disp.*525. *vers.non solum clericus,* Sanch. *lib.6.sum.c.*14.*n.*27. Monasterium vero non tenetur de depositi culpa religiosi depositarij amisso,vel deterius effecto,tametsi ex licentia prælati susceptum sit.Quia licẽtia solũ deseruit,vt licitè religiosus depositũ accipiat;non tamẽ vt inde prælatus,aut monasteriũ obligetur. Quinimo etiamsi prælatus depositũ accipiat,& non monasterium,monasterium obligatum non remanet;quia in subeunda obligatione non consensit, colligitur manifestè ex *cap.grauis de depositi.& c.delictum de reg.Iuris in 6.*& docuit Lessius *lib.2. de iust.c.*27.*dub.*3.*n.*32. Sanch.*lib.6.summ.c.*14.*n.*29. Ipse vero religiosus depositarius, cuius culpa depositũ amissum,vel deterioratum est,obligatur soluere, si aliquando sit soluendo, vt obligatur si peculium habeat suæ dispositioni relictũ, ex quo absque graui incommodo soluere possit.Monasterium vero ex illo depositi deperdito,vel deteriorato, si locupletius factum est, ea in parte depositum soluere tenetur. Quia quoad eam partem depositum virtualiter manet ; habetur *dicto cap.* 1. *de depositi*, & tradunt Lessius, Sanchez & Molina *suprà.*

4. Supereſt tamen triplex difficultas : Prima,an possit Abbas depositum apud monachum existens auferre ; & apud se retinere ? Respondeo,non posse nisi domino consentiente,quia illud esse depositum remouere, & vindicare : posset autem interdicere religioso, ne apud se depositum habeat, sed domino reddat, vel ex illius consensu procuratori tradat Sanch. *lib.6. cap.*14. *num.*3.

5. Secunda difficultas est : an prælatus videns subditum in obseruatione depositi delinquẽtem,nec corrigens teneatur de depositi?Aliqui affirmant non teneri,sicuti non tenetur restituere confessarius omittens culpabiliter obligare pœnitentem ad restitutionem faciendam:quia nec confessarius,nec prælatus sunt cõstituti iudices in aliorum fauorem,sed in fauorem subditorum:ac proinde comparatione suorum subditorum delinquunt contra iustitiam:non autem comparatione aliorum. Ergo non tenentur de damno:sic Hostiens.*cap.grauis de depositi,n.*14.Tabiena verbo *monachus,n.*13.Verum etsi hæc sententia sit probabilis,probabiliorem reputo prælatum in dicto casu obligatum esse de depositi : quia ratione officij ab Ecclesia concessi tenetur impedire damna suorum subditorum : sicuti tenetur quilibet alius sæcularis gubernator. At hic omittens culpabiliter impedire damna à suis subditis facta obligatus est resarcire. Ergo similiter regularis prælatus. Neque est verum esse constitutum iudicem tantum in fauorem subditorum : nam etiam est constitutus iudex in aliorum fauorem,si æquitas postulauerit : est enim iudex inter partes.Alias si petenti domino depositum non cogeret religiosum reddere,nullam inde obligationem haberet, quod nullatenus est admittendum : cum iudex sit inter partes. Secus dicendum est de confessario,qui solum pro pœnitente est iudex constitutus, & ita sustinet Greg.Lopez *leg.3.Regia,tit.*3.verbo *religioso,part.*5. Sanch.aliis relatis,*lib.6.summ.c.*14.*n.*33.Insuper posse,& debere prælatum punire subditum in obseruatione depositi delinquentem : sicuti cum in aliis obseruationibus delinquit, in comperto est apud omnes,cum nullus sit textus eximens hoc delictum à prælati punitione. Molina *dicta disp.*525. vers. *non solum :* Sanch. *lib.6. summ. cap.*14. *num.*31.

6. Tertia difficultas est : an depositum factum Ecclesiæ,vel conuentui teneatur Ecclesia soluere, cum est culpabiliter amissum ? Videtur nequaquam teneri, si res immobilis, vel mobilis pretiosa distrahenda est ad illius solutionem, & Ecclesia ex depositi lucrum non sentit : quia cum horum alienatio interdicatur Ecclesiæ, nisi illius vrgeat vtilitas, seruentúrque solemnitates à iure requisitæ, nequit monasterium accipiens depositum aduersus hoc interdictum obligationem suscipere : sic tradit Abbas, *cap. grauis de depositi, n.*10. cum Innocentio, & Ioanne Andrea *ibi* : At contrarium tenendum est cum Glossa *eo cap. grauis*, verbo *personæ*, & ibi Anton. *num.*5. *&* 13. Immola, *num.*15. *&* 16. Cardin. *num.*1. *notab.*3. & *num.*7. *quæst.*7. *leg.Regia.*7. *tit.*3.*part.*5. & ibi Greg.Lopez, Sanchez supradictos referente *lib.6.summ.cap.*14.*n.*35.colligiturque manifestè ex *dicto cap. grauis*, vbi excusatur Ecclesia ab obligatione soluendi depositum : quia non ipsi, sed singulari personæ commissum fuit.Ergo si Ecclesiæ commissum esset, cessaret excusatio, & obligatio superueniret. Neque ibi sit vlla distinctio de depositi cedente in vtilitatem Ecclesiæ, vel in vtilitatem solius deponentis. Ratio vero est, quia ius permittens Ecclesiæ depositum accipere, non extrahit depositum à sua essentia, & qualitate. At essentia depositi est obligare depositarium in obseruatione illius delinquentem ad satisfactionem exhibendam : Ergo Ecclesia, quæ ex iure permittente depositum accipit, obligata est, si delinquat, satisfacere. Neque obstat, quod ad hanc satisfactionem necessarium aliquando sit rem immobilem, vel mobilem pretiosam distrahere, vt inde excusari possit : quia hæc di-

ſtractio eſt obligatoria, & in conſequentiam obligationis depoſiti ſuſcepti: ac proinde opus ſion eſt ſeruare ſolemnitates à iure requiſitas pro rerum Eccleſiaſticarum alienatione: hæ enim ſtatutæ ſunt pro alienatione voluntaria, & directa.

7. Neque aduerſus hanc obligationem, vt optimè tradit Gregorius *Lopez leg. 7. titul. 3. part. 3. num. 1.* verbo *Biena ſi*: Sanchez *lib. 6. ſumm. cap. 14. num. 36.* iuuari poteſt Eccleſia, vel monaſterium beneficio reſtitutionis in integrum, ſi dolo depoſitum amiſit: ſicuti nec minor, cui Eccleſia comparatur *cap. 1. de reſtitut. in integrum*, hoc beneficio iuuatur, cum eſt in dolo, *argument. leg ſi ex cauſa §. nunc videndum ff. de minoribus.* Secus vero (inquit Sanchez aliis relatis) dicendum eſſet, ſi ſolum eſſet in lata culpa, quæ non dolum verum, ſed præſumptum inducit.

8. Quod ſi tandem roges, quando cenſeatur depoſitum fieri monaſterio, vel Eccleſiæ, quando prælato, vel alteri monacho, vt ſingulari perſonæ? Optimè reſpondet Gloſſa *dicto cap. 1. De depoſito*, Gregorius Lopez *dicta leg. 7. titul. 3. part. 5.* Sanchez aliis relatis, *numer. 37.* monaſterio, & Eccleſiæ depoſitum fieri, quando fit ex conſenſu prælati, & capituli, vel illis ſcientibus, & non contradicentibus, cum poſſint: quia eo ipſo cenſentur depoſitum acceptare. Item ſi fiat apud Sacriſtam: vel procuratorem ad recipienda depoſita deſignatum. Debet tamen recipere ſeruatis conditionibus, quibus facultas à conuentu commiſſa eſt. In Societate autem Ieſu, cum omnes contractus collegij bona obligantes ex ſolo Superioris conſenſu celebrentur abſque capituli congregatione, vt conſtat ex *compendio priuileg.* verbo *contractus.* Si ſuperior quatenus talis eſt depoſitum accipit, aliuſve ex illius conſenſu, conuentus tenetur ex depoſito; quia factum ſuperiori, alteri ex illius conſenſu, conuentui cenſetur factum. Seruanda tamen eſt regula *Præpoſit. 69.* & *regula Rectoris 64.* quibus interdicitur depoſitum pecuniæ admitti, aliarum verò rerum non niſi cautiſſimè, & dummodo ſint eorum, quibus multum debeamus, aut ab eo, qui id officij ſine magna offenſione denegari non poſſit.

§. V.

De venatione, alearumque ludo religioſis interdicto.

SVMMARIVM.

1 *Hæc religioſis interdicuntur, ſed ſecluſo ſcandalo non videntur mortalia.*
2 *Ad Religioſos laicos prohibitio extenditur.*

1. CErtum eſt hæc Clericis, & à fortiori religioſis interdici: nam de venatione eſt Text. *in cap. 1. & 2. De clerico venant.* & *Clement. 1. §. porro de Statu monach.* quem renouat Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12. de reformat.* Debet tamen eſſe venatio canes, & aues inſequendo, & vociferando; quia hæc religioſum, & clericum dedecent. Secluſo ſcandalo, contempru, & temeritate non eſſe peccatum mortale venari cenſet Nauarr. *com. 4 de regularib. num. 26.* Sa verbo *venatio*, *num. 4. edit. Roman.* Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 11. num. 12.* Adde etiam à veniali excuſari poſſe, ſi venatio rara ſit, moderata, & ad reficiendas animi vires, Sà, Suar. *ſuprà.* Idem ferè dicendum eſt de ludo alearum, & taxillorum, ſub quo vt notat Valent. *2. 2. diſp. 5. q. 6. pun. 5.* verſ. *vbi duo ſunt notanda, pag. 290.* intelligitur omnis ludus fortunæ potius, quam induſtriæ commiſſus. Eſſe quidem clericis prohibitum; imo tali ludo intereſſe, *cap. penul. de vita*, & *honeſt. cleric. can. 41. & 42. Apoſtol. relatus cap. 1. 35. diſt.* pœna ſuſpenſionis, vel excommunicationis imponenda decernitur qui his ludis inſeruierit, & *cap. inter dilectos De exceſſib. prælator.* quidam clericus, eo quod eſſet publicus aleator, & vſurarius repulſus eſt à dignitate, ad quam fuerat electus, non obſtante conſuetudine clericorum ſic ludendi, quam dicit Pontifex corruptelam eſſe. Ex quibus textibus conſtat manifeſtè clericis conſuetudinem ludendi eſſe prohibitam: non autem vna, vel altera vice ludere. Illa enim verba, *vacans*, *deſeruiens*, *aleator*, conſuetudinem, & ludum quaſi ex officio deſignant, vt benè aduertit Salas *de Ludo, dub. 24. num. 2.* Atque ita docet Molina, *diſp. 512. Azor. t. 3. lib. 5. capit. 27. quæſt. 2.* Rebello *2. part. lib. 12. q. 1. Salas num. 3.* Imo non deſunt Doctores, qui etiam conſuetudinem à peccato mortali excuſent, ſi recreationis cauſa habeatur, & non principaliter ob lucrum: ſic Sà verbo *ludus, n. 1.* Valent. *2. 2. diſp. 5. q. 6. punct. 5. §. 1. 2. verſ.* vbi duo ſunt relati à Salas *ſuprà.* Ipſe tamen contrarium merito ſentit: quia textus ludum prohibentes ponderant conſuetudinem ludendi, non autem lucri finem.

2. Sed an hæc prohibitio clericis facta ad religioſos laicos extendatur, difficultate non caret. Neque Salas extendit, affirmatque *dub. 24. n. 3. verſ. 4.* religioſum laicum ludentem aſſiduè contra ſupradictos Canones non peccare. Moueri potuit quia de clericis in ſacris expreſſe prædicti textus loquuntur: ergo abſque fundamento ad religioſos non clericos fiet extenſio. Nihilominus tenendum eſt oppoſitum cum communi ſententia docente ſub nomine clericorum religioſos venire, quoties prohibitio decentiam ſtatus reſpicit, & ita tradit in præſenti Nauarr. *cap. 20. n. 9.* Valent. *verſ. alterum eſt.* Rutilio Veconio in ſpeculo *lib. 1. diſp. 1. q. 7. dub. 2.* Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 11. n. 2.*

§. VI.

De gradu litterarum Doctoris, & magiſtri, an ſit religioſis interdictus, Et quid in Societate Ieſu.

SVMMARIVM.

1 *Religioſus poteſt gradu doctoris, vel magiſtri in iure canonico, vel ſacra theologia inſigniri de ſuperioris licentia. Idemque dicendum eſt de gradu in iure ciuili, vel medicina.*
2 *Si autem religioſus prædictis gradibus decoretur abſque licentia ſuperioris, valida eſt ſuſceptio, eſto peccaminoſa. Diuerſum procedit in religione Prædicatorum, & Minimorum propter earum ſpecialia priuilegia.*
3 *Religioſis Societatis Ieſu non aliter prædicti gradus licent, quam de Præpoſiti Generalis licentia, & ſeruatis quinque conditionibus.*
4 *An omiſſo examine in Societate Ieſu gradus ſuſceptus validus ſit; Sub diſtinctione reſpondetur.*
5 *Explicatur ſecunda conditio.*
6 *Explicatur tertia.*
7 *Explicatur quarta, & quinta.*
8 *Expenditur priuilegium Iulij III. latum in fauorem Societatis Ieſu.*

1. NOn defuerunt, qui hunc gradum honoris, & ſcientiæ ſignum impugnarent, vtpote alienum à religioſo ſtatu pauperi, & humili; ſed eos conuincit D. Thom. *opuſc. 19. contra impugnantes religionem, c. 2. &* 3. D. Antonin. *3. p. tit. 5. c. 2. §. 8.* Non enim aſſumitur ad vanam oſtentationem, ſed vt cum maiori fructu, & proximorum ſatisfactione verbum Dei ſeminetur. Debet autem aſſumi ex licentia prælati: Tum quia omnes religioſi actiones ei debent eſſe ſubiectæ: tum quia eo gradu inſigniris plura iura, priuilegia, & exemptiones competunt, quibus abſque licentia prælati, non decet religioſos vti, At ſtante prædicta licentia, gradu doctoris, & magiſtri in theologia, ſacriſque Canonibus omnes religioſi etiam Franciſcani inſigniri poſſunt, ſeruatis tamen conditionibus, quas in hac licentia concedenda quælibet religio pro ſuis ſubditis prudentiſſimè præſcribit. Solum eſt difficultas, an hæc licentia extendi poſſit ad gradum doctoris; & magiſtri in iure ciuili, vel medicina, eo quod ſtudium harum ſcientiarum ſit religioſis interdictum *c. Non magnopere, cap. ſuper ſpecula Ne clerici vel monachi.* Sed omnino dicendum eſt, poſſe extendi, ſi religioſus his facultatibus ante religionis ingreſſum operam dedit: imo etiam ſi in religione illis addiſcendis contra ſacros Canones deliquerit, ſi tamen illis peritus eſt, poterit ex facultate ſuperiorum harum ſcientiarum gradu decorari; quia nullibi huius gradus acceptio eſt prohibita. Neque ea prohibitio induci poteſt ex prohibitione ſtudij illarum facultatum: tum quia eſt res omnino diuerſa. Tum quia hoc ſtudium prohibetur, vt theologiæ ſtudium creſcat, & extendatur: qui finis non impeditur, ex eo quod religioſus gradum Doctoris, & magiſtri in iure Cœſareo, & Medicina accipiat poſt harum facultatum curſum conſummatum. Atque ita docent Felin. *c. cum dilecta. n. 19. de Reſcript.* Nauarr. *comm. 2. de Regularibus, num. 2.* Salcedo *pract. c. 59.* Man. *Rodrig. t. 2. quæſt. regular. q. 74. art. 1. & 2.* Sanchez *lib. 6. ſumm. c. 14. n. 45.*

2. Quod ſi religioſus abſque ſui ſuperioris licentia ſupradictarum ſcientiarum gradu decoretur, valida eſt ſuſceptio, eſto peccaminoſa iure communi ſpectato: quia nullus eſt textus, ex quo colligi poſſit irritam eſſe nullam. Quapropter quælibet religio ſua priuilegia ſpectare debet, vt inde colligatur, an hæc ſuſceptio annulletur. Credo tamen nulli religioni excepta Prædicatorum familia hoc priuilegium irritans gradum aſſumptum abſque ſuperiorum licentia datum eſſe. Religioni vero prædicatorum conceſſit Innocent. VIII. (vt habetur in *monument. ordin. edit. 2. fol. 75. concl. 194.* & refert. Man. Rodrig. *dicta q. 74. art. 3.*) quod nullus Frater ordinis Prædicatorum, ſeu de Obſeruantia prouinciæ, aut congregationis Hiſpaniæ magiſterij ſeu aliũ quẽcunque gradũ in ſacra theologia, niſi ad illud per capitulũ dictæ congregationis expoſitus fuerit, aſſumere præſumat. Et quod ſi qui aliter promoti fuerint, pro nõ promotis habeãtur, & ad huiuſmodi gradus inhabiles ſint, & eſſe cẽſeãtur. Quę deciſio nõ ad alias religiones,

imò

imò neque ad Fratres eiusdem religionis non reformatos extenditur. Nam esto religiones in priuilegiis concessis communicent; non inde instatur communicare in priuilegiis specialem rationem, & institutum alicuius religionis spectantibus, & ita tradit Man. Rodrig. *dicto t. 2. quæst. regular. q. 74. art. 3.* Sanchez *lib. 6. cap. 14. in fine.* Præterea religioni Minorum concessit Martin. V. provt refert Man. Rodrig. *dicta q. 74. art. 2.* Quod quicunque Fratres promoti fuerint ad gradum magisterij in theologia extra vniuersitates ab ipso ordine per generalia capitula ad hoc specialiter electas, & absque eo quod ante perfecerint debitos suos cursus, & sententias legerint in vniuersitatibus approbatis, & actus legitimos, & cætera exercitia scholastica fecerint provt legere, & facere teneantur de consuetudine, vel de iure in huiusmodi ritè magistrandi scientia, minimè de cætero gaudere possint beneficio, honoribus, gratiis, priuilegiis, exemptionibus, & indulgentiis tam in dicto ordine, quàm extra magisterio in theologia, Apostolica, vel quauis alia authoritate concessis, & quibus magistri huiusmodi vti, & gaudere consueuerunt, insuper graues pœnas iniungit sic promouentibus. Verum est tamen vt pœnas his decretis contentæ locum habeant, præsumptionem requiri. Quapropter quælibet ignorantia modo non sit ingens temeritas ab illarum incursu liberat, vti notarunt Sanch. & Man. Rodrig. *locis allegatis.*

3. Superest dicendum de Societatis Iesu religiosis. Certum est neminem gradu alicuius scientiæ insigniri posse absque licentia Præpositi Generalis, vt expressè habetur *reg. 61. Prouincialis*, ibi Quamuis in actibus scholasticorum communibus exercendi sint nostri iuxta constitutiones, nullus tamen ad philosophiæ, vel Theologiæ gradus etiam si idoneus sit promoueatur sine Præpositi Generalis facultate. Conditiones autem, seu qualitates pro his gradibus recipiendis seruandæ præscribuntur, 4. *p. constitut. cap. 6. num. 17. & capit. 15. num. 4. & reg. Prouincialis* 64. Prima est, vt per diligentem examinationem digni inueniantur, qui gradum suscipere debent. Secunda, ne loca certa, quamuis ea in vniuersitate vbi gradum accipiunt dari soleant, accipiant, sed extra numerum se constituant, & subditur ratio; vt ab omni ambitionis specie, atque ab aliis affectibus parum temperatis recedant. Tertia, ne sumptus, qui pauperes non deceant in gradibus huiusmodi faciant. Quarta, ne ob aliud quam vt possint proximis ad Dei gloriam esse vtiliores promoueri debent, vt nullum humilitas patiatur detrimentum: hæc continentur *dicta 4. p. constitut. c. 6. §. 17.* Quinta habetur *reg. Prouinciali* 64. ne nomine Doctoris, vel magistri ratione gradus inter se religiosi vtantur. Ferè cum supradictis conditionibus coincidunt appositè eadem 4. *part. constitut. cap. 15. §. 4.* pro collatione graduum in vniuersitatibus Societatis regimini commissis. Prima est, ne quis nisi diligenter, & publicè examinatus per personas designatas, quæ benè suum officium faciant, & idoneus ad prælegendum eandem scientiam inuentus promoueatur, siue ille de Societate sit, siue extra eam. Secunda, vt præcludatur ostium ambitioni nullis locis certis eis, qui ad gradus promouentur, assignatis, quin potius honore se inuicem præuenire nulla locorum differentia obseruata curent. Tertia, vt quemadmodum Societas gratis docet, ita & ad gradus gratis promoueat, & non nisi admodum exigui sumptus (licet voluntarij sint) externis permittantur, ne consuetudo vim legis tandem obtineat, & in ea parte decursu temporis excessus fiat. Vnde in declaratione dicitur, non permittentur conuiuia, nec alij ludi, qui cum sumptibus non mediocribus fiunt, & ad finem nobis propositum inutiles sunt. Quarta, ne Rector magistris, vel vllis aliis de societate, sibi, aut collegio pecuniam, aut dona quæuis ab vllo pro re quauis in ipsorum vtilitatem facta accipere permittat. Quinta, ne in horum graduum collatione pilei, aut chirothecæ, vel quid aliud detur.

4. Circa primam conditionem de examine requisito dubitari posset; an eo omisso validus esset gradus? Sed hæc quæstio facilè deciditur. Si gradus recipiendus est in vniuersitate Societati non subiecta, spectanda sunt eius statuta, quæ si pro omnibus indifferenter hoc examen præscribunt, nullus erit gradus eo omisso, tametsi graduandus notoriè doctus existat, vt optimè tradit Rebuff. de priuileg. Scholar. *priuileg. 86. vers. ego vero.* Hieron. Gonzal. *reg. 8. cancellar.* glos. 4. *num. 89.* creditur enim pro forma exigi, qua deficiente corruit actus. At si gradus in vniuersitatibus Societatis recipiendus est, poterit Rector Vniuersitatis habita licentia à Generali, vel Prouinciali iustas ob causas hoc examen publicum remittere, sicuti dicitur. 4. *p. constitut. cap. 15. §. 4. in declarat. litt. E.*

5. Secunda conditio de locis extra numerum accipiendis facilè obseruari potest in vniuersitatibus Societati subiectis, at in aliis, in quibus frequenter loca designantur pro cuiusque antiquitate difficile est. Sed non obinde à recipiendo gradu illis vniuersitatibus debent religiosi Societatis excludi. Quia hæc conditio intelligi debet, cum commodè seruari potest, & quantum est ex parte religiosorum. Hi enim quantum est ex se loca certa non accipiant, sed aliis facilè cedant, seque extra numerum constituant. Si tamen vniuersitas non solum ea loca certa tribuat, sed quasi ad ea recipienda compellat; cum ea receptio potius sit necessaria quam libera, humilitati non derogat, neque ambitionis speciem habet, neque prauum aliquem affectum fouet, sic supponit pro certo Suarez 4. *de religione tract. 10. lib. 5. cap. 4. num. 10.*

6. Tertia conditio de non faciendis sumptibus pauperes decentius optimè seruari potest in vniuersitatibus Societatis, at in vniuersitatibus externis difficile apparet. Nam esto religiosi nullos extraordinarios, & indebitos sumptus facere velint: sumptus tamen obligatorij ita magni esse solent, vt videantur pauperes dedecere: sæpe enim ad mille aureos accedunt. Ex quo videtur inferri in his vniuersitatibus non posse religiosos Societatis iuxta eorum regulas, & statuta promoueri, confirmarique potest ex Bulla Pij IV. edita anno 1561. *exponi nobis nuper feciſtis*; vbi statim post principium inquit Pontifex non expedire, vt scholares in nostris collegiis litteris vacantes promoueantur ab vniuersitatibus partim propter obligationes, & iuramenta per inibi promouendos præstari solita, partim ob nimias, quæ ibi fieri solent impensas. Si ergo Scholaribus externis hoc non expedit, à fortiori non expediet Societatis religiosis. Nihilominus hæc non vrgent, quominus possint religiosi Societatis in supradictis vniuersitatibus promoueri non quidem frequenter, sed rarò: quando scilicet bono nomini Societatis, eiusque doctrinæ, institutique defensioni, & proximorum vtilitati iudicatum fuerit expedire; eoque casu non nisi selectæ personæ promouendæ sunt. Quod vero frequenter non debeant in his vniuersitatibus religiosi promoueri, sed rarò: conuincit Bulla Pij IV. generaliter id affirmans de omnibus scholaribus, qui in nostris collegiis studeant: eaque de causa facultatem ibidem concedit illius collegij superiori, studiorumque præfecto, vt adhibitis secum duobus, vel tribus magistris prædictis scholaribus gradum conferat habentem easdem qualitates, priuilegia, & exemptiones, ac si in vniuersitate receptus esset. Sed hoc non obstante sæpe supra dictis scholaribus expedit in illis vniuersitatibus promoueri. Tum quia gradus in vniuersitate receptus pluris apud homines æstimatur. Tum quia gradus à societate concessus fortè absque litigio non admittetur, tum ob alias causas. Ergo idem est dicendum de Societatis religiosis; frequenter inquâ non expedire ab vniuersitatibus promoueri: benè tamen rarò, & personas selectas. Neque hæc promotio est aduersus conditionem in constitutione præscriptam. Fateor enim sumptus exiguos non esse, sed ingentes: nego tamen pauperes decere; aliàs dedecerent omnes alios religiosos, qui verè pauperes sunt, concedendumque esset illos malè facere in supradictis vniuersitatibus se promouendo, Pontificemque, & prælatos iniquè procedere permittentes vniuersitati eos sumptus à religiosis exigere. Non igitur affirmari potest supradictos sumptus à religiosa paupertate alienos esse. Ratio vero ea est, quia ij sumptus non fiunt à religiosis pro libito, sed occasione gradus accipiendi, & in illius consequentiam. Cum ergo gradus in illis vniuersitatibus religiosos pauperes non dedeceat, sed sæpè conuenientissimus sit, nec dedecere possunt accessorij sumptus. Illi ergo sumptus religiosos pauperes dedecerent, qui necessarij non essent gradui recipiendo: quia ij non necessitati, sed vanitati deseruirent, quæ à religioso paupere procul esse debet. Supra dicta efficacius procedunt, cum non ex peculio religiosi, vel ex bonis religionis fiunt hi sumptus, sed à quodam externo ad illum finem donantur. Eo enim casu manifestum est, non fieri sumptus, qui pauperes dedecent: cum non à religioso paupere fiant, sed à sæculari diuite. Quod si sæcularis non vniuersitati immediatè (vt facere poterat) sed religioso, vel religioni eos sumptus donet in susceptione gradus consumendos, religiosus eos expendens dici non potest suæ paupertatis puritatem violare: cum non ex sua libera voluntate, sed ex donantis voluntate ad rectum finem concessos expendat.

7. Quarta, & quinta conditio & facilè seruari possunt, & sunt omnino seruandæ: quia humilitatem spectant. Hæ enim probant non esse accipiendum gradum ob honorem, & lucrum, quæ ex gradibus prouenire solent, sed ob maiorem Dei gloriam, & proximorum salutem; sicuti rectè notauit Suarez *t. 4. de relig. tract. 10. lib. 5. cap. 4. n. 11.* Conditiones vero requisitæ in collatione graduum à Societate explicatione non indigent, ex se enim satis patent.

8. Aduertendum tamen est Iulium III. in Bulla incipiente *sacra religionis*, edita *anno* 1552. quamque confirmauit Pius IV. in Bulla incipiente *exponi nobis*, *anno* 1561. concessisse religiosis collegiorum Societatis Iesu existentium in vniuersitatibus alicuius studij generalis, si præuio rigoroso, & publico examine in eisdem vniuersitatibus reperti fuerint idonei, & Rectores vniuersitatum eos gratis promoue-

re recuſauerint, vt in prædictis collegiis à Præpoſito Generali, vel de eius licentia à quouis ex inferioribus Præpoſitis, vel Rectoribus huiuſmodi collegiorum cum duobus, vel tribus doctoribus, ſeu magiſtris per eoſdem eligendis promoueri poſſint ad Baccalaureatus, & Magiſterij, Licentiaturæ, & Doctoratus gradus. Religioſis vero collegiorum exiſtentium extra vniuerſitates conceſſit, vt abſoluto ſtudiorum ſuorum curſu, & rigoroſo examine præcedente à Præpoſito Generali, vel de eius licentia à quouis ex Præpoſitis, vel Rectoribus huiuſmodi collegiorum cum duobus, vel tribus doctoribus, & magiſtris per eoſdem eligendis ad prædictos gradus poſſint promoueri. Hi vero promoti gaudent omnibus priuilegiis, & prærogatiuis, quibus gaudent qui in vniuerſitatibus rigoroſo examine præuia, ac alias iuxta inibi obſeruari ſolitos, & requiſitos vſus promouentur: ſic in ſupradictis Bullis, & referuntur in *compendio priuileg.* verbo *gradus*, & à Man. Rodrig. *t.1. quæſt. regul. q.7.4. art.3.*

§. VII.

De officio tutoris, & curatoris religioſis interdicto.

1 *Religioſi tam à teſtatore, quam à iudice deſignati tutores, & curatores eſſe prohibentur.*
2 *De tutela, vel cura legitima eſt aliqualis difficultas. Affirmatiuam partem tenent aliqui. Sed verior eſt negatiua.*

1. NOn poſſunt religioſi in teſtamento pupillorum tutores, & minorum curatores deſignari, neque etiam à iudice deficientibus tutoribus, vel curatoribus teſtamentariis, & legitimis. Quod ſi ex teſtamento, vel à iudice deſignentur; ipſi admittere non poſſunt: habetur expreſsè *cap. peruenit, 86. diſt.* & Auth. *de ſanctiſſim. epiſcop.* § *Deo autem amabilis collat. 9.* & *leg. Regia 45. tit. 6. part. 1.* & *leg. 14. titul. 16. part. 6.* Quod ſi hac ptohibitione non obſtante hanc tutelam religioſi admittant, nulla eſt admiſſio, & conſequenter omnia inde ſubſecuta nulla ſunt: ſic Azor, *t.1. inſtitut. moral. lib. 12. cap. 11, q. 3.* Sanchez *lib. 6. ſumm. cap. 24. numer. 23.* Mouentur ex Textu in dicta Authentic. §. *Deo autem* vbi dicitur monachos nulla lege tutores, & curatores cuiuſcumque perſonæ fieri permittimus: & ex *leg. Regia* 14. vtente verbo non poteſt, ibi, Obiſpo, ni monge, ni otro religioſo non puede ſer guardador de guerfano. Quæ verba (inquit Sanchez) denotant religioſos incapaces eſſe curæ, & tutelæ. Sed cùm verbo *non poteſt*, quod efficacius eſt, quam non permittere vtatur *Clem. 1. de Procuratoribus*, vt neget religioſis procurationem, eoque non obſtante deciſum cum Sanch. reliquimus religioſos admittentes procurationem abſque ſuperioris licentia validè admittere? efficitur ſanè ex verbo *non poteſt*, non probari ſatis hanc religioſi incapacitatem. Et præterea, quia ſupradicta lex æquè de Epiſcopis, ac religioſis loquitur, cum tamen Epiſcopi non reddantur incapaces tutelæ ſi eam admittant. Quapropter eam cenſeo eſſe legitimam rationem: quia nullus religioſus, vtpote proprio carens obligare aliqua bona poteſt pro tutela adminiſtranda, quod in omni tutela neceſſarium eſt.

2. Difficultas nonnulla eſt de cura, & tutela legitima ſic appellata: quia à lege defertur conſanguineis ab inteſtato ſuccedentibus, an inquam huius curæ: & tutelæ religioſi capaces ſint ex licentia prælati? affirmat Gloſſa *in ca. peruenit. 86. diſt.* verſ. *tutelas in 2. ſolut.* & *ibi* Turrecrema. Angel. verbo *tutela, n.1.* Sylueſt, *q.3.* Tabiena *q.1.* Azor. *lib. 12. inſt. moral. c. 11. q. 3.* Mouentur ex *dicto cap. peruenit*, vbi hæc tutela permittitur Epiſcopis, quibus religioſi æquiparantur, vt conſtat ex *dicto cap.* & *ex leg. 14. tit. 16. part. 6.* Et licet in §. *Deo amabilis Authent. de ſanctiſſim. Epiſcop.* ſit quælibet tutela religioſis interdicta, corrigitur hoc interdictum (inquiunt ſupradicti Doctores) per Textum *in cap. fin. 86. diſt.* Sed multo verius eſt incapaces eſſe religioſos ſupradictæ tutelæ, quia in Auth. *de ſanctiſſim. Epiſcop.* & *leg. regia 14.* indiſtinctè omnis tutela religioſis interdicitur. Textus autem in dicto *cap. peruenit* nullum verbum habet, ex quo poſſit colligi hoc interdictum corrigi: ſic gloſſa *dicto cap. peruenit in 1. ſolut.* Greg. Lopez *dicta leg. 14.* verb. *no puede*, Sanchez *lib. 6. cap. 14 n. 25.* Gutierr. *de tutel. 1. p. c. 1. n. 30.* Mol. *t. 1. de iuſtit. tract. 2. diſt. 221.* verſ. *religioſus.* Quod verum habet, vt tradit Sanch. Mol. & Greg. Lopez etiam ſi tutela eſſet miſerabilium perſonarum. Quia eſto hæc tutela Epiſcopis permittatur in *cap. peruenit*, & aliquando ad illam ſuſcipiendam obligentur, poſſintque clericos ſuæ diœceſis cogere ad illius adminiſtrationem, nunquam tamen religioſis id repetitur permiſſum. Neque eſt ſimilis ratio de Epiſcopis, & religioſis, cum Epiſcopi proprium habeant, quod poſſint obligationi tutelæ ſubiicere, ſecus religioſi.

§. VIII.

De electione ſepulturæ religioſis interdicta.

SVMMARIVM.

1 *Prælatus religionis ſupremus eligere poteſt ſepulturam Inferior autem dum ſuperior non contradicit.*
2 *Prælatus eligere ſuis ſubditis ſepulturam poteſt.*
3 *Subditus non poteſt ſibi eligere ſepulturam.*
4 *Prædictæ doctrinæ apponitur limitatio.*
5 *Si ſuperior permittat religioſo ſubdito ſepulturam eligere, electionem valere, vt verius reſpondetur.*
6 *Sepultura, caſu quo eam licet eligere, cuius expenſis facienda ſit Breuiter reſpondetur.*
7 *Si religioſus in loco remoto decedat ſepultura non electa, in parochiali, ſub qua deceſſit ſepeliendus eſt. Si vero eo in loco monaſterium ſui ordinis adſit, aduerſus Sanchez & alios ſub diſtinctione reſpondetur, quæ non verſatur circa religioſos Societatis Ieſu.*
8 *Nouitius eligere poteſt ſepulturam, ſi ea non electa decedat, in monaſterio ſepeliendus eſt.*
9. *Cuius expenſis nouitius ſepeliendus ſit? Spectanda conſuetudo.*

1. TRes ſunt perſonæ religioſæ, de quibus dubitatur, an poſſint eligere ſepulturam, Abbas, Subditus, & Nouitius. Abbatem, ſi ſupremus religionis Prælatus ſit, certum eſt eligere poſſe ſepulturam; quia habet velle & nolle à religione independens. De aliis prælatis inferioribus negat. Sylueſt. verbo *ſepultura, q.6.* & *ibi Armilla, n.6.* quia abſolutè velle, & nolle non habent, cum illud habeant ab aliis prælatis dependens. At Man. Rodrig. *t.3. quæſt. regular. q. 60. art. 1.* & Sanch. aliis relatis, *lib. 6. ſum. cap. 14. n. 7.* probabilius concedunt cuilibet prælato poteſtatem eligendi ſepulturam: quia eo ipſo, quo prælatus eſt, velle, & nolle habet in pertinentibus ad ſui, ſuorumque diſpoſitionem. Quod ſi dicas habere voluntatem dependentem à ſuperiore prælato, ex voluntatéque illius annullari poſſe. Reſpondeo antequam morte confirmetur id veriſſimum eſſe, at morte confirmata voluntas nequit annullari, quia non adeſt niſi in effectu, quem obtinuit. Supradicta procedunt, dummodo verè ſuperior moriatur. Nam ſi officio depoſito moritur, ceſſat electio antea facta; quia cum tempore prælaturæ ſortita non fuerit effectum, petit illius valor, vtpote peruenientes ad tempus inhabile, incapaxque electionis: ſic Sanch. & Man. *locis allegatis.*

2. Sed an Prælatus eligere ſuis ſubditis ſepulturam poſſit? Affirmant Man. Rodrig. *t.3. qq. regul. q.60. ar.1.* Mouetur, quia pater eligere poteſt filio impuberi ſepulturam: quia in eius eſt poteſtate, ſed religioſus eſt in poteſtate prælati. Ergo prælatus eligere poteſt ei ſepulturam. Sed contrarium merito defendit Petrus Vvaldis ab ipſo Manuele relatus, quem ſequitur Sanchez *dicto c. 14. n. 6.* Quia pater non elegit ſepulturam filio impuberi ratione patriæ poteſtatis: aliàs & filio puberi eligere poſſet, & vxori maritus contra Text. *in cap. licet, de ſepul. in 6.* cum prædicti filij puberes ſint ſub patria poteſtate, & vxor ſub poteſtate mariti, ſed eligit ſepulturam, quia ita eſt conſuetudine receptum vt conſtat ex *dicto cap. licet*, qualis conſuetudo pro religioſis non inuenitur, Dices religioſorum voluntas tranſlata omnino eſt in prælati voluntatem: ſed hæc tranſlatione ceſſante poſſet quilibet religioſus ſepulturam eligere. Ergo id ipſum poterit prælatus ob prædictam tranſlationem. Reſpondeo negando conſequentiam: quia non transfertur voluntas quoad realitatem, ſed quoad ſubiectionem iuxta religionis regulas: at in nulla religione hæc poteſtas conceſſa eſt prælatis eligendi ſibi ſubditis ſepulturam: quippe eſſet contraria iuri canonica decernenti locum ſepulturæ carentibus electione.

3. De religioſis ſubditis eſt deciſio in *cap. de fin. Sepult.* in hæc verba: Religioſi niſi à propriis monaſteriis adeo forſitan ſint remoti, quod ad ea cùm moriuntur commodè portari non poſſunt, nequeunt (cum velle, vel nolle careant) ſibi eligere ſepulturam, ſed ſunt apud ſua monaſteria tumulandi. Ex cuius textus deciſione infertur religioſum eligere non poſſe ſepulturam, niſi à proprio monaſterio ita remotus ſit, vt nequeat commodè ad illud cum moritur, deportari. Neque obſtat ſepulturam concedendam eſſe religioſo eo tempore quo iugo obedientiæ ſolutus ſit, vt inde inferas eligere poſſe. Nam eſto id locum habeat in muliere vxorata iuxta textum in *cap. de vxore, De ſepultur.* vbi vxoratæ conceditur ſepulturæ electio, eo quod electio iſta, vt inquit textus, ad eum potius ſtatum pertineat, in quo mulier ſoluitur à lege viri; non inde infertur religioſum eligere poſſe; quia vxoris ſubiectio eſt longe diuerſa à religioſi ſubiectione; illa enim ſolum habet

locum

Ivcum in his, quæ præiudicare possunt marito, non in aliis; eaque de causa inuito marito testari potest, & eligere sepulturam; quia in horum dispositione marito non præiudicat. At religiosi subiectio tam præiudicantia prælato, quam non præiudicantia spectat, quia est subiectio plena voluntatis ac proinde religioso non permittitur sepulturæ electio, benè tamen vxori: sic gloss. *dicto cap. fin. de sepultur. in 6. ver. sepulturam.* Sanch. lib. 6. sum. c. 14. n. 1.

4. Hanc tamen doctrinam communiter Doctores limitant ne procedat in religioso ita longè à proprio monasterio decedente, vt nequeat commodè ad illud sepeliendus deportari. Nam eo casu permittit ius, vt sepulturam eligere possit, cum propria nequeat ei concedi; colligitur ex *dicto cap. Religiosi de Sepultur. in 6.* per argumentum à contrario sensu, & tradit gloss. *ibi in fine.* Abbas *c. 1. num. 4. de sepultur. & cap. nimis iniqua de excessib. prælat. n. 2. per illum text.* Sylvest. verbo *sepultura q. 6.* Nauarr. *comment. 2. de Regular. n. 43. Man. Rodrig. quæst. regular. t. 3 q. 60. art. 2. vers. aduertendum* Sanch. lib. 6. sum. c. 14. n. 3.

5. Sed quid si superior permittat religioso subdito eligere sepulturam, erit licita, & valida electio? Videtur non esse; quia textus in *dicto cap. religiosi* expressè decidit religiosos carere potestate eligendi sepulturam, esseque apud sua monasteria tumulandos, nisi ita remotè à proprio monasterio decedant, vt nequeant commodè ad illud deportari. Cum ergo textus sepulturam designet; & potestatem eligendi tollat, solumque in illo casu speciali absentiæ concedat? efficitur nec licentiam à prælato concedi posse, vtpote contra legem Pontificiam, nec electionem ex vi illius licitam, validamque esse. Cæterum verius videtur oppositum; posse inquam prælatum licentiam concedere, electionemque inde factam licitam validam esse. Moueor; quia prælatus eligere sibi sepulturam potest, vt dictum est, ergo potest religioso subdito facultatem eligendi concedere. Neque enim maiori potestate secum vti potest, quam cum subditis; si quidem tota potestas dispensandi secum prælato competens ex officio gubernandi subditos prouenit, atque adeo potius cum subditis, quam secum vti illa poterit. Deinde Text. *in cap. religiosi* ea ratione ducitur ad negandam religioso potestatem eligendi sepulturam, quia velle, vel nolle caret, hoc est quia caret valuntate propria à prælato independente. Quæ ratio solum probat non posse religiosum eligere sepulturam prælato inconsulto, at non probat ex eius licentia eligere non posse. Nam ea posita & velle, & nolle habet.

6. Sed cuius expensis hæc subditi sepultura, & prælati sibi sepulturam eligentis facienda est? Respondeo ex illis bonis, quæ ad huiusmodi effectum prælatus applicauerit, quia tam peculia religiosi; quam bona monasterij suæ dispositioni subduntur. Quod si prælatus non expressit, credendum est eius voluntatem fuisse, vt ex peculio defuncti dictæ expensæ soluantur; quia religioni vtilius est. Si autem prælatus, vel religiosus peculio carent, ex boni monasterij soluendæ expensæ sunt. Neque mirum est, quod monasterium eam obligationem habeat; si quidem ea tenetur cum religiosus extra monasterium in loco remoto decedit sepultura non electa. Quia eo casu si religiosus peculio, vel beneficio caret, expensis monasterij sepelitur. vt tradit Man. Rodrig. *tom. 3. quæst. regular. quæstio. 60 art. 3.* & Sanch. *lib. 6. sum. c. 14. n. 4.*

7. Eo autem casu, quo religiosus in loco remoto decedit sepultura non electa, in parochiali, sub qua decessit, sepeliendus est: sicuti quilibet alius sæcularis in itinere moriens: tradit Glossa *dicto cap. religiosi, de sepultur in 6.* & ibi Anchar. Franc. & Dominic. quos refert, & sequitur Sanch. *dicto cap. 14. n. 4.* Si autem eo in loco monasterium sui ordinis adsit, Sylvest. relato Anton. *cap. 1. de sepultur.* verbo *sepultura q. 8.* vers. *secundum,* & Sanch. *lib. 6. summ. c. 14. n. 4.* affirmant in eo sepeliendum religiosum esse, & non in parochiali esto transeunter ibi commoratus fuerit. Et ratio esse potest; quia illud monasterium aliquo modo proprium religiosi est. Cæterum verius censeo in parochiali, sub qua decessit sepeliendum esse, si solum transeunter ibi extiterit; quia iure firmatum est quemlibet peregrinum, si ad sepulchra suorum maiorum deferri non potest, in parochiali illius loci, in quo decedit esse sepeliendum, vt tradit Sylvest. pluribus relatis *suprà.* At ab hac generali lege non inuenitur exemptus religiosus à proprio monasterio remotus, ergo ibi sicut & alij peregrini, sepeliendus est. Neque obstat ibi adesse monasterium sui ordinis, quia, illud non est proprium; aliàs non posset eligere sepulturam, sed necessariò apud illud esset tumulandus. Notanter dixi: si solum transeunter ibi extiterit, nam si in illud monasterium missus fuerit causa perpetuæ residentiæ, apud illud sepeliendus est; quia est proprium, propriáque religiosi parochia. Atque ita docet Glossa ex communi sententia *eo cap. religiosi in casus positione.* Religiosi verò Societatis Iesv, cum nullam Societatis domum singulariter propriam habeant, sed quælibet domus, & collegium proprium cuiúsque sit, si in eo loco decedant, vbi domus, vel collegium Societatis est, apud ipsum sunt sepeliendi, & non in parochiali, nec in cathedrali.

8. Supereſt dicendum de nouicio quem certum est, eligere posse sepulturam; quia solum religiosis sepulturæ electio interdicta est, *cap. fin. de sepultur. in 6.* At nouitius sub nomine religiosi in odiosis non venit. Deinde religiosis sepulturæ electio prohibetur; quia carent velle, & nolle proprio, quo tamen nouitius gaudet, & ita tenet aliis relatis Sanch. *lib. 6. sum. cap. 14. num. 10.* At si decedant non electa; in monasterio sepeliendi sunt. Tum quia monasterium est nouitij parochia, & prælatus parochus quoad sacramentorum susceptionem. Ergo etiam quoad sepulturam. Tum quia ita est consuetudine receptum, & priuilegiis religionum firmatum: sic Sylvest. verbo *sepultura, q. 8. dicto 7.* Man. Rodrig. *quæst. regular. q. 60. art. 2. fine.* Sanch. aliis relatis *dicto cap. 14. num. 11.* Neque ab hoc iure cadit nouitius, vt placuit Sylvestro, quamuis voluntatem habuerit redeundi ad sæculum; nam dum reipsa non redit, domicilium acquisitum non admittit. Sanch. *dicto c. 14. n. 11. fine.*

9. Quod si inquiras; cuius expensis nouitius sepeliendus sit? Breuiter respondeo, sepeliendum esse propriis expensis, si proprium habeat, nisi consuetudine introductam sit expensis, monasterij sepeliendum esse. Sanch. *dicto cap. 14. num. 12.* At si proprio caret, monasterij expensis est sepeliendus, quia illius est membrum, & sub illius obedientia decessit. Quod adeo verum est, vt secluſa consuetudine parentes eius diuites obligari non debeant, eas expensas soluere, vtpote qui ab eorum cura separatus decessit, quamuis reuocabiliter Sanch. lib. 6. sum. c. 14. n. 14.

PVNCTVM XIV.

Quibus pœnis subiiciatur Religiosus delinquens à Prælatis regularibus puniendus.

SVMMARIVM.

1 *Duplex genus pœnarum distinguitur.*
2 *Religiosus delinquens punitioni prælati subiectus est.*
3 *Quas pœnas spirituales prælatus regularis imponere possit.*
4 *Abbatissa pœnis spiritualibus coercere moniales non potest.*
5 *Prælato regulari interdicitur subditum delinquentem pœna mortis punire. Idem dicendum est de mutilatione, & verberatione publica.*
6 *An pœna triremium possit religiosus delinquens à prælato regulari condemnari? Arguitur pro parte negatiua.*
7 *Dicendum est prælatos regulares posse hanc pœnam infligere, & soluuntur rationes contrariæ.*
8 *Pœnam inearcerationis temporalis, seu perpetuæ, ieiuniorum & alias similes potest Prælatus infligere, & subditus tenetur in se exequi.*
9 *De pœna perpetui carceris, & triremis est difficultas, an obligati sint religiosi eas exequi. Proponitur ratio dubitandi pro parte negatiua, & soluuntur rationes contrariæ.*
10 *A sententia affirmatiua, vtpotè à communi recedendum non est. Et satisfit rationi dubitandi.*
11 *Si carcer si ita durus, vt periculum vitæ timeas, fugere potes.*

1. DVplex genus Pœnarum distinguere possumus, aliæ sunt pœnæ spirituales, aliæ corporales. Spirituales sunt, excommunicatio, suspensio, interdictum, irregularitas, & inhabilitas ad quæcumque beneficia, iura, & ministeria spiritualia: Corporales sunt quæcumque corporis afflictio, & castigatio, incarceratio, infamatio, reprehensio, maximè si publica sit, deputatio ad vile ministerium, vel laboriosum &c.

2. Religiosum igitur delinquentem subiectum esse punitioni prælati in comperto est apud omnes; quia est pars communitatis religiosæ, quæ potestatem habet subditos delinquentes puniendi; tum ratione dominij ex professione acquisiti, tum ratione iurisdictionis à Pontifice concessæ. Verum est quòd potestate dominatiua spectata puniri religiosus graui pœna non potest. Non enim potest morti condemnari; neque perpetuo exilio, nec triremibus aliisque pœnis similibus, quia hæ alienæ sunt à domestica, paternaque gubernatione, quam potestas dominatiua respicit. At spectata iurisdictionis potestate hæ omnes infligi possunt, si absque vlla limitatione iurisdictio concessa sit.

3. Et quod attinet ad pœnas spirituales quilibet prælatus regularis, etiam localis (nisi consuetudine, aut constitutionibus religionis limitatum sit) potest religiosum delinquentem censuris excommunicationis, suspensionis, & interdicti personalis innodare; quia hæc potestatis concessio & correctioni delinquentis, illiusque punitioni maximè necessaria,

erat. Sic Suar. *t.4. de relig. tract.8. lib.2. cap.6. num.4.* Notanter dixi *interdicti personalis*: nam locale interdictum cum non solum delinquentes sed innocentes, & non subditos quodammodo afficiat, imponi non potest à prælatis regularibus. Suar. *dicto cap.9. num.5.* Irregularitas verò nunquam imponi potest; quia Text. *in cap. is qui, de sentent. excommunic. in 6.* expressè negat incurri extra casus à iure expressos, & consequenter negat prælato potestatem imponendi irregularitatem, nam si illam haberet, iam extra casus à iure expressos contraheretur irregularitas. Pœna item priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, inhabilitatisque ad officia, & munera religionis certum est religiosum à suo prælato puniri posse, Tum quia ita vsus obtinuit. Tum quia illa munera, honores, & officia à religione conceduntur, quæ optimè potest subditos delinquentes ab eorum vsu, & possessione remouere, illorumque concessioni consensum non præstare. Suar. *dicto cap.9. num.9.* Alias autem inhabilitates, & pœnas spirituales à iure statutas imponendas ob aliquod delictum, si alienæ non sunt à religiosis, & in ea religione tali delicto non est aliqua pœna imposita potest & debet saltem ex honestate superior subdita delinquenti imponere; quia in pœnarum impositione debet ius sequi; cum ergo proprium non habeat, communi conuenit adhærere tex obligatione tamen ad id non tenetur; cum aliàs iustè iudicare possit, pœnasque delicto proportionatas imponere, iure naturali spectato.

4. Dixi *prælatum regularem.* Nam Abbatissa his spiritualibus pœnis coërcere puniréque non potest moniales delinquentes; quia iurisdictione Ecclesiastica caret solumque à Pontifice conceditur potestas dominatiua gubernationi domus necessaria. Quod si aliquando priuilegium excommunicandi, suspendendi, vel interdicendi subditas inueniatur Abbatissis concessum, non est intelligendum de propria excommunicatione, suspensione, & interdicto, sed de quadam separatione à communibus actionibus aliarum monialium; & casu quo de propriis censuris esset priuilegium, credi debet ipsis Abbatissis concedi personæ designationem, qua posita Pontifex censuram ipso facto profert, vt latius hæc prosequitur Suar. t. 4. de relig. *tract.8 lib.2. c.9. à n.10. vsque in finem.*

5. Quoad pœnas corporales attinet, certum est nulli prælato regulari, necdum iudici Ecclesiastico concessum esse subditum delinquentem pœna mortis punire; quia id interdicitur *cap. cum non ab homine de iudiciis.* At sicut iudici Ecclesiastico datum est in aliquibus casibus declarare clericum delinquentem pœna mortis dignum esse illumque priuilegio clericali denudatum iudicibus sæcularibus puniendum tradere: sic videtur prælatum regularem comparatione suorum subditorum id facere posse. Sed contrarium est omnino dicendum, nam esto prælatus regularis possit religiosum à suo consortio eiicere, at non potest clericali priuilegio omnibus religiosis concesso denudare; si quidem eiectum religioso statu non denudat. Sæcularis autem iudex nequaquam hunc eiectum, & à prælato regulari punitum, punire insuper potest ob delicta in religione commissa. Tum quia commissa sunt in alieno territorio. Tum quia sunt iam per sententiam definitiuam punita; imo neque punire potest ob delicta postmodum cõmitenda, cum non ipsi, sed Episcopo subiiciatur, quippè est religiosus; ac proinde persona Ecclesiastica priuilegio fori gaudens, sic Suar. *t.4. de relig. tract.8. lib.2. c.10. n.1. & 2.* Idem quod dictum est de pœna mortis, dicendum est de pœna mutilationis; prælatis inquam regularibus datum non esse hac pœna suos subditos punire; quia & aliena est à religiosa pietate, & eiusdem rationis cum pœna mortis, Suar. *dicto c.10. n.3.* De verberatione publica per plateas, & vias ciuitatis consuetudo obtinuit, ne à prælatis regularibus imponatur; quia religiosum statum, imo & Ecclesiasticum dedecet, ob quam causam nec clericis sæcularibus imponitur. Suar. *supra.*

6. De pœna triremium est grauis difficultas; an possit religiosus delinquens ad illam subeundam à prælatis regularibus condemnari? Et ratio difficultatis est; quia est nimis dura & acerba, & consequenter à pietate, religionis aliena; at ex alia parte est nimis periculosa saluti spirituali damnati ob prauum continuum exemplum aliorum reorum ibi adstantium, & innumeras peccandi occasiones, quæ in illo misero statu occurrunt. Regulares autem prælati in sua gubernatione spiritualem subditorum salutem primò spectare debent, nequeunt ergo suos subditos hac pœna punire. Præterea nequeunt regulares prælati condemnare religiosum verberibus per laicum infligendis; quia est contra decisionem Text. *in c. vniuersitatis. de sentent excomm.* At triremibus damnati verberibus sæpè afficiuntur à laico. Ergo prælati regulares non possunt religiosum triremibus damnare. Neque satisfacit, si dicas in supradicto textu solum prohiberi condemnationem directam verberibus subeundis, non tamen indirectam, & per accidens, vti in præsenti contingit. Non enim prælati regulares verberibus afficiendum religiosum tradunt, sed tradunt triremibus. Quod si ibi verberibus afficiatur, prælato regulari imputandum. Non est: quia suæ condemnationi est per accidens. Non inquam satisfacit; nam vt rectè arguit Suar. *tom.4. de relig. tract.8. lib.2. cap.10. num.6.* vel alia flagellatio licita est, vel non, si licita; ergo cessat lex lata in *dicto cap. vniuersitatis* interdicens religiosum à laico verberari quod non est dicendum. Si illicita; ergo illicitè prælatus regularis religiosum triremibus condemnat; quippè moraliter huic actioni peccaminosæ cooperatur, cum facilè possit illam excusare.

7. Cæterum omnino dicendum est, prælatos regulares potestatem habere hanc pœnam subditis infligendi, si delictum ea pœna dignum sit, quia est nimis graue, & scandalosum, neque occurrit alia pœna, qua commodè puniri possit, & scandalo dato fiat satisfactio: sic tradit latè Nauarr. *com.3. de reg. n.53.* Suar. *tom.4. de relig. tract.8. lib.2. c.10. n.3. & seqq.* supponit Sanch. *lib.6. sum. c.8. n.16.* & alij plures inquirẽtes, an sic damnatus possit fugere. Ratio huius potestatis ex praxi, & consuetudine satis in religionibus recepta (vidente, & consentiente Pontifice) desumitur. Neque rationes in contrarium vrgent. Non prima, nam esto pœna nimis dura sit, & acerba, non est tamen aliena à religiosa pietate, cum delictum graue, & scandalosum est: pietas enim non est contraria iustitiæ, & charitati; imo cum hæc pietas præcipuè in communitatem potius quam in singulares personas exerceri debeat, & religiosæ communitati sæpè expediat delictum religiosi scandalosum grauissima pœna punire in aliorum exemplum; efficitur sanè dictam pœnam triremium ob delictum graue, & scandalosum impositum, cui alia via nequit satisfieri, alienam non esse à religiosa pietate. Neque item vrget secunda ratio desumpta ex periculo peccandi; quia id est per accidens; & ob bonum religionis permitti potest. Fateor tamen prælatos regulares frequenter in pœnis imponendis salutem spiritualem subditorum delinquentium spectare debere; at in aliquo casu raro, & extraordinario non tam illorum salutem, quam salutem aliorum religiosorum, & religionis commune bonum spectari debet. Neque item vrget tertia ratio ex *cap. vniuersitatis* desumpta; quia respondeti potest in eo textu prohiberi verberationem per laicum, quæ fit in correctionem fratris, & more religioso; non autem verberationem in aliorum exemplum; & sæcularibus; infamibúsque reis communem, quam certè consuetudo obtinuit fieri per laicum posse, sicuti fit, cum opus est religiosum torqueri.

8. Pœnam incarcerationis temporalis, seu perpetuæ in alienum, & remotum monasterium constat à prælatis regularibus sæpè infligi; quia sic expedit, tum religioso delinquenti, tum aliorum exemplo, tum bono conuentus, in quo deliquit. Aliæ item pœnæ leuiores, iciunij, leuis flagellationis, deputationis ad officia vilia, & abiecta passim religiosis imponuntur, ad quarum impositionem non est opus Ecclesiastica iurisdictione, sed ex potestate dominatiua, quam Prælati ex professione acquirunt; eas infligere possunt; eáque de causa monialium Abbatissæ hæc potestas concessa est. Religiosi verò non solùm tenentur eas pœnas patienter subire, cùm de facto imponuntur; sed eas in se exequi, si ita à Prælatis præcipiatur; quia est præceptum de re non nimis ardua, & difficili, & tradit Suar. *tom.4. de relig. tract.8. lib.2. cap.10. num.10.*

9. De pœna perpetui carceris, & triremis est difficultas; an obligati sint religiosi eas exequi, si fugere possunt? Ratio difficultatis est; quia *tract. de legib. disp.2. punct.4.* probauimus sæcularem his pœnis damnatum licitè fugere posse; quia extra humanam potestatem esse videtur obligare reum, vt in seipsum exequatur pœnam ita acerbam, & duram. Sed votum obedientiæ non est censendum aliter obligare, quàm præceptum; quia obligatio voti est instar præcepti. Ergo cùm præceptum humanum ad exequendam illam pœnam non extendatur, neque etiam votum extendi debet: & ita tenet Bannes 2.2. *q.69. art.4. post 5. concl.* & indicat Suat. *t.4. de relig. tract.10. lib.11. c.3. n.4.* Neque hæc fuga aduersari videtur Trid. *sess.25. c.4. de reg.* prohibenti religiosis, ne à suis conuentibus sine licentia recedant etiam prætextu accedendi ad superiores, nisi ab eis fuerint vocati? quia si fuga est à triremibus, non est recessus à conuentu; si autem est à carcere conuentus, non tam est recessus à conuentu, quam ab illius carcere, & à pœna ob delictum imposita, neque dici debet illa fuga recessus, cum non animo vagandi fiat, sed quædam iure naturæ concessa interpellatio, & defensio à tam duro, & acerbo grauamine. Quod si dicas, te obligatum esse obedire prælato secundùm regulã præcipientis, at cum tibi præcipit ob delictum commissum in carcere, vel triremibus manere, secundùm regulam præcipit, ergo obedire teneris? Respondeti potest concedendo præcipere superiorem secundùm regulam, cum tibi præcipit manere in carcere, vel triremibus absque resistentia, quia secundùm regulam diuinam, & naturalem est, ne condemnatus sententiæ iustæ resistas, resisteres enim Dei ordinationi. At si præcipiat tibi manere absque potestate fugiendi contra regulam naturalem præcipit, ac proinde nullum est præceptum. Quod si iterum vrgeas, te obligatum esse ex voto obedientiæ eo in loco manere, quo superior iustè iudicauerit, *argum. text. cap. quorundam, & cap. si religiosi. de elect. lib.6.* at iustè iudicauit; cum te ad perpetuum

carcerem,

carcerem, vel triremes condemnauit. Ergo ab eo loco absque licentia prælati recedere non potes. Respondeo negando consequentiam: concedo enim ex voto obedientiæ te obligatum esse manere, vbi superior iustè iudicauerit; nego tamen iustè iudicare, si iudicet te debere liberè, & absque fugæ potestate in carcere, vel triremibus manere; benè tamen si iudicet te debere ibi manere detentum nulla resistentia facta.

10. Fateor animum esse propensum in supradictam sententiam: at quia oppositа communi doctorum calculo firmato est, nolo ab ea recedere: docuit eam Caietan. 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *in respons. ad secundam concluſ.* Nauarr. *com.* 4. *de Regular. num.* 63. Salcedo *tract. cap.* 137. vers. *sed vtrum*, & vers. *imo circa carcerem.* Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 10. *n.* 10. Sayro in claui regia *lib.* 12. *c.* 18. *num.* 9. Manuël *quæst. regular. t.* 2. *q.* 22. *art.* 6. Sanch. *lib.* 6. *c.* 8. *num.* 12. & 16. Ratio est; quia negari non potest, te obligari posse ex voto obedientiæ non solum ad sustinendam iustam pœnam carcetis, & triremis, sed etiam ad eam non fugiendam, cum condemnatus fueris: at sic est præsumendum te obligari velle, cum votum obedientiæ emittis, si quidem ferè omnes Doctores eam tibi obligationem imponunt. Ergo fugere non potes. Et ex his soluitur ratio dubitandi. Nam esto ex præcepto, & lege absolutè sumpta obligari non possis ad non fugiendum carcerem asperum, & durum, at ex voto obedientiæ obligari potes quia ita vouisti.

11. Illud vero certius est, si carcer sit ita durus, vt merito periculum vitæ timeas, eo quod cibo conuenienti ad vitæ sustentationem priuaris, vel humi cubare cogeris, vel penè nudus existere media hyeme, & in loco humido, & frigido, vel aliam ob causam, te posse fugere; quia esto illa pœna iusta esset, non est credendum te voto voluisse priuari libertate illam fugiendi, si commodè possis; cum sit contra inclinationem naturalem, quam homines habent propriam vitam conseruandi; sic ex communi sententia testatur Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 10. *in fine n.* 11. Quod à fortiori procedit, si hoc periculum vitæ non ex pœna imposita per sententiam iustam, sed ex modo illam exequendi proueniret; quia hæc est manifesta iniuria; ac proinde credi non debet te voluisse ad illam sustinendam obligari: sic sustinent Nauar. *com.* 4. *de Regular. n.* 64. *corol.* 7. & 8. Salcedo *pract. c.* 137. §. *est tamen*, Sayro in claui regia, *lib.* 12. *c.* 18. *n.* 10. Sanch. *lib.* 6. *sum. c.* 8. *n.* 14. vbi merito addit idem esse dicendum casu quo sententia reipsa iniusta sit, esto sit iusta secundùm allegata, & probata. Quia eo casu non teneris præcepto superioris obedire, vtpotè falsæ præsumptioni innitenti.

PVNCTVM XV.

An religiosus ita obligatus sit superiorum sententiis obedire, vt nullo modo ei permittatur appellatio.

SVMMARIVM.

1 *Videtur religiosis esse interdicta appellatio.*
2 *Varij casus distinguuntur.*
3 *Si prælatus in infligendis pœnis iustitiæ terminos non excedat, appellare non potes; benè tamen querelam, vel supplicationem interponere apud superiorem maiorem.*
4 *Si prælatus terminos iustitiæ in grauibus pœnis imponendis excedat, licitum tibi est remedio appellationis vti.*
5 *Hæc tamen appellatio prius ad prælatos domesticos, quam ad Nuncium, vel Pontificem deferenda est.*
6 *A leui præcepto, ordinariáque correctione non permittitur appellatio.*
7 *Vt in causis grauibus appellationem interponere possis, debet esse excessus prælati manifestus.*
8 *Apponitur discrimen inter clericos, & religiosos circa appellationis interpositionem.*
9 *An eo casu quo potes appellationem interponere, possis (si occasio non suppetit appellandi) ad superiorem maiorem nulla petita ab inferiori licentia iter arripere? Negat Suar.*
10 *Verius censeo oppositum. Et satisfit rationi à Suar. adductæ.*
11 *Licet tibi recusare superiorem suspectum, quando times te iniustè vexaturum.*

1. VIdetur religiosis omnino interdictam esse appellationem. Nam in *cap. ad nostram, de appellationib.* dicitur: Remedium appellationis non ideo est inuentum, vt alicui à religionis, & ordinis obseruantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrocinium exhibere, & *cap. reprehensibilis, eodem tit.* inquit: Statuimus ne subiecti contra disciplinam Ecclesiasticam in vocem appellationis erumpant, & in fine subditur: præcipuè hoc in religiosis volumus obseruari, ne religiosi cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi contra regularem præsidi sui, & capituli disciplinam appellare præsumant, sed humiliter, ac deuotè suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem iniunctum: idem ferè habetur in *cap. licet, de officio ordinarij.* Deinde supradicta appellationis denegatio manifestissimis priuilegiis à Sede Apostolica religionibus concessis confirmata est, vt constat ex iis, quæ refert Sorbus in compend. priuileg. mendicant. verbo *appellare, n.* 1. 2. & 3. & habentur in compend. priuileg. societatis IESVS verbo *appellatio.* Quibus priuilegiis, & decretis plures religiones adhærentes vocem appellationis à se excluserunt, vt habetur in *lib. monumenta ordinum conceſſ.* 499. & specialiter de ordine prædicatorum tradit Armilla verbo *accusatio in fine.* Ratio verò, qua credendum est Pontificem motum esse ad denegatum religiosis appellationis remedium fuit, vt bono nomini religionis, & specialiter religiosorum quieti, & tranquillitati prospiceret, quæ non leuiter ex concessa appellatione læderentur. Neque obstat appellationem esse naturalem quandam à iure introductam defensionem *cap. omnis oppressus 2. q. 6. cap. suggestum de appellationib. leg.* 1. *ff. de appellationib.* defensionémque naturalem tolli non posse, *clement. pastoralis de re iudicata ad finem*, quominus ad bonum commune religionis non debeat interdici; præcipuè cum hoc interdictum liberè à religiosis admittatur professionem emittentibus in religione dictis priuilegiis gaudente, eáque constitutiones habente.

2. Cæterum vt distinctè in hac grauissima quæstione procedamus, aduertendum est, appellationem interponi posse; eo quod prælatus limites iustitiæ excessit in pœnis imponendis, vel quia intra limites iustitiæ vsus est summo rigore. Deinde potest esse appellatio à pœna graui, & infami, qualis esset carcer perpetuus, vel triremis, vel dira repetita verberatio; vel à pœna leui, quæ ob frequentes defectus imponitur. His positis.

3. Dico primo, si prælatus in infligendis pœnis iustitiæ terminos non excedit, ne quis ab eius sententia appellare. Quia eo casu non grauaris à prælato, sed à tuo delicto, neque tibi prælatus vllam iniuriam infert summo rigore vtens, tametsi nullam gratiam faciat: sic Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 9. & supponunt ferè omnes Doctores concedentes appellationem tantummodo vbi est excessus, & grauamen.

Verum etsi in supradicto casu non tibi licitum sit appellare; at querelam, vel supplicationem interponere apud superiorem maiorem, vt ipse ex officio rigorem mitiget, omnino licet; quia per hanc querelam, & supplicationem superioris ius inferioris rigide iudicantis non læditur, cum illum non impediat ad executionem sententiæ procedere, neque causam ad superiorem maiorem deuoluat: sic Nauarr. *lib.* 2. *consil. tit. de sentent. & re iudic. conſ.* 2. aliàs *tit. de appell. conſ.* 5. *n.* 8. Man. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 29. *art.* 2. Sayro in claui regia *lib.* 12. *c.* 17. *n.* 38. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 6. & 9. Sanch. *lib.* 6. *sum. cap.* 9. *num.* 110. *fine.*

4. Secundo dico, si prælatus terminos iustitiæ in grauibus pœnis imponendis excedat, licitum tibi est remedio appellationis vti, præcipuè si per viam querelæ, & supplicationis non reputas satis tibi esse subueniendum; quia eo casu appellatio est remedium necessarium ad propulsandum superioris iniuriam, neque credendum est te voluisse in professione huic remedio renunciare. Tum quia ea renunciatio religioni vtilis non est, ne prælatorum iniquitatem foueat. Tum quia ex nullo iure, vel priuilegio colligitur; hæc enim prohibent appellationem à correctione regulari, non à graui iniuria. Nam ea stante concessum est appellationis remedium, *cap. de priori appellationib.* vbi grauiter iubetur puniri quidam Prior, eo quod appellationi ad Sedem Apostolicam non detulerit; cum omnibus concessum sit ad Sedem Apostolicam appellare posse, *cap. ad Romanam.* 2. *quæst.* 6. Idem constat *ex cap. licet de officio ordinar.* & *cap. super quæstionum, de officio delegat.* & expressè Cistercienſibus appellatio concessa est in causa denegatæ iustitiæ, aut pro notoria iniuria, vti refertur in cõpend. priuileg. societatis. verbo *appellatio* §. 2. Et licet fratribus Franciscanis interdicta sit appellatio ad sæcularia tribunalia sub excommunicationis pœna per Gregor. XIII. in bulla incipiente, *quoniam nostro pastorali, anno* 1575. concessa tamen est ad Generalem, & ad protectorem ordinis, & Pontificem. Idemque declarauit sacra Cardinalium cõgregatio *anno* 1587. & Sixtus V. *anno* 1588. in bulla incipiente: *Ad Romanum spectat Pontificem*, provt refert Sorbus in compend. priuileg. mendicant. verbo *appellare, in suis annotationib.* §. 1. Ergo in huiusmodi casu omnino appellatio concedenda est: atque ita sustinent Nauarr. *com.* 3. *de Regularib.* circa finem *num.* 51. & *lib.* 2. *consil. tit. de appellation. conſ.* 4. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 11. *quæst.* 7. & 8. Sayro in claui regia *lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 38. Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 11. Sanch. *lib.* 6. *summ. cap.* 9. *num.* 110.

5. Hæc tamen appellatio prius est ad prælatos domesticos deferenda, quam ad Nuntium, vel Pontificem; quia religionis honori, non leuiter expedit, si suorum religiosum causæ intra priuatos parietes contineantur, neque extrà

ad sæcularia tribunalia prodeant, vt optimè docuit Sotus *l. 5. de iust. q. 6. art. 3. vers. at vero*, Cordub. Arag. Salon. Sayro, Man. Valen. relati à Sanch. *dicto cap. 9. n.* 108. Suar. *lib. 2. cap.* 11. *num.* 11.

6. Dixi appellationem posse interponi in causis grauibus, seu cum graues pœnitentiæ imponuntur: nam à leui præcepto, ordinariaque correctione nullatenus censeo esse permittendam ob bonum ipsius religionis, quæ sine dubio graue nocumentum inde pateretur: disciplinaque religiosa facilè corrueret, cum raro vlla correctio executioni mandari posset, tum ob dilationes, tum ob fraudes, & negociationes, quæ in tali appellatione intercederent: eaque de causa censeo non tam ex iure positiuo, & priuilegiis religioni concessis, quàm ex vsu, consuetudineque recepta in his causis appellationem non admitti; sed deuotè, ac humiliter suscipiendum esse quidquid fuerit iniunctum: & ita tradit aliis relatis Sanch. *lib. 6. sum. cap. 9. num.* 109. Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap.* 11. *num.* 12.

7. Aduertere tamen debes, vt in causis grauibus appellationem interponere possis, debere excessum prælati esse manifestum: nam dubium excusare te non potest ab executione legis certæ prohibentis appellationem, quod satis indicat text. *in cap. ad nostram*, vbi non obstante religiosi appellatione iubetur prælato, vt eum corrigat, & castiget, & ita tradit Glossa *ibi*, & Couarr. *pract. cap. 23. vers. 6.* Suar. *aliis relatis dicto cap* 11. *n.* 10. Sanch. *lib. 6. cap. 9. num.* 110.

8. Hinc deduces, quid speciale sit in religiosis potius quam in clericis sæcularibus in materia appellationis Clericis inquam sæcularibus appellatio absolutè conceditur à grauamine; eaque de causa grauamen dubium sufficit ad appellationem interponendam, iuxta Textum *in cap. cum speciali §. porro de appellationib.* at religiosis absolutè appellatio interdicta est, ac proinde ad sui permissionem grauamine manifesto indiget. Deinde religiosi appellantes exprimere debent causam appellationis, vt teneatur iudex appellationi deferre. Nam cum appellatio absolutè illis interdicta sit, & solum permissa, cum prælatus modum excedit, necesse est excessum exprimere, vt inde iudici constet appellationem legitimam esse; aliàs poterit vt iniquè factam repelle: sic Abbas *cap. ad nostram n. 9. de appellationib.* & ibi Felin. *& in cap. quoad consolationem n. 20. de sentent. & re iudic.* Nauarr. *lib. 2. consil. tit. de appellat. cons. 2. aliàs* 1. Sanch. *aliis relatis lib. 6. cap. 9. n.* 105.

9. Sed inquires; an eo casu, quo potes appellationem interponere ob grauamen manifestum, possis (si occasio non suppetit appellandi) ad superiorem maiorem nulla petita ab inferiori licentia iter arripere? Negat Suar. *tom 4 de relig. tract. 8. lib. 2. c. 11. n.* 15. Mouetur ex Trid. *sess. 25. c. 4.* prohibente religiosis à suis conuentibus recedere etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Ergo prohibet concilium supradictum recessum. Tum quia recessus à monasterio etiam prætextu accedendi ad superiorem nulla causa vrgenti semper fuit prohibitus, sed concilium aliquid nouum prohibere intendit, vt indicant illa verba: *Nec liceat regularib.* Tum quia non satis concilium religiosorum vagationi prouideret, si hunc recessum non interdiceret. Neque obstat ex hac prohibitione graue nocumentum religioso grauato accidere; quia illud ob bonum religionis, ne aliis inquam detur occasio vagandi tolerare debet. Quapropter inquit Suar. in foro exteriori, nunquam hic recessus iudicandus est licitus. In foro autem conscientiæ solum quando vel magnum commune bonum euidenter periclitaretur, vel extrema necessitas imminet alicuius grauissimi, & irreparabilis nocumenti Quod raro contingere potest. Adde ex hoc furtiuo discessu frequenter scandalum graue sequi, quod cuilibet temporali nocumento præferendum est.

10. Nihilominus verius censeo, te posse in supradicto casu iter ad superiorem arripere, si occasio non suppetit interponendi appellationem, vel supplicationem, neque superiorem grauantem licentiam præsumis concessurum; sic docuit Nauar. *com. 2. de regular. n. 62. & comm. 3. n. 51. ad 4.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 11. quæst. 7.* Eman. Sà verbo, *religio n. 71.* Man. Rodr. *quæst. regul. tom. 1. quæst. 30. art. 3. & in sum. cap. 43. num. 40.* Barbosa *remission. concil. dicta sess. 25. cap. 4.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 8. num. 17.* Suarez sibi contrarius *tom. 4. lib. 3. de relig. cap. 1. num. 6.* Ratio est; quia si eo casu permissa est verbalis appellatio, etiam permitti debet appellatio realis, quæ facto ipso fit, iuxta textum *in cap. delicti 2. de appellationib.* Neque Concilium *sess. 25. cap. 4. de regularib.* credendum est hunc progressum interdixisse; quia interdiceret defensionem naturæ debitam, neque item præsumi potest voluisse te astringere ad petendam licentiam à superiore grauante, quando moraliter es certus petitam non fore concessurum; sed potius timeso b id esse amplius grauandum. Neque obstat nihil nouum prohibere Concilium; sufficit enim si prohibitionem antiquam, & non satis cognitam renouet. Præterquam quod eo decreto aliquid nouum inducit, scilicet, ne recedant regulares à suis conuentibus etiam prætextu accedendi ad superiores, nisi ab eisdem missi, vel vocati in scriptis sint; alioquin puniendi sunt tanquam desertores instituti, quod certè antiquo iure cautum non erat. Item ne accedant nisi ob propulsandum iniuriam grauem, & manifestam, quæque alia via commodè reparari non potest, sicuti diximus de verbali appellatione: sic Azor. & Sanchez *locis citatis.* Neque item recedant, si scandalum, & religionis perturbatio, quæ ex fuga præsumuntur prouentura, præponderent religiosi detrimento: sic Sanchez *dicto cap. 8. num.* 17. Suarez *vtroque loco.* His conditionibus positis non peccas iter arripiendo ad superiorem; quia non voluntate, sed necessitate coactus à monasterio recedis, & ad superiorem pergis. Neque ordinarius te punire potest, si sufficienter ex hac legitima occasione fugisse probes, vt bene tradit Nauarr. *comm. 3. de regular. num. 57. ad 4.* Sayro *eo cap. 17. num. 40.* Man. Rodrig. *quæst. regul. tom. 1. quæst. 30. art. 4.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 8. num. 18.* Suarez *dict. tom. 4. de relig. lib. 3. cap. 1. num. 6.*

11. Rursus inquires, quando tibi licitum sit recusare superiorem suspectum, & recusatio admittenda sit? Breuiter respondeo, tibi licere quoties certitudine morali times superiorem grauiter, & iniustè te vexaturum: quia stante graui, & iniusta vexatione tibi licet appellatio, vt dictum est. Ergo licet recusatio ad vitandam eam grauem, & iniustam vexationem. Eo enim casu, quo permittitur appellatio, permittitur antecedens recusatio, vt colligitur manifestè ex textu *in cap. super eo el. 2. de appellationibus* per argumentum à contrario: sic tradunt Abbas *cap. cum speciali §. porro, num. 3. de appellationib.* & ibi Franc. *num. 4.* Præposito *in fine*, & alij quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 6. sum. cap. 8. in fine num.* 111.

PVNCTVM XVI.

Qualiter religiosis fuga à religione interdicta sit. Et sub qua pœna?

SVMMARIVM.

1 *Graue peccatum committis fugam arripiendo.*
2 *Dupliciter à religione fugere potes, si fugias animo redeundi, eris fugitiuus, si eo animo careas, eris apostata.*
3 *Huic sententiæ refragatur Suarez validissimis fundamentis.*
4 *A communi sententia recedendum non est, & satisfit fundamentis Suar.*
5 *Explicatur definitio apostasiæ.*
6 *An censendus sis apostata, si fugias à tua religione, & aliam ingrediaris? Communis sententia negat.*
7 *Opposita sententia satis probabilis & verior est.*
8 *Pro fugitiuo quatenus talis est, nulla est pœna, nec censura ipso iure lata.*
9 *Sub verbo generali recedere, dimittere, deficere à religione fugitiui non apostatæ comprehenduntur.*
10 *Aduersus apostatas iure communi spectato nullæ sunt censuræ, nec pœnæ ipso iure latæ.*
11 *Expenditur textus in cap. 2. Ne clerici, vel monachi.*
12 *Secundo expenditur textus in cap. fin. de Apostat.*
13 *Tertio expenditur bulla Pij IV. quæ incipit: postquam diuina bonitas.*
14 *Prælatus religionis capere, & incarcerare, aliisque pœnis afficere apostatas potest, etiam extra proprium territorium.*

1. NEmini est dubium, te graue peccatum committere hanc fugam arripiendo; quia te subtrahis à potestate prælati, cui obediendo per professionem tradidisti; ac proinde peccas tum contra iustitiam lædendo ius superioris: tum contra religionem votum obedientiæ transgrediendo. Est enim specialiter religiosis hæc fuga interdicta à Trid. *sess. 25. cap. 4. de Regul.* ibi nec liceat regularibus à suis conuentibus recedere. Omitto circunstantiam scandali, quæ semper eam fugam comitari solet.

2. Dupliciter autem à religione fugere potes. Primò animo, aliquo tempore vagandi, & postmodum ad religionem redeundi. Secundò animo nunquam redeundi. Si fugias animo redeundi, es fugitiuus; at si eo animo cares, eris apostata: sic communiter doctores tradunt verbo apostasia à religione. Caiet. *2. 2. quæst. 12. art. 1. dub. 2.* & ibi Bannes, & Arag. Valent. *disp. 1. quæst. 12. punct.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 15. num.* 109. Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 16. quæst. 1.* Man. Rodrig. *quæst. regul. tom. 1. quæst. 30. art. 1.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 8. num. 2.* & alij apud ipsos. Neque ad hanc fugam, vel apostasiam necessaria est habitus religiosi dimissio. Nam eo retento te à potestate prælati subtrahere potes, fugamque, apostasiam committere: sic docent Bannes, Arag. Valen. & Man. Rodrig. *suprà*, Sanch. *num. 3.* Azor. *cap. 17. quæst. 6.*

3. Huic

3. Huic communi sententiæ refragatur Suar. *t.* 4. *de relig. tr.*8.*lib.*3.*c.*1.*n.*21.*& c.*2.*n.*14. existimans fugitiuum esse,qui à religione fugit animo breui tempore redeundi, apostatam verò esse, qui fugit animo extra religionem diu commorandi; quia diuturna commoratio moraliter perpetua censenda est. Probat suam sententiam primò: Quia multi ex antiquioribus indicant sic à religione recedentem esse apostatam,vt patet ex Innocent. Panorm. & aliis *in cap. vlt. de renunciat. & in cap. intelleximus de ætate, & qualit.* Secundò, quia aliàs monachus dimittens habitum animo vagandi, & militandi per aliquot annos, & postmodum ad religionem redeundi,non esset apostata censendus contra communem modum loquendi, & prælatorum sensum,qui hos tanquam veros apostatas puniũt. Tertiò clericus in sacris,qui dimisso habitu sæculariter viuit, verè,& propriè censetur apostata ab ordine; tametsi animum habeat clericalem habitum iterum reassumendi.Ergo idem est in apostasia à Religione, vtraque enim apostasia consistit in retrocessione à perfectiori statu. Si igitur in ordine datur vera retrocessio absque animo perpetuitatis, etiam in religione concedi debet. Quartò probat, quia ad veram retrocessionem necessarius non est animus nunquam redeundi ad priorem statum. Sed eo ipso, quo vellet cadere à priori statu, & in alium conuerti, censetur retrocedere; tametsi animum habeat postmodum redeundi, vt qui recedit à fide absolutè est apostata, esto animum habeat ad fidem iterum redeundi, & qui peccat moraliter, & à gratia Dei cadit, simpliciter retrocedit à via salutis,quamuis eodem tempore animum habeat postmodum pœnitendi. Ergo intentio nunquam redeundi ad priorem statum non est de ratione apostasiæ.Ergo in fuga diuturna præcipuè cum habitus dimissione coniuncta vera apostasia sita est. Quod si inquiras, quanta debeat esse temporis mora, vt apostata esse censearis?Respondet Suar.*d.l.*3.*c.*1.*n.*25. prudentis arbitrio æstimandum esse,neque hoc nouum videri debere; si quidem in excommunicatione incurrenda ob dimissionem habitus ad prudentis arbitriũ recurrimus.Quoties igitur tanto tempore extra potestatem prælati commoraris, vt merito censeri possis permanenter,& stabiliter extra religionẽ viuere, verè es apostata. Vnde si à principio extra septa monasterij egrediaris animo diu vagandi,vel vagãdi quovique aliter tibi expedire iudicaueris,apostata cẽsendus es,& pœnas apostatarum incurris.Pro hac sententia nullũ sibi patronũ Suar.adducit,at fauet illi D.Anton.2.*p.tit.*12.*c.*6.paulo post princ.& 3.*p. tit.*16.*c.*5.§.3.Tab.verb.*apost.q.*14.*n.*17. & ibi Armill.*n.*6.

4. Nihilominus à communi, & frequentissima doctorum sententia exigente ad veram, & propriam apostasiam à religione animum nunquam redeundi ad priorem statum, recedendum non est. Omnes enim DD.fugitiuum ab apostata distinguunt; at si ex supradicto animo non distinguuntur, non apparet inter eos firma distinctio:præcipuè cum omnes supradictæ rationes probent apostatam esse qui à religione fugit animo breui tempore redeundi,sicuti esset apostata à fide eam ad horam relinquens,& à via salutis eo ipso: quo à gratia cadit, & ab ordine, si sæculari habitu indutus per aliquot dies incedit. At neque ipse Suarez hoc admittit. Ergo censendum est fugitiuum esse qui fugit animo reuertendi, apostatam vero qui eo animo caret.Neque obstant rationes in contrarium adductæ. Ad primam concedo aliquando Doctores fugitiuum apostatam appellare, sed hoc intelligitur largè, & impropriè, quod ex eo conuincitur; quia pœnis apostatis impositis negant affici fugitiuum. Ad secundam admitto te fugientem à religione, diuque in fuga perseueraurem reputari apostatam, & tanquam apostatam puniri; quia præsumeris animo non reuertendi fugere.At si eum animum habeas in foro conscientiæ pœnis apostatarum puniendus non es.Ad tertiam concedo apostatam ab ordine esse, si constitutus in sacris habitum clericalem dimittis,& sæcularem induis tempore sufficienti, vt laicus communiter reputeris. Nam cum habitus in signum clericalis ordinis deportari præcipiatur, si eo te ita denudas absque causa, vt ex communi modo procedendi clericus non reputeris, apostata ab ordine iudicaris; tametsi animum habeas post modum clericalem habitum assumendi. Non sic in apostasia à religioso statu: hæc enim consistit in recessu ab obedientia secundum quod promissa est: cum autem sit promissa in perpetuum, & per totam vitam, non es censendus ab ea apostatare simpliciter, & absolutè,si animum habeas limitato tantum tempore recedendi,sed solum apostatare ex parte incompletè,& secundum quid. Secus est in apostasia ab ordine contingente ex dimissione habitus: nam cum huiusmodi habitus in signum ordinis deferatur,eo dimisso cessat signum absolutè & simpliciter:quin opus sit in perpetuum dimitti. Ad quartam, concedo ad veram retrocessionem à fide, & à gratia non esse necessarium animum nunquam reuertendi ad priorem statum: quia fides,& gratia cum non respiciens tempus integrè,& completè vnico instanti deperduntur. At religiosus status cum respiciat tempus totius vitæ: si quidem pro omni eo obedientiam, & subiectionem promisisti censeri non potest integre, & completè ab eo retrocedere, si animum habeas eum limitato tempore relinquendi.

5. Notanter dixi hanc apostasiam esse recessum perpetuum à religione, seu religioso statu. Primò, vt excluderem fugientem ab statu,qui verè religio non sit; eo quod non sit vt talis per sedem Apostolicam approbatus,tametsi tria vota castitatis,paupertatis & obedientiæ in eo emittantur,sicuti communiter dicitur de Beatis tertij Ordinis D.Francisci,& Dominici: nam esto hæ fugientes grauiter peccent:quia se subtrahũt ab obedientia promissa,non tamen sunt apostatæ à religione, quia status ille non est propria religio sic Sanch.*lib.*6.*sum.c.*8. *n.*5. Suar. *t.*4.*de relig. tract.*8.*lib.*3.*c.*2. *n.*6. Secundò, vt comprehenderem fugientes è Societate IESV post vota biennij, quia verè fugiunt à religioso statu his votis constituto iuxta definitionem Greg. XIII. in sua constitutione, quæ incipit *Ascendente*, & tradunt Sanch. & Suarez *suprà*.

6. Sed leue dubium non est: an censendus sis apostata, si fugias à tua religione ingrediendo aliam inualidè; Communis sententia negat; eo quod ex tua voluntate ab statu religioso vt sic non deficias: tametsi deficias ab hoc particulari, & proprio statu:habes enim voluntatem non relinquendi absolutè statum religiosum, sed commutandi statum vnius religionis in alium.Et licet illa commutatio non sortiatur effectũ non impedit,quominus tu habueris voluntatem sub illo statu religioso viuendi. Non igitur ex voluntate à religioso statu recedis. Ergo non es apostata à religione: sic Syluester verbo *religio* 4.*quæst.*4. & verbo *apostasia,quæst.*4.*n.*9. & ibidem ferè omnes Summistæ. Caietan. 2.2.*quæst.*12.*art.*1. & ibi Aragon. *dub.vnic.*Bannes *dub.*1.*concl.*4. Valent.*disp.*1.*quæst.*12.*punct.*1. *ad fin.* Azor. *tom.*1. *instit. moral. lib.*12. *cap.*17. *quæst.*7. Man. Rodrig.*tom.*1.*qq.regul.q.*30.*art.*1. Lessius *lib.*2.*de restit.cap.*41. *dub.*13.*n.*102.Sanch.aliis relatis,*lib.*6.*sum.cap.*8.*num.*8.

7. Verùm etsi hæc sententia probabilissima sit, oppositam censeo satis probabilem, & fortè veriorem. Primò, quia si recedas à tua religione aliam inualidè ingrediens verè, & propriè es fugitiuus, vt ipsemet Sanch. *n.*9. concedit, & meritò: quia te subtrahis ab obedientia debita, in quo fugitiui ratio consistit; *argum.leg.*17.*ff.de habilit. edict.* Ergo eris apostata, si recedis animo nunquam reuertendi. Fugitiuus enim & apostata, vt supra ex communi sententia firmatum est, ex nullo alio capite distinguntur, nisi quia fugitiuus recedit à religione solum pro determinato tempore, apostata verò recedit in perpe uum. Secundò in eo recessu recedis omnino à religioso statu; quia à religione, in qua verè es professus, quantum est ex tua parte recedit in perpetuum; aliam autem non assumis verè,& propriè,sed solum apparenter;ergo. Tertiò nequis habere voluntatem commutandi statum prioris religionis cum statu posterioris assumptæ; quia est impossibilis talis commutatio. Ergo solum habes voluntatem discedendi ab statu assumpto; ergo es apostata. Quartò hunc sic recedentem Summi Pontifices tanquam verum apostatam puniunt, vt constat ex Bulla Pauli III. incipiente,*licet debitum pastoralis officij:*vbi postquam interdixerat transitũ è Societate ad aliam religionem (Carthusia excepta)concludit.Præpositũ generalem punire posse sic egressos,ac alios quoscunque dictæ Societatis apostatas: vbi expendendum est verbum *alios* similitudinem denotans?& subiungit in quocunque habitu apostatas prædictos contigerit inueniri, posse eos excommunicare, capere, incarcerare, & aliàs suæ disciplinæ submittere. Ergo censet Pontifex non excusari ab apostasia ob habitum alterius religionis iniquè,& inualidè assumptum.Idem expressius colligitur ex Bulla Pij V. contra Apostatas Societatis *edito anno* 1565.incipiente *æquum reputamus:*ibi:transeũtes tanquã apostatas ad suam potestatem reuocare, &c. quasi diceret: hos transeuntes vtpote veros apostatas possunt prælati reuocare non minus quã eos qui è Societate ad sæculum redire voluerunt.Idem colligitur ex Bulla Greg. XIII. incipiente, *Dilecte fili*, hos transeuntes pœnis apostatarum afficiente. Sunt ergo veri apostatæ, & ita tradit Suar. *tom.*5.*de censur.disp.*31.*sect.*6. *n.*4. & *tom.*4.*de relig.tr.*8.*lib.*3.*cap.*12.*à n.*17.

8. Superest dicendum pœnis fugitiuo, & apostatæ impositis. Pro fugitiuo quatenus talis est,nulla est pœna,nec censura ipso iure lata; vt benè expendunt Nauar. *com.*2.*de regul. num.* 61. Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.*8. *lib.*3. *cap.*1. *num.*10. Nam esto *in cap.*2. *Ne Clerici,vel Monachi in* 6. fugitiuis dimittentibus habitum pœna excommunicationis imponatur, non ob fugam, sed ob dimissionem habitus imponitur. Et idem est de excommunicatione imposita ob accessum ad quæuis studia sine licentia superioris, & maioris partis capituli; quia non ob exitum præcisè sine licentia, sed ob talem exitum ad studia fertur. Priorem excommunicationem explicuimus, cum de obligatione retinendi habitum locuti sumus. Secundam explicabimus tractat. de excommunicat. vbi de specialibus excommunicationibus non reseruatis. Deinde quamuis *in extrauagant.* 1. *de Regularib.* excommunicetur religiosus sine licentia recedens, & vagans, non excommunicatur ipso iure ob recessum, & euagationem,

ſed excommunicatur ob non reditum intra quindecim dies poſtquam fuerit monitus, vt redeat. Adde ibi ſermonem eſſe de eo, qui egreſſus fuit animo tranſeundi ad aliam religionem. Solum de quadam extrauaganti Pauli IV. quæ incipit *poſtquam diuina bonitas*, vbi variæ pœnæ ſtatuuntur aduerſus temerè vagantes extra religionem; dubium eſſe poterat; an fugitiuos comprehenderet; Sed dicendum eſt ſolos fugitiuos apoſtatas comprehendiſſe: quod ſatis mihi perſuadet ea continua verbi apoſtaſiæ repetitio, quæ in ſupradicta Bulla; & in Bulla Pij IV. edita in eius confirmationem, quæ eſt prima illius in bullario habetur, tum ex proœmio ipſarum bullarum, ex quo intentio Pontificis plenè colligenda eſt, ibi enim proteſtantur Pontifices ſe velle contra apoſtaſiam ipſam plenius prouidere, & quantum in ſe eſt de medio tollere, & ita ſuſtinent Sanchez *lib. 6. ſumm. cap. 8. num. 10.* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 2. num. 13.* An autem ex conſtitutionibus in fauorem aliquarum religionum editis fugitiui non apoſtatæ excommunicentur, aliáſve pœnas incurrant, non eſt noſtrum definire, ſed vnuſquiſque ſuas conſtitutiones examinet.

9. Solum aduerto ex verbo generali recedere, dimittere, deficere à religione non ſatis colligi fugitiuos non Apoſtatas comprehendi; quia ij ſimpliciter religionem non dimittunt, nec ab ea recedunt, aut deficiunt, ſed ad tempus; ac proinde ſecundum quid, & incompletè, & cum pœnæ extendendæ non ſint, ſed limitandæ: defectionem, dimiſſionem, & receſſum ex hac temporali fuga contingente non comprehendent. Quapropter cenſet Sanchez *dicto lib. 6. ſumm. cap. 7. num. 11.* excommunicationem, aliáſque pœnas appoſitas aduerſus recedentes à Societate in Bullis Pauli III. & Pij V. Gregor. XIII. quorum meminit compend. priuileg. Societatis, verbo *apoſtata*, ſolos fugitiuos apoſtatas comprehendere, non eos fugitiuos, qui recedunt animo reuertendi; tametſi contrarium ſentiat Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 2. num. 16.*

10. Apoſtatis verè, ſi ius commune ſpectemus, nullæ ſunt pœnæ, nec cenſuræ ipſo iure latæ; ſic docuit Nauarr. *comm. 2. de regul. n. 61.* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 1. n. 10. & 31.* colligiturque ſatis ex Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 4. de regularib.* vbi loquens de iniquè recedentibus à ſuis conuentibus nullius pœnæ mentionem fecit, ſed arbitrio ſuperioris puniendos reliquit. Verum vt hæc veritas apertius innoteſcat, expendamus textus; qui videntur probare eſſe aliquas pœnas iure communi latas aduerſus apoſtatas à religione.

11. Primo adducitur *text. in cap. 2. ne clerici, vel monachi in 6.* vbi ne religioſi vagentur excommunicatio imponitur dimittentibus habitum, ergo ſi habitu retento vagantur, eandem excommunicationem contrahent, vtpote qui lædunt finem conſtitutionis. Sed vt ſuperiùs dixi hæc excommunicatio non ob vagationem præcisè, ſed ob vagationem habitu dimiſſo imponitur; imo non ob vagationem, ſed ob ſolam habitus dimiſſionem, ex qua ſumitur occaſio vagandi excommunicatio lata eſt: & ita tradunt Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 15. n. 109.* Suarez *tom. 5. de cenſur. diſp. 31. ſect. 6. num. 1. & t. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 1. num. 17.* Sanchez plures referens, *lib. 6. ſumm. cap. 8. num. 20.*

12. Secundò adducitur *Text. in cap. fin. de Apoſtat.* vbi recipientes ordinem ſacrum in apoſtaſia ab illius executione ſuſpenduntur, quouſque à Pontifice diſpenſentur. Atque ita non ceſſat hæc ſuſpenſio ob reditum ad religionem, ſed neceſſario indiget diſpenſatione Pontificia. Prohibita autem executione ordinis inferioris, conſequenter prohibetur ſuperioris acceptio iuxta regulam deductam ex *cap. cum illorum, de ſent. excommun.* ibi: cum maiora intelligantur prohibita, cui vetita ſunt minora: & tradit Sanchez aliis relatis, *lib. 6. ſumm. cap. 8. num. 22.* Suarez *tom. 5. de cenſur. diſp. 33. ſect. 6. num. 3.* Verum hæc ſuſpenſio non eſt impoſita ob crimen apoſtaſiæ, ſed ob crimen recipiendi ordines in eo prauo, & infami ſtatu. Notanter dixi recipientes ordinem ſacrum, nam ex receptione minorum ordinum non contrahitur hæc ſuſpenſio, quia *Textus in cap. vlt. de Apoſtatis* expreſsè de recipientibus ordinem ſacrum loquitur, & pœnæ extendendæ non ſunt, & licèt in *cap. vlt. 50. diſtinct.* præcipiat *Concil. Arelatenſ. 2.* hos apoſtatas ad clericatus officium non admitti, ipſis tamen Apoſtatis nullam pœnam imponis præterquam quod Concilium illud erat prouinciale; ac proinde non poterat vltra prouinciam præceptum, nec pœnam ferre: & ita ſuſtinent Suarez *tom. 5. de cenſur. diſp. 31. ſect. 6. num. 2. & tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 1. n. 30.* Sanch. *lib. 6. ſumm. cap. 8. num. 26.* Quod ſi in apoſtaſia nullus eſt ordo ſacer receptus, nulla contrahitur ſuſpenſio: ſed reditu ad religionem ſit habilis apoſtata ad quoſlibet ordines ſuſcipiendos, & exercendos: quia non apoſtaſiam, ſed ob receptionem ordinis ſacri in apoſtaſia executio ordinis ſuſceptio interdicitur. Suarez *dicta ſeſſ. 6. num. 3. & tom. 4. de relig. lib. 3. cap.... num. 28.* Sanch. *cap. 8. num. 29.*

13. Tertiò adducitur Bulla Pauli IV. cuius ſupra fecimus mentionem, in qua Apoſtatas à religione ſuſpendit Pontifex in perpetuum ab omni Eccleſiaſtici ordinis executione, & ab omni gradu, ab omnibuſque beneficiis obtentis, & eorum fructibus, & eos inhabiles reddit ad quoſcumque gradus, & beneficia in poſterum obtinenda: & admittit Suarez. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 2. n. 12. & ſeqq.* Sed non caret probabilitate hanc bullam Pauli 4. non eſſe receptam, teſte Sanch. *lib. 6. ſum. c. 8. n. 30.* Alia adducuntur, quæ leuia ſunt, & nullam difficultatem habent. Ex quibus conſtat ob crimen apoſtaſiæ nullam eſſe pœnam iure communi latam. At ſi, ſpeciales religionum conſtitutiones, & priuilegia ſpectemus, ferè in omnibus religionibus eſt excommunicatio Pontificis; ſeu Præpoſito Generali reſeruata, aliæque pœnæ, & inhabilitates ad officia dicti ordinis.

14. Illud vero eſt omnino certum, prælatos religionis poſſe dictos apoſtatas, & fugitiuos capere, & incarcerare, aliiſque pœnis afficere, vt reſipiſcant, & cæteris ſint in exemplum, iuxta Textum *in cap. Nobis in Apoſtat.* Quam capturam non ſolum in proprio territorio ſed etiam extra exercere poſſunt; quia ſeruum fugientem poteſt dominus vbicumque capere, & in carcere detinere, remque propriam vſurpatam recuperare. ſic latè probat Nauarr. *comm. 3. de Regularibus n. 50.* Præterquam quod cuilibet religioni ſunt ſpecialia priuilegia conceſſa pro his fugitiuis, & apoſtatis capiendis & puniendis, vt videri poteſt, verbo apoſtata, & fugitiuus, & plura refert Man. Rodrig. *t. 1. q. regular. q. 30. art. 6.* Pro Societate Iesv Pius V. conceſſit, vt poſſit Præpoſitus Generalis, aliique ſuperiores recedentes poſt vota biennij ſummatiè, & ſine figura iudicij capere, & incarcerare, debitiſque pœnis ſubiicere vbicunque ſint ſiue in ſæculo, ſiue in aliena religione, inuocato ſi opus fuerit brachio ſæculari, habetur *compend. priuileg.* verb. *apoſtata*, §. 5. & ibi notatur vagantes in aliena religione à ſolis Prouincialibus, & ex eorum licentia capi, & incarcerari poſſe, vagantes verò in ſæculo à quocumque ſuperiore.

Punctvm XVII.

Quam obligationem habeat religio reuocandi fugitiuos, & apoſtatas, ſoluendíque expenſas tempore fugæ factas.

SVMMARIVM.

1 *Prælati rarò excuſantur ab obligatione fugitiuos quærendi, & ad religionem reducendi.*

2 *Monaſterium tenetur ſoluere expenſas factas in reductione religioſi, ſecus factas in fugitiui ſuſtentationem extra reductionis caſum.*

1. NOn caret difficultate, an Superiores teneantur hos apoſtatas, & fugitiuos quærere, & inuentos capere, & incarcerare. Quia ſæpè ille, qui fugit, eſt ita religioni nociuus, vt merito religio gaudere poſſit, quod à ſuis membris vtilibus ſeparatus exiſtat. Non igitur eo caſu tenebitur religio fugientem quærere, & reuocare. Item religioni licet incorrigibilem, & ſcandaloſum à ſe abiicere. Ergo iam abiectorum non tenebitur reuocare. Nihilominus dicendum eſt religionem, eiúſque prælatos per ſe obligatos eſſe fugitiuos quærere, & ad religionem reducere, raróque ab hac obligatione excuſari: ſic Nauarr. *com. 3. de Regular. numer. 50.* Ludouic. Mirand. *man. prælat. t. 1. quæſt. 51. art. 3.* Suarez *t. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 2. num. 17. & ſeqq.* Layman. *lib. 4. ſum. tract. 5. c. 13. num. 7.* colligitúrque ex *c. vlt. de Regularibus*, vbi ſtatuitur, quod Abbates, ſeu Priores fugitiuos ſuos, & eiectos ex ordine annuatim ſollicitè requirere debeant. Et quidem ſi fugitiuus non reputatur ita noxius, vt dignus expulſione iudicetur, ſine dubio obligatus eſt prælatus quoad poſſit illum reuocare, tum ob bonum religionis, ne illo ſubdito vtili priuetur, tum ob bonum ipſius ſubditi, ne in ſtatu damnationis exiſtat. Quia hæc omnia prælatus ex officio prouidere debet. Quod ſi fugitiuus nociuus ſit religioni, meritóque debeat ab ea ſeparari, adhuc exiſtimo obligatum eſſe prælatum capere, & captum pro qualitate culpæ punire, tum in aliorum exemplum, ne cæteri licentiam ſumant fugiendi, tum in bonum ſubditi, cui fortè ea vexatio dabit intellectum. Tum & præcipuè vt authoritate Superioris à religione ſeparatus incedat, & non propria authoritate, liberetúrque ab ſtatu damnationis. Quapropter vt benè aduertit Suar. *loco citato, n. 19.* eſto à religione ſtatim poſt capturam eſſet ille fugitiuus eiiciendus, obligatus eſſet prælatus illum reuocare. Verum ſi fingeretur caſus, quo abſque graui nota religionis, vel ſcandalo non poſſet prælatus fugitiuum capere, deobligabitur à captura: quia bonum religionis ſemper præferendum eſt bono ſubditi præcipuè ex malitia peccantis. Deberet tamen (ſi ita expedire iudicauerit) abſolutionẽ abſenti fugitiuo mittere, vt ſic à peccato fugæ liberetur. Hęc obligatio quęrẽdi fugitiuos,

&

& apostatas inest prælato quoties præsumit eos esse inueniendos, cessat quoties nulla adest spes, ac proinde illa diligentia de annali inquisitione, quæ in *cap vlt. de Regularibus*, præscribitur non est in vsu; teste Suarez *lib. 3. cap. 2. num. 17.* Sanch. *lib. 6. summ. cap. 9. n. 18.* Layman. *lib. 4. cap. 13. tit. 5. n. 7.* Prælati, quibus dicta obligatio competit sunt prælati ordinis, quia ipsis fugitiuus est personaliter subiectus. Episcopi vero tenentur si eorum auxilium à prælatis regularibus requiratur. Item si fugitiui in sua diœcesi scandalosè procedant. Denique si in eorum captura prælati regulares negligentes fuerint: sic Lud. de Mirand. *t. 1. man. prælat. q. 51. art. 3.* Layman. *li. 4. summ. tract. 5. c. 13. n. 7.*

2. Quoad obligationem vero, qua monasterium teneri potest soluendi expensas factas à religioso tempore fugæ. Breuiter respondeo, teneri soluere, quæ factæ sunt pro illius in monasterium reductione; quia in monasterij vtilitatem fuerunt factæ, sicuti tenetur dominus expensas factas in reductione serui ad suam potestatem soluere; vtpote quæ in sui vtilitatem cedunt. Sanchez *lib. 6. summ. cap. 9. n. 22.* At expensas factas in fugitiui sustentationem extra casum reductionis nequaquam monasterium soluere tenetur. Quia factæ non sunt in sui vtilitatem: vtilius enim monasterio foret, si nullus ei alimenta ministraret, vt sic fame pressus ad monasterium rediret. Præterquam quod monasterium fungientem religiosum alere non tenetur: sicuti neque maritus vxorem, nec pater filium, cum iniquè eorum consortium fugiunt: & ita tradunt aliis relatis Sanchez *dicto ca. 9. n. 21.* Ipse vero fugitiuus, si postmodum habuerit aliqua bona suæ liberæ dispositioni relicta tenetur ex illis satisfacere iis qui sibi non gratis, sed spe solutionis alimenta subministrarunt: vt de se constat, & notat Sanchez *suprà*.

PVNCTVM XVIII.

Quam culpam committant, quámque obligationem contrahant, & quibus pœnis subiiciantur cooperantes ad fugam & apostasiam.

SVMMARIVM.

1 *Dupliciter cooperari potes positiuè, vel negatiuè. Explicatur modus cooperandi positiuè, & varij casus distinguuntur.*
2 *Explicatur modus cooperandi negatiuè.*
3 *Si vi, vel fraude apostasiam causes, quid facere tenearis.*
4 *Teneris omnia damna religioni ex tali exitu prouenientia reparare.*
5 *Si apostasiæ coopereris absque vlla vi, vel fraude nullam restituendi obligationem contrahis.*
6 *Opposita sententia probabilior est. Et satisfit contrariis.*
7 *Nullæ sunt pœnæ aduersus cooperantes apostasiæ iure communi latæ. Secus spectatis religionum priuilegiis.*

1. CVm fuga, & apostasia à religione grauissimum crimen sit, si ad illud cooperaris grauissimè delinquis, fis enim particeps tanti criminis. Dupliciter autem cooperari potes, positiuè, vel negatiuè. Positiuè cooperaris primò persuadendo religioso exitum. Secundò consulendo. Tertiò approbando. Quartò adiuuando. Quintò post exitum fugitiuum recipiendo, occultando, & defendendo. Quocumque ex his modis coopereris, certum est, te grauissimè peccare. Solum aduerto circa postremum modum cooperationis excusari te posse à cooperatione, si fugitiuum recipias, alas, occultes, & defendas non quà talis est: sed quia est amicus, vel consanguineus, vel ob aliam causam. Vt autem agnoscas quando vno, vel alio modo cooperaris, aduerte, an ex tua receptione, sustentatione, occultatione, vel defensione firmetur fugitiuus in apostasia, vel non: si enim firmatur iam cooperaris apostasiæ. Secus si inde nullam firmitatem, nullámque in peccato maiorem perseuerantiam deducit. Hinc potes inferre ex sola domi receptione, & sustentatione fugitiui non satis colligi cooperationem: cùm hæc causa amicitiæ, consanguinitatis, gratitudinis, alteriusve honesti finis fieri possint, & ex alia parte sunt actiones nimis indifferentes, ne per se ad apostasiæ perseuerantiam conducentes. Secus esset si pecunias, equum, aliáve, vt commodius fugeret, subministrares: quia ea subministratio apostasiam fouet Suarez *tom. 4. de relig. tractat. 8. lib. 3. cap. 3. num. 2.* Idem ex occultatione deducere potes, si enim fugitiuum occultes aliis à religione, ne ipse, eiusque religio detrimentum honoris patiantur, non est censenda cooperatio. Secus si religiosis sui ordinis, & maximè prælatis occultatio fiat, ne ipsum absolutè capiant, & reducant. Dixi *absolutè*, nam si occultes, ne ea occasione capiatur, sperans postea eum esse reducendum cum minori dedecore, minoríque pœna, non videris grauiter delinquere; Suarez *dicto cap. 3. num. 2. fine.* Eodem modo de defensione est dicendum: si enim defendas fugitiuum ab iniuriantibus nulla est apostasiæ cooperatio. Secus si defendas, ne capiatur à suo prælato, vel ab his, qui eius vices gerunt. Neque ab hac defensione violenta excusari potes ex intentione postea illum manifestandi: sicuti diximus de occultatione, quia non est tibi permissum vim inferre religioni vt religioso fugitiuo faueas, non enim facienda sunt mala, vt inde eueniant bona.

2. Negatiuè censeris apostasiæ cooperari, si cum posses impedire, non impedias. Ex duplici capite consurgere potest obligatio impediendi, ex iustitia, & ex charitate. Ex charitate quilibet fidelis obligatus est malum præcipuè spirituale sui proximi aduertere quoties commodè, hoc est absque suo detrimento potest. Quod si non impediat, charitati aduersatur. Ex iustitia autem tenetur malum sui proximi auertere, quia ex officio quod habet, vel ex contractu inito eam obligationem subiit. Quando igitur ex contractu, vel officio obligationem habes impediendi apostasiam, & non impedis, moraliter censeris illius esse cooperator, secus vero quãdo solũ ex vitute charitatis, esto grauiter pecces nõ impediendo: sic ex communi sententia docet Suarez *dicto tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. c. 3. n. 3.* Hæc de primo puncto quod culpam.

3. Quoad secundum de obligatione inde consurgente grauissima est quæstio ad quam satisfactionem seu restitutionem teneatur, qui ad apostasiam cooperatus est. Sed hæc quæstio proprium sibi vendicat locum tractat. de restitut. ideóque ab ea me breuiter expediam latius ibi examinandâ. Igitur si vi & fraude apostasiam causes, teneris in primis à vi, & fraude cessare, & apostatam liberum relinquere, vt ad religionem redeat. Non tamen teneris, nec potes per vim, vel fraudem eum ad monasterium reducere: quia ad hanc violentam reductionem indiges authoritate publica: cum nemini particulari datum sit vim personæ liberæ inferre. Damna autem, quæ ex hac apostasia violenta, & fraudulenta religioso, & religioni proueniunt reparare teneris: quia sunt per iniuriam, iniustitiamque causata. Hæc tamen damna alia sunt spiritualia, alia temporalia: Spiritualia voco, quæ sunt circa virtutes, & dona per apostasiam amissa, statúmque religiosum, à quo apostata recessit. Temporalia sunt circa honores, & dignitates, aliaque lucra, & emolumenta, quibus religiosus, & religio ob apostasiam priuantur. Si de damnis spiritualibus sermo sit, & obligatio comparatione apostatæ spectetur, sufficienter satisfacis, si vim fraudem tollas: quia iis sublatis, libet est apostata ad ea recuperanda. Quod si ea recuperare nolit, non tibi, sed apostatæ illorum carentia tribuenda est. Dices, statum religiosum sæpè apostata non poterit, etsi velit recuperare; quia religio eum non vult admittere; quam ergo obligationem tu violentus, & fraudulentus cooperatos subibis? Respondeo secluſa obligatione temporalium damnorum, de qua statim, te obligatum esse pro viribus insistere, vt à religione recipiatur specialiter declarando non sua voluntate, sed tua vi, vel fraude monasterium reliquisse. Quod si hac declaratione facta & rogatione interposita, adhuc noluerit religio apostatam recipere, cessat tibi obligatio aliquid amplius faciendi; quia non est quid facias, nec tibi imputanda est ea apostatæ à religione exclusio, sed vel ipsi apostatæ, vel religioni. Si verò de damnis temporalibus loquamur, qualia sunt infamia, & dedecus ex apostasia prouenientia, debita ab apostata ea occasione contracta, carentia alimentorum, eo quod nollet religio eum admittere, sine dubio teneris hæc omnia quoad possis reparare, quia per iniuriam causa illorum omnium fuisti.

4. Quod si obligatio religionis spectetur, cui grauem iniuriam intulisti, religiosum à suo gremio, & potestate, vi, vel fraude extrahendo: non est dubium, te obligatum esse omnia religioni ex tali exitu prouenientia reparare: quia per iniuriam causata sunt; vnde teneris restituere lucrum; quod ex industria religiosi, vel ex lectione cathedræ religioni proueniret, si vi vel fraude extractus non esset. Quod intelligendum est de omni lucro prouenturo, tempore, quo durat vis, vel fraus: quia toto eo tempore iniuriam religioni infers, eam lucro iniquè, & iniustè priuando. Habet enim religio ius ad illud lucrum supposita religiosi voluntate legendi, & laborandi, quam habere religiosus præsumitur, dum in religione perseuerat. Si ergo tu eum iniustè à religione extrahis, hanc voluntatem iniustè religioni tollis, & consequenter iniustè tollis lucrum ex ea voluntate prouenturum; teneris ergo reparare. Verum si à vi, & fraude religioso facta cesses, liberumque illum relinquas ad reditum, ipsa vero religio nolit eum recipere: tametsi tu declares non tam voluntate religiosi, quam tua vi, & fraude religionem reliquisse, nullam restituendi religioni obligationem habes: quia ipsa restitutionem non admittit. Si autem ipse religiosus nolit ad religionem redire, religióque ipsa parata sit illum recipere, alicui videbitur te obligatum esse restituere omnia lucra religioni prouenturа, si religiosus in ea perseueraret: quia per iniustitiam videntur cessare. At verius censeo te nulla huius restitutionis

stitutionis obligatione teneri : eo quod religio ad huiusmodi lucra nullum ius iustitiæ habeat, nisi supposita religiosi voluntate, quam voluntatem ipse religiosus liberè denegat, nec tu illius perseuerantis denegationis es causa, esto à principio fueris.

5. Cæterùm si apostasiæ coopereris absque vlla vi, vel fraude religioso facta, nullam restituendi obligationem contrahis religioso : quia scienti, & volenti non fit iniuria. Religiosi autem censet Suarez *tom.4. de relig. lib.3.cap.3.num.14. & seqq.* nullam etiam esse restituendi obligationem. Nam hæc restitutio esse potest vel de persona religiosi, vel de lucris occasione religiosi religioni prouenientibus. A restitutione personæ religiosi excusaris ob impotentiam : hæc enim restitutio solum fieri potest ab ipsomet religioso liberè ad religionem redeunte. A lucris vero occasione religiosi prouenturis restituendis excusaris ; eo quod ad illa non habebat religio ius iustitiæ, nisi supposita voluntate religiosi, quam tamen ipse religiosus liberè denegat nullam tu illi vim inferendo. Quod si dicas, religiosum ex iustitia teneri voluntatem legendi, & laborandi habere, quoties religioni placuerit, expedientesque esse iudicauerit : obstat, quia religio non possidet religiosum in sui commodum, sicut dominus possidet seruum, sed in commodum ipsius religiosi, pro cuius vtilitate religio est instituta : ideóque religiosus non tenetur ex iustitia, sed solùm ex obedientia, & religione eam voluntatem habere : ergo eam denegans iniustus religioni non est, neque vllam restituendi obligationem contrahit, ergo neque tu contrahis dictæ denegationi cooperans. Quod adeo verum existimat Suarez *dicto cap.3.num.18.* vt si religiosum volentem à religione exire coadiuues vim religioni inferendo, nulla lucra inde religioni cessantia tenearis satisfacere ; quia tu illius cessationis causa iniusta non es, cum nullam iniustitiam aduersus religiosi voluntatem committas, ex qua voluntate, & non aliunde religioni lucra illa prouenire debebant.

6. Nihilominus etsi hæc satis probabilia sint, probabilius existimo, te obligatum esse restituere lucra, quæ religioni cessant ob religiosi exitum. Quia negari non potest religionem ius habere iustitia ad retinendum secum religiosum ob traditionem sui, quam in professione religiosus religioni fecit : tradidit enim se religioni gubernandum, & regendum, ipsáque religio obligatur illum in via domini regere, & gubernare. Ergo religiosus se ab hoc regimine contra voluntatem religionis subtrahens iniustus est : quippe ius iustitiæ religionis lædit : Ergo eandem iniustitiam committis huic subtractioni cooperando. Ergo damnat inde religioni prouenientia, tam religiosus obedientiam fugiens, quam tu qui ad illius fugam cooperaris, restituere debetis. Neque obstat religionem non habere ius iustitiæ ad lucra temporalia, nisi supposita religiosi voluntate, quominus tam religiosus, quam tu teneamini ea restituere, si contra voluntatem religionis cessent ; quia religio ius iustitiæ habet, vt ea sibi lucra religiosus acquirat : habet enim ius iustitiæ regendi, & gubernandi religiosum in his, quæ religiosi spirituali saluti, & virtutis profectui expedientia esse iudicauerit : cum ergo religio iudicet expediens esse religioso, vt lectioni, cathedræ, aliisque functionibus sibi vtilibus incumbat, eáque non tam ob sui temporalem vtilitatem, quam ob spiritualem religiosi præcipiat : sanè contra iustitiam peccat id regimen fugiens, & ad illius fugam cooperator. Neque ab hac iniustitia excusat, quod religio non possideat religiosum in sui vtilitatem, sed in vtilitatem religiosi : quia hoc solum probat non posse religionem præcipere quæ sibi temporaliter vtilia sunt : nisi religioso præcipuè vtiliora spiritualiter existant, & supposita religiosi vtilitate ex iustitia præcipit : ac proinde præceptum omittens, & illius omissionem causans iniusti sunt, & restituere tenentur. Illud vero certum est ex hac restitutionis obligatione te obligatum non esse religionem ingredi loco illius, quem extraxisti, esto illum per vim, & fraudem extraxeris : quia status religiosus est ita altioris ordinis & difficilis, vt ob nullam causam contra voluntatem propriam assumendus sit ; si enim qui seruo fugam persuasit : imò qui illum occidit, non tenetur domino se in seruum tradere, à fortiori non tenebitur qui religioso fugam à religione persuasit. Neque item teneris alteri persuadere religionis ingressum, vt sic damnum religioni ex fugitiui religiosi absentia compenses : qui status religionis non est ob huiusmodi fines assumendus, sed ob propriam cuiusque perfectionem. Neque item teneris ex alienis bonis satisfactionem pro damno à te facto exhibere. Vide Suar. *dicto tom.4.de relig.tract.8.lib.3.cap.3.* Petr.Nauar. *lib.2. de restitut. cap.2. à num.12.* Lessium *lib.2.de iust.cap.8. dub.3.*

7. De pœnis verò cooperantium apostasiæ nullæ sunt iure communi latæ : at spectatis particularium religionum priuilegiis est excommunicatio reseruata Pontifici ipso facto imposita ab Innocentio IV. Leone X. & Iulio II. vt habetur in libris *Monumenta ordinum*, *conceſſ. 554. & 651.* & in Compend. priuileg. mendicant. verbo *apostata*, §. 8. & in Compend. priuileg. Societ. IESV, eodem verbo *apostata*, §. 3. ibi : per priuilegium concessum Minoribus, nostri ab ordine recedentes nisi post mandatum cuiusvis superioris eisdem factum intra octo dies proximos ob obedientiam redierint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurrunt soli Summ. Pontifici reseruatam, eidemque sententiæ subiacent omnes qui iis auxilium, consilium, vel fauorem præstiterint, & §.4. per priuilegium concessum Minoribus ab Innocent. IV. qui retinent nostros sine licentia recedentes ipso facto sunt excommunicati.

PVNCTVM XIX.

An religiosus professus iustè à religione expelli possit : & ob quam causam.

SYMMARIVM.

1 *Plures doctores sentiunt, non posse religiosum professum à religione expelli. Et rationibus probatur.*
2 *Opposita sententia iure, praxi, & ratione firmata verissima est.*
3 *Satisfit rationibus contrariis.*
4 *Doctrina Syluestri, & Armillæ improbatur.*
5 *Quæ sit legitima causa, ob quam possis à religione expelli.*
6 *An punitionem debeat præcedere monitio, & qualis monitio requiratur.*
7 *Monitio regulariter necessaria est spectato iure communi. Secus spectatis religionum priuilegiis.*
8 *Quæ sint grauia delicta, ob quæ excludi à religione possis, arbitrio superioris relinquitur.*
9 *An tacens impedimentum quo cognito in religionem non admitteris, sufficientem causam expulsioni præstes, affirmant aliqui. Contrarium resoluitur.*
10 *In superiore expellente potestas requiritur, qualem solus Generalis ex speciali priuilegio, & ex eius commissione prouincialis habet.*
11 *Delictum, quod expulsionem meretur plenè probandum est iuxta formam iudiciariam vniuscuiusque religionis.*

1. NOn defuerunt DD. qui sentirent non posse religiosum professum à religione expelli, sed debere in carcerem recludi, ibique pro qualitate delicti puniri : sic docent Abbas, *cap. cum ad monasterium, num.13. De statu monachor.* Cardinal. *Clement.1. §. quia vero, num.5. q.1. eod. tit.* Graffis *1.part. decis.lib.3.cap.5.num.145.* & alij relati à Sanchez *lib.6. sum.cap.9.num.2.* Quam sententiam approbant graues Doctores eo casu quo religiosus expulsioni repugnaret asserens se esse paratum corrigi pœnamque debitam sustinere: sic Syluest. verb. *religio.6. §.17.* Armilla *eodem §. vlt.* Fundamentum huius sententiæ desumitur ex *cap. fin. de regularib.* vbi præcipitur prælatis, vt eiectos, & fugitiuos quærant, & in communem vitam emendatos, & castigatos reducant ; si religionis statuta non obstiterint. Quod si huic reductioni statuta repugnauerint ; iubet eos reduci in arctam custodiam intra monasterium, vel proximè ad illud ; vel si hoc fieri non possit absque graui scandalo, in aliis eiusdem religionis domibus, ibique necessaria subministrari. Ex qua decisione sic arguitur : Pontifex præcipit eiectos, & fugitiuos quærere, & ad communem vitam reducere, vel saltem ad arctam custodiam, ne in perniciem suarum animarum vagentur. Ergo non censet à principio permittendos esse liberè vagari. Quod si dicas, illum textum loqui de iniustè expulsis, vel ex defectu causæ, vel ex defectu potestatis dimittentis, vel quia in dimissione ordo iuridicus seruatus non fuit, quos reducere prælati tenentur, sicuti dixit Nauarr. *comm. de regular. n.36. & lib.3. consil. tit. de regular. cons.* 51. aliàs 78. Azor. *lib.12. cap.16.quæst.2.fine, & cap.17. quæst.2.* obstat, quia textus supponit aliquos eiectos non posse secundum regularem disciplinam recipi, qui de iniustè eiectis intelligi non potest, hi enim secundùm regularem disciplinam recipi debent. Si verò dicas cum Azor. *t.1.instit.moral.lib.12.c.17.q.1.* & Sanch. *lib.6. sum.c.9.n.18.* hunc textum consuetudine abrogatum esse, non enim prælati annuatim religiosos fugitiuos, & eiectos quærunt, nec reducunt, nec repetunt, obstat ; quia fugitiuos verè quærunt, reducunt, & repetunt, quoties absque graui religionis iactura fieri potest, tametsi annuatim non quærant ; quia annuam inquisitionem non reputant necessariam. Ergo eadem ratione repetere, & reducere debent eiectos, si qui sint qui absque graui incommodo reduci possunt. Ergo non sunt à principio eiiciendi : id ipsum confirmatur ex *cap. impudicas, & cap. si quis sacro 27. quæst.1.* in quibus textibus impudicæ moniales iubentur in carcerē detrudi, neque permittūtur à monasterio expelli. Ratione vero probatur hæc sententia :

Primò

Primò, quia per professionem sic te tradis religioni, vt nullam ob causam possis eam deserere. Ergo è contra ita religio te debet recipere, vt ob nullam causam te possit à se expellere; contractus enim æqualis esse debet. Secundò, religio obligata est tuo spirituali bono consulere, & ad illum finem delicti punitionem dirigere. At expulsio à religione, & ab illius regimine, & prouidentiæ tibi prodesse non potest, cum potiùs inde occasionem habeas liberius viuendi. Ergo prælati, qui tui spirituales curatores esse debent, non poterunt tua delicta ea via punire. Præterquam quod non æqua videtur ea punitio, maximè si ob tuam malitiam sic puniri potes, vt liberius viuas. Tertiò, esto in hac expulsione non tam bonum expulsi, quam religionis spectetur; non inde infertur te à religione expelli posse: si enim in carcerem detrudaris, & tibi resecantur occasiones peccandi, & aliis cessat nocumentum, quod ex tua societate prouenire poterat, æquè ac si à religione esses expulsus: imo tua punitio illis ante oculos continuo proposita prodesse potest, vt in suo munere contineantur. Nulla igitur apparet efficax ratio, ob quam debeas à religione expelli, & liberæ vagationi dimitti.

2. Nihilominus certissimum est, communique sententia, & praxi omnium religionum firmatum te posse à religione expelli, si religioni nociuus es: sic D.Thom. *quodlib.12.art.vlt.* Nauarr. *comm.2.de Regularib.n.33.* & *lib.3.consil.tit.de Regular. cons.*50. alias 77. Azor. *tom.1.lib.12.cap.16.quæst.2.* Man.Rodr. *quæst.regular. t.1.quæst.30.art.13.* Molin. *tom.1.disp.140. circa finem.* Lessius *lib.2.cap.41. dub.14.n.106.* Sanch. *lib.6. summ. cap.9. num.1.* Suarez *tom.4.de relig.tract.8.lib.3.cap.4.num.2.* Layman. *lib.4.summ.tract.5.c.13.n.1.* Man. *prælat.t.1.quæst.52.* & alij plures apud ipsos. Fundamentum desumitur tum ex iure communi, tum ex vsu, & consuetudine omnium religionum, tum ea ratione naturali. Ex iure communi constat ex *cap. cum ad monasterium, de statu Monach.* vbi decernitur proprietarium expellendum esse. Neque est verum, quod docet Abbas *ibi num.13.* dictum caput correctum esse per textum *in cap.fin.de Regularib.* Quia hìc textus in casu diuerso loquitur; præcepit enim eiectos quærere, qui ad tempus solum eiecti sunt; hi enim si transacto tempore non redeant, vt fugitiui sunt censendi. Eâque de causa eos cum fugitiuis textus comparat. Non autem loquitur de eiectis absolutè, quos non videtur obligata religio quærere, etsi possit eos emendatos recipere. Idem traditur in *cap.vlt.eodem tit.* ibi: ouem morbidam eiiciant ab ouili, ne inficiat sanas oues, & *cap. cum in Ecclesiis, de maiorit. & obedient.* ibi: Alioquin de fratrum consortio penitus excludatis & *cap. relatum. Ne cleric.vel monachi.* ibi: vel si restituerint ausu temerario eiectis, &c. Ex vsu vero, & consuetudine omnium religionum id ipsum manifestum est, quam consuetudinem religiones introduxerunt à suo principio ex facultate sibi à fundatoribus concessa. Nam Basil. *in reg.28.* ex fusius disputatis, *& reg.44. 57. & 61. ex breuiorib.* S. Benedictus *in sua reg. quæst.28.* & S.August. *in sua.cap.20.* & D.Hieron. relatus *cap.resecandi 24. quæst.3.* S.Dominicus *D.1.cap.19 suarum constit.* S.Francisc. *in sua reg.cap.13.* S.Ignat. *2.part.constit.cap.1.*§.1. expresè tradunt membrum putridum resecandum esse, ne corpus corrumpat, & ouem morbidam à grege expellendam, ne sanas inficiat. Ratione autem probari potest: Quia bonum commune religionis singulari præferendum est; ac bono communi religionis expedit te prauis moribus imbutum, nec corrigi volentem ab allorum consortio separari, ne alios inficias; recludi autem sub monasterij custodia sæpè fieri non potest, nec expedit. Ergo eo casu licita est expulsio. Præterea religio obligatur te retinere, si tuos mores secundùm regulam composueris, secus contra; quia in professione promisisti, & vouisti viuere secundùm regulam, & sub ea obligatione te religioni tradidisti, téque religio in se recepit. Ergo si huic obligationi non satisfacis, cessat in religione obligatio te retinendi, ac proinde potest te à se expellere.

3. Neque obstant in contrarium adducta. Ad Textum *in cap.fin. de Regularib.* constat ex probatione nostræ sententiæ. Ad confirmationem ex *cap. impudicas, & cap. si quis sacro,* respondeo ibi solum dici impudicas moniales recludendas esse, non autem negari excludi aliquando posse. Fateor tamen in fœminis esse specialiorem rationem, quam in viris, ob quam non debent à monasteriis expelli, ne aliis inquam detur occasio se incorrigibiles fingendi, vt expulsionem obtineant: cum enim mulieres ex sua conditione libertatem optent, & plurimæ sint, quæ licet à principio statum religiosum voluntariè susceperint, postmodum doleant, & quasi coactè sub clausura existât, si credunt inde exire posse, per iniqua media procurabunt. Ne igitur ea eis detur occasio ob nullum crimen quantumuis graue monialis à monasterio expellitur, sed ibi recluditur pœnitentiam actura. Quapropter concludit Sanch. *lib.6. sum.cap.9.num.6.* nullum superiorem Pontifice, vel eius nuntio inconsulto posse monialem à monasterio eiicere, tum ob rationem dictam: tum quia est res noua, & inusitata. Ad primam rationem concedo in contractu religiosi cum religione esse æqualitatem, sicut enim tu non potes religionem deserere, si ipsa suo muneri satisfacit, sic nec religio te expellere potest, si tu promissis steteris. At quia religio tuo muneri nunquam deficit, tu verò sæpè; ea de causa te expellere religio potest, sed non tu religionem deserere. Ad secundam dico, expulsionem non tam fieri in pœnam expulsi, quam ob bonum aliorum, ne ex eius societate inficiantur. Quocirca si bonum commune obtineri commodè non potest alia via quam expulsione, esto nociua sit expulsio, neque ipse eam tanquam pœnam reputet, omittenda non est. Ad tertiam constat ex dictis sæpè non posse sine graui incommodo religiones dyscolum religiosum in carcere detineri.

4. Neque probanda est doctrina Sylvest. & Armill. vt solum eo casu liceat religiosum expellere, quo ipse expulsioni consentiret, & correctioni repugnaret. Secus vero si repugnaret expulsioni, & paratus esset corrigi. Nam esto hæc locum habeant in pœna excommunicationis; eo quod sit pœna medicinalis in bonum excommunicati ordinata, minimè in expulsione procedunt, quæ non tam in bonum ipsius expulsi, quam in bonum aliorum, quibuscum societatem habet, ordinatur. Quocirca si semel, atque iterum de grauibus delictis monitus fuisti, & punitus, quo non obstante iterum recidis, poteris à religione expelli, quamuis promittas correctionem, paratusque pœnam delicti sustinere; quia non præsumeris corripiendus, sed potius similia commissurus. Quod sufficit, vt expellaris, sicuti sufficit in hæretico relapso, vt condemnetur morti hæc futuri casus præsumptio. Quia in pœnis in aliorum bonum impositis nõ tam spectatur præsens, dispositio delinquentis, quam futurus euentus præsumptus, & damnum, quod inde timetur euenturum Suarez *tom. 4. de relig. tract.8. lib.3. cap.4. num.8.*

5. Hinc ergo oritur dubium, quæ sit legitima causa, ob quam possis à religione expelli? Et primò dicendum est, debere esse peccatum mortale, graue, & scandalosum. Nam cum hæc pœna grauissima sit, non potest nisi ob graue delictum imponi, & cum imponatur non tam in bonum deliquentis, quam in bonum aliorum fratrum, & religionis; merito debet esse peccatum scandalosum, hoc est quod possit aliis sociis esse nociuum. Neque expectandum est, quòd de facto noceat; sufficit, si probabiliter timeatur nocitutum, nisi resecetur, iuxta textum *in cap. resecanda, cap. ecce 24. q.3. & cap.sed illud 45.dist.* & tradit Suar. *dict.t.4.de relig.tract.8.l.3. c.8.n.9.* Deinde debet esse illud peccatum publicum iure, vel facto, neque enim publica, & grauissima pœna imponi potest ob delictum, dum secretum est. Non tamen requiritur, quòd delictum publicè sit commissum, sufficit si commissum secreto postmodum in iudicium deducatur, ibique sufficiètèr testibus probetur. Nam ea probatione delictum publicum est iuris notorietate, ac proinde dignum publica pœna. Suar. *suprà.*

6. Difficultas autem est? an debeat esse peccatum reincidentiæ post repetitam à prælato monitionem, & punitionem, an verò sufficiat semel tantum commissum esse? Videtur necessariò requiri præcessisse monitionem, imo & punitionem; quia omnia iura æqui de hac expulsione loquuntur, stylúsque communis clamat monachos ob solam incorrigibilitatem expelli: at non est censendus incorrigibilis, quousque monitus, & pro qualitate delicti punitus reincidat. Ergo præcedere debet monitio, & punitio. Qualis autem monitio requiratur, quæve reincidentia, vt incorrigibilis censearis. Communis sententia docet debere esse reincidentiam post trinam monitionem: sic relato Anton. Abbate, Maiolo, Sayro, Graffis, docet Sanch. *lib.6.sum.cap.9.n.4.* & sic pro religione Minorum in ordinationibus generalibus. Tolet. *cap.6. tit. de incorrig.* dicitur illum esse incorrigibilem, qui ter conuictus, & punitus de crimine non emendatur. Et in *reg. S. Benedicti cap.58.* habetur esse incorrigibilem qui ter deleriit religionem post professionem factam. Illud vero est certum ad hanc incorrigibilitatem opus non esse, vt delicta sint eiusdem generis, sufficit si sint eiusdem grauitatis iuxta Textum *in cap.vt famæ de sentent. excommunicat.* ibi: ad similia vel peiora facile labitur, & docet pluribus relatis Sanch. *dicto cap.9. 4.* Si igitur ad expulsionem incorrigibilitas requisita est, nequaquam ob delictum quantumcunque graue expelli poteris, nisi monitus, & punitus sæpius reinciderís: & ita tradit D.Th. *quodlib.12. art.vlt.* D.Bonauent. *in reg.* D.Francisci *q.14.Cardin.cap.cum olim de priuileg.num.4.* Sylvest. verbo *relig.6.quæst.vlt.* Armilla ibi *num.vlt.* Anton.Cucus, *lib.3.institit.moral.tit.1.num.130. & num.139.*

7. Fateor hanc frequentem monitionem regulariter necessariam esse, neque religiosum expellendum, nisi supradicto modo incorrigibilis existat. Nego tamen id semper necessarium esse. Potest enim committi delictum ita graue, & scandalosum, vt non possit commodè alia pœna puniri, neque alia via scandalo fieri satis, neque honori religionis consuli, nisi expulsione à religione. Poterit ergo tunc delinquens expelli: quia bonum commune singulari est præferendum. Deinde sunt aliqua delicta, quæ si religiosus semel ausus

fuerit

fuerit committere, merito præsumi potest eadem; & grauiora commissurus: quo casu etsi ille religiosus de facto incorrigibilis non sit, quia non fuit correctus; est tamen incorrigibilis ex iuris præsumptione. Quando ergo aliqua religionis regula permittit ob aliquod delictum semel commissum, posse reum à religione expelli, ideo est, quia præsumit eadem; & similia commissurum; ac proinde esse incorrigibilem iuris præsumptione, licet non sit de facto, quod videtur sufficere ad expulsionem. Præterea etsi spectato in iure communi incorrigibilitas de facto expulsioni necessaria esset: at spectatis religionum priuilegiis minimè necessaria est. Sunt enim plura religionum priuilegia concedentia expulsionem pro graui, & atroci delicto, cuius reus sine magno religionis detrimento non potest inter religiosos contineri, vt Leo X. Minoribus concessit, & Pius V. religioni, S. Hieron. & Greg. XIII. in bulla incipiente, *cum aliàs Præposito generali Societatis*, prout refert Suarez *tom.4.de relig.tract.8.lib.3.cap.4 num.11.* atque ita docent Azor.*tom.1.instit.moral.lib.12.cap.16.quæst.3.* Sanch.*lib.6.summ.cap.9.num.5.* Suar. *dicto cap.4. num.11.*

8. Quæ autem sunt hæc delicta grauia, ob quæ semel perpetrata excludi à religione possis arbitrio superioris relinquitur, nisi à regula designata sint. Putarem sanè peccatum, quod à sæculari commissum pœnam mortis meretur expulsione dignum esse: quia rarò huius criminis reus absque nota religionis contineri in religione potest.

9. Dubitant tamen doctores an tacuisse in professione impedimentum, quo cognitio nequaquam in religionem admittendus esses, præstet sufficientem causam expulsioni v. g. Si celasti te esse morbo gallico affectum, vel esse ex infecto sanguine Iudæorum, vel Maurorum descendentem, vel esse ære alieno grauiter oppressum? Affirmant Nauarr.*lib.3.consil. tit. de Regularib. consil.25. aliàs* 40. Sorb. *in compen. priuileg. mendicant.* verbo *nouitius, post 7. notab. §. 5. principaliter.* Vega 2. *tom. sum. cap.* 50. *casu* 4. Eman. Sà, verbo *religio. num.*34 Sanch. *lib.7. de matrim. disp.* 37. *num.* 53. Layman. reputat probabile, *lib.*4 *sum.tract.5.cap.*13. *num.*1. Mouentur quia per errorem à te iniustè causatum religio tuam professionem acceptauit; & te in suam potestatem recepit: poterit ergo te in pœnam delicti commissi à se expellere, esto professionem nequeat irritare. At nullatenus credo ob huiusmodi culpam te posse à religione expelli; potes enim alia via sufficienter puniri, & aliorum scandalo, si fortè sit, fieri facilè satis: præcipuè cum hæc culpa non sit ex illis, ob quas religio notam, & infamiam patitur: creditur cum religionis zelo, & affectu potius quam malitia commissam. Non igitur afficiendus es hac grauissima pœna; & ita tradit Man. Rodr. *quæst. regul. t.3. quæst.17. art.9.* Sanch. retractans sententiam *lib.5. sum. cap.4. num.56.*

10. Præter causam expulsionis requiritur potestas in superiore expellente. Quia est actus iurisdictionis grauissimus. Hæc potestas, si ius commune spectemus, omnibus superioribus acceptantibus professionem conceditur; quia ipsi ea conditione professionem acceptant, vt obligentur professum secum retinere, dum secundùm regulam vixerit, quare deficiente professo à regula, poterit superior ex vi professionis illum à se eiicere. Verum ex specialibus priuilegiis, singularúmque religionum constitutionibus hæc potestas Generali concessa est, ipsíque regulariter reseruata; ac proinde Prouincialibus non iure ordinario, sed ex speciali commissione competit, vt benè notauit Suar. *tom.4. de relig. tract.8. lib.3. cap.4. num.19.*

11. Qualiter autem Generalis, vel Prouincialis procedere debeant in hac grauissima causa? Breuiter dico delictum plenè probandum esse iuxta formam iudiciariam vniuscuiusque religionis; seruandásque esse conditiones ab ea in expulsionis causa præscriptas. Quocirca si aliquid ex his omissum fuerit, poterit, & debebit expulsus appellare: quod maximè facere potest, si superior careat potestate expellendi, vel causa expulsionis illegitima præsumatur; interimque religio alere tenetur expulsum, quia plenè expulsus non est, cum per appellationem executio sententiæ suspendatur; insupérque obligatur concedere expensas necessarias ad litem, si aliunde expulsus non habeat. Valasc. *cons.7.n.3.tom.1.* Menoch. *lib.1.præsumpt. quæst.*34. *num.*21. Sanch. *lib.6. sum. cap.9. num.8.*

PVNCTVM XX.

Qualiter religiosi Societatis ad sæculum dimitti possint.

SVMMARIVM.

1 *Duplex genus religiosorum Societatis* IESV *distinguitur.*

2 *In Societate* IESV *minor causa requiritur, vt religiosus professus expellatur, quam in aliis religionibus.*

3 *An religiosi non professi expelli possint nulla causa intercedente? Arguitur pro parte affirmatiua.*

4 *Verius est societatem obligatam esse retinere scholares approbatos, & coadiutores formatos, dum se iusta causa non offert.*

5 *Hanc obligationem contrahit societas non solum ex suis constitutionibus, sed etiam ex votorum emissione.*

6 *Satisfit rationibus contrariis.*

7 *Enumerantur causæ, ob quas Societas religiosos non professos dimittere possit, quæ à D.Ignat.ad 4. capita reducuntur, & primum, & secundum enodatur.*

8 *Explicatur 3. & 4. caput.*

9 *Si ex fictis causis dimissionem obtineas, apostata es, & liber à votis non euadis.*

10 *Si ex causis veris, scilicet grauibus delictis sine extorquendi dimissionem perpetratis dimissionem obtineas, dimissio non valet.*

11 *Si iniquis mediis dimissionem extorqueas, obligaris ad religionem redire. Et quid circa tui admissionem.*

12 *Si magna instantia, & continua importunatione dimissionem extorqueas, valet dimissio, esto raro à peccato mortali excuseris.*

13 *Culpam mortalem committis, si mediocrem diligentiam non adhibeas in vitandis culpis, ex quibus præsumis te à religione eiiciendum.*

1. DVplex est religiosorum genus in Societate. Alij sunt religiosi simplicibus tantum votis alligati, alij solemnibus. Quicunque ex his dimitti possunt, sed diuersimodè. Nam ligati votis simplicibus dimittuntur liberi, alij vero suis votis ligati, sicuti cæterarum religionum professi: sic habetur 2.*p.constit. cap.*1. *&* 2. & in Bulla Greg. XIII. incipiente *Ascendente domino.* Hæc autem diuersitas, vt constat ex dicta bulla nascitur ex modo diuerso, quo hæc vota simplicia, & solemnia emittuntur, & à religione acceptantur. Nam emittentes vota simplicia religioni traduntur, quousque ipsa religio eos retinendos esse iudicauerit, quare si religio iudicet expediens esse eos dimittere, cessat eorum obligatio ad vota ob defectum conditionis sub qua fuerunt emissa. At professionem, seu solemnia vota emittentes non sub ea conditione emittunt, sed absolutè, ipsáque religio se obligat ad illos saltem quoad vinculum, & votorum firmitatem perpetuò retinendos, ac proinde cum illos dimittit, liberos dimittere non potest, sed votis ligatos. Potestas hæc dimittendi tam professos, quam non professos penes solum Præpositum Generalem residet, eámque aliquando prouincialibus committit respectu non professorũ, quæ omnia constant ex *dict.2.p.const.*

2. Difficultas ergo est, an requiratur causa, & quæ hæc sit ad horum expulsionem; Et quidem ad expellendos professos nemini est dubium, causam grauissimam requiri. At censeo minorem, quam in aliis religionibus requiri, eo quod in 2.*p. constit.cap.*2. vbi de causis, ob quas tam scholares, quam professi possunt dimitti (generaliter enim loquitur de omnibus dimittendis, vt constat ex finalibus verbis *præcedentis, cap.*1.) plures apponuntur, quæ in aliis religionibus insufficientes esse iudicantur: ibi enim vt causa sufficiens expulsionis enumeratur; tacuisse malitiosè impedimentum aliquod graue secundarium ex præscriptis à Societate, cuius taciturnitatem superiori puncto probauimus non præbere aliis religionibus sufficientem expulsionis causam. Præterea Greg. XIII. in bulla quæ incipit *cum aliàs*, nulla incorrigibilitatis mentione facta decernit Præpositum Generalem dimittere posse professos ex causis id exigentibus, quæ sunt omnes illæ, quibuscum professus non potest absque graui religionis iactura in Societate detineri. Et licet ex his causis aliæ etiam religiones suos professos dimittere possint: at quia Societas saluti proximorum perpetuò incumbit, facilius quælibet grauis culpa huic fini obstare potest. Tum quia de ipsis sic delinquentibus non satis fidit Societas iterum lapsuros non esse, cum inter multa perditionis pericula continuò versentur. Tum quia nec fidit eo fructu, & vtilitate, ac bono Societatis nomine muneri suo satisfacturos. Et confirmatur optimè ex his, quæ de Præposito Generali traditur 9.*p. constit. cap.*4. §.7. ibi enim ob peccata mortalia in externum actum prodeuntia, ac nominatim ob copulam carnalem, vulnerationem cuiusquam, ex redditibus collegiorum aliquid ad proprios sumptus assumere, vel cuius extra Societatem donare, vel aliqua stabilia bona domorum, aut collegiorum alienare, vel prauam doctrinam habere: si de re sufficientissimè constet statuitur posse Præpositum Generalem non solum ab officio, sed etiam à societate, si opus fuerit, remoueri. Si igitur Præpositus Generalis ob quodlibet peccatum ex supradictis à societate dimitti potest, si id ad maiorem Dei gloriam, & vniuersale bonum Societatis expedire fuerit iudicatum; à fortiori quilibet particularis è Societate dimitti poterit. Minorem ergo causam societas in suis professis dimittendis requirit, quam aliæ religiones: & ita tradit Suar.*t.4.de relig.tract.*10.*lib.*11.*c.*1.*à n.*2.*vsque in finem.*

3. Si

3. Si verò de religiosis non professis loquamur, alicui videri posset nullam causam ad horum expulsionem saltem validam requiri. Hæc enim requiri poterat vel ex constitutione, & regula, vel ex contractu, quem init religiosus cum religione per vota simplicia. Si solem ex constitutione, & regula (vti docet Sanch. *lib.6. sum.cap.9. num. 61. fine, & num.64.* Ribadeneira *cap. 13. in princ. de institut. Societ.*) cum nulla constitutio, & regula ad peccatum obliget, nullum Generalis peccatum committet, si absque causa hos religiosos dimittat. Et esto peccatum aliquod committeret, sicuti committit superior nouitium sine causa à religione expellens; quia tamen constitutio, & regula dimissionem non irritat, tenebit factum, sicut tenet in nouitio sine causa dimisso. Si autem dicas, ex contractu imbibito in votorum simplicium emissione causam expostulari, eo quod religiosus se tradit religioni obsequuturum, & religio obligatur perpetuò eum secum retinere, nisi causa iusta adsit dimissionis, obstat primò, quia nulla esset differentia horum religiosorum à religiosis professis, quos societas obligatur retinere, dum causa iusta dimissionis non adest. Secundò; quia repugnat modo, quem societas seruat in horum votorum admissione: admittit enim nullam in se suscipiendo retentionis obligationem, sed quousque ipsa retinere voluerit & sub ea conditione religiosus vota emittit, ipsique emittenti manifestatur, vti habetur *exam. cap.6. §.3. litt.A, & cap.6. §.1.& 2.& 2.part.constitut. c.1. §.1. litt. A, & 5. part. constitut. c. 4. litt. B, & D.* Ergo nolente religione religiosum retinere euanesceret obligatio, quæ à religionis voluntate dependebat: si enim te in seruum alicui traderes quousque ipse te in seruum habere voluerit, non obinde dominus hanc traditionem acceptans obligatus est te in seruum retinere, sed poterit, cum sibi placuerit te manumittere. Idem est si te traderes obsequuturum Xenodochio, dum prælatus illius te retinere iudicauerit, poterit prælatus non obstante hac traditione te absque vlla causa à Xenodochio expellere: sed eodem modo te tradis vota simplicia in Societate emittens, vt constat ex locis constitut. adductis, & ex bulla Gregor. XIII. incipiente *Ascendente*, vbi inquit Gregor. quantum est ex parte ipsorum perpetuò, ex parte vero Societatis iuxta Apostolica indulta, & constitutiones prædictas tamdiu obligati, quamdiu Præpositus Generalis eos in Societate retinendos esse iudicauerit. Ergo nulla causa ex vi huius incorporationis requiritur, vt possis à religione dimitti. Præterea 5. p. *constitut. cap. 4. & litt. D.* dicitur hæc vota in manibus cuiusquam non emitti, neque ea prælatum admittere, sed soli Deo offerri, & non homini. Si igitur religio ex horum votorum acceptatione obligationem haberet secum retinendi religiosum, iam vota non soli Deo, sed homini offerrentur, & in manibus hominis emissa essent, homoque illa admitteret. Ne ergo contra constitutionem procedamus, asserendum est, nullam Societati obligationem esse retinendi ex votorum simplicium emissione.

5. Nihilominus verius est non solum ex constitutionibus, & regulis, sed etiam ex votorum emissione obligatam esse Societatem secum retinere scholares Approbatos, & coadiutores firmatos, dum non se offert iusta causa expulsionis: sic docet, & latè probat doctissimus Franc. Suar. Societatis IESV decus, & ornamentum *t.4. de relig. tract.10. lib.2.c.9. num.10. & seqq.* Et quidem obligatam esse Societatem ex vi suarum constitutionum luce meridiana clarius est. Nam loquens S. Ignatius in *exam. gener. cap. 6. in eius declaratione* dicit. Non est iniustum (vt patet in litteris Apostolicis) si societas libertatem ad eos dimittendos, quando non faciunt, quod debent, retinet. Expendo conditionalem, *quando non faciunt quod debent:* quasi solum ea conditione stante Societas libertatem habeat: & paulo inferius inquit: Nec id (scilicet è Societate religiosos expellere) sine causis iustissimis fieri debet. *cap.7.§.1.* de scholaribus è Societate dimittendis vel admittendis inquit: Libera tamen manebit societas, nec tenebitur ad eos admittendos ad professionem, nec in coadiutores formatos, si studiorum tempore malè se gererent, adeo vt superior Societatis existimaret Deo gratum non fore, si in eam admitterentur, & tunc ipsi suis votis soluti erunt. Ex quibus verbis constat per argumentum à contrario, si scholares tempore studiorum non se malè gererent, societatem teneri ad eos admittendos ad professionem, vel in coadiutores formatos, & à fortiori ad eos non expellendos. Deinde expendendo cum Suar. particulam *tunc*, quæ indicat solum eo casu scholares à votis solui posse; quo superior existimaret Deo gratum non fore, si in societatem admitterentur. Ergo non pro libito solui à votis possunt. Præterea 2. *p. constitut.* vbi de dimittendis agitur variæ præscribuntur causæ dimissionis, quod necessarium non esset, si superior pro libito religiosos expellere posset. Idipsum expressit Gregor. XIII. in bulla, *Quanto fructuosius*, vbi postquam dixerat non posse scholares absque vitio Apostasiæ societatem fugere, subiungit. Quamuis *rationabili ex causa* iuxta constitutiones eadem ab ipso Præposito Generali dimitti, & votis huiusmodi liberari possint. Ergo absque rationabili causa non censet Pontifex posse dimitti. Neque his obstat, quod aliis in locis voluntati, iudicio, & arbitrio Præpositi Generalis hæc dimissio committatur; quia committitur arbitrio, & iudicio recto, & voluntati ratione regulatæ, quæ esse non potest absque causa iusta, vt multis allegatis probat Menoch. *de arbitar. lib.1.q.13.* Sit ergo certum spectatis Societatis constitutionibus non posse absque iusta & rationabili causa religiosos non professos dimitti.

5. Hinc infero, non solum ex ipsis constitutionibus, sed etiam ex votorum emissione hanc obligationem habere societatem. Nam religiosus se tradit religioni, vt ab ipsa retineatur, prout ipsa obligata est sic traditum retinere; at religio ex suis constitutionibus obligata est religiosum retinere, dum non se offert expulsionis legitima causa. Ergo religiosus se tradit religioni retinendum, dum non fuerit causa legitima expulsionis. Ergo religio hanc traditionem acceptans non poterit absque legitima causa religiosum à se expellere, quod si contra fecerit, nulla erit talis dimissio vtpote facta à non habente potestatem. Quocirca hæc traditio religiosi est longè diuersa ab ea libera traditione, qua te in seruum, & in Xenodochij obsequium tradis, de quibus fit mentio in contraria sententia. Nam religiosi traditio fit sub obligatione, quam habet societas neminem dimittendi absque rationabili causa. Illæ vero traditiones sub nulla obligatione fiunt, cum dominus, & administrator Xenodochij nullam habeant, neque ex tua traditione subire velint. Præterea si societas ex votorum scholarium emissione, & illorum acceptatione nullam haberet obligationem retinendi religiosum, vix vlla differentia inueniretur inter religiosum, & eum, qui tempore nouitiatus, ea vota ex deuotione emittit: si quidem vterque obligatus manet ea vota seruare, & in religione perseuerare, dum religio detinere voluerit; ipsa tamen religio obligationem retinendi non suscepit. At negari non potest Societatem specialius obligatam esse ad retinendum religiosum, quam non religiosum? quia religiosus est membrum Societati vnitum, ipsique incorporatum, & vt tale à religione susceptum, ergo non pro libito, & absque iusta causa à se expellere poterit, sicut validè expellere potest nouitium vota ex deuotione emittentem.

6. Neque obstant rationes contrariæ, quibus iam ex parte satisfactum est. Ad primam dico esse maximam differentiam inter religiosum professum, & non professum. Nam esto vterque conueniat in eo quòd non possint dimitti absque causa; differunt tamen in eo, quod minor causa requiritur ad dimittendũ non professum, quàm professum. Item differunt in modo dimissionis. Nam professus dimittitur votis ligatus; at non professus à votis absolutus: diuersimodè enim se tradunt religioni retinendos. Nam professus se tradit retinendum à religione perpetuò quoad professionis vinculum, & subiectionem prælato debitam: quoad actualẽ verò gubernationem, quousque causam nociuam religioni dederit, ipsaque religio eum retinere voluerit: at non professus se religioni tradit tã quoad vinculum, quàm quoad actualem gubernationem, dum ipsa religio rationibus causis ducta retinere iudicauerit. Ad secundam rationem desumptam ex modo, quem societas seruat in non professorum admissione ex probatione nostræ sententiæ satisfactum est. Ad tertiam fateor locum illum constitutionis difficilem esse, sed ne contrarius sit tum aliis religionum locis, tum bullis summorum Pontificum, tum rationi naturali dicendum est, ea vota scholarium in nullis manibus ferri quoad effectum, & obligationem ea conseruandi in suo robore, & firmitate; non tamen quoad effectum acceptationis, ne absque legitima causa soluantur. Aliàs si societas hæc vota non acceptaret, sicuti nouitij vota ex deuotione emissa non acceptat, nulla necessitas esset faciendi hæc vota coram Præposito Generali, vel illius vices tenente, sed secretò facta eandem inferrent obligationem, eumdemque statum religiosum constituerent, quod non est dicendum.

7. Restat explicare causas, ex quibus. Societas suos religiosos non professos dimittere possit. Hæ omnes numerantur à sanctissimo Ignatio 2. *p. constit. c.2.* easque ad quatuor capita reducit. Primum est, si grauiter diuina maiestas offenderetur ex tui in Societatis retentione: eo quod ita sis perditus moribus, vt incorrigibilis censearis. Ex hoc tamen capite etiam professi in aliis religionibus dimitti possunt. Secundum est, si existimaretur tui in Societate retentionem contra Societatis bonum fore, quia bonum commune singulari est præferendum, statimque S. Ignat. subiungit, quando censenda sit retentio contra Societatis bonum; primò, si in probationum decursu aliqua impedimenta, vel insignes defectus, quos antea in examine tacuisses, detegerentur; quia religioni præstat infidelem, & deceptorem in re magni momenti non retinere. Sed quia contingere potest, vt aliis dotibus ad diuinum obsequium polleas, ministeriisque Societatis exequendis aptus sis, prudentiæ superioris relinquitur, an re vera sis dimittendus. Quod si tempore ingressus morbum, quo laborabas, vel dispositionem ad illum detexisti, & sub ea conditione admissus fuisti ad Societatem, vt periculum fieret tuæ

sanitatis,

sanitatis, postmodum vero cernitur te non conualescere, nec laborem Societatis ferre posse, in posterum, poteris dimitti, quia tibi sub ea conditione admisso nulla irrogatur iniuria, & ex alia parte religioni expedit inutiles ministros non habere. si vero ingressus es in societatem sine vlla conditione, manifestata quidem infirma corporis valetudine, sed spe concepta, quod ad maiora aptus esses futurus, neque esse experimento comprobatur, dimitti quidem poteris; quia cessat conditio, sub qua tacitè fuisti admissus, scilicet aptitudo ad res maioris momenti. Verum etsi hoc ita sit considerandum tamen est num dimitti debeas, necne; Si enim aliquo modo vtilis religioni esse potes, ipsaque religio absque suo graui detrimento te retinere potest, credo sine dubio te potius esse retinendum, quam dimittendum; quia defectus ille est tibi inuoluntarius, & in eo manifestando te fidelem cum religione ostendisti, absolutè tamen, vt dixi, dimitti potes, quia euanescit conditio, sub qua tacitè fuisti admissus *4.part.constit.cap.6.N.* Sed vt omnis occasio dubitandi tollatur, & hoc negocium maiori cum iustificatione fiat, cautum est *exam. gener.cap.7. §. 2.* si quando studiorum tempore qui maiorem ad ea propensionem animi præ se tulerunt, quam ad aliud in Societate ministerium, ostenderent, ac certum indicium præberent, vnde Societas, vel eius superior in Domino sentiat eos idoneos non esse, vt in litteris proficiant; eo quod ingenio, vel sanitate corporis destituantur, vel aliis defectibus laborent, interrogantur inquam; an patientur se dimitti à Societate, dum ab omni voto, & promissione liberi maneant, sint laturi. At si cum sanus ingressus fueris in obsequio Societatis in ægritudinem incidisti, ob quam ministeriis Societatis ineptus existas, nequaquam poteris dimitti, si tu ipse non consentias; quia esto illa causa ex parte Societatis sufficiens sit ad expulsionem; eo quod ipse inutilis sis: impeditur tamen illius executio, dum tu dimissioni contradicis; quia hac contradictione posita dimissio charitati esset contraria. At si tu dimissioni consentias, vt verè consentire potes; quia existimas extra religionem salutem recuperaturum, vel fortè liberius Deo obsequuturum poteris dimitti, quia cessat impedimentū; ratione cuius illa causa de se sufficiens executioni mandari non poterat: sic declaratum est. *decreto 50. aliàs 39. congreg.5. n.3.* Deinde subjungit S.Ignat. retentionem esse contra Societatis bonum, si damnum allaturus malo vitæ exemplo iudiceris; ac præcipuè si iniquum te ostendas, & verbis, aut actibus offendiculum aliis præbeas; præcipuè si ad instabilitalem in vocatione suadeas, vel ad discordiam, vel si quid contra superioris, vel commune Societatis bonum moliaris. Te enim eo casu tolerare charitatis non esset, sed vitij contrarij quidem in eo, qui tenetur conseruare quietem, & bonum statum Societatis commissæ. Quando autem non tam propter rationem, vel magnitudinem peccati: quam ob remouendum offendiculum, quod aliis præbuisti, dimittendus esses, si alioquin aptus sis, expendet prudentia superioris, an expediat, facultatem tibi dare, vt ad locum alium Societatis valdè remotum eandem non egrediendo proficiscaris.

8. Tertium, & quartum caput, ex quo sufficiens causa dimissionis desumitur ad supradictum secundum reduci possunt. Tertium enim est, si tua in Societate perseuerantia iudicaretur esse in tui, & Societatis damnum. Quod tam ex parte corporis, quam ex parte animi potest accidere. Ex parte corporis, inquit S. Ignat. accidet, si tempore probationis (hoc est) ante professionem, vel gradum coadiutoris formati deprehendatis morbum, vel debilitatem habere, quocum non posses progredi in laboribus, quos noster procedendi modus requirit ad Deo in eo seruiendum. Sed hæc causa explicanda est iuxta superius dicta; expendendum enim est, an post vota biennij contraxeris eam infirmitatem, an ante; nam si post, non præstat sufficientem causam dimissioni, nisi consentias; Si ante, absolutè dimitti potes, vel quia malitiosè tacuisti vel quia sub periculo salutis, vel spe aptitudinis ad res maioris momenti admissus fuisti. Prudentiæ tamen superioris relinquitur; an re ipsa dimissio expediat, vt notatur *4.p. constit. cap.6. in declarat. litt.N.* Ex parte rerum animæ, (inquit S.Ignat.) accidet quando ad probationem professionis admissus, te componere ad vitam sub obedientia, & iuxta modum procedendi Societatis ducendam, non posses, quod nequeas, vel nolis proprium tuum sensum, vel iudicium, infringere, vel propter alia impedimenta, quæ à natura; vel consuetudine promanarent: tunc enim merito esses expellendus, quia aliis cederes in offensionem. Quartum caput, quod est, si tui in Societate retentio cederet in damnum aliorum, qui de Societate non sunt, etiam præstat sufficientem expulsionis causam; quia bono nomini Societatis contradicit ministros suos cum iniuria tertij retinere. Quapropter, si deprehendaris, te vinculo matrimonij, vel seruitutis legitimæ, vel alieno magni momenti astrictum esse, expelli debes, & præcipuè cum ea tacueris, dum initio examinatus fuisti: ideoque hoc caput ad secundum reduci potest.

9. Illud vero omnino aduertendum duxi, te liberum à votis non dimitti, sed verè esse apostatam, & apostatarum censuris, & pœnis subiacere, si dimissionem obtineas non ex veris, sed ex fictis causis, vt si fingas graues lapsus carnis, grauiaque alia peccata, vel grauem difficultatem in illis superandis ad dimissionem extorquendam. Hæc enim dimissio nulla est; eo quod non adsit causa ratione cuius concessa fuit: sic traditur expressè in *congregat.7. decreto 18.§.4.* & docuit Sanch. *lib.6.sum.c.9.num.67.*

10. Maior tamen difficultas est, si ex causis quidem veris & iustis, grauibus scilicet delictis ad finem extorquendi demissionem perpetratis, dimissionem obtineas; an inquam liber euadas? Videris enim liber euadere, tametsi grauissimè peccaueris? quia societas potestatem habet expellendi eos, qui vel non possunt? vel nolunt suos mores componere, iuxta eius laudabile institutum, vt habetur *2. p.constit.cap.4. §.4.* Sed te illa grauia delicta committentem dimittit societas; eo quod vel non possis, vel nolis corrigere: ergo illa dimissio valida est. Nihilominus tenendum est, eam dimissionem inualidam esse. Quia esto tibi concessa sit occasione illorum delictorum; at creduntur illa delicta ex infirmitate, indoléque deprauata fuisse commissa, non autem ex industria, & ad finem extorquendi dimissionem. Cum ergo illa delicta ex hoc fine commissa moraliter diuersa sint à delictis ex infirmitate, prauáque indole commissis, & dimissio non fuerit concessa ob ea delicta commissa ex industria; quia numquam præsumitur sic commissa esse; efficitur sanè inuoluntariam esse dimissionem; ac proinde nullam: & ita tradidit Congregatio generalis *dicto decreto 18.§.4.* Sanchez *cap.9. num.66.* & conducunt dicta tract. præcedenti de voto *disp.1 pun.17.* Posset tamen superior tibi dimissionem concedere ex malitia peccanti, & hoc solum probat ratio dubitandi; at nunquam præsumi potest, nisi clarè exprimat.

11. Sed inquires, quam obligationem habeas his inquis mediis dimissionem extorquens? Certum est, te obligatum esse ad religionem redire; quia nulla fuit dimissio; ac proinde debet apponere media, quæ ad hunc finem iudicaueris necessaria fore. Cum ergo primum, & præcipuum sit fraudem detegere, & malitiam commissam declarare, ne præsumaris delicta ex mala indole commisisse, teque non esse corrigendum, sine dubio ad fraudis manifestationem teneris. Quod si fraude detecta nollet superior potestatem habens dimittendi, & recipiendi, te recipere, eo ipso liber à votis es? quia illa repulsa est tacita dimissio, & præcedentis dimissionis ratificatio. Notanter dixi, si te nolit recipere qui potestatem habet dimittendi & recipiendi. Nam si solum habet potestatem recipiendi, non tamen dimittendi, vt contingit in Prouincialibus Societatis, difficile est, an detecta Prouinciali veritate, & ab eo repulsus, liber maneas à votis; Affirmat Sanchez *dict. 6. sum.c.9. n.66. fine.* Quia cum Prouincialis habeat potestatem non admittendi iterum qui à Generali dimissus est, consequenter habet potestatem ratam habendi priorem dimissionem, quando denuò admittere, non expedire iudicauerit. At certè hæc doctrina mihi difficilis est. Suppono enim dimissionem factam à Generali, vel Prouinciali eius nomine nullam fuisse, vtpote fraude extortam. Suppono deinde Prouincialem potestatem non habere dimittendi eum qui ex industria, & malitia ad finem extorquendi dimissionem causas apponit. Ex his ergo suppositis manifestè videtur inferri ex sola Prouincialis repulsa veritate detecta te liberum à votis non esse; quia nequit firmam, & ratam habere dimissionem, quam facere non potest. Neque ex eo quòd Prouincialis habeat potestatem non admittendi iterum, qui à Generali dimissus est, inferre potes habere potestatem ratam habendi dimissionem nullam à Generali factam; quia aliud est non admittere, aliud dimittere: habet tamen Prouincialis potestatem non admittendi dimissum, non tamen ad verè dimittendum, qui verè dimissus non est. Adde habere potestatem ad non admittendum dimissum, qui verè dimissus est, secus qui dimissus non est. Hunc enim tenetur admittere eodem modo, ac tenetur fugitiuum; quia verè fugitiuus est. Sed quia Prouincialis non tenetur sic expulso asserenti media ex industria ad expulsionem apposuisse, ideo inualidè expulsum iustissimè non admittit. Quocirca, vt liber à votis existas Generalem consulere, eique veritatem manifestare debes.

12. Sed quid si magna instantia, & continua importunitate dimissionem extorqueas; Credo validam fore dimissionem, tametsi à peccato mortali rarò excuseris. Priorem partem supponit congregatio. *VII. supradicto decreto 18. §. 3.* quatenus definit cogendos esse alium ordinem ingredi, qui sola importunitate dimissionem extorquent, & ratissimè permittendos esse ad sæculū redire. Ratio est? quia illa importunitas, & continua instantia non reddit concessionem simpliciter inuoluntariam, & ex alia parte præstat Societati sufficientem expulsionis causam: societas enim ad sua ministeria exercenda milites voluntarios, & suo instituto benè affectos expostulat. Quòd vero à peccato mortali raro excuseris, persuadeor primo ex *supradicta congregat.decreto §.1.* vbi statuitur,

vt

vt ij qui dimissionem petunt nulla sufficienti causa ducti, neque Prouincialis monitis acquiescentes, Prouinciali referant propria manu subscriptas causas omnes, ob quas dimissionem procurant, quas Prouincialis cum consultoribus diligenter examinatas ad P. N. Generalem mittere debet, simulque declarabit, quid ipse, & consultores sentiant, Quas si P. N. Generalis non iudicauerit ad dimissionem sufficientes, & idoneas, Prouincialis sub obedientiæ præcepto perpetuum silentium eis indicat; eosque si non obtemperent, pro delicti qualitate seuerè puniat publica etiã animaduersione, si publica ad alios culpa promanauit, concluditque congregatio. Sciantque tales se in conscientia turos non esse, sed mortali culpæ subiacere, quandiu in illa animi obstinatione manent. Ex quibus manifestè colligitur reum esse culpæ mortalis, qui dimissioni insistit ob causas à P. N. Generali vt insufficientes declaratas: quia eo ipso censetur ob solum importunitatem velle sibi dimissionem concedi. Secundo persuadeor ex obligatione à votis inducta: hæc enim est de perseuerantia in religione, quantum est ex parte religiosi: at ad obtinendam hanc perseuerantiam necessaria est voluntas illius, & ad religionem affectus. Ergo qui hanc voluntatem, & affectum saltem mediocri diligentia non procurat, sed potius sua instantia, & continua importunitate à se remouet, aduersus votum procedit, & ita tradit Sanch. *lib. 6. sum. cap. 9. num. 60.*

13. Hinc à fortiori constat te reum esse culpæ mortalis aduersus votorum emissionem, si mediocrem diligentiam non adhibeas in vitandis culpis aliàs leuibus, ex quibus iustè præsumere potes fore à Societate expellendum. Nam cum tenearis in religione perseuerare votaque perpetuò obseruare, consequenter teneris ad apponenda media, obstaculaque remouenda, quæ reputantur obseruationi communiter necessaria. Sanchez *dict. cap. 9. num. 69.*

PVNCTVM XXI.

An Religiosus expulsus teneatur ad Religionem redire, reditumque procurare?

SVMMARIVM.

1 *Aliqua certa præmittuntur.*
2 *Expulsus ad Religionem rediens non indiget noua professione.*
3 *Vota quæ professioni coniuncta sunt, non extingui expulsione, sed solum suspendi, vt certum præmittitur.*
4 *An Religiosus per sententiam definitiuam, & perpetuò à Religione expulsus ad eam redire teneatur? Pro parte negatiua proponuntur fundamenta.*
5 *Opposita sententia verior est.*
6 *Fit satis rationibus contrariis.*
7 *An electus recipiendus sit ad eundem gradum, quo ante expulsionem erat constitutus quoad sedem, locum, suffragia, &c. Affirmat Sanch. sed doctrinæ Suar. adhærendum est.*

IN hac quæstione certum est inualidè expulsum obligatum esse quantum est ex parte sua reditum procurare. Nam cum ex vi votorum teneatur regularem vitam degere, & ab illa obligatione legitimè non sit absolutus, debet quantum in se est, illius obseruantiam procurare: sic tenent omnes Doctores in discursu referendi. Secundò certum est expulsum pro limitato tempore, illo transacto ad Religionem redire debere; aliàs erit fugitiuus; vel apostata, cum extra Religionem absque licentia vagetur. Tertiò est certum, nullum professum quantumuis per sententiam definitiuam, & perpetuò à Religione expulsum liberum esse à tribus votis substantialibus, castitatis, paupertatis, & obedientiæ? sed omnino his votis ligatum dimitti; tametsi eorum obseruantia statui expulsionis accommodetur. Hæc enim vota ad summum cessare possunt sola dispensatione Pontificis communi, & grauissima causa intercedente, qualis non est, nec debet esse deprauata vita Religiosi, quæ præstat expulsioni causam, & ita sustinent Nauarr. *com. 1. de Regular. n. 34. & seqq. & com. 3. n. 46.* Azor. *t. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 16. q. 4. & cap. 37. q. 2.* Vasq. *1. 1. disp. 165. n. 87.* Lessius, *lib. 2. c. 41. dub. 15. à n. 212.* Suar. *t. 5. de censur. disp. 21. sect. 1. num. 20.* & *t. 4. de Relig. tract. 5. lib. 3. cap. 6. n. 1.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 9. n. 27.* Layman. *lib. 4. sum. tract. 5. cap. 13. quæst. 1.* & alij plures apud ipsos. Et conuincitur ex *cap. fin. de Regular.*

2. Hinc deduco, expulsum ad Religionem redeuntem non indigere noua professione; quia à priori non fuit absolutus, sed solùm illius executio, & obligatio fuit pro tempore expulsionis suspensa; sicuti contingit in casu diuortij cum nouens reuertitur, & reconciliatur, non renouatur vinculum matrimonij, nec renouari potest, tametsi redeat vsus, qui per diuortium erat suspensus. Sanch. *lib. 6. sum. cap. 9. n. 33.* Suar. *dict. cap. 5. num. 15. & 16.*

3. Quartò certum existimo, omnia illa vota, quæ professioni coniuncta sunt, non extingui expulsione, sed solum suspendi illorum obligationem ex defectu materiæ. Sanch. *lib. 6. cap. 9. n. 56.* Ratio prioris partis est; quia nulla est legitima causa, quare ea vota extinguantur professione, cui annexa sunt, non extincta; ideoque expulsi ad Religionem reuertentes non solent iterum ea vota emittere, sicut nec denuo professionem facere. Quod verò obligatio suspendatur, constat, quia non sunt apti expulsi ad illorum executionem, neque ipsi illa vota emittentes animum habuerunt obligandi ad illorum executionem extra Religionem. Ex quo fit Religiosos B. Mariæ de Mercede expulsos obligari non posse vt ad redimendos captiuos proficiscantur: quia non vouerunt dictæ redemptioni incumbere habitu Religionis priuati; sed illo retento, & Religioni vniti, & incorporati. Idem est de Religiosis Minimis expulsis, non inquam teneri vitã quadragesimalem obseruare; quia non videntur eam vitam vouisse, nisi annexam communi: & regulari. Idem de professis à Societate emittentibus votum quartum obediendi Summo Pontifici in missionibus, aliaque vota, qui si à Societate eiiciantur, obligati non sunt tempore eiectionis ea obseruare. Quia non præsumuntur voluisse eorum obligationem subire, cum à gremio Religionis sunt separati. Est enim obligatio longè difficilior. Atque ita sustinet Sanchez *d. cap. 9. n. 56. & 57.* Hæc certa.

4. Dubium tamen est; an Religiosus per sententiam definitiuam, & perpetuò à Religione expulsus teneatur ad reditum; negat Nauarr. *com. 2. n. 36. de Regul. & lib. 3. consil. eodem tit. cons. 18. 64. & 80.* Man. Rodrig. *t. 1. quæst. regul. q. 30. art. 20.* Sayro *thesaur. casuum. tit. 2. lib. 6. c. 9. n. 26.* Azor. *t. 1. lib. 12. c. 16. q. 6. & cap. 27. q. 1.* fauetque Textus *in cap. fin. de Regular.* vbi loquens de fugitiuis, & eiectis requirendis, solos fugitiuos expressit compellendos esse ad reditum, tacitè innuens eiectos compelli non posse: & ita videtur sentire Glossa *ibi*, & Abbas, *n. 2.* Ratione verò probatur primò, quia illa sententia de expulsione perpetua Religiosi fuit legitima (vt suppono) ergo seruanda est, iuxta *leg. Res iudicata, ff. de Reg. iuris.* At non seruatur expulso ad Religionem redeunte. Ergo expulsus perpetuò non solùm non est obligatus ad reditum, imò nec recipi potest absque dispensatione. Secundò Religio expellens à se Religiosum excutit à se obligationem, quam habet illum retinendi, alendi, & gubernandi, sed hanc remissionem ipse Religiosus acceptat, ergo nequit religio reuocare. Nam vt habetur, *leg. qui res, §. vlt. ff. de solutionib.* in perpetuum sublata obligatio restitui non potest. Tertiò expulsus esto emendatus sit, cogere non potest Religionem, vt ipsum in se recipiat, ergo nec ipsum poterit Religio cogere? quia in his æqua debet esse conditio. Quartò, degradatus realiter, & in perpetuum non cogitur redire ad ministeria Ordinis exercenda, ergo nec Religiosus expulsus qui est ab statu Religioso degradatus. Quintò, eadem culpa bis puniri non potest, sed expulsi delictum expulsione punitum est, nequit ergo iterum puniri. At si potest cogi ad Religionis reditum, delictum iterum punitur, tùm illa coactione, tùm rubore quem ex reditu patietur, tùm delicti præteriti continua memoria, obiectione, & improperio, tùm priuatione priuilegiorum, & honoris antiqui; nequit ergo ad reditum obligari.

5. Nihilominus contrariam sententiam veriorem reputo, scilicet eiectum obligatum esse procurare Religionis reditum, & facto redire, quoties Religioni placitum fuerit: sic tradunt aliis relatis Sanch. *lib. 6. sum. c. 9. n. 23. & 30.* Suar. *t. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 5. à n. 4.* Lessius, *lib. 2. de iustit. c. 41. dub. 15. n. 111.* Layman. *lib. 4. sum. tr. 5. c. 13. q. 3.* Et videtur conuinci ex dicto *cap. fin. de Regular.* vbi tam fugitiui, quàm eiecti præcipiuntur quæri, & ad Religionem reduci; quod nullatenus fieret, nisi supponeret Pontifex fugitiuos, & eiectos obligationem habere redeundi. Neque obstat, cum de compulsione ad reditum loquitur solos fugitiuos expressisse, quia fortè id solum breuitatis causa fecit, vel certè quia eiecti reditus resistentes fugitiui esse incipiunt. Ratio verò nostræ sententiæ est, quia eiectus verus est, & substantialiter Religiosus; tametsi vt membrum putridum à consortio aliorum separatus. Ergo habet obligationem statui Religioso necessariò annexam. At obligatio statui Religioso necessariò annexa, & ab eo inseparabilis est obligatio ad vitam communem, & sub obedientia Prælatorum regularium: quia id est votis promissum ergo eiectus hanc retinet obligationem. Ergo quantum est in se illius executionem procurare debet. Ergo quandocunque Religio permiserit sub eius regimine expulsum viuere, ipse obligatus est acceptare.

6. Neque contrariæ rationes vrgent. Ad primam concedo sententiam illam fuisse legitimam, seruandamque esse quoties Religio sibi expedire iudicauerit; quis in fauorem illius lata fuit; ac proinde illam conditionem in se virtualiter imbibit, vt expulsio duret, quoties sibi placuerit; sicuti contingit in sententia perpetui diuortij ob adulterium ab vno coniuge commissum, quæ seruanda est, quousque innocenti placuerit nocentem reuocare, quia in fauorem innocentis lata

fuit. Aliàs fi[illegible] sententia expulsionis, & diuortij permissum non esse [illegible] innocentibus nocentes reuocare, non in eorum fauorem, sed potius in dispendium, & in fauorem nocentium cederet; liquid[illegible] bertatis, & ex empti[illegible] asserimus sententiam expulsionis, & diuortij in fauorem delinquentium latam esse, dicendum est, ipsos delinquentes obligatos esse ad communem vitam redire, quoties innocentibus fuerit placitum. Quando autem innocentibus placet reditum, non mutatur diuortij, & expulsionis sententia, sed omnino seruatur; quia sub ea conditione lata fuit. At secundum admittito, Religionem expulsione facta excutere à se obligationem retinendi, & gubernandi Religiosum non abiutè, sed durante ipsa expedire iudicauerit. Quare iudicante Religione expedire reditum expulsi, expulsus redire tenetur. Addem non posse cedere obligationis retinendi Religiosum, illaque gubernandi, nisi quatenus expediens fuerit, vel ad delictum Religiosi puniendum; vel ad damnum aliorum præcauendum; quia sub ea obligatione se illius obsequio Religiosus tradidit. Ergo si Religio iudicet delictum Religiosi esse sufficienter punitum, nullumque aliis adesse damni periculum, obligata esset Religiosum reuocare. Sed quia rarò, vel numquam tenetur præsumere expulsione temporali puniri, sufficienter delictum, quod pœna expulsionis perpetuæ legitimè condemnatum est; ea de causa rarò, vel numquam obligationem habet expulsum admittendi, tametsi expulsus obligationem habet quantum est ex se procurandi admissionem Suar. *t.4.de Relig.tr.8.lib.3. c.5.n.13.* Sanch. *lib.6.sum.c.9. n.32.* Et ex his satisfactum est tertio argumento. Ad quartum nego degradatum obligari non posse voluntate Pontificis, vt omnia munera Ecclesiastica exerceat, ac si degradatus non esset. Non enim per degradationem Pontifici potestas obligandi degradatum sublata est. Secundo respondeo, esse diuersam rationem degradati, & expulsi. Nam degradatus non est munera Ecclesiastica exercere; at expulsus ratione voti, & Religiosi status obligatus est vitam sub Prælatorum obedientia degere. Præterea degradatus priuatur Ecclesiastici Ordinis honore, & sustinet onera; at Religiosus eiectus pluribus Religionis oneribus liberatur. Non igitur est mirum, quod obligationem habeat procurandi reditum, tametsi degradatus non habeat. Ad quintum nego ex compulsione ad reditum puniri bis Religiosi dictum: nam illa compulsio non est pœna delicti, sed effectus status Religiosum consequens. Quod verò ex illo reditu expulsus aliqua opprobria sustineat, per accidens est, & fructu Religionis compensatur. Præterquam quod facilè illa omnia vitare poterit, si se humilem, & omnibus inferiorem ostendat.

7. Sed inquires qualiter huiusmodi eiectus recipiendus sit; an inquam recipiendus sit ad eum gradum antiquitatis, professionis quoad sedem, locum, & suffragia, reliquaque prærogatiua, quæ ante eiectionem habebat; Sanch. *lib.6. sum.cap 9. n.33.* affirmat, quia ille gradus honoris professioni accessorius est; at professio per eiectionem non est extincta. Ergo non debet esse extinctus gradus honoris, & accessorius, sed ad summum suspensus subdit? tamen Sanch. nisi ob præterita delicta eo gradu per superiores priuetur. Ego verò dicendum existimo cum Suar. *t.4.de Relig.tr.8. lib.3.c.5. n.17.* eo ipso quo quis à Religione expellitur expelli ab omni gradu honoris Religiosi, admittitque posse (& regulariter ita esse) ad Religionem, non tamen ad honoris gradum; quia huiusmodi gradus non est ita professioni annexus, quin in pœnam delictorum sæpè professus eo priuetur, & maximè eiectus eo priuandus est, tùm ob eius humilitatem, tùm in aliorum exemplum. Aliquando tamen contingere potest eiectum signa contritionis, & pœnitentiæ ita magna exhibere; vt meritò possit ad eundem gradum honoris restitui, præcipuè si inde speratur alios eiectos ad pœnitentiam mouendos esse.

PVNCTVM XXII.

An eiectus à Religione, si in ea non recipiaris, teneasimilis, vel possis aliam Religionem ingredi, vel compelli possis ad illius ingressum.

SVMMARIVM

1 *Obligatus non es aliam Religionem ingredi, sed securè potes in sæculo manere.*

2 *Prælatus te cogere non potest absolutè Aliam Religionem intrare, benè tamen sub conditione.*

3 *Non potes aliam Religionem ingredi, quin prius propriæ Religioni te pœnitentem, & emendatum ostendas. Facta autem hac diligentia quamlibet etiam laxiorem ingredi potes. Prior pars conclusionis probatur.*

4 *Vt eiectus recipi possit, debet litteras testimoniales Prouincialis, vel Generalis deferre. An autem si hæc conditio deficiat, ingressus nullus sit, Affirmat Suar. Verius est oppositum.*

5 *Proponitur obiectio, & soluitur.*

6 *Secunda pars conclusionis probatur.*

1. DIco primo, te obligatum non esse aliam Religionem ingredi, sed securè posse in sæculo manere. Quia solum ex professione status quæ Religiosi, quem habes, obligari poteras, at ille status solùm te obligat ad perseuerandum in Religione assumpta, non tamen ad aliam nouam suscipiendam. Ergo &c. sic docent Nauarr. *com.2.de Regularib.n.36.* Azor. *t.1. instit.moral.lib.12.cap.16.quæst.7.* Rodrig. *t.1.quæst. Regul.q.30. art.20.* Lessius *lib.2.c.41.dub.15.num.111.* Sanch. *lib.6.c.9.n.34.* Suar. *t.4.de Relig.tract.8.lib.3.c.5.n.20.* Laym. lib.4. sum. *tract.5. c.13 q.5.*

2. Dico secundo, neque Prælatus te cogere potest absolutè aliam Religionem intrare: quia cum status Religiosus sit ita perfectus, debet esse omnino voluntarius: benè tamen sub disiunctione, seu conditione te cogere potest, si te triremibus, vel perpetuò carceri condemnet, nisi Religionem ingrediaris; tunc enim Religionis ingressus tibi proponitur non vt onus, sed vt beneficium, vt à iusta pœna libereris sic Suar. *dicto cap. 5.n.20. & tract.10. lib.11. cap.2.n.7.* Layman. *q.5.* Sanch. *dicto cap. 9. num. 42. & 43.* Ex qua doctrina firmatur praxis, qua vtitur Societas, cum scholaribus approbatis petentibus dimissionem legitima causa non allegata. Non enim illam regulariter concedit, nisi sub conditione ingressus in aliam Religionem, vt habetur *Congregat. 7. decret. 18. §. 3.* Quam conditionem sit dimissi exequi tenentur, sin minus ad Societatem redire debent. Neque hæc dicenda est compulsio ad Religionem, sed optio alterius Religionis oblata, vt propriam tibi permittatur deserere, Sanch. *dicto c.9.n.43.* Layman. *dicto lib.4. tract.5.c.13.quæst.5.fine.*

3. Dico tertiò, non potes aliam Religionem ingredi siue laxiorem, siue æqualem, siue strictiorem, quam tamen secluſa expulsione ingredi non posses, quin prius propriæ Religioni te pœnitentem, & emendatum ostendas, ita vt illi constet per te non stare, quominus ad illam redeas. Facta autem hac diligentia quamlibet laxiorem ingredi potes: Sic Sanch. *lib. 6. sum. cap.9. num.36. & seqq.* Priorem partem probo; quia non potes maiorem libertatem, & potestatem habere transeundi ad aliam Religionem, quam reliqui professi tuæ Religionis non electi, nisi quatenus obtinere non potes, vt in propria Religione, & sub illius regimine viuas; quia ad hanc vitam ex professione obligatus es, eamque deserere non potes etiam ob alterius Religionis transitum. Ergo quousque tibi constet non posse propriæ Religionis reditum obtinere, nequis ad aliam transire. Et confirmari potest ex priuilegio concesso ab Innocent. IV. Minoribus, quod refertur in *lib. Monum. ordin. conces. 162.* vt electi illius Ordinis possint transire ad alios Ordines approbatos, eo ipso, quo electi sunt nulla alia requisita licentia, vt huiusmodi transitu permisso alia maiora mala vitentur; si enim electi per se possunt quamlibet Religionem ingredi, nulla esset huius priuilegij necessitas. Pro cuius explicatione aduerte ibi excipi Religiones militares, quoad partem, qua continent milites arma portantes, in quas non permittuntur ingredi, secus quoad partem, qua continent clericos vitam communem degentes.

4. Debent tamen hi electi litteras testimoniales Prouincialis, vel Generalis deferre, nec aliter recipi possunt sine licentia sedis Apostolicæ. An autem huius conditionis defectus annullet ingressum, sicuti esset nullus ingressus alterius non electi? Affirmant Man. Rodrig. *tom.1.quæst.regular.q.30.art.21. fine.* Suar. *tom.4.de Relig. tract.8. lib.3.cap.5. num.19.* Sed verius negant idem, Man. 2. *tom.sum.cap.6.num.21.* & Sanch. *lib. 6 sum cap.9 num.39.* quia nullum est verbum in dicto priuilegio indicans supradictas testimoniales litteras requiri vt formam, & ex necessitate ingressus, sed solùm ex præcepto, vt ingressus conuenienti modo fiat manifestato superioribus statu ingredientis. Deinde in Societate IESV est priuilegium concessum à Greg. XIII. in Bulla incipiente *eum alias* in quo priuilegio cæteræ Religiones non communicant, vt professus ex illa electus possit ex Præpositi Generalis licentia quamlibet Religionem etiam laxiorem ingredi: Ergo signum est electis hunc transitum non esse per se licitum.

5. Quod si dicas cum Suar. *t.4. de Relig. tract.8. lib.3.cap.3. num.18.* id verum esse respectu Religionis laxioris; quia in illius assumptione minuis statum perfectionis, quem professus es, quod tibi permitti non debet; sicuti non permittitur manere in sæculo, si ad Religionem, à qua electus es, redire possis, non tamen id esse verum respectu Religionis strictioris, vel æqualis; quia eo casu nec tuæ Religioni facis iniustitiam, cum ipsa te expulerit, nec statui Religioso; cum æqualem accipias: obstat, quia dum non probas per te non stare reditum ad propriam Religionem, censetur Religio te expellere; quia impœnitens, & incorrectus es. Cum igitur tenearis te pœnitentem, & correctum ostendere, vt ipsa suo iure vti possit, si antequam hanc diligentiam præmittas, aliam Religionem ingrederis, iniustitiam committis aduersùs propriam Religionem

nem sicuti committeret non ejectus transiens sine legitima facultate.

6. Secunda verò pars conclusionis, scilicet quod possis quamlibet Religionem etiam laxiorem ingredi, postquam ostendisti per te non stare reditum ad propriam Religionem, est manifesta. Nam si facta hac diligentia in sæculo manere tuto, potes, cur non Religionem ingredi? Non enim verisimile est posse Religionum ejectum obligare, ne sibi de statu perfectionis consulat, cum ei permissum non sit viuere in eo in quo professus est.

PVNCTVM XXIII.

An Religiosus expulsus, cui non permittitur reditus ad propriam Religionem, teneatur ad obseruantias Regulares?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur ratio dubitandi pro parte affirmatiua.*
2 *A Religione expulsus obligatus est seruare castitatem eodem modo, ac si expulsus non esset, non autè paupertatem.*
3 *Vertitur triplex difficultas circa obedientiæ votum.*
4 *Graues Doctores sentiunt expulsos à voto obedientiæ eximi.*
5 *Verius est expulsos sub obedientia Prælatorum regularium aliquo modo esse sub Episcopi potestate simpliciter, sub Pontifice efficacius.*
6 *Religiosus expulsus obligatus est se Episcopo manifestare.*
7 *Primæ difficultati n. 3. adducta fit satis.*
8 *Diluitur secunda.*
9 *Respondetur tertiæ.*
10 *Expulsus non tenetur, neque per se obligari potest ad ieiunia, austeritates, pœnitentias, &c. præscripta à regula suæ Religionis etiam sub peccato obligante.*
11 *Expulsus, qui clericus non sit, obligatus non est ad horas canonicas recitandas.*
12 *Non est obligatus habitum suæ Religionis deferre, bene tamen cogi poterit, vt honestum deferat.*

1. SVperius diximus quemlibet Professum expulsum votis substantialibus Religionis astrictum esse, quia expulsio non est votorum dispensatio, & absolutio, sed separatio actualis à communi vita, & Religionis regimine. Ex quo oritur ratio dubitandi. Si igitur expulsus verè Religiosus est, votisque substantialibus astrictus obligationem habebit seruandi castitatem, paupertatem, & obedientiam. Quomodo ergo hæc obligatio compati potest cum libera bonorum administratione, exemptioneque à Prælatorum regularium obedientia? Deinde si statum Religiosum, quem professus est, retinet, obligabitur perfectionem quærere mediis ab eo statu præscriptis, & consequenter obligabitur ieiunia, & austeritates Religionis sustinere, orationesque designatas fundere, sicuti cæteri Religiosi.

2. In hac re quoad obligationem ortam ex votis substantialibus dicendum est, te à religione expulsum obligatum esse seruare castitatem eodem modo, ac si expulsus non esses. Nam cum materia huius voti sit abstinentia à licito & illicito concubitu, omnique re venerea, & hæc non pendeant ab hoc, vel illo statu, integrè seruanda est in statu expulsionis. At votum paupertatis seruare debes iuxta exigentiam status, in quo es constitutus. Cum autè status ille expulsionis non exigat te dominium vllius rei habere, sed solum vsum, & liberam acquisitorum administrationem, Religio te expellens eum vsum, eamque administrationem tibi concedit, vel potius Religione expellente Pontifex iure ipso, & consuetudine introducta, eum libetum vsum, & administrationem permittit, modo non sit in prauos vsus, neque via testamenti, vt latius diximus, *disp. præcedenti punct. 9.*

3. De voto obedientiæ est grauis difficultas, cui Prælato exercendum sit? Non enim obedientiam debes regularibus Prælatis. Tùm quia ipsi te ejecerunt à sua potestate, & dominio. Tùm quia illis obedientiam promisisti sub tacita conditione, & pacto, quod te alerent, & gubernarent, & sub communi vita degere permitterent. Episcopo autem nullam obedientiam promisisti, si tua Religio ab Episcopi potestate exempta est. Si verò exempta non est, Episcopo promisisti obedientiam, sicuti aliis regularibus Prælatis, scilicet in statu vitæ communis Religiosæ, non extra. Quare expulsus à Religione, à dominio, & potestate omnium Prælatorum illius manes expulsus, & consequenter à dominio & potestate Episcopi. Et hæc ratio probat neque te esse sub obedientia Pontificis, quatenus supremus est Religionis Prælatus. Præterea difficile est explicatu cui Episcopo obedientia debeatur, an Episcopo originis, an domicilij, an habitationis, & in qua materia obediendum sit? Non igitur apparet comparatione cuius Prælati obedientia exerceri debeat, quæ in suo intrinseco conceptu aliquem Prælatum, & subiectionem ad illum spectat.

4. Propter hæc graues Doctores dixerunt expulsos eximi à voto obedientiæ, non quia in eo dispensati sint, sed quia deficit materia, circa quam versetur; ac proinde eius obligationem suspendi: sic Molin. *t. 1. de iustit. disp. 140. circa finem, §. quoad votum, & t. 2. disp. 276. §. quoad cæteros*, Man. Rodriguez *quæst. Regul. t. 1. q. 30. art. 19.* Lessius *lib. 2. cap. 41. in fine.* Sanchez lib. 6. summ. *cap. 9. num. 29. & 31.* specialiter negant deberi ex vi status Religiosi aliquam obedientiam Episcopo, sed solum generalem, qualem habent reliqui sæculares clerici.

5. Cæterum verius censeo, expulsum adhuc sub obedientia Prælatorum regularium aliquo modo esse, sub Episcopi potestate simpliciter, sub Pontifice efficacius. Probo singula. Prælati regulares cogere possunt expulsum, vt ad Religionem redeat, ipséque obedire tenetur, vt ex communi sententia probatum reliquimus. Ergo quoad hanc partem sub obedientia Prælatorum regularium est expulsus, & ita tradit Sanchez lib. 6. summ. *c. 6. n. 31.* Deinde Pontifex non solùm quatenus Ecclesiæ Pastor est, sed etiam quatenus omnium Religionum est supremus Prælatus potest expulso præcipere, quæ statum Religiosum in illo viuendi modo decent, ipseque expulsus obedire tenetur; ergo sub Pontificis domino, & obedientia existit. Item expulsus dominium bonorum vsurpans, de illisque per testamentum disponens vorum paupertatis violat, vt est in comperto apud omnes. Sed violatio paupertatis est dispositio bonorum sine licentia superioris, ergo expulsus superiorem habet in vsu paupertatis, hic autem necessariò est Pontifex; cum non sit Prælatus Regularis. Ergo, &c. Præterea quilibet Religiosus ex obedientiæ voto subditur Pontifici tanquam supremo Religionis Prælato, sed per expulsionem à Religione non suspenditur hæc subiectio. Quæ enim necessitas est huius suspensionis, aut quo titulo Pontifex priuari debet regimine, & dominio Religiosi expulsi, cum facta expulsione magis necessarium sit? Expulsio namque excludit expulsum à regimine, & potestate cuiuslibet Prælati regularis, seu Religionis intrinseci, non tamen excludit à potestate, & dominio Prælati extrinseci, qualis est Pontifex, neque id expediens erat, sed potius contrarium. Quæ ratio probat tertiam partem nostræ conclusionis, scilicet expulsum esse simpliciter sub potestate Episcopi, quando Episcopus erat illius superior. At quando ab omni iurisdictione Episcopali exemptus erat, alia via probanda est, quæ sic se habet. Expulsus in eo statu ligatus est voto obedientiæ: sed hoc intelligi non potest absque ordine ad aliquem Prælatum, cui præstanda sit: cum ergo hic non sit Prælatus regularis, restat, vt sit Episcopus. Tùm quia Pontifex censendus est illi suas vices committere, vt sic aptius expulsus gubernetur. Tùm quia Religiosus cum obedientiam vouet, intelligitur vouere Prælatis regularibus, dum ab eis regitur, Episcopis verò, quando à Prælatorum regularium regimine excluditur: hic enim modus viuendi tum expulso, tum statui Religioso conuenientior est. Præterea negari non potest Episcopum regere, & gubernare posse, & debere omnes existentes in sua diœcesi, quæ specialem exemptionem non habeant secundùm eorum statum, & conditionem. Ergo dicendum est posse, & debere gubernare Religiosum expulsum, secundùm Religiosum statum, quem habet expulsioni accommodatum. At nullum est inconueniens, quod hæc gubernatio tam ex iurisdictione Episcopali, quam ex voto obedientiæ ortum habeat. Ergo dicendum est Religiosum expulsum ex vi voti obedientiæ sub Episcopi potestate esse in statu expulsionis. Et ita sustinet Nauarr. comment. 2. de Regularibus *numer. 34. & sequentibus & comment. 3. numer. 46. & lib. 3. consil. titul. de Regularibus cons. 50. & 51. aliàs 77. & 78.* Thomas Zerola *praxi*, 2. *p.* verbo *regularis, vers.* 3. Suar. *t. 4. de Relig. tract. 6. lib. 3. c. 6. n. 4. & seqq.*

6. Hinc fit obligatum esse Religiosum expulsum se Episcopo manifestare, vt iuxta conditionem sui status ab eo regi possit. Cùm enim ex voluntate Episcopi, vtpotè sui Prælati regendus sit; neque hoc fieri possit sine status manifestatione, infertur necessariò statum esse manifestandum: sic tenent relati Doctores.

7. Sed restat satisfacere difficultatibus n. 3. propositis, Prima, quæ desumitur ex modo vouendi obedientiam Prælatis regularibus; conuincit equidem; facta expulsione nullam aliam obedientiam illis deberi præter reditum ad Religionem ob rationem ibi dictam.

8. Secunda agit de obedientia Episcopi, Et respondemus, si Religiosus alias erat Episcopo subiectus, ei subiectum manere post expulsionem, vt possit præcipere quæ necessaria fuerint expulso iuxta suum statum, & modum viuendi extra Religionem quia expulsio non reiicit expulsum à regimine Prælati extrinseci Religionis, sed à regimine Prælati intrinseci, & regularis. At si Episcopo aliàs non erat subiectus,

expulsione in eius subiectionem incidit; quia à principio votum fecit de obedientia præstanda non huic, vel illi determinato Prælato, sed legitimo Prælato quicunque sit. At Episcopus sublata Religiosorum exemptione, est legitimus illorum Prælatus. Ergo Episcopo tanquam legitimo Prælato obedientia ab expulso præstanda est. Sed cui Episcopo præstanda sit? Nuarr. *dicto comment. 2. num.* 34. affirmat esse Episcopum originis, quia hic solum est permanens, & immurabilis neque à voluntate expulsi dependens; reliqui verò superiores ratione domicilij, habitationis, seu beneficij acquisiti mutari possunt ex voluntate expulsi relicto domicilio, habitatione, seu beneficio ac proinde in voluntate expulsi esset sui superioris electio, quod non videtur dicendum. Cæterùm verius censeo non esse in has angustias redigendum expulsum. Nam vt benè expendit Suar. *dicto lib. 3. cap. 6. numer.* 8. sæpè contingit Religiosum expelliin loco remotissimo, à loco sui originis, molestissimumque illi esse eum locum adire, Episcopoque illius se præsentare, & fortè non leuioris incommodi, tum propter occasionem vagandi, quæ inde nasci potest. Tum propter pericula spiritualis damni, quæ in loco originis esse solent. Non igitur imponenda est illi obligatio, cum nullo iure fundata sit. Quocirca potius existimo, illum Episcopum esse expulsi superiorem, qui esset illius, si clericus, & non Religiosus esset, quia cum in modo viuendi expulsus sæcularibus clericis omnino similis existat, superior clericorum, expulsi superior erit. Vnde Episcopus illius loci, in quo monasterium à quo eiicitur, existit, superior erit expulsi, dum ibidem commoratur, vel quia peregrinus est, vel quia ibi figit domicilium. Et ratio superius facta hoc conuincit: quia Episcopus est superior omnium, qui in sua diœcesi existunt non exempti sed ille expulsus expulsione amisit exemptionem. Ergo illius Episcopus superior est. Et hinc constat non posse esse Episcopum originis (nisi ad recipiendos ordines, vt est clericorum sæcularium) quia nemo potest duobus Prælatis, & inter se indepẽdentibus simul subiici. Si igitur expulsus subiectus est quoad sui regimen Episcopo habitationis, vel domicilij nequit simul subiici Episcopo originis. Huic tamen Episcopo domicilij, vel habitationis non ita subiicitur; quin absque illius consensu mutare domicilium, vel habitationem possit, sicuti potest clericus sæcularis: nam ex vi voti obedientiæ non se priuauit libertate faciendi hanc mutationem in statu expulsionis, sed solum dum intra Religionem, & sub Prælatorum regularium regimine existit, & vitam communem degit: & ita tradit Suar. *t. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 6. num. 16.*

9. Tertia difficultas grauior est, quibus in rebus teneatur expulsus Episcopo obedire? Breuiter respondeo teneri in iis, quæ ad obseruantiam castitatis, & paupertatis statui expulsionis accommodatæ, iudicata fuerint moraliter necessaria, quia cum astrictus his votis existat, penes superiorem, cui regimen expulsi iucumbit, erit illorum obseruantiam procurare, & quæ necessaria fuerint præscribere. Idem est de his, quæ pro Religiosi status decentia, & honore in eo vitæ genere conseruando necessaria fuerint. Nam cum expulsus verè Religiosus sit, statumque Religiosum non amiserit, obligatus est eum viuendi modum seruare, qui Religiosum statum in eo vitæ genere non dedeceat. Quapropter si se ludis, & commessationibus cum scandalo tradit, habitum honestum non portat, aliaque perpetrat in Religiosi status ignominiam, cogi præcepto, & pœnis ab Episcopo potest, sicuti posset à suo Prælato regulari, cum intra Religionem esset; Sic tradit Suar. *dicto t. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 6. n. 18.*

10. Præter supradictam obligationem nullam aliam expulsus habet, neque Episcopus imponere potest. Vnde non tenetur, neque per se obligari potest ad ieiunia, austeritates, pœnitentias, orationes, aliaque similia à regula suæ Religionis præscripta etiam sub peccato obligante. Sic Suar. *dict. cap. 9. n. 11. & seqq.* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 15. fine*, Sanch. *lib. 6. summ. c. 9. num. 50.* Layman. *lib. 4. summ. tract. 5. c. 13 q. 2.* & alij plures apud ipsos Ratio est; quia Religiosus non censetur promittere regulæ, illiusque præceptorum obseruationem, nisi dum à Religione alitur, & gubernatur, & in aliorum consortio viuere permittitur. Tùm quia regula apposita est ad regendos Religiosos in communi vita, non ad regendos Religiosos à Religione separatos. Tum quia eius obseruatio extra Religionem est longè difficilior.

11 Hinc deducitur, expulsum, qui clericus non sit, obligatum non esse ad horas canonicas recitandas, quia harum obligatio solum ex consuetudine annectitur Religiosis ad chorum deputatis intra Religionem degentibus; non autem iis, qui à Religione separantur, & quorum separatione deputatio ad chorum cessat, efficacius quam cessaret, si ad gradum Religiosorum laïcorum transiret; & ita sustinet Suar. *in præsenti dict. c. 6. n. 12.* & latius tradidimus, *tr. 7. de horis canonic. disp. 2. punct. 1. §. 3. in fine.*

12. Secundò deducitur, non esse obligatum habitum suæ Religionis deferre, quia hic habitus est ad significandum illius gestatorem membrum esse talis Religionis illique vnitum, & sub illius regimine, quod non habet locum in expulso. Neque obstat, Episcopum ad illum deferendum obligari, tametsi à Religionis regimine separatus existat. Quia Episcopo præcipitur expresè, vt postea dicemus, secus eiecto. Item Episcopus separatur à Religione per ascensum ad superiorem statum, atque ita Religiosi habitus gestatio cedit in Religionis honorem secus in eiecto contingit; ac proinde ille, & non hic obligatus à iure est habitum deferre: & ita sentit Suar. *dicto cap. 6. num.* 14. immo non solum eiectus obligatus non est eum habitum deferre, sed nec potest, si eo per sententiam priuatus sit, vt ferè semper expulsi priuantur, eo quod illius gestatio in ignominiam Religionis reputatur cessura: Sic Nauarr. *comm. 2. de Regularib. n. 36. & lib. 3. consil. eodem tit. cons. 51.* aliàs 78. Lessius, *lib. 2. c. 41. dub. 15. num.* 112. Sanch. *lib. 6. summ. c. 9. n. 55.* Suar. *t. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 6. n. 14.* Debent tamen habitum honestum deferre, & ad id cogi possunt. At non tenentur ad habitum clericalem deferendum, si clerici non sint; quia nullus est textus hanc eis obligationem imponens, & ex natura rei id non sequitur: Sic *Suar. dicto cap. 6. num. 14.*

PVNCTVM XXIV.

An Religiosus factus Episcopus, votis, & præceptis Religionis teneantur?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus factus Episcopus voto obedientiæ, sicut paupertatis, & castitatis astrictus manet, sed soli Summo Pontifici obedire tenetur.*

2 *Superior doctrina declaratur.*

3 *Proponuntur alia vota, quæ in diuersis Religionibus emittuntur.*

4 *An prædictis votis obligetis, Affirmat Suar. & rationes adducit.*

5 *Etsi hæc sententia vt securior consulenda sit, contraria probabilitate non caret.*

6 *Expenditur votum S. Mariæ de Mercede, & Minimorum, & primum Societatis* IESV, *asseriturque non obligare.*

7 *Expenditur secundum, & tertium. Idémque de eis asseritur.*

8 *Expenditur quartum & quintum votum Societatis* IESV, *& asseritur quintum obligare.*

9 *Satisfit rationibus à Suarez n. 4. adductis.*

10 *Episcopus obligatus est habitum suæ Religionis deferre.*

11 *An Episcopus, si habitu suæ Religionis relicto secularis Episcopi habitum induat, excommunicationem incurrat? Affirmant aliqui sed rectius alij negant.*

12 *Episcopus retento colore habitus suæ Religionis potest se conformare cum Episcopis sæcularibus in forma, seu figura illius.*

13 *Episcopus nullo tenetur regulæ præcepto. Et satisfit rationi dubitandi.*

14 *An saltem ex debito morali teneatur? Arguitur pro parte affirmatiua.*

15 *Verius est nullo debito morali Episcopum regularem obligari, & soluuntur contraria.*

16 *Episcopus transgrediens votum castitatis, paupertatis, & obedientiæ pœnis à regula statutis in transgressores non ligatur.*

17 *Episcopus non est obligatus ieiunia, austeritates, &c. à regula præscripta seruare.*

18 *An possit carnes comedere feria sexta, vel Sabbatho, in quæ Natalis Domini incidit, si ex præcepto regulæ id sit prohibitum? Negat Barbos. Oppositum tenendum est.*

19 *Obligatus non est officium diuinum iuxta ritum sui Ordinis recitare, neque socium secum habere.*

20 *Omnia superius dicta intelliguntur, & procedunt in Episcopo titulari non habente subditos.*

21 *Episcopus, qui Episcopatum renuntiauit, aut illo priuatus est non reincidit in regularium Prælatorum subiectionem. Secus si degradaretur.*

22 *Supradicta exemptio Episcopo competit à tempore electionis per Pontificem confirmatæ.*

23 *An regularis Prælatus gaudeat priuilegiis gratiis, & indulgentiis, illius Ordinis Religiosis concessis? Negant plures, sed immerito.*

24 *Si verò gratiæ, & priuilegia in Religionis detrimentum cedere possunt, illis non fruuntur, nisi de Prælatorum consensu.*

25 *An ea quæ dicta sunt de Episcopis competant Religiosis electis in Cardinales Romanæ Ecclesiæ? Affirmat communis sententia. Sed si à Cardinalatu deponantur, vel illum renuncient, in Prælatorum regularium obedientiam reincidunt.*

26 *Hæc doctrina extenditur probabiliter à Sanchez ad regularem electum in Abbatem, aliamve dignitatem propriam diœcesim habentem, nemini alteri subiectam.*

1. TE Religiosum factum Episcopum voto castitatis obligari in comperto est apud omnes. Qualiter autem tenearis voto paupertatis *disp. præcedenti punct.* 19. diximus. Quapropter in præsenti solùm agendum est de voto obedientiæ, aliisque Religionis præceptis. Et quidem te manere astrictum voto obedientiæ, sicut voto paupertatis, & castitatis ferè omnes Doctores docent. Quia cum maneas verus Religiosus, & de essentia Religiosi status sint illa tria vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ, efficitur omnibus illis astrictum esse. Sed cui Prælato obedire astrictus sis? Respondeo ex necessitate non oportere alicui actualiter esse subiectum; sufficit si in habitu, & potentia subiectus sis, quando Superiorem habueris, vt contingis in Religioso assumpto ad Pontificatum, qui non ideo desinit esse Religiosus, & votis castitatis, paupertatis, & obedientiæ ligatus, tametsi superiorem non habeat; quia id est per accidens, Sanch. *lib. 6. cap. 6. numer. 6.* Actualiter soli Summo Pontifici, vt supremo Religionis Prælato subiiceris, non autem Prælatis regularibus: Sic docent D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *ad* 4. *& q.* 185. *art.* 8. *in corp. & ad* 3. *&* 4. Nauarr. *comm.* 3. *de Regular. numer.* 46. Couarruu. *cap.* 1. *num.* 28. *de testament.* Valen. 2. 2. *disp.* 10. *q* 3. *punct.* 10. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 14. *num.* 113. Sanch. *lib. 6. sum. cap. 6. num.* 2. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 1. Layman. *lib.* 4. *sum. tract.* 5. *cap.* 2. *numer.* 9. & alij plures apud ipsos. Probo te Pontifici esse subiectum ex voto, sicut eras ante assumptionem, quia nulla est causa, quare à Pontificis obedientia eximaris supposito quod obedientiæ voto astrictus sis. Quod verò nemini alteri subiiciaris constat. Non enim subiiceris Religionis Prælatis, quia vt habetur, *cap. vnico* 18. *q.* 1. hæc canonica electio à iugo regulæ monasticæ professionis absoluit, & consequenter ab obedientia, quæ secundùm regulam Prælatis regularibus debebatur. Neque obstat, te illis obedientiam promisisse: quia id intelligere debes, cum verè superiores sunt, secus quando ab illorum potestate eximeris, sicuti contingit in Generali Præposito, qui nulli Prælato regulari obedire tenetur; quia nullus illi superior est, tametsi votum fecerit de obediendis Prælatis regularibus. Alteri autem à regularibus Prælatis, & Pontifici obedientiam non promisisti, non igitur ex illo voto aliis subiectus est. Quare etsi in aliquibus casibus iure sic disponente tenearis obedire Archiepiscopo, Patriarchæ, vel Primati, id ex iure Ecclesiastico, & ex iurisdictione per illud concessa prouenit, non ex voto obedientiæ Religiosæ; neque illa est obedientia secundùm regulam, Suar. *t.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 4.

2. Hinc fit, te obligatum esse obedire Pontifici ex vi voti obedientiæ in iis, quæ fuerint secundùm regulam; secus in iis quæ extra; vel præter regulam antea fuerint. Quia non illimitatè, sed limitatè iuxta regulam obedientiam promisisti. Suar. *dicto cap.* 17. *num.* 5. Sanch. *lib. 6. sum. cap. 6. num.* 5. Secundò fit, ex eo solum quod Pontifex supradictam exemptionem à Prælatis regularibus auferat, vt verè auferre potest, Prælatis regularibus te manere sicut antea subiectum. Quia votum obedientiæ Prælatis regularibus factum integrum manet, solumque suspensus erat ab illo vsu comparatione Prælatorum regularium ob exemptionem ab illis: quare sublata exemptione Prælati regulares tui superiores sunt, illisque ex voto obedire teneris, Sanch. *dicto c.* 6. *n.* 4. Vasquez 1. 2. *disp.* 165. *c.* 8. *ad finem, n.* 93. Laym. *lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 1. *n.* 9.

3. Supradictis votis constituentibus Religiosum statum annectuntur alia vota in diuersis religionibus, vt in Religione B. Mariæ de Mercede emittitur votum incumbendi redemptioni captiuorum, in Minimorum Religione votum vitæ quadragesimalis, in Societate IESV, votum quartum solemne obediendi Summo Pontifici in missionibus peragendis. Deinde emittuntur alia quinque vota simplicia. Primum est de non relaxanda paupertate, nec admittenda eius relaxatione. Secundum est de non procuranda dignitate aliqua directè, vel indirectè in Societate. Tertium de non procuranda, vel acceptanda prælatione, vel dignitate extra Societatem, nisi obedientia intercedat. Quartùm de denunciandis ambientibus supradictas dignitates. Quintùm est de audiendo Præposito Generali ne in statu Prælationis constituto, eiusque consilia sequendo, si meliora visa fuerint.

4. Dubium ergo est, an omnibus his votis obligeris in Episcopum assumptus eodem modo, ac ante assumptionem eras obligatus? Et de vltimo voto Societatis nemini potest esse dubium, cum pro statu assumptionis emittatur; vnde si eo tempore non obligaret, fruſtraneum, & irrisorium esset: cum ante assumptionem ad nihil obliget: & ita de hoc voto notauit Vasq. 1. 2. *disp.* 165. *cap.* 8. *num.* 89 *fine*, Sanch. *lib. 6. sum. cap. 6. num.* 15. Suar. *t.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 8. *& n.* 10. *lib.* 6. *c.* 19. De aliis votis affirmat *Suar. dicto c.* 17. *n.* 8. & colligitur ex Soto *lib. vlt. de iustit. q. vlt. art. vlt. post medium*, & vers. *sed contra*, quatenus excusat Religiosum Episcopum ab obseruatione regulæ, illiusque præceptis; quia ea non vouerat, tacitè innuens, si ea voueret ad illius obseruationem obligari. Ratio verò esse potest; quia obligatio voti est personalis, ergo comitatur personam in quocunque statu existat; aliàs vouens calculum virgineum recitare non teneretur hoc voto translatus ad Episcopatum. Deinde vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ perseuerant in Episcopatu, & obligant ad sui obseruationem, quatenus cum Episcopatu non pugnant. Ergo etiam hæc vota perseuerare debent, & obligare, quatenus eorum obseruatio cum status assumpti obligatione non pugnat. Tùm quia sunt accessoria statui Religioso. Tum quia non pugnant absolutè cum obligatione Episcopatus, sed potius plura ex illis Episcopatus perfectionem iuuant. Quod discurrendo per singula vota fiet manifestum. Si enim aliquod votum pugnaret, maximè votum incumbendi Redemptioni Captiuorum, & in Societate votum obediendi Pontifici in missionibus, & infideles. At hoc votum non pugnat cum Episcopatu non habente curam animarum. Deinde non pugnat cum Episcopatu curam animarum habente, si Pontifex ea occasione in residentia Episcopatus dispenset. Ergo hoc votum in Episcopatu obseruari potest. Votum verò à Minimis factum de abstinentia quadragesimali regulariter ab Episcopo obseruari potest, & maxima cum ædificatione, & fructu. Quod si aliquando illa abstinentia muneri Pontificali obstiterit, id per accidens est, nec tollis voti absoluti obligationem. Vota verò Societatis de non relaxanda paupertate, nec procuranda dignitate intra, vel extra Religionem, & ambientibus denunciandis nullo modo obstat muneri Episcopali, vt de se constat, ergo in eo statu obligant, & seruanda sunt.

5. Nihilominus etsi supradicta sententia vt securior consulenda semper sit; at probabilitate non caret supradictorum votorum obligationem suspendi durante Episcopatu: sic docet expresè Sanch. lib. 6. sum. *c.* 6. *num.* 15. Suar. t. 4. de Religione. *tract.* 10. *lib.* 21. *cap* 3. *à num.* 5. Ratio est, quia ea vota, vt ex consuetudine, & praxi recepta constat, præcipiuntur emitti, & à Religiosis emittuntur, vt status communitatis conseruetur & crescat faciliori regularum obseruatione, specialique Religiosorum fructu, & sæcularium æstimatione: cum ergo post Episcopatum assumptum à statu communitatis separatus existas, & ab omni regularum obseruatione exemptus, vt statim dicemus, videris sanè pro eo status illis votis non obligari. Præterea eorum obseruatio longè difficilior est extrà Religionem, quam intrà, præcipuè in statu illo honorifico Episcopatus. Ergo non est credendum Religionem pro eo tempore velle suis Religiosis illorum votorum obligationem imponere neque Religiosos eam subire. Sed potius est oppositum præsumendum.

6. Deinde expendo singula vota, vt hæc præsumptio efficacius colligatur. Neque enim Religiosus S. Mariæ de Mercede præsumi potest se voluisse obligari voto Redemptionis Captiuorum, nec Religiosus Societatis IESV voto obedientiæ promissionibus peragendis instar clerici sæcularis, sed instar Religiosi, & vt Religionis membrum, & in illius conseruationem. Cum igitur assumptione Episcopatus sint à Religione exempti, & instar clericorum sæcularium, non est præsumendum illis votis pro illo statu se voluisse obligari. Et idem argumentum fieri potest de voto abstinentiæ quadragesimalis, non enim præsumi debet obligationem illius extendi ad statum sæcularem, & à religione separantem, maximè cum ad conseruationem Religiosi status emissum fuerit. Apertius id videtur constare in illis quinque votis à Professo Societatis emissis. Nam in primis hæc emittuntur, vt conseruari, & augeri totum corpus Societatis in suo bono statu possit, vt expressit S. Ignatius, 10. *p. constitut. in princ.* ac proinde non respiciunt extra corpus Societatis constitutos. Deinde sigillatim quodlibet votum expendo. Votum namque non laxandi paupertatem, sed potius illam restringendi expresè loquitur de his, qui actualiter intra Religionem existunt. Nam vt habetur *in declarat. huius voti 6. p. cap. 2. litt. A*, ille innouat paupertatem, qui prætendit in conuentu totius Societatis congregatæ, vel per seipsum vlla ratione, redditus, & professionem vllam in proprium vsum, vel ea admittit ad fabricam, vel sacristiam, vel ad aliquem alium finem præter id quod ad collegia, & domos probationis attinet. Quæ certè non possunt intelligi de Religiosis extra Religionem existentibus, cùm ipsi liberam bonorum administrationem habeant, pluresque redditus professiones in proprium vsum, neque ipsis datum est pro sacristia, & fabrica domus Professæ admittere, cum superiores Societatis non sint. Neque item in Conuentu totius Societatis congregantur ipsi, vt aliqua ratione tum suffragiis, tùm diligentiis paupertatem innouare possint. Non igitur hoc votum pro statu extra Religionem intelligitur.

7. Secundùm votum apertissimum est non comprehendere Religiosos Episcopos, cum ipsi in eo statu incapaces

ſint Prælationis Religioſæ, & alienæ prorſus ab illius procuratione. Tertium votum manifeſtè ſupponit intra Religionẽ debere vouentẽ exiſtere, vt obliget, cum ſit votum non procurandi, neque acceptandi dignitatem extra Religionem. Nam ſi dignitatem extra religionem habet, non indiget illius procuratione, & acceptatione. Quod ſi dicas intelligi debere votũ eo caſu de non procuranda, neque acceptanda noua dignitate, obſtat finis huius voti; qui eſt vt animarum ſaluti Societatis Religioſus incumbat iuxta noſtræ profeſſionis humilitatem, & ſubmiſſionem; & ne Societas his hominibus qui ad propoſitum ſibi finem ſunt ei neceſſarij priuetur; ſicuti dicitur, 10. *p. conſtit.* §. 6. Religioſus autem in Epiſcopum aſſumptus iam eſt extra humilitatem, & ſubmiſſionem Religioſam, eoque Religio priuata eſt. Non igitur de ipſo votum intelligitur: & ita docet Suar. *t.* 4. *de Relig. tr.* 10. *lib.* 6. *c.* 9. *n.* 13.

8. Quartum de denunciandis ambientibus videbatur exiſtentes extra Religionis regimen obligare; quia illud facilè exequi poſſunt. Sed dicendum eſt oppoſitum; quia in eius voti obſeruatione præcipuè ſpectatur finis à S. Ignatio aſſignatus, ſcilicet, vt Societas in ſuo ſtatu humilitatis conſeruetur, & augeatur; ac proinde reſpicit perſonas, quæ obligationem habent eam conſeruandi, & augendi: hæ autem nullæ aliæ ſunt, quam quæ ſunt de Societate, & Societatis corpus conſtituunt, & tamquam partes bono totius reſpicere obligantur. Ergo nullo modo reſpicit perſonas, quæ ratione ſui ſtatus extra corpus Societatis ſunt. Et confirmatur; quia illi obligantur denunciare ambientes qui in Societate directè, vel indirectè ſibi Prælationem procurare poſſunt, vt conſtat manifeſtè ex ipſa ſerie verborum, 10. *p. conſtit.* §. 6. *ibi:* Erit etiam ſummi momenti, vt perpetuò felix Societatis ſtatus conſeruetur diligentiſſimè ambitionem malorum omnium in quauis Republica, vel Congregatione matrem ſubmouere, ac aditum ad dignitatẽ, vel Prælationem vllam directè, vel indirectè quærendam in Societate præcludere. Quod vt fiat omnes Profeſſi ſe nihil vnquam ad eam obtinendam acturos, & agere animaduerterint delaturos Deo, ac domino noſtro vouent. Et ſoli Religioſi intra Societatem exiſtentes procurandæ Prælationis in Societate habiles ſunt. Ergo de iis ſolùm votum denunciandi ambientes intelligitur. Reſtat ergo, vt ſolum quintum votum de audiendo Generalis conſilium Epiſcopos, alioſque extra Societatem in dignitate conſtitutos comprehendat; quia pro eo tempore emiſſum eſt, & forte Gab. Vaſquez 1. 2. *diſput.* 165. c. 8. de hoc ſolo voto expreſſit obligari in epiſcopatum aſſumptos tacitè innuens reliqua vota in eo ſtatu non obligare.

9. Neque obſtant rationes pro ſententia Suar. *n.* 4. adducta. Ad primam concedo voti obligationem perſonalem eſſe; afficereque vouentem in quocunque ſtatu, & quocunque tempore, ſed non pro quocunque ſtatu, & pro quocunque tempore, ſed pro ſtatu, & tempore, quo vouens ſuſcepit obligationem. Cum autem Religioſus illorum votorum obligationem ſuſceperit pro tempore, quo intra Religionem exiſtit, illiuſque membrum eſt; efficitur obligandum non eſſe extra Religionem conſtitutum. Ad ſecundum reſpondeo vota caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ perſeuerare, & obligare in ſtatu Epiſcopali, quatenus cum eo ſtatu compati poſſunt; quia emiſſa fuerunt abſolutè ad ſtatum Religioſum conſtituendum. At prædicta vota non emittuntur, vt conſtituant ſtatum, imo neque vt acceſſoria ſtatui Religioſo, vt ſic, ſed vt acceſſoria ſtatui Religioſo in vita communi, & ad maiorem illius communitatis perfectionem. Quapropter excluſus ab illa communitate, & à Religioſo ſtatu in vita communi, excluditur ab illorum votorum obſeruatione. Ad tertiam concedo, reliqua vota ex propria voluntate emiſſa, ſi abſque vlla reſtrictione emiſſa ſint, obligabunt in ſtatu Epiſcopatus; quia præſumuntur pro quocunque ſtatu emiſſa eſſe. Secus eſt de votis ex præſcripto Religionis emiſſis, quæ ſolum præſumuntur emiſſa in conſeruationem, & augmentum Religionis, quatenus eſt vnum corpus.

10. Prædictæ obligationi proxima eſt obligatio habitum Religioſum deferendi; quæ obligatio non à regula imponitur, ſed iure communi: ſic enim habetur, *cap. clerici* 2. *de vita, & honeſt. clericor.* ibi: Pontifices autem in publico, & in Eccleſia ſuperindumentis lineis omnes vtantur, niſi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem. Et licet verbum *oportet* decentiam, & conuenientiam potius quam obligationem ſignificet; at conſuetudine ſic interpretante grauem inducit obligationem, vt cum Panormit. *ibi*, *n.* 6. notauit Suar. *t.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 9. & tradunt omnes, Ratio verò huius præcepti, & obligationis eſt, vt Epiſcopus recordetur ſe religioſum eſſe, & iuxta illius ſtatus obligationem mores ſuos componat, vt bene dixit D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 8.

11. Quod ſi Epiſcopus regularis habitu ſuæ Religionis dimiſſo, ſæcularis Epiſcopi habitum induat plures doctores cenſent excommunicationem latam, *cap.* 2. *Ne clerici vel monachi in* 6. aduersùs Roligioſos deferentes habitum ſuæ Religionis incurrere: quia verè habitum ſuæ Religionis dimittit, cum Religioſus ſit Sic *Sylueſt. verbo Relig.* 7. *q.* 11. Rinaldus. *conſ.* 6. *n.* 7. *vol.* 1. Surd. *de alim. t.* 8. *priuil.* 79. *n.* 10. Maiol. *lib.* 2. *de irregular. cap.* 1. *n.* 13. Rectius tamen alij Doctores negant ſupradicta excommunicatione regularem Epiſcopum comprehendi; quia prædictus textus *in c.* 3. expreſsè loquitur de Religioſis intra clauſtrum ſub obedientia Abbatis viuentibus, non de illis, qui extra clauſtrum, & extra obedientiam Abbatis ſunt conſtituti. Præterea illa excommunicatio imponitur, vt periculoſa euagandi materia regularibus ſubtrahatur. At Epiſcopus ſæculari Epiſcoporum habitu indutus periculoſam euagandi materiam non habet. Ergo. Item dici non poteſt temeraria dimiſſio habitus, quæ in habitum ita decentem, & ab Eccleſia probatum commutatur præcipue cum in *cap. Deus qui, de vita & honeſt. clericor.* monachis in Eccleſia ſimul cum clericis habitantibus permittitur habitu clericorum vti ne ob diuerſitatem ſcandalum generetur. Ergo Epiſcopus qui ob hanc occaſionem habitum ſuæ Religionis deſereret, non temerè dimitteret, neque in excommunicationem incideret. Et ita ſuſtinet Couarruu. *cap.* 1. *nu.* 18. *de teſtament.* Man. Rodrig. *t.* 2. *qu. Regular. q.* 58. Sanch. *lib.* 6. *ſum. c.* 6. *n.* 23. Suar. *t.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *c.* 17. *nu.* 11. Barb. *de poteſt. Epiſc. tit.* 1. *cap.* 4. *num.* 17.

12. Cæterum authoritate Clemen. VIII. vt habetur in *rituali Romano ab ipſo reformato* conceſſum eſt Epiſcopis regularibus, vt retento colore habitus ſuæ Religionis poſſint ſe conformare cum Epiſcopis ſæcularibus in forma, ſeu figura illius, atque ideo cum birreto clericali, & cum mantilleto eiuſdem coloris religionis. Rochetum verò portare non poſſunt, ſed cottam nempe ſuper pelliceum ſuperimponunt in actibus Eccleſiaſticis. Sanch. *lib.* 6. *cap.* 6. *numer.* 22. Barboſa de poteſt. Epiſc. *tit.* 1. *c.* 4. *n.* 17. Layman. lib. 4. ſum. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 9.

13. His ſuccedit obligatio regulæ. Cum ergo Epiſcopus vouerit obedientiam ſecundùm regulam, ab eóque voto ob Epiſcopatum liber non ſit, videtur regulæ præcipienti obedire debere, maximè ſi cum Epiſcopus munere non pugnat, ſed potius illius perfectionem promouet: ita tradit D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. Sylueſt. verbo *relig.* 6. *quæſt.* 10. Man. Rodrig. *tom.* 2. *quæſt. regul. quæſt.* 58. *art.* 3. & alij relati à Sanch. lib. 6. ſumm. *cap.* 6. *num.* 16. Cæterum omnino dicendum eſt, nullo regulæ præcepto regularem Epiſcopum teneri debito legali, & culpam obligante; quia expreſsè eximitur à iugo regulæ, illiuſque obligationem *dicto cap. vnico.* 18. *qu.* 1. ibi quem canonica electio à iugo monaſticæ profeſſionis abſoluit: & merito; quia cum ſit extra regimen religionis, non debebat illius regulis aſtringi: Hæ enim primo, & per ſe communitatem religioſam aſtringunt; quia in illius conſeruationem, & augmentum feruntur. Et deinde quamlibet partem illius communitatis, atque adeo quemlibet religioſum. Cum ergo Epiſcopus regulâtis extra illam communitatem ſit conſtitutus, nec illius ſit membrum, illius legibus aſtringi non poteſt. Et ob eandem rationem aſtringi non poteſt ſuæ religionis conſuetudinibus, quia hæ ſolum obligant ibidem viuentes. Et ita ſuſtinent Sanch. *lib.* 6. *ſum. cap.* 6. *à n.* 17. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 17. *à num.* 6. Layman. lib. 4. ſum. *tract.* 5. *cap.* 1. *n.* 10. & alij plures apud ipſos. Neque obſtat regularem Epiſcopum aſtringi voto obedientiæ ſecundùm regulam: quia aſtringitur voto cum eſt ſuperior, qui ſecundùm regulam præcipiat: at cum Pontifex, qui ſolus eſt illius ſuperior non præcipiat eas regulares obſeruantias, ieiuniorum, vigiliarum, & orationum, ſed ſolum à religione, prælatiſque illius ſint præcepta, à quibus regularis Epiſcopus exemptus eſt, nullam illorum obligationem habet.

14. Dixi ad regulæ præcipientis obſeruationem non teneri regularem Epiſcopum ex debito legali, hoc eſt ex obligatione illius legis, & regulæ. An verò teneatur ſaltem ex debito morali, & honeſtatis; videtur conuinci ex doctrina D. Th. *dicta q.* 185. *artic.* 8. dicente regularem Epiſcopum ſecum diſpenſare poſſe in regularem obſeruationẽ, ſecundùm quod requirit neceſſitas perſonæ, vel officij, vel conditionis hominum, cum quibus viuit. Si igitur diſpenſatio neceſſaria eſt, obligatio ſaltem ex honeſtate intercedere debet. Deinde legiſlator ſaltem ex honeſtate obligatur legibus à ſe latis, etiam ſi ab illis debito legali exemptus ſit, quia rationi naturali diſſonat velle alios legem à ſe latam obſeruare, quam ipſe non ſeruat. Præterea turpis eſt pars, quæ non concordat toti. Ergo turpiter agit religioſus Epiſcopus, qui aliis religioſis cum facilè poſſit non ſe conformat. Denique Epiſcopus in ſtatu perfectionis eſt conſtitutus. Ergo deſiſtere non debet ab obſeruatione regularum, quæ hanc perfectionem promouere poſſunt.

15. Quod ſi roges, hoc debitum morale quam obligationem inducat; Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 25. *de obligat. & obſeruat. præcept. qu.* 2. affirmat inducere peccatum veniale. Idem inſinuant Couarruu. *cap.* 1. *num.* 18. *de Teſtament.* Man. Rodrig. 2. *tom. ſum. cap.* 10. *num.* 4. negantes ſolum peccatum mortale in regularum violatione, & merito ita affirmandum eſt, ſi concedamus ex debito morali, & honeſtatis obligatum eſſe

religioſum

religiosum Episcopum ad obseruationem regularum. Nam omittere illud quod iure naturali debitum est ex recta morum institutione, decentia, & honestate indecens est, & rationi naturali aduersum. Ergo est culpa saltem venialis. Quapropter verius censeo nullo debito morali Episcopum regularem obligari ad regularum obseruationem: quia nec obligatus ex statu Episcopali, nec ex statu religioso. Ergo ex nullo capite. Non ex statu Episcopali; nam licet sit status perfectionis, obligetque perfectionis actus exercere, sed non omnes, sed ad summum proprios illius status; atque adeo sufficienter illius obligationi satisfaciet, si actus illius status proprios exercet, quales sunt, si suarum ouium saluti incumbat leges ferendo, Sacramenta ministrando, verbum Dei seminando, necessitatibus temporalibus, & spiritualibus prouidendo, seque verum pastorem verbo, & exemplo ostendendo, & sicuti Episcopus sæcularis, qui hæc præstaret, muneri Episcopali sufficienter satisfaceret. Ex statu verè religioso oriri non potest debitum morale obseruandi regulas. Tum quia nullum adest debitum, vbi integra est à lege exemptio. Tum quia esto sit religiosus, non tamen est pars illius communitatis, pro cuius conseruatione, & augmento regulæ sunt statutæ. Et ex his patet solutio ad opposita fundamenta. Ad D. Thom. dicimus non loqui de propria dispensatione, sed de indulgentia, qua non debet vti absque rationabili causa is qui in suis actionibus non solum perfectum, sed quod perfectius est procurare debet.

16. Hinc deducitur censuris, & pœnis à regula statutis in transgressores suorum votorum non ligari Episcopum votum castitatis, paupertatis, & obedientiæ transgredientem: quia integrè à iugo regulæ exemptus est: sic Sotus *lib. 10. de iustit. q. vlt. art. vlt. vers. sed contra*, Sanch. aliis relatis *lib. 6. summ. tract. 5. c. 1. n. 10.* Barbosa *de potest. Episcop. tit. 1. cap. 4. n. 14.*

17. Secundo deducitur, non esse obligatum ieiunia, austeritates, & corporis afflictiones à regula præscripta obseruare; quia absolutè à iugo regulæ est exemptus, ac proinde non solum ab illius pœna, sed etiam ab illius obligatione. Sotus, Sanchez, Layman, Barbosa *suprà*.

18. An verò possit carnes comedere feria 6. vel Sabbatho, in quo Natalis domini incidit, si ex præscripto regulæ id sit prohibitum: Negat Barbosa *dicto n. 14. quia textus in cap. explicari. vltim. De obseruat. ieiunij*, concedens illis diebus esum carnium excepit eos, qui ex voto, vel ex regulari obseruatione tenentur. Ergo Episcopus assumptus ex religione, in qua illis diebus esus carnium interdicitur, nequit carnibus vesci. Quod à fortiori procederet; si non ex solo præcepto regulæ, sed ex voto à regula præscripto; vt in religione Minimorum, obligatio esset. In quo casu idem sentit *Suar.* statim referendus. Verum oppositum tenendum est. Et quidem quando ex præcepto regulæ esus carnium interdictus esset, docent Caietan. *tom. 1 opusc. tract. 35. q. 2.* Couarruu. *cap. 1. num. 18. de Testament.* Sanch. *cap. 6. num. 20.* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 17. in fine n. 19.* Et ratio est, nam esto religiosus Episcopus ante Episcopatus assumptionem teneretur illis diebus ex regulari obseruatione à carnibus abstinere, assumpto Episcopatu iam non tenetur, cum à iugo regulæ exemptus sit. Ergo non excipitur à priuilegio illius *cap. explicari, de obseruat. ieiunij.* Ob eandem rationem censeo idem esse dicendum, esto vouisset ex præscripto regulæ illorum dierum abstinentiam; quia vt supra diximus vota ex præscripto regulæ facta cessante regulæ obseruatione cessant: & ita tradit Sanch. *lib. 6. sum. cap. 6. num. 20.*

19. Tertio deducitur, non esse obligatum officium diuinum iuxta ritum sui ordinis recitare; quia est ab ordine separatus. Abbas *in dicto cap. clerici de vita, & honest. cleric.* Azor. 1 *part. instit. moral. lib. 12. cap. 7. q. 4.* Barbosa de potest. Episc. *tit. 1. c. 4. n. 15.* Sanch. *lib. 6. c. 6. n. 25.* Quartò deducitur obligatum non esse secum socium habere: quia ea obligatio solum est ex præscripto regulæ, à qua ipse exemptus est: & ita tradit Caietan. *2. 2. quæst. 185. art. 8. dub. 1.* Azor. *tom. 1. lib. 12. ca. 7. q. 4.* Suar. *tom. 4. tract. 8. lib. 3. ca. 17. n. 16.* Sanch. *vero dicto c. 6. n. 21.* solum ex debito honestatis illum concedit.

20. Restant tamen aliquæ difficultates enodandæ. Prima, an hucusque dicta intelligantur de Episcopo titulari non habente subditos? Videtur intelligi non posse: quia non apparet legitima causa, ob quam hic Episcopus ab obseruantiis regularibus eximatur: hæc enim exemptio non est concessa præcisè ob dignitatem Episcopalem, sed potius ob munera, & obligationes, quæ secum portat illa dignitas: at dignitas non habens subditos his omnibus muneribus, & obligationibus caret. Ergo illi dignitati exemptio concessa non est: & ita tradit Hostiens. *cap. quod Dei timorem n. 9. de statu Monach. & ibi Cardin. n. 5. q. 2.* Ioan. Andr. *num. 15.* Sed contrarium amplectendum est vt probabilius; eo quod in fauorem dignitatis Episcopalis exemptio à Prælatis regularibus, & à religionis regula concessa sit. Non enim decebat inferioribus Prælati subiici, qui Ecclesiæ princeps est, nec qui in culmine magisterij, & statu perfecto est constitutus doceri, & regi ab iis, qui perfectionis viam sectantur. Præterea; quia esto Episcopus titularis actu non habeat subditos, quos regat, id est per accidens: nam per se illos habet, & ius illos regendi, quandocunque sub titulo alicuius Ecclesiæ consecratur. Denique consecratione constitutus est caput alicuius Ecclesiæ cum potestate, & iure ad illam gubernandam; ergo ex vi illius separatur à religione, & eximitur à iugo regulæ. Et ita substinet Azor. *t. 1. lib. 12. c. 10. q. 7. in fine.* Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 17. n. 2. & 4.* Sanch. *lib. 6 sum. c. 6. n. 27.*

21. Hinc deducitur ex renunciatione Episcopatus, aut illius præcisa priuatione Episcopum regularem non reincidere in regularium Prælatorum subiectionem; quia adhuc retinet consecrationem, & Episcopalem dignitatem, ratione cuius exemptio concessa est, esto curam animarum deposuerit. Secus esset si realiter degradaretur; quia per actualem degradationem omnia priuilegia, & exemptiones auferuntur: sic sustinet Henriq. *lib. 10. de Sacram. ordin. cap. 32. n. 4.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 6. num. 29.* Layman. *lib. 4. tract. 5. cap. 1. num. 9.* Barbosa de potest. Episc. *tit. 1. cap. 4. n. 18.* vbi bene aduertit redeuntem ex apostolica concessione inhabilem esse ad officia, & dignitates religionis, iuxta *constitutionem 45. Pauli IV.* incipientem *in sacra*, vbi eligentes variis pœnis puniuntur.

22. Secunda difficultas est, à quo tempore regulari Episcopo competat supradicta exemptio? Respondeo à tempore electionis per Pontificem confirmatæ: nam ante confirmationem nec iurisdictionem habet, neque dignitatem obtinet. At confirmatione posita dignitatem consequitur, & iurisdictionem exercere potest. Quapropter ab eo tempore sub Pontificis protectione existit, iuxta. Textum *in c. inter corporalia de transl. Episcopi.* Est ergo ab eo puncto à regularibus Prælatis exemptus. Sanch. *lib. 6. sum. cap. 6. n. 32.*

23. Tertia difficultas est, an gaudeat regularis Prælatis priuilegiis, gratiis, & indulgentiis illius ordinis religiosis concessis? Negant absolutè Mendos. *de priuileg. ad instar. Gloss. 5. num. 11.* Man. Rodrig. tom. 2. *quæst. regul. q. 58. art. 4.* Sanch. *lib. 6. summ. cap. 6. n. 33.* Mouentur; quia æquum non est, vt gratiis, & priuilegiis ordini concessis fruatur, quis eius onera non sustinet. Verum hæc ratio non est satis efficax: nam esto non sustineat omnia onera religionis, sustinet tamen onera substantialia, & præcipua, siquidem obligatus est castitatem, paupertatem, & obedientiam seruare. Merito ergo priuilegiis religionis potiri, debet. Præterea loco regularium obseruationum succedunt obligationes Episcopatui annexæ. Non igitur ob illarum exemptionem priuari religionis priuilegiis debet, præcipuè cum illa exemptio à regularibus obseruationibus religioni honorifica sit. Quapropter existimo regularem Episcopum vti posse omnibus indulgentiis, gratiis; & priuilegiis, quæ ita ordini concedùntur; vt singulis etiam concessa sint, quorumque vsus absque vllo onere, & grauamine religionis esse potest, quia non video efficacem rationem, ob quam iis priuari debeat, atque adeo poterit obtinere indulgentias, absoluere, & absolui à peccatis, sicut cæteri religiosi illius ordinis possunt, quodque amplius constabit ex dicendis: & ita sustinet Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. c. 18. n. 2.*

24. Si verò gratiæ, & priuilegia singulis concessa in religionis detrimentum cedere possunt, qualia sunt vocem actiuam, & passiuam habere, residere in domibus dictorum ordinum, retinere supellectilem, cameram, & alia dictos ordines concernentia solum illis frui possunt de illorum ordinum Prælatorum consensu, & non aliàs, nec alio modo: sic declarauit Sixtus IV. prout refertur *in monument. ord. Minor. conces. 365.* & tradit Suar. *dicto cap. 18. num. 3.* Manuel. *q. 59. art. 4.* Ex qua declaratione non leue argumentum desumitur ad superius dicta confirmanda. Si enim his gratiis, quæ communitati nocere possunt, priuatus non est Episcopus regularis, sed solum ne illis vtatur absque Prælatorum ordinis consensu: à fortiori priuatus non erit gratiis, indulgentiis, & priuilegiis quæ nullo modo religioni nocent, & vtentibus prosunt. Neque pro illorum vsu licentia Prælatorum regularium expectanda est, cum non cedat in illorum præiudicium. Præterea quia Sixtus IV. exprimens gratias, & priuilegia, pro quorum vsu Prælatorum consensus necessarius erat, tacitè indicauit pro vsu priuilegiorum, & gratiarum, quæ non sunt illius conditionis, prædictum consensum non requiri. Illud vero certissimum est priuilegiis, & gratiis corpori religionis, & in fauorem illius, concessis, qualia sunt priuilegia pro domorum ædificatione, administratione bonorum, subditorum regimine, & Prælatorum electione nullatenus Episcopum regularem vti posse: quia cum sit à corpore illius communitatis seiunctum, nequit gratiis in illius corporis conseruationem concessis frui: & ita tradit Suar. *dicto tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 18. num. 2.*

25. Quarta difficultas est, an ea quæ dicta sunt de Episcopis regularibus, competant religiosis electis in Cardinales Ecclesiæ Romanæ. Affirmat communis sententia teste Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. c. 7. q. 4.* Sanch. *lib. 6. sum. c. 6. num. 34.*

Suar. *tom.4. de relig.tract.8.lib.3. c.18. in fine n.4.* eo quod veri religioſi maneant,& à regularibus Prælatis exẽpti. Quapropter aſtringuntur voto caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ; ac proinde teſtari non poſſunt,nec ſibi aliquid acquirere,ſicuti non poſſunt Epiſcopi, obedireque tenentur Summo Pontifici, non tantum vt vniuerſalis Eccleſiæ Prælato, & ob iuriſdictionem; quam ex vi Pontificiæ dignitatis habet, ſed tanquam ſupremo religioſorum Prælato,& ex vi voti, & iuriſdictione in illo fundata. Prælatis tamen regularibus ſubiecti non ſunt, ſed à tempore electionis per Pontificem confirmatæ ſubduntur immediatè Romano Pontifici; ac proinde ad obſeruantias regulares, votaque ex præſcripto religionis emiſſa non tenentur, habitum tamen ſuæ religionis ſaltem quoad colorem deferre debent. Quod ſi à Cardinalatu deponantur, vel illum renuncient, credo in Prælatorum regularium obedientiam reincidere. Quia renunciatione, & depoſitione priuantur dignitate, ob quam exemptio conceſſa erat. Non enim illa dignitas ſpecialem conſecrationem,ſicut Epiſcopalis habet.

26. Hanc doctrinam extendit probabiliter Sanch. *lib. 6. ſum.6. cap.9.nu.35.* ad regularem electum in Abbatem, aliamve dignitatem propriam diœceſim habentem, nemini alteri ſubiectam:quia per vnionem ad ſæcularem Eccleſiam,& obligationem regendi illam eximitur à Prælatorum obedientia & ſub obedientia & protectione Pontificis conſtituitur. Eſt enim quaſi Epiſcopus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habens.

PVNCTVM XXV.

Qualiter regularis promotus ad parochialem Eccleſiam votis religionis, & illius obſeruantiis teneatur.

SVMMARIVM.

1 *Diſtinguitur de Eccleſia parochiali pleno iure religioni ſubiecta, vel non.*

2 *Hic regularis non tenetur ſuo Prælato regulari obedire in iis, quæ ad beneficij adminiſtrationem pertinent;benè tamen quoad reuocationem, ſi beneficium manuale ſit, & religioni pleno iure ſubiectum.*

3 *Hic parochus votis ſubſtantialibus religionis tenetur. De aliis votis ex præſcripto regulæ emiſſis, eſt difficultas,affirmat Suar. verius eſt oppoſitum.*

4 *Monachus tranſlatus ad Eccleſiam ſæcularem, vel regularem pleno iure religioni non ſubiectam exemptus eſt ab obligatione graui habendi ſocium. Canonicus autem regularis habere debet,ſi commodè poſſit.*

5 *Satisfit textibus contrariis num.præcedent.adductis.*

1. REgularis promoueri poteſt ad parochialem Eccleſiam religioni pleno iure ſubiectum, vel non ſubiectum. Quæ autem hæ ſint, & quas habeant qualitates, tum tract.de benef. diſp. 1. punct.... tum diſp. præc. de paupert, religioſa pun.... diximus. Si promoueatur ad parochialem Eccleſiam pleno iure religioni ſubiectam, certum exiſtimo non ſolum obligatum eſſe tribus religionis votis,ſed etiam omnibus aliis ex religionis præſcripto emiſſis, aliiſque regularibus præceptis,quatenus in eo officio commodè ſeruari poſſunt;quia per aſſumptionem ad illam Eccleſiam non deſinit eſſe membrum religionis, nec à religione ſeparatur Sanch. aliis relatis *lib. 6. c.6.n.16.* Suar.*c.4. de relig.tr.8.lib.3.cap.19.n.6. &* 18. Layman. *lib.4.ſum.tract.5.c.1.n.11.*

2, Sed eſt aliqualis difficultas?an hîc regularis teneatur ſuo regulari Prælato obedire in iis, quæ ad beneficij adminiſtrationem pertinent ? Breuiter reſpondeo, ex voto obedientiæ nullo modo teneri;quia eſto beneficium ſit integrè ab Epiſcopi iuriſdictione exemptum, & Prælato regulari ſubiectum tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus; eius tamen obſeruatio eſt extra regulam, & obſeruantiam regularem, ac proinde non eſt materia voti obedientiæ religioſæ. At obligatus erit Prælato regulari præcipienti obedire,ſicuti alij clerici ſæculares obligantur Epiſcopo præcipienti obedire, Suar. *t.4.de relig. tract.8 lib.c.19. n.19.* Quoad reuocationem vero, ſi beneficium illud manuale ſit, credo ex voto obedientiæ obligatum eſſe religioſum ſuo Prælato regulari reuocanti obedire; quia ſi ex voto obedientiæ obligari potuit ad beneficium illud regulare acceptandum,*argum.cap.quorumdam de Electione in 6.*& docuit Nauarr. *com.2, de Regular. n. 6.* Suar. *dict.c.19.à n.5.* à fortiori poterit obligari in reuocatione ad clauſtrum. Præterea;quia de ratione beneficij manualis eſt,vt ad nutum Prælati tolli poſſit:ſublato ergo beneficio neceſſariò parochus regularis ad clauſtrum redire debet; quia non habet titulum,quo eximatur. & ita ſuſtinet Suar. *dicto c.19. à n.2.* Si verò beneficium ſiue regulare,ſiue ſæculare non ſit religioni pleno iure ſubiectum, eo ipſo perpetuum eſt comparatione Prælatorum regularium,ita vt Prælati regulares priuare non poſſit monachum beneficio, neque illum ad clauſtrum reuocare. Nam eſto in principio liberi fuerint in præſtando conſenſu,vt religioſus ad illud beneficium promoueretur, eo tamen promoto penes ipſos non eſt reuocare.

3. Difficultas ergo eſt, an hic parochus ad religionis vota, obſeruantiasque regulares teneatur ? Teneri ad vota ſubſtantialia, prout in eo munere ſeruari poſſunt nemini eſt dubium; quia verus religioſus manet. Et idem eſt de obligatione deferendi habitum religioſum, iuxta Textum *in cap. 2. Ne clerici, vel Monachi in 6.* Quæ tamen obligatio ſtrictior eſt, quam in Epiſcopis, & Cardinalibus. Quia hi tenentur deferre habitum religionis non ſolum quoad colorem, ſed etiam quoad figuram. Et præterea ſi id omittunt, incidunt in excommunicationem *dict.c.2.* quia aſſumptione præciſa habitus clericalis non tollitur occaſio vagandi,ſicut videtur ſublata Epiſcopalis habitus aſſumptione, Sanch.*lib.6.ſum.cap.6. num.36.* Layman. *lib.4.tract,5. cap. 1. num.11.* Quocirca de aliis votis ex præſcripto regulæ emiſſis, regularibuſque obſeruationibus procedit difficultas; an regularis tranſlatus ad dictum beneficium obligetur ? Affirmant Sanchez, & Layman.*ſupra.* Mouentur; quia in ſupradicto parocho non militat cauſa exemptionis,quæ in Epiſcopo:quippe non eſt in culmine magiſterij conſtitutus ac proinde regulæ, prælatiſque regularibus ſubiici non dedecet. Cæterum verius cenſeo ab his omnibus exemptum eſſe, ſicuti eſt exemptus Epiſcopus. Differentia tamen eſt, quod Epiſcopus non ſolum exemptus ratione officij, & beneficij, ſed dignitatis Epiſcopalis, quæ nec depoſitione, nec renunciatione ceſſat: at parochus ſolùm ratione officij,& beneficij eximitur, quo beneficio per renunciationem, vel depoſitionem ſublato in obedientiam Prælatorum regularium recidit: ſic ſuſtinet Suarez *tom. 4. de religion. tract. 8. lib.3. cap. 19. num. 14. & num. 28.* Ratio eſt; quia ſuſceptione illius beneficij etiamſi regulare ſit, manet regularis à religione ſeparatus; quia manet Eccleſiæ, cuius eſt beneficium vnitus à religione, eiuſque Prælatus independenter. At vota, quæ ex præſcripto regulæ emittuntur, reliquæque obſeruantiæ regulares ſtatuta ſunt, (vt ſæpè in ſuperioribus diximus) pro corpore religionis conſeruando, & augendo. Ergo regularis, qui pars illius corporis non eſt, nec illud conſtituit, ſupradictis votis, & obligationibus teneri non debet.

4. Sed inquires; an regularis in parochum aſſumptus teneatur habere ſecum ſocium ſui ordinis ? Et quidem ex vi regulæ ſolum obligari poteſt parochus pleno iure religioni ſubiectus. At quia hæc obligatio non ex regula,ſed ex iure communi naſcitur *cap. Monachi 2.de ſtatu monach. & cap. quod Dei timorem eodem tit.* explicandum eſt, qualiter hæc obligatio intelligatur ? Et omiſſis variis ſententiis,, quas optimè refert Sanch.*lib.6.ſum.cap. 6. in fine num. 39.* dicendum exiſtimo, monachum tranſlatum ad Eccleſiam ſæcularem, vel regularem pleno iure religioni non ſubiectam exemptũ eſſe ab obligatione graui,habẽdi ſocium:tranſlatũ verò ad Eccleſiam pleno iure ſubiectam ſocium ſub graui culpa habere debere: canonicum autem regularem ad quamcunque Eccleſiam tranſlatus ſit habere debere ſocium non abſolutè, ſed ſi commodè poſſit: ſic docent Abbas *dicto cap. quod Dei timorem num.9.* Cardinal. ibi, *num. 6. quæſt. 4.* Ioan. Andr. *numer.17.* Gloſſ.*clem, 1. §. ad hac* verbo *clauſtrum. De ſtatu monach.* Gregor.Lopez *leg.24.tit.7. part.1.con otros, & leg.25.* verbo *no le deben. & leg.30. in fine.* Azor. *lib.11. cap.19. quæſt. 14.* Suar. *t.4.de relig. tract. 8. lib. 3.cap. 19. in fine num.28.* Et quidem quod canonicus regularis ſocium habere debeat non abſolutè, ſed ſi commodè poſſit, omnes doctores affirmant; quia expreſsè deciditur *cap. quod Dei timorem. De ſtatu monach. in fine.* Quod à fortiori dicendum eſt de monacho cuicunque Eccleſiæ præficiatur; ſocium inquam habere debere, ſi commodè poſſit. Ex neceſſitate autem ſolum credo in Eccleſiis religioni pleno iure ſubiectis: quia in iis religioni ſubiicitur, & illius eſt membrũ, ac proinde more religioſo viuere debet: idque expreſsè habetur *cap.ex parte, c. ad audientiam De capellis monach.* Secus vero videtur, dicendum de aliis Eccleſiis religioni non ſubiectis:quia conſtitutus in iis à religione eſt ſeparatus,non igitur religio tenetur ei ſocium concedere.

5. Neque obſtant Textus *in c.monachi,& c.quod Dei timorem,de ſtatu monach* vbi ex Concilio Lateran.cauetur ne monachi ſinguli per villas, & oppida per quaſcunque ponantur Eccleſias. Ergo etiam in Eccleſiis non ſubiectis religioni ſinguli poni non debent. Notanda enim eſt dictio *quaſcunque* quæ vniuerſalis eſt;ac proinde tam Eccleſias ſæculares,quam regulares,& tam pleno iure religioni ſubiectas,quam non ſubiectas comprehendit,Deinde Textus *in cap.quod Dei timorem* agebat de promotione canonici regularis ad Eccleſiam monaſterio non ſubiectam, & vt probet eam promotionem fieri poſſe, neque obſtare per Concilium Lateranenſe cauerine monachi ſingulis Eccleſiis quibuſcunque, præficiatur ſubdit

ibidem

ibidem nihil de canonicis regularibus expressum esse, ipsosque laxiori regulæ inseruire. Ergo sentiebat decretum illud, ne monachi singuli Ecclesiis præficiantur de præfectura in quibuscunque Ecclesiis esse, & non tantum de Ecclesiis pleno iure religioni subiectis. Nam si de his tantum decretum esset, nihil obstaret, quod canonicus ille regularis, cuius mentio fit *in c. quod Dei timorem* Ecclesiæ sæculari præficeretur. Non inquam obstant prædicti textus. Fateor equidem nulli Ecclesiæ monachos præficiendos esse solos, sed sub diuersa obligatione; in Ecclesiis pleno iure subiectis, ac non subiectis; in Ecclesiis namque pleno iure subiectis sub graui culpa, & absolutè, quod mihi persuadent. Textus penultimus, & vltimus. *De capellis monach.* vbi compelluntur Abbates socium designare regulari existenti in prioratu, vel illum ab administratione remouere. At in Ecclesiis religioni non subiectis ex decentia, & honestate, si id fieri possit. Et hæc est differentia inter monachos, & canonicos regulares, quod monachi absolutè Ecclesiis quibuscunque non debent præfici, sed in maiori conuentu, aut cum aliquibus fratribus manere: Et si in aliquo casu ob necessitatem, vel grauem Ecclesiæ vtilitatem præficiantur; non absque socio in Ecclesiis ordini subiectis sub rigorosa obligatione, in aliis si incommodè fieri possit. At canonici regulares, quia laxiori regulæ inseruiunt absolutè possunt præfici, & singuli, si commodè socium habere non possint.

PVNCTVM XXVI.

Qualiter religiosis interdictus, vel concessus sit transitus ex vna in aliam religionem.

IN Ecclesia variæ sunt religiones, aliæ strictiores, aliæ laxiores, aliæ perfectiores. Illa dicitur perfectior religio, quæ perfectiorem finem spectat, & perfectioribus mediis, & magis proportionatis ad finem consequendum vtitur: sicuti dixit D. Thom. *ab omnibus receptus* 2.2. *quæst.* 188. *art.* 6. & tradit aliis relatis Man. Rodrig. *tom.* 3. *quæst. regular. quæst.* 48 *art.* 1. Transitus ergo esse potest ex vna ex his religionibus ad aliam, atque adeò ex religione stricta ad minus strictam, æqualem, vel strictiorem.

§. I.

An religio eo ipso, quo est perfectior sit strictior.

SVMMARIVM.

1 *An eo ipso, quo religio sit perfectior, sit etiam strictior, durior, & seuerior: Communis sententia negat.*
2 *Contraria verior est.*

1. DVbium non leue est, an eo ipso quo religio sit perfectior, sit etiam strictior, durior, & seuerior? communis sententia negat: quia seueritas religionis, & eius perfectio ex diuerso capite oriuntur: perfectio namque oritur ex perfectiori fine, & mediis: at seueritas ex eo quod illa media asperiora sint. At constat religiones mendicantes perfectiorem finem habere perfectioribusque mediis vti, quam non mendicantes: quippe attendunt non solum saluti propriæ, sed proximorum verbo, & exemplo: cum tamen religiones non mendicantes propria suorum salute contentæ sint. Ergo mendicantes perfectiores sunt non mendicantibus: & tamen non habent eas asperitates in vestitu, silentio, clausura, abstinentia, chori prolixitate, & similibus, quibus non mendicantes solent vti. Ergo non eo ipso quo religio est perfectior, eo est strictior: sic supponunt Sanch. *lib. 6. sum. cap. 7. q. 3. à n. 19.* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 13. n. 100.* Layman. *lib. 4. summ. tract. 4. cap. 6. n. 10.* & alij plures apud ipsos.

2. Nihilominus verius existimo, religionem perfectiorem eo ipso strictiorem, duriorem, & seueriorem esse absolutè, tametsi in asperitatibus corporis laxior sit: sic cum Palud. *in 4. dist. 39. q. 2. n. 17.* docuit Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. li. 3. c. 9. n. 11.* Ratio vero est; quia eo ipso quo est perfectior, perfectiores actus virtutis exercet, sed quo est actus virtutis perfectior, eo est difficilior; quia virtus versatur circa difficile. Ergo religio perfectior strictior est. Deinde religio perfectior perfectius, & strictius vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ, in quibus essentia religionis consistit, seruare debet. Sed in horum obseruantia rigor, & seueritas religionis præcipuè consistit. Ergo perfectior religio absolutè strictior est. Præterea Text. *in c. licet de Regul.* vbi ex laxiori ad strictiorem religionem transitus conceditur, indifferenter vtitur nomine strictioris, & sanctioris, manifestè indicans sanctiorem strictiorem esse, & è contra. Verum etsi hoc ita sit, religio minus stricta, & perfecta strictior esse potest quoad corporis asperitates religione perfectiore,

§. II.

An ex religione minus perfecta liceat ad perfectiorem transire, esto laxior sit quoad corporis afflictiones.

SVMMARIVM.

1 *Apponitur ratio dubitandi.*
2 *Certum est licitum esse huiusmodi transitum. Et satisfit dubitandi rationi.*
3 *Sclusa speciali prohibitione omnibus licet ex religione laxiori ad absolutè strictiorem transire.*
4 *Moniales ob specialem clausuram non posse ex laxiori religione ad strictiorem transire docuit Azor. Sed contrarium dicendum est.*
5 *Conuersis, & oblatis plures denegant hunc transitum: Sed verius est non solum ad strictiorem, sed etiam ad laxiorem religionem posse transire.*
6 *Limitandum est, nisi Pontifex laxiori religioni priuilegium concedat, ne possint eius religiosi strictiorem ingredi.*
7 *Quibus religiosis transitus ad strictiorem religionem interdictus sit? iure communi nullis, speciali pluribus.*
8 *Etsi supradictus transitus licitus sit, rarò tamen consulendus est.*

1. RAtio dubitandi est, quia professione religioni priori te tradidisti obsequuturum, non igitur eam renuentem dimittere potes, sicuti non potest seruus occasione habendi excellentiorem dominum deserere priorem. Item religio non te expellere potest, dum illi nociuus es, etiam occasione recipiendi vtiliorem. Ergo nec tu deserere religionem debes; quæ tibi non nocet, occasione suscipiendi perfectiorem.

2. Nihilominus certissimum est, licitum esse huiusmodi transitum: eo namque spiritualis profectus, & maius Dei obsequium obtinetur: ob quam rationem tract. de voto dixi mus licere propria authoritate votum Deo factum in melius commutare; quia ea commutatio gratior est Deo, ceditque in maiorem vouentis vtilitatem. Neque obstat dubitandi ratio. Fateor per professionem te religioni tradi, & non solum Deo, sed etiam ipsi religioni obligari: nego tamen inde sequi te non posse eam dimittere ob perfectiorem assumendam, potes equidem: quia non te tradidisti in seruum, qui non in propriam, sed in domini vtilitatem se tradit: at tu in vtilitatem propriam, & in obsequium Dei te religioni tradidisti, cum autem in religione perfectiori, & maior vtilitas propria, maiúsque Dei obsequium adsit, potes minus perfectam religionem relinquere, vt perfectiorem assumas, quia censeris te religioni minus perfectæ tradidisse, dum te perfectiori non tradit, atque ita sustinet Sanch. *lib. 6. sum. c. 7. n. 3.* Suar. *t. 4. de relig. tr. 8. lib. 3. c. 9. n. 1.* & supponunt omnes.

3. Hinc fit seclusa speciali prohibitione omnibus esse licitum ex religione laxiori ad absolutè strictiorem transire: quia est transitus ex religione minus perfecta ad perfectiorem, decidítúrque expresè *cap. licet de Regularib.* Notanter dixi absolutè strictiorem; quia stat optimè religionem aliquam strictiorem esse in ieiuniis, cilicio, aliisque corporis asperitatibus, quæ tamen absolutè strictior non sit: eo quod in obseruatione castitatis, paupertatis, & obedientiæ non ita strictè procedat. Religionis vero strictio sicuti & perfectio ex hoc capite potius quam ex aliis corporis asperitatibus desumenda est. Quapropter censeo seclusa speciali prohibitione licitum esse cuilibet monacho ad quamlibet ex religionibus mendicantibus transire: eo quod sint absolutè perfectiores, & strictiores, non tamen è contra, sic docuit D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. D. Antonin. 3. *p. tit.* 16. *c.* 4. *in princ.* & §. 4. Paludan. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 2. *n.* 17. & *q.* 3. *art.* 1. *num.* 11. Sylueſt. verb. *relig.* 4. *q.* 1. Nauarr. *comm.* 4. *de regular. num.* 2. & 3. Suar. *t.* 4. *de relig. tr.* 8. *lib.* 3. *c.* 9. *n.* 10.

4. Notanter dixi *omnibus*, quia aliquibus visum est moniales ob specialem clausuram non posse ex latori religione ad strictiorem transire: sic docuit Azor. *t.* 1. *instit. moral. lib.* 13. *cap.* 8. *q.* 1. Sed contrarium omnino dicendum, quia olim permissus fuit hic transitus in Concil. Triburiens. 2. *q.* 4. *c.* 1. & refertur *cap.* 120. *q.* 4. Sed per Concil. Trident. & Pium V. clausuram interdicentes hæc permissio reuocata non est, neq; hic trãsitus interdictus: solum enim interdictus est egressus è monasterio vagationi periculosus, & regulari obseruantiæ, propriæque perfectioni contrarius, qualis non est egressus in religionem arctiorem, & sanctiorem: & ita docent Man. Rodrig. *t.* 3. *qq. regul. q.* 52. *art.* 6. Sanch. aliis relatis, *lib.* 6. *sum. cap.* 7. *n.* 6. Suarez *t.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 3. *capit.* 10. *num.* 1. Neque credo ad huiusmodi egessum requiri in monialibus eam licentiam, de qua *in c. vnic. de statu Regul. in* 9. & in Trident. *sess.* 25. *de Regularib. cap.* 5. & à Pio V. in proprio motu incipienti *decori:*

quia

quia in iis decretis sermo est de egressu vagationi periculoso, & obseruantiæ regulari contrario, non de egressu vagationem efficacius excludente, & regularem obseruantiam perficiente: sic Sanch. *dicto c.7.n.6.*

5. Deinde alij denegant hunc transitum conuersis, & oblatis, eo quod ij se, & sua religionis obsequio veluti serui tradidere. sic Abbas *cap. non est, n.3. de Regul.* Sed iure optimo contrarium docet Greg. Lopez, *leg. 9. verb. Religiosos, tit.7. part.1.* Sanch. aliis relatis, *lib.6.c.7.n.9.* Suar. *t.4. de relig. tr.8. lib.3. c.10.n.1.* quia in voluntaria traditione semper censetur exceptus transitus ad frugem melioris vitæ. Aliàs oblatio, quæ in Dei obsequium, & animæ salutem fit, irrationabilis esset: siquidem spiritualem profectum, & maius Dei obsequium impediret. Quinimò existimo cum Suarez, si huiusmodi oblati & conuersi velint religionem profiteri non solum ex illo modo viuendi, qui sæcularis est, possunt transire ad religionem strictiorem, sed etiam ad quamlibet quantumuis laxiorem; quia professione religionis assumunt statum perfectionis, quo antea carebant.

6. Insuper dixi, nisi speciali prohibitione hic transitus interdictus sit. Potest namque Pontifex laxiori religioni priuilegium concedere, ne possint eius religiosi strictiorem ingredi, tum ob conseruationem illius religionis, tum ob vitandam religiosorum inquietudinem, tum ob conseruandam religiosorum pacem. Neque obstat hoc interdicto occludi illis religiosis viam perfectiorem, quia hoc damnum, cum speciale sit, ob bonum commune tolerandum est, præcipuè cum in qualibet religione omnibus datum sit, si vellent perfectionem in summo gradu consequi. Sanch. *lib. 6. sum. capit. 7. numer.10.*

7. Sed inquires quibus religiosis transitus ad perfectiorem strictiorémque religionem interdictus sit. Respondeo spectato iure communi nullis esse hunc transitum interdictum: imo potius concessus est *in cap. statuimus, cap. mandamus 19. quæst. 3. cap. non est, cap. sanct. cap. significat, & cap. licèt de Regular.* Iure tamen speciali pluribus religiosis est hic transitus interdictus saltem absque licentia expressa, vt ex sequentibus constabit.

8. Verum etsi supradictus transitus licet sit; raro tamen consulendus est, tum ob detrimentum religionis desertæ quæ videtur quasi contemni, tum ob dubium an in religione assumpta magis perfecturus sis, non enim via perfectionis cognita facilè deserenda est, vt incognitam, & insolitam amplectaris. Quæ optimè prosequitur D. Thom. 2.2. *quæst. 189. artic. 8.* Bernard. *epistol. 1. ad Robert. & in lib. de præcepto, & dispensat. capit. 20.* Basil. *in constit. monasticis, cap.34*

§. III.

Quæ conditiones seruandæ sunt in transitu ad religionem perfectiorem, vt licitus & validus sit,

SVMMARIVM.

1 *Vt prædictus transitus licitus sit triplex conditio expostulatur.*

2 *Si Prælatus suo iudicio spectato legitimè contradicat, controuersia decidenda est iudicio illius, qui inter illas duas religiones seu monasteria iudicare solet.*

3 *Si superior suspendat licentiam, quousque examinet, an seruentur qualitates requisitæ, teneris abstinere à transitu toto tempore necessario huic examinationi.*

4 *Strictior religio te recipere non potest, nisi petita licentia litteras feras, vel ei constet iniustè esse denegatam, quæ licentia concedenda non est, quousque strictior religio te recipere parata sit.*

5 *Hanc licentiam tibi concedere potest non solum generalis, & prouincialis, sed etiam immediatus prælatus conuentus.*

6 *Quid si in eâ religione hæc causa Prouinciali, vel Generali reseruetur, sufficiétne tunc à Prælato conuentuali licentiam expostulare? Sub distinctione respondetur.*

7 *Hæc licentia petenda est cum humilitate, & puritate. An sufficiat per litteras? Negat Suar. Contrarium est verius.*

1. TRiplicem conditionem assignat Text. *in c. licet de Regularib.* Prima, ne leuitate, aut temeritate ducaris, sed animo vero, & puro perfectioris victæ inchoandæ. Secunda, ne hic transitus cedat in grauem iacturam, vel iniuriam religionis desertæ. Tertia, vt licentia à prælato expostuletur, licet non obtineatur. Cuiuslibet harum conditionis defectus reddit transitum illicitum, quia non zelo charitatis fit. Igitur leuitate, aut temeritate duceris si in vindictam offensionem acceptæ, vel ob lucrum temporale moueatis. Item si ineptus fis, nec vires habeas laboribus religionis perfectioris sustinendis, Sanchez aliis relatis, *lib.6. summ. cap.7. num.12.* Iactura verò, vel iniuria religionis desertæ tunc contingit, cum absque culpa religionis ob tuum ab illa transitum grauiter despicitur, & contemnitur: quo contingente abstinere debes à transitu. Neque obstat absque tua culpa eum contemptum prouenire, quominus euitare non teneris, vtique; quando contemptus ille præponderat profectui spirituali, quem ex transitu percipere possis: quia vt *in dicto cap. licet* dicitur, sicut maius bonum minori bono præponitur, ita communis vtilitas priuatæ vtilitati præfertur, & tradit Panormit. *ibi, numer.* 12. Sylvest. *verb. religio 4. quæst.2.* Suarez *t. 4. de relig. tract.8. lib.3. cap. 9. num. 6.* Sanchez *lib. 6. summ. cap. 7. num. 11.* Stante igitur zelo melioris vitæ, & cessante iactura, vel iniuria ordinis deserti petere à superiore licentiam debes, ne videaris bonum obedientiæ contemnere. Quæ obligatio grauis est, & illius omissio peccatum mortale per se inducit, vt colligitur apertè ex *dicto cap. licet*: vbi eodem debito, quo superior tenetur licentiam concedere volenti religionem perfectiorem ingredi, ne instinctui Spiritus sancti resistat, eodem tenetur inferior ab eo cum humilitate, & puritate licentiam postulare. Et præterea, quia, superior ius habet te retinendi; nisi religionem strictiorem appetas, & bono zelo in eius appetitione dicaris. Debes ergo illi manifestare religionem, ad quam transire cupis, & animum, quo duceris in hoc transitu. Et certe si absque petitione licentiæ transires; satis manifestares non zelo charitatis, & perfectionis duci, sed leuitate, & temeritate, siquidem virtutem obedientiæ ita religionis propriam contemnis. Deinde rarò scandalum vitare posses fugiens inconsulto prælato. Merito enim ipse, & alij præsumerent te esse fugitiuum, vel Apostatam. Igitur sub graui culpa teneris hanc licentiam postulare: atque ita pro certo tradit Man. Rodrig. *t. 3. quæst. regular. q.52. art.3.* Nauart. *lib. 3. consil. tit. de Regularib. consil. 59. aliàs 52. in fine.* Sanchez *lib. 6. summ. cap. 7. num. 33. Suar. t. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. c. 10. num. 17.* Præter supradictas conditiones nulla alia requiritur iure communi spectato in transitu ad meliorem frugem, sed eo ipso poteris tuam voluntatem exequi prælato non contradicente, vel non contradicente ex legitima causa, vt habetur *dicto cap. licet, de Regularibus.* Consensus autem conuentus necessarius non est in hoc transitu. Tum quia in *dicto cap. licet* solius prælati mentio facta est. Tum quia stantibus supradictis conditionibus nec prælatus impedire transitum potest, neque ipse, nec conuentus religiosum alienat, sed ipse religiosus se alienat in aliud institutum vtens iure suo, Sanchez *lib.6.c.7.n.61.*

2. Dixi te posse transire positis supradictis conditionibus, si prælatus non contradicat, vel non contradicat ex legitima causa. At contingere potest prælatum suo iudicio spectato legitimè contradicere, eo quod existimet religionem, quam appetis sanctiorem non esse, vel eam te appetere ob leuitatem potius, quam charitatem, vel religionem desertam, grauem iacturam pati ex tuo discessu; nullo modo poteris discedere, quousque dubium cesset, & veritas manifestetur, vt est expressa decisio *dicti cap. licet.* Quocirca dubium est apud quem prælatum sit hæc controuersia decidenda? Cui dubitationi optimè respondet Suar. *t.4. de relig. tr.8. lib.3. c.10. num.28.* illum esse, qui inter illas duas religiones, seu monasteria causas iudicare solet. Aliàs si negata licentia per Rectorem, prouincialis illius prouocandus esset in fauorem suæ religionis, atque adeo in propria causa, & in præiudicium religionis perfectioris, quam subditus ingredi intendit, sententiam ferret. Neque huic prouocationi obstat, quod in tua religione appellatio sit interdicta, quia hæc appellatio est facultatis à iure concessæ defensio, quam nullum priuilegium remouere intendit, ne Spiritui sancto resistere videatur. Interdictum namque appellationis solum est pro causis correctionem spectantibus; Sylvest. verb. *relig.4.q.2.* Sanchez *lib.6 sum.c.7. n.37.*

3. Illud vero omnino certissimum est, si prælatus, à quo petis licentiam illam non denegat, sed suspendit, quousque examinet, an religio, quam petis, perfectior sit, an in eo transitu recto fine ducaris, ánve graue detrimentum patiatur religio desertæ? abstinere debes à transitu toto eo tempore, quod necessarium est huic examinationi: aliàs temerè procederes, & contra ius, quod superior habet: colligitúrque manifestè ex *c. cum in veteri ad finem, de Electione:* & tradit Sanchez *aliis relatis dicto cap.7.n.35. & 37.* Suarez *t.4. de relig. tract.8. lib.2. c.10.n.30.*

4. Hinc est, strictiorem religionem te recipere non posse, nisi petitæ licentiæ litteras patentes feras, iuxta Text. *in cap. statuimus 19. q. 3.* vel saltem ei constet proteruè, & iniustè transitum tibi à superiore interdici. Aliàs prioris religionis ius acquisitum manifestè lædetur, Sanc. *dicto c.7.n.39.* & Suar. *suprà.* Non est tamen superior censendus transitum proteruè & iniustè interdicere, ex eo præcisè, quod petita licentia tibi non respondeat; quia potest legitimam causam habere non concedendi. Quapropter teneris causam denegati responsi interrogare,

tertogare, quòd si ipse nullam assignet, eo ipso irrationabiliter procedit, & tu poteris transire, sicuti si causam manifestè frivolam designaret: Sanch. aliis relatis, lib. 6. sum. *cap. 7. n. 37.* Nunquam debet superior hanc tibi transeundi licentiam concedere, quousque religio strictior parata sit te recipere, ne occasionem habeas vagandi, vt benè dixit Greg. Lopez *leg. 9. tit. 7. part. 1.* verbo *mas fuerte.* Quod si aliquando licentiam concedit, vt in seculo manens facilius strictioris religionis ingressum negociari possis, non eximeris (quidquid dicat Lopez suprà) neque eximi potes ab eius obedientia, quousque strictiorem ingrediaris; quia necessario subiici debes alicui prælato regulari, & cum antè ingressum strictioris religionis illius prælatis non subiiciaris, subiectus omnino manes prælato licentiam transeundi concedenti, Sanch. lib. 6. sum. *cap. 7. num. 38.*

5. Sed quis est prælatus, qui hanc tibi licentiam concedere potest; Breuiter respondeo esse non solum generalem, & Prouincialem, sed etiam immediatum prælatum conuentus; quia text. *dict. c. licet* solius prælati mentionem fecit, & prælatus conuentualis verus prælatus est, & licentia ab eo postulata bonum obedientiæ non contemnitur: sic Suar. *t. 4. de relig. tr. 8. lib. 3. cap. 10. n. 29.* Sanch. *lib. 6. sum. c. 7. n. 59.* Sub hac regula non veniunt monialium præfectæ: hæ enim non comprehenduntur in iure nomine prælati, vt pote quæ sola potestate dominatiua gaudent, præcipuè in ordine ad domesticam, & politicam gubernationem; ac proinde ab eis non est licentia postulanda, sed ab Episcopo, vel prælato, regulari cui sunt immediatè subiectæ sic. Man. Rodrig. *qq. regul. t. 3. q. 52. art. 6.* Sanch. *lib. 6. sum. c. 7. n. 61.*

6. Sed quidem si in ea religione hæc causa Prouinciali, vel Generali reseruetur, sufficiet ne tunc à prælato conuentuali licentiam postulare? Negat Suar. *dict. t. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. c. 10. n. 30.* quia eo casu ille non est superior iuxta religionis institutum, ac proinde non petis à superiore. Hæc sententia verissima est, si ex facultate Pontificis hæc reseruatio fiat. At si solum ex constitutionibus religionis, vel mandato speciali Prouincialis, vel Generalis difficultate non caret; eo quod non videtur religio concessionem iuris communis eius statutis derogare posse: at iure communi concessum est sufficere ad huiusmodi transitum petere licentiam à superiore, qui verè superior sit. Ergo religio hoc immutare non potest. Quod si dicas, hoc immutare reseruando eam licentiam superiori maiori; obstat, quia ea reseruatio aduersatur *dicto c. licet*, statuenti sufficere licentiam petere à quolibet superiore. Ergo si prælatus conuentualis verus superior existit ex concessione *dicti cap.* sufficit ab eo licentiam petere. Nequit ergo religio eam petitionem insufficientem reddere, & libertatem tibi à iure concessam coarctare. Verum etsi hoc ita sit, si prælatus conuentualis iudicet expedire rem cum Generali, vel Prouinciali tractare, vt in re ita graui maturo consilio procedat, sine dubio teneris expectare ne bonum obedientiæ contemnere videaris,

7. Sed quomodo petenda est hæc licentia, textus solum dicit debere peti cum humilitate, & puritate. Puritati fit satis, si integrè, & absque vlla fictione tuum animum superiori manifestes, & declares. Humilitati verò; si cum reuerentia debita licentiam expostules. An autem necesse sit ad hanc reuerentiam fieri in præsentia superioris, vel sufficiat per litteras; si ex illius facultate à monasterio absit difficultatem habet; Suar. *dicto t. 4. de relig. tr. 8. lib. 3. c. 10. n. 31.* credit non sufficere per litteras, si superior ea petitione contentus non sit, sed te esse obligatum ad monasterium redire, & ibi negocium tractare, & ab eo debito modo egredi? Mouetur quia ille modus petendi licentiam est contra ius superioris, ad cuius potestatem teneris redire. Item quia illo modo petendi videtur decipi, & contemni superior. Nihilominus verius credo eum modum petendi licentiam sufficientem esse, quia Textus *in supradicto c. licet*, solum exprimit petitionem humilem esse debere: at per litteras satis humilis, & submissa esse potest. Ergo, &c. item consentiente superiore nec Suar. negat illam petitionem sufficientem esse: sed consensus, vel contradictio superioris non immutat petitionem. Ergo si in vno casu sufficiens est, etiam in alio. Neque est verum ob solam petitionem in absentia, & per litteras te esse obligatum ad potestatem superioris redire: quia sufficienter debitæ humilitati, & reuerentiæ satisfecisti. Nihilominus tamen, si superior non sit satis certus de tuo animo, sed sincere procedens vellet se in præsentia informare, debes (nisi aliud graue incommodum obstet) coram illo comparare. At hæc obligatio comparendi non est ex insufficientia petitionis, sed ex diminuta informatione, quam superior habet ad licentiam concedendam, vel negandam.

§. IV.

An defectus supradictarum conditionum reddat professionem in strictiori religione nullam.

SVMMARIVM.

1 *Negat communior sententia professionem validam esse.*
2 *Opposita sententia verior est, & respondetur textibus contrariis.*
3 *Religiosus sic transiens post professionem reuocandus non est. Si verò professionem non emisit, vtique.*

1. TRiplicem conditionem diximus requiri in transitu ad strictiorem religionem, nempe fieri zelo melioris vitæ, & absque iactura religionis desertæ, & petita licentia. Dubium autem est, si aliquam ex his conditionibus omittens religionem strictiorem amplectaris valida sit professio? Negat communior, & frequentior sententia, vt videre est apud Sanc. *lib. 6. sum. c. 7. à n. 88.* validam esse. Præcipuum fundamentum est Textus *in cap. licet de Regularibus*, vbi solum permittitur transitus ad strictiorem religionem, si fiat corde puro, conscientia bona, & fide non ficta: sed deficiente aliqua ex supradictis conditionibus dici non potest fieri transitum corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Ergo illa professio promissa non est: Et confirmo: transiens ad religionem strictiorem exteriùs excusatur à reuocatione *in dicto cap. licet*, quatenus corde puro, conscientia bona, & fide non ficta dignoscitur transire. Ergo si contrarium cognosceretur, à reuocatione non esset excusanda. Præterea transitus ad strictiorem religionem sine licentia legitima superioris est irritus ab Vrbano II. *in cap. mandamus 19. quæst. 3.* siquidem canonicus regularis ad monachum transiens reuocatur, & memoriale cucullum deferre præcipitur, non quia sit monachus (inquit glossa) sed in memoriam prioris maleficij. Sed hoc decretum nullo textu reuocatum est. Nam esto *in cap. licet* reuocauerit Innocent. III. obligationem expectandi consensum superioris, si fortè *in cap. mandamus* expectandus esset: at non reuocauit obligationem licentiæ petendæ, neque irritationem illius omissioni annexam. Ergo modo est irritus transitus absque licentia, Ergo etiam erit irritus, si fiat temeritate, & leuitate, & in iacturam religionis desertæ. Nam licentia petita stante aliqua ex his conditionibus nulla est. Et quidem quando in petitione licentiæ hæ conditiones superiori occultantur, manifestum est; quia tunc decipitur superior, & licentiam inuoluntariè concedit non Concessurus si veritatem agnosceret. Deinde deficit illi petitioni puritas, quæ *in dicto c. licet.* requiritur. Si vero superiori manifestetur prauus transeuntis animus, ipséque superior licentiam concedat, adhuc nulla est concessio, cum ipse potestatem non habeat permittendi transitum contra dispositionem Pontificiam.

2. Nihilominus verius existimo, hunc transitum validum esse, & specialiter ob defectum licentiæ petendæ non esse invalidum docuit glossa *in cap. sanè in fine de Regularib. & cap. licet*, verbo *licentiam eodem tit.* & ibi Innocent. *in fine* Sylvest. verbo *religio 4. q. 1.* Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 10. n. 12.* & alij plures relati à Sanch. *lib. 6. sum. cap. 7. n. 94.* quamque ipse *n. 95.* satis probabilem appellat, & *n. 92.* eam approbat stante iactura, & iniuria religionis desertæ. Moueor, quia ille trãsitus ad religionem strictiorem iure naturæ validus est, quia est commutatio voti in rem meliorem, tametsi vitietur praua circunstantia finis extrinseci, vel iacturæ religionis desertæ, vel debitæ submissionis prælato. At iure positiuo non inuenitur irritus, esto sit illicitus aliqua ex dictis circunstantiis concurrente: Ergo, &c. Minorem probo. Non enim est irritus iure antiquo ante Innocent. III. nec per alium Pontificem. Quod vt clarè constet, expendamus textus, ex quibus contraria colligi possunt. Ante Innocent. III. solum inducitur Textus *in ca. mandamus*, quod est Vrbani II. *19. quæst. 3.* vbi absolutè interdicitur canonico regulari professo fieri monachum, nisi in casu publici lapsus. Quod si de facto id agere tentauerit, ad ordinem pristinum reuocari præcipitur vltimus in choro manendo, & cucullum delaturus ad memoriam. Si igitur reuocandus est, ergo professio facta nulla fuit, vt ibi sentit glossa. Sed his, textus non conuincit transitum ad strictiorem religionem esse nullum. Tum quia esto monachorum religio eo tempore esset strictior religione canonicorum regularium quoad aliquas corporis asperitates; non constat strictiorem absolutè esse. Tum quia esto esset strictior, & professio valida, optimè poterat ob iniuriam suæ religioni factam transeundo sine licentia reuocari beneficio restitutionis, vt ibi commoretur. & pœnas inordinati transitus luat: sed non quia professio monachalis irrita fuerit; potius enim præsumi debet valuisse, siquidem præcipitur deinceps memoriale cucullum deferre. Adde, concedamus eo textu Vrbanum transitum

transitum canonicorum ad monachalem ordinem esto strictiorem prohibuisse,& irritasse;non inde infertur prohibitum, irritúmque esse transitum canonicorum regularium inter se, vel monachorum, aliorumque religiosorum ex laxiori religione ad strictiorem,quia prohibitiones,& annullationes non debent extendi vltra casus expressos. Præterea,esto in illo text. Vrbanus transitum canonicorum prohibuerit,& irritauerit.*In cap.tamen statuimus sequenti* videtur irritationem sustulisse,& prohibitionem temperasse:ibi enim ex permissione superioris,& congregationis permittitur transitus canonicorum ad religionem monachalem,in quo manifestè prohibitio facta *in cap.mandamus* temperata est.Irritatio videtur sublata : siquidem receptus monachus sine commendatitiis litteris non præcipitur reuocari : sed apertius id constat ex decisione Alexand.III. *in cap.sanè de Regularibus* : vbi canonicus regularis fugiens in aliud monasterium, ibique receptus permittitur remanere,si perfectionis religionis illud sit. Neque ex eo quod textus vtatur,verbo *permitto*,inferendum est Pontificem ibidem dispensasse,vt voluit Panormit. quia si dispensatio esset,non stetisset ille religiosus ante talem dispensationem cum pura conscientia,vt supponit textus, & facta dispensatione non esset ibi permittendus existere absque professionis ratificatione. Neque illa dispositio vim legis haberet perpetuo seruandæ, vt verè habet. Verbum autem *permitto* sæpè non significat dispensare, sed non alterare, nec immutare, sed res in eodem statu relinquere. Ab Innocent. III. est Textus *in cap. intelleximus de ætate, & qualitate*, vbi de canonico regulari facto monacho postea redeunte ad canoniam,ibique in Abbatem electo, quia ritè munus suum gerebat,approbatur electio. Ergo signum est monachalem professionem nullam fuisse. Sed hic textus,vt constat ex solutionibus,quas ibi adducit Glossa non conuincit, professionem in strictiori religione factam inualidam esse primò, quia non constat monasterium illud, ad quod ille canonicus transierit, strictius esse. Deinde non constat professionem fuisse, sed solum ibi aliquando permansisse quod fieri poterat in habitu nouitiorum. Tandem inducitur Textus *in cap. licet, de Regularibus*,vbi excusatur à molestia transiens ad strictiorem religionem, quia dignoscitur corde puro, & conscienria bona, & fide non ficta transire.Ergo à contrario molestandus esset, si aliqua ex his conditionibus deficeret. At quoties transitus fit inconsulto superiore,vel cum iactura religionis desertæ, aut ex prauo fine non fit puro corde, & conscientia bona, & fide non ficta. Ergo transiens deficiente aliqua ex his conditionibus molestandus est.Ergo signum est professionem inualidam esse. Verum nec hic textus hanc nullitatem probat. Concedo namque sic transeuntem molestandum esse, quia inordinatè transit. At vnde constat per reuocationem molestandum esse, cum possit secluſa reuocatione aliis pœnis molestare ? Et esto reuocandus esset, non inde infertur professionem fuisse nullam:quia non reuocatur,vt in priori professione perseueret,sed vt ibi pœnas luat transitus inordinati,& debito modo transeat. Quod ipsemet Sanch.*li.6.c.7.n.92.* fatetur,quando fit transitus cum iactura religionis desertæ,in hoc enim casu concedit & professionem valere,& reuocandum esse sic transeuntem beneficio restitutionis.Ergo ex reuocatione non inferretur sufficiens argumentum ad probandam nullitatem professionis. Præterea aduersus Sanch. sic argumentor.Si transitus cum iactura religionis desertæ non inducit nullitatem professionis, neque etiam defectus petitæ licentiæ, & zeli melioris frugis eam inducere potest.Tum quia æquè hæ conditiones in *dicto cap.licet*,requiruntur,& eodem tenore verborum,& in eadem clausula sunt constitutæ, vt legenti textum constare possit. Tum quia transiens cum iactura graui religionis desertæ, ac proinde peccans non zelo melioris frugis, corde puro, & conscientia bona duci potest. Neque licentiam petit cum debita humilitate,& puritate, siquidem non manifestat circunstantiam ita grauem præiudicij religionis desertæ. Ergo dicendum est vel professionem factam, in qua deficit zelus melioris frugis validam esse,vel affirmandum professionem cum iactura religionis desertæ validam fore. At in *dicto cap. licèt*, pro nulla ex his professionibus est irritatio apposita. Ergo dicendum est,omnes illas validas esse. Post Innocent.III. nullus est Pontifex spectato iure communi, qui transitum ad strictiorem religionem non petita licentia annullauerit. Ergo absolutè validus est:excipio constitutionem Martini IV. *in extrauag. viam, de regularib.* specialiter loquentem de mendicantibus ordinibus,de qua infra.

3 Ex his infertur,religiosum sic transeuntem post professionem in strictiori reuocandum non esse, sed pro qualitate culpæ ibidem puniendum. Quod vt benè notat Suarez *dicto cap.10.n.27.* intelligendum est quando constat religionem ad quam transit strictiorem esse:nam si dubium sit, reuocari potest:quia transitus nullus est,quousque superior licentiam concedat, vel eo renuente per superiorem vtrique religioni communem dubium decidatur.Sed quid si nondum professionem in strictiori religione emisit,& ad illam transiuit nõ petita licentia,eritne reuocandus?Negat Suarez *dicto c.10.n.26.* eo quod ea reuocatio videatur inutilis,quandoquidem reuocatus petita licentia,sed non concessa reuerti potest. Quæ ratio non est satis efficax:siquidem facta reuocatione,fortè religiosus in priori religione mutato proposito permanebat, vel saltem seruato iuris ordine ad strictiorem transibit. Quapropter solum in eo casu censerem non esse reuocandum, quando superior,à quo erat licentia postulanda, certus esset transeuntem zelo melioris frugis habitum assumpsisse. At quia merito præsumere potest potius leuitate, quam charitatis zelo motum esse qui obedientiæ virtutem violauit : ea de causa reuocare transeuntem absolutè potest,vt maturius causam examinet, & transitus fiat iuris ordine seruato & ita docuit Sanch.*lib.6. sum.c.7.n.95.*

§. V.

Quousque liceat transitus ad religionem laxiorem vel æqualem iure communi spectato

SVMMARIVM.

1 *Iure communi non licet,secus ex dispensatione.*
2 *Pontifex nec licitè, nec validè potest concedere transitum absque causa ad religionem minus perfectam.*
3 *Prælatus religionis potest stante causa legitima facultatem tibi concedere transeundi ad religionem æquè strictam idémque dicendum est de religione minus stricta.*
4 *Aduersus secundam partem conclusionis arguitur.*
5 *Fit satis argumentis.*
6 *Quæ sit causa legitima arbitrio prudentis diiudicandum est. Hæc causa legitima ex triplici capite oriri potest.*
7 *Quis prælatus hunc transitum causa iusta intercedente concedere possit?Plures affirmant, Prouincialem vel Generalem in non exemptis, in exemptis Episcopum. Verius est spectato iure communi quemlibet prælatum conuentualem posse.*
8 *Respondetur fundamentis contrariis.*
9 *An ad huiusmodi transitum in æquè, vel minus strictam religionem consensus conuentus necessarius. Plures negant. Verior est affirmatiua sententia.*
10 *Satisfit fundamentis contrariis.*
11 *Transitus ex vno gradu ad alium in eadem religione fieri potest*
12 *Hunc transitum facere potest immediatè prælatus conuentus, nisi Prouinciali,vel Generali reseruatus sit.*

1. CErtum est iure naturæ tibi prohibitum esse propria authoritate religionem æquè, vel minus strictam ingredi. Tum quia non potes propria authoritate vorum nisi in melius commutare. Tum præcipuè,quia per professionem te religioni tradidisti cuius traditionem violare non potes absque legitima causa,quæ nulla alia est, nisi Dei obsequium, & tuus spiritualis profectus. At si religio, ad quam transire vis est æqualis perfectionis,neque maius Dei obsequium, neque spiritualis profectus in eo transitu intercedit. Non igitur propria authoritate id fieri potest. Iure autem positiuo communi non inuenitur concessus transitus ad religionem laxiorem vel æqualem. Solum enim Martin.IV. *in extrauag.viam ambitiosa, de Regularibus*, prohibens mendicantibus transitum ad quamcunque religionem sine sedis Apostolicæ licentia Carthusiam ab illa prohibitione excepit, vel quia putauit Carthusiam omnibus mendicantibus strictiorem esse, vel potius quia putauit esse securiorem. Restat ergo, vt ex dispensatione hic transitus fieri possit. Sed quis est, qui hanc dispensationem valet concedere tam ad religionem æqualem, quam ad minus strictam : Nemini est dubium Pontificem posse non solum quatenus vniuersalis Ecclesiæ pastor est, sed etiam quatenus est religiosorum supremus prælatus : quia id expedit rectæ tum Ecclesiæ, tum religionum gubernationi. Sed an id præstare possit absque legitima causa est difficultas, quæ procedit tam de licito vsu, quam de valido.

2. Dicendum igitur est,nec licitè, nec validè posse concedere absque causa transitum ad religionem minus perfectam:sic docuit post alios antiquiores,Nauarr.*comm.4.de Regularibus, numer.* 10. & *libr.3. consil. titul. de Regularibus, conf. 56. aliàs 88. numer.2.* Man. Rodrig.*quæst. regular. t. 3. quæst. 52. art.* 10. Lessius *lib.2. de iustit. cap.* 41. *dub.* 13. *numer.* 102. Azor.*lib.12.cap.14.quæst.8. in fine.* Sanchez *lib. 6. sum. cap.7. num 64.iuncto num.51.*Suarez *tom.4.de relig.tract. 8. lib.3.cap. 11.num.14.&* 15.Ratio est manifesta,quia in huiusmodi transitu est quædam votorum præexistentium dispensatio, & remissio in vota minus perfecta, sed hæc fieri non potest absque causa,vt constat ex his, quæ diximus Tractat. *de Voto, disputat.*

de Voto, disputat. vltim. ergo, &c. Verum si transitus faciendus est in religionem æqualem validè poterit Pontifex facultatem tibi concedere, si sequamur opinionem asserentem ad votorum commutationem in euidenter æqualem nullam desiderari causam; quia esto in huiusmodi transitu tollatur prioris religionis prælatis ius acquisitum quod habent te retinendi, cum Pontifex sit supremus religionis prælatus, poterit sibi reseruare tui obedientiam, & dispositionem, & te per prælatos alterius religionis gubernare. At quia *tract. de Voto disp. vlt. punct.* 15. vt probabilius defendimus ad commutationem votorum in æquale causam desiderati, ideo in præsenti affirmamus Pontificem absque causa non posse huiusmodi transitum concedere nec validè, nec licitè. De licita concessione omnes conueniunt, cum rationi dissonum sit iuri alterius acquisito absque vlla causa derogari. Neque enim potestas Pontifici data est in destructionem, sed in ædificationem. Præterquam quod mutare religionem non est per se laudabile, vt supra dictum est. Quid igitur erit nulla causa intercedente? De inualida concessione docet Sanchez *lib.* 5. *summ. cap.* 7. *num.* 64. tametsi sentiat commutationem votorum in æquale fieri absque causa posse, eo quod non possit absque causa iuri religionis derogare: sed hæc ratio inefficax est, quia si potest validè commutare vota inæqualia, commutare etiam poterit traditionem vtpote vota subsequentem præcipuè cum hæc traditio non in bonum religionis, sed in tuum spiritualem profectum, & Dei obsequium facta sit. Quapropter legitima ratio huius impotentiæ est, quod nemo possit absque causa votum in æquale commutare. Non enim censetur Deus iuri per promissionem acquisitiuo cedere, nisi alia cessio in maiorem illius honorem cedat.

3. Ex his infertur nullum prælatum Pontifice inferiorem posse absque causa legitima transitum ad religionem æquè, vel minus strictam concedere. Tum quia non potest votorum commutationem in æquale facere. Tum quia non potest religionem defraudare potestate, & dominio personæ sibi vtilis. Stante vero causa legitima potest prælatus regularis facultatem tibi concedere transeundi ad religionem æque, nec dum minus strictam: sic docuit Ponormitan. *c. non est n.* 6. *de Regularib.* Gregor. Lopez *leg.* 9. *tit.* 6. *part.* 1. Lessius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 33. *n.* 103. Sanchez *lib.* 6. *summ. c.* 7. *n.* 68. & quoad religionem æqualem docet Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 3. *c. p.* 11. *n.* 4. quoad minus strictam solum id reputat probabile *n.* 20. Fundamentum præcipuum est, quia hæc potestas videtur necessaria ad rectam religionis administrationem: sicut enim prælato religionis per se competit bona religionis administrare, & ea si opus fuerit alienare in casibus sibi non prohibitis sic à fortiori competit personas regere, easque à se alienare, si religioni expediens fuerit. At hæc potestas non est à iure communi restricta: imo potius concessa videtur *in cap. statuimus* 19 *quæst.* 3. vbi ex permissione patris, & totius congregationis conceditur transitus canonico regulari ad monachatum. Neque est certum ibi loqui tantum de religione strictiori: Et *in cap. significatum de Regularibus*, conceditur Episcopo, vt possit ratificantem professionem in pubertate ad eandem, vel ad aliam religionem compellere: & licet *Glossa* explicet ad eandem, vel maiorem religionem, est restrictio absque fundamento: cum textus absolute loquatur, sitque sufficiens causa dispensandi in transitu ad laxiorem religionem; eo quod in tenera ætate professionem fecerit, ergo stante eadem, vel simili causa poterunt religionum prælati dispensare cum sibi subditis in transitu ad religionem non solum æqualem, sed laxiorem.

4 Sed aduersus supradictam sententiam obstat primò; quia in hac dispensatione est quædam professionis factæ relaxatio, & dissolutio admixta commutationi in aliam professionem. Sed religionum prælatis non videtur posse competere potestas dissoluendi religiosam professionem. Tum quia eorum adæquata potestas ex professione nascitur, & in professione fundatur. Ergo esse non potest ad dissoluendam eandem professionem. Tum quia dissoluere professionem concesso transitu in laxiorem est quid omnino distinctum à professione facta, & extra illum statum: at ob hanc solum causam non potest prælatus votum strictioris religionis irritare. Ergo neque poterit professionem factam irritam reddere, vt alia de nouo fiat. Secundò si ob administrationem religionis, quam prælatus habet, tibi concedere potest transitum ad religionem laxiorem, cur non poterit ad sæcularem statum sub voto simplici castitatis, paupertatis, & obedientiæ, cum' in vtroque casu professio facta relaxetur? Tertiò in hac dispensatione ius communne læditur, siquidem dimittis habitum propriæ religionis habitu laxioris assumpto. Item si monialis es, egrederis è claustro extra casus à iure permissos. Quartò in *extrauag. viam de Regularibus*, prohibitus est mendicantibus transitus ad quamcunque religionem Carthusia excepta, absque licentia Pontificis. Ergo nullus mendicantium prælatus eam licentiam concedere potest. Quintò Trident. *sess* 25. *cap.* 19. *de Regularibus*, interdicit transitum ad laxiorem religionem vigore cuiuscunque facultatis. Ergo extra Pontificem nullus alius est, qui hanc possit facultatem concedere. Sextò Gregor. III. in bulla incipiente *cum aliàs* Societati IESV concessit, vt possit professos ejectos, seu qui ejectione digni erant concedere transitum ad quamlibet religionem: cuius priuilegij communicationem aliis religionibus interdixit. Ergo signum est religionum prælatos ex se potestatem non habere ad huiusmodi transitum concedendum: & ita tenet Glossa *in c. cum singula*, §. *prohibemus, verbo canonicè, de Præbend. in* 6. Abbas, *cons.* 96. *n.* 3. *vol.* 1. *Roman. singul.* 452. Suarez *lib.* 3. *c.* 11. *n.* 17. & 20. & alij relati à Sanchez. *lib.* 6. *summ. c.* 7 *n.* 52.

5. Hæc tamen non vrgent, vt à communi sententia recedamus, præcipuè cum plures ex supradictis rationibus æquè procedant aduersus transitum ad religionem æqualem, quem Suarez *dicto cap.* 11. *n.* 4. concedit. Ad primum concedo in hoc transitu interuenire quandam professioni factæ relaxationem. nego tamen non posse prælato competere potestatem ad illam faciendam, non quidem ex iurisdictione per professionem acquisita, vt rectè probat obiectio, sed ex iurisdictione à Pontifice concessa occasione professionis, ob quam iurisdictionem potest prælatus dispensare votum arctioris religionis, esto illud non possit irritare: quia irritatiua potestas nascitur ex professione, & extra professionem, illiúsque statum non extenditur, secus Ecclesiastica iurisdictio. Ad secundum respondeo, ideo non posse prælatum Pontifice inferiorem concedere transitum ex religione ad statum sæcularem: quia status religiosus est perpetuus; ac proinde semel assumptus non potest ab alio, quam à Pontifice absolutè dissolui, benè tamen commutari. Ad tertium nego, in hoc transitu ius commune lædi, quia illa non est dimissio habitus religiosi, sed est nouæ religionis habitus susceptio, neque illa egressio ad nouam religionem suscipiendam est, quam Trid. monialibus prohibuit, cum neque ex supradicta habitus dimissione, neque ex hoc egressu detur, aut dari possit occasio vagandi. Alias nec licitum esset ob ingressum strictioris religionis habitum prioris deserere, nec monialem ex suo monasterio egredi. Ad quartum respondent Lessius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 13. *n.* 14. & Sanch. lib. 6. sum. *cap.* 7. *n* 68. quibus videtur Layman lib. 4. sum. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 9. *vers. porrò*. Extrauagantem illam Martini 4. intelligendam de transeuntibus absque legitima causa, vt indicant illa verba, *fucatis coloribus, & vt liberius, degant, & beneficia monastica consequi valeant*, non vero de mendicantibus, qui legitimam mutandi religionem causam habent. His enim in supradicta extrauag. non interdici transitum ad aliam religionem ex licentia suorum prælatorum firmant supradicti doctores. Deinde dicunt supradictam extrauag. in hac parte receptam non esse. Ego vero dicendum existimo, etsi illa prohibitio, ne mendicantes ad aliam religionem absque licentia sedis Apostolicæ facta fuerit; alias si solum in ea extrauag. iis, qui fucatis coloribus, & appetitu liberius viuendi, beneficiaque monastica consequendi transitus ad omnes religiones interdicitur, vt qui ad Carthusiam conceditur; Præterea illa prohibitio non solum facta est ad præcludendam ambitiosæ cupiditatis viam, sed etiam pro mendicantium religionum conseruatione, cui fini obstat transitus cuiuslibet mendicantis etiam zelo iustitiæ ducti. Quo circa existimo prælatos ordinum mendicantium per se posse suis subditis iusta causa intercedente licentiam concedere ad laxiorem religionem suscipiendam, nisi supradicta extrauag. illis esset interdictum, quam mihi non constat receptam non esse. Ad quintum ex Trident. dic prohiberi à Concilio transitum ad laxiorem religionem vigore cuiuscunque facultatis concessæ absque legitima causa, vel absque causæ cognitione, vt olim fiebat, iuridicas tamen concessiones, & legitimas facultates noluit concilium derogare, vt benè dixit Sayro *decis.* 55. *de Regularib.* & approbat August. Barbosa in dicto loco Concilij. Nauarr. titul. Regularib. *lib.* 3. *cons.* 56. *num.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 13. *num.* 103. Sanch. *alijs. relatis lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 68. Ad sextum probare videtur in *extrauag. viam ambitiosæ* mendicantibus esse interdictum transitum ad quamlibet aliam religionem si quidem illud priuilegium conceditur Societati, neque permittitur aliis mendicantibus communicatio. Præterea dic Societati esse illud priuilegium concessum; quia sub opinione positum erat, an prælati regulares possent sibi subditis licentiam ad laxiorem religionem concedere. Quo priuilegio posito omne tollitur dubium quoad Societatem. At quoad alias religiones, quia communicatio interdicitur, relinquitur sub opinione, sicut erat antea. Denique respondeo priuilegium illud esse concessum pro his, qui digni sunt è religione emitti, non pro aliis, qui religioni vtiles existunt & concessum est, vt ex solo Præpositi Generalis consensu fieri transitus possit absque vllo conuentus consensu, quod aliis religionibus nequaquam communicatur.

6. Quæ verò causa censenda sit legitima ad huiusmodi transitum concedendum; Arbitrio prudentis diiudicanda est; minor enim causa ad æqualem religionem, quam ad laxiorem

rem requiritur, & quo laxior fuerit, grauior cauſa adeſſe debet: quia eſt maior votorum relaxatio. Ex triplici capite deſumi poteſt cauſa legitima ad huiuſmodi tranſitum concedendum? primò, & præcipuè ex parte religioſi, ſecundò, ex parte religionis deſertæ, tertiò ex parte religionis aſſumendæ. Ex parte religioſi deſumitur, quoties ex tranſitu ſperatur maior illius ſpiritualis profectus: quia hic eſt finis præcipuus, ob quem religio ſuſcipitur. Contingere autem poteſt hunc maiorem fructum ſperari in religione laxiori, quam in ſtrictiori; primò, ſi ad onera laxioris religionis ſuſtinenda aptus ſis, non tamen ad ſuſtinenda onera ſtrictioris; ob cuius cauſam paſſim indiges diſpenſatione, quæ aliis odioſa eſt & tibi moleſta: ſic Abbas, *cap. non eſt, num. 6. de Regularib.* *Azor. t. 1. lib. 12. cap. 14. q. 8.* Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 7. n. 72.* Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 11. num. 22.* Secundò, ſi ex prauo habitu, depraua taque conſuetudine, vel ex innata conditione grauem difficultatem ſententias in exequendis regulis, & obſeruantiis illius religionis ſtrictioris, maximè ſi cum à principio profeſſus es, eam difficultatem exactè non cognoueris. Quia ea difficultate poſita rarò regulæ, obſeruantiæque religioſæ firmiter obſeruabuntur: ſic Suar. & Sanch. *locis allegatis.* Tertiò, ſi in ea ſtrictiori religione malè, & iniquè tracteris, quia periculum eſt impatientiæ, & charitatis dimittendæ. Suar. *dicto cap. 11. num. 24.* Sanch. *dicto. cap. 6. num. 72.* Quartò, ſi odio habearis à fratribus ob aliquod delictum commiſſum, cuius te pœnitet, & emendationem procuras; quia eo caſu odium illud iniuſtum eſt, & occaſionem tibi præbet in charitate tepeſcendi. Sanch. *dicto numero 72.* Quintò, ſi ob aliquod delictum ea in religione infamatus ſis, ratione cuius continuo pudore, & triſtitia afficeris; quia eſt magnum impedimentum ſpiritualis profectus. Sanch. *ſuprà.* Sextò, ſi tui parentes grauiter indigeant, quibus in laxiori religione ſubuenire facilè potes, ſecus in ſtrictiori; quia ea neceſſitas cùm ſit ita propria te ſollicitum reddet, & anxium; ac proinde non leuiter impediet ſpiritualem profectum. Suar. *cap. 11. num. 24.* Sanch. *dicto n. 72. in fine.* Ex parte religionis ſtrictioris deſerendæ rarò contingere poteſt cauſa iuſta ad concedendum tranſitum in laxiorem. Nihilominus in duplici caſu aderit hæc legitima cauſa, ſi qui benè perpendantur, ad præcedentia reducuntur. Primò ſi in ea religione ſint tibi aliqui religioſi occaſio violandi vota, & transgrediendi regulas quorum Societatem abſque graui difficultate vitare non potes: ſic relato Tabiena verbo *religio quæſt. 23. num. 24.* docuit Sanch. *dicto cap. 7. num. 72.* Hoc autem raro continget, ſi ſuperiori (vt debes) periculum manifeſtes; ipſe enim ſua prouidentia concedendo tibi vel aliis loci mutationem, periculum remouebit. Secundò aderit ex parte religionis legitima cauſa, ſi ob tuas continuas corporis indiſpoſitiones, vel conditionem innatam, vel ob aliam cauſam inutilis religioni ſtrictiori ſis, vel non ſatis ad eius inſtituti accommodatus. Exiſtimaris autem futurus vtilis, & accommodatus religioni laxiori. At hæc cauſa legitima redditur non tam ob vtilitatem religionis, quam religioſi, cuius vtilitas in hoc tranſitu præcipuè ſpectanda eſt. Ex parte verò religionis laxioris aſſumendæ continget cauſa legitima, ſi ex eo tranſitu ſingularis aliqua vtilitas maximè ſpiritualis ſperatur illi religioni prouenturа. At hęc cauſa cum non cedat in ſpecialem religioſi vtilitatem neque in vtilitatem religionis deſertæ, ſed potius in illius, damnum legitima non eſt comparatione prælatorum religionis deſerendæ: quippe iplis incumbit bono ſuorum ſubditorum, & propriæ religionis augmento conſulere, non alienæ, cum ergo hoc bonum ceſſet, nequeunt tranſitum, concedere. At erit legitima cauſa comparatione prælati vtrique religionis communis, vt notauit Suar. *dicto t. 4. de relig. tract. 8. lib. 9. cap. 11. n. 24.*

7. Sed quis eſt prælatus, qui hunc tranſitum cauſa iuſta intercedente concedere poſſit? Plures affirmant non eſſe immediatum prælatum conuentus, ſed in exemptis Prouincialem, vel Generalem, in non exemptis Epiſcopum: ſic expreſſe Anton. Cucus *lib. 3. inſtit. mor. tit. 1. num. 137.* Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 7. num. 70.* Mouentur; quia religioſus ille non eſt traditus per profeſſionem illi ſpeciali conuentui, ſed conuentibus totius prouinciæ. Ergo qui præeſt toti prouinciæ, & non alius poterit hanc tranſeundi licentiam concedere. Deinde prælatus immediatus conuentus nequit religioſum ex vno in alium conuentum transferre, ergo minus poterit in aliam transferre religionem. Nihilominus verius credo ſpectato iure communi, de quo in præſenti eſt ſermo, hanc poteſtatem habere quemlibet prælatum conuentualem: ſic docuit Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. c. 11. n. 5.* loquitur tamen de tranſitu ad religionem æquè ſtrictam; at eius fundamentum æquè probat de minus ſtricta. Fundamentum igitur eſt; quia prælatus immediatus conuentus per ſe habet poteſtatem bona conuentus, & illius perſonas adminiſtrandi. Ergo ſi à ſuperiore prælato non ſit illi reſtricta poteſtas, poterit religioſo ſibi ſubdito hinc tranſitum concedere? quia hæc conceſſio ad rectam ſui ſubditi adminiſtrationem pertinet. Præterea in hoc tranſitu duo reperiuntur, ſcilicet votorum commutatio, & illius perſonæ in alteram religionem alienatio. At vtrumque præſtare poteſt prælatus conuentualis æquè ac Prouincialis, quia ob iuriſdictionem, quam habet, vota commutare poteſt, & ob adminiſtrationem ſibi à religione conceſſam poterit nomine religionis ſubditum alienare, & obedientiæ, ſibi aliiſque ſuperioribus debitæ cedere. Fauet huic ſententiæ *text. in ſtatuimus 19. q. 3.* vbi ex permiſſione Patris, & totius congregationis tranſitus permittitur. Nomen enim Patris immediatus prælatus conuentus intelligitur. Video tamen dici poſſe ibi loqui textum de tranſitu ad ſtrictiorem religionem, ſed non conſtat. Deinde probari poteſt apertius ex *c. non eſt de Regularib.* vbi ex ordine Ciſtercienſi, qui ſtrictiſſimus reputatur, prohibetur tranſitus ad aliam quamcumque religionem ſine licentia Abbatum. Supponit ergo textus ex licentia Abbatum permitti poſſe. Et licet Gloſſa ibi; verbo *permittatis* addiderit aduerbium *maximè* ſupradictæ prohibitioni: quo addito excluditur permiſſio? quia facit hunc ſenſum, Monachos, vel conuerſos Ciſtercienſis ordinis poſt profeſſionem maxime ſine licentia ſuorum Abbatum per Epiſcopatus veſtros recipi nullatenus permittatis. Eſt tamen additio ſine vllo fundamento, ac proinde non recipienda.

8. Rationes verò in contrarium non vrgent: Ad primam reſpondeo probare manifeſtè ſolum Generalem totius ordinis poteſtatem habere ad illum tranſitum concedendum; ſi quidem religioſus per profeſſionem non ſingulari conuentui, vel prouinciæ traditur, ſed toti ordini, & religioni; ac proinde ſolus prælatus totius ordinis poſſet illum à religione alienare. Cum autem contraria ſententia cenſeat Prouincialem poſſe, conuincitur manifeſtè ex poteſtate à tota religione accepta id præſtare, idipſum ego dico de prælato conuentuali. Ad ſecundam concedo, non poſſe prælatum conuentualem ex vno conuentu in alium transfere; nego tamen inde ſequi ad huiuſmodi tranſitum licentiam concedere nō poſſe, tum quia inde probaretur neque ad religionem ſtrictiorem poſſe licentiam concedere. Tum quia eſt longè diuerſa ratio, nam ſuperior transferens religioſum ex vno in alium conuentum, ad quem transfert, vt religioſum recipiat; concedendo licentiam ad ſtrictiorem, laxioremve religionem non obligat religionem, vt recipiat, ſed tantum id permittit cedens iuri, quod habet retinendi in ſe religioſum.

9. Sed inquires; an ad huiuſmodi tranſitum in æquè vel minus ſtrictam religionem conſenſus conuentus neceſſarius ſit? Plures doctores negant eſſe neceſſarium, ſed ſolum ad maiorem cautelam poſtulandum eſſe ſic docuit Innocent. *cap. ſin. n. 1. de renunciat.* & ibi Ioann. Andr. *n. 7.* Hoſtienſ. *n. 3.* Anton. *n. 13. Additionator ad Abbatem cap. non eſt, litt. C, ad finem de Regularib.* Mouentur; quia nullibi habetur conſenſum conuentus neceſſarium fore. Nam Text. *in cap. ſtatuimus* qui ad id probandum inducitur non de tranſitu ad laxiorem religionem, ſed potius ad ſtrictiorem loquitur, in quo caſu diximus neceſſarium non eſſe conuentus conſenſum; quia prædicta textus diſpoſitio reſtricta eſt per Text. *in c. licèt de Regularib.* vbi ſola petitio licentiæ, non illius conceſſio requiritur in *cap. autem ſtatuimus* & petitio, & conceſſio requiſita erat, vt conſtat ex illis verbis *ſine Patris, & totius congregationis permiſſione.* Quare ſublata neceſſitate conſenſus prælati tollitur neceſſitas habendi conſenſum conuentus. Adde in aliis codicibus expunctam eſſe illam dictionem, & legique ſine Patris totius congregationis permiſſione, ſicuti notauit Suar. *to. 4. de Relig. ar. 8. lib. 3. c. 10. n. 29.* Præterea *textus in cap. non eſt de Regul.* qui prohibet Ciſtercienſibus, tranſitum ad aliam religionem, ſolius Abbatis mentionem fecit, non conuentus, ibi: *ſine licentia Abbatum ſuorum.* Adde rationem: quia huius licentiæ conceſſio eſt actus iuriſdictionis competens prælato ratione officij, ergo in illius vſu conſenſus conuentus neceſſarius non eſſe. Quod ſi dicas neceſſarium eſſe: quia eſt alienatio perſonæ monaſterio vtilis, in alienatione autem rei pretioſæ conſenſum conuentus expoſtulari: obſtat, quia illa non eſt alienatio, ſed iuris, quod religio habet in religioſum, ceſſio. Non enim religio te alteri religioni tradit, ſed tu teipſum tradis poſita tuæ religionis ceſsione. Item eſt alienatio non voluntaria, ſed neceſſaria, & à iure inducta, & non rei temporalis, ſed perſonæ liberæ. Conſenſus autem conuentus non pro cuiuſcunque rei alienatione, ſed pro alienatione rerum temporalium expoſtulatur; aliàs in hac alienatione religioſi neceſſarius eſſet tractatus, & aliæ conditiones requiſitæ in rerum Eccleſiaſticarum alienatione, quod nullus dicet. Nihilominus verius cenſeo conſenſum conuentus expoſtulandum eſſe; ſic docet Gloſſ. *cap. cum ſingula* verbo *canonicè, de Prabend. in 6. Cardinal. in cap. ſin. n. 2. q. 3. de renunciat.* Leſſ. *lib. 2. cap. 41. dub. 13. n. 103. & 107.* Sanch. *lib. 6 ſum. c. 7. n. 66.* Moueor, quia in his, quæ pertinent ad commune religionis bonum, & illius conſeruationem nequit prælatus abſque ſuæ congregationis conſenſu diſponere. At dimittere religioſum, & illius debitæ obedientiæ cedere pertinet ad commune religionis bonum, eiuſque conſeruationem, ergo nequit fieri abſque religionis conſenſu. Si enim abſque conſenſu conuentus nemo admitti poteſt

potest ad professionem vt diximus *disp.2.pun.3.* à fortiori admissus dimitti non poterit.

10. Neque obstant in contrarium adducta. Negari enim facile potest Text. *in c. statuimus* loqui precisè de transitu ad strictiorem religionem. cum nullum ibi sit verbum hanc limitationem indicans. Et licet huius textus dispositio restricta sit per Text. *in c. licèt de Regularib.* id intelligendum est non absolutè, sed quoad transitum ad strictiorem religionem, quare integra manet dispositio *dicti cap. statuimus* quoad transitum ad laxiorem, vel æqualem. Ex Text. *in cap. non est*, solum inducitur argumentum negatiuum, quod in iure infirmum est. Adde illa verba, sine licentia Abbatum non denotant consensum conuentus debere excludi, sed potius indicant adesse debere; quia debet esse licentia Abbatum legitima, qualis non est absque conuentus consensu in iis, quæ ad bonum religionis, eiusque conseruationem pertinent. Ad rationem concedo competere prælato ratione sui officij hanc licentiæ concessionem, nego tamen eam posse concedere conuentu inconsulto.

11. Superest solum dicendum de transitu intra eandem religionem ex vno gradu ad alium, ex gradu inquam illorum, qui choro sunt deputati ad gradum laicorum, ex gradu scholasticorum in Societate ad gradum coadiutorum temporalium, vel è contra; an inquam hæc translatio fieri possit, & ex qua prælato? dicendum est fieri hanc translationem posse; quia nullibi est prohibita; ideòque passim exercetur. Non enim in hac translatione mutatur religio, sed intra eandem religionem, & votorum obseruationem exercita, & officia mutas, diuersisque ministeriis incumbis, & destinaris: & ita sustinet Sotus lib. 10. de iustit. *q.5. ar.3. circa finem* vers. *ad aliud.* Azor. t.1. *lib.* 10. *c.6. q.7.* Sanch. aliis relatis lib.6 sum. *c.7. n.80.* Quoad causam attinet, distinguendum est; si translatio facienda est ex statu inferiori scilicet laicorum ad statum illorum, qui choro sunt deputati nulla specialis causa requiritur præter status altitudinem; quia est ascensus ex inferiori statu ad superiorem, & ex minus perfectis exercitiis ad superiora. At si translatio è contra facienda est, grauis causa adesse debet ob contrariam rationem, quia per se est descensus. Illa igitur sufficiens erit, si ad literas addiscendas, superioraque ministeria exercenda minus aptus existas, cum tamen habilis inueniaris ad inferiora; quia ea mutatio religioni vtilior est; vel si speciali affectu; & singulari amore humilibus officiis, & ministeriis laicorum incumbas, quia sic excessum spiritualis profectus, quem ex superioribus ministeriis deducere poteras, compensaturus præsumeris. Nunquam tamen hęc translatio maximè ad inferiorem statum facienda est te inuito, nisi fortè pœnam delicti grauis: sic Sāch. *dicto. c.7 n.81. tametsi* Suar. *t.4. de relig. tr. 10. lib.4. c. 17. n.9.* videatur contrarium sentire in Societate. 12. A quo autem prælato hæc translatio facienda est? Sanch. *dicto loco* censet à solo Prouinciali, vel Generali fieri posse, & cum consensu conuentus; quia est res grauis. At ego existimo *per se* ab immediato prælato conuentus posse fieri; quia integrè, & plenè bonorum & personarum conuentus administratio illi commissa est: neque video causam, ob quam ad Prouincialem debeat esse recursus, præcipuè cum Prouinciali, vel Generali relinquatur potestas hanc translationem reuocandi, si expedire iudicauerint. Dixi *per se*; quia ex vsu, & consuetudine religionis, vel speciali ordinatione poterit esse hęc translatio Prouinciali, vel Generali reseruata, sicuti in Societate IESV, vt bene notauit Sanch. *dicto. c.7. n.81.* est Generali reseruata, atque, adeo nec Rector collegij, necdum Prouincialis Generali inconsulto hanc translationem ex vno in alium gradum facere possunt. Solum enim Prouinciali permittitur, *reg.67. eiusdem.* intra biennium applicare gradui scholasticorum, vel laicorum, quos indifferentes receperit. Sed hæc non est translatio ex vno in alium statum, sed vnius determinatio.

§. IV.

Quousque spectatis religionum priuilegiis liceat transitus ad religionem strictiorem, æquè, vel minus strictam.

SVMMARIVM.

1 *Expenduntur priuilegia concessa Societati* IESV.
2 *Pontifex non interdixit Iesuitis transitum in aliam religionem, sed ne fieret absque eius, vel Præpositi Generalis licentia.*
3 *An si ante tempus à superiore præfixum mutes propositum transeundi, vel cognoscas in religione non esse admittendum, tenearis ad propriam redire.*
4 *Contrarium dicendum est, Et satisfit rationi dubitandi.*
5 *An Societas, ex cuius licentia Carthusiam, vel aliam religionem ingressus teneatur te redeuntem recipere? Sub distinctione respondetur.*
6 *Religio, ad quam ex facultate legitima transis te recipere non potest animo concedendi licentiam, vt extra claustrum perpetuo, vel per multos annos maneas, nisi*
7 *An Generalis Societatis possit scholaribus, & professis permittere transitum ad religionem laxiorem. Proponitur negatiua sententia.*
8 *Affirmatiua verior est.*
9 *An Societas possit modum Generali Præposito præscribere vtendi hoc priuilegio? Distinguitur de valido, & licito vsu.*
10 *An alius à Præposito Generali possit concedere professis transitum in aliam religionem? Procedit dubitatio de congregatione, & vicario generali.*
11 *Præpositus Generalis, nisi Societatis instituto inutilis sis ipsiusque fore vtilis alterius & religionis instituto obligatus non est tibi transitum concedere.*

1. NOn est animus inuestigare priuilegia omnibus religionibus concessa, sed tantum concessa Societati IESV. Quilibet enim religiosus propriæ suæ religionis priuilegia nosce. Igitur in Societate IESV est priuilegium concessum à Paulo III. in Bulla incipiente, *Licet debitum, edita anno 1529.* & habetur in litteris Apostolicis *pag.* 3. & est priuilegium concessum à Pio V. in Bulla incipiente, *Æquum reputamus, edita anno 1565.* & habetur in litteris Apostolicis *pag.* 94. vt nullus sine professus, siue scholaris, siue coadiutor ad alium ordinem præterquam Carthusiensium transire possit, nisi de expressa licentia ipsius Præpositi, aut Sedis Apostolicæ sub pœna excommunicationis reseruatæ Pontifici, vel Societatis Præposito tam aduersus recipientes quam receptos, declaratque transitum esse nullum. Volenti autem ad Carthusiam transire tempus trium mensium est præscribendum, ad alium verò ordinem Generalis Præpositi arbitrio relinquitur. Quod si intra dictum tempus non ingreditur, vel non admittitur, vel non perseuerat ad Societatem redire tenetur sub prædicta excommunicatione, quam tam ipse, quam illum recipientes, vel ei auxilium, consilium, vel fauorem præstantes incurrunt: sic habetur in dicta bulla Pij V. & refertur in compend. priuil. Societ. IESV verbo *apostata* §. 9. Insuper concessit Pius V. viuæ vocis oraculo. vt in eodem compendio verbo *apostata* §. 11. refertur, confirmatumque est à Gregor. XIII. in Bulla incipiente, *Dilecte filii edita anno* 1584. vt quilibet è Societate semel tantum absque Præpositi Generalis consensu tentare possit Carthusiæ ingressum cuius gratiæ communicationem aliis religionibus interdixit. Præterea Greg. XIII. in sua bulla incipiente, *Cum alias felicis recordationis. edita anno.* 1582. intendens dubitationem tollere, quæ ex supradictis priuilegiis oriri videbatur; an inquam Præpositus Generalis posset etiam professos ex causis id exigentibus ab ipsa Societate emittere, aut eis sic emissis liberum sit de eius licentia se ad quemuis alium mendicantium, vel non mendicantium ordinem transferre. Re perpensa, diligentiusque examinata Societatis puritati, atque incremento, emissorumque pro tempore saluti consulere volens statuit, vt deinceps, in perpetuum liceat dicto Generali Præposito, quos iudicauerit ab ipsa Societate emittere, eosque de ipsius prælati licentia, non tantum ad Carthusienses, sed ad quemuis alium mendicantium, vel non mendicantium paris, laxioris aut arctioris obseruantiæ ordinem per ipsum Præpositum illis præscribendum, de consensu tamen superiorum loci illius quo destinabuntur, demigrare, &c. interdixitque hanc gratiam communicari aliis religionibus. Denique Paul. V. *anno* 1610. 3. *Aprilis.* Carmelitis discalceatis concessit neminem è suo ordine posse ad Carthusiam transire, nisi petita, & obtenta facultate à suis superioribus, quam facultatem sibi Generalis reseruauit. Quo priuilegio vtitur Societas per viam communicationis, iuxta bullam Pij V. quæ incipit, *dum indefessè, editam anno* 1571. & iuxta bullam Greg. XIII. editam anno 1575. incipientem, *Decet Romanum Pontificem*, & notauit Sanch. *lib.6. sum. c.7. n.31.* Ex quibus omnibus infertur Societatis religiosos ad nullam religionem etiam Carthusiam transire posse sine Sedis Apostolicæ, vel Præpositi Generalis consensu, Præpositúmque Generalem transitum concedere posse etiam ad religionem laxiorem iis, quo è Societate emittere iudicauerit.

2. Supersunt tamen aliquæ difficultates enodandæ pro maiori dictorum priuilegiorum intelligentia. Prima difficultas est; qua ratione Pontifici liceat Societatis religiosis transitum in omnem religionem interdicere? Ratio difficultatis est; quia vel iudicat Societatem omnium religionum strictissimam, vel credit aliquam strictiorem esse. Primum non videtur affirmandum. Quia maior, vel minor religionis strictio, & perfectio difficile cognoscitur. Neque humilitas Societatis, quæ se omnium religionum minimam recognoscit, pateretur se omnibus anteferri. Et præterea quia Paul. III. & Pius V. permittunt Societatis religiosis saltem vnicum transitum in Carthusiam, ergo saltem Carthusia iudicatur Societate strictior. Quod non leuiter confirmari potest ex *extrauag. viam. de Regularib.* concedente omnibus mendicantibus transitum ad Carthusiam. Si autem aliqua alia religio vel ex mendicantibus, vel ex non mendicantibus strictior Societate est, nequit Pontifex,

ad illam tibi tranſitum denegare. Tum quia reſiſteret ſpiritui Sancto viam perfectionis maioris præcludens. Tum quia in qualiber profeſſione conditio melioris frugis imbibitur. Reſpondeo religioſis Societatis non interdici tranſitum in aliam religionem, quia Societas omnium ſtrictiſſima,& perfectiſſima iudicetur: ſed quia fortè non apparet alia perfectior,& in obſeruatione votorum ſtrictior; tametſi in aſperitatibus corporalibus ſtrictior inueniatur, & ad conſequendam propriam ſalutem ſecurior. Ob quam rationem permittere potuit Pontifex vnicum tranſitum in Carthuſiam, ſed non multiplicem. Præterea quod præcipuum eſt, & notandum, Pontifex non prohibuit Ieſuitis tranſitum in aliam religionem, ſed ne fieret abſque eius, vel Præpoſiti Generalis conſenſu. Cum enim in huiuſmodi tranſitu non ſolum ſpectanda ſit perfectio, & ſtrictio religionis, ad quam tranſitur, ſed eius cum religioſo tranſeunte proportio,& conuenientia,itémque animus ipſius tranſeuntis, an leuitate, an zelo iuſtitiæ ducatur, ac denique iactura religionis deſertæ,meritò potuit Pontifex tranſitum ad perfectiorem religionem non abſolutè, ſed abſque eius licentia prohibere, vt hac prohibitione facta tranſitus fiat debita conſideratione,& maturo conſilio: ſic Suar. latius probans *t.4.de relig.tract.8.lib.3 c.12.à n.5.*

3. Secunda difficultas eſt; an non obtenta facultate ad Carthuſiam: vel ad aliam religionem, ſi antequam illi tres menſes, vel tempus à ſe ſuperiore præfixum elabatur mutes propoſitum tranſeundi, vel cognoſcas à religione admittendum non eſſe; teneatis ad propriam religionem redire, vel poſſis licitè, & abſque vlla pœna toto eo tempore extra religionem eſſe? Ratio dubitandi eſt, quia Pontifex ſolum tibi prohibet,ne vltra illud tempus reditum differas, ſi intra illud intentum non obtineas; non tamen imperat, vt ante illud tempus redeas, ſed potius toto eo tempore te liberum relinquit. Ergo non rediens non peccas, neque vllam pœnam incurris. Quod ſi dicas mutato propoſito, vel repulſa cognita ceſſare cauſam, ob quam licentia conceſſa fuit,obſtat; quia licentia non fuit conceſſa ob actualem ingreſſum futurum, ſed vt illum negociari poſſes. At etſi mutes propoſitum, vel religio noluerit te admittere, adhuc potentiam habes negociandi ingreſſum. Quia religio retrocedere poteſt ab illa præſenti voluntate, & tu potes ad priſtinum propoſitum redire. Præterea, quia ſuperior ſolum videtur ſpectaſſe potentiam negociandi, quam credidit te habere tempore quo licentiam conceſſit, non potentiam,quam ſucceſſu temporis eſſes habiturus.

4. Nihilominus dicendum eſt, te obligatum eſſe regulariter ſub graui culpa ad religionem redire,ſi firmiter mutes propoſitum ingrediendi, vel certò cognoſcas in ea religione admittendum non eſſe tametſi diligentiſſimè procures. Quia iis poſitis inutilis, & fruſtranea eſt negociatio; at licentia conceſſa eſt ob ſpem vtilis,& fructuoſæ negotiationi non ſolum quæ adſit tempore negotiationis:ſed quæ comitetur licentiam,dum ipſa durauerit. Ergo ceſſante ea ſpe ceſſat licentia. Aliàs liceret religioſo eſſe extra clauſtrum nulla neceſſitate, vel vtilitate intercedente,quod non eſt dicendum: & ita ſuſtinet Suar. *dicto.tom.4.de relig. tr.8.lib.3.c. 12. n. 29.* Et per hæc ſatisfactum eſt rationi dubitandi.

5. Tertia difficultas eſt, an Societas ex cuius libentia Carthuſiam, vel aliam religionem ingreſſus es teneatur te redeuntem recipere; Breuiter reſpondeo, ſi profeſſionem feciſti, nec teneri, nec poſſe; quia ea profeſſione Societatis profeſſio extincta fuit. At ſi ante profeſſionem factam redeas omnino obligata eſt te recipere; quia verus religioſus Societatis es, à qua non es abſolutè dimiſſus, vt ſuppono, ſed dimiſſus ſolum, vt aliam religionem probes. Qua probata, & repulſa ad priſtinam obligaris ſub pœna excommunicationis reſeruatæ redire. Ergo ipſa religio obligationem habet te recipiendi. Adde Societatem non ceſſiſſe, nec cedere potuiſſe iuri te gubernandi, alendi, & retinendi niſi ſub conditione, quod in alia religione profitearis. Ergo te non profitente ceſſat facultas data, & obligatur te redeuntem recipere & nolentem reuocare. Sylueſt. verb. *religio.4.q.5.* Greg. Lopez. *leg.9.* verbo *à otras ti .7.part.* 1. Sanch. lib. *6.* ſum. *cap.7.num.*104. Suar. *t.4 de relig. tr.8.lib.* 3. *c.12.n.30.* Verum ſi nulla requiſita licentia, vel ea ſubreptitiè, & fraudulenter obtenta religionem ſtrictiorem, vel laxiorem ingrediaris, cum ille ingreſſus nullus ſit, teneris ſine mora ad priſtinam religionem redire, eaque religio obligata eſt te admittere, iuxta *cap. ſin de Regul.* puniendum tamen pro qualitate culpæ: ſic Sanch. *dicto c. 7.n.* 105. Excipe, niſi ex illa culpa, & aliis à te commiſſis ſufficientem dimiſſioni cauſam dederis ſpectatis illius religionis conſtitutionibus. Dimiſſus autem, ſeu repulſus à priori religione ad poſteriorem etiamſi laxior ſit, redire potes, eſto non teneatis; quia tunc ex poteſtate à iure conceſſa redis, ratificare tamen debes profeſſionem, eo quod nulla extitit. Sanch. *dicto c.7.n.106.*

6. Quarta difficultas eſt; an religio ad quam ex facultate legitima tranſis te recipere poſſit animo concedendi licentiam, vt extra clauſtrum perpetuò, vel per multos annos maneas? Breuiter reſpondeo, id abſolutè fieri non poſſe. Tum quia eſt irrationabilis conceſſio, & contra bonum religionis, & etiam ſubditi, cui occaſio vagandi datur,& multis periculis exponitur. Tum quia is modus recipendi prohibitus eſt à Trid. *ſeſſ.* 14. *c.*11 dicente: Nemo cuiuſcunque ordinis prælatus, vel ſuperior vigore cuiuſcunque facultatis aliquem ad habitum & profeſſionem admittere poſſit niſi in ordine ipſo ad quem tranſfertur ſub ſui ſuperioris obedientia in clauſtro perpetuò maneat. Verum ſi cauſa aliqua grauis exiſteret, qua prælatus poſſet aliis eiuſdem ordinis licentiam concedere manendi extra clauſtrum aliquo longo tempore, non peccaret, neque contra Concilium procederet,qui animo concedendi eam licentiam te reciperet. Quia reciperis ſub intentione licentiæ honeſtæ,& legitimæ concedendę Neque id eſt contra Concilium;quia Concilium non intendit nouum ius conſtituere legitimas licentias prohibendo, ſed intendit occaſionem vagandi tollere,licentias irrationabiles manendi extra clauſtrum intercedendo. Atque ita ſuſtinet. Nauarr. *com.4. de regul.n.11. & 12.* Sanch. *lib. 6. ſum.cap.7.n.82.& ſeqq.* Man. *t.3.regul.quæſt.q.53.art.4.*

7. Quinta, & grauior difficultas eſt; an Generalis Societatis poſſit ſcholaribus,& profeſſis permittere tranſitum in quamlibet aliam religionem etiam laxiorem? Non dubium, hunc tranſitum permittere poſſe comparatione illorum. qui ob ſua delicta digni ſunt, vt à religione expellantur, quia id expreſsè dicſum eſt à Greg. XIII. in bulla,quæ incipit,*cum aliàs.* Quare difficultas ſolum eſt, an etiam comparatione illorum, qui culpas expulſione dignas non commiſerunt;quique à Societate dignè,& iuſtè retinentur, poſſit Præpoſitus Generalis facultatem concedere ad laxiorem religionem tranſeundi? Negat Suar. *t.4.* de relig. *tr.8.lib.3:c.12.à n.38.& ſeqq.* Mouetur,quia tranſitus ex mendicantibus ad quamlibet religionem monachalem(Carthuſia excepta) prohibitus eſt abſque licentia Pontificis in *extraua. viam. ambitioſæ de Regularib.* Tranſitus vero ad religionem laxiorem cauetur à Trid. *ſeſſ. 14. c. 11.* ne fiat cuiuſcunque facultatis vigore. At aduerſus has prohibitiones Præpoſito Generali non eſt ſpeciale priuilegium conceſsũ. Ergo nequit ſuis ſubditis profeſſis concedere tranſitum ad religionem laxiorem. Minorem probo quia Paulus III. Pius IV.& Pius V. ſolum in conſtitutionibus ſuis interdixerunt,ne vllus ex Societate ad quamlibet aliam religionem (Carthuſia excepta) tranſiret niſi de licentia Sedis Apoſtolicæ vel Generalis Præpoſiti. Sed ex hoc interdicto non infertur Præpoſitum Generalem poſſe concedere licentiam ad laxiorem, ſed ad ſummum poſſe concedere ad eam religionem, ad quam ſpectato iure communi concedere poteſt ſcilicet ſtrictiorem. Nam verba in conſtitutione poſita explicanda ſunt iuxta commune ius,ita vt quoad minus fieri poſſit, illud lædant. Igitur excipiuntur Pontifex, & Generalis Præpoſitus iuxta poteſtatem, quam ſpectato iure communi vnuſquiſque habet, vt ſcilicet nullus è Societate poſſit tranſire ad religionem quamcũque ſine Pontificis, vel Præpoſiti Generalis licentia; ſine inquam Pontificis ad monachalem, vel laxiorem;ſine licentia Præpoſiti Generalis ad æqualem, vel ſtrictiorem. Ergo ex his conſtitutionibus non habet Præpoſitus Generalis poteſtatem concedendi licentiam ad religionem laxiorem. Ex bulla autem Greg XIII. incipiente,*cum aliàs* eam poteſtatem non habet. Quod ſic probo. Nam ea bulla, vt conſtat ex ipſius proœmio expedita fuit ad decidendum dubium ortum ex conceſſione Pauli III. Pij IV.& Pij V. nempe an Præpoſitus Generalis valeret etiam profeſſos ex cauſis id exigentibus ab ipſa Societate emittere,aut eis ſic emiſſis liberum ſit,de eius licentia ſe ad quemuis alium mendicantium, vel non mendicantium ordinem transferre. Qua dubitatione poſita inquit Greg. Nos re perpenſa, atque diligenter examinata Societatis ipſius prioritati, atque incremento, emiſſorumque pro tempore ſaluti conſulere volentes ſtatuimus, vt deinceps in perpetuum liceat dicto Præpoſito, quos iudicauerit ab ipſa Societate emittere, eoſque de ipſius prælati licentia non tantum ad Carthuſienſium,ſed ad quemuis alium mendicantium, vel non mendicantium paris,laxioris,aut arctioris obſeruantiæ ordinem per ipſum Præpoſitum illis præſcribendum, de conſenſu tamen ſuperioris loci illius quò deſtinabuntur demigrare in eiſque profeſſionem per loci illius monachos,aliósque regulares eiuſdem emitti ſolitam,emittere,habitumque ſuſcipere, & conſueta vti eorum diſciplina. Ex quibus verbis ſolum conceditur Præpoſito facultas permittendi tranſitum ad laxiorem iis, quos emittere è Societate iudicauerit. At iudicare non poteſt aliquem ex profeſſis emitti debere, niſi graues culpas dignas emiſſione commiſerit. Ergo ex huiuſmodi bulla Præpoſitus Generalis facultatem non habet concedendi licentiam in laxiorem religionem tranſeundi iis, qui cum tranſitum appetunt, eo quod Societatis miniſteriis non ita habiles exiſtant; vel ex eo quod ſperant in alia religione maiorem ſpiritualem profectum habituros, vel ob alias ſimiles cauſas. Et confirmo ex ratione, qua mouetur Pontifex ad hanc conceſſionem faciendam, quæ eſt Societatis puritati & illius incremento, & emiſſorum ſaluti conſulere. Sed ad hunc finem ſola illorum dimiſſio pertinere poteſt, qui exiſtentes in Societate delinquunt; quia ij ſuis culpis Societatis puritati, & illius incremento obſtant,

stant, ſibique nocent. Ergo pro his tantum, & non pro profeſſis probis, & vtilibus facultas conceſſa eſt. Quod ſi dicas, inde inferri nullum ſpeciale priuilegium Societati concedi. Nam poſſe profeſſis, expulſione dignis dari facultatem ad quamlibet etiam laxiorem religionem tranſeundi quælibet habet religio, imo ipſemet religioſus dimiſſus eam poteſtatem habet; cum ergo Pontifex in hac bulla priuilegium concedat Societati, cuius communicationem aliis religionibus interdixit, aſſerendum eſt, aliquid ſpeciale concedi, atque adeo extendi non ſolum ad profeſſos expulſione dignos, ſed etiam ad quoſcunque alios. Reſpondet Suar. *dicto c.12.n.42.* id ſpeciale in Societate concedi, vt ex leuioribus cauſis, modò puritati, & incremento Societatis obſtent, dimitti profeſſus poſſit, optione data tranſeundi ad aliam religionem determinatam etiam laxiorem. Deinde reſpondet, illud priuilegium Societati concedi ad dubitationem ſubortam tollendam, non quia neceſſarium foret.

8. Nihilominus verius exiſtimo ex ſupradicta bulla Præpoſitum Generalem habere priuilegium concedendi tranſitum etiam ad laxiorem religionem omnibus è Societate profeſſis, quamuis nulla delicta commiſerint neque expulſione digni ſint ſic docet Sanch. lib. 6. ſum. *c.7. n.§8. in fine, & n.71. Suar.* ſibi contrarius *t.4. de relig. tr. 10. lib. 11. c. 2. per totum.* Moueor quia Greg. XIII. volens conſulere Societatis puritati, atque incremento, emiſſorumque ſaluti, priuilegium Præpoſito Generali conceſſit, vt quos iudicauerit ab ipſa Societate emittere, tum ob Societatis puritatem, tum ob eius incrementum, tum ob emiſſorum ſalutem, tranſitum ad quancunque religionem concedat. Sed ad Societatis puritatem, & ad illius incrementum, & præcipuè ad emiſſorum ſalutem non ſolum pertinet concedere tranſitum iis, qui ob ſua ſcelera, & peccata digni ſunt expulſione, ſed etiam iis, qui minora delicta committunt. Item qui minus apti, & habiles miniſteriis Societatis inueniuntur, ac denique qui ſperant maiorem conſolationem, & ſpiritualem profectum in alia religione habituri. Ergo de his omnibus iudicare poterit Præpoſitus Generalis expediens eſſe illos volentes emittere è Societate non vt in ſæculo vitam degant, ſed vt in alia religione, quam ipſe Præpoſitus Generalis præſcripſerit, perſeuerent: Igitur vt hoc iudicium executioni mandari poſſet, Greg. XIII. dictum priuilegium conceſſit. Deinde, vt ſuperius argumentabamur, Greg. ſpeciale priuilegium Societati conceſſit, quod noluit aliis religionibus communicari. At ſi ſolum extenderetur ad religioſos expulſos nullum ſpeciale eſſet, cum quælibet religio ius habeat permittendi ſuis expulſis in quamlibet religionem tranſire; imo ipſi etiam renuente religione hanc facultatem habent. Neque valet dicere id eſſe ſpeciale Societatis, vt ex leuioribus cauſis expellere profeſſos poſſit; quia id eſſet priuilegium ad expellendum, non ad concedendum tranſitum in aliam religionem. Greg. autem non agit ibi de cauſis expulſionis, ſed ſupponens ex cauſis exigentibus poſſe profeſſos dimitti, concedit Præpoſito Generali facultatem permittendi tranſitum in aliam quamlibet religionem quibuſuis profeſſis, quos iudicauerit à ſe in aliam religionem emittere. Emittere inquam non tantum tenuentes in pœnam delicti commiſſi, ſed volentes, & dimiſſionem petentes ob aliquem honeſtum finem; & hoc eſt priuilegium ſpeciale Societati conceſſum, quo cæteræ religiones non gaudent.

9. Sed inquires, an Societas poſſit modum Generali præpoſito præſcribere vtendi hoc priuilegio v. g. ne illo vtatur abſque conſilio, vel conſenſu ſuorum aſſiſtentium, vel abſque hac, vel illa cauſa intercedente? Qua in re credo diſtinguendum eſſe de licito vſu, vel valido. Et quoad validum vſum omnino certum exiſtimo, non poſſe à Societate modum alium Præpoſito præſcribi hoc priuilegio vtendi præter deſignatum à Pontifice: quia illud priuilegium non à Societate habet Præpoſitus, ſed à Pontifice. A Pontifice conceſſum eſt abſque vllius conſenſu, vel conſilio, & abſque vllius cauſæ determinatione. Nequit ergo ſocietas, quæ Pontifice inferior eſt priuilegium illud limitare, vel coarctare: & ita ſuſtinet Suar. *t.4. de relig. tr. 10. lib. 11. c. 2. n. 12.* Si verò loquamur de licito vſu, alicui nec improbabiliter videbitur poſſe à Societate præſcribi modum illo priuilegio vtendi. Nam ex hoc præſcripto non diminuitur priuilegium, nec coarctatur, ſed ſignatur modus ſeruandus in illis vſu. Cum autem modus ſupradictus non ſit contrarius priuilegio, ſed fortè expediens ad illius maturiorem, & prudentiorem vſum; quæ cauſa eſſe poteſt, quominus ſocietas, quæ Præpoſito Generali ſuperior eſt, poſſit Præpoſito Generali eum modum ſeruandum ex obedientia præſcribere?

10. Rurſus dubitabis, an alius à Præpoſito Generali poſſit profeſſis concedere tranſitum in aliam religionem? Certum eſt Prouinciales eam facultatem non habere niſi communicatam à Præpoſito Generali, quam raro expedit communicari eo inconſulto. Solum de congregatione generali, quæ totam Societatem repræſentat, & de vicario Generali eſt dubium; an poſſint viuente Generali, vel eo mortuo aliquem profeſſum è Societate dimittere, vel in ſæculum, vel ad laxiorem religionem. Et quod attinet ad Congregationem Generalem verius ſenſeo viuente Generali non poſſe. Quia illud priuilegium non Societati, ſed Præpoſito Generali ob eius officium, & dignitatem conceſſum eſt, & licet Præpoſitus Generalis Societati ſubordinetur, non inde infertur priuilegium Præpoſito conceſſum Societati conceſſum eſſe. Ad ſummum ex illa ſubordinatione infertur, quod poſſit Societas Præpoſitum Generalem aſtringere ad dimittendum, quem ipſa dimittendum eſſe iudicauerit. Neque obſtat hoc priuilegium Præpoſito Generali eſſe conceſſum in bonum Societatis; vt inde inferas Societati eſſe principaliter conceſſum: quia aliud finis eſt, aliud medium. Finis illius priuilegij eſt bonum Societatis. Sed medium eſt conceſſio facta non ſocietati, ſed Generali Præpoſito penes quem eſt totum regimen Societatis. At mortuo Generali credo probabilius congregationem Generalem hanc facultatem habere; eo quod Generalem Præpoſitum repræſentet, & in eius locum ſuccedat. Commune enim eſt iuriſdictionem conceſſam Epiſcopo ratione dignitatis deriuari in capitulum ſede vacante. Securius tamen erit, vt notat Suar. *t.4. de relig. tr. 10. lib. c. 2. in fine*, ea non vti quouſque Præpoſitus Generalis eligatur, & eius iudicio, & auctoritate. Quocirca ſi aliquo caſu (quod abſit) iudicaretur Præpoſitus Generalis à Societate expellendus iuxta ea, quæ dicuntur *9. p. conſtit. c. 5. §. 3.* prius à congregatione Generali eſſet ab officio remouendus, deinde eligendus nouus Generalis cuius authoritate, & iudicio ſimul cum iudicio congregationis expulſio facienda eſſet. Suar. *ſuprà.* De vicario Generali electo ad tempus, vel ab ipſo Generali Præpoſito, vel à Societate ob Præpoſiti ad regimen inhabilitatem, vel de vicario Generali per mortem Generalis conſtituto aliter videbatur dicendum, per ſe inquam poteſtatem habere emittendi è Societate profeſſos, quia Præpoſiti Generalis authoritate fungitur, & in eius locum ſuccedit iuxta ea quæ dicuntur *8. pun. conſtit. cap. 4. & 5.* At hoc priuilegium Præpoſito Generali ob eius officium conceſſum eſt; ergo competit eius locum tenenti, & iuriſdictionem habenti. Nunquam tamen vicarius ob mortem Generalis conſtitutus hac poteſtate vtitur, aut vti poteſt, ſed noui Generalis electionem expectat; quia cum res ſit ita grauis, expedit Præpoſiti Generalis authoritate expediri, vi dicitur in *congregatione 3. generali in fine*, vbi de authoritate vicarij.

11. Denique dubitabis, an Præpoſitus Generalis teneatur tibi concedere tranſitum in aliam religionem maximè Carthuſiam præcipuè ſi in eam ingreſſus defeciſti? Reſpondeo rarò eam obligationem habere: nam vel illam habere poteſt; ex eo quod exiſtimet religionem, quàm petis, eſſe Societate abſolutè perfectiorem, & ſtrictiorem, & hoc non; nam eſto ſocietas ab aliquibus religionibus in corporalibus aſperitatibus ſuperetur. At in obſeruatione caſtitatis, paupertatis & obedientiæ, & continua paſſionum mortificatione à nulla ſuperatur, vt latè, & optimè probat. Suar. *t. 4. de relig. tr. 10. lib. 1. c. 9. per totum*, ac proinde Prælatus nullam tenetur iudicare abſolutè perfectiorem, & ſtrictiorem. Ex eo autem quod petita religio ſperetur tibi fore fructuoſior, raro hæc obligatio naſci poteſt. Tum quia rarò hæc ſpes concipitur, ſupponendo religionem perfectiorem non eſſe. Et eſto hanc ſpem concedamus, adhuc non tenetur Prælatus tibi licentiam concedere, ſi Societati vtilis, & fructuoſus exiſtas; quia bonum religionis tuæ ſingulari vtilitati præferendum eſt. Quocirca niſi daremus te Societatis inſtituto inutilem eſſe ſperarique fore vtilem alterius religionis inſtituto, credo Præpoſitum Generalem obligatum non eſſe tibi tranſitum concedere. Suar. *t.4. de relig. tr.8. lib.3. c.12. n.7. & 13.*

PVNCTVM XXVII.

Quæ prohibeantur religioſo etiam legitimè in aliam religionem tranſlato.

SVMMARIVM.

1 *Tranſlatus in aliam religionem etiam arctiorem (eſto canonicus regularis ſit) redditur incapax cuiuſcumque ſæcularis beneficij curati.*

2 *Apponitur ſecundus & tertius caſus inhabilitatis. Et ratio redditur.*

3 *Perſonæ, aduerſus quas hæc inhabilitas fertur, ſunt mendicantes, quia verè mendicantes ſunt in ordinem non mendicantium tranſlati.*

4 *Aſſumptus ex ordine mendicantium ad Epiſcopatum, ſi Epiſcopatu depoſito in ordinem non mendicantium transferatur conſtitutione Gregoriana comprehenditur.*

5 *Enumeratur 1. & 2. pœna lata aduerſus mendicantes tranſlatos, vel transferendos in non mendicantes.*

6 *An ſic tranſlati, qui in cathedrali, vel collegiata Eccleſia obtinerent adminiſtrationem, prioratū, &c. priuentur*

voce, & loco in eo capitulo? Probabilius eſt non priuari.

7 *Qualiter intelligatur obtinentes in non mendicantibus adminiſtrationem priuari poſſe voce, & loco in capitulo.*

8 *Enumeratur, 3. pœna.*

9 *Hæc pœna afficiuntur non ſolùm ad munera, & officia intra Religionem, ſed etiam extrà exercenda, tamen ſolita ſint per Religioſos non mendicantes exerceri.*

10 *Non retinent in poſteriori Religione locum, quem in priori habebant, ſed eum qui ſibi competit iuxta poſterioris profeſſionis antiquitatem.*

6. PRimo tranſlatus in aliam religionem etiam arctiorem (eſto canonicus regularis ſit) redditur incapax cuiuſcunque ſæcularis beneficij curati: Sic habetur in Trident. *ſeſſ. 14. cap. 11. de reformat.* Verùm eſt tamen quoſcunque regulares incapaces eſſe cuiuſuis beneficij ſæcularis, vt *tract. de benefic. diſp. 1. pun. 3. §. 1.* diximus. At regulares tranſlati ex duplici capite hanc habent inhabilitatem, primo ex eo, quoc regulares ſint, ſecundò ex eo, quod in aliam ſint Religionem tranſlati.

2. Secundò regularis tranſlatus ex ordine mendicantium ad non mendicantium etiam ex facultate Pontificis, quamuis eo tempore, quo hæc conſtitutio promulgatur, prioratus, adminiſtrationes, vel officia, aut curam animarum, vel regimen quodcunque obtineat, inibi carere debet voce & loco, in Capitulo, etiamſi ab aliis ſibi liberè concedatur. Tertiò fit inhabilis ad prioratus, adminiſtrationes, & ad alia quæcunque officia etiam tanquam Vicarius, ſeu miniſter, vel locum aliorum tenens; & ad omnem animarum curam, & regimen pro ſe, vel pro aliis exercendum. Et quidquid in contrarium tentatum fuerit, irritum decernitur, & mane: Sic habetur *Clem. 1. vt profeſſores de Regularib.* Finis, ſeu cauſa huius prohibitionis fuit, vt profeſſores ordinum mendicantium libentius in qua vocati ſunt, vocatione perſiſterent, tranſeunteſque ad non mendicantium Ordinem in eodem conuerſari quietius ſtuderent, quo in ipſis diſcordiarum, ſchiſmatum productiua ambitio reprimeretur.

3. Perſonæ aduerſus quas lata eſt conſtitutio ſunt mendicantes, qui verè mendicantes ſunt ex inſtituto à Pontifice approbato, quales ſunt Dominicani, Franciſcani, Auguſtiniani, Carmelitæ, Minimi, Trinitati, Mercenarij, ac denique Ieſuitæ non ſolùm profeſſi, ſed etiam ſcholares dominium bonorum habentes, vt expreſsè declarauit Pius V. in Bulla edita anno 1571. quæ incipit *dum indefeſſæ.* Idemque confirmauit Gregor. in alia Bulla edita anno 1582. quæ incipit *Quanto fructuoſius, & in Bulla*, quæ incipit *Aſcendente Domino, edita anno 1584.* aduersès inquam hos mendicantes in ordinem non mendicantium tranſlatus hæc conſtitutio fertur, & prædictæ pœnæ ſtatuuntur. Quare ſi mendicans in Ordinem alium mendicantem transferatur, vel ex non mendicanti ad mendicantem regrediatur ſupradictis pœnis non afficitur; quia hæ pœnæ tantùm in mendicantes tranſlatos in non mendicantes durante tranſlatione locum habent: Sic Bonifac. *dicta Clement. n. 85.* quem refert, & ſequitur Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 7. num. 118.*

4. Solum eſt dubium; an aſſumptus ex ordine mendicantium ad Epiſcopatum, ſi Epiſcopatu depoſito in ordinem non mendicantium ex Pontificia facultate transferatur, comprehendatur hac conſtitutione. Videtur non comprehendi; quia hæc conſtitutio fertur, ne mendicantes paupertatis Ordinem deſerant, ſed libentius in eo perſiſtant; at mendicans conſtitutus Epiſcopus mendicitatem excluſit; ergo illum conſtitutio non comprehendit: & ita ſuſtinet Bonifac *dicta Clement. n. 84. & 83.* Cæterum verius cenſeo cum Sanch. *dicto lib. 6. ſum. cap. 7. num. 119.* ſub dicta conſtitutione comprehendi, quia ob Epiſcopatum non amiſit regularis mendicans ſtatum mendicitatis, tametſi eius exercitium ſuſpenſum ſit; atque adeò verùm eſt in vocatione mendicanti non perſiſtere, ſed ex illa in non mendicantem tranſire. Comprehenditur ergo ſub conſtitutione lata aduersùs quoſlibet mendicantes, qui ad non mendicantium ordines tranſierint.

5. Prima pœna lata aduersùs mendicantes tranſlatos in non mendicantes eſt priuatio vocis, ſubintellige tam actiuæ, quàm paſſiuæ; quia textus generaliter loquitur. Sic. Nauarr *comm. 4. de Regularib. n. 24.* Sanch *dicto cap. 7. n. 120.* Secunda eſt priuatio loci in capitulo honorifico, qualis habetur pro electionibus & tractatibus: ſecus in capitulo ad correctionem, & diſciplinam Religioſorum congregato; quia æquum non erat ab hoc Capitulo, quod in bonum tùm Religionis, tùm Religioſorum ordinatur, Religioſum excludere: loco autem in choro, aliiſque Congregationibus præter Capitulum non priuantur ij tranſlati, quia textus ſolùm expreſſit locum in Capitulo, & pœnæ extendendæ non ſunt. Rurſus hæ pœnæ afficiunt non ſolum eos, qui tempore illius conſtitutionis ex mendicantibus ad non mendicantes tranſlati erant, ſed eos, qui ſucceſſu temporis tranſierint, vt ex illis verbis Textus, *tranſibunt in poſterum, quive hactenus tranſierunt.* De quibus vltimis dicitur, quamuis nunc prioratus, adminiſtrationes, vel officia, aut curam animarum, vel regimen quodcunque obtineant *inibi* vocem, & locum in Capitulo non habere, etiam ſi hoc ſibi ab aliis liberè concedatur.

6. Circa quæ verba duplicem dubitationem mouet Gloſſa verbo *inibi.* Prima, an priuentur voce, & loco in Capitulo, qui in Cathedrali, vel collegiata Eccleſia obtinerent adminiſtrationem, prioratum, aut regimen quodcunque? Cui dubitationi reſpondet Gloſſa pendere ex punctuatione illius aduerbij *inibi.* Si enim poſt illud aduerbium punctuatio apponatur; vocem, & locum in Capitulo in Collegiata, vel Cathedrali Eccleſia obtinebunt: quia ea punctuatione facta non comprehenduntur qui eo tempore prioratus, & adminiſtrationes, aut regimen aliquod haberent extrà non mendicantium ordinem, ſed ſolum ij, qui inibi; ſcilicet in non mendicantibus ordinibus prioratus, officia, & adminiſtrationes obtinerent, & ſic eſſe apponendam punctuationem placuit Gloſſa *ibi*, & Bonifac. *n. 60* Immola *n. 12.* & aliis, quos refert, & ſequitur Sanch. *lib. 6. cap. 7. n. 121.* At ſi punctuatio ante aduerbium inibi apponatur, manifeſtè infertur priuari voce, & loco in Capitulo eos non mendicantes, qui in Eccleſia ſæculari officia, regimen, vel adminiſtrationem haberent. Quia tunc præſtat hunc ſenſum conſtitutio: Translati ex mendicantibus ad non mendicantes, quamuis eo tempore quo expeditur conſtitutio habeant prioratus, adminiſtrationes, & officia inibi, id eſt vbi tales prioratus, & adminiſtrationes obtinent, vocem aut locum in Capitulo non habeant, & hunc ſenſum approbat Cardin. *num. 5. oppoſit. 3.* Quilibet ex his ſenſibus eſt probabilis, ſed prior probabilior, quia correctiores codices punctuationem poſt aduerbium inbi apponunt.

7. Secunda difficultas, & grauior; quam mouet Gloſſa eſt, qua ratione obtinentes in non mendicantibus adminiſtrationem, prioratum, & regimen voce, & loco in Capitulo priuari poſſint, cum ſæpè ex conſenſu Prælati negotia expedienda ſint. Nam ſi dicas tunc eſſe expedienda, ac ſi ſedes vacaret, obſtat; quia vacante ſede eſt expreſſum qualiter negotia expediri debeant, quod tamen non eſt in præſenti. Præterea ſedes vacat breui tempore, at ſupradicti non mendicantes poſſunt longiſſimo tempore Prælaturam habere. Quocirca reſpondet Gloſſa, & Doctores communiter non eſſe iis Prælatis vocem, & locum in capitulo Conuentus interdictum; benè tamen in Capitulo Generali, vel Prouinciali. Secundò reſpondet non eſſe intelligendum de Prelatis totius Conuentus, ſed de aliis inferioribus, & ſubordinatis, quorum conſenſus ad grauia monaſterij negotia expedienda neceſſarius non eſt. His conſentit Immola, Cardin. & Achartan. quos refert. & ſequitur Sanch. *dicto lib. 6. ſum. cap. 7. num. 122.*

8. Tertia pœna eſt inhabiles ſic tranſeuntes reddere ad prioratus, adminiſtrationes, officia quæcunque, &c. etiam tanquam Vicarios, & locum aliorum tenentes. Nomine prioratus, adminiſtrationum, officiorum, &c. intelliguntur illi prioratus, adminiſtrationes, & officia, quæ frequenter, & communiter à Religioſis non mendicantibus exercentur, vt ſatis indicat textus, illo aduerbio *in antea* & tradit Nauarr. *com. 4. de Regularib. n. 24.* Quocirca nec poſſunt eſſe Prædicatores, & Lectores ex officio, neque œconomi, neque oſtiarij, neque Sacriſtæ, neque Syndici. Nam licèt aliqua ex his officiis onerosa ſint, honorem ſecum portant, & à multis Religioſis appetuntur, & à nemine libenter admittitur eſſe illis priuatum.

9. Ex his deciditur; an ſub hac prohibitione comprehendantur prioratus, adminiſtrationes, officia, & regimina extra Religionem, vel ſolùm quæ intra Religionem exercentur? Et dicendum eſt, ſi illa officia, & munera extra Religionem ſolita ſint per Religioſos non mendicantes exerceri, credo verius ſub dicta prohibitione comprehendi. Tum quia textus generalibus verbis vſus eſt officia extra, & intra Religionem comprehendentibus. Tum præcipuè, quia ex illorum munerum aſſumptione diſcordiæ, & ſchiſmata orientur. Nam vt bene dicit Gloſſa, Religioſi qui primo intrauerunt ordinem, ſi viderent iſtos Religioſos, qui venerunt de alia Religione aſſumere beneficia, & adminiſtrationes ſibi competentia ipſi ſibi inuiderent, & ex illa inuidia orientur multa alia inconuenientia: ad quæ vitanda ſupradicta conſtitutio expedita fuit.

10. Quaria pœna enumerari poſſet priuatio loci honorifici, quem ob ſuam antiquitatem in priori Religione ſupradicti obtinebant; quem tamen non retinent in poſteriori Religione, ſed iuxta poſterioris profeſſionis antiquitatem. Sed hæc non eſt pœna, ſed quid neceſſario conſequens ex eo quod prior profeſſio extinguatur, & noua ſuccedat. Locus enim honorificus profeſſionis antiquitatem conſequitur; cum ergo prior profeſſio extincta ſit, & noua ſucceſſerit, locus habendus eſt iuxta antiquitatem non prioris, ſeu poſterioris profeſſionis: Sic Nauar. *lib. 3. conſil. tit. de Regularib. conſil. 60 aliàs lib. 1. tit. de maiorit. & obedient. conſ. 11.* Man *quæſt. Regul. t. 3. q. 52. art. 29.* Sanch. *lib. 6 ſum. c. 7. n. 86.* Ab hac doctrina excipitur.

tranſlatus

translatus in aliam Religionem, vt sit Prælatus, qui finito officio sedere debet post Prælatum in memorum pristinæ dignitatis, nisi alij essent Prælati antiquiores. Sic Nauarr. Man. Rodr. & Sanch. *suprà*.

DISPVTATIO V.

De obligationibus, & votis statui Religioso annexis, illorumque relaxatione.

NVLLA ferè est Religio quæ vltra tria vota substantialia castitatis, paupertatis, & obedientiæ alia vota non emittat, quæque aliis obligationibus suos Religiosos non astringat. Ea omnia sigillatim percurrere nostrum non est: cuilibet namque Religioni sua vota, & obligationes examinanda relinquimus; quia eorum obligatio multum ex vsu, & consuetudine pendet. Nobis sufficiat singularia vota, & obligationes sanctissimæ Societatis Iesv expendere, vt illis satisfacientes finem propositum consequamur.

PVNCTVM I.

Expenditur obligatio tribus substantialibus votis annexa ingrediendi Societatem.

SVMMARIVM.

1 *Obligationem votis substantialibus annexam contrahunt scholares, & coadiutores non formati, cum promittunt se Societatem ingredi, vt in ea perpetuò vitam degant.*

2 *Materia huius voti est professionem, vel vota coadiutorum formatorum emittere, prout Societati placuerit.*

3 *Hæc materia digna voto est; quia gradus professorum, & coadiutorum formatorum perfectior est quam gradus scholaris, & coadiutoris non formari.*

4 *Quoties superior designat tibi gradum absolutè, & efficaci voluntate, teneris acceptare ex vi quarti voti.*

5 *An pecces contra votum, si superior mutet, vel suspendat absolutam te obligandi voluntatem ob repugnantiam, quam habes in suscipiendo gradu coadiutoris formati, vel alia de causa.*

6 *Proponitur negatiua sententia. Verior est affirmatiua, & satisfit rationibus contrariis.*

7 *An recepto gradu coadiutoris formati obligari possit ex supradicto voto ad recipiendum gradum professi, vel è contra? De vltimo certum est te non posse obligari. Quoad primum probabiliter affirmat Suarez. Sed probabilior est negatiua sententia.*

1. PRimam obligationem votis substantialibus annexam contrahunt scholares, & coadiutores non formati emittentes in Societate vota simplicia: ij enim simul promittunt se Societatem ingressuros, vt vitam in ea perpetuò degant promissionem hanc intelligendo iuxta ipsius Societatis constitutiones. Hæc igitur promissio votum est, quia fit diuinæ maiestati, vt constat ex formula, qua emittitur, quæ sic se habet: Ergo, N. voueo coram sacratissima Virgine Maria, & curia cœlesti vniuersa, Diuinæ maiestati tuæ castitatem, paupertatem, & obedientiam perpetuam in Societate Iesv, & promitto eandem Societatem me ingressurum, vt vitam in ea perpetuò degam omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis constitutiones. In omni enim promissione prudenti, & cordata exprimenda est persona, cui fit promissio: cum ergo in hac promissione nulla alia exprimatur præter diuinam majestatem, ipsi fit ea promissio. Ergo est votum; quia votum est promissio Deo facta de meliori bono. Præterea ex illa dictione & quæ est copulatiua, & habet vim coniungendi præcedentia cum subsequentibus, manifestè fit eidem fieri promissionem ingrediendi Societatem, cui fit votum castitatis, paupertatis, & obedientiæ: at illa vota fiunt diuinæ majestati. Ergo etiam promissio ingrediendi Societatem diuinæ maiestati fit. Ergo est votum. Et ita declarauit Congregat. V. Generalis *decret. 3. & can. 2.* Neque obstat, illam obligationem sub nomine promissionis, & non sub nomine voti exprimi; quia id factum est, vt intelligeretur esse obligationem distinctam à tribus votis præcedentibus, neque ad constituendum statum Religiosorum scholarium formaliter pertinere, sed solum esse ei annexam, & accessoriam.

2. Materia huius voti est professionem, vel vota coadiutorum formatorum emittere, prout Societati placuerit, vt dicitur, *cap. 7. exam. §. 1. & 5. punct. constitut. cap. 4. litt. E*, & declarauit Congregatio V. *general. decreto 3. can. 2.* ibi. Quo (scilicet voto) quis se obligat ad acceptandum gradum professorum, vel coadiutorum formatorum, provt Præposito ad maius Dei obsequium fore videbitur. Non se obligat ad procurandum aliquem ex his gradibus; quia ea procuratio nec decebat Religiosi humilitatem, & obedientiam, nec Religionis pacem. Ad quæ remouenda conuentius est, vt quilibet sui immemor curam in hac parte superioribus relinquat procurans in eo gradu in quo constitutus est se perfectum exhibere. Sed ex vi illius voti solùm se obligat ad acceptandum dictum gradum, si ita Proposito Generali visum fuerit, vt expresè dicitur *5. part. constitut. cap. 4. §. 5.* ibi postquam aliquis in corpus Societatis cooptatus fuerit in aliquo gradu ad aliud progredi curare non debet, sed in suo perfici, & obsequio Dei, & gloriæ sese impendere, ac superiori, qui scilicet Christi Domini nostri vices gerit curam aliorum omnium relinquere. Verùm etsi hoc ita sit, nemo impeditur superiori proponere debita eum humilitate, & submissione, quæ in animo versantur, quæque occurrunt pro gradu suscipiendo: vt habetur *dicto loco in declarat. lit. F*, maximè cum sibi persuasum habet, vel ob inaduertentiam, vel obliuionem, vel ob siniſtram informationem gradum superiorem non concedi, paratus tamen esse debet, vt id melius existimet, quod superiori loco melius videbitur.

3. His ergo positis probatur manifestè hanc materiam voto dignam esse: quia gradus professorum, & coadiutorum formatorum perfectior est, quam gradus scholaris, & coadiutoris non formati; quippè in professo, & coadiutore formato est obligatio ad plura, & paupertas strictior: ergo est materia digna voto. Ex alia parte erat maximè vtile, & ferè necessarium instituto Societatis, ciusque regimini? vt hæc materia sub votum caderet, nam cum in Societate ex approbatione Pontificia sint hi gradus diuersi, scholaris, coadiutoris non formati, & professi; graduſque scholaris, & coadiutoris non formati via sit, & dispositio ad gradum coadiutoris formati, vel professi, in quibus præcipua pars Societatis consistit, expediebat posse Societatem obligare scholares, & coadiutores non formatos, vt in gradum coadiutorum formatorum, vel professorum ingrederentur. Quod virtute obedientiæ præstare non poterant, nisi in principio eis esset propositum, & ab ipsis acceptatum: at hoc voto emisso & suauius & efficacius obligatio inducitur, & maiori cum fructu executioni mandatur.

4. Superest verò explicandum, qualiter Præpositus Generalis velle debeat te in gradum coadiutorum formatorum, vel professorum admittere, vt ex voto teneatis eius voluntati acquiescere? Optimè hoc explicuit *septima congregatio decreto 27.* aliàs *32.* Cum enim in quæstionem verteretur quid censendum de his esset, qui in cuiuscunque impositi à superioribus gradus susceptione difficiles se præbent, variisque excusationibus eorum voluntatem eludentes in annos sæpè plurimos, atque totam etiam vitam rem protrahunt, censuit congregatio omnes vt quarti voti in congregatione 5. explicati teneri superiori certum gradum imponenti obedire, ita tamen vt rationes Prouinciali, ac N. P. consueto Societatis more proponere possint, quas scripto censuit proponendas. Verùm superiori illis examinatis in sententia perseueranti, & certum gradum absolutè statuenti (licet non addat obedientiæ præceptum) teneri vnumquemque obedire, imperatumque gradum suscipere, vt si non fuerit obsequutus, censendus sit in malo statu esse, atque à Sacramentorum vsu, & administratione excludendus. Sed neque consultum putauit P. N. cum talibus dispensare, vt toto vitæ tempore sine certi gradus susceptione perseuerent, ne horum exemplo, alij cum graui Societatis damno paria imitentur, & audeant. Sed neque ad secundum examen admittendos, nisi rarius, & cum dubium aliquod de aptitudine intercessit. Quam rem vniuersa congregatio censuit P. N. commendandam. Hæc supradicto decreto, ex quibus manifestum est tunc esse obligationem acceptandi gradum à superiore designatum, quando absolutè, & efficaci voluntate tibi acceptandum proponitur; quia eo ipso impletur conditio; sub qua votum factum est. Notanter dixi quando absolutè, efficacique voluntate. Nam si conditionatè tantùm offeratur, vt contingit, cum gradus offertur, vt gratia, & beneficium Religionis, quod subditis præstat, transgressor voti non eris, gradum non admittens: quia non tibi absolutè offertur, sed sub imbibita conditione, si gratus tibi fuerit. Ex ipsa ergo obligationis serie, & ex circumstantiis facilè colliges, quo ex his modis gradus offeratur. Credo tamen absolutè offerri, quoties superior causa repulsæ examinata in oblatione persistit: indicat namque ea perseuerantia absolutè, & definitè velle te eum gradum accipere non tam ob gratiam tibi præstandam, quam ob Religionis bonum, & rectum illius regimen.

5. Sed quid si ob difficultatem, & repugnantiam, quam habes in suscipiendo gradu coadiutoris formati, & ob timorem,

quem Præpoſitus Generalis concepit te eſſe turbandum, & fortè periculo Religionis deferendæ exponendum, eo quod gradus profeſſorum denegetur, abſolutam voluntatem te obligandi mutet, vel ſuſpendat, peccabiſne contra hoc votum? Alicui videbitur te non peccaturum, quia votum eſt tantum de ſuſcipiendo gradu Præpoſito Generali id abſolutè ſtatuenti. At in ſupradicto caſu ſupponimus Præpoſitum Generalem non abſolutè ſtatuere, ſed potius abſolutum ſtatutum ſuſpendere, vel mutare. Ergo non peccas contra votum. Idipſum confirmatur ex illo *decreto* 27. aliàs 32. *Congreg.* 7. Vbi declarans congregatio, quando vi quarti voti teneatis gradum accipere dixit te teneri Præpoſito Generali examinatis excuſationis rationibus in ſententia perſiſtenti, & certum gradum abſolutè ſtatuenti obedire. Ergo à contrario quando examinatis rationibus à ſententia deſiſtit, & certum gradum abſolutè non ſtatuit, obligatus non eris. Nihilominus verius cenſeo te in ſupradicto caſu votum indirectè violaturum; eo quod iniquè, & iniuſtè, obliges ſuperiorem à voluntate abſoluta concedendi tranſitum ceſſare. Qui enim vouet opus perfectum ſub conditione pendente ex alterius voluntate, obligatus eſt ad minus illam voluntatem non impedire; quia id eſſet nolle votum exequi. At tu vouiſti Deo accipere gradum, quem ſuperior voluerit abſolutè tibi concedere. Ergo teneris voluntatem ſuperioris non impedire. At iniquè impedis te difficilem ſuſceptioni exhibendo, & turbationis, aliorumque inconuenientium ſigna oſtendendo, ob quæ vitanda ſuperior prudentiſſimè ceſſat à voluntate abſoluta tibi gradum concedendi: ergo peccas contra votum. Teneris ergo repugnantiam vincere, & timorem ſuperioris iuſtum tuæ turbationis, & maioris periculi remouere: Sic colligitur, ex Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 4. *in fine cap.* 17. *nume....*

6. Addo non ſolùm contra votum, ſed etiam contra iuſtitiam videris peccare; ſiquidem malitioſè impedis, ne tibi ſuperior præcipiat, quod iure præcipere poteſt. Neque rationes in contrarium obſtant. Nam prima ſolùm probat illam voti violationem directam non eſſe; benè tamen eſſe indirectam. Secunda conuincit, te voto obligatum non eſſe deſiſtente ſuperiore liberè, & non moraliter coacto; ſecus quando coactus tua indiſpoſitione deſiſtit.

7. Tandem inquires, an receptos gradu coadiutoris formati obligari poſſis ex ſupradicto voto ad recipiendum gradum profeſſi, vel è contra? Et quidem recepto gradu profeſſorum te non poſſe obligari ad recipiendum gradum coadiutoris formati tanquam omnino certum tradit optimè Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 11. quia profeſſorum gradus eſt ſuperior gradu coadiutorum; quippè continet vota ſolemnia, & ad plura obligat. At nemo ex voto obligari poteſt ab ſtatu ſuperiori, & perfectiori ad inferiorem, & minus perfectum deſcendere. Neque ille eſſet in Societatem ingreſſus, ſed aliquo modo egreſſus, & retroceſſio. Ergo nullatenus obligari pores. Verum recepto gradu coadiutoris formati te obligari poſſe ex dicto voto ad recipiendam profeſſionē trium, vel quatuor votorum affirmat Suar. *dicto cap.* 17. *num.* 11. ſibi videri probabile. Mouetur; quia ex gradu coadiutoris formati tranſire pores ad profeſſionem, vtpotè ad gradum perfectiorem; nam licet hic tranſitus tarò concedatur; concedi tamen aliquando poteſt, & debet, vt inſinuatur *exam. gen. cap.* 6. §. 5. *&* 6. Sed promittens ingredi Societatem, videris promiſiſſe ingredi in perfectiorem gradum ſi ſuperiori placitum fuerit. Ergo ſtante ſuperioris beneplacito obligatus eris ingredi. Et confirmatur, quia antequam coadiutoris gradum cooperatus eſſes, nemo dubitat te obligari poſſe gradum profeſſi admittere; at ob gradum coadiutoris receptum non impeditur tranſitus ad profeſſionis gradum, neque ſuperior ius amiſit illum exigendi; quippè cenſeris promiſiſſe Societatis ingreſſum, quoties ingreſſus dari poteſt. Verùm etſi hæc ſententia ſit ſatis probabilis, probabiliorem iudico, te obligari non poſſe; eo quod obligationi ingrediendi Societatem aſſumpto quolibet ex illis gradibus, videaris ſatisfeciſſe; nam vt conſtat ex conſtitutionibus, & congregatione declaratione, votum ingrediendi Societatem eſt votum acceptandi gradum coadiutoris formati, vel profeſſi, provt Societas voluerit. Ergo recepto gradu coadiutoris formati ſatisfeciſti voto. Non enim vtrumque gradum acceptare promiſiſti, ſed vnum, vel alterum, vt denotat illa dictio *vel* quæ eſt diſiunctiua, aliàs non ea dictio *vel* ſed *&* apponenda eſſet. Deinde à formula votorum coadiutoris formati excluſa eſt illa promiſſio ingrediendi Societatem. Ergo indicatur plenè per illum ingreſſum promiſſioni ſatisfactum eſſe. Aliàs ſi recepto illo gradu Sanctiſſimus Ignatius cenſeret obligationem promiſſionis ingrediendi Societatem durare, non debebat à formula coadiutoris formati eam profeſſionem excludere, ſed potius eam conſtituere, vt ſic ingredientes memores eſſent ad vlteriorem gradum obligari poſſe. Hinc infertur, à fortiori recepto gradu profeſſorum trium votorum obligari non poſſe ex vi dictæ promiſſionis ad recipiendam profeſſionem quatuor votorum. Quippè faciens profeſſionem trium votorum, & conſtitutus in gradu coadiutoris formati cenſetur eſſe in termino; eaque de cauſa omnes probationes ſupradictos gradus præcedunt. Verùm hæc quæſtio potius eſt ſpeculatiua, quam practica. Rarò enim, vel nunquam continget Societati neceſſarium eſſe velle obligare coadiutorem formatum, vt profeſſionem faciat, & profeſſum trium votorum, vt profeſſionem quatuor præſtet; quia abſque dictæ profeſſionis conceſſione obligare poterit ſubditos æquè ferè ac ſi eſſent profeſſi ad miniſteria peragenda. Tùm præcipuè quia gradus profeſſorum honorabilior eſt, ac proinde ſola ſuperioris inſinuatione, & ſimplici conceſſione acceptabitur.

PVNCTVM II.

Expenditur ſecunda obligatio annexa profeſſis, & coadiutoribus ſpiritualibus de ſpeciali cura in puerorum eruditione.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur obligatio, & eius materia.*
2 *Proponitur obiectio aduersùs ſpecialem obligationis erudiendi pueros. Et ſit ei ſatis.*
3 *In huius miniſterij obſeruationem quilibet profeſſus tenetur incumbere intra annum, quadraginta diebus continuis, vel interpellatis.*

1. PRofeſſi, & coadiutores ſpirituales formati cum ſua vota emittunt; exprimunt ſe vouere obedientiam ſpecialiter circa puerorum eruditionem, ibi: Promitto, &c. paupertatem, caſtitatem, obedientiam, & ſecundum eam peculiarem curam circa eruditionem iuxta formam, & modum in litteris Apoſtolicis Societatis Ieſu, eiuſque conſtitutionibus contentum. Materia huius obligationis eſt puerorum (ſub quibus rudes homines comprehenduntur) eruditio tum in iis, quæ ad fidem pertinent: eos in doctrina Chriſtiana, & myſteriis diuinis inſtruendo, tùm in iis quæ pertinent ad mores, incitando ad præceptorum obſeruationem, & ad pietatis, & Religionis officia. Hanc igitur vouent profeſſi; & ſpirituales formati coadiutores, ſi à ſuperioribus per virtutem obedientiæ illis mandata ſit, vt conſtat ex illis verbis, *& ſecundùm eam* (ſcilicet obedientiam) peculiarem curam circa puerorum eruditionem. Quocirca ſecluſo obedientiæ præcepto, nulla eſt ex hac promiſſione profeſſis, ſpiritualibus formatis coadiutoribus huius eruditionis puerorum obligatio.

2. Quod ſi dicas, ſi ex hac promiſſione nulla ſpecialis obligatio erudiendi pueros naſcitur, quæ non ſit circa erudiendos homines prouectioris ætatis, illiſque Sacramenta miniſtranda, aliaque Societatis miniſteria exercenda, cum hæc omnia ſi per virtutem obedientiæ imperentur, teneantur profeſſi, & coadiutores ſpirituales formati exequi, cur ſpecialiter eruditio puerorum in voto obedientiæ expreſſa fuit? aut cur potius in voto obedientiæ profeſſorum, & coadiutorum ſpiritualium formatorum, & non in voto obedientiæ ſcholarium approbatorum huius eruditionis mentio facta eſt? Reſpondet Paul. III. in Bulla prima Societati conceſſa, quæ incipit. *Regimini militantis Eccleſiæ*, eam puerorum eruditionem ſpecialiter in ea formula commendari; quia eſt fundamentum, ſine quo ædificium vitæ Chriſtianæ conſurgere non poteſt, & quia adeſt periculum, ne vt quiſque erit doctior, & ita Prouinciam hanc tanquam primo aſpectu minus ſpecioſam forſitan detrectare conetur, cum tamen re vera nulla ſit fructuoſior vel proximis ad ædificationem, vel noſtris ad charitatis, & humilitatis, ſimul officia exercenda. Notanter dixit Pontifex fructuoſior. Nam eſto aliæ occupationes excellentiores, & perfectiores adſint, regulariter loquendo nulla eſt hac occupatione fructuoſior; quia ex ea non ſolùm pueri, & rudes homines, ſed etiam docti inſtruuntur; & ad pœnitentiam commouentur, efficacius fortè quam grauiori, & doctiori prædicatione. Deinde, quia hæc occupatio in mundanorum oculis eſt humilis, & abiecta, ea de cauſa fructuoſior eſt ad ædificationem in proximis excitandam, & ad charitatem, & humilitatem in noſtris promouendam. Quæ omnia confirmauit B. Ignat. 5. *part. conſtitut. cap.* 3. *litt. B*, his verbis: Promiſſio docendorum puerorum, aut rudium hominum iuxta litteras Apoſtolicas, & conſtitutiones non inducit aliam obligationem, quam reliqua ſpiritualia exercitia, quæ ad auxilium proximorum adhibentur, cuiuſmodi ſunt confeſſiones, prædicationes, &c. in quibus quiſque ſe debet occupare iuxta rationem obedientiæ ſuorum ſuperiorum. Quod autem de pueris docendis in voto fit mentio, ea de cauſa fit, vt ſancta hæc exercitatio peculiari modo ſit commendata, & vt deuotius curetur propter ſingulare obſequium, quod Deo per eam in animarū auxilio exhibetur; & quia facilius obliuioni tradi poterat, & in deſuetudinem abire, quam alia magis ſpecioſa, cuiuſmodi eſt prędicatio, &c. Ratio autem, quare ſpecialiter in voto

obedientiæ

obedientiæ Professorum, & coadiutorum spiritualium eruditio puerorum expressa fuit, & non in voto obedientiæ emisso ab scholaribus approbatis, ea est; quia ad hoc munus obeundum professi, & coadiutores formati præsumuntur apti, secus scholares. Nam ad erudiendos pueros, & rudes doctè, vtiliter, & fructuosè conuenit docentes plusquam mediocriter esse instructos, sicuti sunt qui in Societate professionem, vel gradum coadiutorum spiritualium formatorum obtinent: at non sic scholares, qui litteris addiscendis incumbunt.

3. In huius igitur ministerij promotionem, & supradictorum obseruationem cauetur, vt quilibet professus quadraginta diebus huic eruditioni incumbat. Sic habetur Congregat. prima generali, *decreto* 134. & expressius in Congreg. 2. *decreto* 48. vbi sic dicitur, Quiuis professus quatuor, vel trium votorum, quiuis etiam coadiutor spiritualis formatus post edictam professionem, vel vota simplicia intra annum per quadraginta dies continuos, vel interpellatos doctrinam Christianam pueros, atque rudes personas docere teneantur. Teneantur inquam sub voto, si eis sub virtute obedientiæ præceptum sit; aliàs solùm ex regula, & instituto ad peccatum non obligante. Præterea ipsamet Congregatio P. N. Generali commendat curam, vt nostri frequentius, quemadmodum ipsi in domino expedire visum fuerit, in hoc tam pro opere exerceantur. Deinde Rectoribus, cum primum Rectoris officium suscipiunt iniungit S. Ignat. 4. *p. constitut. cap.* 10. §. 10. vt per quadraginta dies doctrinam Christianam legant, aut doceant, legant inquam, aut doceant per se. Si tamen conuenire non videbitur ad ædificationem, vel ob aliam causam sufficientem, vt rector ipse legat, re cum Prouinciali communicata, si eiusdem ille sententiæ fuerit, per alium illud munus obire poterit. Quam constitutionem Congregatio 2. *decreto* 54. explicans, inquit: Rectores cum teneantur ex constitutione, declaratione 10. *capit. punct.* doctrinam Christianam legere; vel docere per quadraginta dies per se, vel per alium, expositum est, id debere præstari intrà annum postquam officium Rectoris inierint continenter quadraginta diebus, vel interpolatim primò quidem quemadmodum solent doceri pueri, deinde etiam per conciones, si ita superior censuerit. Præter illum annum eodem quidem nomine non tenebitur Rector, sed alio poterit communi, vt in superiori quodam decreto definitum est de professis, & coadiutoribus formatis.

PVNCTVM III.

Quæ sit obligatio, quam contrahunt professi societatis ex speciali voto obedientiæ Summo Pontifici.

SVMMARIVM.

1 *Hoc votum obediendi Summo Pontifici solemne est, & speciale Societati.*
2 *Apponitur aliquorum calumnia circa præditum votum, quæ friuola sanè est.*
3 *Explicatur huius voti materia, & eius necessitas.*
4 *Explicatur voti vtilitas.*
5 *Explicatur qualiter hoc votum possit esse solemne.*
6 *Quoties Summus Pontifex, vel Præpositus Generalis eius nomine præcepit missiones in nomine Iesu Christi, seu virtute obedientiæ, tenetur professus sub graui culpa obedire.*

1. SCiendum est, in Societate IESV professos, qui vocantur quatuor votorum vltra tria vota solemnia castitatis, paupertatis, & obedientiæ emittere aliud quartum etiam solemne obediendi Summo Pontifici in missionibus peragendis ad animarum salutem. Quod votum ea forma emittitur, vt constat ex constit. 5. *p. cap.* 3. §. 3. Insuper promitto specialem obedientiam Summo Pontifici circa missiones, prout in litteris Apostolicis, constitutionibus continetur. In litteris autem Apostolicis Pauli III. primò confirmantis Societatis institutum habetur hoc votum fieri ad maiorem nostræ Societatis humilitatem, ac perfectam vniuscuiusque mortificationem & voluntatem nostrarum abnegationem, eoque singulos nostros specialiter astringi, vt quidquid modernus, & alij Romani Pontifices pro tempore existentes iusserint ad profectum animarum, & fidei propagationem pertinens, & ad quascunque Prouincias nos mittere voluerit, sine vlla tergiuersatione, aut excusatione illico quantum in nobis fuerit, exequi teneamur, siue miserit nos ad Turcas, siue ad quoscunque alios infideles etiam in partibus, quas Indias vocant existentes, siue ad quoscunque hæreticos, seu schismaticos, seu etiam ad quosuis fideles. Id ipsum eisdem verbis continetur in Bulla Iulij III. nostrum institutum confirmante. Et in Bulla Gregor. XIII. incipiente *quando fructuosus* dicitur. Qui verò quatuor votorum professi futuri sunt, ij tribus solemnibus substantialibus votis, quartum similiter solemne addunt speciale Summo Pontifici obedientiæ circa missiones præstandæ ob certiorem Spiritus sancti in missionibus ipsis directionem, ac maiorem ipsorum mittendorum sedi Apostolicæ obedientiam, maioremque deuotionem, humilitatem, mortificationem, ac voluntatum abnegationem. Eadem ferè habentur in constitutionibus Societatis IESV: nam in *exam. gener. cap.* 1. §. 5. dicitur, Professa societas præter tria vota votum facit expressum Summo Pontifici vt Vicario qui nunc est, vel pro tempore fuerit Christi Domini nostri, nimirum ad proficiscendum sine excusatione non petito viatico quocunque gentium eius sanctitas iusserit inter fideles, vel infideles ad res quæ ad diuinum cultum, & Religionis Christianæ bonum spectat, & 6. *c.* 2. §. 2. Quando Summus Pontifex, vel superior huiusmodi professos, vel coadiutores ad laborandum in vineam Domini mittet, nullum viaticum petere possint, sed se liberaliter repræsentent, vt mittantur, prout illis ad maiorem Dei gloriam fore videbitur. Et *in declarat. litt.* 1. subditur, id est pedites, vel equites cum pecuniis, vel sine illis, & 7. *p. constit. c.* 1. & 2. latius hæc omnia explicantur. Ex quibus constat hoc votum obediendi Summo Pontifici circa missiones esse speciale Societati solemne, & distinctum ab aliis tribus substantialibus.

2. Non desunt Doctores potius prauo affectu, & iudicio proprio nixi, quam ratione, qui hoc votum calumniantur. Tum quia superfluum. Tum quia inutile. Esse superfluum probant? quia omnes Christi fideles obligati sunt obedire Summo Pontifici, si eis aliquò proficisci iusserit ob animarum salutem. Et specialiter Religiosi hac obligatione tenentur; quia Pontifici tanquam supremo Religionis Prælato obedientiam promiserunt. Deinde esto alij Religiosi obedientiam Summo Pontifici non ita strictam promiserint? at scholares approbati Societatis, & maximè formati coadiutores eam promittunt: voto enim obedientiæ obligantur ire in quaslibet mundi partes, quò superior designauerit, vt constat, ex 3. *p. constitut. cap.* 2. *littera G*, & 6. *p. constitution. cap.* 3. §. 5. & ex Bulla Gregor. XIII. incipiente *Ascendente*. Ergo saltem comparatione aliorum Religiosorum Societatis hoc votum superfluum est: cum non superaddat obligationem aliquam distinctam à voto generali obedientiæ, Quodque videntur expressisse Bullæ Pontificiæ Pauli III. & & Iulij III. dicentes hoc votum fieri ad maiorem nostrorum humilitatem, & deuotionem, perfectamque mortificationem, & voluntariam abnegationem. Ergo non ad inducendam nouam, & distinctam obligationem. Esse autem inutile hoc votum sic probant, quia Pontifex grauioribus Ecclesiæ negotiis occupatus noscere non potest qui hoc votum emiserint, quique ei sint specialiter subiecti, vt eos occupare possit vtiliusque foret hoc votum Præposito Generali emitti: vt potè qui maiorem suorum Religiosorum notitiam habet, & illorum regimini immediatus incumbit. Quod verò hoc votum solemne esse non possit inde probatur, quia non apparet, in quo eius solemnitas consistit, cum nullum specialem effectum, & obligationem contineat, quem non contineret idipsum votum simplex obedientiæ. Ergo hoc votum neque est solemne, nec necessarium, neque vtile. Sed hæc friuola sunt, vt labefactare possint doctrinam à S. Ignatio traditam, & à viris doctissimis probatam; & à Summis Pontificibus definitam. Vt igitur veritas innotescat explicanda est materia huius voti, & inde constabit non esse superfluum, neque inutile, sed necessarium, vtile, & solemne.

3. Materia igitur huius voti, vt constat ex Bullis Apostolicis, & constitutionibus allegatis est obedire Summo Pontifici in missionibus petagendis, v. g. ire siue equites, vel pedites in quascunque mundi partes iusserit. Ibique commoratij & ministeria spiritualia secundùm Societatis morem in animarum salutem exercere arbitrio Pontificis: quia hæc omnia sub missione continentur. Quæ debent præstari nulla tergiuersatione, vel excusatione apposita; subintelligitur quæ friuola sit, & inanis; secus de excusatione iusta, & legitima: hanc enim proponere superiori & constitutionibus Societatis, & menti Pontificis conforme est, vt benè notauit Suar. t. 4. de Relig. *tract.* 10. *lib.* 7. *c.* 4. *n.* 11. Sanch. 6. *summ. c.* 18. *n.* 6. Deinde præstari debent nullo petito viatico, expectatoque subsidio, tùm pro peragendo itinere, tùm pro ibi residendo: solùm enim permissum est 7. *p. constit. c.* 1. § 3. *lit. E. in declarat.* repræsentare Pontifici, quæ sit ipsius mens de modo itineris faciendi, & ibidem quò mittitur manendi, num ex eleemosynis propter Christi amorem emendicatis, an alio modo viuendo. Sed ad hæc præstanda nec reliqui Christi fideles, cæteri Religiosi tùm aliorum ordinum, tùm Societatis obligari possunt. Ergo hoc votum necessarium omnino fuit. Minorem probo: quia reliqui Christi fideles obligari non possunt à Pontifice, vt in remotissimas partes proficiscantur, ibique commorentur, nisi communi Ecclesiæ bono maximè expediret, neque tunc obligãtur ex voto, sed ex subiectione, quam debent Pontifici, tanquam vniuersalis Ecclesiæ capiti, & Christi vicario.

vicario. Cæteri autem Religioſi etſi votum obedientiæ Summo Pontifici præſtent tanquam ſupremo Religionis Prælato ex vi illius amplius obligari non poſſunt quam iuxta ſuas regulas, & conſtitutiones. At extra regulam omnium Religionum eſt obligare ſuos Religioſos ire, aſſiſtere: & commorari in partibus remotiſſimis, vbi nulla eſt Prouincia, nec Religionis domus nullo ſubſidio petito, & maximè ſi ibi adeſt periculum vitæ. Quocirca etſi Seraphicus Franciſcus ſpeciale, & expreſſum obedientiæ votum emiſerit Pontifici Honorio, & ſucceſſoribus pro ſe,& ſuis alumnis,ita vt ab ipſis cum votum obedientiæ emittunt, emiſſum eſſe intelligatur,vt dixit Cordub. *in expoſit. ſuæ regulæ c.1.q.3. & D.Bonauent. c.* 1. At hoc votum ad nihil amplius obligat, quam generale votum obedientiæ in ea Religionem emiſſum, vt expreſſit D. Bonauentura, quod certè non obligat ad miſſiones ita difficiles, & humanis ſubſidiis deſtitutas, ad quas profeſſi Societatis obligantur vt benè notarunt Suar.t.4. de Relig. *tract.* 10.*lib.*6. *c.4.n.27.* Sanchez *lib.6.ſum.c.*18.*n.*5. *in fine,* Ribadeneira *de inſtituto Societatis.c.*20.*circa finem.*Religioſi verò Societatis, qui biennio expleto vota emiſerunt, & coadiutores ſpirituales formati, imò & profeſſi trium votorum,eſto obligati ſint ire,& commorari in qualibet mũdi parte. At ſcholares approbati non obligantur ire pedites nec vllo petito viatico, nec cum periculo vitæ:quia in conſtitutionibus,bulliſque Pontificiis hæc obligatio non continetur, vt expreſsè dixit Sanch. *lib.6. ſum.cap.* 18. *n.*5. Suarez tom.4. de Relig. *tract.* 10. *lib.*6.*cap.*4. *num.* 32. Coadiutores verò ſpirituales formati, & profeſſi trium votorum eſto obligentur ire non petito viatico, at non obligatur ex voto viaticum non petere, ſed ſolum ex conſtitutione ad culpam non obligante. Nam etſi *6. conſtit. cap.* 2. *p.*13. æquè de profeſſis, ac coadiutoribus formatis dicatur, quod nullum viaticum petere poſſint, ſed ſe liberaliter repræſentent, vt mittantur ſcilicet pedites, vel equites cum pecunia, vel ſine illa:non inde infertur obligari ex voto ad non petendum viaticum, ſed ad ſummum obligari poſſe, quia vouent obedientiam iuxta ſocietatis conſtitutiones: at profeſſi quatuor votorum ex voto illo ſpeciali obligantur: cum illis à Pontifice iuſſum fuerit ire, viaticum non petere: quia hæc obligatio in dicto voto exprimitur: ſic Sanch. *dicto lib.* 6. *cap.*18. *num.*5. Deinde profeſſi trium votorum, & coadiutores ſpirituales formati non videntur eſſe obligati ad miſſiones, in quibus periculum vitæ adeſſet: quia generale votum obedientiæ, quod inſtar legis Eccleſiaſticæ de eadem relatæ obligat non poteſt cum periculo vitæ obligare, ſicut nec lex Eccleſiaſtica. At profeſſores huius voti hoc periculum ſubire obligati ſunt: ſi quidem obligantur expreſsè ire ad Turcas, Hæreticos, Schiſmaticos, vbi periculum vitæ frequenter adeſt, Sanchez *dicto cap.*18. *n.*5. Præterea emittentes hoc obedientiæ votum quaſi ex officio tenentur parati eſſe, & diſpoſiti ad quaſlibet miſſiones quantumcumque periculoſas peragendas; at profeſſi trium votorum, & coadiutores formati non videntur ad eas obligati, niſi ad ſummum in defectum profeſſorum, vt probat Suar. tom.4. de Relig. *tract.* 10. *lib.* 6. *cap* 4. *num.*33. Ergo hoc votum obedientiæ Pontifici, quod profeſſi emittunt aliquam ſpecialem obligationem inducit, quam non inducit votum generale obedientiæ in aliis religionibus, & in Societate. Ergo hoc votum neceſſarium eſt.

4. Ex his conuincitur vtiliſſimum eſſe; quod enim neceſſarium eſt, à fortiori eſt vtile, vtilitatem tamen eius ſatis expreſſit Iulius I I I. in dicta bulla confirmat. Primò dixit eſſe vtile ob deuotionem maiorem ad obedientiam ſedis Apoſtolicæ; expediebat enim maximè, vt tota aliqua religio hanc obedientiam Summo Pontifici præſtaret eo tempore, quo ab eius obedientia tot hæretici, & ſchiſmatici recedebant; eiuſque authoritatem recognoſceret, cum eam alij pro viribus impugnabant. Secundò dixit vtile eſſe ob maiorem noſtræ ſocietatis humilitatem, quam exercet ſe totam obſequio Pontificis tradendo. Tertiò ad perfectam vniuſcuiuſque mortificationem, & voluntatum noſtrarum abnegationem; cum parati exiſtant ad quaſlibet mundi partes peragrandas, prout Pontifici viſum fuerit. Quod vero hoc votum vtilius ſit fieri Summo Pontifici, quàm religionis prælatis, duplici ratione conuincitur. Prima; quia eo voto ſpecialiter authoritas Pontificis recognoſcitur. Secunda, quia hac via profeſſi ſecuriùs ſe periculis exponunt, cum miſſi ſint à Vicario Chriſti, quem præſumere poſſunt in illius præcepti impoſitione certioti Spiritus ſancti directione duci, vt dixit Gregor. X I I I. in bulla *Aſcendente.* Neque obſtat Pontificem ſingulos ſocietatis profeſſos non recognoſcere; ſufficit quod certo ſciat eſſe in ſocietate plures ſuæ obedientiæ ita dicatos, vt quocunque eos mittere velit obligati ſint ire: ad cuius finem cauetur 7. *conſtitut. cap.* 1. *in fine*, vt Præpoſitus Generalis, cùm nouus Chriſti Vicarius in Apoſtolica ſede fuerit conſtitutus, per ſe vel per alium intra annum ab eius creatione, & coronatione teneatur eius ſanctitati declarare profeſſionem, ac promiſſionem expreſſam obedientiæ, qua ipſi ſocietas peculiati voto circa miſſiones ad Dei gloriam ſe obſtrinxit. Adde plures, & præcipuos ex ſocietate à Pontifice recognoſci poſſe, tum ex fama, & relatione, tum quia quolibet triennio procuratores ſingularum prouinciarum Romæ congregantur. Maneat ergo certum, & indubitatum hoc votum neceſſarium eſſe,& Eccleſiæ,ſedique Apoſtolicæ, & ſocietati viliſſimum.

5. Reſtat explicare tertium quod obiiciebatur, qualiter poſſit eſſe ſolemne? nam ſic eſſe; non poteſt in dubium reuocari, cùm expreſsè definitum ſit à Gregor. XIII. in bulla, quæ incipit: *Aſcendente*, ibi tribus illis ſubſtantialibus votis ſolemnibus quartum ſimiliter ſolemne addunt ſpeciale Summo Pontifici obedientiæ circa miſſiones præſtandæ. Solemnitas igitur huius voti in eo conſiſtit, quod medio illo ſe tradit religioſus in dominium, & poteſtatem Pōtificis in ordine ad miſſiones peragendas, ita vt in ordine ad hunc finem iam non ſit ſui iuris, nec religionis, ſed Pontificis. Quod adeo verum eſt, vt ſi religioſus facto hoc voto vellet de ſe aliter diſponere, infirma eſſet eius diſpoſitio, & peccaret non ſolum contra religionem, ſed etiam contra iuſtitiam ob ius Pontifici acquiſitum. Quæ in voto ſimplici obedientiæ non procederent: ſic ſuſtinet Suar. tom. 4. de Relig. *tract.*10. *lib.*6. *cap.*4. *in fine num.* 38. *&* 39. Præterea eius ſolemnitas conſiſtit in eo, quod à nullo alio præter Pontificem hoc votum irritari, vel diſpenſari poteſt, ſecus ſimplex obedientiæ votum

6. Supereſt dicendum, quando profeſſus teneatur ſub graui culpa obedire Summo Pontifici, vel Præpoſito Generali nomine ipſius iniungenti miſſiones. Breuiter reſpondeo quoties in nomine Ieſu Chriſti, ſeu virtute obedientiæ præciperet. Quouſque enim ſuam voluntatem his verbis, vel æquiualentibus explicaret, non cenſetur velle præceptum imponere, & grauem obligationem inducere; quia cenſendus eſt præceptum imponere modo ſocietati accommodato. At in ſocietate *6. p. conſtit. cap. vlt.* cautum eſt non eſſe cenſendum præceptum, niſi ſub ſupradictis verbis impoſitio fiat. Ergo quouſque Pontifex ſic ſuam voluntatem declaret, obligationem grauem non inducit. Atque ita ſuſtinet Suar. tom.4.de Relig. *tract.*10.*lib.* 6.*cap.*4.*n.*36.

PVNCTVM IV.

Qualiter obligentur profeſſi trium, & quatuor votorum ad paupertatem non relaxandam.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur votum.*
2 *Finis quo S.Ignatius motus fuit ad ſtatuendum huiuſmodi votum, fuit vt ſocietas in ſuo primæuo feruore conſeruaretur.*
3 *Materia huius voti eſt nulla ratione agere, aut conſentire, vt quæ in conſtitutionibus circa paupertatem ordinata ſunt immutentur.*
4 *Proponitur obiectio, & ſit ei ſatis.*
5 *Quam paupertatem voueas non immutare? Proponitur Sanch. Sententia. Sed verior eſt de omni paupertate quæ ſub votum cadit eſſe hoc votum intelligendum.*
6 *Reſpondetur rationi contrariæ.*
7 *Votum hoc grauem obligationem inducit.*
8 *An aliquando ceſſet huius voti obligatio? Diſtinguitur duplex caſus, & in primo affirmatur ceſſare.*
9 *Secundus caſus eſt, an dicti voti obligatio ceſſet,cum Pontifex proprio motu relaxationem concedit quæ relaxatio triplici modo contingere poteſt.*
10 *Si tertio modo Pontifex relaxationem concedat,ceſſat voti obligatio.*
11 *Si primo modo relaxationem concedat, Sanch. negat votum ceſſare. Sed oppoſitum verius eſt.*
12 *Si ſecundo modo concedat, probabile eſt acceptationem voto non aduerſari.*

1. PRofeſſi trium, & quatuor votorum in ſocietate ſtatim poſt emiſſam profeſſionem in Eccleſia coram domeſticis, & externis ad ſacriſtiam accedunt ibique quinque vota ſimplicia emittunt, quorum meminit Gregor. XIII. in bulla, *Aſcendente.* Primum illorum, & in hoc puncto explicandum eſt de non relaxanda ſocietatis paupertate. Quod ſub hac forma emittitur iuxta conſtitutionem Societ. 6.*p. cap.*2. §.1.Promitto nunquam me acturum quacunque ratione, vel conſenſurum, vt quæ ordinata ſunt circa paupertatem in conſtitutionibus Societatis immutentur, niſi quando cauſa iuſta rerum exigentium videtur paupertas reſtringenda magis. Circa quod votum, & obligationem inde conſurgentem tria explicanda ſunt primum, quod fine, & cauſa motus fuerit S. Ignat. ad ſtatuendum, vt profeſſi in ſocietate, & non ſcholares, & coadiutores forma hoc votum emitterent. Secundo quæ ſit eius materia. Tertium qualis, quando ſit eius obligatio.

2. Circa primum motus eſt S. Ignat. vt conſtat ex 6. *p. conſtit. cap.*2.*in princ.* ad ſtatuendum in ſocietate fieri huiuſmodi

modi votum, vt societas in suo primæuo feruore conseruaretur; iudicauit namque & meritò, tum *dicto loco, tom.* 10. *constitut.* §. 5. paupertatem murum esse religionis, & propugnaculum aduersus tela, & insidias dæmonis, nixus authoritate D. Th. 2. 2. *q.* 186. *art.* 3. D. Bonau. *in breuiloquio par.* 5. *cap.* 6. *& tom.* 1. *opusc. epist. ad ministros prouinciales, & opusc. de reg. nouit. cap.* 14. *& in vita Christi, cap.* 21. Dionysij Carthusiani *lib. de reformat.* c australi *n.* 17. & aliorum plurium vocantium paupertatem murum, fundamentum, & propugnaculum religionis. At corruēte muro ciuitas corruit, & destructo fundamento, ædificium destruitur, subiatoque propugnaculo hostibus patet aditus: ea de causa S. Ignatius vt hunc murum fundamentum, & propugnaculum in sua puritate conseruaret, statuit, vt omnes professi speciali voto non relaxandi paupertatem astringerentur. Solis professis hanc obligationem indixit, non scholaribus approbatis, nec adiutoribus formatis; quia professi congregationi generali assistunt, ibique votum decisiuum habent. At paupertas relaxari non potest à religiosis societatis nisi in congregatione generali, quia soli congregationi generali datum est constitutiones mutare, seu innouare. Merito ergo soli professi, qui generali congregationi assistere possunt, hoc speciali voto obstringuntur.

3. Quoad secundum de materia huius voti: In primis constat esse distinctam à materia voti solemnis paupertatis, aliàs non essent vota distincta. Materia namque prohibita voto paupertatis, est vsus cuiusuis rei temporalis tanquam propriæ, stante lege, & constitutione prohibente sub voto prædictum vsum. At materia voti non relaxandi paupertatem est non alterandi, nec mutandi dictam legem. Explico: in societate est lex, & constitutio pertinere ad votum paupertatis, & sub illo comprehendi, ne professi societatis proprium habeant, ne domus vlla professa habeat redditus, & possessiones. Professus ergo societatis, qui proprium haberet, quique redditus, possessiones domui professæ applicaret, contra votum paupertatis delinqueret, sed non obinde paupertatem à societate statutam relaxaret; hæc enim immutata perseuerat. Verum si ipse professus procuraret, aut consentiret mutari legem, & constitutionem sub voto paupertatis prohibentem domibus professis possessiones, & redditus aduersus votum non relaxandi paupertatem delinqueret; quia sublata ea lege, & constitutione paupertas relaxata est. Quapropter votum paupertatis prohibet vsum, & factum contra legem, votum verò non relaxandi paupertatem prohibet legis mutationem. Habet ergo hæc vota materias, & obiecta distincta. Materia igitur huius voti est nulla ratione agere, aut consentire, vt quæ constitutionibus circa paupertatem ordinata sunt, immutentur. Ex his verbis constat hoc votum negatiuum esse, negat enim omnem actionem, & consensum pro paupertate in constitutionibus ordinata immutanda, ac proinde facies illi satis nihil agendo, vt manifestè colligitur ex 6. *p. constit. cap.* 2. §. 1. ibi: Promittunt se ad innouationem constitutionum in his, quæ ad paupertatem pertinent nihil facturos, nisi magis restringendam iudicaret. Quæ verba expendens S. Ignat. *in declarat.* inquit: Post emissam professionem vnusquisque promittat, quod nunquam assentietur ad immutandum quod ad paupertatem in constitutionibus pertinet, nec in conuentu totius societatis congregatæ, nec per se ipsum vlla ratione curando. Prohibet ergo assensum siue consultiuum, siue decisiuum de immutanda paupertate præstare in conuentu totius societatis congregatæ. Secundò prohibet quamlibet procurationem, diligentiam, & positiuum fauorem ad dictam mutationem obtinendam. Satisfacies ergo voto, si nihil agas.

4. Dices: ergo videns professum procurantem paupertatis relaxationem, imo cōgregationem generalem relaxantem, neque impediens cum facile possit, non peccabit contra votum; si quidem nihil facit? Consequens autem videtur falsum, nam esto physicè nihil faciat, mortaliter, & secundùm prudentem æstimationem plurimum facit, maximè si prælatus est, penes quem est potestas, & obligatio subditum delinquētem corrigendi, & à delicto remouendi. Eaque de causa in *c. quanta de sent. excommunicat.* dicitur: eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cum possint manifesto facinori desinunt obuiare. Ad idemque est *regula iuris, qui tacet consentire videtur.* Fauet ergo, & consentit qui sic non impedit. Respondeo professum eo casu non impedientem relaxationem, si superior est spectata obligatione sui officij fauere, & consentire supradictæ relaxationi ex iuris interpretatione, secus spectata obligatione voti nihil agendi, nec consentiendi paupertatis relaxationi; quia hoc votum prohibet actionem, & cōsensum, ex quo constitutionum mutatio oriatur, non permissionem, quæ mutationi non concurrit; alias vt quid professis, & non scholaribus approbatis hoc votum faciendum iniungeretur, quandoquidem omnibus commune esse potest procurantem relaxationem non impedire? Et præterea neque illa permissio & assensus consultiuus, aut decisiuus in generali congregatione, neque est procuratio. Non igitur aduersatur voto: & ita sustinet Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 6. *c.* 6. *n.* 9. *&* 10.

5. Sed quam paupertatem voues non immutare, cum promittis nulla ratione agere, aut consentire, vt quæ in constitutionibus circa paupertatē ordinata sunt immutentur? Sanch. *lib.* 6 *sum. c.* 18. *n.* 8. censet solam paupertatem quoad redditus, & bona stabilia domorum professarum te vouere: cui sententiæ fauet maximè locus ille *constitut.* 6. *p. cap.* 2. §. 1. *lit. A.* vbi dictum votum declaratur his verbis: Innouari quod ad paupertatem attinet, est relaxari ad redditus, vel possessionem vllam in proprium vsum, vel ad sacristiam vel ad fabricam, vel ad aliquem alium finem præter id quod ad collegia, & domos probationum attinet admittendum. Ergo votum solum est de nō relaxanda paupertate domorum professarum admittendo redditus, vel possessionem vllam ad proprium vsum, vel ad sacristiam, fabricam, &c. Quodque satis indicat exceptio illa collegiorum, & domorum probationis, quorum paupertas à dicto voto, & innouatione est exclusa. Et fortè ea ratione solis professis hoc votum faciendum iniungitur; quia ad ipsos specialiter attinet domos professas in sua puritate conseruare, vtpote qui in illis per se residere debeant. Ex hac sententia infertur, professum, qui procuratet, vel consentiret, vt coadiutores formati dominium bonorum suorum retinerent, collegia, & domus probationis ipso facto succederent in suorum religiosorum bona, & alia similia non aduersari supradicto voto: nam hæc ad societatis paupertatem pertineant, non tamen ad paupertatem societatis professæ, de qua votum videtur intelligendum. Nihilominus verius censeo de omni paupertate societatis, quæ sub votum cadit esse hoc votum intelligendum. Quia S. Ignat. 6 *p. constit. cap.* 2 antequam in particulari de paupertate domorum professarum, collegiorum, domorum probationis, scholarium, & coadiutorum sermonem institueret, locutus est de paupertate in communi, quam dixit vt murum religionis firmum diligendam, & in sua puritate conseruandam esse, nec admittendas innouationes, & declarationes primo spiritui minimè consentaneas. Quod vt in hac parte diligenter obseruetur inquit: Quicunque in societate professionem emiserint se ad innouationem constitutionum in his, quæ ad paupertatem pertinent nihil facturos promittant. Censuit ergo de omni paupertate cadente sub votum, votum esse intelligendum, præcipuè cum ad societatis conseruationem non solum expediat, & necessarium sit domos professas in sua paupertatis puritate conseruare, sed etiam collegia, & domos probationis, scholares approbatos, & coadiutores formatos. Deinde expendo generaliter dixisse S. Ignatium promittant nihil facturos ad innouationem constitutionum in iis quæ ad paupertatem pertinent. Quia vniuersalitate vsus est Greg. XIII. *in sua bulla, Ascendente*, ibi nunquam acturos, vt quæ in constitutionibus societatis ordinata sunt circa paupertatem, immutentur: sub qua formula hoc votum emittitur. At in constitutionibus non solum agitur de paupertate domorum professarum, sed etiam de paupertate collegiorum, domorum probationis, scholarium, coadiutorum formatorum: quia votum paupertatis ea omnia respicit: Ergo votum de non relaxando paupertatis voto supradicta omnia respicere debet Atq; ita docere Suar. *t.* 4. *de relig. tr.* 10. *l.* 6. *cap.* 6. *in fine num.* 18.

6. Neque obstat ratio contraria. Fateor ibi solum declarari paupertatem domorum professarum; eo quod est præcipua materia huius voti; sed inde non infertur aliam sub dicto voto non esse comprehendendam. Neque est verum in illa declaratione collegiorum, & domorum probationis paupertatem à voto excludi, sed solum excludi ab incapacitate, quam habent domus professæ habendi redditus, & possessiones in communi ad proprium vsum, &c. Neque ex eo quod professi per se in domibus professis residere debeant, sufficienter probatur eorum votum de non innouanda societatis paupertate de solis domibus professis esse intelligendum; potius enim inferendum est de totius societatis paupertate debere votum intelligi; siquidem ipsis incumbit totius societatis bono consulere, & in sua puritate, & primæua perfectione conseruare.

7. Superest, vt tertium, quod proposuimus explicemus; quæ, qualis, & quando sit huius voti obligatio? Et quidem de quantitate, seu qualitate obligationis nemini potest esse dubium, votum hoc grauem obligationem inducere; quia materia grauissima est, vtpotè religionis conseruationi maximè necessaria; ac proinde censeo non solum suffragium decisiuum in congregatione pro relaxanda paupertate, sed cuiuscunque illius procurationem peccatum mortale esse aduersus dictum votum.

8. Solum est difficultas; an aliquando esset huius voti obligatio? Pro duplici casu contingit dubium: primò, si res decursu temporis ita mutentur, vt spectatis omnibus circumstantiis appareat grauius fore Deo hanc fieri mutationem, v. g. quod domus professæ habeant aliquos redditus, & possessiones saltem ad sacristiam, vel fabricam; an eo casu agere, & procurare constitutionis innouationem, aduersetur voto? Respondeo si id certò constet (quod rarò continget) euidens est te

non

non aduerſari voto agendo, & procurando conſtitutionis innouationem: quia eo caſu votum ceſſat: nequit enim eſſe maioris boni impeditiuum. Votum enim de non innouandis paupertatis conſtitutionibus intelligitur, dum id ſocietati conſeruandæ expedientius, & conuenientius fuerit. Verum ſi dubia ſit conuenientia, nullo modo poteris agere, & procurare conſtitutionis innouationem; quia voti certa obligatio non poteſt ceſſare ob dubium ſuperueniens. Ratione tamen huius dubij (quod præſumitur prudenter concipi) poteris tum in congregatione generali; tum Pontifici rationes proponere, quæ dubium ingerunt non animo relaxandi paupertatis conſtitutionem, ſed inueſtigandi, & cognoſcendi quid conuenientius ſit, relaxaréne conſtitutionem, an in illa firmiter perſeuerare? ſic Suar. *tom.4. de relig.tract.*10. *lib.6.cap.7. n.*12. Sanch. *lib.6.ſum.cap.*18.*num.*10. Neque credo ad hanc propoſitionem faciendam neceſſarium eſſe, vt dicit Sanch. obtinere prius à Pontifice voti facti diſpenſationem; quia illa propoſitio in illo dubio rationabilis eſt, bono ſocietatis conueniens, ne grauioris damni periculo exponatur, ac proinde per votum impediri non poteſt, eáque de cauſa Suar. cautè dixit ſecurius eſſe ſi prius à Pontifice facultas petatur, vt non obſtante tali voto poſſit vnuſquiſque quod ſentit, vel opinatur liberè proponere.

9. Secundus caſus, in quo eſt dubium; an dicti voti obligatio ceſſet, eſt cum Pontifex proprio motu relaxationem facit? Tripliciter Pontifex relaxationem concedere poteſt, primò abſolutè, & independenter à religione, non tamen arctando religionem, vt illa conceſsione vtatur, ſed eam liberam relinquendo: ſic conceſsit Trident. *ſeſſ.*25. *c.*3. *de Regularib.* omnibus religionibus (exceptis minoribus de obſeruantia, & Capucinis) vt poſsint proprium in communi poſsidere. Hæc enim conceſsio abſoluta fuit, & independens à religionum acceptatione; quia fuit per modum legis; non tamen religionis arctauit, vt ea verentur, ſed liberas reliquit. Secundò concedere relaxationem poteſt non abſolutè, ſed dependenter à religionum acceptatione, vt ſi concederet relaxationem per modum cuiuſdam ſpecialis priuilegij, quod vim non habet, quouſque priuilegiatus acceptet. Tertiò concedere relaxationem poteſt obligando ad illius admiſsionem.

10. Si hoc tertio modo relaxationem Pontifex concedat; eo quod iudicet paupertatem promiſſam illius religionis conſeruationi non expedire; manifeſtum eſt, voti obligationem ceſſare. Tum quia votum non poteſt eſſe contrarium præcepto. Tum quia poſito præcepto variatur eius materia, & quæ antea erat honeſta, redditur iniqua. Sanch. *lib.6. ſum. cap.*18. *n.*9. Suar. *tom.6.de relig.tract.*10. *lib.6.c.6.n.*13.

11. Si primo modo relaxationem concedat, Sanch. *lib. 6. ſum. cap.*18.*n.* 15. cenſet votum non ceſſare, ſed vt illius obligari ſocietatem, & illius profeſſos conceſsionem non admittere; quia vouent non conſentire paupertatis relaxationi; at non cedendo conceſsioni, relaxationi conſentiunt. Tenentur ergo ex voto cedere conceſsioni. Sed oppoſitum multo verius exiſtimo cum Suar. *tom.* 4. *de relig.tract.* 10. *lib.6.cap.6.n.16.* Primò; quia hæc relaxatio motu Pontificis fit independenter à religione, eáque poſita obligatio voti paupertatis quoad illam partem omnino ceſſat. Ergo ceſſat etiam obligatio voti de voto paupertatis in ſua puritate conſeruando. Secundo ex vi huius voti ſolum es obligatus ad nihil agendum ad relaxationem paupertatis. Ergo ſolum es obligatus ad negandum conſenſum, qui relaxationi cooperetur. Ergo non es obligatus ad negandum conſenſum, qui relaxationem legitimè factam admittat, & aſſentiatur, quia eo conſenſu non agis ad relaxationem paupertatis, ſed relaxatione facta vteris. Tertiò, quia ſecunda congregatio *decreto* 28. *& can.* 21. manifeſtè hanc ſententiam iudicaui. Cum enim in illa propoſitum fuiſſet decretum Trident. *ſeſſ.*25.*cap.*3.*de Regularib.* concedentis omnibus religionibus (Minoribus & Capucinis excepto) bona immobilia non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus; & ibi contrauerſum eſſet; an placeret cedere iuri cuicunque ad habenda bona immobilia in domibus profeſſorum, quod ex decreto Concilij ſocietati eſſet acquiſitum? Placuit magno conſenſu Patribus (inquit congregatio) vt cederemus cuicumque iuri ex Concilio nobis prouenienti, & iuxta noſtras conſtitutiones, & vota, quæ poſt profeſſionem emittuntur, paupertatem in profeſſis, ac ipſorum domibus retineremus, & ita ceſſerunt totius ſocietatis nomine. In quo decreto expendendum eſt verbum *placeret* quod denotat voluntatis, non neceſſitatis fuiſſe illam ceſsionem, cenſuiſséque omnes illos Patres voto ad cedendum obligatos non eſse; aliàs non proponeretur illis, an placeret cedere, ſed abſque vlla dubitatione, & dependentia ab eorum conſenſu ceſsio proponenda eſſet. Sed inquires, qualiter potuit congregatio huic iuri cedere, cum hoc ius non ſocietati tantum, ſed omnibus ferè religionibus ob ipſarum bonum, & in virtutis progreſſum conceſſum fuit, & inſuper conceſſum per modum legis, & ſtatuti ab ipſis religionibus independentis? Reſpondeo optimè potuiſſe ſocietatem ſupradictæ conceſsioni cedere; quia illa ceſsio non eſt ſocietati, neque ſtatui religioſo nociua, maximè cum illud priuilegium non præcipiatur, ſed permittatur admitti Sanch. *lib. 6. ſumm. cap.* 18. *num.* 13. vbi *num.* 14. optimè aduertit ex ſola ceſſione non accedente Pontificia confirmatione non reddi ſocietatem profeſſam incapacem, vt antea erat, habendi proprium. Ducitur, quia voto præciſo paupertatis, vt *diſput. præced.* diximus, non redditur quis inhabilis habendi proprium, ſed indiget Pontificis authoritate inhabilitatem indicentis. At ſupradicto Tridentino decreto ſublata fuit omnibus religionibus hæc inhabilitas ex propriis conſtitutionibus prouenies, & conſequenter etiam ſocietati profeſſæ. Ergo ſola ceſſione, & renouatione voti paupertatis non potuit ſocietas habilis reddi. Indiguit ergo Pontificia confirmatione, & approbatione. Adde, ſocietas cedendo ſupradicto Concilij priuilegio ſolum potuit cedere quod in ſua poteſtate ſitum erat: at in ſua poteſtate ſitum non erat legem Pontificiam alterare, & inhabilitatem ſublatam reuocare, ſed ſolùm non admittere proprium, tametſi capax exiſteret. Vt ergo ad incapacitatem antiquam rediret, approbatione Pontificis indiguit, quæ ſine dubio tunc acceſsit, & ſæpè poſtea facta eſt à pluribus Pontificibus noſtrum inſtitutum confirmantibus maximè à Greg. XIII. in Bulla, *Aſcendente.*

11 Maiorem mihi difficultatem ingerit ſecundus caſus ſcilicet cum Pontifex per modum priuilegij relaxat paupertatem ſub tacita conditione ſi religio iudicans ſibi expedire eam relaxationem acceptauerit qualiter Pontifex Honorius cum S. Clara ſe geſſit relaxationem paupertatis concedens, ipſa verò conceſsioni ceſsit, & humiliter poſtulauit, ne permitteret ipſam, & ſibi ſubditas à primæuo ſpiritu deſiſtere; an inquam facta hac conceſsione teneantur ſocietatis profeſsi ei renunciare, vel poſsint voto non obſtante conceſsionem admittere? Ratio difficultatis eſt; quia relaxatio paupertatis pendet eo caſu ex ſocietatis acceptatione. At ſocietatis profeſsi vouent ſe nihil acturos, nec aſſenſum præſtituros ad paupertatis relaxationem. Ergo vouent eo caſu non acceptare, cum per acceptationem paupertas relaxetur. Nihilominus non videtur probabilitate carere adhuc eam acceptationem voto non aduerſari, quia ea acceptatio non eſt cauſa relaxationis, ſed eſt conditio, vt relaxatio proprio motu à Pontifice facta effectum obtineat. At ſocietatis profeſsi ſolum permittere videntur ſe non procuraturos, nec conſenſuros in paupertatis relaxationem; procuratione inquam, & conſenſu, qui illius cauſa ſit. Ergo. Et confirmo, Societatis profeſsi vouent in ſua puritate paupertatem ſub voto comprehenſam conſeruare, integrumque, & illæſum votum illius retinere; quod neceſſario ſubintelligendum eſt; dum illa paupertas ſub voto comprehenditur, & votum illius illæſum manet. At facta hac conceſsione ea paupertas, quæ antea ſub voto comprehendebatur, iam non comprehenditur; cum non ſit obligatoria, ſed voluntaria, neque votum illæſum manet, cum eius obligatio ceſſet. Ergo votum de conſeruando eo voto non obligat. Tandem quia ſciens Pontifex ſocietatem obligari voto ſpeciali ad nihil agendum in paupertatis relaxationem; ſi eo voto non obſtante relaxationem concedat arbitrio ſocietatis remiſſam ſine dubio cenſetur diſpenſare in voto vtpote quid neceſſario prærequiſitum ad legitimam conceſsionis acceptationem. Neque enim præſumendum eſt Pontificem velle ſuæ gratiæ acceptationem peccaminoſam eſſe. Atque ita ſuſtinet Suar. *tom. 4. de Relig. tract.*10. *lib.6. c.6. n.16. in fine*, vt ex eius ratione manifeſtè colligitur.

PVNCTVM V.

Qualiter profeſſi ſocietatis obligentur intra ſocietatem non ambire prælationem.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur votum.*
2 *Proponitur materia voti.*
3 *An ſit contra votum aliquam actionem externam exercere aptam ad obtinendam dignitatem eo animo, & intentione? Duplicem actionem diſtinguit Suar. de prima negat, de ſecunda affirmat.*
4 *Verius eſt nullam ex ſupradictis actionibus voto aduerſari, niſi iis circumſtantiis facta ſit, vt prudenter ex illa colligi poſſit ambitioſus operantis animus.*
5 *Reſpondetur arg. in contrarium adductis.*
6 *Nomine dignitatis, & prælationis in ſocietate intelligitur ordinaria & delegata.*
8 *Tranſgreſſor huius voti pœna inhabilitatis ad quamcunque prælationem punitur.*

1. SEcundum votum, quod profeſſi in ſocietate emittunt, eſt de non ambienda prælatione vlla, vel dignitate

in

in ſocietate. Quod votum his verbis emittitur. Præterea promitto nunquam me acturum, nec prætenſurum, nec indirectè quidem, vt in aliquam prælationem: vel dignitatem in ſocietate eligar, vel promoueat. Eſſe hoc votum licitum & ſanctum, ſocietati conuenientiſſimum nemini poteſt eſſe dubium; cum ſæpè à ſede Apoſtolica ſit probatum ſpecialiter à Gregor. XIII. in bulla, *Aſcendente*. Et quia hac via præcluditur ambitioni aditus, contentiones, inuidiæ, diſſentiones, calumniæ, aliaque huius generis mala remouentur, & felix ſocietatis ſtatus conſeruatur. Quæ ſunt rationes, ob quas S. Ignat. 10 *p. conſtit.* §. 6. iniungit profeſſis hoc votum. Profeſſis autem ſpecialiter iniungit, & non ſcholaribus, & coadiutoribus formatis; quia penes ipſos maximè eſt ſocietati gubernatio, ex eorumque ambitione ſupradictorum malorum periculum magis timere poterat.

2. Materia huius voti eſt negatiua, ſcilicet non agere nec prætendere etiam indirectè aliquam in ſocietate prælationem, vel dignitatem. Vnde huic voto ſatisfacis, dum non agis, nec prætendis; tametſi deſideres, appetaſque dignitatem; quia etſi poſſet eſſe votum de non deſideranda, nec appetenda dignitate; at de facto illud votum non præſtas, vt conſtat ex forma, qua illud emitis, & ex ratione, qua motus eſt S. Ignat. ad hoc votum iniungendum, qui fuit ſocietatem in ſuo felici ſtatu conſeruare, quem internus appetitus, dum exterius non manifeſtatur, non perturbat. Et præterea obligari voto ad non deſiderandam, nec appetendam interius dignitatem conueniens non erat; quippe multis ſcrupulis, & conſcientiæ anxietatibus eſſet expoſitum. Atque ita ſuſtinet Vaſq. 1.2. *q.* 74. *art.* 8. *diſp.* 115. *c.* 3. *in fine*. Sanch. *lib.* 6. *ſum. cap.* 18. *n.* 18. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 9.

3. Quocirca difficultas eſt; an preces contra hoc votum aliquam actionem externam exercendo aptam ad obtinendam dignitatem eo animo, & intentione? v.g. ſi ſtudiis vaces, ſi regulas obſerues, ſi virtutem fingas, ſi bonam apud Generalem, & Prouinciales æſtimationem procures, ſi beneficia, & obſequia præſtes animo quærendi prælationem? an pecces contra votum? Suar. *dicto* 4. *tract. lib.* 6. *cap.* 7. *à n.* 10. diſtinguit inter has actiones. Alias, inquit, ſunt ex ſe bonæ, & honeſtæ quæque ſolum ex intentione vitiantur, quales ſunt ſtudiis vacare, obedientiam ſectari, regulari diſciplinæ, exterioique obſeruantiæ inſiſtere. Has ſi præſtes animo quærendi prælationem voto non aduerſaris; quia ea ſolum eſt ambitio interior, & quoad Deum, non exterior, & quoad homines. Et quia illæ actiones non mouent effectiuè ſuperiorem ad prælationem concedendam, ſed ſolum obiectiuè te magis capacem, & aptum oſtendendo, nequis ergo voto aduerſari, cum eas exerces. Aliæ (inquit Suar.) ſunt actiones ad ſummum indifferentes, quæ ſi bono fine careant, ſtatim contrahunt ſpeciem quamdam ambitionis. Hæ ſunt fingere virtutem, beneuolentiam ſuperioris obſequiis, & beneficiis procurare, bonam apud Generalem æſtimationem habere ex aliorum relatione. Has inquam ſi præſtes animo quærendi dignitatem, votum lædis; quia eſt prætenſio indirecta. Tum quia hæ non te aptiorem, & capaciorem reddunt, ſicuti literis vacare, & regulari obſeruantiæ inſiſtere ac proinde non mouent ſolum obiectiuè, ſed effectiuè, excitando, & inducendo ſuperioris voluntatem. Tum quia nulla eſt efficacior negociatio indirecta, quam quæ iis viis patratur. Tum denique quia ſi hæ actiones à prætenſione indirecta excluduntur, nulla aſſignari poteſt, quæ ſit prætenſio indirecta. Subdit verò Suar. *dicto lib.* 6. *c.* 7. *n.* 12. *in fine* hæc in individuo non ſemper eſſe peccata mortalia tum ob leuitatem materiæ. Tum quia intentio illa ſubrepit, & non eſt ſatis deliberata. Tum quia non proprie imperat actum, ſed ſolum illi adiungitur, & circa illum verſatur, vt circa obiectum tantum: & ita vel eius malitia eſt mere interna, vel certè prout exterius prodit, leuis eſt.

4. Cæterum verius cenſeo nullam ex ſupradictis actionibus voto aduerſari, niſi iis circumſtantiis facta ſit, vt prudenter ex illa colligi poſſit ambitioſus operantis animus: ſic expreſsè docet Sanch. lib. 6. ſum. *c.* 18. *n.* 19. *& ſeqq.* Ratio eſt: quia per huiuſmodi votum (vt ipſemet Sanch. docet) non prohibetur quælibet ambitio, & prætenſio apud homines, qui poſſunt concedere prælationem. At dum exercitio illarum actionum animum prauum non manifeſtas, non ambis apud homines, nec prætendis, cum ipſos omnino lateat. Ergo illis actionibus ſic exercitis voto aduerſaris. Et confirmo ſi ab illis actionibus intentionem quærendi prælationem excluderes, & ob alios fines eas præſtares, neque apud Deum, neque apud homines ambitioſus eſſes (vt ipſemet Sanch. concedit) & eſt per ſe manifeſtum. Ergo ex ſola ſuperaddita intentione, interiori quærendi prælationem, ambitio, & prætenſio exterior eſſe non poteſt. Ergo nec contra votum. Præterea huiuſmodi voto prohibetur ambitio, & prætenſio, ex qua felix ſocietatis ſtatus perturbari poteſt litibus, contentionibus, inuidiis, & calumniis, aliiſque malis, quæ ex contentione naſcuntur. At dum ambitio ſecreta eſt, neque hominibus manifeſta, nequeunt huiuſmodi lites, contentiones, æmulationes, & calumniæ oriri. Ergo illa ambitio, & prætenſio non eſt, quæ voto prohibetur. Denique id ipſum colligitur apertè *ex* 10. *p. conſtit.* §. 6. vbi hoc votum iniungitur; ſi quidem in ea clauſula, & eodem textu dicitur; vt profeſſi Deo, ac Domino noſtro vouent ſe nihil vnquam ad prælationem obtinendam acturos, & quos agere animaduerterint delaturos. Atqui deferri non poſſunt, nec animaduerti agere contra votum, niſi in exteriorem actum ambitio, & negociatio prodeat, ergo de ſola negociatione, procuratione, ambitio neque exteriori, & manifeſta votum procedit. Notanter dixi niſi ſpectatis circunſtantiis prudenter colligeretur eo animo quærendi prælationem ſupradictas actiones fieri; nam tunc manifeſtum eſt prætenſionem ſaltem indirectam eſſe, & ita ſuſtinet Sanch. *dicto cap.* 18. *n.* 10.

5. Neque obſtant in contrarium adducta. Nam eſto prædictæ actiones non te conſtituant magis aptum, & capacem in re ipſa dignitatis obtinendæ; at in apparentia, æſtimationéque hominum te aptiorem reddunt; ac proinde non mouent effectiuè voluntatem concedentis prælationem, ſed obiectiuè tantùm, quatenus illis poſitis magis dignus iudicatis, cui prælatio concedatur. Secundum, & tertium petit in quo conſiſtat prætenſio indirecta, & qua ratione à directa diſtingui poſſit; Sanch. *dicto cap.* 18. *n.* 23. reſpondeo nullam eſſe diſtinctionem, ſed pro maiori vitij exterminatione additum eſſe illud verbum, *nec indirectè quidem*. Secundo reſpondet illam eſſe directam prætenſionem, quando expreſſis verbis, vel ſignis dignitas prætenditur; indirectam vero, quando ſimulato alio colore procuratur; ſicuti donatio directa fit, quando do ſub nomine donationis aliquid donatur; indirecta, quando ſub titulo mutui animo non repetendi conceditur. Ego vero dicerem prætenſionem directam eſſe, quando quis per propriam perſonam prætendit apud eum, qui prælationem conceſſurus eſt; indirectam verò, quando medio alio prætendit. Non enim ſatis percipio, quomodo non ſit directa prætenſio (eſto non ſit ſatis expreſſa) ea qua quis animo quærendi dignitatem, actionem præſtat ſufficienter declaratiuam ſuæ prauæ intentionis.

6. Supereſt explicandum quid nomine dignitatis, & prælationis in ſocietate intelligatur; Sed ab hoc negotio nos liberauit *ſeptima congregatio decreto* 44. *aliàs* 37. *&* 38. affirmans nomine dignitatis, & prælationis idem in ſocietate ſignificari; ac proinde venit intelligenda dignitas, & prælatio ordinaria, & delegata. Ordinaria dignitas eſt Generalis, Prouincialis, Præpoſiti, & Rectoris. Delegata commiſſarij, viſitatoris, vicegeneralis, viceprouincialis, vicepræpoſiti, & vicerectoris, ita tradit Sanch. *lib.* 6. *ſum. c.* 18. *n.* 25. Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 14. Ex quibus infertur, non eſſe contra hoc votum prætendere eſſe procuratorem deſignatum in congregationem generalem, eſſe aſſiſtentem, eſſe miniſtrum, eſſe prædicatorem, & lectorem Theologiæ, quia hæc omnia officia ſunt, non dignitas, neque prælatio, & tradit *Sanch. & Suar. ſuprà* qui de officio procuratoris ſatis inclinat ſub voto debere comprehendi ob poteſtatem, quam ſuſcepit ſocietatem gubernandi, & generalem eligendi.

7. Sed quæ pœnæ ſint tranſgreſſoribus huius voti impoſitæ? Reſpondeo eſſe pœnam inhabilitatis, & incapacitatis ad quamcumque prælationem: ſic habetur 10. *p. conſtit.* §. 6. Si vero ſit ambitio generalatus vltra inhabilitatem paſſiuam ad prælationem imponitur inhabilitas actiua, perpetuò enim excluditur à generali congregatione, vt conſtat ex 8. *p. conſtit. cap.* 6 §. 2. An verò à Prouinciali eſſet excludendus non ibi exprimitur, ſed meritò excludendus eſſet, qui vitium ſic religioni nociuum commiſit. Vt autem hæ pœnæ locum habeant opus eſt ſententia ſaltem declaratoria criminis, quæ ſine probatione manifeſta dari non poteſt. Et licet 10. *p. conſtit. cap.* 6. §. 6. dicatur eſſe inhabiles ad quamuis prælationem eos; de quibus probari poſſit, quod eam ambiiſſent, non debet intelligi de poteſtate probationis, ſed de poteſtate iam reducta ad actum, vt benè notauit Suar. t. 4. de relig. *tractat.* 10. *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 16. Qualiter autem probatio ambitionis Generalatus facienda ſit, traditur à *conſtitut. dicta* 8. *p. cap.* 6. §. 2. *in declarat. A.* neque circa illam aliquid notandum occurrit.

PVNCTVM I.

Qualiter obligentur profeſſi Societatis nullam prælationem, nec dignitatem extra Societatem prætendere, eamve acceptare, quin à Summo Pontifice obligentur.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur votum.*
2 *Proponitur materia voti.*
3 *Quid nomine prælationis, & dignitatis intelligatur.*

4 *Apponuntur rationes, quare S. Ignat. profeſſis votum indixit non acceptandi prælationem, & dignitatem extra Societatem, niſi obedientia, qui præcipere poteſt coacti, non autem votum indixit non acceptandi prælationem, vel dignitatem intra Societatem.*

5 *Delinquentibus in hoc voto nulla ſpecialis pœna ipſo iure aſſignata eſt.*

1. TErtium votum ſimplex, quod profeſſi poſt profeſſionem emittunt, eſt non procurandi vllam prælationem, aut dignitatem extra Societatem, neque illam acceptandi, niſi ex præcepto teneantur. Quod votum hac forma exprimitur: Promitto præterea numquam me curaturum prætenſurumve extra Societatem Prælationem aliquam, vel dignitatem, nec conſenſurum in mei electionem, quantum in me fuerit, niſi coactus obedientia eius, qui mihi præcipere poteſt ſub pœna peccati: Sic traditur, 10. *p. conſtit.* §. 6. & in Bulla Gregor. XIII. quæ incipit *Aſcendente*. Duplicem rationem huius voti ſubdidit conſtitutio: Prima, vt vnuſquiſque animarum ſaluti iuxta noſtræ profeſſionis humilitatem, & ſubmiſſionem inſeruiat. Secunda, ne Societas iis hominibus, qui ad propoſitum ſibi finem ſunt ei neceſſarij priuetur. Specialiter hoc votum profeſſis, & non ſcholaribus indixit: quia ob eminentiam naturalium, & ſupernaturalium donorum, prudentiæ, ſcientiæ, & virtutis, quam præſumuntur habituri, facilius gratiam principum conſequentur, & ad dignitates, & prælationes promouebuntur. Conueniens ergo fuit illis hoc obſtaculum apponere, tum vt remota ambitione, & rerum ad ſuum ſtatum non pertinentium cura ſaluti proximorum incumberent, tum vt Societas ſemper miniſtris aptis abundaret, & in ſuo ſplendore conſeruaretur.

2. Quod autem hoc votum honeſtum ſit, relinquimus probatum *tract. præced. diſp.* 1. *p.* 7. §. 5. *à n.* 6. Materia huius voti eſt excluſio, ſed negatio cuiuſcunque prætenſionis de dignitate, ſeu prælatione extra Societatem, etiamſi illa prætenſio non finem vanum, ſed alias honeſtum haberet, quia S. Ignat. cuilibet prætenſioni ob bonum ſuæ Religionis aditum præcludere intendit, quem finem non obtineret, ſi prætenſionem ex honeſto fine permitteret, vt bene notauit Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 6. *c.* 7. *n.* 5. Deinde non ſolum eſt negatio prætenſionis, ſed dignitatis oblatæ liberæ, & ſpontaneæ acceptationis, quia perfectius eſt tum ob bonum proprium, tũ religionis officia, quæ ex ſe ſplendorem afferunt, & honorem, quorumque obligationibus non facile ſatisfit non acceptare niſi neceſſitate cogente. Neque ea repugnantia obedientiam euacuat, ſed potius eam perficit, vt optimè dixit Gregor relatus *in cap. ſciendum* 8. *q.* 1. ibi: ſi obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur; proſperis huius ſæculi, ex ſola iuſſione, aduerſus etiam ex deuotione militamus.

3. Nomine prælationis, Epiſcopatus, Abbatia, Prioratus, Vicariatus Epiſcopi, & quælibet alia dignitas iuriſdictionem habens intelligitur. Sub nomine dignitatis non ſolum Cardinalatus, ſed quælibet dignitas tum Eccleſiæ Cathedralis, tum Collegiatæ, tametſi iuriſdictionem non habeat, comprehenditur.

4. Quod ſi roges, quare S. Ignatius ſuis alumnis profeſſis votum indixit non ſolum non procurandi, ſed nec acceptandi prælationem, & dignitatem extra ſocietatem, niſi obedientia eius qui præcipere poteſt coacti, non autem indixerit votum non acceptandi prælationem, vel dignitatem intra ſocietatem? Optimè reſpondet Suar. *t.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 6. *c.* 8. *n.* 21. id factum eſſe; quia Prælatio, & dignitas extra religionem maiorem præ ſe fert honorem, & ſplendorem, maioribuſque periculis ſubiicitur, quam dignitas, & prælatio intra religionem, idcóque opportuit grauioribus remedijs præueniri. Præterea neceſſarium erat religioni, vt aliqui intra illam prælationem acceptarent, ſecus verò vt acceptarent extra cum religio ea acceptatione vtilioribus miniſtris priuetur, ob quam cauſam Greg. relatus *in cap. hinc eſt*, 16. *quæſt.* 1. inquit Francorum Regem præcepiſſe, vt eiuſdem monaſterij Abbas nunquam ad Epiſcopatum eligeretur, ne fortè occaſione Epiſcopatus Abbatia aliquid detrimenti pateretur. Deinde ordinario, ſuaui, & communi regimini religionis non erat expediens ſic religioſis aditum prælationibus, quas neceſſariò habituri ſunt, præcludere, vt ad eas aſcendere non poſſent niſi præcepto compulſi; benè tamen erat expediens comparatione prælationum, quas nec neceſſariò habituri ſunt, nec religioni expedit, vt habeant. Deinde ad præcauendam ambitionem, & pacem religionis conſeruandam, ſufficiens erat votum non procurandi dignitatem. At vt religioſi ſocietatis ſua ſorte contenti ſint, & ſecũdùm ſuum inſtitutum ſaluti proximorum pro vitibus incumbant, & maximè ne ſocietas vtilioribus miniſtris priuetur, non ſatis erat votum non procurandi, niſi ſimul non acceptandi adderetur.

5. Delinquentibus in hoc voto nulla ſpecialis pœna ipſo iure aſſignata eſt, ſicuti aſſignantur ambientibus prælationem intra ſocietatem: quia vt inquit Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 16. hoc crimen magis priuatum eſt, neque ita religioni nocet; ac proinde iudicatum fuit ſatis eſſe ſuperiorem arbitrio remitti puniendum.

PVNCTVM VII.

Qualiter profeſſi teneantur ambientes manifeſtare.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur votum.*

2 *Proponitur materia voti.*

3 *An tenearis iudicialem denunciationem facere; Probabile eſt te non teneri.*

4 *An obligatus ſis ex voto denunciare tantum profeſſos, an etiam ſcholares, & coadiutores formatos; De vtriſque affirmat Sanch. Verius eſt ſolos profeſſos denunciandos eſſe. Et ſatisfit contrarijs.*

5 *Delictum emendatum tam quoad culpam, quam quoad eius effectum denunciare non teneris.*

6 *Si vero acta pœnitentia effectus ambitionis emendatus non ſit, denunciare teneris.*

7 *Vt à denunciatione facienda excuſeris, certò tibi conſtare debet delictum eſſe emendatum.*

8 *Certa notitia requiritur, vt tenearis ex voto denunciare.*

9 *Opus non eſt delictum eſſe publicum, vt denunciare tenearis, ſufficit ſi ſcias certitudine morali.*

10 *An ſi gratia petendi concilij, vel in ordine ad confeſſionem, vel in ordine ad ſatisfactionem faciendam delictum tibi reuelatum ſit, denunciare tenearis? Arguitur pro parte affirmatiua.*

11 *Prædicta conſultatio etſi ſub ſigillo confeſſionis ſeruanda non ſit tamen raro, vel nunquam manifeſtanda eſt.*

12 *Reſpondetur rationibus contrarijs.*

13 *Non teneris, ſed potes præmittere fraternam correctionem, antequam ambitionem, quam manifeſtare debes, manifeſtes.*

1. QVartum votum ſimplex, quod profeſſi poſt profeſſionem emittunt, eſt de denunciandis ambientibus dignitatem intra, vel extra ſocietatem. Quod votum ſub hac forma emittitur in præſenti: Tum ſi quem ſciam aliquid prædictorum duorum curare, vel prætendere, promitto illum, témque totam me manifeſtaturũ Societati, vel Præpoſito eius. Hæc forma vouendi initium habuit à congregat 3. generali *decreto* 34. *aliàs.* 46. approbatáque fuit à Greg. XIII. in Bulla *Aſcendente*. Nam antea, vt conſtat ex *congregat.* 1. *decreto* 99. *aliàs* 102. ſolum fiebat votum de denunciandis ambientibus dignitatem intra ſocietatem non extra; quia in *conſtitut. p.* 10. §. 6. de his rãtum denunciandis votum faciendum exprimitur, vt manifeſtè conſtat contextum conſideranti. Inquit enim conſtitutio: Erit etiam ſummi momenti, vt perpetuo felix ſocietatis ſtatus conſeruetur, diligentiſſimè ambitionem malorum omnium in quauis republica, vel congregatione matrem ſubmouere, ac aditum ad dignitatem, vel prælationem vllam directè, vel indirectè quærendam in ſocietate præcludere. Quod vt fiat omnes profeſſi ſe nihil vnquam ad eam obtinendam acturos, & quos agere animaduerterint delaturos Deo, ac Domino noſtro vouent. Et poſt hæc ſubiungitur votum faciendum de non procuranda, nec acceptanda dignitate extra ſocietatem, cui voto non adiungitur ibi votum contra facientis denunciandi. Ratio huius voti ea fuit, vt ambitioni integrè aditus præcluderetur. Ambitioſi enim timore denunciationis ab ambitione retrahentur. Quod ſi aliquando in eam procedant, denunciatione coërcebuntur.

2. Materia eius voti eſt denunciatio non ſolum quæ alias eſt obligatoria ex charitate, vel iuſtitia, ſed etiam illa, cuius nulla eſt obligatio; honeſtè tamen, & vtiliter fieri poteſt. Tum quia votum generaliter emittitur abſque vlla reſtrictione, ac proinde quamlibet denunciationem honeſtè faciendam comprehendere debet. Tum quia non ſatis prouiſum eſſet ambitioni, ſi ſolam denunciationem obligatoriam votum ſpectaret. Tum denique quia parum vtile eſſet votum, cuius materia aliunde præcepta eſt; & ita ſuſtinet Suarez tom. 4. de Relig. *tractat.* 10. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 5. Sanchez *lib.* 6. *ſumm. cap.* 10. *num.* 59. Ob eaſdem rationes non limitatur denunciatio, vt ſolum iudicialem, vel paternam comprehendat, ſed vtramque reſpicit ſub diſiunctione ſecundum quod honeſtè, & licitè fieri poteſt.

3. An autem iudicialiter denunciare teneatis cum denunciatio iudicialis fieri poteſt, difficultate non caret: Videris teneri maximè ſi præceptum Superioris de denũciatione iudiciali facienda accedat; quia cum votum ſit generale vtramque denunciationem comprehendens intelligi debet de denunciatione faciendæ,

facienda, quæ bono communi societatis conuenientior sit. At bono communi societatis sæpe conuenire potest, vt denunciatio iudicialis fiat, tum vt delinquens puniatur, tum vt aliis sit in exemplum; ergo eo casu ex voto videris obligatus iudicialiter denunciare. Nihilominus probabile est ex vi voti te non amplius obligari, quam ad denunciationem faciendam abstrahendo à iudiciali, vel paterna denunciatione: quia votum solum denunciationem indixit absque huius, vel alterius expressione. Quocirca etiam in casu quo necessaria esset iudicialis denunciatio, credo te satisfacturum voto, si paternè denuncies, tametsi aliunde vel ex charitate, vel ex præcepto superioris obligeris iudicialiter denunciare: sic sustinet Suarez tom. 4. de Religione, *tractat.* 10. *libr.* 6. *c.* 10. *n.* 9.

4. Quas vero personas ambientes obligatus sis ex hoc voto denunciare; an tantum professos, an etiam scholares, & coadiutores formatos; non conueniunt Doctores: Sanchez *lib.* 6. *summ. cap.* 18. *num.* 54. censet omnes tam professos, quam non professos te esse obligatum denunciare. Mouetur ex formula, qua hoc votum emittitur, quæ generalis est ibi: *Tum si quem sciam*, non enim dicit si quem sciam professum, sed absolutè; comprehendit; ergo omnes societatis religiosos. Præterea, quia ambitio etiam habere locum potest in non professis, & ex eorum ambitione societati non leuia damna oriri possunt, ergo vt bono societatis satis prouisum censeatur, hi omnes denunciandi sunt. Cæterum verius censeo solos professos ambientes denunciandos esse ex hoc voto. Votum enim hoc denunciationis faciendæ, est vt vota illa duo antecedentia de non procurandis dignitatibus intra, vel extra societatem integrè obseruentur? ac proinde solum eos, qui ea vota emiserunt comprehendit. Quapropter etsi generaliter voueas denunciare, si quem scias prætendere dignitatem extra, vel intra societatem? at ex adiunctis manifestè limitatur ad eum, qui ex voto fuit obligatus non prætendere, facitque hunc sensum: Tum si quem ex supradictis vouentibus sciam, &c. Quod confirmatur ex 10. *part. constitut.* §. 6. vbi cauetur, vt professi voueant se nihil vnquam ad obtinendam dignitatem acturos, & quos agere animaduerterint agere contra id quod promiserunt, ergo ad alios denunciandos votum non extenditur. Neque obstat in non professis ambitionem habere posse locum, vt inde inferas votum ad non professos extendi; sicut enim votum non procurandi dignitatem non fuit extensum ad non professos, neque etiam votum professorum de denunciandis ambientibus ad illos extendi debebit. Horum enim ambitioni satis consultum credidit B. Ignatius regulæ, & charitatis obligatione: & ita sustinet Suarez *tom.* 4. *de Relig. tractat.* 10. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 7.

5. Sed quod delictum est denunciandum, an solum præsens, & pendens in futurum, an etiam præteritum, etiam emendatum: Sanchez *dicto lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 60. affirmat si secretum sit, non esse denunciandum, secus si publicum; quia secretum denunciari non potest nisi ad correctionem, quæ cessat delicto emendato; at publicum denunciari potest ad punitionem delicti, & aliorum exemplum, qui fini etiam in delicto emendato obtineri potest. Nihilominus verius existimo ex voto prædicto te non esse obligatum denunciare delictum emendatum tam quoad culpam, quam quoad eius effectum. Moueor ex formula, qua votum emittitur, & in constitutionibus emittendum iniungitur, & à Gregor. XIII. approbatur. Formula est: Vum si quem sciam procurare, vel prætendere, non dicit si quem sciam procurasse, vel prætendisse. Idem tradit *constitut.* 10. *p.* §. 6. dicens: & quos agere animaduerterint; quæ verba actionem actualem, non præteritam denotant. Idem confirmat modus loquendi Greg. XIII. in dicta bulla *Ascendente*. ibi: si quem sciam aliquid huiusmodi moliri, quæ sine dubio præsentem delicti patrationem important. Et confirmari potest: nam cum B. Ignatius voluit delictum ambitionis præterium denunciari, id expressit, vti fecit in ambitione Generalatus, 8. *p. constitut. cap.* 8. §. 2. ibi: si sciat aliquem hoc munus affectasse, vel etiam tunc affectare. Ergo cum in huiusmodi voto de sola affectatione præsenti tantum fuerit locutus, de sola illa est votum intelligendum. Neque obligatio voti, sicut & legis extendenda est ad casum sub verbis non comprehensum; atque ita docet Suarez *lib.* 6. *cap.* 10. *numer.* 15. Neque obstat delictum publicum denunciari posse, esto emendatum sit; quia erit denunciandum vel ex lege charitatis, vel ex iustitia legali, sed non ex obligatione huius voti.

6. Notanter dixi, si delictum emendatum sit non solum quoad culpam, sed etiam quoad eius effectum. Nam contingere potest quod aliquis prælationem ambierit, & de ambitione pœnitentiam egerit, attamen effectus ambitionis emendatus non sit, sed sit in pendenti, efficacitérque electorem mouens ad electionem, eo casu crederem te esse obligatum denunciare. Tum quia ille ambitiosus in virtute, & in effectu molitur, agit, & procurat prælationem. Tum quia finis, ob quem votum iniungitur, qui est ne dignitates ambitione obtineantur, integer perseuerat. Et ita substinet Suar. dicto t. 4. de Religione, *tractat.* 10. *lib.* 6. *c.* 10. *n.* 17. Sanchez *lib.* 6. *summ. cap.* 18. *n.* 60.

7. Insuper aduerte, vt excuseris à denunciatione facienda ex obligatione huius voti esse tibi necessarium certò constare delictum emendatum esse tam quoad culpam, quam quoad effectum. Nam si dubius es, obligaris denunciare, quia votum est certum, certáque eius obligatio, quam excutere non potes ob excusationem dubiam: sic Sanchez *dicto lib.* 6. *summ. cap.* 18. *num.* 60. *fine.*

8. Restat examinare, quam notitiam habere debeas delicti, vt tenearis ex hoc voto denunciare; an inquam sufficiat dubia, an requiratur certa, an necessaria sit publica, an secreta sufficiat; & quæ hæc sit. Dicendum in primis est necessariò requiri certam notitiam ad voti obligationem, tametsi aliquando expediat suspicionem delicti superiori vt Patri manifestare, tum vt ipse diligentius inuigilet ad damna præcauenda, tum vt suspicionis occasionem tollat, si firmo fundamento caret: sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 10. *à num.* 11. Sanch. *lib.* 6. *summ. cap.* 18. *à num.* 55. Ratio desumitur ex forma vouendi, quæ dicit, Si quidem sciam: verbum enim *scire* in sua propria significatione, & vsu frequenti certitudinem saltem moralem denotat, vt tradit Aristot. 1. *poster.* & Glossa *leg.* 2. §. *idem Labeo*, *ff. de aqua pluuia arcenda.* Idem constat ex illo termino constitutionis: *Et quos animaduerterint*, qui etiam notitiam claram denotat. Ad certam autem notitiam opus non est, vt tu ipse videris negotiationem; sufficit si à vitio timoratæ conscientiæ, omnique exceptione maiori acceptis, quia eius dictum certam tibi moraliter præstat notitiam, vt tradit Felinus *cap.* 1. *de summa Trinitate, & fide Cathol.* Nau. 1. *inter verba, concluf.* 6. *coroll.* 66. *n.* 389. quos refert, & sequitur Suarez *to.* 4. *de Religione, tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 18. *n.* 12. & indicat Sanch. *lib.* 6. *summ. cap.* 18. *n.* 55.

9. Ex his infertur manifestè non esse opus delictum publicum esse, vt tenearis ex vi huius voti ad denunciationem: Nam cum hæc denunciatio non tam ordinetur ad puniendum delictum, quam ad corrigendum delinquentem, & bono communi consulendum, publicatione non indiget, sed qualibet certitudine morali contenta est: & ita sustinet Suarez *dicto cap.* 10. *num.* 12. & 23. Sanchez *cap.* 18. *num.* 56. Quocirca si tum ipse solus delictum cognoueris tametsi sub secreto commissum sis, teneris denunciare superiori, vt patri; quia bonum commune religionis præferendum est damno delinquentis, maximè cum ipsi delinquenti non leuis ex denunciatione fructus acquiratur; siquidem ab ambitione remouetur, & à consecutione iniqua dignitatis impeditur. Neque obstat delictum tibi fore sub secreto commissum; quia is qui in delicto persistit, & religioni nocere non desinit, dignus non est, vt secretum seruetur: promissio enim secreti seruandi semper imbibit conditionem, dummodo in alterius nocumentum, & præcipuè boni communis non cedat Suarez *dicto cap.* 10. *n.* 23. & 24. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 18 *num.* 57.

10. Solum est difficultas, si gratia petendi consilij, vel in ordine ad confessionem, vel in ordine ad satisfactionem faciendam tibi reuelatum sit, poterisne tunc denunciare, tametsi delinquens consiliis non acquiescat, nec confessionem, nec satisfactionem præstet? Videris posse denunciare, & consequenter ex vi voti esse obligatus, primò, quia generales rationes, quod secreti obseruatio non astringat in damnum commune in præsenti casu procedunt; siquidem ex obseruatione huius secreti societati imminet damnum, quod tantopere vitare B. Ignatius curauit, scilicet ambitionem malorum omnium matrem locum habere in societate. Secundò ipse delinquens grauius læditur obseruatione secreti, quam læderetur eius manifestatione. Nam ex illa manifestatione facta superiori vt Patri nec infamari potest, nec puniri, poterit autem à peccato remoueri, & obligari vt ab iniqua intentione desistat, quæ certè grauius æstimanda sunt, quam leuis infamia, quam apud superiorem delinquens habere potest. Tertiò manifestans delictum gratia petendi consilium, si consilio malitiosè non acquiescit, tacitè videtur iura secreti consilij renunciare. Tum quia indignus est, cui secretum seruetur: tum quia dolosè præsumitur consilium postulasse, & ita meo iudicio docet Sanchez *lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 57.

11. Sed imprimis existimo certum suprad ictam consultationem non esse sub sigillo confessionis seruandam; nam esto ad confessionem dirigatur non ex se, sed ex relatione extrinseca consulentis dirigitur. Sigillum autem confessionis sola confessio inducit, non relatio extrinseca. Ergo ibi adesse non potest sigilli secretum: & ita sustinet Suarez *t.* 4. *de Relig. tr.* 10. *lib.* 6. *c.* 10 *n.* 28. & 29. Sanch. *lib.* 6. *sum. c.* 19. *n.* 57. dicens esse quasi sigillum confessionis, denotans sigillum non esse. Ex quo fit casum esse posse, quod secretum commissum sub hac consultatione seruandum non esset, nempè cum eius reuelatio necessaria esset ad impediendum damnum graue reipublicæ, vel innocentis, vt colligitur ex doctrina generali quâ tradit Nauarr. *sum. c.* 25. *n.* 46. & *c. inter verba, cor.* 6 *n.* 401. Cord *lib* 1. *qu. q.* 43. *dub.* 2. *casu* 3. Verum etsi sub sigillo confessionis præ-

dicta conſultatio ſeruanda non ſit; at credo ſeruandam omnino eſſe, & raro, vel nunquam hoc delictum per conſultationem ſcitum manifeſtandum: ſic docuit Suarez *dict. c. 10. n 29. & 30.* Ratio eſt, quia cuilibet religioni vtilius, & conuenientius eſt, vt religioſi intelligant, cum petunt conſilium pro remedio alicuius delicti, ſecretum ſibi eſſe ſeruandum, quam nocere poſſit, quod vna, vel alia vice dignitas, & prælatio ambitione obtineatur; quia perſuadentes ſibi ſecretum ſeruandum eſſe, ea manifeſtatione regulariter delicta efficacius, & ſuauius vitantur, quæ ſecreta ſerperent cum maiori religionis damno. Eáque cauſa in *congregat. 6. generalis, can. 12. & decreto 54.* vbi de manifeſtatione delictorum ſuperiori facienda dicitur, intelligi de illis, quæ ab aliquo alio notata, & obſeruata fuerint, non autem de his, quæ ipſimet ſecreto, & conſilij petendi gratia, vt dirigantur, vel iuuentur, alteri communicauerint.

12. Et ex his ſoluuntur rationes contrariæ. Nam prima, & ſecunda diſſoluuntur ex probatione noſtræ ſententiæ: non enim hoc ſecretum ob vitandum damnum delinquentis ſeruatur, ſed ob vitandum commune damnum, quod ex omiſſione conſultationis communitas pati poteſt. Ad tertiam concedo, ſi probabiliter præſumi poſſet malitioſè conſilium expoſtulatum nullam eſſe obligationem ſeruandi ſecretum; quia tunc manifeſtatio delicti non fieret gratia petendi conſilij, ſed fallendi, vt benè notauit Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 10. num. 30. fine.* At hic animus colligi non poteſt præcisè, ex eo quod conſiliis datis conſulens non acquieſcat, cum in conſilio petendo potuerit recta intentione duci, & poſtmodum ab ea deſiſtere. Obligatio autem ſeruandi ſecretum in conſilio petito non ex euentu futuro dependet, ſed ex ipſamet conſilij petitione oritur, ſicuti oritur obligatio ſigilli confeſſione: eſto abſolutionem non obtines, nec conſiliis confeſſoris acquieſcas.

13. Sed inquires; an tenearis, vel poſſis præmittere fraternam correctionem, antequam ambitionem, quam manifeſtare potes, manifeſtes; Reſpondeo: ex obligatione huius voti (de qua eſt ſermo in præſenti) nequaquam teneris; quia ſolum voluiſti denunciare, non tamen denunciationi correctionem præmittere. An autem ex lege charitatis tenearis? Vide dicta *tractat. 6. de Charitate, diſp. de correct. fraterna.* Regulariter nunquam teneris etiam ex charitate præmittere correctionem. Tum quia eſt delictum cedens in detrimentum communitatis: tum quia ratò per ſecretam monitionem impeditur; benè tamen per manifeſtationem ſuperiori; vt Patri factam; & ita tradit Suarez *tom. 4. de Religione, tract. 10. lib. 6. c. 10. numero 32. & 33.* Secundo reſpondeo ex voto te non impediri, quin correctionem fraternam præmittas; quia non vouiſti denunciare nulla præmiſſa correctione. Eſſet enim votum indiſcretum, cum caſus occurrere poſſet, quo expediret præmitti. Neque ex eo quod præmittas correctionem, à voti executione impediris: cum poſſis facta correctione, & delinquente plenè non emendato votum exequi; & denunciationem facere. Si autem delinquens ita per correctionem emendatur, vt nulla ex ambitione relinquatur via ad dignitatem obtinendam, ceſſat tibi obligatio denunciationis ex voto; quia ceſſat eius materia, quæ ſolum erat delictum præſens ſaltem quoad effectum, non præteritum. Expectare vero materiæ mutationem ex correctione & charitate proximi conſentaneum eſt, nec voto contrarium: ſic Suar. *dicto c. 10. num. 21.*

PVNCTVM VIII.

Quam obligationem Religioſus ſocietatis in Epiſcopum aſſumptus habeat audiendi Præpoſiti Generalis conſilium, illúdque ſequi?

SVMMARIVM.

1 *Explicatur votum.*
2 *Finis, ob quem votum ſit, eſt, vt Epiſcopus aſſumptus propria ſaluti conſulat, & rectè ſe gerat in adminiſtratione muneris ſibi impoſiti.*
3 *Proponitur materia voti.*
4 *Generalis Præpoſitus nullam habet obligationem præter communem charitatis per ſe, vel per alios hos prælatos monendi.*
5 *Prædicta quinque vota punctis præcedentibus explicata ſimplicia ſunt, non ſolemnia.*

1. VLtimum votum ſimplex, quo profeſſus ſocietatis aſtringitur, eſt, ſi forte in Præſidem alicuius Eccleſiæ promotus fuerit, non detractabit conſilia Præpoſiti Generalis, vel ab eo ſubſtituti audire, eáque ſequi, ſi meliora, & Deo gratiora iudicauerit. Quod votum, vt conſtat ex *prima, & tertia Congregatione*, ſub hac forma ex *Conſtitut. 10. part. §. 6.* deducta emittitur: Inſuper promitto ſi quando acciderit, vt hac ratione in præſidem alicuius Eccleſiæ promoueat, pro cura quam de animæ meæ ſalute, ac recta muneris mihi impoſiti adminiſtratione gerere debeo, me eo loco, ac numero habiturum Præpoſitum ſocietatis Generalem, vt nunquam conſilium audire detrectem, quod vel ipſe per ſe, vel quiuis alius de ſocietate, quem ad id ipſe ſibi ſubſtituerit, dare mihi dignabitur, conſiliis vero huiuſmodi ita me pariturum ſemper eſſe promitto, ſi ea meliora eſſe, quam quæ mihi in mentem venerint, iudicabo.

2. Finis, ob quem hoc votum faciendum iniungitur duplex eſt, vt in ſupradicta formula inſinuatur; primus, vt propriæ ſaluti conſulat, ſecundus, vt rectè ſe gerat in adminiſtratione muneris ſibi impoſiti, qui fines connexi omnino ſunt, & inſeparabiles, vt dixit Gregor. *cap. miramur 61. diſtinct.* ibi: integritas præſidentium ſalus eſt ſubditorum. Neque enim quis propriæ ſaluti conſulere poteſt, quin in muneris ſibi commiſſi adminiſtratione rectè ſe gerat. Ad conſequendos ergo prædictos fines conuenientiſſimum fuit huiuſmodi votum. Conſtitutis enim in loco ſublimiori expedit maximè amicum habere fidelem, qui nullo fucato colore veritatem detegat, & manifeſtet quid faciendum ſit, quidve committendum, vt ſatis colligitur ex Clemente Papa, *epiſtol. 3. & refertur cap. fin. 38. diſtinct.* & ex Gregor. *lib. 11. epiſt. 29. relato in cap. peruenit. 64. diſtinct.* & D. Chryſoſtom. *lib. 3. de Sacerdot.* & Auguſt. *epiſt. 75. ad Aurelium*, & Bernard. *epiſtol. 81.* & alibi paſſim. Ob hanc cauſam fit votum audiendi conſilium, quod Generalis, vel ab eo deſignatus dare dignabitur. Inſuper conſtitutis in dignitate non leue periculum eſt deflectendi à via virtutis, & perfectionis, quia honoribus paſſim mores mutantur & diuitiis & voluptatibus voluntas in malum inflectitur, tametſi intellectus quod melius, & honeſtius eſt agnoſcat, ea de cauſa vt in bono firmetur, & quod honeſtius fuerit exequatur votum emittit ſequendi ea conſilia; quæ meliora eſſe iudicauerit.

3. Materia, quam obligatio huius voti reſpicit duplex eſt: prima, non detractare conſilium Generalis, vel alterius è ſocietate ab eo ſubſtituti audire de rebus ad propriam animæ ſalutem, & rectam officij adminiſtrationem pertinentibus. Non eſt votum de audiendis conſiliis circa rerum temporalium adminiſtrationem, circa gubernationem domus, circa ſtudia, circa ſpeciales occupationes, & alia ſimilia, niſi in iis exercendis tanta deordinatio ſit, vt propriæ animæ ſaluti grauiter expedire iudicetur remedium adhiberi. Ex quo ſit aduerſus huiuſmodi votum te delinquere, ſi conſilium de rebus ad propriam animæ ſalutem, rectamque officij adminiſtrationem nolueris audire, vel ita acerbè, & indignanter audias, vt prudenter iudicetur Generalem à ſimili conſilio dando fore vt abſtineat: hoc enim facto virtualiter dicis te nolle conſilium audire. Ergo cum ad illud audiendum paratus eſſe debebas ex voto, manifeſtè aduerſus illud delinquis, Suarez *tom. 4. de relig. tractat. 10. lib. 6. cap. 9. num. 8.* Secunda materia huius voti eſt executio illorum conſiliorum, quæ meliora, & Deo gratiora eſſe iudicaueris. Non voues ſequi conſilium Generalis, etiam ſi honeſtum ſit, quia id eſſet tacitè, & virtualiter obedientiam Generali vouere, quod dignitati Epiſcopali non expediebat, ſed voues illud ſequi, caſu quo iudices melius, & honeſtius eſſe, quam quod tibiin mentem venerit. Quod non eſt vouere obedientiam Generalis conſilio, ſed Deo in exequendo conſilio Generalis meliori & honeſtiori, quod optimè S. P. Ignat. aduertit *dicto loco conſtitut. 10. part. §. 6.* iis verbis: Promittat, quod ſi quando dicto modo compulſus prælationem aliquam extra ſocietatem admittet, audiet poſtea quouis tempore Præpoſiti Generalis, qui pro tempore fuerit conſilium, vel alicuius, quem ille ſibi ad hoc ſubſtituerit, quodque ſi ſenſerit melius eſſe quod conſulitur, ſit illud executurus: non quod habeat qui prælatus eſt aliquem de Societate ſuperioris loco, ſed quod ſponte in Dei conſpectu vult ad faciendum obligari, quod ad diuinum obſequium melius eſſe intellexerit, quodque placeat eſſe aliquem, qui ſibi cum charitate, ac libertate chriſtiana ad gloriam Dei, & Domini noſtri id proponat. Hæc S. Ignatius.

4. Generalis autem Præpoſitus nullam habet obligationem præter communem charitatis monendi per ſe, vel per alium hos prælatos: quia nec eam obligationem habet ex voto, vt de ſe conſtat, neque ex conſtitutionibus: imo potius *10. part. conſtitut. §. 6. in declar.* ab ea obligatione eximitur iis verbis: Non tamen obligatur ſocietas ad hoc munus ſuſcipiendum, quandocunq; alicui ex ea Epiſcopatus eſſet admittendus, imo libera manet, vt id oneris & relinquere, & aſſumere poſſit, vbi multum referre ad Dei obſequium iudicaret. Notanda ſunt hæc vltima verba; denotant enim hoc officium non paſſim aſſumendum eſſe, ſed ratò, & quando ad Dei obſequium plurimum iudicaretur expedire, & tunc etſi cum libertate chriſtiana debita tamen ſubmiſſione, & religioſa humilitate ſuſcipiendum eſt, ne optato effectu conſilium careat: Suar. *to. 4. de relig. tract. 10. lib. 6 c. 9. n. 9.*

5. Vltimo placet aduertere prædicta quinque vota his præcedentibus punctis explicata ſimplicia eſſe, non ſolemnia; ſicuti

ficuti definit expresè prima congregatio generalis, *decreto 99. aliàs 102. & congreg. 1. decreto 34.* & Greg. XIII. in Bulla *Ascendente Domino*, & sub hac intentione emittuntur, & acceptantur. Ratio autem quare simplicia, sint & non solemnia, præcipua est, qui non sunt à Pontifice, vt solemnia statuta cum enim votorum solemnitas ex sola dispositione Pontificis esse possit. Pontifex autem nullam his votis solemnitatem indixerit, nullam solemnitatem habere possunt, sed necessariò erunt simplicia, & ad hoc indicandum non emittuntur hæc vota simul cum professione, sed paulo post, neque in Ecclesia, sed in Sacristia, & minori cum solemnitate. Quod contra accidit voto solemni obediendi Pontifici in missionibus, quod in ipso actu professionis, & non tanquam accessorium, sed tanquam eam professionem constituens emittitur. Quod si roges, quare voto obedientiæ hæc solemnitas concessa est, non autem his votis? Respondeo, quia voto obedientiæ se tradit professus in potestatem Pontificis ad missiones Ecclesiæ, sedique Apostolicæ maximè vtiles exercendas, expediens fuit solemnitatem illi voto, vtpote excellentissimo concedere. At his votis non tam se tradit professus religioni, vt in eius vtilitatem aliquam actionem exerceat, quam vt ab actionibus prauis, & religioni nociuis abstineat, eáque de causa in sua natura simplici relicta sunt; & ita sustinet Suar. latius probans *t. 4. de relig. tract. 10. lib. 6. c. 11. per totum.*

PVNCTVM IX.

Expeduntur præcepta, quibus omnes religiosi Societatis astringuntur.

SVMMARIVM.

1 *Præcepta tum à Præposito Generali, tum à congregatione generali statuta non expirant morte Generalis statuentis, sed omnem suam vim, & obligationem retinent, quousque à successore reuocentur.*

2 *Primum præceptum est, ne vllus è Societate tractet directè, vel indirectè de genere illius, de quo post vota biennij emissa suspicio est ex genere Iudæorum, vel Saracenorum descendere. Et proponitur obiectio.*

3 *Asseritur præceptum iustissimum, & sanctissimum esse. Et obiectioni fit satis.*

4 *Secundum præceptum est, ne vllus è Societate se ingerat in procuranda alicui cathedra, seu canonica, neque ad hunc finem oppositores iuuet. Et explicatur præceptū.*

5 *Tertium est, ne vllus è Societate Patribus Dominicanis opinionem illam posse per epistolam confessionem fieri, & Absolutionem impetrari attribuat. Et explicatur finis & materia.*

6. *Quartum est, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, ne vllus ex nostris denigret religionem, doctrinam, & sanctitatem Dominicanorum Patrum, & explicatur præceptum.*

7 *Quintum est, sub pluribus pœnis, ne vllis è Societate quoquo modo sibi placere significet doctrinam illam, aut secundùm in illam consilium cuiquam det, scilicet in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberatè quæsitam propter leuitatem materiæ excusari à peccato mortali.*

8 *Explicatur, qualiter prædicta doctrina præcepto prohibita sit.*

9 *Sextum præceptum est sub excommunicationis pœna, ne vllus è Societate publicè aut priuatim doceat licitum esse cuicumque personæ quocunque prætextu tyrannidis Reges aut Principes occidere, seu mortem eis machinari. Et explicatur præceptum.*

10 *Septimum est sub pluribus pœnis, ne quispiam publicis & secularibus principum negotiis se immisceat aut etiã rogatus, vel requisitus curã res politicas tractãdi suscipiat. Et explicatur finis, & materia præcepti.*

11 *Octauum est, vt Præposito Generali fideliter deferant tam authores, quam complices, quos deprehenderint aliquid machinari, aut machinatos fuisse contra Societatis institutum.*

12 *Nonum est sub pœna excommunicationis latæ sententiæ aduersus eos, qui per se vel per alios officium Qualificatoris S. Inquisitionis præsumpserint procurare, vel ambire.*

13 *Decimum est, sub pena excommunicationis Prouinciali reseruatæ in illos, qui inconsulto Prouinciali externos de dimissione sua in concilium adhibent, & in illos, qui externorum auxilio ad dimissionem à superioribus obtinendam vtuntur, & explicatur finis, & materia præcepti*

14 *Vltimum præceptum est, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt omnes, qui sciant aliquem muntis Præpositi Generalis affectasse, manifestent vicario, vel alicui ex antiquioribus professis.*

1. VLtra votorum obligationem sunt aliqua præcepta tum à Præposito Generali, tum à congregatione generali statuta, quæ omnes Religiosos societatis astringunt, quorum explicationem breuiter percurram, ne huic operi aliquid desit. Et ante omnia vt indubitatum præmittendum est, supradicta mandata non expirasse morte generalis statuentis, sed omnem suam vim, & obligationem retinent, quousque à successore reuocentur: sic enim definiuit Congregatio 4. generalis, *decreto 1. & can. 23.* ibi: similiter mandata, & ordinationes quascumque (exceptis illis quæ designationes admittendorum ad professionem sunt, &c.) non expirare per obitum generalis mandantis, & ordinantis, sed robur suum obtinere, & executioni mandanda, si nondum fuissent mandata, donec successor eius aliud statuerit. Idem tradidit Congregat. 7. gener. *decr. 67. & c. 10.* ibi: cum vero rogatum esset, an de mortui Generalis ordinatione (à fortiori mandata) responsa ad prouincias, priuilegiorum communicationes, particulares concessiones, & id genus alia etiam cum assistentibus tractata, sed à Generali congregatione non approbata vim suam obtineant mortuo Generali? An verò illarum obligatio, aut concessio cum illius morte expirent? Censuit congregatio eandem vim habere, quam viuo generali habebant, donec à successore reuocentur. Quapropter etsi commune, & in Theologia receptum sit prælati mortuo prælato non obligare; quia in hoc à lege, & constitutione, quæ perpetua est, distinguitur; at societas præceptis Generalium, vim & obligationem legis tribuit, quousque à successore fuerint reuocata,

2. Primum præceptum, quod communiter circunfertur latum à Claudio Aquauiua Præposito Generali est, ne vllus è Societate tractet directè, vel indirectè de genere illius, de quo post vota biennij emissa suspicio est ex genere Iudæorum, & Saracenorum descendere. Quod si fortè absque vlla inquisitione cognouerit errorem fuisse commissum in eo in societatem attendendo, eodem præcepto obligatur, ne directè, vel indirectè de ea materia tractet. Alicui videri posset hoc præceptum rationabile non esse. Nam cum in congregat. 5. generali, *decreto 41.* excludantur à societate, qui noui Christiani vocantur, ex progenitoribus Iudæis, & Sarracenis descendentes, caueatúrque si post emissa vota hoc impedimentum ante professionem detegatur esse à societate excludendos; & hoc decretum omnibus manifestatur, potius videbatur conueniens, si suspicionem haberes aliquem cum supradicto impedimento esse in societatem ingressum, veritatem inquires & cognita veritate manifestares, ne societas præiudicium haberet retinens in se religiosos suis ministeriis ineptos. Non igitur conueniens fuit hanc inquisitionem prohibere, & hunc tractum excludere.

3. Cæterùm tenendum est tanquam omnino certum iustissimè, & sanctissimè supradicta prohiberi. Quod apertè constat, si aduertas quid tibi hoc præcepto prohibeatur. Prohiberis namq; eo suspicionem impedimenti concepti inquisitionem illius facere non solum authenticam, sed familiarem per colloquia, & conuersationes cõmunes, & merito huius inquisitionis prohibitio statuta est, quia est virtualis, imo formalis proximi infamatio, & à legitima possessione, quã habet viuendi in societate deturbatio. Quod si tibi de impedimento clarè constat, prohiberis, ne illud enulges, néve de illo sermonem misceas, quia hæc conuersatio nullius est vtilitatis, sed potius charitatẽ scindit, & concordiam tollit, & infamatum perturbat. Ex quibus manifestè constat prudentissimè hoc præceptum latũ esse. Neque ratio in contrarium obstat. Fateor namq; sic per errorẽ admissum detecto errore ante professionem à societate consulto generali esse excludendum, ad cuius effectum censeo non prohiberi supradicto præcepto Generalem Præpositum, penes quem est dimissionis potestas, certiorem fieri de impedimento prædicto, vt quod in domino magis expedire iudicauerit, decernat. Manifestatio enim huius impedimenti non comparatione Generalis, sed comparatione aliorum à Generali, & maximè per modum conuersationis prohibetur.

4. Secundum præceptum à Claudio Aquauiua Præposito Generali latum est, ne vllus è Societate se ingerat in procuranda alicui cathedra, seu canonia, neq; ad hunc finem oppositores iuuet. Quod præceptum per P. N. Mutium Viteleschi renouatũ est: subdit tamen per hoc non excludi, quin si aliquis in confessione, vel extra cõsilium petas, cuinam ex oppositoribus suffragium debeat concedere, possit religiosus Societatis in foro conscientiæ ei veritatem aperire: loquitur præceptum de fauore præstando in cathedra, seu canonia, in qua varij competitores concurrunt. Præstare namq; fauorem in cathedra, seu canonia nullo concursu prouidendis non prohibetur in præsenti, vt manifestè constat, tum ex verbis Claudij, ibi oppositores iuuet: cum ex limitatione P. N. Mutij ibi: cuinam ex oppositoribus. Supponunt ergo adesse oppositores. Quocirca si procures, vt cathedra, vel canonia alias per oppositionem prouidenda alicui concederetur absq; vllo concursu, & oppositione, nequaquam aduersus hoc præceptum delinqueres. Quod præceptum prudenter sanè statutũ est, ne vni fauendo alios offendas.

Nam vt rectè dixit Ambroſ. *lib. 3. de officiis, c. 9.* ſacerdotis, vel miniſtri eſt prodeſſe ſi fieri poteſt, omnibus, obeſſe nemini. Deniq; ſi non poteſt alteri ſubueniri, niſi aliter lædatur; cõmodius eſt neutrum iuuare, quàm grauare alterum. Ex quo fine deducitur, eam ſollicitudinem, diligentiam, & votorum negociationẽ, quæ grauiter offendere poſſit alios competitores hoc præcepto prohiberi. Quæ autem hæc ſit prudentis arbitrio ſpectatis circũſtantiis definienda eſt. Credere tamen ex ſe non reputari negociationem offenſiuam, nedũ negociationem, ſi ſecluſo ſcãdalo, & debita cum circũſpectione Electores alloquaris, & merita illius, cui cathedram, vel canoniã appetis, proponas, etiam ſi in ea propoſitione eum aliis oppoſitoribus præferas: quia per hãc propoſitionem ſolam veritatem (vt ſuppono) manifeſtas, neque electores effectiuè ad votum inducis, ſed ſolum obiectiuè proponendo ſcilicet obiectum ſuffragio dignum, vel cui ſuffragium debetur. Si enim electores ad te accederent informandi, permittit P. N. Mutius, vt illis manifeſtes, pro quo debent ferre ſuffragium quia hæc manifeſtatio negociatio non eſt, ex eo autem quod tu ad illos accedas, & ſermonẽ miſceas, & eodẽ modo veritatem declares, ac declarares, ſi interrogatus eſſes, non immutas manifeſtationem. Ergo ſi vna nõ cenſetur negociatio, neq; alia. Verum etſi hoc ita ſit in rigore loquendo, omnino ab hac actione abſtinendum cenſeo ob periculum & ſcandalum: eáque de cauſa notanter dixi negociationem non eſſe, ſi debita cum circumſpectione fiat. Negari namq; non poteſt graue periculum eſſe quod proponendo vnius oppoſitoris merita, miſceas, negociationem intercedendo, rogando, petendo pro illo ſuffragium: grauéq; eſſe periculum ſcandali, & offenſionis cõparatione aliorum oppoſitorum, qui meritò præſumere poſſunt te non ſolum veritatem ſimpliciter proponere, ſed de facto intercedere, ſollicitare, & negociari. præcipuè cum ex ſola ſimplicis veritatis propoſitione in alterius fauorem maximè non petita offendãtur. Ille igitur fauor hoc præcepto prohibetur, quia vera agentia ſit & negociatio, qualis eſſet, ſi per te, vel per alios quantum eſt ex parte tua moueres electores ad ſuffragium muneribus, interceſſione, petitione, oſtenſione gratitudinis futuræ præſtandæ, & ſimilibus. Hæc enim non oppoſitoris ornamenta detegunt, atque adeo non obiectiuè mouent, vt in præcedenti caſu, ſed voluntatem electorum excitant, & effectiuè mouent, & per modum cauſæ efficientis inclinant ad ſuffragium: ideòque hæ actiones, agentiæ, & negociationes ſunt, non aliæ.

5. Tertium præceptum eſt ab eodem Claudio Aquauiua latum 23. *Septemb.* 1602. ne vllus è ſocietate Patribus Dominicanis opinionem illam poſſe per epiſtolam confeſſionem fieri, & abſolutionem impetrari attribuat. Quod præceptum ipſis etiam Dominicanis comparatione noſtræ ſocietatis à ſuo Generali impoſitum eſt. Finis huius præcepti fuit, ne vnio & pax, quam hæ grauiſſimæ religionis inter ſe habere debent, quæq; religioni Chriſtianæ, & proximorum ſaluti, & ædificationi maximè neceſſaria eſt, ſcinderetur. Materia huius præcepti eſt, ne vllus è Societate ſupradictam falſam opinionem, & à Clem. VIII. damnatam Patrib. Dominicanis attribuat, ſiue verbo, ſiue ſcripto, ſiue in cathedra, ſiue in communibus conuerſationibus. Quocunq; enim modo attribuat, aduerſus hoc præceptum delinquit, ſed eſt valdè notandum verbum *attribuat*. Non enim prohiberis dicere, ſcribere, ſeu referre authores, qui ex Dominicana familia huic opinioni damnatæ ante condemnationem adhæſerunt (hoc enim præſtant communiter ſcribentes illam quæſtionem) ſed prohiberis Dominicam familiam authorem, & principem illius opinionis facere, id enim ſonat verbum *attribuat*, quod idem eſt, ac imputo.

6. Quartum præceptum ob eandem cauſam, & ab eodem Præpoſito Generali latum ſub priuatione, vocis actiuæ, & paſſiuæ, eſt, ne vllus ex noſtris denigret religionem, doctrinam, & ſanctitatem Dominicanorum Patrum. Idemque præceptum ipſis eſt à ſuo Generali impoſitum comparatione noſtrorum. Tota difficultas huius præcepti eſt in explicando quid ſit denigrare religionem, doctrinam, & ſanctitatem alicuius? Cenſeo igitur tunc contingere, quando vel additione, vel diminutione verborum de illius ſanctitate, religione, & doctrina falſum aliquid proferres, ſiniſtramq; opinionem quantum eſt ex te in aliorum animos induceres. Itemq; quando ſecretum delictum publicares. His enim viis famam alicuius, & rectam illius æſtimationem denigras; ſiquidem ab opinione, quam iuſtè poſſidet, iniquè eum deturbas. Quocirca in præſenti aduerſus hoc præceptum delinquis, ſi doctrinam Patrum Dominicanorum falſam, periculoſam, fundamento carentem pronuncies. Quod non ſolum verum credo, cum de doctrina generali loqueris, ſed cum de aliqua doctrina in particulari ſermonem facis, ſi illam periculoſæ opinionis cenſura inuras, cum tamen communiter à doctoribus non ſic reputetur iniuſtè enim rectam æſtimationem, quam illa doctrina poſſidet, tollere intendis. Impugnare autem eorum doctrinam, quam reputas minus probabilem, vel tuo iudicio falſam rationibus efficacibus, ſed non exaggerationibus, vt ſic veritas manifeſtetur, & audientes illi non adhæreant, non eſt contra hoc præceptum. Quia illa non eſt denigratio, ſed veritatis occultæ iuſtiſſima detectio, cui non obeſt, etiam ex ſi malo animo impugnationẽ facias; quia malus animus nõ mutat naturã impugnationis eſto reddat illam extrinſecè vitioſam. Hæc de doctrina. Quoad ſanctitatem, & religionem attinet, tunc, & non amplius credo te peccare aduerſos hoc præceptum, quando eo ſecluſo peccares infamando, vel detrahendo Dominicanorum ſanctitatem, & religionem. Vnde ſi falſa delicta illis imponeres, vel vera ſecreta manifeſtares, aduerſus hoc præceptum delinqueres. Quod ſi dicas, ergo nullius vtilitatis eſt hoc præceptum, ſiquidem nihil aliud prohibet tam quoad ſanctitatem, quam quoad doctrinam, præter id, quod iure naturali prohibitum eſt. Reſpondeo maximæ vtilitatis eſſe. Tum quia prohibetur nouo titulo, ſcilicet voto obedientiæ, & religionis. Tum quia hac expreſſa prohibitione obſeruatio naturalis præcepti commendatur. Tum deniq; quia ſignificatur omnibus, quantum Societas, illiuſq; ſuperiores hoc vitium in ſuis religioſis deteſtentur, velintque ab eo alienos eſſe.

7. Quintum præceptum impoſitum eſt ab eodem Præpoſito Claudio ſub pœna excommunicationis, & priuationis lecturæ, & vocis actiuæ, & paſſiuæ, & inhabilitatis ad quælibet officia, aliiſque pœnis pro arbitrio ſuperiorum, & ſub commination, quod non ſit delinquenti concedenda profeſſio, ſed potius magnoperè conſiderandum, an expediat eum in Societate conſeruare. Præceptum igitur eſt, ne vllus è Societate publicè, vel priuatim non modo vt veram, vel probabilem, ſed ne vt tolerabilem quidem doctrinam vlla ratione doceat, aut ſibi placere ſignificet, aut ſecundum illam conſilium cuiquam det, ſcilicet: In re venerea exiguam aliquam delectationem deliberatè quæſitã propter leuitatem materiæ excuſari à peccato mortali. Additque ſub obedientiæ præcepto, vt quicunque ex noſtris ſciuerit aliquem aduerſus dictum præceptum deliquiſſe ſuperiori teneatur manifeſtare. Merito hoc præceptum in Societate impoſitum eſt. Nam cum omnes teneantur ex ſuis regulis, & conſtitutionibus puritatem angelicam imitari, conueniens fuit, vt non ſolum in opere ſed in doctrina non ſolum in ſe, ſed in aliis eam puritatem procurarent.

8. Sed non leuem pluribus doctoribus difficultatem intulit dictum præceptum tot pœnis effectum, tot verbis exageratum, præcipuè cum videatur opponi communiſſimæ doctorum ſententiæ admittenti in materia luxuriæ leue peccatum ex paruitate materiæ. Neque enim credendum eſt voluiſſe Claudium virum alioqui doctiſſimum, & prudentiſſimum, Societatiſque prælatos condemnare tanquam doctrinam omnino exterminandam, quæ affirmaret delectationem ſumptam ex viſione mulieris pulchræ, ex illius manu contactu, ex illius collocutione abſque vllo deſiderio, vel periculo vlterioris lapſus eſſe peccatum veniale. Verum ſi verba præcepti attentè expendantur, facilè ſupradicta difficultas diſſoluitur. Neque enim Claudius negauit, nec negare potuit probabile eſſe ſupradictas delectationes leues eſſe: ſolum enim negauit *in re venerea* dari exiguam delectationem ex leuitate materiæ. Et quidem meritò. Nam res venerea propriè eſt coïtus, vel pollutio, vel ad ſummum, quæ ad hoc proximè diſponunt, vt eſt commotio ſpirituum generationi ſubſeruientium: ſicuti tradit Galen. *lib. 4. de vſu part. c. 9. & 10.* Delectatio igitur, quæ ex imaginatione, vel ex contactu ſumeretur ex coïtu, pollutione; commotioneve ſpirituum ſubſeruientium generationi, nequaquam ex leuitate materiæ à mortali excuſari poteſt: quia eſt delectatio in re venerea. At delectatio, quæ ſumitur ex viſione mulieris pulchræ, & ex illius manu contactu ob ſolam illam delectationem abſque vllo alio periculo, vel deſiderio non eſt delectatio in re venerea. ac proinde nec peccatum mortale, & ita ſuſtinet Filiucius *tract. 30. in 6. præcepto decal. c. 9. per totum præcipuè n.* 180. *&* 192. Obligatio denunciandi delinquentem aduerſus dictum præceptum, quę ſub obedientia imponitur, ex his quę diximus de obligatione denunciandi ambientes, ſatis, ſuperque conſtare poteſt,

9. Sextum præceptum ſub excommunicationis pœna impoſitum, eſt, ne vllus è Societate publicè, aut priuatim doceat licitum eſſe cuicumque perſonæ, quocunque prætextu tyrannidis Reges, aut principes occidere, ſeu mortem eis machinari. Cum enim proprium ſit religioſorum Societatis omnes mundi partes peragrare, vbi maius Dei obſequium, & proximorum fructus ſperatur, expedit, maximè omnibus præcipuè Regibus, & Principibus gratos eſſe: cui fini non leuiter obſtaret doctrina hoc præcepto prohibita. Merito ergo religioſi Societatis eam docere prohibentur. Verum vt intelligas, quid hoc præcepto tibi interdicatur, aduerte, dupliciter aliquem tyrannum eſſe poſſe: Primò ſi abſque vllo titulo inuadat ciuitatem, i liuſq; poſſeſſionem & dominium vi, & potẽtia ſumere velit, & de facto obtineat. Secũdò ſi iure & titulo ſaltem probabili illius dominium habeat, at in adminiſtratione tyrannicè procedi condendo leges bono communi aduerſas, & ſibi vtiles, vectigalia iniuſta exigendo, honore plures indebitè priuando, &c. Si hoc poſteriori modo tyrannus exiſtat, nõ eſt dubium, ſub dicto præcepto comprehendi, qui priuatim, vel publicè doceret licitum eſſe cuicunque perſonæ eum occidere. Quocirca ſolum eſt difficultas

ficultas de primo modo tyrannidis; an aduersetur huic præcepto qui doceret eum occidi posse. Videtur non aduersari, quia cum præceptum, eiusque obligatio non latè, sed strictè interpretanda sint non debent extendi ad omnes tyrannos In contrarium autem est; quia præceptum generaliter loquitur & absque vlla restrictione, idque satis significat verba illa: *Quocunq; prætextu tyrannidis*, quæ certè excludunt, ne doceatur ob aliquam tyrannidem Reges, & principes à priuata persona occidi posse. In hac re distinguendum censeo, si Rex aut princeps obtinuit possessionē ciuitatis, aut regni vi, & potentia absq; vllo titulo, credo verius aduersari huic præcepto, qui doceret illum occidi posse à priuata persona. Quia in eo tyranno verificantur præcepti verba, scilicet esse Regem saltem de facto, & in possessione, esto non sit de iure, & ob prætextum vsurpationis occidi. At si Rex ille, aut princeps nondum regni prætensi possessionem nactus esset, qui doceret illum actu inuadentem occidi posse in defensionem reipublicæ, nequaquam huic præcepto aduersaretur; quia non docet Regem, aut Principem ob tyrannidem occidi posse, sed priuatam personam aggredientem, & vexantem innocentem rēpublicam: ille enim Rex sic inuadens Rempublicam, neque illius est Rex titulo, nec possessione etiam illegitima, sed potius prætendit Regem, & Principem illius esse. Ergo quousque saltem de facto obtineat, sub dicto præcepto Reges, & Principes spectante, comprehendi non potest.

10. Septimum præceptum habetur *can.* 12. *Congregat.* 5. *& decreto* 36. *&* 59. ne quispiam publicis, & sæcularibus principum negociis, quæ ad rationem status (vt vocant) pertinent, vlla ratione se immiscеat, nec etiam quantumuis per quoscunque requisitus, aut rogatus eiusmodi res politicas tractandi curam suscipere audeat, vel præsumat. Et transgressoribus imponitur pœna inhabilitatis ad quæuis officia, dignitates, & prælationes, vocisque tam actiuæ, quam passiuæ priuationis. Finis huius præcepti sanctissimus fuit, nempe vt ab omni specie mali abstineatur, & querelis etiam ex falsis præsumptionibus prouenientibus, quoad fieri poterit, occurratur. Quæ autem sit materia huius præcepti, quæue per ipsum prohibita explicuit congregatio 7. Generalis *decreto* 41. his verbis. Vniuersè loquendo ea quæ pertinent ad solam conscientiam, directionemve principum, aliorumque qui petunt consilium; per canonem non prohiberi. Quæ vero eò non referuntur, & à spirituali institutione diuersa sunt, tanquam à canone aliena vitari debere, & alibi exemplo posset esse. Quæ ad principum inter se fœdera, vel ad regnorum iura, & successiones pertinent, vel ad bella tam ciuilia, quam externa. Si quis publicis harum rerum, & similium consiliis interesset, aut tractandis iis operam re ipsa impenderet. Cui explicationi nihil addendum occurrit.

11. Octauum præceptum continetur *decreto* 43. *& can.* 20. *congregat.* 5. iis verbis: in virtute sanctæ obedientiæ præcipitur omnibus, qui resciuerint, aut deprehenderint quoscunque machinari aliquid, aut machinatos fuisse contra institutum Societatis, vt quam primum poterunt Præposito Generali tam authores, quàm verè complices fideliter deferant, vt ille pro suo officio, & congregationis generalis voluntate eos debitis pœnis afficiat, & à Societate dimittat. Huic præcepti declarationi omnia, quæ diximus de voto manifestandi ambientes deseruire possunt. Notanda sunt verba: Qui resciuerint, vel deprehenderint scilicet ex certa scientia, vel ex fide digna auditione, vt dicitur *decreto* 43. Item notandum est non solum machinationem præsentem, sed etiam præteritam denunciandam esse, vt constat ex illis verbis machinari, vel machinatos esse. Et quidem, quando machinatio præcessit, sed adhuc eius effectus durat, & Societati periculum imminet, eodem modo, & sub eadem obligatione est denuncianda, ac si præsens esset; quia verè præsens existit. At si tibi constaret omnino emendatam esse, nullumque reliquisse effectum, vel periculum, quod rarò præsumere debes, non obligaris eo casu denunciare, nisi machinatio publica fuisset; quia ea denunciatio neque ad correctionem delinquentis, cum iam correctus sit, neque ad præcauendum damnum Societati, cum (vt suppono) nullum immineat, dirigi potest, sed solum ad punitionem. Quando autem denunciatio solum delicti punitionem respicit, publicitatem requirit ad ipsius obligationem, vt constat ex his, quæ diximus *tract. de fide*, vbi de denunciat. hæresis & *tract. de charit. disput. de correct. fraterna in fine.*

Huiusmodi præcepto annexum est, quod traditur *decreto* 1. *& can.* 1. *congregationis* 6. ibi enim postquam confirmatum est decretum congregationis 5. editum aduersus societatis perturbatores, & extensum, vt non solum comprehendat per se Societatem perturbantes, sed etiam qui per interpositam personam domesticam, vel externam perturbationem procurauerint. Prouincialibus in virtute S. Obedientiæ præcipitur, vt in huiusmodi homines inquirant, reosque certi criminis ad Generalem Præpositum deferant, dentque operam, vt Societas intelligat ipsos non minus strenuè, quam fideliter suo ea in re munere fungi.

12. Nonum præceptum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ traditur in congregat. 5. Generali *decret.* 20. aduersus eos, qui per se, vel per alios officium Qualificatoris, seu consultoris S. Inquisitionis præsumpserint procurare, vel ambire in regno Hispaniæ, aliisque dominiis illi tribunali subiectis. Quod præceptum, & sub eadem pœna P. N. Mutius Vitteleschi *anno* 1625. extendit ad eos, qui alteri hoc officium procurauerint. Ratio huius præcepti duplex assignatur in supradicto decreto, prima, vt S. Officij ministerio, ad quod assumere volent Inquisitores ex nostris, liberius, & dignius præstetur obsequium. Secunda, vt ambitionis inter ipsos nostros aditus præcludatur. Circa quod præceptum nihil speciale notandum occurrit præterea, quæ dicta sunt de ambitione dignitatis extra, & intra Societatem, quæ huic puncto applicari possunt.

13. Decimum præceptum sub pœna excommunicationis Prouinciali reseruatæ impositum est à congregatione 7. Generali *decreto* 18. tum in illos, qui in consulto Prouinciali externos de dimissione sua in consilium adhibent, tum in illos, qui quocunque modo externorum auxilio, vel intercessione ad dimissionem à superioribus obtinendam vtuntur. Finis huius præcepti est, quieti nostrorum consulere, illorumque dimissionem è Societate indebitam vitare. Duplex est huius præcepti materia, & obligatio. Prima, ne petas consilium de dimissione ab externis inconsulto Prouinciali. Secunda ne eorum auxilio, & intercessione ad dimissionem obtinendam vtaris. Non tibi prohibetur absolutè dimissionem cum aliis à Societate communicare, ne fortè obiicias etsi iniustè tibi interdici consilium peti ab iis, qui liberè daturi sunt, & astringi ad petendum à nostris, qui ob amorem suæ religionis præsumuntur non dicturi veritatem, tametsi iudicent tibi expedire dimissionem. Sed prohibetur tibi, ne ab illis inconsulto Prouinciali consilium petas. Quod certè iustissimum est, & omnem querelæ occasionem tollit. Deinde prohibetur tibi, ne vtaris auxilio, & intercessione externorum ad dimissionem à superioribus obtinendam, aduersus quod præceptum delinquis non solum quando ab externis petis auxilium, & intercessionem ad dictum effectum, illudve procuras, sed etiam quando ipsi non rogati, sed ex se tibi fauorem præstant ad obtinendam dimissionem, tu verò non impedis, cum possis, nam eo ipso conuinceris illorum auxilio vti ad dimissionem obtinendam, ac proinde præcepto aduersari.

14. Vltimum præceptum procedit tempore congregationis Generalis, in qua Præpositus Generalis, & assistentes eligendi sunt. Nam 8. *p. constitut. c.* 6. §. 2. sub excommunicatione latæ sententiæ mandatur cuilibet è Societate manifestare vicario, vel alicui ex antiquioribus professis, qui cum vicario conferet, si sciret aliquem hoc munus affectasse (subintelligitur ab obitu generalis, vt explicant Suarez. *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 6. *c.* 10. *num.* 15. Sanch. *lib.* 6. *sum. c.* 18. *num.* 60.) vel etiam nunc affectare directè, aut indirectè id procurando, vel signo aliquo id declarando. De electione Assistentium habetur in formula congregat. 4. generalis *vers. si quis*, vbi in virtute S. Obedientiæ præcipitur cuilibet è Societate, vt Præposito Generali deferat, si quem ex congregatione, siue extra congregationem cognouerit, qui in ipsis informationibus, aut extra illas ambitiosè egerit, vt vel ipse, vel alius in Assistentem eligatur, aut etiam alicuius eligendi causa alius excludatur, cuique est imposita pœna excommunicationis Generali reseruatæ. Materia huius præcepti clarissima est. Finis est, vt aditus ambitioni præcludatur, & electiones rectissimè fiant, secluſa omni humana diligentia.

PVNCTVM VLT.

De relaxatione status Religiosi.

SVMMARIVM.

1 *Vota relaxari possunt irritatione, commutatione, & dispensatione.*
2 *Vota statui religioso annexa Pontifex dispensare, & commutare potest, non autem irritare.*
3 *Vota substantialia castitatis, paupertatis, & obedientiæ nullus præter Pontificem relaxare potest.*
4 *Plures Doctores negant Pontifici potestatem dispensandi in his votis.*
5 *Probabilior est sententia affirmans, & satisfit fundamentis contrariis.*

1. STatus religiosus relaxari potest, relaxatis votis, quibus constituitur. Constituitur autem substantialiter religiosus status illis tribus votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ, quibus alia vota ex speciali cuiusvis religionis regula, & præscripto annectuntur. Vt est in religione Minorum votum vitæ quadragesimalis; in religione S. Mariæ mercedis votum redemptionis captiuorum; in Societate IESV omnia illa vota

quæ hac diſput. reliquimus explicata. Videndum igitur eſt, an tam vota acceſſoria, quam ſubſtantialia relaxari queant, & à quo Prælato ?

1. Tripliciter vota relaxari poſſunt, irritatione, commutatione, & diſpenſatione. Primò igitur exiſtimo certum, vota religioſo ſtatui annexa à nemine præter ſummum Pontificem irritari, commutari, aut diſpenſari poſſe. Quia cum nullus alius prælatus diſſoluere poſſit religioſum ſtatum à Pontifice approbatum, & confirmatum, nullus poteſt diſſoluere quæ hunc ſtatum integrant, & perficiunt, quia acceſſorium naturam principalis imitatur. Quod non leuiter confirmari poteſt ex Trident. *ſeſſ.25.c.1.* dicente, cum compertum ſit ab eis (ſcilicet regularibus prælatis) non poſſe ea, quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent relaxari. Hæc autem vota pertinent ad ſubſtantiam licet non eſſentialiter, integraliter tamen, & perfectiuè; quia illam integrant, & perficiunt. Non igitur poſſunt ab alio præter Pontificem relaxari. Neque huic doctrinæ obſtat, quod in aliquo caſu prælatus regularis videatur in his votis diſpenſare eximendo ſubditum ab illorum obligatione. Nam ſi attentè res conſideretur, illa non eſt diſpenſatio, ſed authentica interpretatio, quod ad illum caſum ob aliquas circunſtantias votum non extendebatur, vel quia materia illius voti aliquo modo ſubditur Prælati voluntati, qua de medio ſublata votum ceſſat non per irritationem, commutationem, aut diſpenſationem, ſed per defectum materiæ, & obiecti. Atque ita ſuſtinet Suar. latius probans *to.4.de relig.tr.8.lib.2. cap.12.à num 30.vſque ad 40.*

2. Quoad Pontificem attinet, hæc vota commutari, & diſpenſari poſſunt, ſi cauſa legitima ſubſit (quæ ratò contingit) irritari autem non poſſunt. Priorem partem ſupponit, & tradit Sanch. *lib.5.ſum. c.1. n.13.* Dupliciter Pontifex in his votis diſpenſare poteſt, primo directè, ſecundò indirectè. Indirectè diſpenſat, ſi diſpenſaret in votis ſubſtantialibus religionis: iis enim ſublatis, & acceſſoria ceſſant. Poſſe autem in illis diſpenſare ſtatim dicemus, directè tamen in iis votis diſpenſare, Pontifex poteſt manente ſtatu religioſo; quia nec ex materia illorum votorum, neque ex annexione, quam habent ad religioſum ſtatum impediri hæc poteſtas poteſt. Non quidem ex materia; quia nulla eſt, eſto ſit excellentiſſima, cuius obligatio remitti à Pontifice nomine Chriſti non poſſit, ſi cauſa iuſta huius remiſſionis intercedat. Minus autem impediri poteſt hæc diſpenſatio ex annexione ad ſtatum religioſum, quia hæc ex Pontificis voluntate, & præſcripto ortum habuit; ac proinde eius poteſtati, & iuriſdictioni ſubeſt. Quapropter in hac relaxatione comparatione Pontificis non poteſtas, ſed cauſa conſideranda eſt, quæ ratò legitima eſſe poteſt manente religioſo ſtatu. Quod verò Pontifex non poſſit dicta vota irritare inde conuincitur; quia irritatiua poteſtas prouenit ex traditione, quæ per hæc vota (iure ſic diſponente) fit, at nihil poteſt poteſtatem concedere ad ſui deſitionem, & interitum. Cum ergo ex his votis, quæ ſtatum conſtituunt, & integrant, oriatur poteſtas vota irritandi, nequit ad ea vota, ex quibus hæc poteſtas oritur, extendi.

3. Ex his infertur quid ſit dicendum de votis ſtatum religioſum ſubſtantialiter conſtituentibus, nempe caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ. Et quidem nemini alteri à Pontifice datum eſſe hæc vota relaxare eſt concors omnium ſententia, & manifeſta ratio; quia ex approbatione Pontificia ſtatum conſtituunt perpetuum, & indiſſolubilem, nequit ergo Prælatus Pontifice inferior eius diſpoſitionem mutare. Quapropter ſolum de Pontifice eſt difficultas; an poſſit in his votis diſpenſare, ſeu ea commutare? Irritare namque conſtat non poſſe ob rationem proximè dictam; quia irritatiua poteſtas ex ex ipſis votis naſcitur, quæ naſci non poteſt ad ſuum interitum. Præterea quia irritatiua poteſtas cum prouenit ex dominio, & poteſtate ex votis acquiſito, non eſt amplior in Pontifice, quam in cæteris religionum prælatis; omnibus enim æquè traditur religioſus emittens vota, æquaque omnium illorum obſequio ſe dicat, & conſecrat. At cæteri religionis prælati nequeunt vota ſtatum religioſum conſtituentia irritare. Ergo neque Pontifex.

4. De poteſtate autem diſpenſandi idem dicunt plures doctores ſcilicet non extendi ad hæc vota ſtatum religioſum conſtituentia: ſic D. Tho. 2.2.q.88. *art.11.* & ibi Arag. *verſ. propter hæc argumenta.* Sylueſt. verbo *votum 4. q.5.* & alij apud Sanch. *lib.8. de matr. diſp.8. à num.6.* Præcipuum fundamentum eſt, quia his votis traditus es Deo, & religioni obſequuturus; at res vni tradita nequit alteri concedi. Item res conſecrata, quouſque pereat, amittere non poteſt conſecrationem, at votis conſecratus es in Dei, & religionis obſequium: nequis ergo, dum viuis ab ea conſecratione recedere.

5. Cæterum longè probabilior eſt ſententia affirmans hæc vota à Pontifice diſpenſari poſſe, & à fortiori commutari. ſic D. Thom. mutans ſententiam *in 4.diſt.28. q.1. art.4. quæſtiunc. 1. ad 3.* & ibi Duran. *q.2. num.8.* Valen. *2.2.diſp.6.q.6. punct.7.* Azor. *to.1.lib.12.c.7.q.1.* Leſſius *lib.2.cap.40.dub.19. num.142. & ſeqq.* Sanch. innumeros referens *lib.8.de matrim. diſp.8.num.7. & lib.5. ſum. cap.2.* Suar. *tom.3. de Relig. lib. 8.9. & 10. in vltimis capitibus.* Ratio ea eſt, quia ad propagandam fidem, pacemque conſeruandam, ſeditionéſque ſedandas alicuius prouinciæ, aut regni expediens eſſe poteſt, quod monachus vxorem ducat, & regni gubernationem habeat. Ergo Pontifex, cui regimen Eccleſiæ commiſſum eſt, quippe debet bono communi conſulere, poterit eo caſu nomine Dei remittere monacho caſtitatis, paupertatis, & obediendiæ obligationem, vt ſic abſque vllo ſcrupulo ducere vxorem poſſit, & temporalia bona adminiſtrare. Neque obſtat quod Deo, & religioni ſe tradiderit, cum nomine Dei, & religionis hæc remiſſio fiat. Neque item quod ſit conſecratus, ſeu deputatus in Dei, & religionis obſequium; quia iuſta cauſa intercedente hæc deputatio mutari poteſt. Solum aduerto legitimam cauſam ad diſpenſationem, ſeu commutationem votorum ſtatum religioſum conſtituentium non eſſe priuatam vouentis vtilitatem, ſed communem alicuius reipublicæ, vel prouinciæ; quia eſt res grauiſſima, & præter ordinarium curſum: ſic omnes doctores relati ſupponunt.

TRACTA

TRACTATVS XVII.

DE VITIIS OPPOSITIS RELIGIONI.

PROOEMIVM.

VARIA sunt vitia Religioni opposita, vt constat ex D. Thom. 2. 2. *à quæst.* 90. specialiter 92. *in princ.* Alia opponuntur Religioni per excessum: Alia per defectum. Cum enim virtus moralis medium respiciat, ab eo per extrema excessus, vel defectus recedi potest: quomodocunque recessus contingat est vitium: quia medium, in quo virtus consistit, non attingit. Exempla desumi possent ex Liberalitate, Temperantia, aliisque virtutibus moralibus medium respicientibus, quibus tam per excessum, quàm per defectum aduersari potes. Liberalitati námque aduersaris per excessum, si prodigus sis, per defectum, si auarus: & sic de aliis: sic in materia Religionis opponi dicuntur per excessum ea, quibus creaturæ cultu debito Deo coluntur, vel Deus modo indebito colitur. Non quia in cultu Dei, si verus cultus est, possit esse excessus, cum Deus maior sit omni laude; sed quia in mediis assumptis ad illum colendum excedere potes; eò quòd assumas media ad illum honorandum, quæ honoratiua non sunt, sed potius diuinæ Maiestatis despectiua. Per defectum autem Religioni opponuntur ea, quæ denegant Deo debitum cultum, ipsumque despiciunt. Vitia per excessum sunt Superstitio, Idololatria, Diuinatio, variáque obseruantia. Vitia per defectum enumerantur, Tentatio Dei, Blasphemia, Sacrilegium, Simonia, Periurium & Infidelitas in promissis implendis. De Periurio, & Infidelitate, cum de Voto, & Iuramento sermo fuit institutus, egimus. Quocirca in præsenti de aliis vitiis agendum erit. Triplici disputatione tractatum absoluemus. Prima erit de Superstitione, eiúsque specialibus vitiis Religioni oppositis per excessum. Secunda de Tentatione Dei, Blasphemia, & Sacrilegio. Tertia de Simonia.

DISPVTATIO I.

De Superstitione, eiúsque speciebus.

PVNCTVM I.

Vnde superstitio dicatur, quid sit, quotuplex, & quam graue peccatum.

SVMMARIVM.

1 *Vnde deriuetur superstitio.*
2 *Eius definitio expenditur.*
3 *Falsus cultus dupliciter contingit.*
4 *Versari potest circa Deum, & circa creaturas.*
5 *Superstitio per se graue est peccatum, aliquando contingere potest esse veniale.*
6 *An ieiunare die dominica sit peccatum.*
7 *Quid cum voues in honorem alicuius sancti ieiunare, cuius vigilia incidit in dominica?*

1. VArie procedunt doctores in explicanda origine huius vocis. Nam Cicero *lib.*2. *de natura Deorum*, dixit deriuari ex illo facto, quo aliqui totos dies precantes, & immolantes intendebant consequi vt sibi liberi superstites essent. Hi ergo ratione huius finis per nimium cultum procurati, superstitiosi vocabantur Lucretius (prout refert Isidor. *lib.*8. *Etymol. c.*3.) superstitionem inde dictam putat, quod sit superstantium rerum, hoc est cœlestium, & diuinarum, quæ supra nos stant inanis, & vanus timor. Erat enim Lucretius Epicureus nullam in Deo prouidentiam agnoscens rerum humanarum, eaque de causa putabat vanum, & inane esse illum timere. Alij verò, vt Lactant. *lib.*4. *diuinar. institut. cap.*28. superstitiosos dictos existimant: eo quod superstitem mortuorum memoriam colerent, vel quia parentibus suis superstites imagines eorum domi, tanquam eos venerantur. Item Seruius dicit superstitionem à superstite dictam esse, quæ aniculatum propria est, quæ multis per ætatem superstites sunt, & quæ rebus inanibus addictæ, dum volunt videri nimis religiosæ, superstiosæ fiunt, & ita delirant. Tandem Isidor. *supra dicto loco* affirmat superstitionem à super statuto, vel superinstituto deriuari, quia est superflua, vanaque obseruantia super statuta, seu instituta maiorum. Et hoc videtur esse veritati conformius.

2. Sed vndecunque hæc vox deriuata sit, superstitio idem est, ac indebitus cultus, seu vana religio: sic omnes Catholi cum D. Thom. 2. 2. *q.*92. *art.*1. Hic vanum cultus alius est falsus, & alius superfluus, cum enim Deus in spiritu, & veritate adorari debeat, iuxta illud Ioann. 4. *In spiritu, & veritate oportet adorare*, efficitur cultum virtuti oppositum falsum dici, oppositum spiritui vanum, & superfluum: superfluus est qui ex se nihil falsum significat: At Dei honoratiuus non est, eo quod per se spectatus neq; ad excitandum spiritum, neque ad Dei gloriam ordinatur, vt si in officio diuino aliqua vana misceas, si orationes fundas tot candelis talis coloris appositis, & non aliter, si in Missa, officioque diuino aliquas cæremonia

remonias præter Eccleſiæ morem miſceas: vt bis *Alleluia* vbi vnum, vel nullum eſt dicendum *Gloria & Credo*, vbi omittendum eſt. Hæc enim media aſſumpta ad honorandum Deum non illum honorant, ſed dehoneſtant; ſed quia per ſe nihil falſum ſignificant; ea de cauſa cultus, qui illis defertur Deo, ſuperfluus dicetur, non falſus. Dices ſignificant Deum coli illis actibus, quod eſt falſum, & blaſphemum. Ergo nullus eſt cultus ſuperfluus, qui non ſit etiam falſus. Reſpondeo ſignificare ex intentione operantis non ex ſe, ex ſe enim potius dicant Deum illis vanis actibus colendum eſſe. Secundò Dices: ſi Deus illis mediis vanis non colitur, ſed dehoneſtatur. Ergo cultus ei per illa exhibitus non ſolum ſuperfluus, ſed falſus, & mendax eſt. Reſpondeo eſſe falſum quoad cultum formalem, non quoad materialem. id eſt cultum illis exhibitum carere veritate cultus, non tamen aliam in ſe falſitatem continere.

3. E contra cultus falſus ille dicitur, qui hanc falſitatem formalem cultus præſtat aliquid falſum ſignificando, quod dupliciter contingit vel ex parte colentis, vel ex parte medij, quod aſſumitur incultum. Ex parte colentis contingit falſitas, ſi fingat ſe colere Deum nomine Chriſti, & Eccleſiæ; cum tamen Chriſtus, & Eccleſia hanc illi facultatem non tribuant: quod ſolum in cultu publico, & qui nomine Eccleſiæ fit, euenire poteſt, vt rectè probat Suar. *tom.1. de relig. lib.2. de ſuperſt. cap.2. à num.15. & ſeqq.* Sanch. *lib.2. in decal.cap.37. num.3.* Solum enim ille cultus, ad quem præſtandum habet Eccleſia miniſtros deſignatos vſurpari poteſt à non deſignato, & tunc talis vſurpatio eſt falſitas ex parte colentis; quia fingit ſe nomine Eccleſiæ Deum colere, cum tamen Eccleſia illi cultum non commiſerit. Sic qui ſe fingeret Sacerdotem, & attentaret miſſam dicere, committeret falſitatem ex parte colentis. Et idem credo de vero Sacerdote depoſito; quia eſto quoad ſubſtantiam ſacrificium nomine Chriſti offerat, at non quoad circunſtantiam temporis, cum illo tempore, quo præciſus eſt, nollet Eccleſia, neque Chriſtus, vt nomine ſuo offerat. Falſitas ex parte medij in cultum aſſumpti contingit, ſi medium aſſumas ad Deum colendum, quod falſum ſignificet. Exemplum eſt, ſi modò offeras vitulum in ſacrificium; denotas enim ſacrificium Euchariſtiæ non eſſe vnicum, omnia ſacrificia antiqua abſorbens. Item ſi in Sacramentis miniſtrandis, mutares formam, aut materiam, quia tunc falſo ſignificares Sacramentum conficere, cum tamen Sacramentum non ſit. Idem iuris eſt, ſi falſis miraculis, aut teſtimoniis veritatem noſtræ fidei confirmares. Non enim his mendaciis veritas indiget.

4. Rurſus falſus cultus poteſt directè verſari circa Deum, & circa creaturas. Circa Deum verſatur, quoties Deus falſum ſignificantibus colitur, vel vt melius dicam dehoneſtatur, vt ex exemplis allatis conſtat. Circa creaturas falſus cultus verſatur, ſi cultum debitum Deo attribuas creaturis. Et hoc tripliciter contingere poteſt. Primò. Si illis attribuas honorem recognoſcens in eis diuinum quid eſſe, qui cultus, ſeu ſuperſtitio vocatur *Idololatria*: ad quam ſpeciem reducitur, qui falſis reliquiis honorem veris debitam tribueret, & qui hominibus perditis honorem, & cultum, qui ſanctis debetur, præſtant. Secundò, Contingit falſitas in creaturarum cultu, ſi honorem tribuas, vt ab eis cognitionem rerum occultarum obtineas, & hæc ſuperſtitio vocatur diuinatio. Tertiò, ſi tibi auxilium, & fauorem præſtent, & hæc appellatur vana obſeruantia: ſic D. Thom. ab omnibus receptus 2.2. *quæſt.92. & 93.*

5. Quoad vltimum verò quam graue peccatum ſit ſuperſtitio, breuiter reſpondeo, per ſe peccatum eſſe mortale ſuperſtitionem falſam vel ex parte colentis, vel ex parte rei ſignificatæ. Ex parte colentis, quia eſt vſurpatio legationis in materia grauiſſima. Ex parte rei ſignificatæ, quia facto ipſo ſe infidelem profitetur: ſic Nauarr. *cap.11.n.24.* Caietan. 2. 2.*q.93.art.1.& in ſum.verbo ſuperſtitio. cap.1.* Valent. *tom.2. diſp.6.q.10 part.2.verſ.ſi autem quæratur,* Leſſius *lib.2. c.43. dub.1.n.4.* Sanch. *lib.2.cap.37.n 5.* Suarez *tom.1. de Religion. lib.2.de ſuperſtit.cap.2.n.18.* Bonac. *diſp.3.de primo decal.præcept.q.5.p.1.num.2.*

Secundò reſpondeo ſuperſtitionem vanam, & ſuperfluam aliquando eſſe mortale, aliquando veniale: Sic Bonac. *numero 4.* Leſſius *numer.5.* Suarez *num.21.* Nauarr. *numero 24.* Valent. *part.2.fine,* Sanch. *num.10.* Quando autem mortale, vel veniale ſit ex materiæ grauitate penſandum: ſi enim recitans officium diuinum loco alicuius antiphonæ, vel pſalmi vana aliqua verba miſceres, ſine dubio grauiter peccares: tum quia grauem Deo irreuerentiam irrogas, quem intendis vanis rebus cultu publico colere, & honorare. Tum ipſi cultui publico, quem deturpas. Idem iuris eſt, ſi turpia aliqua miſceres, tametſi vt partem diuini officij non immiſceas. At ſi ſolùm aliqua indifferentia immiſceas, & non in tanta quantitate, vt ordo diuini officij grauiter perturbaretur, neque vt illius partem, peccatum ſolùm erit veniale. Qua ratione à graui culpa excuſantur addentes aliquas cæremonias, & orationes in Miſſa, & officio diuino, recitantes, & orantes hac poſitione corporis, his geſtibus, & figuris, &c. Sic ſupradicti Doctores.

6. Ex his infertur deciſio illius quæſtionis, an ſit peccatum mortale ieiunare die dominica? Et quidem ſi in contemptum Reſurrectionis Chriſti Domini, quaſi verè à mortuis non reſurrexiſſet ieiunares, qualiter Manichæi ieiunabant dubium non eſt te grauiſſimè peccaturum; quia ſaltem facto ipſo hæreſim profiteris, & in huius hæreſis exterminationem Eccleſia ieiunium dominicale prohibuit: *cap. ſi quis presbyter 30. diſt.cap.ſacerdos 16.q.6. & cap.ne quis ieiunet de conſecrat. diſt.3.* Idem iuris eſt, ſi ex fine improbandi hoc Eccleſiæ præceptum ieiunare; quia iuſtiſſimam legem improbare blaſphemum eſt. At ſi ſeclufo quolibet malo fine ob finem bonum, & honeſtum, qualis eſt, vt ſatisfacias pro peccatis commiſſis, vel vt magis diſpoſitus ſis ad Deum laudandum ieiunes, culpa mortalis non erit. Quia lex illa prohibens ieiunium dominicale videtur ceſſaſſe, quia ceſſauit hæreſis Manichæorum, ad quam exterminandam fuit ieiunium prohibitum. Neque apparet ex quo alio capite illicitum eſſe poſſit. An verò ſit peccatum veniale; credo eſſe, ſi ſolo die dominico ieiunares; quia tunc vteris ſuperfluo, & ſingulari cultu præter Eccleſiæ morem: cum enim aliis diebus tibi conceſſum ſit ieiunare, & die dominica interdicatur, hunc ordinem inuertere nulla rationabili cauſa vrgente, ad minus peccatum veniale cenſendum eſt. Tom, Sanchez *lib.2.in decal.cap.37.n.13.14.& 15.*

7. Secundò infero, ſi in honorem alicuius Sancti eius feſtum ieiunare voueas, & feſtum incidat in die dominica, non fore te ſuperſtitioſum, ſi die dominica ieiunes: quia tunc dominica dies per accidens ad ieiunium habetur; imo videris ex voto obligatus; quia eſt de materia licita, neque impeditiua maioris boni poteris tamen propria authoritate in diem antecedentem, vel ſequentem commutare; quia videtur gratius Deo ob ritum vniuerſalis Eccleſiæ die dominica non ieiunantis, ieiunium in alium diem transferre: Sic Sanch. *ſuprad. numero 18.*

PVNCTVM II.

Quid ſit Idololatria, & quale peccatum.

SVMMARIVM.

1 *Definitur idololatria.*
2 *Eſt maximum peccatum inter ea, quæ virtutibus moralibus apponuntur.*
3 *Si contingit cum hæreſi pœnas hæretici incurris, ſecus ſi abſque hæreſi.*

1. IDololatria prima, & præcipua ſpecies ſuperſtitionis eſt idolorum cultus, quo idola nullam diuinitatem habentia pro veris Diis honorantur. Generaliter autem quilibet honor diuinus creaturæ attributus idololatria eſt. Dupliciter autem hunc cultum creaturis attribuere potes. Primò credendo in creatura diuinitatem reſidere, ob quam diuino honore digna ſit, & tunc eſt idololatria hæreticalis, ſeu mixta hæreſi. Secundò, cognoſcendo nullam in creatura ineſſe diuinitatem, vis tamen ob aliquem ſpecialem reſpectum honorem Deo debitum illi tribuere. Quomodocunque autem contingat idololatria, ſiue cum hæreſi, ſiue abſque illa, grauiſſimum eſt peccatum, & Deo maximè iniurioſum: ſiquidem eius honorem vſurpas, & alteri tribuis: tacitè enim vis eius diuinitatem tollere, & creaturæ conferre, quod eſt ſumma blaſphemia, neque hoc peccatum excuſari poteſt vllo metu, & timore; quia eſt res intrinſecè mala: & in his omnes conueniunt, Sanch. *lib 2. in decal.cap.37.n.21.* Valent. 2.2. *diſp.6.q.11. part.2. verſ. ex diuerſa, & p.3 verſ.neque obſtat.*

2. An autem ſit maximam peccatum? Breuiter reſpondeo eſſe maximum inter ea, quæ virtutibus moralibus opponuntur. At eſt inferius vitiis, quæ Theologicis virtutibus aduerſantur: ſic Suarez *lib.2. de ſuperſtit. cap.6. num.15.* Notanter dixi idololatriam eſſe cultum, quo honorem Deo debitum creaturæ exhibes, qua poſita exhibitione quantum in te eſt, concilias creaturæ exiſtimationem Deo debitam; ſiquidem nulla alia via conciliatur hæc æſtimatio, quam illius cultus exterioris exhibitione. Quocirca non video, quomodo ſine voluntate attribuendi creaturæ honorem debitum Deo, idololatria eſſe poſſit; tametſi poſſit eſſe ſine voluntate, vt de facto creatura conſequatur illo cultu æſtimationem Deo debitam; imo poteſt eſſe idololatia cum voluntate contraria, qualem ſolent habere Catholici, qui metu mortis ſigna adorationis idolis exhibent, non ex affectu honorandi idolum, & conciliandi ei diuinam æſtimationem, ſed ex affectu fugiendi mortem imminentem, ſi illa adorationis ſigna non exhibent: vt latius expendit Suar. *tom.1. de Relig. lib.2. de ſuperſtit. toto cap.4.*

3. Quando idololatria contingit cum hæreſi, pœnas hæretici incurris, ſi abſque hæreſi nullam ipſo iure contrahis:

at venis puniendus arbitrio iudicis pro qualitate criminis, vt latius diximus, cum de pœnis hæreticorum, & illorum, qui de hæresi suspecti sunt, sermonem fecimus.

PVNCTVM III.

Quid sit diuinatio, quotuplex, & quale peccatum.

SVMMARIVM.

1 *Dæmon futura contingentia pendentia à libera voluntate certè cognoscere non potest.*
2 *Futura à causa naturali necessario prouenientia bene cognoscere potest.*
3 *Variis modis homines instruunt, & occulta docent dæmones.*
4 *Expenditur definitio diuinationis.*
5 *Duplex est diuinatio, & vtraque grauissimum peccatum.*
6 *Quod intelligitur, cum seriò mediis illis vanis vteris, quid si ioci causa, vt experiaris, quid casu accidat, rarò à mortali excusatur: esto plures contra sentiant.*
7 *Obseruare somnia, auguria, &c. non vt certa, sed vt contingentia non videtur mortale vna, vel altera vice, secus si frequenter.*
8 *Non videtur graue peccatum, si cum alio pactum ineas, vt præmoriens superstiti appareat, Deo id concedente, moniturus de sua salute, rarò tamen à culpa veniali excusatur.*
9. *Inuocatio dæmonis tam expressa quam tacita multiplex est pro multiplicitate rerum, quæ ad diuinationem assumuntur.*
10 *Tacita, & expressa inuocatio non videtur specie differre.*
11 *At in confessione declarare debes, quomodo diuinaueris.*
12 *Omnis diuinatio siue tacita, siue expressa ad superstitionem pertinet.*
13 *Superstitio procedens ex pacto expresso cum dæmone plures malitias habet.*

1. PRæmittendum est dæmonem futura contingentia à libera voluntate pendentia certò cognoscere non posse, iuxta illud Isai. 41. *Annunciate nobis, quæ futura sunt, & dicemus, quod Dij estis vos.* Item neque certò cognoscunt cogitationes, & affectiones hominum internas in voluntate residentes; iuxta illud 2. Paralipom. 6. *Tu solus nosti corda hominum.* Verum etsi hæc certò non cognoscant, probabilissimè tamen ea coniectant. Tum quia causas naturales omnes, & vim earum perfectissimè norunt. Tum quia norunt hominum affectiones, & naturales eorum inclinationes. Tum quia maxima experientia pollent, & memoria retinent quid ex quo communiter sequatur. Tum quia sagacissimi sunt, & Deo permittente hominum phantasmata variis viis perturbant.

2. Secundo præmitto futura, quæ à causa naturali necessariò proueniunt optimè dæmones prædicere possunt: quia eorum cognitio non excedit eorum naturam. Idem est de cogitatione præsentium, quæ in actum exterpum prodierunt. Quapropter sciunt secreta consilia, furta, aliaque occulta peccata à voluntate pendentia.

3. Tertiò præmitto variis modis dæmones instruere homines posse, & occulta docere. Primò obiiciendo sensibus vera corpora aliunde asportata, vel à se fabricata, vel saltem obiiciendo similitudines corporum mediis, quibus responsum reddit, & homines instruit. Secundò formando in aëre aliquam vocem, quæ solùm à diuinatore audiatur. Tertiò immutando phantasiam, sensus exteriores, & his similia: cum enim dæmon æmulator sit diuinæ excellentiæ, & omnes modos, quibus Deus suos seruos instruit, vsurpare conatur, vt hac ratione excellentiam diuinam arroget, & ostentet, & in iis omnes Doctores referendi conueniunt.

4. Diuinatio in præsenti est futurorum contingentium prædictio modo indebito: Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 95. *art.* 1. Azor. 1. *p. instit. moral. lib.* 9. *cap.* 12. *q.* Valen. *disp.* 7. *q.* 12. *p.* 1. Sanch. *lib.* 2. *in decal cap.* 38. *n.* 1. Suar. *t.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superstit. c.* 7. *n.* 1. & 2. Lessius *lib.* 2. *de iustit. c.* 43. *dub.* 5. *à n.* 21. Notanter dixi, futurorum contingentium: quia in ipsorum prædictione specialiter diuinatio consistit, tametsi ad prædictionem cuiuscumque occulti, quod nulla humana vi cognosci potest, extendatur. Dixi indebitis modis; quia debito modo; scilicet ex diuina reuelatione futura præcidere non est diuinatio, sed prophetia. Debet ergo prædictio à diuina prouidentia minimè ordinatis comparari Hæc autem alia esse non possunt, præter auxilium, dæmoniorúmque instructionem. Nam excluso Deo, & Sanctis Angelis non est alius qui occultorũ notitiam, & quæ vi naturæ non possunt cognosci, præstare possit. Ergo si ad aliquam à Deo: eiúsque Angelis, notitiam occultorum, procuras, conueneris à dæmone procurare.

5. Dupliciter hanc prædictionem procurare putes, & iuxta illam duplex est diuinatio alia quæ fit inuocatione expressa dæmonis, & hæc verbis, & factis fieri potest. Verbis, si verbis expressis eum inuoces; factis, si facta vsurpes, quibus sic dæmonem respondere. Alia diuinatio, qua procuras occultorum prædictionem tacita dæmonis inuocatione, & hæc contingit, cum vana verba, & facta vsurpas ad illius prædictionis consecutionem. Dicuntur autem vana; quia ex se non valent notitiam illorum effectum præstare: eo quod cum effectibus nullam habeant connexionem: si igitur hæc vsurpes ad aliquos effectus cognoscendos, videris sanè velle à dæmone notitiam habere: cum enim, vanis verbis, & factis nullus alius nisi dæmon moueri possit ad prædictionem illam concedendam; quia non sunt media apta, quibus Deus, bonúsque Angelus moueatur, neque eius bonitatem decent, conuinceris sanè illa vsurpans velle à dæmone prædictionem illam obtinere, cui hæc vana, & futilia complacent. Neque valet dicere te nolle à dæmone edoceri; & cum illo pactum inire, si factum vsurpas, cui nullus alius, nisi dæmon se immiscet. Nam facto ipso opem dæmonis imploras, quantumuis verbis contrarium dicas; vt bene dicit Lessius *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 8. *num.* 52. Sanch. *lib.* 2. *in decal. cap.* 38. *num.* 4. Suarez *lib.* 2. *de superstit. cap.* 9. *num.* 13. *& seqq.* Bonac. *disput.* 3. *de primo decal. præcept. quæst.* 5. *punct.* 3. *num* 6. Vnde hæc inuocatio siue expressa, siue tacita grauissimum peccatum est, neque leuitatem materiæ admittit, eius autem malitia in eo sita est, quia hac expressa, vel tacita inuocatione vis amicitiam cum iniquissimo inire, eiúsque discipulum esse, quod est quoddam genus proditionis, & apostasiæ. Sic Caietan. 2. 2. *q.* 95. *art.* 2. Suar. *lib.* 2. *de superstit. c.* 7. *n.* 10. *& c.* 9. *n.* 13. *&* 16. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 4. *&* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 5. *n* 27.

6. Aduerto tamen supradicta procedere, cum seriò mediis illis vanis vteris ad prædictionem occultorum habendam: nam si illis mediis vtaris ioci causa vt experiaris quid casu accidat, quidve tale signum designet, credens totum esse futile, & inane, communiter Doctores existimant neque esse superstitionem, neque excedere culpam venialem, Sic. Valent. 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 12. *p.* 4. Delrius *lib.* 5 *disquisit. mag. cap.* 2. *quæst.* 4. Sanchez alios referens *lib.* 2. *cap.* 38 *num.* 20. Bonacina *disp.* 3. *de primo decal. præcept. quæst.* 5. *p.* 3. *n.* 17. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superstit. cap.* 9. *n.* 11. & alij apud ipsos. At credo rarò à mortali hunc vsum excusari; quia compertum tibi est illa media improportionata esse ad significandum occultos effectus. Ergo cum tentas videre quid ex illis accidat, quidve significent, tantas experiri, an de facto se dæmõ illis immiscear, & consequenter tentas cum dæmone Societatem habere, quod etiam ex ioco videtur graue peccatum.

7. Existimarem autem regulariter solùm esse veniale peccatum obseruare vana, vel altera vice, somnia, auguria, aruspicia; sortes, & similia, non vt certa signa futuri euentus, sed vt contingentia; quia certam fidem iis superstitionibus non præstans, non videris perfectè superstitiosus; tametsi in periculo verseris. Dixi obseruare somnia, auguria vnâ, vel alterâ vice: si enim communiter hæc obseruares, & iuxta illas actiones dirigeres, non dubito te grauiter peccaturum, quantumuis dicas illis fidem non habere; quia factis illis denotas credere, aliàs non ita efficaciter ad illarum normam actiones componeres. Sic Caietan. *in sum. verbo somniorum obseruatio.* Nauarr. *sum. cap.* 11. *n.* 33. *&* 37 Azor. *lib.* 9. *cap.* 17. *fine*, Sanch. *lib.* 2. *in decal. c.* 38. *n.* 21. *&* 22. Suar. *lib.* 2. *de superstit. c.* 13. *n.* 25. Bonac. *disp.* 3. *de primo decal. præcepto, q.* 5. *p.* 3. *n.* 18.

Ex quo fit à fortiori te non peccaturum, si abstineas ab aliqua actione non præcepta ob somnium, vel casum aliquem contingentem, quoties dubius es, an somnium, vel casus ille contingens fuerit à diuinâ prouidentia in signum futuri euentus ordinata; quia tunc videtis prudenter operari. At debes fundamentum huius dubitationis habere non futile, & inane, sed firmum: alias saltem venialiter peccabis, sic Suar. *c.* 10. *n.* 6. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 38. *n.* 21. *fine.*

8. Fit secundò te non peccare grauiter, si cum alio pactum ineas, vt præmoriens superstiti appareat (Deo id concedente moniturus de sua salute, quia nihil intendis ope dæmonis cognoscere. At rarò à culpa veniali tale pactum excusabitur. Tum ob curiositatem vanam, tum ob periculum deceptionis, quod sæpè in his apparitionibus solet contingere. Quare iure optimo hos curiosos reprehendit. Martin. Delrio *lib.* 2. *disquisit. mag. q.* 26. *sect.* 7, Bonac. *disp.* 3. *de primo decal. præcepto. q.* 5. *p.* 3. *in fine*, Sanch. *cap.* 48. *n.* 25.

9. Rursus inuocatio dæmonis tam expressa, quam tacita multiplex est pro multiplicitate rerum, quæ ad diuinationem assumuntur, de quibus latè Delrius *lib.* 4. *disquisit. mag. cap.* 2. *q.* 6. *&* 7. Breuiter tamen eas enumerant Sanchez *n.* 2 & Lessius *num.* 25. Suarez *cap.* 8. *in princ. & cap.* 9 *num.* 5. Azor. *cap.* 12. *& seqq.* sed quia in specie morali non differunt, supernacaneum duxi ea nominare. Non enim differt in genere moris diuinare per aquam, per ignem, per astra, per somnia, per sortes, tametsi in genere entis detur differentia: sicuti furtum au-

ſi non differt à furto argenti in genere moris : ſic Azor. 1. *p. lib. 9. c. 12. q. 3.* Suarez *t. 1. de Relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 9. n. 5. & c. 10. n. 2. & 3.* Sanch. *lib. 2. in decal. c. 38. n. 14.* Bonac. *diſp. 3. de primo decal. præcept. q. 5. p. 3. n. 20.*

10. Solum inter inuocationem tacitam, & expreſſam eſt difficultas; an ſit aliqua differentia ſpecifica neceſſariò in confeſſione manifeſtanda; Ratio difficultatis eſt; quia idem iuris eſt taciti, ac expreſſi : *leg. de quibus, in fine, ff. de legibus, & leg. cum quid. ff. ſi certum petatur*, & latè Eberardus loco ab expreſſo ad tacitum *num.* 1. Profeſſio enim tacita, & expreſſa non differunt. Et idem eſt de conſenſu in quolibet contractu. Et confirmo. Tota malitia diuinationis conſiſtit in voluntate impetrandi à dæmone, quod fuerat à Deo expoſtulandum; ſed hæc voluntas eadem eſt, ſiue verbis id poſtules, ſiue factis. Item cum veteris factis, quibus locis dæmonem ſe immiſcere, cenſeris expreſsè dæmonem inuocare : ſed eadem malitia videtur eſſe, cum veteris factis, quibus ſcis nullum alium niſi dæmonem ſe immiſcere poſſe; tametſi neſcias, an de facto dæmon ſe illis immixturus ſit. Ergo tacita inuocatio non differt ab expreſſa. Ergo non teneris hoc in confeſſione exprimere, ſed ſatisfacies, ſi dicas te in diuinando moraliter peccaſſe & ita tenet Victor. *ſum. vbi de confeſſ. n. 176. in fine* Adde, eſto, tacita inuocatio ab expreſſa differat, differt tamen ſicut imperfectum à perfecto, quod non arguit diuerſitatem ſpecificam, ſed gradualem maioris, vel minoris grauitatis; vt dicit Sanch. *cap. 18. n. 14.* Suar. *lib. 2. de ſuperſtit. c. 10. n. 1.* Bonac. *p. 3. n. 20.* & fauet D. Thom. *2. 2. q. 95. art. 3. ad 1.* dicens; multo grauius eſt dæmones inuocare, quam aliqua facere, quibus dignum ſit, vt ſe dæmones ingerant. Non enim dixit diuerſum eſſe ſpecie, ſed eſſe grauius; quaſi iudicans grauitatem eſſe intra eandem ſpeciem. At eſt ſatis probabilis ſententia neminem obligatum eſſe circunſtantias aggrauantes intrà eandem ſpeciem in confeſſione manifeſtare. Ergo erit probabile non eſſe obligatum manifeſtare expreſſam dæmonis inuocationem.

11. Cæterùm credo, te obligatum eſſe manifeſtare pactum expreſſum : Sic Sanch. Suar. Bonac. *locis allegatis* id tanquam certiſſimum reputantes. Ratio ea videtur eſſe : quia in confeſſione manifeſtare teneris non ſolùm diſtinctionem ſpecificam peccatorum, ſed & numericam. At cum voluntatem habes expreſſam dæmonem inuocandi, diſtinctum peccatum eſt, ac eſt illud, quod committis tacita inuocatione; quia in tacita inuocatione ſolùm hæc voluntas virtualiter adeſt non formaliter; ſed voluntas formalis à virtuali eſt numero diſtincta. Ergo teneris in confeſſione has voluntates diſtinguere. Neque obſtat ratio contraria. Fateor non differre ſpecie tacitam inuocationem ab expreſſa : at quia numero differt manifeſtanda eſt.

12. Deinde eſt difficultas; an omnis diuinatio ſiue tacita, ſiue expreſſa ad ſuperſtitionem pertineat? Negat Valen. *2. 2. diſp. 3. q. 12. p. 3. in princ.* indicat Leſſius. *lib. 2. de iuſtit. cap. 43. dub. 5. n. 28.* Mouentur; quia ſuperſtitio conſiſtit in voluntate attribuendi creaturæ diuinum honorem, at ſola diuinatio futurorum contingentium pendentium à cauſa libera ad Deum pertinet. Ergo ſola hæc diuinatio ſuperſtitioſa eſt. Et confirmo, cum à dæmone petis ſcientiam alicuius occulti effectus præſentis, non petis aliquid quod eius poteſtatem excedat, ergo nullam illi tribuis diuinitatem. Ergo neque ſuperſtitionem committis, tametſi grauiſſimè pecces. Cæterùm probabilius eſt veram eſſe ſuperſtitionem : Sic cum D. Thom. *2. 2. q 85 art. 2.* docet Caietan. *ibi in fine*, Suarez *lib. 2. de ſuperſtit. cap 8. à num. 16.* Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 38. à numer. 9.* Ratio eſt; quia ex proprio diuinitatis iure vult Deus, vt creaturæ omnes ad ipſum confugiant, in eóque fidant. Qui ergo illo relicto confugeret ad ſuum inimicum, in eoque confideret, plane eius iuri diuino derogaret, & quod illius proprium eſt vellet inimico tribuere. Ergo committit ſuperſtitionem, & tacitam idololatriam : & per hæc pater ſolutio contrariæ rationis.

13. Notandum tamen eſt cum Suarez *lib. 2. de ſuperſtit. cap. 8. à num. 22.* Sanch. *lib. 2. in decal. cap. 38. n. 26.* Leſſio *lib. 2. de iuſtit. cap. 43. dub. 5. n. 28.* Superſtitionem procedentem ex pacto expreſſo cum dæmone plures malitias adiunctas regulariter habere : habet namque ſpeciem idololatriæ, ſi cũ tanquam quid diuinum recognoſcas; hæreſis ſpeciem, ſi eum talem eſſe credas; vanitatis, & ſuperbiæ, ſi ad conciliandam opinionem vulgi iis ſuperſtitioſis mediis vtaris. Quapropter confeſſarij in horum examine diligentes eſſe debent, vt eorum malitiam, & peccati circunſtantias plenè cognoſcant.

PVNCTVM IV.

Qua ratione diuinatio per aſtra abſque expreſſa inuocatione dæmonis licita ſit?

SVMMARIVM.

1 *Ex aſtris prædicere naturales effectus, nullum eſt peccatum.*
2 *Idem eſt de temperamento, conditione, qualitate, & inclinatione cuiuſuis viuentis.*
3 *Sed hi effectus certò prædici non poſſunt : ſed ſub quadam probabilitate.*
4 *Ex aſtris euentus ex libera hominis voluntate pendentes, vt occultos effectus prænunciare ſuperſtitio eſt.*
5 *Quid ſi non certò, ſed probabiliter prænuncientur? Affirmandum eſt ſuperſtitionem eſſe.*
6 *Secus verò, ſi ſolùm coniecturaliter.*
7 *An hæc coniecturalis, & tenuiſſima prædictio ſtante motu proprio Sixti V. prohibeatur? Affirmant aliqui.*
8 *Probabilius cenſeo non prohiberi.*
9 *Satisfit oppoſitis rationibus.*
10 *Quid dicendum de Zahoris? Approbatur doctrina Sanch.*

1. DVplex genus effectuum ex aſtris prædici poteſt, aliud eſt effectuum naturalium, aliud contingentium. Si ex aſtris prædicis naturales effectus, ſcilicet ſerenitatem, vel tempeſtatem, pluuiam, vel grandinem, peccatum ſuperſtitionis non committis; quia negari non poteſt ipſos orbes cœleſtes horum effectuum cauſas eſſe, & licet excedas in prædictione, quia plus certò eos prædicis, quam ex aſtris colligi poſſunt ex ſe ſecluſo damno aliquo extrinſeco peccatum mortale non erit, ſed veniale tantum, vitium imprudentiæ, temeritatis, ſeu mendacij. Sic Sanch. *lib. 2. in decal. c. 38. n. 29. fine*, Suar. *to. 1. de Relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 11. n. 5. & 12.*

2. Idem quod dictum eſt de iis effectibus dicendum eſt de temperamento, conditione, qualitate, & inclinatione cuiuſuis viuentis : ſi enim ex aſtris prænuncies aliquem ſuperbiæ, arrogantiæ, iræ, aliiſque paſſionibus eſſe ſubiectum, non peccas grauiter; quia ex influentia aſtrorum in natiuitate cuiuſuis contingentium hæ inclinationes magna ex parte proueniunt.

3. At hi effectus certò prædici non poſſunt, ſed quadam tenuiſſima probabilitate : Tum quia aſpectus aſtrorum neceſſarius ad horum iudicium ferendum perfectè non cognoſcitur, tum quia ab aliis cauſis præter aſtra dependent. Tum quia ſæpè impediuntur. Quis enim non videt ferè impoſſibile eſſe, vt quis cognoſcat aſpectus aſtrorum, qui in puncto natiuitatis regnant, cum eorum motus ita velociſſimus ſit, & quolibet puncto varientur. Adde, eſto cognoſceres aſpectus aſtrorum in puncto natiuitatis regnantes, non tamen cognoſcere potes aſtra regnantia in puncto conceptionis, ſed ad temperamentum viuentis non minus, imo potius efficacius conducunt aſtra conceptionis, quàm natiuitatis; quia fœtus tenerior eſt, & facilior penetratu. Item inclinatio, conditio, & temperatura viuentis non tam ex aſtris collegi debet, quam ex temperatura parentum, & alimento, quo nutritur, ſicuti ſub eiſdem aſtris ſemen terræ bonæ mandatum vberem fructum reddit, mandatum verò terræ inculteę nullum producit. Ergo ſumma eſt imprudentia ex ſolis aſtris velle inclinationes hominum certò prænunciares & ita tenet & optimè probat Suar. *illo cap. 11. num. 9.* Sanch. *lib. 2. c. 38. n. 29.* Leſſius *lib. 2. c. 43. dub. 6. à n. 32.*

4. Si autem ex aſtris euentus ex libero hominis arbitrio pendentes, aut effectus occultos prænunciare velis, ſuperſtitionem committis. Quapropter non licet ex aſtris prædicere futura bella, contentiones, æmulationes : item neque certum morbum tibi eſſe euenturum, neque periculum mortis incurſurum, neque matrimonium celebraturum, iter facturum, dignitatem conſecuturum, & his ſimilia : quia hæc omnia ex voluntate libera pendent, ac proinde ex aſtris prænoſci nequaquam poſſunt. Idem iuris eſt de furtis occultis, aliiſque hominum actionibus, quæ humana induſtria inueſtigari non poſſunt, ſi ea per aſtra inueſtigare tentes peccatum grauiſſimum ſuperſtitionis committis : Sic omnes doctores cum D. Thom. *2. 2. q. 95. art. 5.* & conſtat ex illo *Deuteronom. 18.* Gentes iſtæ, quarum poſſidebitis terram, augures, & diuinos conſulunt, tu autem aliter à domino Deo tuo inſtitutus es. Et Ieremias *cap. 10. A ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt.* Ex iure autem canonico conſtat hoc eſſe peccatum : ex *cap. illos, 26. q. 2. cap. igitur. 26. q. 3. cap. non liceat, 26. q. 5.* & aliis, & ex Bulla Sixti V. contra Aſtrologos : Ex iure autem ciuili conſtat, ex *leg. nemo & leg. etſi, Cod. de maled. & Mathemat. & leg. Mathematicos, Cod. de Epiſcopali audientia.* Ratio eſt, quia aſtra eſſe non poſſunt cauſæ naturales horum effectuum; alias non eſſent liberi. Neque etiam eſſe poſſunt eorum ſigna naturalia ob eandem rationem. Reſtat ergo, vt ſolùm eſſe poſſint ſigna ad placitum : ſed hoc videtur impoſſibile cum aſtra vniformiter procedant, & effectus in mundo contingentes diuerſiſſimi ſint; vt pater in Iacob, & Eſau, qui eſto ſimul nati ſint, diuerſas inclinationes, mores, & facta præſtiterunt. Ergo idem ſignum non poteſt hæc diuerſa ſignificare, niſi ſignum ſit æquiuocum : & admiſſo gratis eſſe ſigna ad placitum futurorum euentuum, certum eſt humana induſtria id cognoſci non poſſe : vnde enim cognoſcere potes eſſe impoſita ad ſignificandum futurum euentum contingentem?

Reſtat

Restat ergo, vt ea possis cognoscere auxilio Dei, vel ope Dæmonis. Deus autem, vt sæpè dictum est non se immiscet his vanis, futilibus, falsisque regulis Astrologiæ. Ergo ope dæmonis ea cognoscis. Non quia ipse dæmon ex astrorum aspectu colligit quid homo liberè facturus sit, hoc enim est impossibile: sed quia ipse dæmon, vt artem suam commodet, & discipulos ad se pertrahat in malumque confirmet sub regulis Astrologiæ futura prædicit, quæ tamen ipse, vt sic prædicta succedant, manum apponit. Quare illis regulis vtens ac occulta cognoscenda tacitè saltem dæmonis auxilium inuocat.

5. Quocirca solùm est difficultas; an liceat ex astris hos futuros euentus, & occulta facta prædicere non certò, sed probabiliter tantum. Affirmant Caietan. 2.2. *q.*95. *art.* 5. paulò post princ. *pium, vers. in articulo eodem, & in fine.* Valen. *disp. 6. q.*12. *p.*3. *vers. iam verò,* Martin. Delrio *lib.*4 *disquisit. mag. cap.* 3. *q.*1. *concl.*2. Tolet. *lib.*4 *sum. c.* 15. *n.* 6. Et moueri possunt qui naturaliter vnusquisque suam naturalem propensionem, & inclinationem sequitur, sed ad hanc inclinationem astra non leuiter conducunt, Ergo ex illis saltem probabiliter vniuscuiusque facta enunciari possunt.

Dicendum ergo est: ex solis astris hæc prænunciare absolutè, tametsi non certò prænuncietur, est superstitio; quia ex astris humana industria deduci non potest cognitio probabilis horum euentuum. Tum quia non possunt omnia astra concurrentia cognosci, & quæ cognoscuntur, imperfectissimè cognoscuntur. Tum quia astra non sunt causæ immediatæ liberorum effectuum, sed ad summum naturalium inclinationum. Tum quia ab aliis causis sublunaribus eorum influentia sæpissimè impeditur. Tum & præcipuè quia contra propriam propensionem, & inclinationem peruersam vnusquisque Dei auxilio adiutus procedit. Non ergo ex regulis Astrologiæ inuestigari potest cognitio probabilis; aliàs non diceret Ieremias *cap.* 19. *A signis Cœli nolite timere; quæ timent gentes quia leges populorum vanæ sunt*: nam si ex astris cognitio probabilis futurorum euentuum haberi posset, neque essent vanæ leges populorum, sed prudentes; neque irrationabile, & vanum sed potius prudens illa timere. Cum ergo ex solis astris cognitio probabilis haberi non possit, restat, vt illam habeas ex doctrina dæmonis, & eius auxilio: cum ex Dei reuelatione clarum sit illam non haberi: Sic valent. 2. 2. *disput* 6. *q.* 12. *part.*3. *vers. si autem huiusmodi,* Martin Delrio *lib.*4. *disquisit. mag. cap.* 2. *quæst.*3. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.*2. *de superstit. cap.* 11. *numer.*31. Sanchez *lib.* 2. *decalog. cap.* 38. *num.* 33. Lessius *lib.*2. *cap.*43. *dub.*6. *num.*42.

6. Dixi, si ex solis astris hæc prænuncientur probabiliter: nam si solùm tenuissima coniectura, & quæ inclinationem ab astris impressam non excedit, non videtur superstitio esse, vt supponunt supradicti Doctores; at hæc coniectura cum tenuissima sit, non est sufficiens ad iudicium de euentu futuro absolutè ferendum. Quod non solùm ex astris, sed etiam ex aliis circunstantiis temperaturæ hominis, & conditionis, consuetudinis in operando satis notæ prænuncientur futuri euentus probabiliter, non videtur superstitio esse: quia non absolutè, & infaillibiter prænunciantur, sed sub illa coniectura, & probabilitate, quæ in tali complexo causarum videtur contineri. Sic Suar. & Sanch. *suprà.*

7. Maior autem dubitatio est an ex motu Sixti V. etiam hæc prædictio coniecturalis quantumuis tenuissima prohibeatur, non solùm pro foro externo, & iudiciali, sed etiam pro foro conscientiæ? Affirmat Sanch. *lib.*2. *cap.*38. *num.*34. Salas 1. 2. *q.*9. *art.*5. *tract.*5. *disp.*2. *sect.*3. *num.* 36. Iacob. de Graffis *lib.*2. *suarum. decis. cap.*5. *n.*19. quibus videtur consentire Farinac. *de hæresi q.*181. *n.* 59. Probant; quia Sixtus V. statuit, vt contra facientes iudicia, & natiuitates hominum quibus de futuris contingentibus successibus fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euentuum affirmare audeant, etiamsi id certò non se affirmare asserant, aut protestentur, &c. inquirant inquisitores, procedant, & in eos seuerius Canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animaduertant. Ergo quæcunque affirmatio etiam coniecturalis videtur prohiberi. Deinde quia in supradicto motu excipitur solùm cognitio astrorum, quæ Agriculturæ, nauigationi, & rei medicæ deseruire potest, sed exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Ergo cognitio futurorum euentuum quæcunque sit prohibita est. Neque valet dicere hanc cognitionem Agriculturæ, nauigationi, & medicinæ deseruientem excipi, quia hæc certa haberi potest, futurorum autem euentuum incertissima. Nam etiam pro nauigatione, Agricultura, & medicinæ arte incerta est ex astris cognitio. Item hic modus prædicendi futura etiam sub dubio præbet non leuem occasionem deceptionis: putant enim audientes sub illa diuinatione proferri ad dissimulandam malitiam diuinationis, non quia de facto vera non putetur, quæ ab ipsis prædicuntur.

8. Nihilominus mihi probabilius apparet hanc coniecturalem, dubiam, tenuissimámque prædictionem in supradicto motu proprio non prohiberi quia in ipso motu proprio nulla de nouo fertur prohibitio, sed quod iure diuino, & canonico prohibitum erat, denuò prohibetur, vt constat ex toto proœmio illius constitutionis, & præcipuè ex illis verbis: Nos igitur, qui pro nostri pastoralis officij munere fidei integritatem inuiolatam conseruare debemus, & animarum saluti prospicere, quantum diuina gratia adiutrice possumus, ex paternæ charitatis visceribus optamus damnantes, reprobantes, omne genus diuinationum, quæ diabolo authore ad fidelium deceptionem à prædictis curiosis, vel perditis hominibus fieri solent. Ecce quomodo solùm pernicioſam diuinationem à diabolo inuentam prohibere Pontifex intendit: & tradit optimè Caietan. 2.2. *q* 95. *art.*5 Valen. *disp.*6. *q.*12. *p.* 1. *in fine.* Ergo coniecturalem solùm prædictionem futurorum euentuum non intendit Pontifex prohibere; Adde: hæc coniecturalis, & dubia prædictio futuri euentus, non est prædictio illius absolute, sed solùm est prædictio illius sub quadam tenuissima coniectura contingenti, quod potius est prædictio contingentiæ, quam effectus, & ita hanc prædictionem in foro conscientiæ licere sentire videtur Suar. *tom.*1. *de Relig. lib.*2. *de superst. c.*11. *n.*30. Valent. 2.2. *disp.*6. *q.*12. *p.* 1. *in fine, & p.* 3. *col.* 3. *vers. si autem.* Martin. Delrio *disquisit. mag. lib.*4. *cap.*2. *q.*3 & *cap.*3. *q.*1.

9. Neque obstant contraria. Fateor enim in foro externo puniendos esse Astrologos iudiciarios, qui futuros euentus, & res occultas manifestant, tametsi protestentur se non certo ea prædicere; quia saltem tanquam verosimilia, & probabilia manifestant, quod nullo modo fieri potest. Et quia præsumuntur ad occultandam suam malitiam ea forma prænunciandi vti. Quocirca rarò à culpa mortali excusari potest quælibet ex astris coniecturalis prædictio quantumuis dubia; quia nunquam talis præsumitur, sed potius creditur firmitatem habere. Ad confirmationem dico permissam esse Astrologiæ artem circa nauigationem, medicinam, aliasque res naturales, & prohibitam circa contingentia: at prædictio futuri euentus sub contingentia non videtur prædictio tam futuri contingentis, quam necessarij, cum non tam prædicat euentum, quam illius contingentiam. Adde in supradicto motu proprio permissam esse Astrologiæ artem circa temperaturam, inclinationem, & propensionem viuentis, vt expresè notauit Suar. *dicto c.*1. *n.*12. Ergo sola prædictio futuri euentus, vel occulti facti cùm maiori certitudine, quam ex astris haberi potest, prohibita est. Ergo non illa tenuissima coniecturalis prædictio, quæ potius ex inclinatione, & temperatura viuentis, quam ex alio capite colligitur.

10. Ex iis infertur quid dicendum sit de his, quos Zahories vocant: & placet resolutio Sanch. *lib.*2. *in decal. cap.*38. *n.*37. esse quidem superstitiosos, si visu corporis dicant se penetrare corpus opacum, quale est terra, & quæ ibi sunt abscondita cognoscere, quia cum hæc cognitio humana potentia fieri non possit, efficitur ope dæmonis haberi. At si ex effectibus sensibiliter apparentibus, vt ex aliqua herba, & vaporibus, aut exhalationibus naturaliter thesaurum, vel venam aquæ significantibus thesauros vel vena prædicant, superstitiosum non erit, quia non ex mediis improportionatis cognitionem inuestigant, neque aliquid quod humana potentia cognosci non potest prænunciant.

PVNCTVM V.

Quousque diuinatio per somnia licita esse possit.

SVMMARIVM.

1 *Expenduntur causæ somniorum.*
2 *Ex somnis temperaturas corporis, illiusque mores, & affectiones coniectare nullum est peccatum.*
3 *Inuestigare à qua causa somnia proueniant, an à Deo, vel malo spiritu, an ex dispositione corporis licitum est.*
4 *Sed nimis est difficile in hac re sententiam ferre.*
5 *Expenduntur aliquæ coniecturæ somniorum, quæ à Deo immittantur.*
6 *Quoties probabile non est somnium esse à Deo, peccatum graue est ex illa prænotionem futuri euentus, vel alicuius effectus occulti colligere.*
7 *Credere aliqualiter somno, seu aliqualiter ex illo timere aduersum, non videtur graue peccatum.*

1. Diuus Thom. communiter receptus, 2.2. *q.*95. *art.*6 quadruplicem causam somniorum enumerat: duplicem corporalem, duplicem spiritualem. Corporales sunt, tùm interior, tùm exterior: interior, præcipua causa naturalis somniorum est, dispositio, affectioque corporis humani, si enim abundat sanguine læta somnia contingunt, si abundat sperma te, turpia repræsentantur, si atra bilis dominatur, tristia cogitat, si bilis flaua viget, pugnæ, rixæ, & lites se offerunt, si

phlegma redundat, fontes, flumina; imbres, prataque virentia ocurrunt; ſi ſiti laborat, ſe bibere cogitat, ſi fame, epulas apprehendit: quæ omnia latè proſequitur Gregor. Nyſſen. *libr. de hominis opificio. cap.* 13. Iſidor. *lib.* 5. *ſentent.* 1. *cap.* 6. Gregor. *lib.* 4. *Dial. cap.* 48. Exterior cauſa corporalis ſomniorum eſt corpus circunſtans, vel cœli temperies quæ aliquando ſolet dormientis phantaſiam ita immutare, vt ad illius ſimilitudinem ſomnia ſuccedant. Spirituales verò cauſæ ſomniorum vna eſt intrinſeca, alia extrinſeca. Intrinſeca eſt cogitatio præcedens in vigilia, & habitus ex ea genitus: cauſat enim in phantaſia ſimiles repræſentationes. Nam inquit D. Auguſt. *lib. de ſpiritu, & anima c.* 25. Secundùm ſtudia quæ quiſque exercuit ſomniat, & ſolitarum artium ſimulacra in præſentia mentis impreſſa apparent in ſomnis. Extrinſeca enim vel eſt bonus, vel malus ſpiritus: ſæpè enim à ſpiritu bono ſomnia immittuntur, non ſolùm piis hominibus, vt Ioſeph. Iacob, Danieli, & aliis, ſed etiam ſceleratis, vt Pharaoni, & Nabuchodonoſor; aliquando à malo ſpiritu cauſantur: dæmon enim vim habet (Deo ſic permittente) humores corporis permutandi & permiſcendi: quibus ſic permixtis ſomnia ſibi placita immittit: quibus ſic poſitis:

2. Dico 1. nullum eſt peccatum ex ſomnis temperaturas corporis, illiuſque mores, & affectiones coniectare; quia coniectas ex effectibus cauſas, à quibus naturaliter prouenit: ſic faciunt medici, vt humorem prædominantem infirmi cognoſcant, vt conſtat ex Hippocrate, *lib.* 6. *epidemior.* & *lib. de inſomniis*, & Galeno, *lib. de præſagio ex inſomniis*, & *lib.* 3. *de locis male affectis, cap.* 4. *ſic* Azor. 1. *p. inſtit. moral. lib.* 9. *cap.* 17. *poſt princip.* Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 43. *dub.* 8. *n.* 55. Nauar. *ſum. cap.* 11. *n.* 33. Sanch. *lib.* 2. *in decal. c.* 38. *num.* 49. Suar. *t.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 13. *num.* 6.

3. Dico 2. Inueſtigare à qua cauſa ſomnia proueniant, an ex diſpoſitione corporis; an à Deo vel malo ſpiritu licitum eſt: quia in hac inueſtigatione ſolùm intenditur cuiuſdam veritatis cognitio, quæ vtilis eſſe poteſt ad vitam componendam, exemploque antiquorum patrum ſomniorum cauſas inueſtigantium id confirmari poteſt. Sic Pereira, *lib.* 1. *in Dan. q.* 6. & de Magia, *lib.* 2. *q.* 7. Sanch. *lib.* 2. *in decal. c.* 38. *num.* 50. & 51. Suar. affirmans eſſe omnium *cap.* 13. *num.* 6.

4. Dico 3. Diſcernere à qua cauſa ſomnia proueniant, an à cauſa naturali, an à Deo, vel malo ſpiritu, difficillimum eſt: cum enim à qualibet ex his cauſis poſſit prouenire, quis valebit diſcernere, à qua ſomnium proueniat? Suar. *cap. illo num.* 7. Valen. *diſp.* 6. *q.* 12. *part.* 3.

5. Dico 4. Ad coniecturandum an ſomnia aliquos futuros euentus ſignificantia à Deo ſint, aliqua media deſumi poſſunt ex modo ſomniorum, ex diſpoſitione, quam relinquunt, & ex fine ad quem impellunt: ſi enim ſomnia inhoneſta ſint, vel ad malum impellant, aut animum turbatum relinquant, tepidum, & indiſpoſitum ad virtutem: clarum eſt à malo ſpiritu immiti. At ſi ſomnia honeſta ſint, & promptiorem hominem reddant ad benè operandum, indicium eſt à Deo prouenire, non tamen eſt certum, cum ſæpè dæmon in Angelum lucis ſe transfiguret, vt facilius poſtea decipiat. Valent. 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 12. *part.* 3. *ad finem*, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 8. *num.* 52. Bonac. *diſput.* 3. *de primo decal. præcepto*, *q.* 5. *p.* 3. *num.* 7. Sanch. *cap.* 38. *num.* 52. Suarez *cap.* 13. *num.* 24. Euenire autem aliquando effectum, prout in ſomniis eſt repræſentatum, indicium non eſt fuiſſe à Deo ſomnium immiſſum. Tum quia caſu euenire potuit. Tum quia ſæpè dæmon procurat, vt ſic eueniat, vt facilius poſſit hominem decipere, iuxta illud *Deuteronom.* 13. Etiamſi dixerint vobis, & ita euenerit, non creditis. Quapropter conſilio confeſſoris, vel viri prudentis in hac parte ſtandum eſt, neque proprio iudicio fidendum, vt bene dicit Sanch. *cap.* 38. *num.* 52. Suar. *cap* 13. *num.* 24 Leſſius *cap.* 43. *dub.* 8. *num.* 51 Si autem confeſſor, vel vir prudens iudicium ferat probabile eſſe à Deo prouenire, poteris illi fidem habere, & ſecundùm illud operari. Sic Suar. *d. n.* 24. Sanch. *n.* 52. Quod ſi facta inueſtigatione adhuc dubium eſt an ſint à Deo, reputanda eſſe à cauſa naturali, & nullam ſignificationem habere, quod ſi aliquid ſignificent, timendum eſt à dæmone immiſſa eſſe: quia Deus cum aliqua per ſomnium ſignificare intendit, ſolet talibus circunſtantiis ſomnium venire; vt ſomniantem certum reddat de diuiſione. Suar. *cap.* 13. *n.* 20. Sanch. *num.* 52.

6. Dico 5. Quoties probabile non eſt, ſomnium eſſe à Deo, peccatum graue eſt ex illo prænotionem futuri euentus, vel alicuius effectus occulti colligere: Sic tradunt omnes Doctores ſuprà relati Suarez *num.* 25. Sanchez *num.* 53. Leſſius *n.* 52. Azor. *lib.* 9. *cap.* 17. *circa finem*, Valen. *diſput.* 6. *q.* 12. *punct.* 3. *verſ. tertio quoad ſomnia.* Ratio eſt: quia ſomnium non poteſt effectum illum ſignificare, niſi ex impoſitione cauſæ ſuperioris, ſcilicet Dei, vel dæmonis ſi igitur probabile non eſt à Deo aſſumi ad ſignificandum talem effectum, reſtat, vt à dæmone ſignificationem habeat. Ergo ex tali ſignificatione effectum prænunciare eſt ſe diſciplinæ dæmonis ſubiicere. Ergo peccatur grauiſſimè. Hinc fit, grauiſſimum eſſe peccatum ſuperſtitionis, ſi per ſomnium procures prænotionem futuri euentus, vel effectus occulti, qualiter procurabunt gentiles, ſe tali ſitu, & diſpoſitione ad ſomnium præparantes, vt ſibi occulta reuelarentur: procuras enim à dæmone inſtrui, tametſi dicas nolle ab eo inſtrui; ſed à Deo, qui facto ipſo, quod vanum eſt, dæmonem inuitas: ſic Suar. *lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 13. *num.* 20. Sanch. *lib.* 2. *decal. cap.* 38. *num.* 53. Leſſius *lib.* 2. *c.* 43. *dub.* 8. *num.* 54. Bonac. *diſp.* 3. *de primo decal. præcepto*, *q.* 5. *p.* 3. *num.* 6.

7. Dico 6. Credere aliqualiter ſomnio, ſeu aliqualiter ex illo timere aduerſum, vel ſperare proſperum, non videtur graue peccatum, quia cum à Deo poſſit eſſe (tametſi regulariter non ſit) occaſionem præbet alicuius ſuſpicionis. Sic Leſſius *num.* 53. Sanch. *n.* 25. Ex quo fit te abſque peccato graui poſſe ob ſomnium habitum aliquando opus facere, vel omittere, modo non ſit contra aliquod præceptum: Sic Leſſius, & Suar. *ſuprà*, cum Nauar. *c.* 11. *n.* 33. Caietan. verbo *ſomniorum obſeruatio*. Dixi aliquando: nam ſi continuo ex ſomniis ad operandum moueretis, à peccato graui non eſſes excuſatus: eo quod tunc conuinceris fidem ſomniis adhibere maiorem, quam par eſt. Sic Leſſius, & Suar. *ſuprà*.

PVNCTVM VI.

Quouſque diuinatio per ſortes licita ſit.

SVMMARIVM.

1 *Sortes mitti poſſunt ad aliquid faciendum, vel ad veritatem occultam cognoſcendam. Vnde ſortes aliæ ſunt diuiſoriæ, aliæ conſultoriæ.*
2 *Sortes diuiſoriæ licent excepto caſu electionis Eccleſiaſticæ.*
3 *Enumerantur plures caſus, qui dirimi poſſunt ſortibus.*
4 *Aliquando per accidens illicitæ ſunt hæ ſortes diuiſoriæ.*
5 *Qua ratione in electionibus Eccleſiaſticis hæ ſortes prohibitæ ſint, an inquã ex iure tãtum poſitiuo, an naturali?*
6 *Quid ſi duo æqualibus ſuffragiis eligantur ad beneficium, an hæc electio ſortibus terminari poſſit? Negatiuè reſpondendum eſt.*
7 *Qua ratione lis beneficialis ſortibus dirimi poſſit.*
8 *Non eſt prohibita electio per ſortes ad officia ciuilia, & ſacularia.*
9 *Electio ad officia, & beneficia Eccleſiaſtica per ſortes facta, an ſit inualida? Sub diſtinctione reſpondetur.*
10 *Sortes conſultoriæ licitæ ſunt, ſi debito modo fiant.*
11 *Expenduntur conditiones neceſſariæ ad eorum honeſtatẽ.*
12 *Sortes diuinatoriæ ſemper ſunt illicitæ.*
13 *In his ſortibus diuinatoriis plura ſolent crimina miſceri.*

1. AD duplicem finem ſortes mitti poſſunt, vel ad aliquid faciendum, vel ad veritatem occultam cognoſcendam. Ex quo duplici fine ſortes diſtinguuntur. Aliæ vocantur diuiſoriæ, aliæ conſultoriæ, Quæ ad aliquid faciendum diriguntur: quia illis poſitis ius indiuiſum, & ambiguum multis competens diuiditur, & vni illorum applicatur. Conſultoriæ, ſeu diuinatoriæ ſortes ſunt; quibus Dei vel dæmonis voluntas exquiritur, vt quid faciendum ſit manifeſtent. Si Dei voluntas exquiratur, conſultoriæ ſortes dicuntur, ſi autem dæmonis, diuinatoriæ ſortes appellantur, Quapropter triplices ſortes Doctores diſtinguunt, diuiſorias, conſultorias, & diuinatorias: Sic D. Thom. ab omnibus receptus. 2. 2. *q.* 95. *art.* 8.

2. Dico 1. Sortes diuiſorias per ſe licitas eſſe excepto caſu electionis Eccleſiaſticæ ſic poſt alios antiquiores docent Azor. 1. *part. inſtit. mor. lib* 9 *cap.* 21. *q. vn.* Suar. *de Relig. lib* 2. *de ſuperſtit. c.* 13 *n.* 3. Sanch. *lib.* 2. *in decal. c.* 38. *n.* 58. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 43. *dub.* 9. *num.* 58. Bonac. *diſp.* 2. *de primo decal. præcepto*, *quæſt.* 5. *punct.* 2. *num.* 12. Ratio eſt; quia huiuſmodi ſortes non aſſumuntur ad inueſtigandum aliquid occultum, ſed vt quis beneficium conſequatur, quod multi habere non poſſunt. Hoc autem per ſe licitum eſt, & ſæpè conueniens ad lites dirimendas. Debet tamen fieri ab eo, qui poteſtatem habet beneficium concedendi; quia ſors non concedit beneficium, ſed voluntas ſortem mittentis illud concedit poſita illa ſortis contingentis conditione.

3. Hinc fit licitum eſſe controuerſiam alicuius hæreditatis, legati, & ſimilis ſorte dirimi ex mutuo litigantium conſenſu; quia eſt quidam contractus æqualis, in quo vnuſquiſque cedit iuri prætenſo, ſi ſors alteri contigerit. 2. fit ex voluntate iudicis hanc controuerſiam dirimi poſſe; tametſi litigantes renuant, dummodo hæreditas, vel legatum diuidi non poſſit, neque appareat quis vincat in iure: probat Textus *in leg. ſi duobus, Cod. communia delegatis.* ibi: ſancimus in huiuſmodi caſibus; rei iudicem fortunam eſſe, & ſortem inter altercantes adhibendam, vt quem ſors prætulerit, is quidem habeat poteſtatem eligendi: *& leg. ſi cum ambo, ff. de iudicijs*, & aliis Suar. *tom* 1. *de Relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. c.* 22. *n.* 4. Sanch. *lib.* 1. *in decal. c.* 38. *n.* 57. Ratio eſt, quia iudex ex officio

compellere

compellere potest, vt in illo contractu consentiant, siquidem alia via non suppetit ad controuersiam dirimendam. Tertiò fit licere sortibus eleemosynam vni ex pauperibus applicandam determinare, cui applicanda sit. Sanchez *lib.2. cap.38. n.59.* Suarez *n.17.* Bonac. *disp.3. quæst.5.p.3'n.12.* Azor. *lib.9.cap. 23.q. vnica*, éstque expressa sententia August. *lib.1.de doctr. Christ. cap.28.* quia nulli pauperum fit iniuria, cum æquale ius omnibus concedatur, si quidem singulis conceditur potestas integrè eleemosynam accipiendi. Quartò fit tempore persecutionis, & pestis sorte dirimi posse, quis religiosus, vel medicus corporibus, animabúsque curandis attendere debeat, quísve recedere possit: sic D. August. *epist.*180. Bonac. Suar. Sanch. Azor. *suprà*. Lessius *cap.43. dub.9.num.58.* Idem est, si sortes mitterentur quisnam esset ad Indos iturus Suar. & Sanch. *suprà*. Quintò fit tempore tempestatis si necessum sit aliquos in mare proiici, ne omnes pereant, licitum esse inter se sortibus determinare, quinam sint proiiciendi: quia hac via sperat vnusquisque salutem consequi, aliàs miserè perituros: quod si ipsi inter se non consentiant, poterit dux nauis hanc sortitionem facere, quia in ea periculum omnium vitare intendit aliquorum ruina, quod communi bono expedit: Sic Martin. Delrio *lib 3. disquisit.mag.cap.4 quæst.1.* Sanch. *lib. 2.in decal. cap.38. n.62.* Bonac. *q.5.p.5. n.12.* Sextò fit cum plures digni sunt morte, neque expedit omnes punire, licitum, & conueniens est sorte determinare quinam sint necandi; quia in hac sortitione nemini fit iniuria, sed potius singulis fit fauor, quatenus spes datur euadendi mortem promeritam: Sic Sanch. *n.60.* Lessius *num.58.* Bonac. *num.12.*

4. Dixi in conclusione sortes diuisorias per se licitas esse; quia per accidens, & ex circunstantiis adiunctis aliquando sunt illicitæ. Primò sunt illicitæ ex parte intentionis, si ab astris speres feliciter euenturam; quia tunc magicã superstitionẽ cõmittis cum expressa, vel saltem tacita dæmonis inuocatione: cum enim astra nullum influxũ habere possint in sortem: efficitur te velle sortem à dæmone prouenire, sic S. Tho. 2.2. *q.65. art.8.* Martin. Delrio *li.4. disquisit.mag.cap.4.q.1.* Sanch. *li.2.c.38. n.64.* Suar. *lib.2. de superst. cap.12. n.16.* Idem à fortiori est, si ope dæmonis speras sortem euenturam, vel quia ipse promisit, vel quia tu illum inuocas: sic *suprà dicti Doctores.* Si tamen euentus à fortuna spectetur, more gentilico diuinam prouidentiam excludente grauissimum est peccatum. At si à fortuna diuinæ prouidentiæ subiecta euentus spectetur, erit veniale peccatum, si absque vlla necessitate fiat; quia non decet absque rationabili causa hominem rationis compotem se fortunæ submittere. At si rationabilis causa intercedat, qualis esse potest honesta recreatio, & lucrum ad honestum finem directum nulla videtur culpa: Suar. *d.cap.12.n.16.* Sanch *cap. 38.n.65.* Secundò ex parte materiæ, si sortiaris super re aliena, & de qua disponere non potes; quia est iniustitia. Item si sortes mittantur ad officia inter dignos, & indignos, dignis fit iniuria: quod si omnes sint digni æqualiter, nulla erit iniustitia sorte determinare, quibus officia sint conferenda. Si tamen sint aliqui digniores, tunc esset culpa determinare sortibus electionem si dignior necessariò sit præferendus, Sanch. *n.67.* Tertiò sunt illicitæ, vt si fraudibus vtaris in sortitione; tunc enim contra iniustitiam peccas, neque potes sic obtentum retinere: cessat enim æqualitas in contractu, & consequenter voluntas contrahendi. Quapropter si ope dæmonis, vel alia via speciali fecisti tibi sortem euenire, restituere debes quidquid fueris consecutus Sanch. *dicto c.38. num.66.* Quartò sunt illicitæ sortes, si libris Euangeliorum, aut rebus sacris vtaris in his sortibus mittendis; quia non sunt ad hunc vsum destinatæ: sic Suarez *n.16.* Sanchez *n.69.* Bonacina *num.12.* Delrio *lib.4. disquisit. mag.c.4.q.1.* Subdunt tamen Sanchez, Delrio, Bonac. & bene non esse mortale, nisi in aliquo casu magna aliqua irreuerentia intercederet.

5. Insuper dixi sortes licitas esse excepto casu electionis Ecclesiasticæ: nam in electionibus Ecclesiasticis prohibitus est sortium vsus, *cap.de Ecclesia sortilegiis*: ibi enim dicitur esse multum reprehensione dignum, quod sors in talibus interueniat, & in fine subiungitur sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnamus. Ex quibus verbis satis colligitur omnem electionem tam ad beneficium, quam officium Ecclesiasticum sortibus factam prohiberi. Tum quia est facta prohibitio verbis generalibus. Tum quia in *suprad. cap.* reprobatur electio compromissarij sortibus facta. Quæ videtur esse minima inter Ecclesiasticas electiones. Tum quia hæc electio ideo prohibetur; quia per ipsam committitur compromissario electo potestas, & iurisdictio eligendi ad beneficium. Ergo signum est omnem electionem, per quam iurisdictio confertur etiam ad vnicum actum, si sortibus fiat esse prohibitam, & ita tenet plures alios referens Suarez *lib.2. de superstit. cap.12. num.5.* Sanchez *lib.2. in decal. cap.38. num.71. & 72.* Sed an hæc prohibitio sit solum iure Ecclesiastico, an naturali comunis sententia tenet solo iure Ecclesiastico esse: sic expressè Valen. 2.2. *disp.6.q.12. p.3.* vers. *ex eodem cap.* Sanchez *lib. 2. cap.38. n.82.* Suarez *lib.1. de superstit. c.12. n.3.*

Ratio est; quia nulla inuenitur deformitas aduersus ius naturale, si controuersia in rebus Ecclesiasticis, sicut & in ciuilibus sorte dirimatur. Neque enim ius naturale vllam in hac parte facit distinctionem. Sed obiicies Textum *in cap. Ecclesia. de sortilegiis*, dicentem reprehensione esse dignum, quod sors in talibus interueniat. Ex quibus verbis infertur ante illum textum vsum sortium prohibitum esse; aliàs non esset reprehensione dignus, qui illis vteretur, sed nullum apparet antiquius ius positiuum sortium vsum in electionibus interdicens. Ergo signum est iure naturali prohiberi. Quod si dicas prohiberi tacitè vsum sortium in *cap. quia propter, de electione*: vbi omnis alia forma eligendi prohibetur, & annullatur præter ibi præscriptam. Et cum ea quæ fit per sortes præscripta non sit efficitur sanè hanc esse prohibitam. Obstat huic solutioni manifesta ratio. Tum quia ille textus non loquitur de omni electione, sed de electione Episcoporum, & aliorum prælatorum iurisdictionem Ecclesiasticam ad causas ciuiles, & criminales habentium. Ergo electio compromissarij sortibus facta nõ est ad aduersus prohibitionem dicta *cap.quia propter.* Ergo non erat multa reprehensione dignus, qui illis fuit vsus, si aduersus ius naturale non processisset. Respondeo ideo vtentem sortibus in compromissarij electione esse reprehensione dignum: quia nouum vsum eligendi ad Episcopalem dignitatem in Ecclesia introducebat: non quia in *suprad. ad cap.quia propter*, fuerit interdictus, solum enim interdicta fuit, & annullata electio Episcopalem dignitatem, quæ non fuerit facta à maiori parte capituli, per vota secreta, vel quæ non fuerit facta ab iis quibus capitulum commiserit potestatem eligendi. Quod autem hæc commissio sortibus fiat in *illo cap.* non videtur prohibitum, & expressè docet Sanch. *lib.2. cap. 38. num.83. in fine*, contrarius iis quæ in numero antecedenti dixerat. At erat reprehensione dignus, qui illis vtebatur in hac compromissarij electione, quia nouum vsum, rametsi vsque tunc non prohibitum eligendi introducebat.

6. Sed inquires; an supradicta prohibitio locum habeat, cum duo æqualibus suffragiis eliguntur ad beneficium, vel officium Ecclesiasticum? Videtur enim tunc posse electionem sortibus terminari. Tùm quia non suppetit aliud remedium aptius, cùm eligentes in vnum non consentiant. Tùm quia cessat periculum eligendi indignum, quæ fuit causa supradictæ prohibitionis, cum iam illi digni fuerint declarati. Tum quia sortes in tali casu non assumuntur ad electionem, quia hæc iam est facta, sed assumuntur ad illius determinationem. Tum quia in pluribus congregationibus est recepta consuetudo eligendi ad officia aliquos, non vt omnes officiis fungantur, sed vt inter illos sortes mittantur, quinam officium retinere debent. Ergo hæc electionis determinatio sortibus facta licita est. Sic Glossa *26. quæst.2. in summa* verbo *sortes*. At omnino tenendum est prohibitionem ad supradictum casum extendi: sic post alios antiquiores, quos allegant, docent Sanchez *l.2.cap.38. numer.74.* Suar. *lib.2. de superstit. cap.12. numer.7.* Ratio est manifesta; quia dum suffragia æqualia sunt, nullus dici potest esse ad beneficium legitimè electus; quia debebat esse electus à maiore parte Capituli. Ergo cum Capitulum consentit, vt beneficium obtineat, & omnibus præferatur cui sors contigerit, iam mediis sortibus facit electionem. At in *suprad. cap. fin. de sortilegiis* prohibetur omnis electio sortibus facta. Ergo etiam hæc determinatio electionis, quæ vera electio est prohibetur. Neque obstant rationes contrariæ. Ad primum nego non supperere aliud remedium. Remedium enim proprium est, vt superior electores compellat, vt intra certum tempus se conforment, sin minus electionem ad se aduocet; vt tradit Glossa *cap. duobus. penul. de rescrip. in 6.* verbo *teneantur*. Ad secundum admitto cessare in illo casu periculum eligendi indignum; sed quia non cessat in genere, ea de causa non cessat prohibitio. Adde quousque à maiore parte Capituli quis electus fuerit non est declaratus dignus. Ad tertium nego non assumi sortes ad electionem, nam illa determinatio est vera electio; cum per illam beneficium conferri intendatur à maiore parte Capituli. Ad vltimum dico, si talis vsus in aliqua Cõgregatione sit circa officia iurisdictionem Ecclesiasticam habentia præsumendum esse virtute alicuius priuilegij à sede Apostlica haberi, vel esse vsum circa officia nullam administrationem, iurisdictionemve Ecclesiasticam habentia. Aliàs illicita erat electio, quia verè illa determinatio electio est, & in generali prohibitione videtur comprehensa.

7. Secundò inquiris; an prohibitum sit sortibus litem beneficialem dirimere. Plures pro & contra referunt Sanch. *lib. 2. decal. cap.38. num.77. & 78.* & Suar. *tom.1. de Relig. lib.2. de superstit. cap.12. num.11.* Eorum tamen sententia mihi probatur. Primò enim dicendum est, vsum sortis ad componendam litem in causis beneficialibus prohibitum non esse; quia solum in electionibus sunt sortes prohibitæ. At qui cedit liti, si sors sibi non contingerit, non eligit ad beneficium sed desinit impedire eum qui cum illo est electus. Ergo licet. Item ille cui sors fauet non accepit ex collitigante ius ali-

quod ad beneficium; quia non eſt in poteſtate collitigantis ius beneficiale in alium propria authoritate transferre. Ergo ceſſio litis non eſt propria electio. Ergo fieri poteſt abſque prohibitione dicti *cap. fin. de ſortilegiis.* Secundò dico non poſſe hanc ſortitionem fieri propria authoritate collitigantium; quin in hac ſortitione pactum, & obligatio cedendi liti interueniat. Sed omne pactum propria authoritate factum, quo via paratur ad beneficium ſimoniacum eſt, *cap. fin. de pactis, & cap. quam pio 1. q. 1.* Ergo Tertio dico neceſſariò authoritate iudicis hanc ſortitionem faciendam eſſe, tum ob vitandum pactum ſimoniacum, tum vt poſſit beneficium accipere, cui ſors contingit, quia illud accipere non poteſt ex iure à collitigante, tranſlato, ſed ex iure quod iudex concedit poſita collitigantis ceſſione. Nec valet dicere illud accipere ex iure antè habito, quod impediebatur à collitigante; quia ius antè habitum non erat omnino certum, & indubitatum, vt ſuppono: aliàs eſſet manifeſta iniuſtitia impedire, ſed erat ius dubium, & incertum. Ergo ex vi illius non poterat beneficium accipere. Debet ergo tale ius firmari; quod priuata authoritate fieri non poteſt, ſed authoritate iudicis. Secus verò eſt in aliis rebus temporalibus, quæ ex voluntate collitigantium transferri adinuicem poſſunt. Et in his conueniunt Suar. & Sanch. *ſuprà.*

8. Tertiò inquires; an electio per ſortes ad officia ciuilia, & ſæcularia prohibita ſit? Ratio dubitandi eſt; quia licet Textus *in cap. Eccleſia, de ſortilegiis* loquatur ſpecialiter de electione compromiſſarij potentis eligere Prælatum. At in fine generaliter dicitur ſortis vſum in electionibus perpetua prohibitione damnamus. Ergo non ſolum electio Eccleſiaſtica, ſed etiam ſæcularis prohibita cenſetur. Adde in electionibus ſæcularibus, ſi per ſortes fiat, idem eſſe periculum eligendi indignum, vel minus dignum, digno, vel digniori prætermiſſo. Quæ videtur fuiſſe ratio in Eccleſiaſticis electionibus ſortes prohibendi. Nihilominus communis eſt omnium ſententia, ſolam electionem Eccleſiaſticam ſortibus prohiberi; quia *textus in c. Eccleſia* notanter dixit reprehenſione dignum eſſe, quod ſors in talibus interueniat, id eſt in iis, quæ ad Eccleſiam pertinent. Et licet in fine, cap. generaliter fuerit textus loquutus de electionibus, ſemper intelligendus eſt iuxta materiam ſubiectam. Neque obſtat in electionibus ſæcularibus idem eſſe periculum, quia hoc ſolum probat poſſe fieri prohibitionem, non tamen eſſe factam, & ita tradit cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 95. *artic.* 8. & Caietan. *dub.* 1. Archidiac. 26. *quæſt.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. Abbate *num.* 3. Hoſtienſ. Cardin. Bella Mera, Antonin. & aliis pluribus, quos refert Sanch. *lib.* 2. *in decal. cap.* 38. *numer.* 58. Azor. *cap.* 21. *quæſt. vnica,* Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 12. *num.* 15. Tolet. *lib.* 4. *ſum. cap.* 15. *n. vlt.* Martin. Delrio, *lib.* 4. *diſquiſit. mag. cap.* 4. *quæſt.* 1. Bonacin. *diſput.* 3. *de primo decal. præcep. quæſt.* 5. *p.* 3. *num.* 12.

Quartò inquires; an electio ad officia, & beneficia Eccleſiaſtica facta per ſortes non ſolùm illicita ſit, ſed nulla? Affirmat nullam eſſe Panormit. *dicto cap. Eccleſia de ſortilegiis, num.* 5. Primò; quia eſt facta contra deciſionem illius cap. ſecundò, quia eſt facta contra formam *cap. quia propter. de electione*, vbi electio aliter facta, quam ibi præſcribitur, non valet. Dicendum tamen eſt, ſi ſortibus eligatur Prælatus alicuius Eccleſiæ habens iuriſdictionem tam in criminalibus, quam ciuilibus nulla eſt electio; quia non ſeruatur in ea forma præſcripta in *dicto cap. quia propter*, & in hoc omnes conueniunt. At ſi ſortibus eligantur compromiſſarij, qui hunc prælatum nominent, & deſignent, valida eſt tam electio compromiſſariorum, quam Prælati nominatio. Quod autem compromiſſariorum electio valeat probat Textus *in cap. Eccleſia, de ſortilegiis*: vbi Pontifex ex gratia, & fauore confirmat electionem ſic factam, cum potuerit illam caſſare, non tamen denuo confert. Item in illo textu nullum eſt verbum indicans nullam eſſe talem electionē. Ex *cap.* autem *quia propter* non habetur electionem compromiſſarij ſortibus factam eſſe nullam; quia de tali electione non loquebatur textus, ſed de modo eligendi ipſum prælatum: imo potius ibi ſupponitur poſſe prælatum eligi per compromiſſarios, quod verò compromiſſarij ſuffragiis, vel ſortibus electi ſint, non deciditur. Ergo electio compromiſſarij ſortibus facta nullibi annullatur. Ergo neque annullatur nominatio compromiſſarij: ſic Gloſſa *in dicto cap. Eccleſia*, verbo *ad gratiam*, Suar. *lib.* 2. *de ſuperſti. cap.* 22. *n.* 9. & 10. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 83. Quod ſi electio ad officia, vel beneficia Eccleſiaſtica præter prælationem ſortibus fiat, valida eſt: ſic Suar. *ſuprà*, & Sanch. plures referens *n.* 84. quia nullibi inuenitur annullata talis electio. Nam in *cap. quia propter, de electione* ſolum eſt ſermo de electione prælati iuriſdictionem habentis, vt conſtat ex ipſo textu. Et hæc de ſortibus diuiſoriis.

10. Verum ſi de ſortibus conſultoriis loquamur, dicendum eſt per ſe licitas eſſe, ſi debito modo fiant, hoc eſt ſi fiant neceſſitate vrgente, & cum debita reuerentia, ſpecialique Dei inſtinctu. Quia his conditionibus poſitis nulla apparet in ſortibus malitia, ſed potius religionis actus reſplendet, vt probari ſatis poteſt exemplis tum veteris, tum noui Teſtamenti, ſpecialiter ex illo facto *Ioſue* 7. qui ſortem miſit ad cognoſcendum malefactorem occultum, & ex facto Apoſtolorum *Act.* 1. qui ad eligendum Sanctum Matthiam loco Iudæ ſortem miſerunt, & ſuffragatur ratio? quia in tali caſu licitum eſt explorare diuinam voluntatem, vt aliquo ſigno quid ſit agendum manifeſtet. At cum non appareat aliud ſignum aptius, quàm ſortes, ſortibus creditur diuinam voluntatem manifeſtandam eſſe, iuxta illud *Prouerb.* 16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à domino temperantur.* ſic ex omnium ſententia tradit Suar. *lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 12. *num.* 18. Sanch. *lib.* 2. *in decal. cap.* 38. *n.* 85. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. c.* 43. *dub.* 9. *n.* 60. Bonac. *diſput.* 3. *de primo decal. præcepto, q.* 5 *p.* 3. *n.* 12.

11. Tres conditiones appoſui, vt ſortes conſultoriæ licitæ ſint, quaſque ſupradicti doctores Sanch. Suar. Leſſius, Bonac. & alij approbant. Ex quibus conſtat raro ſortes licere poſſe; quia raro hæ conditiones adſunt. Prima & præcipua vt neceſſitate vrgente fiant: nam ſi alia via inueſtigari diuina voluntas poteſt, imprudenter quis ſortibus vtitur, & Deum in tali caſu tentat, & periculo ſe exponit, vt à dæmone decipiatur. Quapropter talis vſus ab Auguſt. *epiſt.* 119. *c.* 20. reprehenditur, & à Leone I V. relato in *c. ſortes* 26. *q.* 5. ſub anathemate prohibetur. Sortes (inquit) quibus cuncta vos veſtris diſcriminatis prouinciis, quas partes damnauerunt, nihil aliud quam diuinationes, maleficia eſſe decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, & inter Chriſtianos vltra nolumus nominari, & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus. Neceſſitas autem eſt, quando alia via ſubueniri non poteſt graui alicuius ſpirituali, vel temporali neceſſitati, aut quando Eccleſia inde magnum eſt emolumentum habitura: ſic Sylueſt. verbo *ſuperſtitio, q.* 4. Margarita confeſſor. *in primo præcepto fol.* 58. Sanch. *cap.* 38. *num.* 85. Secunda conditio, vt ſortes conſultoriæ liceant, eſt, vt cum debita reuerentia ad Deum mittantur: cum enim illis ſortibus diuina exploratur voluntas, opus eſt, vt cum magna reuerentia fiat, & præmiſſa oratione, vt dixit D. Thom. *q.* 95. *art.* 8. Suar. *dicto cap.* 12. *n.* 25. Defectus huius conditionis regulariter eſt ſolum venialis culpa, niſi magna adſit irreuerentia Bonac. *dict. p.* 3. *n.* 14. At idem eſt, ne in his ſortibus mittendis ſacris rebus vtaris ad res temporales, lucraque captanda, quia eſt quædam rerum ſacrarum profanatio, Sanch. *n.* 85. Bonac. *n.* 14. *& alij apud ipſos.* Aduerto tunc enim deficere primam conditionem neceſſitatis; ac proinde ex hac parte conſultoriam ſortem eſſe illicitam. Tertia conditio eſt, vt ſpecialem Dei habeat inſtinctum: hæc enim conditio neceſſaria eſt, ſi velis, vt Deus aliquo ſenſibili ſigno diuinam voluntatem ſortibus manifeſtet. At ſi ſolum intendas, vt Deus per ſpecialem ſuam prouidentiam ſortes feliciter dirigat, neceſſarius non eſt tunc diuinus inſtinctus, ſed ſufficit fiducia magna, quam in diuina bonitate habere potes de talium ſortium directione poſita neceſſitate, & negotij honeſtate Suar. *dicto c.* 12. *n.* 26. Sanch. *c.* 38. *n.* 87.

12. Tandem ſi de ſortibus diuinatoriis loquamur, hæ ſemper ſunt illicitæ, vtpote ſuperſtitionem continentes. Sortes enim neque cauſant effectum futurum, neque illum ex ſe ſignificare poſſunt. Ergo ſi aliquando illum ſignificant, id habent ex alicuius diſpoſitione. Deus autem hanc ſignificationem illis non dedit. Tum quia Deus non ſe vanis immiſcet. Tum quia ſæpe aliter res eueniunt, quam ſortibus ſignificantur. Reſtat ergo, vt à dæmone hanc habeant ſignificationem. Ergo qui illam ex ſortibus inueſtigat, ſe diſciplinæ dæmonis ſubiicit: ſic D. Thom. receptus ab omnibus 2. 2. *q.* 85. *art.* 8. & conſtat ex *cap. ſi quis Epiſcopus, cap. non licet, & aliis* pluribus, 26. *q.* 5. & pluribus exornat Suar. *dicto c.* 12. *n.* 28.

13. Aduerto tamen in his ſortibus diuinatoriis ſæpè iniuſtitiam, aliáque grauia crimina præter ſuperſtitionem miſceri. Si enim ſortes mittas ad cognitionem alicuius occulti criminoſi, iniuſtitiam committis, tum inquirendo delictum medio ita improportionato, & fallaci tum ob maximum periculum, quod ſors in innocentem cadat, quia cum dæmon magis appetat damnum iuſtis, quam peccatoribus inferre, credi poteſt delictum peccatoris innocenti applicaturum: ſic Suar. *dicto c.* 12. *n.* 29. Sanch. *c.* 38. *in fine.*

PVNCTVM VII.

Quouſque diuinatio ex elementis, ex animalibus, ex diſpoſitione proprij corporis, aliiſque rebus licita eſſe poſſit.

SVMMARIVM.

1 *Qui effectus naturales ex his abſque ſuperſtitione prædici poſſunt.*

2 *Ex ſupradictis coniectari in genere poſſūt bella, rixæ, contētiones non certè, ſed quadā tenuiſſima probabilitate.*

3 *Effectum*

3 *Effectum contingentem prædicere ex iis absque speciali Dei fauore grauissimum peccatum est superstitionis.*
4 *Ex manuum lineis, ex physiognomia capitis bonam, vel malam coniectari fortunam graue est peccatum.*
5 *Idem est si eam coniectes ex fortuitis euentibus, tum animalium, tum hominum.*
6 *Aliquos dies infelices reputare, alios felices superstitiosum est.*

1. EX varia elementorum mutatione, ex frequenti animalium cantu, volatu, motu, ex proprio corporis habitu, & dispositione, effectus naturales, vt pluuiæ, imbres, serenitates, & similia prædici probabiliter possunt; quia ex his signis prædicitur causa naturalis horum effectuum. Item ex physiognomia cuiusque coniectari aliquo modo potest eius temperies, naturales animi affectiones, bona, vel mala consuetudo. Quia coniectatur causa communis illorum effectuum. Neque in hac prædictione aliqua superstitio inuenitur; tametsi certius quam par est. hi effectus prædicantur, sed erit quædam imprudentia, & error in philosophia naturali commissus: sic communiter doctores cum D. Tom. 1. 2. q. 95. art. 7. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 9. cap. 14. 15. & 16. Lessius lib. 2. de iustit. cap. 43. dub. 7. n. 45. Bonac. de primo decal. præcepto, disp. 3. q. 5. p. 3. n. 11. Sanchez lib. 1. in decal. c. 38. n. 38. & 44.

2. Ex supradictis etiam signis coniectari in genere possunt bella, rixæ, & contentiones inter homines futuræ non certò, sed quadam tenuissima probabilitate; quia cum communiter homines inclinationes sequantur, & ex illis signis colligatur causa ad hos effectus inclinans, prædici possunt probabiliter tales effectus: sic Caietan. 2. 2. quæst. 95. art. 7. Valen. 2. 2. disp. 6. q. 12. p. 3. vers. similiter possunt. Sanch. lib. 2. c. 38. n 38. Bonac. n. 11.

3. Verum quoties tibi probabiliter saltem non constat aliqua ex superioribus signis assumpta esse à Deo ad aliquem effectum contingentem præsignandum, si ex illis talem effectum prænuncias, grauissimum peccatum superstitionis committis. Tum quia te committis à dæmone edocendum, tum quia eius auxilium imploras, vt vera efficiat, quæ doces. Nam cum illa signa ex se tales effectus non significent; eo quod neque sunt illorum causæ, neque ab aliqua causa communi proueniant, restat, vt signa sint ex alicuius superioris directione. Hic autem non est Deus; quia non se vanis immisceret. Tum quia sæpè hæc signa fallacia sunt. Ergo fatendum est dæmonem esse, à quo illa signa effectus contingentes significare possunt. Ergo ex illis talia prædicere, est se discipulum dæmonis profiteri. Est ergo grauissimum peccatum: sic D. Thom. receptus ab omnibus 2. 2. q. 95. art. 7. & expresse tradit Lessius, Sanch. Bonac. Valen. *supra*. Neque obstat Ioseph. *Genes.* 44. se coram fratribus laudans, quod non fuerit similis eis in augurandi scientia: si igitur augurium illicitum est, non se de illo laudaret Ioseph sanctissimus. Non inquam obstat; quia non de augurio illicito, sed licito se laudabat, scilicet de prophetia; eaque de causa dixit: an ignoratis, quod non fuerit similis mei in augurandi scientia, quasi diceret, alij augures, & diuinatores; quia ope dæmonis futura diuinant; fallaces sunt, neque omnia cognoscunt. Ego vero diuino fido auxilio eiusque ope futura prædico. Quapropter nullus in augurandi scientia mihi similis est.

4. Ex his infero, grauiter te peccaturum, si ex manuum lineis, ex physionomia capitis bonam, vel malam fortunam coniectes, esse inquam diuitem, vel pauperem, religiosum: vel sæcularem, sacerdotem, vel laicum, solutum, vel matrimonio alligatum, &c. quia illa signa causæ esse non possunt illorum effectuum, neque in illis signis tales effectus prædici possunt, nisi ex doctrina dæmonis; sic Nauarr. *sum. cap.* 11. *num.* 31. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 47. Simanc *de catholic. instit. tit.* 21. *num.* 18. Vnde si serio de bona, vel mala fortuna ab Ægyptiana interroges, non est dubium ob rationem dictam te peccaturum mortaliter. At si non seriò, sed ioci causa, & ob vanum finem curiositatis absque periculo ei fidem adhibendi interroges (vt regulariter fit) peccatum solum erit veniale: sic Nauarr. & Sanch. *supra*, & Bonac. *disp.* 3. *de primo decal. præcept. quæst.* 5. *p.* 3. *n.* 11. Quod si obiicias illud Iob. 37. *Qui in manu omnium signat, vt nouerint singuli opera sua*, quibus verbis indicare videtur Deum in manu cuiusque bonam, vel malam fortunam signasse. Facilè respondetur, neque enim hunc sensum illa verba faciunt: quia Iob illis verbis solum significare intendit nutu Dei, eiusque prouidentia tantum niuis, imbrium, & prunæ descendere, vt vnusquisque manum habeat ita torpentem, vt sit quasi quodam sigillo obsignata, & causa non valens officio proprio fungi. Ex quo singuli possunt cognoscere quam inepti sint ad sua propria opera facienda, quantumque à Deo ipso pendeant; eaque de causa 70. transtulerunt, claudit Deus in manus cuiusque, vt sciat imbecillitatem suam. Vide nostrum Pinedam in hunc locum, Less. *lib.* 2. 43. *dubio* 7. *fine*. Azor. 1. *p. instit. moral. lib.* 9. *c.* 16.

5. Secundo infero ex fortuitis euentibus, tum animalium, tum hominum bonam, vel malam fortunam coniectare superstitiosum est; quia tacitè dæmon creditur, & eius auxilium imploratur: Sic Azor. *lib.* 6. *instit. moral. c.* 22. *q. vni.* Sanch. *lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 42. Vnde coniectare felicem aut infelicem euentum ex contingenti animalis: vel funeris occursu, ex ruptione corrigiæ, ex sternutatione, ex repentino casu cum domo egreditur, ex offensione casus, aut lapidis, aliisque similibus superstitiosum est. Sæpè tamen à mortali excusatur hæc obseruantia, tum ob ignorantiam, & bonam fidem; tum ob dubium, an sint à causa naturali, vel à dæmone præsagium futuri euentus. Lessius *lib.* 2. *c.* 33. *dub.* 10. *n.* 66.

6. Tertio infero vanum, & superstitiosum esse diem Martis, & Veneris infelices reputare, & alios felices, & ob eandem causam nolle opus aliquod aggredi illis diebus, quos iudicas infelices, quia tacite consentis in fortuitos euentus efficaciam habere cæli motum; sic D. Tom. 2. 2. *q.* 96. *art.* 3. *in corp.* & constat ex *cap. non obseruatis* 26. *q.* 7. Excusaberis autem à mortali, si ex quodam timore dies obserues, nec audeas opus tunc incipere; non quia credas certo infaustum futurum, sed quia times: sic Sanch *lib.* 2. *in decal. c.* 40. *n.* 15. affirmans sic communiter contingere esseque solum veniale.

PVNCTVM VIII.

Quid sit vana obseruatio, quotuplex, & quale peccatum.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur, in quo obseruantia vana seu magia consistat.*
2 *Hæc semper habet tacitum cum dæmone pactum.*
3 *Est grauissimum peccatum, neque excusatur ex renunciatione expressa illius.*
4 *Ex ignorantia esse potest aliquando veniale peccatum.*
5 *Hoc peccatum magiæ alia plura secum trahit.*
6 *Triplex est magia iuxta triplex genus effectuum, qui per magiam procurari possunt.*

1. TErtiam superstitionis speciem enumerauimus obseruantiam vanam, quæ in eo consistit, vt ex mediis inutilibus ad effectum, effectum speres. Nam cum tunc non habeas fundamentum ad illum sperandum ex diuina virtute, sequitur ex tacito dæmonis pacto illam sperari. Differt hæc vana obseruantia à diuinatione, quod diuinatio sistit in cognitione alicuius occulti effectus, at obseruantia tendit ad opus, verbi gratia, ad aliquod bonum sibi, vel alteri comparandum, quæque vocatur magia communi, & vsitato vocabulo. Si autem assumantur media ad inferendum alteri damnum vocatur maleficium.

2. Vana obseruantia, seu magia semper habet tacitum cum dæmone pactum: quia vtitur mediis, quæ solum ope dæmonis efficaciam habere possunt, vnde assumens illa tacitè opem dæmonis implorat: aliquando cum expresso pacto cum dæmone hæc magia contingit.

3. Quomodocunque sit, siue cum pacto expresso, siue tacito est grauissimum peccatum, quia habere commercium cum dæmone, & ad illum recurrere; cedit in grauissimam diuinæ maiestatis iniuriam. Neque in hac parte admittenda est paruitas materiæ (quamuis probabiliter reputet Valen. *disput.* 6. *quæst.* 13. *p.* 3.) quia quælibet cum nequissimo hoste societas, quodlibetque commercium, & recursus, & in eius ope fiducia religioni diuinæ maxime aduersatur, tametsi materia, & effectus intentus leuissimus sit: sic Sanch. *lib.* 1. *in decal. cap.* 40. *num.* 13. Lessius *lib.* 2. *cap.* 44. *dub.* 4. *num.* 26. indicat Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de superstit. cap.* 14. *num.* 10. Neque ab hoc peccato excusatur iis mediis vanis vtens, ex eo quod dæmonis pacto tam explicito, quam implicito renunciet: nam esto verbis renunciet, facto ipso pactum & commercium cum dæmone inire valet, vt bene relato Philiarco *de Offic. Sacerdot. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. *vers. quarta conclusio*, docet Sanch. *lib.* 2. *in decal. cap.* 40. *n.* 25. Excipe nisi vtaris illis vanis non ad experiendum effectum, sed ad conuincendum illis vtentes ex dæmonis auxilio operari, qualiter testatur Caietan. *in summ.* verb. *Incantatio* se quibusdam verbis sacris vsum fuisse ea protestatione facta, se nullo modo dicere illa verba, sacra, vt instituta à dæmone ad mouendum annulum, sed ea in Deum eorum authorem dirigere: qua intentione posita verba protulit, & annulus immotus permansit: sic Sanch. *lib.* 2. *in decal. cap.* 40. *num.* 25. & *lib.* 7. *de matr. disp.* 95. *num.* 4. Debet tamen adesse necessitas huius experientiæ, & spes moraliter certa deceptionem fore manifestandam: alias periculum erit, vt decepti in suo errore firmius existant, & tu in eum labaris.

4. Aliquando ex ignorantia, & inaduertentia vincibili tamen, sed non crassa, & supina potest esse veniale pecca-

tum in magia, quæ abſque expreſſo pacto cum dæmone fit: ſic Valen. Suar. Sanch. Leſſius locis citatis. Stante tamen expreſſo pacto non videtur qua ratione inter fideles poſſit dari ignorantia à mortali excuſans. Suar. *ſuprà.* Secundo dicunt Sanch. & Valen. eſſe veniale peccatum, ſi his ſuperſtitionibus vtaris non ſeriò, ſed ioci cauſa, vel ex quadam animi leuitate, & curioſitate videndi, an effectum habeant. At certè mihi difficile eſt hanc curioſitatem à mortali excuſare: ſiquidem ſocietatem cum dæmone habere & eius auxilium tacitè petere, tametſi ex curioſitate, & leuitate fiat, in grauem cedit diuinæ maieſtatis iniuriam, & ex alia parte non leui periculo deceptionis eſt expoſitum.

5. Aduertendum tamen eſt, hoc peccatum magiæ alia grauiſſima peccata contra fidem, religionem, caſtitatem, & iniuſtitiam ſecum deferre ſolere. Solent enim magi dæmonem adorare eique ſacrificium offerre, vt eum propitium, & beneuolum habeant, renunciant Chriſto eiuſque Sacramentis, reputant dæmonem felicem, neque Deo ſubiectum, cum eoque nefandos habent concubitus, & perpetuo eius obſequio ſe tradunt. Inſuper damna grauiſſima, & homicidia præcipuè infantium perpetrant: ob quæ merito ex hoc mundo exterminandi ſunt.

6. Rurſus vana obſeruantia, ſeu magia triplex eſt iuxta triplex genus effectuum, qui per magiam procurari poſſunt. Prima eſt, qua tibi, vel alteri intendis ſcientias rerum naturalium ſubitò, & abſque vllo labore comparare. Secunda, qua tibi, vel alteri comparare intendis bona fortunæ, & honoris, corporis ſanitatem, vitæ longitudinem, &c. Tertia, quâ damna proximis inferuntur. Omnis autem hæc diſtinctio, & diuerſitas materialis eſt, non formalis. Nam in ratione magicæ ſuperſtitionis non diſtinguuntur; ſi quidem in omnibus iis eſt eadem malitia, cultus dæmonis, ſocietatis cum illo & in illum fiduciæ: ſic Suarez *lib.2. de ſuperſtit. c.14. n.10. & c.15.n.2.*

PVNCTVM IX.

Quæ poſſint à dæmone ſecundùm eius virtutem fieri.

SVMMARIVM.

2 *Petere à dæmone, quæ ipſe præſtare naturaliter poteſt non eſt propriè ſuperſtitio, eſto ſit grauiſſimum peccatum.*
2 *Latiſſima eſt dæmonis poteſtas. Expenditur. Primo circa elementa, aliaſque res naturales.*
3 *Habent poteſtatem circa humana corpora, & qualiter.*
4 *Circa animas ſeparatas communis eſt ſententia nihil poſſe.*
5 *Proponitur difficultas ex anima Samuelis. 1. Reg. 28. & ſit illi ſatis.*
6 *An verum ſit ſagas, & maleficas à dæmone aſportari, an tantum ſic fingi; Proponitur ſententia negans aſportari.*
7 *Sub diſtinctione quæſtio reſoluitur. De potentia dæmonis non eſſe dubium, de facto ſæpè aſportari.*

1. VT plenè obſeruationis vanæ ſpecies intelligantur neceſſario præmittenda eſt hæc quæſtio. Nam ſi à dæmone petas quæ ipſe facere poteſt ex multorum ſententia, quam probabilem iudicauimus, ſuperſtitionem propriam non committis; tametſi grauiſſimè pecces; quia non ei defers honorem Deo debitum, in quo ſuperſtitio ſita eſt, ſed defers honorem ei proprium, & naturalem. Quocirca inueſtigandum eſt, quæ dæmones facere poſſint, quod non ſatis inter doctores conſtat.

2. Vnum tamen eſt omnino certum, latiſſimam eſſe eorum poteſtatem ad nocendum hominibus, ſi Deus permittit; quia per peccatum non fuit eis ſublata, imo nec diminuta naturalis poteſtas in hæc inferiora operandi; vt tradit D. Thom. ab omnibus receptus, *1.p. quæſt. 64. art.4.* Primò ergo habent dæmones poteſtatem circa elementa: poſſunt namque de vno loco in alium transferre niues, ventos, pluuias, grandines, & tonitrua. Item poſſunt tempeſtates alibi exortas huc, vel illuc impellere, ſiſtere, & mitigare. Item valent ciuitates deſtruere, incendia cauſare, ſegetes conuellere, & de vno in alium locum in ictu oculi tranſplantare. Item à fortiori poſſunt aurum terræ abſconditum, vel mari incluſum extrahere, tametſi rarò Deus id permittat, ne hac occaſione homines ad ſui obſequium pertrahantur. Ratio autem eſt: quia ad præſtandos hos effectus non requiritur niſi virtus motiua loco ad locum, quam ex pluribus ſcripturæ locis conſtat dæmones habere. Sed non inde ſequitur poſſe ordinem vniuerſi peruertere? quia Deus non permittit: ex diuina enim prouidentia eius poteſtas coërcetur, vt rectè D. Thom. *3. contra gentes, c.108.*

3. Secundo habent dæmones poteſtatem circa humana corpora, vt ea poſſint variis morbis afficere applicando aliqua nociua, quibus humana induſtria occurri non poſſit. E contra poſſunt morbos omnes curare, qui naturalibus remediis curari valent. Item poſſunt impedire læſiones omnes, quæ ex igne, gladio, aliiſque inſtrumentis irrogari homini poſſunt, tum ſe interponendo, tum impetum infringendo, tum media contraria applicando, ſicuti Simon Magus ſæpè faciebat, rarò tamen id Deus permittit, ne ſimplices decipiantur. Deinde poſſunt de loco in locum homines transferre breuiſſimo temporis ſpatio. Item poſſunt eorum formas, & qualitates tranſmutare, non intrinſecè, ſed extrinſecè tum aliam loco illius ſubſtituendo, tum reddendo illum inuiſibilem corpore aliquo intermedio oppoſito, tum tranſportando in patriam longinquam, tum immutando phantaſiam præſentium, vt videatur mutatus, cum tamen in ſe nullam receperit mutationem. Tertiò habent poteſtatem imprimendi in anima coniuncta corpori, quæ ex phantaſia, & diſpoſitione corporis pendent; valent enim excitare ad odium, ad amorem, ad libidinem, aliáſque ſimiles affectiones. Quartò poſſunt inferiores dæmones alligare, comprimere, coërcere, in corpora humana introducere, introducta expellere, ac denique poſſunt ſe voluntati Magorum ſubiicere. Alij autem effectus mitaculoſi, quique virtutem agentium naturalium excedunt, fieri non poſſunt à dæmonibus. Vnde dæmon non poteſt hominem in beſtiam transformare; quia eſto poſſit hominem occidere, non tamen poteſt brutam animam ſuo corpori vnire, & ſic vnitam iterum illam expellere, & denuo animam hominis reunire. Quocirca omnes illæ tranſmutationes, quæ à Magis referuntur, præſtigiæ ſunt & illuſiones ſenſuum non veræ, vt conſtat ex *cap. non mirum 26. quæſt.5.* & tradit. D. Thom. *1. part. quæſt.114. art.4. ad 2.* Caſtrus *lib.2. de iuſta haretic. punit. cap.14.* Suarez *lib.2. de ſuperſtit. cap.16. num.6.* Similiter neque poſſunt dæmones homines producere aliáque perfecta viuentia quæ ad ſui organizationem requirunt virtutem animæ coniunctæ, tametſi poſſint eſſe incubi, & ſuccubi in corpore aſſumpto, & ſic ſemen ab hoc deciſum in vterum fœminæ intromittere, quo ipſa concipiat, ſed tunc dæmon non eſt pater, neque genitor illius fœtus, ſed homo qui ſemen emiſit, quia dæmon ſemen tranſportauit, non produxit.

4. Circa animas ſeparatas communis eſt ſententia, nihil poſſe, neque enim poſſunt eas de loco in locum transferre. Nam ſi in cælo ſunt, alienum erat à diuina maieſtate, & ſtatu illo beatifico, vt dæmonibus ſubiicerentur: ſunt enim illorum iudices, & domini, ſi tamen in purgatorio exiſtunt, ſunt in via beatitudinis, & ob eandem rationem non decebat eas dæmonibus ſubiici. Præter quam quòd ibi ſunt ex diuina ordinatione, donec peccata expient, quibus expiatis recta ad cœlum via tendant. Si autem in inferno morantur, habitant ibi tanquam in carcere à diuina iuſtitia recluſæ, à quo exire nullatenus illis permittitur, dæmones vero executores ſunt diuinæ iuſtitiæ, & illius miniſtri ad animas torquendas: his autem non conceditur, vt reos ducant, quò velint, ſed vt torqueant iuxta delictorum qualitatem: & ita expreſsè notauit Suarez *lib.2. de ſuperſtitione, cap.16. numer.14.* Leſſius *libr.2. de iuſtit. cap.44. dub.3. numer.23.* Quocirca cum aliquæ animæ virtute maleficiorum apparent, non cenſendæ ſunt ipſæ apparere, ſed eorum imagines, & vmbræ à dæmonibus efformatæ, & per quas ipſi dæmones loquuntur.

5. Sed obſtat aduerſus hoc pronunciatum *locus 1. Regum 28.* vbi refertur ad Pythoniſſæ incantationes Samuelis animam euocatam eſſe. Quæritur enim Samuel de Saul quod ipſum obligauerit relinquere quietem id eſt ſedem certam & ſtabilem, quam habebat. Dicit enim, quare inquietaſti me, vt ſuſcitarer; quaſi diceret, quare me coëgiſti relinquere locum, in quo quieſcebam, & à mortuis reſurgere: ſed nulla alia via Saul Samuelem inquietauit, niſi media Pythoniſſa. Ergo Pythoniſſa potuit animam Samuelis euocare à limbo. Quod autem verè Samuel apparuerit probari poteſt. Primò, quia ſacer textus teſtatur mulierem Samuelem vidiſſe, cum autem vidiſſet mulier Samuelem, & iterum dixit Samuel ad Saul, quæ de figura non videntur intelligi poſſe. Secundò, quia in *libr. Eccleſiaſtic. cap. 46.* loquens de hac apparitione Samuelis dicitur. Poſt hæc dormiuit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impietatem gentis. Quæ verba videntur clarè probare verum Samuelem apparuiſſe. Tum quia in laudem Samuelis enumerantur. Tum quia per veram prophetiam ſunt dicta. At ſi à dæmone figuram Samuelis induente dicta eſſent, non videtur poſſe in laudem Samuelis tale dictum diabolicum cedere, neque illud dictum prophetiæ nomen obtinere. Quod ſi dicas in laudem Samuelis illam prophetiam cedere, tametſi à dæmone factam, quia dæmoni fuit conceſſa, eò ſolùm, quod Samuelem repræſentauerit, imò fortè media reuelatione ipſi facta per Samuelem, adhuc non ſatisfacit; quia aliena eſſe videtur à congregatione iuſtarum animarum quælibet ſocietas, & familiaritas cum dæmonibus. Ergo non eſt credendum animam ſanctiſſimam Samuelis aſſumpſiſſe dæmonem, vt mediatorem ad manifeſtandum Sauli exitum vitæ ſuæ.

Præterea

Præterea hæc prophetia dicitur facta per vocem Samuelis: si autem qui ibi apparebat, non Samuel sed dæmon esset, potius dici deberet prophetiam factam à Samuele per vocem dæmonis, quam per vocem ipsius Samuelis: propriam enim vocem prophetia requirit, non vmbraticam.

In hac re dicendum est probabilius esse, & meo iudicio certum veram animam Samuelis apparuisse ob rationes modo dictas, quæ amplius vrgentur. Fateor namque aliquando vmbram, & imaginem nomine imaginati, & repræsentati appellari, vt probat Augustin. *lib. 2. ad Simplician. quæst. 3.* Sæpè enim dicebatur Deus apparere, cum tamen non ipse, sed Angelus eius nomine appareret, & Pharao dixit se spiritus vidisse, & vaccas ad ripam Nili, cum tamen solum illarum imagines vidisset, & Nabuchodonosor refert se vidisse statuam, & deinde arborem, cum tamen non veram statuam, neque arborem, sed solum illius imaginem viderit. At quando ad veram & propriam significationem verba accomodari possunt, non debent ad hos tropos, & improprios sensus detorqueri. In præsenti autem conuenientius est, & fortè necessarium, vt in propria significatione verba vsurpentur, & de vero Samuele, & non vmbratico apparitio intelligatur. Quod tam ex illo loco Reg. quam ex Ecclesiast. satis colligitur. Ex loco Reg. quia ille qui apparuit dixit Sauli faciet tibi Dominus, sicut locutus est in manu mea. At comminatio, quam Dominus Sauli per manum Samuelis sæpe fecerat, non erat per Samuëlem fictitium, sed verum. Item ipse Samuel conquestus est, quod fuerit à Saule inquietatus, vt suscitaretur diabolus autem nunquam fuit inquietatus, vt suscitaretur. Ergo non de diabolo sub forma Samuëlis, sed de vero Samuële debent intelligi. Clarius autem id constat ex loco *Ecclesiast. 46.* Nam eodem tenore, quo dicitur Samuelem prophetam Domini esse in sermone fidelem, & ab auaritia immunem, & tamen in Domino obdormisse; dicitur notum fecisse Regi finem vitæ suæ, & exaltasse vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis, sed esse Samuëlem prophetam domini in sermone fidelem, ab auaritia immunem, & tandem mortuum esse, non contigit per figuram, & repræsentationem, sed verè, & propriè. Ergo illa Regi manifestatio finis vitæ suæ à vero Samuële processit, & non à figurato. Et confirmo: nam ab illo dicitur manifestata fuisse Regi futura qui dormuit, id est, mortuus fuit, sed mortuus fuit Samuel verus, & non vmbraticus. Ergo verus Samuël apparuit. Deinde ascendente Samuële de terra Deus exaltauit vocem eius in prophetia, id est, fecit, vt alta voce futura prædiceret absque vllo errore, vt sic Samuël non solum in vita, sed post mortem verus propheta haberetur, quod de vero Samuële oportet intelligi: sic August. *lib. de cura pro mortuis agenda, c 15. & 16.* mutans sententiam, quam docuerat *lib. quæst. veter. testam. q. 27. & lib. de doctr. Christiana, cap. 29.* Basilius *epistol. 80.* Iustinus Martyr. *dialog. cum Tryphone, versus finem.* Ambrosius *lib. 1. in Lucam, vbi* de Zacharia turbato. Lyra. Caietan. Abulens. Charthusian. Gaspar. Sanchez, & *alij.* Commentatores Regum. Bellarm *t. 1. lib. 4. c. 11.* Martio. Delrio *lib. 2. disquisit. mag. q. 6. & q. 26. sect. 4.* Vallas. *de sacra Philosoph. cap. 33.* Suarez *t. 2. in 3. p.* S. Thom. *q. 52. disput. 42. sect. 2. & t. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. cap. 16. numer. 18.* Benedict. Pereira *in 7. cap. Exodi. disp. 8.* Lessius. *lib. 2. de iustitia, cap. 44. num. 23.* Neque obstat Samuelem dixisse Suali: Cras tu, & filij tui mecum eritis; quia non intellexit mecum eritis; in eodem loco paradisi, sed mecum eritis in sepulchro; hoc est sicut ego mortuus, sum, & sepultus, sic vos mortui, & sepulti eritis. Frequens enim est in scriptura etiam de malis cum moriuntur dicere apponi ad patres suos. Hæc enim ad corpus potius quam ad animas referuntur. Item non obstat, quod Samuel permiserit se à Saule adorari; quia non constat eum adoratione latriæ adorasse, sed dulia tantum, quæ sanctis licita est.

Secundo dicendum censeo verum Samuelem non apparuisse ex vi, & efficacia magicæ incantationis sed occasionaliter ex illa, Dei tamen iussu, & ordinatione tum ad gloriam Samuelis, tum ad maiorem Saulis punitionem: sic ferè omnes Doctores nuper relati, sed specialiter. S. Thom. 2. 2. *quæstione 174. artic. 5. in respons. ad 4.* Caietan. *in supradicto loco Reg.* & ibi Gaspar Sanchez, Suarez, Lessius, & Pereira *supra.* Et ratione probatur. Nam si anima Samuëlis vi, & efficacia magicæ artis ab inferis excitaretur: maximam inde laudem magica ars obtineret, vt quæ potens esset vi sua sanctas animas in sinu Abrahæ quiescentes extrahere, & ducere, quò Mago placuerit. Si autem non valet coactas extrahere, sed voluntariè consentientes: & Samuel efficaciæ artis annuit proculdubio occasionem tribuit suspicandi artem magicam potentissimam esse, eiusque exemplo possent homines excitari ad illius vsum; si quidem ipse mortuus non repulit, cum posset, sed potius consensit. Nullo ergo modo dicendum est, arte magica Samuelem fuisse excitatum, sed dum Pythonissa incantationes parabat, eius oculis se obtulit Quod sufficienter colligitur, ex eo quod statim ac mulier securitatem à Saule obtinuit in maleficio faciendo simul apparuit, Ergo non apparuit ex vi incantationis, quæ vt fieret longum tempus expostulabat Itē Pythonissa turbata est vehementer viso Samuele, quod non fieret, si ad eius incantationes Samuel appareret; sicuti aliarum animarum imagines apparebant. Deinde Samuel non apparuit eo habitu, & forma, qua solent hæc spectra arte magica apparere. Alia enim vt refert Theodoret. *q. 62.* pedibus sursum elatis, & capite deorsum, alia supina sicuti sepeliuntur, apparent, & apparent tetrica, & obscura. At Samuel apparuit rectus, & splendore circunfultus, ita vt ipsa Pythonissa diceret: Deos vidi ascendentes de terra: id est quid diuinum video. Ergo signum est non ex magica arte, sed Dei virtute, & ordinatione Samuelem apparuisse, cum Pythonissa se præpararet ad incantationem, neque obstat Samuelis querela. Quare inquietasti me; quia ob petitionem Saulis Deus illum inquietauit, id est quietem relinquere fecit, & sic à Saule occasionaliter Samuel inquietatus fuit.

Quod si roges, quare Deus Samuelem excitauit, vt Sauli futura prædiceret cū Pythonissa incantationem præpararet, & non antea; cum ipse dominum consuluit per somnia, per sacerdotes, & prophetas: videtur enim occasionem tribuere existimandi à Pythonissa Samuelem fuisse euocatum? Respondeti potest merito id factum esse, tum vt Saul se cognosceret à Deo esse despectum, qui consultus ei non respondebat. Respondit autem, cum Pythonissam consuluit, tum in pœnam peccati recenter commissi. Tum quia illo tempore acerbior illi futura erat sententia; eo quod timore grandi angebatur. Tum fortè, vt à peccatis resipisceret, eáque pœnitentia deleret, motus morte iam imminenti, & notificata per eum, cui fides necessario adhibenda erat.

6. Restat satisfacere illi quæstioni; an verum sit sagas, & maleficos à dæmone asportari, & conuentibus interesse, an & tantùm sic fingi, & imaginari; sicuti cum quis dormiens reputat loca plurima peragrare, cum tamen verum non sit, sed solum imaginatione succedat. Non desunt, qui negent verè Magos à dæmone asportari, neque verè conuentibus interesse; sed omnes illas dæmonis adorationes, nefarios concubitus, conuiuia, & similia per repræsentationem succedere: & probant primò, quia sæpè testantur ibi adfuisse, cum tamen manifestè constet locum non deseruisse; in duplici autem loco non potest dæmon corpus collocare. Secundò, testantur ibi vidisse plurimos, quorum suspicio nulla est delicti ita nefandi. Tertiò, affirmant pronunciato nomine IESV statim omnia euanescere: quæ si vera essent non possent ita breui tempore, & ibi assistentes illic reperirentur. Quartò, si in voluntate sagarum situm est transportari ex loco ad locum, quomodo carceribus detinentur, & à iudicibus puniuntur? Quintò, mutant aduersas formas, quod dæmoni est impossibile. Sextò, in *cap. Episcopi 26. q 5.* reputantur hæretici credentes de loco ad locum stryges verè transferri, sacerdotibus grauiter mandatur, vt per suas Ecclesias prædicent falsa esse, quæ de iis mutationibus sagæ confingunt.

7. Cæterùm loqui possumus de facto, & de potentia. Et quidem de potentia nemini potest esse dubium posse dæmonem has sagas, seu stryges de loco in locum breuissimo tempore transferre, tametsi ostia clausa sint; quia facillimo negotio potest omnes portas aperire, & murum si opus fuerit diuidere, & iterum copulare: quia sola virtute motiua, quæ dæmonibus naturaliter insita est, hæc omnia fieri possunt. Nunquam tamen potest dæmon corpora penetrare, aut in duplici loco idem corpus constituere; quia ij sunt effectus excedentes naturalem virtutem ac proinde miraculosi, & multo minus potest sagas in bestias transformare quia vt dictum est, naturalem virtutem excedit. Neque obstat magos in Ægypto, *Exod. 8. & 9.* virgas in serpentes transmutasse; quia hæc cum sint animalia imperfecta, quæ ex putrefactione terræ, & elementorum dispositione sæpe generantur, potuerunt applicare materiam, vt sic breuiter illæ transmutationes fierent. Adde pluribus probari solum apparenter illas transmutationes factas esse.

At si de facto loquamur, affirmandum est sæpè has sagas à dæmone asportari, & conuentibus interesse verè, & realiter, & non tantum apparenter: sic ex communi sententia docet Valent. 2. 2 *disp. 6. q. 12. punct. 2.* Pegna. *director. 2. p. comm. 67. post medium.* Azor. *t. 1. lib. 1. institut. c. 25. q. 3.* Suarez *t. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. c. 16. à n. 24.* Sanchez *lib. 2. in in decalog cap. 40. n. 6.* Lessius *lib. 2. de iustit. c. 44. dub. 3. nu. 15. & 16.* Martin. Delrio *lib. 2. q. 10. & lib. 5. sect. 16. n. 4. & 5.* Et desumitur ex tot virorum, & mulierum testimoniis, vt prudenter negari non possit. Neque obstant argumenta contraria. Ad primum concedo aliquando solum apparenter has lamias transferri, quod facit dæmon, vt veras transmutationes infirmet, & iudices detineat, ne sagas pro criminis qualitate puniant, putantes solum apparenter hæc fieri. Quod si vrgeas, quomodo cognosci possit, quando verè, quando apparenter tantum transferantur, Respondeo ex aliorum testi-

monio circumſtantiis obſeruatis. In caſu autem dubio ſemper præſumendum eſt transferri. Adde, eſto de facto nunquam tranſlatæ ſint, debent ac ſi eſſent tranſlatæ puniri? tum ob pactum cum dæmone expreſſum. Tum quia voluerunt ſe transferri, & ad illum finem ſe vnctionibus præpararunt. Tum quia cum in ſe redeunt approbant, & gaudent de factis in illos nequiſſimo conuentu ſibi præſentatis, ac ſi verè ita contigiſſent. Ob quæ merito debent è mundo exterminari, quia reipublicæ pernicioſiſſimæ ſunt. Ad ſecundam concedo ſæpè dæmones, vt his diabolicis conuentibus authoritatem præſtant, effingere ibi figuras piorum virorum, hoc tamen non tollit, quominus eius miniſtri ibi adſtiterint. Ad tertiam fateor pronunciatione nominis Ieſu omnia euaneſcere aliquando, & ſagas ibi tranſlatas illic permanere. Ad quartam diuina prouidentia factum eſt; vt è manibus iudicis ſe liberare non poſſint. Tum vt ipſæ maleficæ puniantur, tum vt omnibus conſtet dæmonem diuinæ prouidentiæ ſubiectum eſſe, ſibique obſequentes in periculo deſerere. Ad quintam nego formam propriam immutari, tametſi magæ videatur per imaginationem mutata eſſe. Ad ſextam dico in illo *cap. Epiſcopi* nullo modo damnari credentes, ſagas, ſeu ſtygas, de loco in locum transferri, ſed damnari credentes transferri in veras beſtias tranſmutatas. Idem credentes Dianam eſſe veram Deam, poſſeque equos efformare, quibus lamiæ tranſucherentur, & Herodiadem verum ſuum corpus aſſumere & cum lamiis aëra diſcurrere. Hæc enim omnia erronea ſunt, & à vera philoſophia prorſus aliena.

PVNCTVM X.

Declarantur magicæ Superſtitionis, quouſque illicitæ ſint.

SVMMARIVM.

1 *Vt effectus aliquis à magia damnata procedat, debet cauſam naturalem excedere, & quomodo hoc poſſit cognoſci.*
2 *In caſu dubij à cauſa naturali reputandus eſt.*
3 *At poſito à cauſa naturali prouenire non poſſe, à Deo, vel à dæmone debet neceſſariò prouenire, quod colligendum eſt ex mediis aſſumptis, & in caſu dubio reputandum prouenire, à dæmone.*
4 *Non poteſt dæmon ſcientias rerum naturalium tibi breuiſſimo ſpatio infundere.*
5 *Si hoc procures, ſuperſtitioſus es, & quæ inde inferantur?*
6 *Differt hæc magica ſuperſtitio à diuinatione, quia diuinatione tranſiens cognitio procuratur, at magica ſuperſtitione permanens.*
7 *Scientia rerum naturalium tametſi malè acquiſita liberè vti potes.*
8 *Si aliqua verba, vel ſigna ſacra vſurpes, credens illi liberum te eſſe à ſubitanea morte, à laſione inimicorum, ab alióque caſu fortuito, &c. ſuperſtitionem magicam committis.*
9 *Idem eſt ſi bona fortuna precibus circumſtantias vanas habentibus conſequi ſperes. Et quid de mulierculis, vulgò enſalmadoras.*
10 *Quæ in his precibus à ſuperſtitione excuſent.*
11 *Si mediis improportionatis ſanitatem corporis procures ſuperſtitioſus es, & quid de vſu imaginum aſtronomicarum?*
12 *Mutare locum in ludis, ſperans inde felicem euentum, ſuperſtitio eſt, ſubintelligitur, ſi certò credatur.*
13 *Quid dicendum de iis (quos Hiſpani vocant ſalutatores) alij eos approbant, alij improbant.*
14 *Sub diſtinctione reſpondetur.*
15 *Explicantur aliqui caſus, ex quibus licitus, vel illicitus horum ſalutatorum vſus colligi poſſit.*
16 *An virtus reſidens in ſalutatoribus licitè operantibus naturalis ſit, an diuinitus infuſa? Nõ eſt ſatis exploratum.*
17 *Ars chymica hominibus eſt incognita.*
18 *Aſſumere vana ad proximorum nocumentum ſuperſtitio magica eſt omnibus deteſtabilior.*

1. VT effectus aliquis ſuperſtitioſus, & arte magica effectus debet conſtare, neque à cauſa naturali productum eſſe, ſaltem eo modo, quo eſt productus, neque à Deo prouenire. Nam ſi à cauſa naturali adæquatè prouenit non ad Magiam damnatam, ſed ad Magiam, quæ pars eſt philoſophiæ pertinebit: ſi autem à Deo eſt productus contra virtutem cauſarum naturalium, erit opus diuinæ virtutis. Cognoſcere autem quando à cauſa naturali, quando à Deo, quando à dæmone effectus prouenit, difficile eſt, vt rectè expendit Valent. 2. 2. *diſp. 6. q. 13. p. 3. ante med.* Sanch. *lib. 2. c. 40. à n. 42.* Vt autem cognoſcatur, an à cauſa naturali, an à ſuperiore virtute effectus prouenit comparanda eſt cauſa cum effectu, & effectus cum cauſa, & examinandum, an ex ſapientium doctrina talis cauſa potens ſit effectum producere, eo modo quo productus eſt. Si enim iudicio prudentum firmatur cauſam illam impotentem eſſe ad talem effectum producendum, neceſſariò concluditur non prouenire à cauſa naturali. Alias ſi huic iudicio inhærendum non eſſet, nihil in philoſophia certum pronunciari poſſet: vt benè dixit Valent. *dicto illo punct. 2.* verſ. *At pertinet.*

2. In caſu tamen dubio, an effectus naturaliter à cauſa applicata prouenit, reputandum eſt prouenire. Tum quia euitatur delictum, quod non debet præſumi, niſi probetur. Tum quia virtutes cauſarum naturalium multiplices ſunt, & multis etiam ſapientibus ignotæ. Nam ſæpè ea quæ tanquam miracula habebantur inueniuntur à cauſa naturali prouenire, vt multis exornat Auguſt. *lib. 14. de ciuit. Dei, c. 24.* & confirmari poteſt ex his quæ refert Plin. *lib. 28. inſtit. natur. c. 8.* de Pſyllis, & Marcis, quorum tactus venena curabant, & aſpectus ſerpentibus terrori erat: ſic Sanchez *lib. 2. c. 40. n. 44.*

3. At poſito effectum à cauſa naturali prouenire non poſſe, neceſſario eſt dicendum à Deo, vel à dæmone prouenire. A quo autem prouenit inueſtigabis ex mediis, quibus ad effectum comparandum vteris. Si enim media non ſint à Deo, & ab Eccleſia inſtituta, ſed præter conſuetudinem, & vſum virorum prudentum fatendum eſt à dæmone, qui in his vanis complacet prouenire. Secus vero ſi vteris mediis ab Eccleſia præordinatis, neque in illorum vſu modum excedis, quod dixerim, quia potes vti mediis à Deo præordinatis, oratione ſcilicet, ieiunio, aliíſque Eccleſiaſticis cæremoniis, putans effectum infalibiliter habitura, cum tamen non habeant, niſi pro Dei beneplacito in quo modum excedis. Item circa effectum, ad quem talia media non ſunt præordinata. Quod ſi inquiras quid in caſu dubio iudicandum eſt. Reſpondeo, reputandum eſſe à malo ſpiritu prouenire; quia miracula præſumenda non ſunt, niſi probentur, neque credendum eſt Deum abſque grauiſſima neceſſitate ea facturum: ſic benè probat Sanchez *lib. 2. in decalog. c. 40. n. 44.* Leſſius *lib. 2. de iuſtit. c. 43. dub. 10. n. 62. & 63. & c. 44. n. 2.* Suarez *t. 1. de Relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 15. n. 1. 13. & 14.*

4. Circa primam ſuperſtitionem magicam, quæ eſt de ſcientiarum infuſione, dicendum eſt impoſſibile eſſe dæmoni ſcientias rerum naturalium tibi breuiſſimo ſpatio infundere. Tum quia ipſe non videtur habere virtutem producendi hos habitus, neque immutandi immediatè ſuperiores animæ potentias; ſed ad ſummum habet poteſtatem immutandi phantaſiam, qua immutata per ſympathiam immutatur intellectus. At cum phantaſia non poſſit ſimul immutari omnibus actibus, qui neceſſarij ſunt ad vnius ſcientiæ conſecutionem; efficitur nullo modo poſſe breuiſſimo tempore ſcientias tibi communicare: & ita tradit Suarez *lib. 2. de ſuperſtit. cap. 16. numer. 12.* Quod ſi aliquando videas quem mediis vanis, & inefficacibus ſubdito ſe in aliqua ſcientia oſtendere verſatiſſimum, vt de Anabaptiſtis dicitur, qui ſumpto illo execrando pane (quem ipſi Euchariſtiam vocant) totam ſcripturam recitant, ac ſi illam memoriæ mandaſſent, cum tamen antea prorſus illam ignoraſſent, dicendum eſt, dæmonem illis aſſiſtere, & ipſorum linguam mouere, quod non leuiter colligitur, ex eo quod renunciata hæreſi, & pœnitentia peccati facta omnino ignorantes redduntur.

5. Verum eſto dæmon hanc ſcientiam infuſionem facere, non poſſit ſubito, ſi tamen tu illam procures mediis vanis, & à diuina prouidentia non præordinatis ſuperſtitioſus es; quia conuinceris à dæmone petere quæ Dei ſunt propria. Ad idem eſt, ſi vanis vtaris, vt memoriam augeas, in ſtudiis proficias, ſemper enim conuinceris à dæmone procurare, ſi quidem Deus neque promiſit vanis acquieſcere, neque illis moueri poteſt. Ex his conſtat artis notoriæ vſum ſuperſtitioſum eſſe, vtpote qui mediis ieiuniis, & orationibus permixtis vanis quibuſdam circumſtantiis prætenditur rerum naturalium cognitio: D. Th. 2. 2. *q. 95. art. 1.* Martin. Delrio *lib. 3. diſquiſit. mag. q. 4. ſect. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 43. dub. 10. num. 62.* Sanch. *lib. 2. in decal. c. 40. n. 30.* Suar. *lib. 2. de ſuperſtit. c. 15. à n. 4.*

6. Quod ſi iniquiras in quo hæc vana obſeruantia, & magica ſuperſtitio à diuinatione differat, Reſpondeo differre, quod in diuinatione procuratur cognitio tranſiens alicuius effectus occulti, quæ tota nititur authoritati & teſtimonio dæmonis reuelantis. At per magicam ſuperſtitionem procuratur cognitio ſcientifica permanens, ſeu in habitu naturalium rerum, quæ per induſtriam obtineri poterat, vel à Deo diuinitus infundi.

7. Aduerto tamen ſcientia ſemel acquiſita rerum naturalium tametſi ope dæmonis acquieſcieris, libere te poſſe illa vti alioſque eam docere. Quia in hoc vſu, & in hac doctrina nulla ſuperſtitio inuoluitur, & per accidens eſt, quod fuerit à dæmone infuſa: ſic Suarez *lib. 2. de ſuperſtit. cap. 15. n. 24.* Victor. *q. 4. de Magia.* Valent. 2. 2. *diſp. 6. q. 13. p. 2.* verſ. *quarto neque.*

neque. Sanch. *lib.2.c.41.n.1.& c.42.n.20.& lib.7.de matr. diſp.96. num.4.*

8. Circa ſecundam ſpeciem magicæ ſuperſtitionis bona corporis reſpicientem. Regula generalis eſt ope dæmonis effectum procurari, quoties vteris mediis, quæ non ſunt ad talem effectum à Deo præordinata. Hinc fit te ſuperſtitionem mortalem committere, ſi aliqua verba vel ſigna ſacra vſurpes, vel tecum deferas, credens illi liberum eſſe à ſubitanea morte, à læſione inimicorum & à quolibet alio caſu fortuito: tametſi illis verbis & ſignis ſactis admixta non ſint aliqua inutilia; quia defers verbis infallibilitatem effectus, quem ex diuina inſtitutione non habent, aliàs eſſent ſacramenta, vel ſacramentalia, ſic Leſſius *lib.2.de iuſtitia, cap.43.dub.10.num. 63.* verſu *obſerua. Nauarr. ſumm. cap.11.numer. 34. & cap. quando de conſecratione, diſtinct.1. cap.19. numer.160.* Suarez *tom.1.de Religione, lib.2. de ſuperſtitione, cap.15. num. 9.& 10.* Sanchez *lib.2. cap.40. num.20.* Ciruelo *de ſuperſtit. part.3. cap.* Sayrus Clàui Regia *lib.4. c.6. num 8.* At ſi vſurpatione ſacrorum verborum, & reliquiarum aſportatione non ſperare certo hos effectus, ſed conſideres Deum illo reuerentiæ actu, & Sanctorum meritis, & interceſſione fortè mouendum eſſe, vt concedat, nullam ſuperſtitionem committis, ſed potius religionis actum exerces; quia ſalutem corporis ſperas mediis à Deo præordinatis, & non aliter quam præordinata ſunt: ſic Suarez & Sanchez *locis citatis.*

9. Secundò ſit, à fortiori ſuperſtitionem mortalem eſſe; ſi bona fortunæ, corporis, ſanitatem, aliáſque ſimilia prætendas conſequi precibus circumſtantias vanas & inutiles habentibus ſi credas illam vanam circumſtantiam neceſſariam, vel vtilem eſſe ad effectum: nam cum non ſit vtilis ex ſe, debet eſſe vtilis ex præmotione, & directione alicuius, non Dei, quia vanis non mouetur. Ergo dæmonis. Ergo ſperas effectum à dæmone conſequi. Eſt ergo mortalis ſuperſtitio etiam in materia leuiſſima: ſic Sanchez. *lib.2.in decal.40.num.8.& 22. iuncto, n.23.* Leſſius *cap.43.dub.10.num.63.* Valent. *2.2.diſp. 6. q.13.p.2. col.2.* Ex qua doctrina rectè potes colligere iudicium de mulierculis illis quas vulgò vocat *enſalmadoras, o ſantiguadoras.* Si enim vanas aliquas circumſtantias miſceat (vt regulariter miſcere ſolent) precibus, & orationibus fidentes ſic effectum eſſe conſecuturæ, & non aliter ſine dubio mortalem ſuperſtitionem committunt. At ſi nullam circumſtantiam vanam miſcent, permitti poterunt, dummodo non credant effectum infallibiliter eſſe conſequendum. Rarò tamen ita procedunt, vt rectam, & moderatam habeant intentionem, nulláque circumſtantia vana vtantur, ideóque rarò permitti debent præcipuè cum his vtentes viles ſint, & vitæ non probatæ, omniáque ad quæſtum dirigant, & multis fallaciis vtantur: Sanchez aliis relatis, *lib.2. cap 40. num.39.* Deinde colligere potes ſuperſtitionem mortalem committere, ſi credas ſanitatem, & bona fortunæ conſecuturum recitando preces ad ſolis ortum in tali figura, tali voce, & non aliter: quia hæc impetrationi diuinæ vana ſunt: Sanchez *numer.22.* Leſſius *num.63.* At idem eſt, ſi certo numero miſſarum, tali ſerie, & ordine promittas effectum impetrare, credens aucto, vel diminuto numero nihil prodeſſe, & à fortiori ſi credas hunc numerum candelarum eſſe apponendum tali loco, tali hora eſſe miſſam recitandam; quia hæc vana ſunt vt diuinam maieſtatem moueant: Sanchez *cap.40. num.40.* & conſtat ex Tridentin. *ſeſſ. 22. decreto de obſeruandis, & vitandis in celebrat. Miſſar.*

10. Non tamen erit ſuperſtitio, ſi liber ab hac credulitate eum numerum miſſarum dicas in memoriam alicuius ſancti: tum vt te ad maiorem deuotionem excites, tum vt illius meritis, & interceſſione adiuueris. Quapropter non eſt damnandus, qui miſſas, quas vocant D. Gregorij vana ſuperſtitione denudatas recitaret in memoriam, & honorem D. Gregorij qui triginta diebus pro defunctis ſpecialiter orauit. Neque ille qui nouem diebus imaginem alicuius ſancti viſitaret in memoriam nouem menſium, quibus ſanctiſſima Virgo Deum in vtero ſuo portauit, vel in alterius myſterij recordationem. Neque qui numerum certum candelarum apponeret ob eundem titulum; quia tunc non in numero, ſed in oratione fiducia ponitur, & numerus aſſumitur ad ſpeciale deuotionis excitamentum, credens ſi augeretur, efficaciorem eſſe. Ex quo conſtat non eſſe abſolutè damnandum, vt ſuperſtitioſum vſum multorum fidelium, qui in animalibus medendis diem alicuius ſancti obſeruant, & vt à morbis, & periculis liberentur, iuxta eius templum nouies circunducuntur; quia credendum eſt diem illum obſeruare, & numerum aſſumere in illius ſancti memoriam, & honorem; non quia fidant illis cæremoniis ita certo effectum conſecuturos, & illis diminutis aut auctis nullum habituros eſſe. Et idem eſt de colligentibus herbas in die natalis S. Ioannis Baptiſtæ; non enim credendum ſic colligentes ſperare effectum infallibiliter ex illa circumſtantia, ſed illam apponere in ſpecialem ſancti honorem, & vt ſe ad illius deuotionem excirent: ſic Sayrus claui Reg. *lib. 4.cap.6.n.7.* Delrio *lib.8.diſquiſ. mag.p.2.q.4.ſect.6.* Valent. *2.2.diſp.6.q.13.p.2 col.2.* Sanchez *lib.6.cap.40.n.31.* vbi optimè aduertit, ſi commodè fieri poſſit hæc eſſe extirpanda ob periculum ſcandali, & ſuperſtitionis. Alias docendi ſunt ſimplices, ne errent: ſupradictis omnibus Bonac. conſentit. *diſp.3. de primo decalog.præcepto, q.5.p.4.n.12.& ſeq.*

11. Tertiò infertur, ſi mediis improportionatis ſanitatem corporis, bona fortunæ, aliáque ſimilia procures, ſuperſtitionem mortalem committis: quia tacitè auxilium dæmonis imploras. Huc ſpectat vſus imaginum Aſtronomicarum, quæ quia ſunt factæ ſub quodam conſtellationis ſigno, & in tali figura reputantur proficuæ ad varios morbos præcauendos, & curandos: talis enim vſus ſuperſtitioſus eſt (quidquid dicat Caietan. *quæſt.96.art.2.*) Ratio eſt manifeſta; quia illa arte facta ratione materiæ non ſunt principia illorum effectuum, vt ipſimet Magi ſupponunt; ſed ratione artificij eſſe non poſſunt, quia artificium conſurgit ex tali ordine, & diſpoſitione, quæ nullo modo ſunt principia agendi, vt benè probat D. Thom. *2.2. quæſt.96.art.1. ad 2.* Ergo tota efficacia deuolui debet ad dæmonem vtentem illis arte factis, vt ſignis ad effectus promiſſos. Quod ſi dicas, ratione figuræ diſpoſita eſſe rarefacta ad recipiendas influentias ſigni cæleſtis, ad cuius ſimilitudinem ſunt efformata? Contra, quia ob illam figuram non reddantur illa artefacta aptiora ad recipiendas influentias ſigni, ad cuius ſimilitudinem dicuntur efformata, quam ſi quamlibet aliam figuram haberent; quia figura leonis equi diſſimillima eſt ſigno cæleſti leonis, ac figura bouis, & hominis; quia illa nomina illis ſignis impoſita fuere ob diſtinctionem, non ob ſimilitudinem. Deinde ipſum cæleſte ſignum non eſt efficax ad effectus, quos hi impoſtores publicant. Ergo à fortiori non erit efficax ſignum ad illius ſimilitudinem efformatum; & ita eſſe ſuperſtitioſum hunc vſum affirmat D. Th. *loco allegato,* & *ibi* Valent. *diſp.5. q.13.p.2.col.6.* Suar. *lib.2. de ſuperſtit.cap 15. à n.18.* Sanch. *lib.2. c.40.n.50.* Leſſ. *lib.2. cap.43.dub.10.n.63.& c.44.dub.2. n.12.* Martin. Delrio *lib.1. diſquiſit. mag. c.3. q.1. & c.4. q.1.*

12. Ad idem caput ſuperſtitionis reducitur multorum vſus, qui dum ludunt, neque eis ſors feliciter ſuccedit ſurgunt, & mutant locum, vt infœlicem fortunam abiiciant, & bonam concilient: ſi enim credant intentum conſecuturi, abſque dubio peccarum mortale committunt; quia cum talis effectus ſperari non poſſit à mutatione, neque à Deo; conuincitur ſperandum eſſe, à dæmone. At ſi non firmiter credunt ex mutatione intentum habituri, vt communiter contingit, ſed ſperant forte mutandam eſſe caſu fortunam, non eſt ſuperſtitio mortalis: ita relato Alcozer *lib. de ludo, cap.2.* paulo poſt princip. docet Sanchez lib. 2. decalog. *cap.40. num.21.* vbi benè aduertit conſulere aſtrologos, qua hora ludendum ſit, vt fœliciter ludus ſuccedat, vel in illo annullis vti mortale eſſe; quia ex aſtrologia ſciri non poteſt quis Victor in ludo euaſurus ſit. Ergo ſi id agnoſcitur eſt ex dæmonis ſcientia, quæ licet ad hæc futura non extendatur, illa tamen reuelat ignarus, & poſtea procurat effectum promiſſum implere, vt ſic homines ad ſe pertrahat, & deceptos detineat.

13. Sed dubium non leue eſt de his (quos Hiſpani vocant *ſalutatores*) an eorum curatio, & effectus mirabiles, quos faciunt, tribuendi ſint Magicæ ſuperſtitioni, vel Dei virtuti, vel cauſæ naturali? Cauſæ naturali non videntur tribui poſſe. Tum quia quibuſdam precibus, & ſuo habitu, vel contactu morbis incurabilibus medentur, ſanguinem detinent, canes rabidos interficiunt, pedibus nudis ignem conculcant, & alia huiuſmodi mirabilia faciunt, quæ cauſarum naturalium virtutem excedere videntur. Ergo vel virtute diuinitus, vel dæmonis auxilio operantur.

Hac in re eſt prima ſententia approbans abſolutè hos ſalutatores: ſic Azor. *t.1. inſtitut.moral.lib.9.c.25. q.2.* Nauarr. *ſumm.c.11. num.36.* Margarita confeſſor. *quæſt moral. fol.185.* Caſtanegea *lib.de ſuperſtit.cap.12.* Palazios *ſumm. verbo incantationes:* Leſſius *lib. 2.de iuſtit.cap.43. dub.10. num. 63. circa finem: & fauet* Victor. *de arte magic.q.4.num.16. in ſolut ad 2* Nam eſto dubius fuerit de hac virtute, tandem concludit ſe nihil velle in hac parte definire, cum ob bonum commune Deus hanc virtutem aliquibus concedat, vel illi ex complexione, & temperamento habeant, ſicuti habuerunt Marci, & Pſylli. Ratio eſſe poteſt; quia gratia ſanitatum in Eccleſia exiſtit. Ergo credendum eſt iis ſalutatoribus ſaltem ex parte communicatam eſſe: ſiquidem effectum illius videmus. Neque obſtat gratiam ſanitatum independentem eſſe à quibuſvis verbis, & contractibus, vt videre eſt in Apoſtolis, & aliis Sanctis miraculoſam ſanitatem concedentibus, qui nullis verbis, vel ſignis determinatis vtebantur, ſicuti vtuntur hi Hiſpani ſalutatores; quia hi non habent plenè gratiam ſanitatum, ſed ex parte. Quibus autem ex parte gratia ſanitatum conceſſa eſt, mirum eſſe non debent, vt dependenter ab aliquibus cæremoniis concedatur. Adde illam gratiam fortè non tam eſſe gratis datam, quam à natura conceſſam ex conſtellatione cæleſti, ſpectata viuentis complexione, & temperamento.

Secun

Secunda ſententia abſolutè reprobat hos ſalutatores, vt ſuperſtitioſos: ſic Citudo *de ſuperſtit. 3.p. c.7.* & probari poteſt, quia neque ex virtute naturali, neque ex ſupernaturali medentur. Ergo cenſendi ſunt ex virtute dæmonis operari. Antecedens probo non operari ex virtute naturali, quia virtus naturalis non eſt alligata verbis, nec ſignis determinatis, qualibus hi ſalutatores vtuntur. Item non apparet, quomodo poſſint per virtutem naturalium in momento temporis effectus ita mirabiles operari. Ex virtute autem ſupernaturali credendum non eſt, tum quia hæc peccatoribus tranſeunter tantum ſolet concedi, & ad aliquem effectum Eccleſiæ neceſſarium: permanenter tamen non ſolet flagitioſis hominibus concedi, ſed viris ſanctis, & Deo maximè familiaribus. At hi ſalutatores permanenter illam gratiam habent, & ex alia parte regulariter ſunt improbæ vitæ, neque ob alium effectum gratia vtuntur niſi ob lucrum, & quæſtum. Tum quia illa vtuntur per ſigna & verba determinata, quod alienum eſt à gratia diuinitus conceſſa.

14. Dicendum tamen exiſtimo, ſi ſalutatores ſignis, & verbis ad curandum vtuntur credentes à quocunque vſurpentur, effectum eſſe habitura, proculdubio ſuperſtitionem committere mortalem, ſic Leſſius *lib.2.cap.43. dub.10. num.63.* Suarez *lib.2. de ſuperſtit.c.15. num.25.* Sanchez *lib.2. in decalog.c.40.n.47.verſ.8.eſt.* Probo, quia cum illis ſignis, & verbis annexa non ſit naturaliter hæc virtus, relinquitur, vt à Deo vel à dæmone illis fuerit annexa. At non conſtat neque authoritate Doctorum, neque Eccleſiæ traditione à Deo illis verbis, & ſignis ſanitatem annecti; aliàs eſſent verba ſacramentalia. Ergo recurrendum eſt ad dæmonem. Dices fortè alicui ſancto ob eius merita hæc gratia conceſſa fuit, vt à quocunque talia verba, & ſigna vſurpentur, illos mirabiles effectus faciat: quæ enim repugnantia in hac conceſſione inuenitur: Reſpondeo, eſto de potentia Dei abſoluta non inueniatur repugnantia, inueniri tamen attenta eius ordinariè prouidentia, quia res humanas gubernat. Neque enim eius prouidentiæ videtur conueniens dari aliqua ſigna, & verba in Eccleſia de ſe efficacia ad illos mirabiles effectus præſtandos, quin talia verba, & ſigna authoritate Eccleſiæ eſſent approbata, & à Doctoribus cognita. Ne cuilibet liceret hac via ſuas magicas ſuperſtitiones diſſimulare.

Verum ſi ſalutatores virtutem concedant verbis, & ſignis non à quocunque factis, ſed factis ab ipſiſmet ſalutatoribus diſtinctione vtendum eſt, ſi ſigna, & verba vana ſint, vel ad effectus vanos eorum virtus extendatur, credendum eſt virtute dæmonis fieri. At ſi verba recta ſint, & ſigna proportionata, præſumi poterunt virtute diuinitus conceſſa operi, maximè ſi ſic operantes honeſtè viuant; aliàs ſuſpecti habendi ſunt: ſic colligitur ex Suarez & Sanchez, & Doctoribus, quos ipſi referunt locis allegatis. Priorem partem probo: quia alienum eſt à diuina maieſtate vti ad effectus mirabiles ſignis, vel verbis vanis, & multo minus virtutem concedere ad effectus vanos. Secundam partem mihi probat approbatio communis tum iudicum, tum confeſſorum, quam pro ſe habent ij ſalutatores, aliæque perſonæ has gratias habentes, vt Rex Galliæ, qui ſuo contractu ſtrumas curat. Quocirca diligenter ab ordinariis examinandi ſunt antequam munus exercere permittantur. Nam ſi in poteſtate conceſſa ſignis, & verbis, & ad effectus vanos vtuntur, proculdubio repellendi ſunt. Item ſunt repellendi, ſi malè viuant; quia non eſt præſumendum peccatori hanc gratiam ſanitatis Deum permanenter concedere: ſic Sanchez & Suarez *ſupra.* Quod ſi inquiras, quæ verba, vel ſigna reputanda ſunt vana, & qui etiam effectus vani ſunt reputandi, ex quibus hi ſalutatores dicantur ſuſpecti; Breuiter reſpondeo, verba vana eſſe, ſi neque ad ſanctos, neque ad Deum dirigantur: nam eo ipſo, quo in Dei honorem non cedunt, vana, & inutilia reputari debent. Signa, ſeu facta vana reputanda ſunt, ſi nullam cum effectu operato videantur habere connexionem. Effectus item vanus eſt, ſi improbus ſit, malus, vel nemini proficuus, ſic latè Suarez *lib.2. de ſuperſtit. cap.15.num.11. & 12.*

15. Ex qua doctrina infero ſuperſtitioſum eſſe vſurpantem tanquam vtilia ad curationem, verba ſcripturæ in ſenſu improprio, aut falſo, vt de ſe conſtat. Item affirmantem in præſentia alterius ſalutatoris maiori virtute præditi ſe nihil poſſe operari; quia ſiue ſit virtus naturalis, ſiue ſupernaturalis ab eis non pendet. Item ſi dicat ſe alteri communicare virtutem curandi poſſe, quia hæc ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis ſit perſonæ annectitur. Ex parte effectus cenſeri debet ſuperſtitioſus. Primò, ſi ad mouendum aliquam ſtatuam motu progreſſiuo ordinaretur virtus, vel ab illa peteretur reſponſum: quia ad hæc vana nunquam Deus virtutem cedit, & naturalis eſſe non poteſt, vt benè dicit Valent. *verſ. diximus præterea.* Secundò, ſi pedibus ignem conculcaret; quia talis miraculoſus effectus, nullius videtur eſſe vtilitatis; ac proinde non eſt præſumendum virtute diuinitus conceſſa operatum: ex virtute autem naturali hoc non videtur fieri poſſe. Idem à fortiori eſt, ſi valeat ſuo habitu aut tactu venenatos, vel morti proximos interficere: iis enim mortem accelerare, tametſi bono fine fiat, eſt intrinſecè malum; quia eſt innocentium interfectio. Ergo non poteſt ex virtute à Deo conceſſa fieri. Dari autem ad hunc effectum naturalem virtutem difficile eſt, nec debet præſumi, in iis conſentit Sanch. *lib.2. cap.40. num.47.* Curare autem inuocato nomine IESV Cruce ſignando, & vulnera tangendo, manu, vel habitu, aut panem à ſe tactum porrigendo, non videtur eſſe ſuperſtitioſum, quia iis actionibus potuit Deus virtutem annectere Sanch. *loco allegato.*

16. Difficile autem eſt definire; an virtus reſidens in ſalutatoribus licitè operantibus naturalis ſit, an diuinitus infuſa? Nam eſſe diuinitus infuſam probat; quia non apparet quomodo ex individuali qualitate, & complexione obtineri poſſit virtus tantorum mirabilium patratiua. Quod vero naturalis cenſenda ſit probat eſſe pluribus ethnicis, & gentilibus communicatam, vt teſtatur Azor. *lib.9. cap.25.q.2.* quibus non videtur decens tale beneficium, ſi ſupernaturale eſt, concedi. Item eſſe ſimilem virtutem in lapidibus, herbis aliiſque animalibus. Cur ergo eſſe non poterit in hominibus? Deinde virtute naturali multi ſolo aſpectu alios inficiunt. Ergo poterunt alij ſic infectos ſanare; cum natura procliuior ſit ad bonum, quam ad malum. Fateor rationi ſtando me hanc in re indeciſum eſſe. At motus authoritate grauiſſimorum doctorum cenſeo probabilius eſſe gratiam gratis datam; quia hac via facilius intelligitur, quomodo effectus mirabiles fieri poſſint: ſic Delrio *lib.1. diſquiſit.mag.cap.3. tota q.4.* Azor. *lib.9.inſtitut. moral. cap.25. q.2.* Nauarr. *cap.11.n.36.* Sanch. *lib.2. cap.40. n.49.* Leſſius *lib.2.cap.43.dub.10.n.63.* inclinat, Suar. *lib.2 de ſuperſtit.cap. 15. n.25.in princip.& num.27.*

17. Secundum dubium in hac materia eſt de arte chymica, in qua fit tranſmutatio vilioris metalli in aurum, vel argentum, aliamve rem pretioſam; an inquam hæc tranſmutatio ſuperſtitioſa ſit? Qui affirmant virtute naturali hanc tranſmutationem fieri poſſe, conſequenter à ſuperſtitione eam liberant, è contra affirmantes nulla virtute naturali fieri poſſe conſequenter dicere debent ſuperſtitioſam eſſe, quia Deus his vanis non ſe immiſcet: rationes, & doctores vtriuſque partis expendit Martin. Delrio *lib.1. diſquiſit. magic. c.5.q.1. ſect.2. & 3.* vbi tanquam probabilius defendit veram eſſe tranſmutationem, & *q.4* contendit hunc artis vſum licitum eſſe.

Mihi tamen placet ſententia Valent. *2.2. diſput.6.q.13.part. 2. difficult. vlt. verſ. eſt igitur tertia ſententia*, cui videtur conſentire Sanchez *lib.2.in decal.cap.40.n.51.* eſſe igitur hominibus incognitam hanc naturalem tranſmutationem, quod optimis rationibus Valen. confirmat; & clarè videtur probari, *in extrauag. ſtondent, de crimine falſi*, vbi Ioan. 22. in hæc verba loquitur: Spondent, quas non exhibent, diuitias pauperes Alchimiſtæ, pariter qui ſe ſapientes exiſtimant in foueam incidunt, quam fecerunt. Nam haud dubiè huius artis Alchimiæ alterutrum ſe profeſſores ludificant, cum ſuæ ignorantiæ conſcij eos, qui ſupra ipſos aliquid huiuſmodi dixerint, admirantur, quibus cum veritas quæſita non ſuppetat, dum cernunt, facultates exhauriunt, iidemque verbis diſſimulant falſitatem, vt tandem quod non eſt in rerum natura, eſſe verum aurum, vel argentum ſophiſtica tranſmutatione confingant, eoque interdum eorum temeritas damnata, & damnanda progreditur, vt fides (ſeu fictis) metallis cudant publicæ monetæ charactéres fidei oculis, & non alias alchimicum fornacis ignem vulgum ignorantem eludant. Ex quo veriſſimè deducitur Valent. ſtudium illud chimicum eſſe communiter indiſcretum, periculoſum, pernicioſum, & illicitum. Eſſe indiſcretum conſtat; quia contra diſcretionem, & prudentiam eſt ſtudium aſſumere, quod euidens mortaliter eſt, nullum eſſe effectum habiturum. Eſt etiam periculoſum; quia timeri poteſt, ne dæmon ſe tali ſtudio ingerat, vt eos decipiat. Eſt etiam reipublicæ pernicioſum; quia hæc vana, & futili ſpe conſequendi diuitias, homines decipiuntur, tempus terunt, & pecunias inſumunt, & rebus neceſſariis non attendunt. Ex quibus conſtat tale ſtudium illicitum eſſe, quodque ſatis inſinuata ſupradicta conſtitutio graui infamia, aliiſque pœnis hos alchymiſtas afficiens, & eorum ſtudium auxiliantes, auroque ab ipſo fabricato vtentes. Inquit enim Pontifex Hanc itaque artem perpetuis volentes exulare temporibus hac edictali conſtitutione ſancimus, vt quicunque huiuſmodi aurum, vel argentum fecerint, vel fieri ſecuto facto mandauerint, vel ad hoc ſcienter, dum id fieret, facientibus miniſtrauerint, aut ſcienter vel auro, vel argento vſi fuerint vendendo, vel dando inſolutum verum tanti ponderis aurum, vel argentum, pœnæ nomine inferre cogantur in publicum pauperibus erogandum, quanti Alchimicũ exiſtat, circa quod eos aliquo prædictorum modorum legitimè conſtiterit deliquiſſe, facientibus nihilominus aurum, vel argentum Alchymicum, aut ipſo vt præmittitur, ſcienter vtentibus perpetuæ infamiæ nota reſperſis.

18. Reſtat dicere de tertia ſuperſtitionis ſpecie, in qua vana aſſumuntur ad proximorum nocumentum: de qua in ratione

ratione superstitionis, nihil speciale notandum occurrit præter supradicta. Est tamen hæc species omnium detestabilissima ob peccata iniusticiæ, quæ secum trahit: omnia enim nocumenta, quæ magicis illis superstitionibus à dæmone fiunt, Mago tribuuntur; quia ipse illorum causa est vtens dæmone vt ministro ad illa operanda.

PVNCTVM XI.

An licitum, vel obligatorium sit tollere maleficia, seu effectus per maleficia comparatos?

SVMMARIVM.

1 *Effectu bono, esto malè comparato, si à dæmone in conseruari non pendet, vti poteris absque vlla superstitione. Secus si à dæmone pendet.*
2 *Si effectus maleficij alteri nociuus est, teneris mediis omnibus illicitis remedium procurare.*
3 *Licitum est, & aliquando obligatorium mediis supernaturalibus vti ad curandos maleficij effectus.*
4 *Naturalia remedia licita per se sunt, & Mago obligatoria, si illis nocumentum factum reparari potest.*
5 *Non licet Mago maleficij nocumentum reparare alio maleficio, tametsi alia via damnum reparari non possit.*
6 *Non licet iudici causa curiositatis, vel alterius finis præcipere Mago, vt maleficium coram se faciat.*
7 *An liceat maleficium destruere? Proponitur dubitandi ratio.*
8 *Certum est licitum esse Mago hæc signa data à dæmone destruere.*
9 *Imo non solum licitum, sed obligatorium ex charitate est in eo, qui conscius illorum fuerit.*
10 *Adde licere signa contraria apponere si debito fine apponantur.*
11 *Satisfit rationibus, n. 7. adductis.*
12 *Quid liceat iudicibus circa maleficos.*

1. PRæmitto. Primo effectum maleficij duplicem esse alium in se bonum, alium alteri nociuum; & vterque potest esse independens à dæmone, vel ab illo dependens, si effectus in se bonus sit, qualis est salus scientia, & pecunia dæmonis arte comparata, neque à dæmone in conseruari pendeat, poteris illam retinere, eisque vti, quia in illorum vsu nullam cum dæmone societatem habes, sed potes pœnitere societatis habitæ, & re naturali vti, ac si à Deo tibi esset diuinitus concessa: neque enim ex concessione dæmonis aliquam habet maculam: sic Martin. Delrio *lib. 2. disquis. mag. q. 4. litt. F.* Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. cap. 15. n. 24. in fine, & cap. 17. num. 1. & 2.* Valent. *2. 2. disp. 6. qu. 13. p. 2. col. 5. vers. quarto neque.* Sanch. *lib. 7. de matrimon. disput. 96. num. 4. & lib. 2. cap. 41. num. 1. & cap. 42. num. 20.* Victoria *de Magia quæst. 4. num. 15.* Solum in retentione diuitiarum, & aliorum bonorum externorum est aduertendum sæpè fictitia esse, & illusoria, & sæpè ab aliis sublata. Quapropter vt illorum vsus tibi licitus sit, constare tibi debet veras esse diuitias, & ignorare esse ab aliis sublatas: dum enim ignoras ab aliquo sublatas esse, præsumere potes ex profundo maris, vel aliquo thesauro, aut minerali sub nullius potestate existente deductas esse: sic Suar. *t. 1. de Relig. lib 2. de superstit. cap. 17. num. 3.* Sanch. *lib. 2. in decal. cap. 41. num. 2.* Bonac. *disp. 5. de primo decal. prac. q. 4. p. 5. num. 11. in fine.* Verum si effectus maleficio comparatus à dæmone pendeat, tametsi in se bonus sit; nequaquam licebit illum sic retinere; quia talis retentio esset quædam cum dæmone confœderatio. Vnde si salutem, diuitias, scientiam promiserit tibi dæmon conseruare, quamdiu tali cæremonia vsus fueris, nequaquam tibi licet tali cæremonia vti, esto omnia illa bona amissurus sis; quia non licet maleficio vti ad beneficium obtinendum: sic Suarez expressè. *lib. 2. de superstit. c. 17. n. 2.* & est omnium sententia.

2. Præmitto. Secundò, si effectus maleficij alteri nociuus sit teneris, mediis omnibus licitis eorum remedium procurare. Quia teneris nemini iniuriam facere, & factam quoad possis reparare: sic ex omnium sententia supponit Suar. *lib. 2. de superstit. c. 17. n. 13. &* Sanch. *lib. 2. in decal. c. 41. n. 22. 23. & 24.* Difficultas autem est in decidendo quæ media licita sint. Quædam enim sunt supernaturalia, quædam naturalia, quædam superstitiosa.

3. Et quidem licitum esse, & aliquando obligatorium mediis supernaturalibus vti ad curandos maleficij effectus, indubitatum est: quia ad hæc sunt instituta, illisque mouetur Deus, ne amplius nocumentum permittat. Hæc multiplicia sunt. Alia sunt generalia pro omni beneficio consequendo, damnoque vitando, nempe oratio, cum sæpe, & fiducia, exercitium bonorum operum, misericordiæ, humilitatis, & pœnitentiæ, vsus sacramentorum, confessionis, & Eucharistiæ, & reliquiarum sanctarum gestatio, & veneratio. Alia hunc effectum specialiter ab Ecclesia diriguntur, vt sunt exorcismi Ecclesiæ, quibus Ecclesia dæmones adiurat, & à nocendo detinet. Item aqua benedicta, sal & panis benedictus, quæ ex precibus Ecclesiæ vim habent ad dæmonum potestatem coërcendam; mouetur enim Deus his precibus assistere, protegere, & defendere talibus sacramentalibus munitum. Alia item ratione suæ significationis specialem vim habent dæmonas coërcendi. Hæc sunt, signo se crucis munire, quo sanctissimam Trinitatem veneraris, memoriam Passionis Christi recolendo: illo enim signo Christum crucifixum refers, & diabolo obiicis, quod illi durum est; quia videt illo signo esse victum, & superatum, & adhuc diuinam virtutem ibi assistere. Deinde est inuocatio nominis IESV; quia obiicitur illi IESV, à quo fuit victus, & quia huic nomini non solum cœlestes, & terrestres, sed etiam infernales potestates subduntur. Vide de his remediis Martin. Delrio *lib. 6. disquisit. mag. cap. 2. q. 3. & sect. 3.* Lessium *lib. 2. de iustitia, cap. 44. tota dubitat. 5.* Dixi aliquando esse obligatorium his remediis spiritualibus vti; quod quando hoc sit ex iis quæ diximus tum de orationis obligatione, tum de charitate in proximum colligendum est.

4. Naturalia remedia licita per se sunt, & Mago obligatoria, si illis nocumentum factum curari, repararique potest. At raro hæc remedia naturalia efficaciam habent, dum dæmon à nocendo non desistit, quia ipse vim medicamentorum facilè potest elidere, vel contraria apponendo, vel vias obstruendo, vel se interponendo: sic Lessius *dicto dub. 5. n. 28.* Suar. *lib. 2. de superstit. c. 17. n. 7.* Superstitiosa remedia voco, quæ ex pacto dæmonis, & arte magica fiunt. Et de iis certa sententia est in nullo casu licere: quia in nullo casu licet vti opera dæmonis, & cum illo commercium, & Societatem habere; quia est intrinsecè malum: sic omnes doctores.

5. Ex quo fit primo, nullo modo licere Mago maleficij nocumentum reparare alio maleficio, tametsi alia via damnum reparari non possit; quia non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona: & tradit tanquam de fide certum plures referens, Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 95. n. 1. & lib. 2. in decal. c. 41. n. 3.* Neque obstat *lex eorum. 4 Cod. de Maleficis, & lex regia fin. tit. 23. part. 7.* excusans maleficos maleficiis vtentes non ad malefaciendum, sed ad maleficia impedienda: non vt rectè Sanch. *suprà, &* Suar. *lib. 2. de superstit. c. 19. n. 14.* alios referentes, non excusantur supradicta culpa, sed à pœnis aliàs per leges impositis; quia non peccabunt contra iustitiam.

6. Secundò fit non licere iudici causa curiositatis, aut alterius cuiuscunque finis præcipere Magis, vt maleficium coram se faciant; quia esset eorum peccato cooperari: sic expresse Sanch. *lib. 2. in decal. c. 41. n. 4.* His tanquam certis præmissis.

7. Difficultas versatur, an inter media superstitiosa computanda sit maleficij destructio; Solet enim dæmon cum Mago pactum inire, vt stante globo capillorum, aliaue simili re in tali loco, ipse nocebit: & ratione huius pacti non obligatur illa destructa à nocumenti inferendi cessatione, sed liberum est continuare nocumentum, vel ab illo desistere, Aliquando tamen erit cum Mago pactum non solum de nocumento inferendo, dum illa res perseuerauerit tali loco, sed quod illa destructa, vel à tali loco remota, à nocumento desistet. Difficultas ergo est; an tale signum liceat destruere; Et ratio difficultatis est; quia illius destructio est quoddam signum datum à dæmone sanitatis obtinendæ: sed nemini licet obtinere sanitatem vtendo signis datis à dæmone; quia esset dæmoni associari, & sanitatem ab eo obtinere. Ergo. Et confirmo. Ponamus dæmonem sic cum Mago pacisci, dum hic annullus perseuerauerit, non desistam à nocumento Petri, illo tamen destructo, non solum à nocumento Petri cessabo, sed insuper media applicabo, quibus integrè salutem reciperet: si destruas annulum, tacitè consentis dæmonis pacto, & vis ab eo salutem integram recipere. Ergo consecutio illius sanitatis est, per medium superstitiosum. Deinde si liceret signa destruere, quibus dæmon promittit à nocumento desistere, & insuper salutem integram concedere, liceret vtique mediis aliis positiuis vti, si ipse dæmon promitteret non cessaturum à nocumento, quousque illa apponerētur. At hoc non videtur dicendum? quia iam inde conuinceris te vti mediis à dæmone datis ad effectus ab illo obtinēdos. Quod autē effectus, quem prætendis obtinere priuatiuus sit, an positiuus, non videtur à superstitione excusare. Non enim à superstitione excusatus esset, si dæmone promittente vtenti aliquo signo etiam bono nunquam tenturo, tu vt hanc securitatem obtineres, signo illo fueris vsus. Tādem confirmatur exemplo sancti Hilarionis, qui (vt refert Hieronym. in eius vita) noluit inquirere, nec remouere signa, quibus dæmon affirmabat se esse ligatum, ne aut solitis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermoni eius accōmodasse finem. Ergo obligare dæmonem exire remouendo signa, eique

eique fidem adhibeo, vt remotis ſignis receſſurus ſit, ſuperſtitioſum eſt.

8. Nihilominus tanquam omnino certum tenendum eſt licere malefico ſigna hæc data à dæmone deſtruere eo fine, vt diſſoluatur pactum cum dæmone de nocumento inferendo, ab illoque ceſſet, non tamen eo fine, vt pactum ſeruet, quo ſe aſtrinxit non proſecuturum in nocumento. Negari enim non poteſt, poſſe maleficum deſtructionem illius ſigni ad vanum finem dirigere, & non ad alium; quia illa ſigni deſtructio per ſe nullum ex illis finibus ſignificat, Poterit ergo ex intentione malefici in vnum finem, & non alium vſurpari. Ponamus ergo maleficum deſtruendo ſigna ſolum attendere pacti cum dæmone diſſolutionem & nocumenti ceſſationem: neque curare, an dæmon obligatus inſuper ſit non amplius nociturus, vel beneficia aliqua conceſſurus. Talis intentio, & illius executio optima eſt, & omnino ſuperſtitione libera. Ergo omnino eſt licita talis deſtructio. Quòd talis intentio bona ſit conſtat; quia bonum eſt velle nullam cum dæmone amicitiam habere, & habitam diſſolui, & nullum nocumentum illius arte proximo inferri. Medium item quod aſſumitur deſtruendo maleficia omnino videtur à ſuperſtitione alienum; imò potius eſt ſuperſtitioni contrarium: ſi quidem deſtruit vincula, quibus dæmon cum malefico habebat commercium, & ſocietatem, & nihil aliud in illa deſtructione prætenditur, niſi tollere è medio incentiuum, quod habet dæmon ad nocendum. Et confirmatur, ſi tibi data fuiſſent aliqua ſigna vana, quibus ex dæmonis pacto promiſſa eſt ſecuritas alicuius nocumenti, quis dubitare poteſt te poſſe; imò debere illa ſigna deſtruere; Nam dum illa retines, conſeruas cum diabolo amicitiam at illam deſtruens amicitiam diſſoluere cenſeris. Ergo deſtruere maleficium eo fine, vt diſſoluatur pactum cum dæmone initum licitum eſt. Dixi licitum eſſe diſſoluere maleficium eo fine, vt diſſoluatur pactum; & commercium cum dæmone; ſecus vero eſſet, ſi intenderet maleficus in tali deſtructione dæmonem allicere, vt pactum de nocumento non inferendo ſeruaret: tunc enim iam maleficus dæmoni ſe ſubmitteret, & ab illo petere promiſſis ſtare, quod eſt omnino illicitum: ſic pluribus relatis docent Sanch. *lib. 7. de matr. diſp. 95. n. 3. & ſeqq. & lib. 2. in decal. c. 41. n. 19.* Sayr. in claui regia. *lib. 4. c. 6. infine* Suar. *t. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 17. à n. 9. vſq; in finem*, Leonard. Leſſius *lib. 2. de iuſti. cap. 44. dub. 6. à n. 36. vſque ad 44.*

9. Adde non ſolum licitum eſſe hæc diabolica deſtruere ſed etiam eſſe obligatorium ex charitate in eo qui illorum conſcius fuerit, quia quilibet tenetur ſi commodè poteſt peccata impedire, & pro reuerentia, & honore diuino pugnare: ſic Suar; *n. 13.* Sanch. *in decal. dicto c. 41. n. 22.* Dixi, *ſi commodè poteſt.* quia cum graui iactura ſui, vel tertij non tenetur, Suar. & Sanchez *ſupra.* Maleficus item non ſolùm ex charitate, ſed etiam ex iuſtitia cum obligatione reparandi damna tenetur maleficium ſupradicto modo licito remouere, & iudex, vel prælatus illum ex obligatione officij ad id cogere debet. Suar. & Sanch. *ſupra.* Neque hæc remotio impedire debet, ex eo quod malefico, vel alteri tertio nocumentum aliquod timeatur euenturum ex remotione ſigni; quia illud nocumentum non ſequitur ex remotione ſigni tanquam ex cauſa, ſed ex pacto, & malitia dæmonis promittentis nociturum malefico, vel alteri tertio remoto malefico: ſic Sanch. *lib. 7. de matrim. diſp. 96. n. 5. & lib. 2. c. 41. n. 21.*

10. Vlterius addo, non ſolum licere, & eſſe obligatorium ſigna malefica remouere, vt dæmon à nocendo deſiſtat; ſed etiam ſignum contrarium apponere, quo poſito ſe obligauit à nocendo deſiſtere, dum modo lignum appoſitum bonum ſit, vel ſaltem de ſe indifferens, & eo fine apponatur, vt ceſſet dæmon à nocumento, & diſſoluatur confœderatio facta. Ratio eſt eadem; quia talis intentio optima eſt, & medium de ſe indifferens ex illa intentione honeſtatem accipit: ſic Leſſius *lib. 2. c. 44 dub. 6. n. 45.* Suar. *lib. 2. de ſuperſtit. cap 17 n. 16.* Sanch. *lib. 2. in decal. c. 41. n. 25.* vbi benè aduertit, ſi dubium ſit, an medium quod aſſumitur ſuperſtitioſum, ſeu illicitum ſit, quouſque dubium deponas te non poſſe illo vti, quantumuis poteſtatis nolle vllam cum dæmone ſocietatem habere; quia hæc proteſtatio non vincit dubium, neque purgat malitiam, quæ in illo eſſe poteſt.

11. Rationi in contrarium adductæ facilè ex ſupradictis fit ſatis. Concedo namque nemini licitum eſſe vti ſignis datis à dæmone eo fine vt dæmon excitetur ad fidem ſeruandam, ſalutemque concedendam; at bene poſſe illis ſignis vti, vt tollatur dæmoni incentiuum, quod habebat ad nocendum. Quod autem dæmon deſtructo illo ſigno non ſolum à nocumento ceſſet, ſed etiam ſalutem concedat, per accidens eſt intentionem deſtruens ſignum: non enim deſtruens ſignum illam conſequi deſtructionem prætendit. Et eadem ratione non licet vti ſigno dato à dæmone, quo poſito ſecuritatem à tentationibus promitteret. Aliud enim eſt vti ſigno ad excitandum dæmonem, vt beneficium concedat. Aliud eſt vti ſigno deſtructiuo nocumenti, ſeu quo non excitatur ad documentum, & eo animone ad nocumentum, inferendum excitatur. Ad exemplum S. Hilarionis reſpondeo, noluiſſe maleficium inquirere, neque diſſoluere, vt dæmon à nocendo ceſſaret; non quia id illicitum eſſet, ſed quia præſentibus apparebat illicitum, & quia decebat oſtendere virtutem diuinam, qua erat præditus, alligatam non eſſe deſtructioni maleficij ad ſanitatem concedendam.

12. Ex his infertur licere iudicibus lauare maleficos, & pilos eorum abradere quando torquendi ſunt, ſi timeant in pilis ipſis aliquod maleficium occultari? quo inſenſibiles tormentis reddantur; quia hoc nihil aliud eſt, quam dæmoni tollere fundamenta operandi Leſſius. *lib. 2. c. 44.* Sanch. *lib. 2. c. 41. n. 11.* Neque obſtat dicere dæmonem iis ſublatis, omnique maleficio deſtructo adhuc poſſe nocere, & Magiam inſenſibilem reddere. Superuacaneum ergo eſt tale medium. Non inquam obſtat; quia regulariter Deus non permittit dæmonem operari, niſi in vi pacti cum malefico, & poſito ſigno, vt benè dixit Suar. *lib. 2. de ſuperſtit. c. 17. n. 15.* Quare non eſt ſuperuacaneum, ſed vtile. Si autem crederes per illam lotionem, aut tonſionem vires naturales amitti, ſuperſtitioſus eſſes; quia illa tonſio, & lotio non poteſt eſſe cauſa, niſi arte dæmonis ad talem effectum. Sanch. *ſupra.*

PVNCTVM XII.

An licitum ſit à malefico petere, vt maleficium maleficiis diſſoluat, ſi ad id paratus ſit?

SVMMARIVM.

1 *Non licet à maleficio quantumcunque parato id petere, neque ad id cogere.*
2 *Si dubius es, an maleficio maleficium ſit diſſoluendum non poteris petere illo medio dubio diſſolui.*
3 *Quod ſi maleficus mediis licitis, & illicitis poſſit maleficium diſſoluere? Negat Caietan. maleficij diſſolutionem expoſtulari poſſe.*
4 *At probabilius eſt oppoſitum, tametſi credas mediis illicitis faciendam eſſe.*
5 *Satisfit fundamento Caietan.*
6 *Duo aduertenda ſunt pro clariori ſuperioris doctrina intelligentia.*
7 *A dæmone petere non potes maleficij diſſolutionem.*
8 *Item neque præcipere, benè tamen obiurgare, & reprehendere.*

1. CErtum eſt nequaquam licere à malefico quantumcunque parato poſtulare vt maleficium maleficiis diſſoluat; quia petis id quod intrinſecè malum eſt. Nulla enim ratione honeſtari poteſt diſſolutio maleficij alio maleficio facta. Ergo neque eius petitio. Qui enim ſic peteret à malefico maleficij diſſolutionem, à dæmone peteret, cum ipſe non niſi mediante dæmone ſic operari poſſet: ſed petere à dæmone diſſolutionem maleficij nunquam licet; quia eo ipſo proteſtaris eius auxilio indigere, ergo neque à Mago licet expoſtulare: ſic reiecto Aureolo 4. *diſt. 34 q. 2.* & Angelo verbo *ſuperſtitio, n 13* docent aliis relatis Martin. Delrio *lib. 6. diſquiſit. mag. c. 2. ſect. 1. q. 2. dicto 3.* Nauarr. *ſum. c. 11. n. 29.* Couatuu. *c. quamuis pactum, 1. p. §. 1. n. 10.* Sanch. *lib. 7. de matr. diſp. 95. n. 7.* & *lib. 2. decal. c. 41. n. 5.* Leſſius *lib. 2. c. 44. dub. 6. n. 35.* Suar. *t. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 18. à n. 3.* Bonac. *diſp. 3. de primo decal. præcepto q. 5. p. 5. à n. 7.* Adde non ſolum non eſſe licitũ petere à Mago diſſolutionem maleficij per aliud maleficium, ſed neque eſſe licitum ad id minis, & imperio cogere ob eandem rationem: quia cogeres Magum facere, quod intrinſecè malum eſt. Ergo peccas grauius, quam ſi poſtulares; ſi quidem ad peccandum efficacius inducis, & illius es cauſa: ſi Suar. *n 7.* Sanch. *de matr. diſp. 45. n. 9. & c. 41. in deca. n. 9.* & in vtroque loco *n. 10.* benè aduertit iniquè facere iudices cogentes maleficum maleficium diſſoluere facta quadam benedictione; quia illa benedictio cum non ſit cauſa phyſica diſſolutionis maleficij, reſtat vt ſolum ſit ſignum ex pacto dæmonis, ac proinde illam vſurpans dæmonem inuocat, & ei aſſociatur.

2. Vlterius addo, ſi dubius es; an medium, quo ſoluendum ſit maleficium ſuperſtitioſum ſit non poteris petere, neque mandare malefico, vt illo medio maleficium diſſoluat, quia exponis te periculo peccandi, ſiquidem petis id, de quo dubitas, an licitum ſit. Ergo vel vincere debes dubium, vel à tali petitione ceſſare: ſic Suar. Leſſius, Sanch. *ſtatim referendi.* Ex quo infertur te non poſſe à malefico petere maleficij diſſolutionem ſi dubius es; an maleficus aliquod medium licitum cognoſcat, quo maleficium diſſoluere poſſet; quia tacitè peteres, vt faceret maleficium ad maleficij diſſolutionem? ſi quidem præſumere non potes ſcire media licita quibus maleficium diſſoluatur: ſic Suar. *lib. 2. de ſuperſtit. c. 18. n. 9.* Martin. Delrio

lib. 6.

lib.6.disquisit.magi.c.2. sect.1.q.2. Lessius *lib.2. c.44. dub.6. n.46.* Sanchez *lib.2.in decal.c.41.n.7.* Bonac. *disp.3. de primo decal. præcepto q.5.p.5 num.8.* Idem est, si petas ab alio maleficio dissolutionem maleficij, qui tamen ignarus est maleficij, & loci vbi positus est; quia tacitè petis, vt maleficium faciat, cum alia via præsumere non possis illum scire, quomodo maleficium sit tollendum. Sanch. Lessius, Suar. & Delrio suprà.

3. Difficultas autem est; an cum maleficus scit media licita, quibus maleficium dissoluatur, credis tamen illis vsurum non esse, sed potius aliis iniquis, possis ab illo dissolutionem maleficij petere; Negat Caiet in suis opusculis *t.2. tract. 12. de maleficijs q.vnica, in fine corp.* Mouetur; quia peccato alterius cooperaris, eo quod petas dissolutionem, quæ in his circunstantiis nequaquam licita erit. Item petis dissolutionem non à quocunque faciendam, sed faciendam à Mago. At tibi constat hanc futuram esse peccaminosam. Ergo petis dissolutionem peccaminosam. Ergo peccas.

4. In hac primò certum est, si probabiliter credas Magum mediis licitis dissoluturum maleficium te posse ab illo absolutè petere, quia & rem licitam petis, & nullo periculo peccandi Magum exponis, sed potius ad bonam actionem incitas. Idem dico, si dubius sis, an medio licito dissoluturus sit, an illicito; quia in tali dubio præsumere debes medio bono vsurum, cum peccatum præsumi non debeat: Sic Suar. *lib.2. de superstit.cap.19.num.9.* Sanch. *lib.2. in decal. c.41.n.12.* Quod si certus moraliter sis mediis illicitis maleficium dissoluendum, tametsi licitis possit; quia vtraque media licita, & illicita optimè norit, credo multo probabilius, tibi licere absolutè dissolutionem maleficij postulare: sic plures referens Sanch. *lib. 7. de matr.disp.95.n.11.& lib.2.in decal. c.41.n.13.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap.44.dub.6.n.46.* Suar. *t.1.de relig. lib.2. de superstit. cap.18. n.9.* Neque dissentit Martin. Delrio *lib. 6. disquisit.mag. c.2. sect.1.q.2. dicto 4.* vt rectè aduertit Suar. *supra* solum enim loquitur in casu quo speratur Magus per maleficium dissoluturum, quia ignorat media licita, quibus dissoluendum est: in quo casu iam diximus nequaquam dissolutionem peti posse. At quando scit Magus media licita; tametsi illis vsurus non sit, optimè potest ab illo peti maleficij dissolutio. Ratio est; quia postulas rem indifferentem, seu de se bonam, nempè dissolutionem maleficij. Quod autem maleficus eam vitiet iniquis mediis vtens, non tibi imputandum est, quia tu non petebas vitiosam dissolutionem, sed dissolutionem, quam maleficus absque vllo vitio concedere poterat. Quod optimè confirmatur exemplo petentis mutuum ab vsurario; quia scis non concessurum sine vsuris: & petentis iuramentum ab infideli, quem scis per falsos Deos iuraturum: in quibus ferè omnes consentiunt licitam esse petitionem; quia quod petis licitum est, & licitè fieri potest, tametsi non licitè concedatur. Sed idem prorsus est in præsenti casu; petis enim dissolutionem, quæ licitè fieri potest, tametsi alius iniquè faciat, cuius peccatum non tibi tribuendum est, cum iustam habueris causam petendi.

5. Et ex his soluitur contraria ratio. Fateor te non petere dissolutionem maleficij vagè sumptum, neque etiam petere dissolutionem, quam Magus facturus est sed petere dissolutionem, quam ipse Magus facere potest: cum autem ipse Magus non solum illicitam dissolutionem maleficij, sed licitam facere possit: efficitur sanè, te petere non magis illicitam, quam licitam, imò potius censeri debes te licitam petere. Neque obinde censeri eius iniquam actionem approbare, sed solum permittere ob vrgentem tuam necessitatem, sicuti permittis vsurarum exactionem ob necessitatem mutui. Aduerto tamen in exactione vsurarum ratò præsumi posse approbationem, cum soluenti damnosa sit, ideoque scandalum ex parte acceptantis mutuum sub vsuris ratò, vel nunquam adest. At in dissolutione maleficij per aliud maleficium, cum nullum damnum petenti adueniat, ratò ab scandalo excusabitur, nisi modum petitionis, & causam iustam petendi integrè manifestet: sic Sanch. *lib.2.c.41.n.14.* Suar. *t.2.de relig.lib.3.de iuram.c.13. num.11.*

6. Duo tamen hac in re aduertit Suar. *t.1. de relig. lib.2. de superstit. cap.18. in fine,* Sanch. *lib. 6. de matrim. disp. 95. n. 12. fine, & lib.2. in decal.c.41.n.15. & 16.* Primum est, vt cesset ex parte petentis omnis cooperatio magicæ superstitionis, quia hanc esse intrinsecè malam clarum est. Quapropter si Magus velit tibi, tuisque animalibus mederi applicando illis aliquas medicinas, vanas & tu adsis, nequaquam id permittere potes; quia non est sola permissio magicæ superstitionis, sed vera illius cooperatio; eo quod Magus tibi, tuisque rebus in tui præsentia absque tuo consensu nullas potest medicinas applicare. Vnde si consentias, censendus es vti opera Magi in tui curatione: consentit Lessius *lib.2.de iustit.c.34. in fine.* Secundum, quòd aduertunt, est, te obligatum esse petere dissolutionem maleficij à maleficio modo licito, & ad illum expresè excitare, si speres obtenturum: quia lege charitatis teneris, quando commodè potes proximi peccatum vitare. Neque vllus est qui possit in hac parte dissentire.

7. Sed inquires: an à diabolo possis petere, vel mandare, vt maleficium dissoluat, vel à nocumento cesset? De petitione clara est resolutio, te nullo modo posse, quia petitio est signum submissionis, & indigentiæ in petente, & superioritatis, & potestatis in eo ad quem petitio defertur. At hominem Christi sanguine redemptum se dæmoni submittere, & potestati eius auxilio, & ope indigere, illúmque vt potentem ad subueniendum recognoscere, est grauissima diuinæ maiestatis iniuria: sic Mart. Delrio *lib.6. disquisit. mag. c.2. sect.1. q. 2. dicto 4.* Suar. *lib.2.de superstit.c.18.num.5. & 8.* Sanch. *lib.7. de matr. disp.95. n.vlt. & lib. 2. in decal.c 41.n.17.*

8. De præcepto maior est dubitatio; eo quod præcipiens se quasi superiorem recognoscit, & quodammodo cogit eum; cui præceptum imponit. At cogere dæmonem, vt conta eius voluntatem maleficium dissoluat, & à nocendo cesset, molestum illi est, & consequenter inhonoratiuum. Ergo licet. Cæterum omnino tenendum est tale imperium (secluſa diuina virtute, seu in nomine Christi, & Ecclesiæ per exorcismos) vanum esse, & superstitiosum; quia dæmon homini mortali non subditur, neque ab illo cogi potest, nisi in virtute alicuius pacti cum ipso, vel cum dæmone superiore facto; ac proinde qui tali imperio vtitur, innuit vel cum dæmone imperato, vel cum alio pactum feciſſe. Ergo tali præcepto dæmoni cultus defertur: sic Victor. relect. de Magia *n.20.* Suar. *lib.2. de superst. c.18. n.8.* Sanch. *locis citatis.* Benè tamen poteris dæmoni indagari; illúmque obiurgare, & temnere dicendo: Vt quid male facis, cessa malefacere, vincula iniquitatis dissolue. Non enim hæc verba semper præceptiua sunt sed obiurgatiua, sicuti dicis cani molesto: ab hinc Sanch. Suar. & Less. *in noua edit. lib.2. c.44. n.45.*

PVNCTVM XIII.

Quæ sint pœnæ diuinatoribus, sortilegiis, & maleficis impositæ, & quæ illorum obligatio.

SVMMARIVM.

1 *Nulla pœna præter excommunicationem his superstitiosis hominibus est imposita.*
2 *Expenditur an excommunicatione ipso iure afficiantur; & videtur probabilius non incurri, si ab hæresi separetur.*
3 *Pœna ferendæ expenduntur, & præcipuè pœna suspicionis hæresis.*
4 *Præter suspicionem si clericus est, ab officio suspenditur, & in monasterium detruditur, imò à beneficio suspendi potest.*
5 *Si laicus est, variis afficitur.*
6 *Quis sit iudex huius criminis?*
7 *Expenditur modus procedendi in iudicio huius criminis.*
8 *Declaratur obligatio, quam habet maleficus conuersus.*

1. ALiæ sunt pœnæ ipso iure latæ, aliæ ferendæ per iudices. De vtroque breuiter dicendum est, latius de prioribus; quia eorum conscientiæ respiciunt. Pœnæ ipso iure latæ possunt esse censuræ; & quæ ad censuras reducuntur, nempe irregularitas, & inhabilitas. De iis ergo certa regula est, nullam esse iis maleficis impositam, nisi fortè excommunicationem: sic Sanch. *lib.2. in decal. c.38. n.30.* Suar. *lib.2. de superstit. c.19 n.3.* & supponunt omnes referendi, quia solum de excommunicatione dubitant, an hi diuinatores, Magi, & malefici afficiantur? Affici affirmant Tabiena verb. *Excommunicatio 1. casu 4.* Martin. Delrio *lib.4. disquisit. magic. c.2. q.7. sect.4.* Probant primo, *ex cap. aliquanti 26. q.5.* vbi de steudnte augurijs dicitur ab Ecclesia habeatur extraneus. Sed est infirma probatio, cum facilè explicari possit post sententiam. Secundò probant *ex c.si quis Episcopus, eadem causa, & q.* vbi dicitur: Si quis Episcopus, aut Presbyter, siue Diaconus, vel quilibet ex ordine Clericorum magos, aut aruspices, aut incantatores, aut ariolos, aut certè augures, vel sortilegos, vel qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum similia exercentes consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ suspensus monasterij curam suscipiat, ibique pœnitentiæ perpetuæ deditus scelus admissum sacrilegij soluat. At in hoc textu de suspensione, seu depositione est sermo, non de excommunicatione, neque est ipso iure lata, sed ferenda, vt constat ex illis verbis, si deprehensus fuerit, suspensus monasterij curam suscipiat, id est suspendatur, & monasterij curam suscipiat. Tertiò probant *ex c.si quis Ariolos, eadem causa, & q.* ibi: Si quis ariolos, aruspices, vel incantatores obseruauerit, aut phylacteriis vsus fuerit, anathema sit: & *c. sortes* sub anathematis interdicto prohibemus. At hæc verba non cogunt nos affirmare excommunicationē esse ipso iure latam. Tum quia indifferentia sunt, vt tempus futurum, vel præsens significent, & in casu dubio pro mitiori parte est interpretatio facienda: colligiturque ex

c. ſi quis ex clericis, de vita, & honeſt. clericor. & *c. ſi quis*, 30. *diſt.* & vtroque loco *gloſſa*, vbi eiſdem verbis non excommunicatio lata, ſed ferenda imponitur facitque hunc ſenſum; anathema ſit, id eſt anathemate feriatur, & licet in decretis pertinentibus ad fidem, verba illa, anathema ſit, indicent hæreticum eſſe, ſeu ab Eccleſia ſeparatum, at in aliis id non indicant, ſed ſeparationem faciendam denotant. Tum quia commune eſt decreta dubia nouiora ex antiquis explicari, vt benè probauit Thom. Sanch. *lib. 2. de matrim. diſp. 24. n. 6.* Sed in decretis prioribus ſemper pro hoc delicto eſt ſententia ferenda, & non ipſo iure lata, vt conſtat ex decretis allegatis, & aliis quæ referuntur *illa cauſa, & q.* Tum quia hæc verba non tam excommunicationem, quam deteſtationem, & execrationem propriè denotant, iuxta illud 1. *Cor.* 12. Nemo in ſpiritu Dei loquens dicit anathema IESV, id eſt, nemo IESVM execratur, & *cap.* 16. Et qui non amat dominum noſtrum IESVM Chriſtum ſit anathema, id eſt ſit execrabilis, & deteſtabilis. Ergo ex ſupradictis textibus non conuincitur ipſo iure excommunicatio: Tandem ſolet probari ex Extrauag. Ioan. XXII. quæ incipit: *Super illius*, quam ad verbum refert Eymeric. *direct. inquiſit. 2. p. q. 44.* & *ibi* Pegna *com. 68.* In qua fertur ipſo iure excommunicatio ſolum aduerſus inuocantes dæmones illum alligantes in re aliqua pactum ineuntes, aut aliquo modo adorantes, ſi aliquid horum ſcienter facere præſumpſerint. Verum hæc conſtitutio inter extrauag. illius Pontificis non habetur, neque in decreto, neque in bullario Romano edito *anno* 1586. Quapropter non videtur recepta, ita vt vim obligandi habeat. Cum ergo certum ſit, nullam cenſuram incurri, niſi in caſibus à iure expreſſis, neque pœnas imponendas eſſe in caſu dubio: efficitur ſanè nullam pœnam ipſo iure his maleficis eſſe impoſitam. Adde eſto tempore Greg. II. relati *in cap. ſi quis Ariolos* ob frequentiam aniolandi fuerit excommunicatio ipſo iure impoſita, conſuetudine tamen abrogata iam eſt; & ita tenet Sanch. *lib. 2. in decal. c. 38. n. 91.* Suar. *t. 1. de Relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 19. n. 5. & 6.* Leſſius *lib. 2. de iuſtit. c. 43. dub. 5. n. 29.* Azor. *tom. 1. inſtit. moral. lib. 9. c. 26. q. 3.* Bonac. *diſp. 3. de primo decal. præcepto q. 5. p. 3. n. 12.* Verum eſto excommunicatio ipſo iure non incurratur ob hoc delictum, ſi ſeparatum ab hæreſi ſit; tamen quia ſæpè hæreſis illi adiungitur, ob hæreſim manent ipſo iure excommunicati.

3. Pœnæ ferendæ iis diuinatoribus, Magis, & maleficis ſunt plures tam iure canonico, quam ciuili. Aliquando enim crimen committunt hæreſi coniunctum aliquando non, vt de ſe conſtat, & colligitur ex *cap. accuſatus*, §. *ſanè de Hæreticis in 6.* Si cum hæreſi coniungatur, vel illius ſuſpicio ſit pro qualitate ſuſpicionis, & atrocitate criminis purgatio, & pœnitentia imponenda eſt, iuxta eà quę diximus tractat. de fide, vbi de hæreſi ſuſpectis. Quod ſi roges, quando hanc hæreſis ſuſpicionem maleficus contrahat? Reſpondeo hæreſis ſuſpicionem manifeſtè maleficum contrahere, ſi expreſsè cum dæmone pactum ineat, vel ab illo petit, quæ à ſolo Deo fieri, & cognoſci poſſunt. Item ſi illum adorat, eique cultum exhiber, preces fundit; quia denotat illum nō credere eſſe miſerum. Item ſi ſacramenta, ſeu ſacramentalia, & quaſlibet alias res ſacras miſceat in maleficij vſu; quia ſignificat res ſacras virtutem habere ad vſum execrabilem, & generaliter omnia illa crimina, quæ natura ſua præferunt aliquid, quod eſt hæreſis manifeſta, ſapiunt hæreſim manifeſtè vt baptizare imagines, ſignificat enim capaces eſſe baptiſmi, rebaptizare puerum; quia denotat non eſſe vnum baptiſma, genua flectere idolo, quia denotat dignum eſſe adoratione, & his ſimilia: ſic Simanc. *de Catholic. inſtit. t. 30. n. 15. & tit. 62. n. 2. & 3. & tit. 63. n. 29. & 34.* Azor. *t. 1. inſtit. lib. 9. c. 26. q. 4.* Iulius Clarus. *lib. 5. verbo hæreſis n. 24. & 25.* optimè Eymeric. *2. p. direct. q. 42. & 43.* & ibi Pegna *com. 67. & 68.* Extra hoc caſus affirmat Pegna *com. 67.* & Suar. *lib. 2. de ſuperſtit. c. 19. n. 10.* ſuſpicionem hæreſis ceſſare. Vnde ſi conſulas dæmonem abſque illius cultu, & adoratione in iis quæ ipſe ſecundum ſuas proprias vires facere poteſt, præcipuè ſi non ex profeſſo, & quaſi ex officio fiat, à ſuſpicione manifeſta hæreſis liberaris, Suar. *loco allegato.* Pegna *com. 68. verſ. ſed hoc eam diſtinctionem recipit.* Farinac. *pluribus relatis q. 181. n. 76.* Item vocare dæmonem, vt turpem amorem in aliquo excitet abſque ſubmiſſione, adoratione, & cultu non videtur hæreſim ſapere manifeſtè, quia non eſt effectus excedens eius naturales vires: ſic aliis relatis Pegna *dicto comm. 68. verſ. ſi vero & verſ tertium caſus*, optimè probat inuocationem præciſam dæmonis non inducere hæreſis manifeſtam ſuſpicionem, ſi ſe moueatur omnis cogitatio ſubiiciendi ſe dæmonibus. omniſque exterior cultus, & reuerentia, tametſi contrarium probabilitate non careat, vt defendit Azor. *t. 1. inſtit. moral. lib. 9. c. 26. q. 4.* & pro vtraque videri poteſt Farinac. *de hæreſi q. 181. n. 73. & ſeqq.*

4. Quod ſi ſuſpicionem hæreſis ſecludas ab hoc delicto, ipſum ratione ſuæ malitiæ variè punitur tum iure canonico, tum ciuili, ſi clericus eſt, ſuſpenditur ab officio, & in monaſterium detruditur, iuxta Text. *in c. ſi quis Epiſcopus 25. q. 5.* imo priuari poteſt beneficio aliiſque pœnis affici, iuxta Text. *in c. illud. 22. q. 2. & in c. admoneant. 26. q. 7.* Debet ergo iudex conſiderare qualitatem, & quantitatem delicti ſecundùm ea pœnas imponere, & tempus earum prorogare, vel diminuere, iuxta Text. *in c. Tua de pœnis, & c. pœnitentibus & c. pro qualitate 26. q. 7.* ſic Panormit. *in cap. 2. ſortilegiis*, & *cap. admoneant 26. q. 7.* quem ſequitur Bernard. Diaz *pract. c. 207.* & ibi Salzedo, Suar. *lib. 2. de ſuperſtit. c. 19. n. 12.* Azor. *tom. 1. inſtit. moral. lib. 9. c. 26. q. 3.* Paul. Grilland. *tract. de ſortileg. q. 11.* Farinac. *de hæreſi q. 181. n. 51. & 52.* vbi plures doctores refert. Neque audiendus eſt Anton. de Butrio. *cap. at ſi clerici, de Iudicijs*, qui ob hoc delictum exiſtimat clericum eſſe degradandum, & curiæ ſæculari tradendum, & mouetur ex Textu *in cap. admoneant 26. q. 7.* qui textus quoad hæc vltima verba, ſi quis hæc exercuerit, clericus degradetur, laicus anathematizetur: non legitur in Auguſt. neque in Concilio Turon. III. *c. 42.* neque in capitularibus, ſed ſolum apud Burchardum & Iuonem, vt notauit gloſſa noua, *ibi.* Adde verbum *degradetur* optimè intelligi poſſe de degradatione verbali, ſeu depoſitione: & ita cum textus intelligit Panorm. Suar. Bernard Diaz, & alij ſupra.

5. Verum ſi laicus eſt, variis pœnis afficitur, vt conſtat ex variis *textib. 26. quæſtione 5.* tum excommunicatione, tum ex illo, tum carcere, tum verberibus: conſuetudo tamen iam obtinuit, vt committens hoc delictum ducatur per vias publicas, cum mithra, melleque vnctus & plumis circumdatus, vel circa Eccleſiam, vel domum Epiſcopi collocetur, vt ab omnibus illudatur: ſic relato Abbate *in capite primo, de Sortileg.* docent. Farinac. Salzedo, & Suarez *ſupra*, & probat textu in *cap. Epiſcopi 26. quæſt. 5.* ibi, & ſi aliquem vitum, aut mulierem huiuſmodi ſceleris ſectatores inueniunt turpiter dehoneſtatum, de parochiis ſuis deiiciant, & *leg. 4. titulo 31. p. ſeptimo, ad finem*, ibi: ò le ponen en deshonra en la picota, o le deſnudan haziendolo eſtar al ſol vntandolo de miel, porque le coman las moſcas alguna hora del dia. Pœna autem mortis, & cremationis, quæ iure ciuili iis delinquentibus ſtatuta erat. *Leg. Nemo, leg. Nullus, l. multi, Cod. de Malefic.* recepta non eſt, vt teſtatur Farinac. *ſupra.* Excipe niſi ſimul cum illo debito alia grauia delicta, vt homicidij, vaſtationis domus, ſegetum, cædes animalium, & alia ſimilia in damnum tertij committantur. Quia tunc debent ſic puniri, & merito.

6. Quis autem ſit huius delicti iudex, ſeu ad quem forum pertineat? Diſtinguendum eſt, ſi delictum ſapit hæreſim manifeſtam, ad inquiſitores priuatiuè pertinet, iuxta Textum *in cap. accuſatus, de Hæreticis in 6.* ibi niſi hæreſim ſaperent manifeſtè, & tradit Farinac. *de hereſi, quæſt. 181. numero 101. in fine.* Quod ſi dubium eſt, an ſapiant hæreſim manifeſtè, abſtinere debent inquiſitores ab illius cognitione, vt benè notauit Gloſſa, *ibi* verbo *manifeſtè*, & adducit textum ſimilem in *c. 1. de cenſibus, eodem lib. & cap 1. de Pœnit. in 6.* conſentit Ioan. Rojas *ſingul. fidei 110.* Martin. Delrio *lib. 3. magic. ſect. 2.* Farinac. *de hæreſi, quæſt. 181. num. 91.* Addúntque Martin. Delrio, & Farinac. vix vnquam incidere caſum, in quo inquiſitores procedere nequeant; quia fere ſemper aliquid hæreticum credunt, aut hæreſim ſapiens committunt. Adde, ſi inquiſitores cœperunt cognoſcere; quia delictum iudicatum eſt hæreſim ſapere manifeſtè, & poſtea ſuboriatur dubium; an manifeſte ſapiat hæreſim, poſito quòd hæreſim ſapit, poterunt de hac qualitate *manifeſti* ipſi cognoſcere, & ſe iudices pronunciare: ſic Pegna *2. p. direct. q. 42. com. 67. in fine*, cum Panormit *in cap. 1. num. 1. de Sortilegiis.* Bernard. Lomen. *in lucerna*, verbo *inquiſit. §. 19.* Squallicenſ. *de fide cathol. cap. 56.* Carret. *tract. de hæreticis, num. 42.* Et generaliter de huiuſmodi crimine maleficij poſſunt cognoſcere inquiſitores ex conſtitutione Innocent. VIII. *edita anno* 1484. incipiente *ſummis deſiderantes affectibus, & ex conſtitutione* Adrian. IV, *edita* 1523 & alia Alexand. VI. incipiente, *cum acceperimus*, quas refert Pegna *poſt. direct. inquiſit.* & teſtatur aliis relatis Farinac. *dicta quæſt. 181. num. 101.* Item ex conſtitutione Sixti V. contra Aſtrologos iudiciarios inquiſitoribus teſtatur Farinac. ſubiici artem ſuperſtitioſam diuinandi profitentes, adiſcentes, exercentes, aut quomodolibet ſe ingerentes, etiamſi in pleriſque his caſibus antea non procederent, nec procedere valerent. At ſi delictum ſuſpicione hæreſis careat, ſi delinquens clericus ſit, à ſuo iudice Eccleſiaſtico puniri debet: ſi autem Laicus ſiue vir, ſiue fœmina à iudice ſæculari, vel Eccleſiaſtico ad præuentionem? quia eſt delictum mixti fori: ſic Abbas *in cap. 1. de Sortilegiis, n. 3. & 4.* Iulius Clarus *lib. 5. verbo hæreſis, num. 25.* Caſtro *lib. 1. de iuſta hæretic. punit. c. 16.* Suar. *cap. 19. num. 11. fine.* Valent. 2. 2. *diſp. 6. quæſt. 13. part. 4. ſtatim in princ.* Sanch. *lib. 2. in decal. cap. 38. n. 92.*

7. Modum verò procedendi in hoc delicto optimè tradit Petr. Binsfeld. *de confeſſ. maleficor. & ſagar. 2. p.* Malleus *malefic. 2. & 3. p.* Martin. Delrio *lib. 5. per totum diſquiſit. magic.* Gregor. de Valen. 2. 2. *diſp. 6. quæſt. 13. punct. 4.* Et ex illis ſic breuiter accipe. Vt iudex aduerſus aliquem de maleficio ſpecialem inquiſitionem inſtituat, debet præcedere infamia delicti

orta

orta ex viris probis, & fide dignis, iuxta Textum *in cap. inquisitionis, de Accusationib.* vel semiplena illius probatio, quæ consurgit ex testimonio vnius testis omni exceptione maioris, aut talibus iudiciis roboraro, vt æquiualet tali testimonio, vel adesse debent iudicia ita vrgentia, & plenè probata, vt meritò eis fides adhiberi possit, qualia sunt, si apud maleficium reperiantur membra humana, hostiæ, aliæque res sacræ profanis mixtæ, imagines cereæ acubus transfixæ, chirographum propria manu scriptum, quo se dæmoni tradit, vel signum aliquod huius pestiferæ seruitutis, vel si se vinxerit, aut animalia necauerit mediis de se vanis, & inefficacibus, si minatus fuerit alicui malum, & postea inuenitur fascinatione infectus, ac denique si proprio ore extra iudicium se magum professus fuit. Hæc enim omnia indicia sunt vrgentia huius diabolicæ artis: Insuperque debet iudex fundamentum huius inquisitionis specialis manifestare malefico, cum illum ad dicendam veritatem cogit; alias non censebitur obligatus respondere, quia ei non constat de legitima interrogatione: & fauet *cap. qualiter, & quando, de Accusat.* sic Caietan. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. Nauarr. *in man. cap.* 18. *num.* 57. Valen. Martin. Delrio, Petrus Binsfeld. & alij *supra.* Idipsum, quod sufficit, vt reus interrogetur, credo sufficere, vt testes de illo examinentur. Nam esto in *cap. inquisitionis, cap. qualiter, & quando, el 2. cap. cum oporteat, de Accusationib.* infamia publica requiratur ad hanc specialem inquisitionem per testes; eo ipso quod denunciatio iuridicè facta est in iudicio, vel vrgentia indicia probata sunt, laborat reus infamia publica, & ita obtinuit vsus, quod facta denunciatione capi possit informatio.

Supradicta semiplena probatio ex fama, vel denunciatione, vel indiciis sufficit, vt reus mittatur in carcerem. Vt autem torqueatur, debet hæc semiplena probatio aliis adminiculis adiuuari, iuxta ea quæ diximus de Hæretico. Nunquam tamen sola testificatio vnius malefici absque aliis indiciis sufficiens est ad capturam, & multo minus ad torquendum denunciatum, etiamsi hæc testificatio fuerit in mortis articulo. Poterit autem iudex ex vi illius denunciationis metu tormentorum firmatæ inuestigare alia media: sic ex Petro Binsfeld. *tract. de confess. maleficor. 2. p. in princip. conclus. 3. & 4.* notat Valent. *dicto p. 4. §. 2. & 4.* At si duo vel tres malefici te denuncient, sufficit, vt ex vi testimonij illorum interrogeris, & torquearis; quia illa est plusquam semiplena probatio: sic dicti doctores.

Nomina testium, & denunciatoris regulariter non sunt manifestanda reis, neque illorum aduocatis ob periculum, sicut in causis fidei. Quando autem hoc periculum cessat, & causa non agitur in tribunali inquisitionis manifestanda sunt, vt ei integrè concedatur defensio. Reliqua quæ hic desiderari possunt de defensione reorum, de sententia, de pœnitentia implenda peti debent ex his quæ de hæresi dicta sunt: quia hoc crimen illi satis est affine.

8. Restat, vt obligationem, quam habet maleficus, qui ad Deum conuertendus est, declaremus. Et primò supponere debet tanquam de fide certum ob grauissima crimina commissa, & fidem dæmoni datam non esse exclusum à diuina misericordia, si ex toto corde anteactæ vitæ pœnituerit. Et licet diabolo tradiderit chirographum suo sanguine obsignatum, quo se in seruum perpetuo dicauerit, in causa non est, quo minus à tam nefaria seruitute per pœnitentiam exire possit. tametsi ei non reddatur chirographum concessum, vt benè notarunt Sanch. *lib. 1. in decalog. cap.* 40. *n.* 53. Suar. *tom.* 1. *de Religione, lib. 2. de superstit. cap.* 17. *n.* 4. Bonac. *disp.* 3. *de primo decalog. præcepto, q.* 5. *n.* 11. Quod si chirographum factum, vel eius exemplar in sua fuerit potestate, debet omnino illud disrumpere, & cremare. Et idem est de quolibet alio signo huius diabolicæ artis, tum ob periculum, ne redeat ad pristinam cum dæmone amicitiam, tum ne aliis scandalo sit fortè videatur. Quæ rationes præponderant humilitatis fructui, quem ex recordatione præteritæ impietatis colligere poterat talia signa retinendo: sic Suar. Sanch. Bonac. *suprà.* Deinde tenetur libros omnes, & scripta huius diabolicæ artis inquisitoribus, seu ordinariis tradere vel concremare; aliàs incurrit pœnas impositas contra tenentes, seu legentes libros prohibitos, vt constat, ex *Indice librorum prohibitorum, & ex motu proprio Sixti V.* vbi hi libri prohibentur, & notauit Suar. *lib. 2. de superstit. cap. 19. in fine,* Sanch. *lib. 2. in decalog. cap. 38. n. 83.* Quoad pretium receptum pro vsu, & exercito huius impiæ artis aliqui existimant semper restituendum esse; quia est malè acquisitum, sed præcipuè quando effectus, ob quem datum fuit, non obtinetur: quia tunc videtur cessare voluntas concedentis. Cæterum si maleficus conscius suæ artis media apposuit, quæ sibi visa fuerunt sufficientia ad effectus consecutionem non tenetur pretium sibi datum restituere in conscientia, nisi condemnetur: quia pretium non fuit datum sub conditione, vt effectus obtineretur, sed sub conditione, vt ipse maleficus media secundum regulas suæ artis ad effectum apponeret, sicuti pretium, quod medico datur, non est sub conditione, vt infirmo de facto concedit salutem, sed vt procuret illi concedere. Ne-

que obstat malè recipere pretium; quia esto male recipiat, non tamen iniustè, sicuti meretrix turpiter recipit, at non iniustè: imò neque turpiter retinet copula iam transacta. Verùm si maleficus ignarus fuit artis magiæ, aut ex malitia media ad effectus consecutionem noluit apponere, sine dubio obligatus erit consulenti reddere pretium; quia deceptus est, si quidem illi non est concessum id ob cuius rationem pretium dedit. In probabili tamen sententia pauperibus reddi potest; quia ob turpitudinem commissam videtur priuatus iure recuperandi: sic Sanch. *lib. 2. in decal. cap. 38. num. 96.*

DISPVTATIO II.

De Tentatione Dei, Blasphemia, & Sacrilegio.

EX proœmio huius Tractatus constat hæc vitia esse religioni oppositа per defectum: Deficiunt namque à vera religione, vt insequentibus videbimus.

PVNCTVM I.

Quid sit tentatio Dei? quibus modis contingat? & quale peccatum?

SVMMARIVM.

1 *Præmittitur duplicem esse tentationem.*
2 *Definitur probationis tentatio.*
3 *Si miraculoso effectu velis, vt Deus suam voluntatem, & beneplacitum manifestet de aliquo futuro euentu esto aliqui affirment non esse tentationem proprie, affirmandum est tentationem esse.*
4 *Probatio per media indebita alicuius diuinæ perfectionis mala est, & religioni opposita.*
5 *An petere à Deo, vt suam omnipotentiam, vel scientiam mediis indebitis, alteri manifestet, sit tentatio? Proponitur dubitandi ratio, & resoluitur esse tentationem.*
6 *Duplex est tentatio alia cum infidelitate coniuncta, alia absque infidelitate. Alia formalis, alia virtualis.*
7 *Tentatio expressa à virtuali differt specie.*
8 *Aliqui putant tentationem interpretatiuam Dei esse posse peccatum veniale ex leuitate materiæ.*
9 *Probabilius est oppositum.*
10 *Probatio ferri candentis, & aquæ feruentis in veritatis testimonium prohibita est.*
11 *Satisfit obiectionibus.*
12 *Nemini est licitum absque speciali reuelatione offerre miraculum in testimonium veritatis.*
13 *Qua ratione se offerre martyrio temerariè sit tentatio Dei.*
14 *Item quomodo dicatur Dei tentator, qui absque vlla præparatione ad orandum accedit.*
15 *Idem est de eo, qui nulla præparatione, vt studio officium prædicatoris assumit.*

DVpliciter quis tentari potest vel probatione, vel inductione. Probatione tentatur, si aliqua eius perfectio examini subiicitur Inductione, si ad aliquod malum agendum inducatur. Hoc secundò modo ratò Deus tentari potest; quia nullus est ita insipiens, vt ignoret illam immensam bonitatem omni malitia incapacem esse. Primo tamen modo sæpè tentari solet: quia eius perfectiones non satis hominibus notæ sunt. De hac ergo tentatione, quæ est probationis, seu experimenti tractant doctores omnes cum D. Thom. 2. 2. *q.* 97. *art.* 1. *& seqq.* & hæc est, quæ absolutè tentatio Dei vocatur.

2. Communiter à doctoribus supra definitur, vt sit quædam probatio, seu experientia alicuius diuinæ perfectionis, nempe scientiæ, potentiæ, bonitatis, & similium mediis inordinatis. Dixi mediis inordinatis; quia si mediis ordinatis à diuina prouidentia probare velis eius scientiam, & potentiam absque vlla dubitatione, quod illæ perfectiones in Deo adsint, nullum peccatum committis, sicuti nullum commisit Abraham, cum à Deo petiuit signum *Genes.* 15. ex quo cognosceret ipsum esse, qui eum alloqueretur, neque Gedeon. *Iudic.* 16. cum signum velleris expostulauit, neque Elias 3. *Reg.* 18. cum medio igne voluit probare suum Deum omnibus Idolis esse præferendum quem plures sancti fuerunt sequuti, quia omnes hæ probationes ex speciali Spiritus Sancti instinctu procedebant. Et licet media assumpta viderentur extraordinaria, at quia à diuina prouidentia erant tunc præordinata; ea de causa qui illa expostulabat, non tentabat Deum, sed eius voluntati se conformabat. Quocirca vt quis intelligatur tenta-

re Deum, debet velle, vt ipſe Deus probet, qualis ſit, qualeſque perfectiones habeat mediis aliquibus extraordinariis à diuina prouidentia pro tunc non ordinariis: Quæ intentio regulariter naſcitur ex dubia fide Dei, eiuſque perfectionum.

3. Sed inquires; an ſi miraculoſo effectu velis, vt Deus ſuam voluntatem, & beneplacitum manifeſtet de aliquo futuro euentu, dicaris Deum tentare? Valen. 2. 2. *diſp.6. q.14. p.1. corol.3.* exiſtimat non eſſe propriè tentationem; quia non fit hæc probatio de aliqua perfectione Dei, ſed de aliquo obiecto ſuæ voluntatis, cuius dubitatio per ſe mala non eſt. At placet mihi propriè eſſe tentationem, ſi mediis indebitis eam voluntatem diuinam explorare velis. Tum quia inter homines, qui voluntatem alterius, eiuſque amorem explorat medio indebito, tentare eum dicitur. Ergo etiam reſpectu Dei erit tentatio. Item cum diabolus à Chriſto expoſtulauit, vt ſe mitteret deorſum, non intendit, vt Chriſtus diuinam potentiam expoſtularet, ſed affectum & amorem ideoque dixit: *Angelis ſuis mandauit de te vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis*, quaſi diceret, benè potes te mittere deorſum ſecurus in diuina prouidentia, & amore qui non permittet, vt detrimentum aliquod patiaris. Ergo ſola indebita probatio amoris, & voluntatis diuinæ, eſt vera tentatio: & ita docet D. Tom. 2. 2. *quæſt.97. artic.1.* Caietan. *in ſumm. verbo tentatio.* Suarez *tom.1. de relig. tract.3. lib.1. cap.2. num.16.* Sanch. *lib.2. decal. c.34. num.8.*

4. Rurſus probatio per media indebita alicuius diuinæ perfectionis mala eſt, & religioni oppoſita. Tum quia radix, ex qua oritur, regulariter eſt infidelitas; quia eſt dubia fides de diuinis perfectionibus. Tũ quia petere à Deo, vt ipſe medio aliquo extraordinatio, neque vtili teſtetur, & probet, ſitne ſapiens, omnipotens, vel bonus, grauem irreuerentiam continet: ſicut enim actus eſt religionis harum omnium perfectionum recognitio, & adoratio: ita eſt irreligioſitas aliquam non recognoſcere, ſed vtile, vt Deus miraculo. & modo extraordinario indebito illum probet, & teſtetur. Hoc tamen vitium, vt dixi regulariter cum infidelitate coniunctum eſt, & ex illa oritur: qui enim prætendit, vt Deus aliquam ſui excellentiam probet, de illa videtur dubitare. Dubitare ergo de aliqua perfectione diuina infidelitatis peccatum eſt. Dixi regulariter cum infidelitate coniunctum eſſe non ſemper: potes enim indebito modo petere à Deo, vt ſuam ſcientiam, & omnipotentiam probet, non vt tu de illis reddaris certus, ſed vt aliis eas cognoſcant. Item potes idipſum petere ex intentione, vt amplius in illarum cognitione firmeris. Item aliquando non ſunt tibi illæ perfectiones ſufficienter propoſitæ; meritoque abſque infidelitate de illis potes dubitare: Si ergo tunc petas aliquod ſignum extraordinarium ad illarum cognitionem, poterit petitio religioni aduerſari, tametſi ex infidelitate non procedat.

5. Hinc oritur dubitandi ratio; an tali petitione Deus tentetur? Non enim videtur tentari, ſiquidem nulla eius perfectio exploratur irrationabiliter: nam ſi certus de diuinis perfectionibus aliis manifeſtari prætendis, non illas exploras, ſed potius iam exploratas tibi vis aliis fieri manifeſtas: ſi autem dubitas an quæ tibi proponuntur ſint Dei perfectiones, eo quod ſufficienter tibi præpoſitæ non ſunt, non male facis inueſtigando, procurando illarum cognitionem. Quomodo ergo tentas Deum ſignum aliquod in horum confirmationem expoſtulando?

Reſpondeo, te tentare Deum; quia abſque neceſſitate prætendis, vt Deus ſe probet, & manifeſtet mediis extraordinariis, & à diuina prouidentia pro tunc alienis. Quia Deum prætendis tibi eſſe ſubiectum, eiuſque voluntatem tuæ conformari; cum potius te, tuamque voluntatem ei debeat ſubiectam habere. At ſi mediis ordinatis à diuina prouidentia velles, vt Deus ſuam ſcientiam, omnipotentiam, & bonitatem aliis manifeſtaret, & te inculpabiliter dubium de aliqua fidei veritate inſtrueret, non obinde tentare Deum dici poſſes, ſed potius rectam ad illum orationem fundere: quia tum voluntatem eius voluntati ſubiicis. Ex ſupra dicta doctrina intelligere potes, in quo ſita ſit malitia tentationis diuinæ voluntatis, quæ nullam infidelitatem continet: conſiſtit enim in debita, & præſumptiua inueſtigatione diuinæ voluntatis per media indebita, & eius prouidentiæ repugnantia.

6. Deinde conſtat duplicem eſſe Dei tentationem: aliam cum infidelitate coniunctam, aliam abſque infidelitate. Quæ cum infidelitate coniungitur, eſt omnium peſſima; quia procedit ex dubia fide, qualis Deus ſit, qualeſque perfectiones habeat. Quæ abſque infidelitate contingit, alia eſt formalis, & expreſſa; alia interpretatiua: formalis eſt, cum ex intentione formali, & expreſſa probandi aliis aliquam eius diuinam perfectionem præſumptiuè petis medium aliquod vanum, & extraordinarium. Item ſi id ipſum petas ex intentione, vt manifeſtetur, quid Deus in aliquo euentu facturus, ſit vel quid fecerit. Interpretatiua, & virtualis tentatio eſt, quando ex facto, ſeu petitio alicuius ſufficienter interpretatur quis velle de Deo, eiuſque perfectione, aut voluntate experientiam habere. Nam cum eius petitio, ſeu factum vt bene dicit D. Thom. *illa quæſt.97. artic.1.* ad nihil aliud deſeruire poſſit, niſi ad probandum Dei poteſtatem, & bonitatem, qui ſic petit, & agit, diuinam bonitatem, & poteſtatem probare interpretatur. Hoc autem contingit quoties relictis mediis à diuina prouidentia præordinatis, extraordinaria intentas, vt ſi intentes Deum in alicuius veritatis confirmationem miraculum aliquod abſque neceſſitate operari, ſi poſitus in infirmitate à medicamentis abſtineas, ſperans Deum te eſſe miraculosè curaturum, ſi te periculo vitæ exponas, ſperans ab eo eſſe miraculosè liberandum. In his enim prætendis effectum à Deo, qui ſolum deſeruit ad ius poteſtatem, vel bonitatem probandam. Ergo explorans ſaltem interpretatiuè, & virtualiter ipſam Dei bonitatem, & poteſtatem, ſemper tamen effectus ab ipſo Deo ſperandus eſt; alias non erit ipſius tentatio. Non enim tentat Deum, qui ſe præcipitem facit animo ſe occidendi: eſt enim homicida ſui, non Dei tentator: & in his omnes doctores conueniunt cum D. Thom. 2. 2. *quæſtion.97. artic.1. & ſeqq.* & ibi Caietan. *& in ſumm. verbo tentatio*, Valent. *diſp.6. quæſt.14. part.1.* Leſſius *lib. 2. cap.45. dub.1.* Suar. *tom.1. de relig. lib.1. de tentat. Dei cap.2. & 3.* Sanchez *lib.2. cap.34. n.1. & ſeqq.* Tolet. *lib.4. ſum. cap.19.* Bonacin. *diſput.3. de primo decalog. præc. q.9. punct. vnico.*

7. Quod ſi inquiras; an tentatio expreſſa, qua petis miraculoſum opus in probationem alicuius diuinæ excellentiæ differat ſpecie ab illa tentatione virtuali; quia petis à Deo per miraculum à periculo liberari. Reſpondeo differre ſpecie ſaltem in ordine ad confeſſionem: quia vna petitio procedit ex dubia fide, an talis excellentia in Deo exiſtat, alia procedit ex nimina fiducia in Deum, ob quam præſumis in tui fauorem miracula eſſe patraturum: vtraque tamen tentat Deum; quia vtraque explorat mediis indebitis aliquam diuinam excellentiam; aut eius amorem: ſic Suar. *cap.3. num.7.* & Sanch. *lib.2. cap.34. num.11.* Bonac. *diſp.3. de primo decal. præcepto. quæſt.9. partit. vnico in fine.*

8. Sed dubium eſt; an tentatio interpretatiua Dei abſque infidelitate contingens, peccatum eſſe poſſit veniale ex leuitate materiæ: (Nam de tentatione expreſſa cum infidelitate coniuncta omnes doctores negant.) De hac tamen interpretatiua affirmat Tolet. *lib.4. ſum. cap.19. num.7.* Sayrus *in claui. Regia, lib.4. t.7. num 14.* Valent. 2. 2. *diſp.6. quæſt.14. p.2.* nec diſſentit Leſſius *lib.2 cap.45. num.4.* Mouentur; quia ſi ex ſola curioſitate videndi aliquod opus mirabile peteres à Deo, vt illo comprobaret fidei veritate, non videris mortaliter peccare; quia talis petitio non videtur grauem deordinationem habere. Item ſi leui morbo oppreſſus nolles medicinis vti ſperando vanè ſalutem à Deo abſque miraculi petitione, non cenſeberis peccare mortaliter, ſed ſolum venialiter, vt ſentit Sanch. *lib.2. in decal. c.34. num.5. fine.* Ergo tentatio Dei quæ abſque infidelitate contingit ſæpè eſt peccatum veniale.

9. Nihilominus probabilius exiſtimo, ex leuitate materiæ nunquam tentationem Dei etiam interpretatiuam eſſe poſſe veniale peccatum: ſic docet Suar. *t.1. de Relig. tract.3. lib.1. c.1. n.16.* & ex parte conſentit Sanch. *num. præcedenti allegat.* tametſi in fine illius videatur contrarium ſentire. Probo. Tota malitia huius tentationis æquanimiter procedit in ſigno leui expoſtulato in liberationem leuis periculi, ac procedit in ſigno graui pro grauis periculi liberatione expoſtulatio: ſed cum graue ſignum pro liberatione grauis periculi debitè expoſtulatur, omnes docent peccatum mortale committi. Ergo etiam committitur, cum lene ſignum pro leui periculo expoſtulatur. Maiorem probo. Quia malitia huius vitij in eo ſita eſt, vt opus facias, quod ad nihil aliud vtile eſt, niſi ad probandam Dei bonitatem, & poteſtatem; ſed ad hanc probationem impertinens eſt eſſe opus graue, vel leue magnum, vel minimum, quodcunque enim illud ſit, ſi ex illo interpretaris diuinam potentiam examinare: tota malitia, & deordinatio tentationis in illo conſiſtit. Ergo. Adde: ſi tota malitia tentationis conſiſtit in eo, quòd diuina potentia videatur examinationi, & probationi ſubiici effectu ſperato. Quo effectus leuior ſit, eo maior videtur diuinæ potentiæ irrogari iniuria: ſi quidem ſigno viliori examinatur, & probatur. Deinde committens te leui periculo, & ſperans à Deo liberationem, vel illam ſperat medio aliquo naturali ſecundum ordinem à diuina prouidentia ſtatutum, & ſic non peccat, vel illam ſperat, mutatione aliqua cauſarum naturalium, aliarumque applicatione, quæ ſpectata ordinaria Dei prouidentia nullo modo erant applicandæ: Si hoc modo ſalutem ſperat, ſperat aliquid magnum: ſi quidem ſperat quoddam miraculum, mutationem ſcilicet cauſarum naturalium, & alterationem ſtatutæ prouidentiæ. Non ergo intelligi poteſt, quomodo ſignum ſperantem leue ſit. Neque exemplum quod adducit ſanctius intelligibile eſt. Non enim videtur poſſe ſperari vanè ſalutem à Deo, niſi ſperetur ex aliquo miraculo,

miracu[illegible], & alteratione prouidentiæ ſtatutæ. Denique expendamus finem qui in hac interpretatiua tentatione intercedere poteſt & ex illo colligemus ſatis eius malitiam. Finis namque vanus eſt, & illicitus; quia ſolum eſt vel tuæ curioſitati, vel temeritati ſatisfacere. Nam ſi abſque neceſſitate vis, vt Deus miraculo comprobet aliquam fidei veritatem, tacitè prætendis, vt Deus tuam vanam curioſitatem foueat, ſi te periculo vitæ exponis, ſperans à Deo miraculosè eſſe liberandum, tacitè vis tuam temeritatem à Deo foueri. Efficere ergo Deum authorem, & cooperatorem vanæ curioſitatis, vel temeritatis, etiam medio ſigno aliquo leuiſſimo, grauis irreuerentia eſt, & aliena multum à diuina maieſtate. Ergo non poteſt in hoc vitio dari leuitas materiæ. Et per hæc manet ſolutum contrarium fundamentum.

10. Ex hac doctrina infertur. Primò prohibitam eſſe probationem illam vulgarem ferri candentis, vel aquæ feruentis, quæ antiquitus erat in vſu ad explorandam veritatem aliquam, innocentiamque alicuius *cap. Memnam, cap. conſuluiſti, cap. Monomachiam 2. q. 5. cap. 1. & 2. de purgat. vulgari, cap. ex tuarum de purgat. canonica*: quia eſt probatio aliena ab ſtatuta prouidentia, cum per illam ſpectetur miraculoſus effectus à Deo non determinatus. Ex qua ratione fit, quamlibet probationem ſimilem, in qua miraculoſus effectus in probationem veritatis expectetur abſque manifeſta neceſſitate, eſſe omnino reprobatam: ſic D. Thom. 2. 2. *q. 95. art. 8. ad 3. & 3. p. q. 80. art. 6. ad 3.* Sayro *in claui Regia lib. 4. cap. 7. num. vlt.* Valent. 2. 2. *diſp. 6. q. 14. p. 1. coral. 4.* Suar. *t. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. c. 3. n. 8.* Leſſius *lib. 2. cap. 45. dub. 1. n. 3.* Sanch. *lib. 2. in decal. cap. 34. n. 12.* & colligitur ſatis ex ratione decidendi ſuprad. textus, eſſe ſcilicet talem probationem, tentationem Dei.

11. Neque obſtat, Deum ſæpè ſimilem purgationem miraculis confirmaſſe, vt variis exemplis compobat Martin. Delrio *lib. 4. de Magia, c. 4. q. 4. ſect. 3.* quia id fieri potuit tum ex ſpeciali Dei inſtinctu, tum ex quadam ſimplicitate, & ignorantia, tum vt innocentia alicuius manifeſtaretur: tametſi peccatum in tali probatione eſſet commiſſum. Eadem ratione non obſtat, quod mulier deprehenſa in adulterio aquis amaris purgabatur *n. 5.* quia iam illud medium à diuina prouidentia ad illum effectum erat illo tempore ordinatum; eaque de cauſa illo vtentes non prætendebant veritatem comprobare adulterinis mediis, ſed medio ab ipſo Deo ordinato: Ergo nulla eſſe poterat in illius vſu tentatio. Et idem eſt, quoties ex diuino inſtinctu, & ſpeciali reuelatione expoſtulas aliquem miraculoſum effectum; quia tunc petis à Deo, quod ipſe vult ſibi peti, non igitur tentas illum: De purgatione illa, ſeu probatione innocentiæ per Euchariſtiam, in qua dabatur Euchariſtia ſuſpectis de crimine, vt illa ſumpta ſe purgarent, cuius meminit Concilium Bonacienſe *c. 15.* & refertur *cap. ſæpè, & cap. vlt. 2. q. 5.* variè ſentiunt doctores, an per ſe illicita ſit? Affirmat D. Thom. 3. *p. q. 80. art. 6. ad 3.* Valent. 2. 2. *diſp. 6. q. 14. p. 1. in fine,* Sayrus *lib. 4. c. 7. num. vlt.* quia eſt tentatio Dei, dicuntque concilium illud vtpote prouinciale erraſſe, & per noua iura correctum eſſe. Alij, vt teſtatur Delrio *lib 4. c. 4. q. 3.* ſentiunt illam probationem non fuiſſe illicitam maximè authoritate iudicis Eccleſiaſtici; quia nulla inuenitur ibi tentatio Dei, cum non ſperetur ex ſumptione Euchariſtiæ effectus aliquis miraculoſus. Placet reſolutio Suar. *dicto lib. 1. de tentat. Dei cap. 3. in fine:* cui conſentit Sanch. *dicto cap. 34. n. 13.* nullibi ſpecialiter talem probationem eſſe prohibitam, niſi in quantum in generali prohibentur omnia peregrina iudicia: *in cap. ex tuarum, de purgat. canonica.* Neque illam eſſe propriè tentationem Dei, ſi ex ſumptione Euchariſtiæ effectus aliquis miraculoſus non ſperatur: potius enim videtur Euchariſtia dari quaſi in teſtimonium, & iuramentum innocentiæ: ſed neque hoc modo conueniens eſt fieri ob periculum indignæ ſumptionis, vt rectè dixit Suar. *loco allegato.*

12. Secundò infero, nemini licitum eſſe ſine ſpeciali Dei reuelatione offerre miraculum aliquod faciendum in probationem alicuius veritatis reuelatæ, & multo minus licet ſine hac reuelatione ſe combutendum committere ſperans à Deo eſſe miraculosè liberandum: quia fides his probationibus non indiget. Quando autem neceſſariæ ſunt, Deus abſque petitione illas concedit, vel inſpirat, vt petantur, ceſſante autem hac inſpiratione illicitum eſt ea miracula offerre. Adde non ſolum ea offerre, ſed etiam abſolutè petere illicitum eſt, quia petitur quod vanum eſt, & quod ſolum ad probandam diuinam potentiam deſeruit: ſic Suar. *tom. 1. de Religione, tract. 3. lib. 1. c. 12. n. 13. fine,* Sanch. *lib. 2. in decal c. 34. n. 10.* Quocirca cum aliqui doctores docent, poſſe à Deo miracula peti, & ſperari, quoties videntur neceſſaria, vel vtilia ad alicuius conuerſionem vti dixit Leſſius *lib. 2. de iuſtit. cap. 45. dub. 1. in fine n. 5.* Tolet. *lib. 4. ſum. c. 19. n. 8. & 9.* Bonac. *diſp. 3. q. 9. p. vn. n. 5. & 7. verum eſt.* At ego exiſtimo hanc neceſſitatem, vel vtilitatem ſine ſpeciali Dei reuelatione cognoſci non poſſe, taliter quod petitionem abſolutam honeſtet: quis enim ſcire poteſt petentem miraculum illo poſito conuertendum eſſe, quantumuis promittat, & non magis obdurandum, vt faciebant Phariſæi viſis Chriſti miraculis. Quapropter ſemper in huiuſmodi petitionibus ſubintelligenda eſt conditio, ſi ita Deo fuerit placitum, eiuſque gloriam ſpectauerit, vt rectè dicit Suar. *loco allegato.*

13. Tertiò infero, an ſit tentare Deum ſe martyrio offerre in confirmationem fidei; Et quidem ſi ex tali oblatione non ſperatur fides confirmanda, temeraria eſt talis oblatio, & omnino illicita. Non enim licitum eſt occaſionem præbere tyranno peccandi ita grauiter, niſi vrgente neceſſitate fidei exaltandæ, Sylueſt. verbo *martyrium n. vnic.* & Tradit D. Thom. 2. 2. *q. 124. art. 1. ad 3.* & *ibi* Caiet. Sanch. *lib. 2. c. 34. n. 15.* Quod autem in tali oblatione temeraria tentetur Deus affirmat Sâch. ibi cum Nauarr. *c. 11. n. 40.* Ludou. Lop. 1. *p. Inſtruct. conſcient. cap. 41. ad finem.* At hoc intelligendum eſt caſu quo ſe offerens ſperaret in martyrio Deum facturum eſſe miraculum aliquod in fidei confirmationem. Nam ſi hunc effectum miraculoſum non ſperat, ſed ſolum ſua morte fidem teſtari, ceſſat tentatio, & ſolum eſt vitium temeritatis.

14. Quartò infero qua ratione tentet Deum, qui nullâ ſui præparatione ad orandum accedit. Nam Eccleſiaſt. 18. dicitur: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum.* Ergo cenſetur Deum tentare qui ad orandum ſine præparatione accedit. Dicendum ergo eſt, in illo loco, ſi Ianſenio credendum eſt, ſermonem eſſe de voto, id eſt ante votum præparandum eſſe animum ad præſtandum quod vouendum eſt; ne ſimilis illis fias, qui tentant Deum; ſiquidem abſque voti impletione ſperas effectum voti conſequi. Quod ſi de oratione, vt vertit interpres, intelligatur, monemur ante orationem animum præparare tum cogitatione diuinæ maieſtatis, & noſtræ vilitatis, vt ſic debita cum reuerentia accedamus: Tum examinatione illorum quæ petenda ſunt, ne vana, & friuola poſtulemus. Tum depoſitione cuiuſlibet odij & rancoris in proximum. Qui ergo ſine his conditionibus ad orandum accedit, reputandus eſt quaſi homo qui tentat Deum; ſiquidem ſperat effectum conſequi ex oratione, quam Deus exaudire non promiſit quæ eſt ſpes inutilis. At vt benè aduertit Caietan 2. 2. *q. 97. art. 3. ad 2.* Sanch. *lib. 2. cap. 34. n. 6.* hunc ſi indebitè orantem propriè non eſſe tentatorem Dei: quia eius animus non eſt, vt Deus effectum concedat motus oratione indebitè facta; aliàs propriè tentaret Deum, ſed ſolum prætendit, vt Deus ex ſua liberalitate effectum concedat; tametſi illi oratio grata non ſit. At eſt ſimilis illi qui tentat Deum; quia ex modo orationis videtur velle à Deo exaudiri, & petitionem obtinere, ac ſi rectè oraſſet.

15. Idem dicendum eſt de eo, qui nullo ſtudio, aut præparatione facta officium prædicandi aſſumeret, ſi enim abſque neceſſitate, ſpecialique Dei inſtinctu, illud officium aſſumeret, ſperans à Deo miraculosè illuminari, peccaret grauiter; tum quia tentat Deum, tum quia periculo errandi ſe exponit: Bonac. *diſp. 3. de primo decal. præcepto q. 9. punct. vnic. num. 1.* Nauarr. *cap. 11. num. 40.* Sanch. *lib. 2. cap. 34. n. 16.* At ſi hunc miraculoſum effectum non ſperaret, ceſſaret tentationis peccatum, ſed non ceſſaret malitia indebitæ prædicationis.

PVNCTVM II.

De blaſphemia vitio Religioni oppoſito.

NOmen blaſphemiæ dupliciter ſumitur. Primò latè. Secundò ſtrictè. Si latè ſumatur comprehendit quamlibet irriſionem, & contumeliam cuiuſcunque perſonæ excellentis, ſiue Dei, ſiue creaturæ, vt tradit Budæus relatus ab Ambroſio Calepino verbo *blaſphemia*: ſicuti maledictio non ſolum comprehendit eam, quæ contra Deum, ſed etiam quæ contra creaturas verſatur: & in hoc ſenſu, ſcripſit Paul. *ad tit. 3.* admone illos neminem blaſphemare, id eſt neminem conuiciari, ſeu maledicere: vt tradit ibi Hieronym. Si autem blaſphemia ſtrictè ſumatur, vt communiter à Theologis, & à noſtris interpretibus ſumitur, ad Deum ſolum refertur: quia cum per blaſphemiam excellentiæ blaſphemati derogetur, & ſolus Deus, vt dixit Auguſt. *lib. 2. de morib. Manichæor. cap. 11.* ſit ſine controuerſia excellens, & de hominibus dubitari poſſit, an excellentiam habeant; meritò blaſphemia de Deo ſolo propriè, & in rigore intelligitur. Sed qua ratione hoc contingat, & quod peccatum ſit, & quibus pœnis afficiatur in ſequentibus explicandum eſt.

§. I.

Quid ſit Blaſphemia.

SVMMARIVM.

1 *Expenditur blaſphemia definitio.*

2 *An blaſphemia falſitatem contineat ? Arguitur pro & contra. Et reſoluitur quæſtionem eſſe de nomine.*
3 *Sitne de ratione blaſphemiæ effectus inhonorandi Deum ?*
4 *Contumelia in ſanctos blaſphemia eſt.*

1. BLaſphemiam definiuit Auguſtin. loco allegato eſſe mala verba de Deo dicere, hoc eſt contumelioſa : in hac definitione omnes doctores conueniunt, vt videre eſt in D. Thom. eiúſque interpretibus 2. 2. *q.* 13. Valen. Bann. Arag. ibi, Suar. *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 1. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. c.* 45. *dub.* 5. *n.* 24. Sanch. *lib.* 2. *in decalog. cap.* 32. *n.* 1. & 2. Bonac. *diſp.* 3. *de primo decalog. præcepto q.* 8. *p.* 1. Couar. *cap. quamuis pactum de Pactis*, §. 7. *n.* 8. Nauarr. *Man. cap.* 12. *n.* 81. Auguſt. Barboſ. 3. *p. de poteſt. Epiſcop. alleg.* 50. *à num.* 86. & alij apud ipſos.

Hæc contumelioſa verba corde, ore, & ſcriptura proferri poſſunt : quia omnibus iis modis poteſt contingere contumelioſa locutio ; ſicuti omnibus illis modis contingit Dei laus, & honoratio cui blaſphemia opponitur : Cum ergo laus diuina corde, ore, & ſcriptura fieri poſſit, eiſdem inſtrumentis blaſphemia poteſt committi : ſic D. Thom. *dicta quæſt.* 3. *artic.* 1. quem omnes ſequuntur, vt teſtatur Sanchez *ſupra, num.* 4.

Dixi blaſphemiam eſſe dictum contumelioſum, non factum : ſi enim factis Deum dehoneſtares, qualiter Iudæi fecerunt Chriſtum conſpuentes, flagellantes, irridentes, cum iniquis crucifigentes, non blaſphemiam, ſed ſacrilegium committeres ; quia de ratione blaſphemiæ eſt contumelia, conuicium, ſeu infamatio, quæ propriè verbis fit, non factis ; aliàs idololatria, aliqua vitia, quibus Deus inhonoratur, blaſphemæ eſſent, quod eſſet irreligioſitatis ſpecies confundere. Item blaſphemia directè opponitur diuinæ laudi, ſed laus verbis fit. Ergo blaſphemia verbis continetur : ſic Sanch. *dicto cap.* 32. *num.* 5. Suar. *cap.* 4. *num.* 5. & 6. Bonac. *quæſt.* 8. *p.* 1. *n.* 2. Leſſ. *dub.* 5. *n.* 24.

2. Sed an hoc dictum contumelioſum falſitatem debeat continere ad rationem blaſphemiæ ? Variant doctores. Affirmat D. Thom. 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *in corp.* & *ad* 3. & 1. & ibi Caietan. *verſ. quoad ſecundum.* Arag. *corol.* 3. Bannez *notab.* 2. Valen. *diſp.* 2. *q.* 13. *p.* 1. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 6. Simanc. *de catholic. inſtitut. tit.* 8. *num.* 2. Sanch. *lib.* 2. *c.* 32. *num.* 6. Ratio eſt ; quia blaſphemia opponitur fidei confeſſioni, vt tradit D. Thom. *dicto art.* 1. & *art.* 3. Sed quidquid fidei confeſſioni opponitur, falſum continet. Ergo blaſphemia falſum continere debet. Nihilominus Suar. *tom.* 1. *de Religione, tract.* 3. *lib.* 1. *c.* 4. *n.* 9. Azor. *tom.* 1. *inſtitut. moral. lib.* 9. *cap.* 28. *q.* 1. & 2. negant de ratione blaſphemiæ eſſe falſitatem, quia verbum in Deum prolatum ſufficienter in ratione blaſphemiæ completur, ſi contumelioſum ſit, ſed hoc eſſe poteſt, tametſi nullam falſitatem contineat, vt ſi Deo malum aliquod imprecetis, Chriſti membra irreuerenter proferas ; imprecatio enim illius mali ; & horum indecora prolatio nulla falſitatem continet, quia nihil falſum enuncias, & tamen ſunt blaſphemiæ. Ergo blaſphemia eſſe poteſt abſque falſitate. Dices duplicem eſſe falſitatem, aliam in actu ſignato, aliam in actu exercito. Supradictum enim argumentum conuincit ad blaſphemiam non requiri neceſſariò falſitatem in actu ſignato, & propriam ; quia hæc ſolum in propoſitione enunciatiua reperiri poteſt, quia hæc ſola eſt, quæ rem ſignat, & declarat, ſicuti eſt : At requiri in actu exercito falſitatem, hoc eſt, quæ ex modo prolationis falſum contineat : Quæ falſitas omni blaſphemiæ competit : Nam ſi Deo malum aliquod imprecetis, vt ſi dicas : Vtinam non eſſet iuſtus, nec beatus : iam id quod Deo competere non poteſt, imprecaris, & conſequenter aliquid falſum. Item ſi membra Chriſti Domini contumelioſè nomines, tali nominatione innuis contemptibilia eſſe : quod eſt apertè fallum : Ergo hanc falſitatem virtualem, & in actu exercito omnis blaſphemia continet.

Dicendum tamen eſt, quæſtionem ferè eſſe de nomine, ſiquidem omnes ferè doctores conueniunt blaſphemiam eſſe non ſolum verbum enuncians de Deo falſum, ſed etiam verbum enuncians verum, ſi contumelioſè dictum ſit. Quod autem quia in actu exercito tale verbum Deum contemnit, & per ipſum indicatur Deum eſſe contemptibilem, debeat dici falſitatem continere, videtur quæſtio de nomine. Fateor tamen nimis impropriè ob eam cauſam blaſphemiæ falſitatem attribui : aliàs etiam odio Dei falſitas tribuenda eſſet ; quia appetit id quod Deo nequaquam conuenire poteſt. Cenſeo ergo de ratione blaſphemiæ non eſſe falſitatem, ſed contumeliam, quæ quomodocunque verbis contingat, blaſphemia eſt.

Neque obſtat blaſphemiam opponi fidei confeſſioni ; quia dici poteſt hoc intelligendum eſſe blaſphemia præcipua, qualis eſt, quæ per verba aliquid falſum de Deo enunciantia profertur. Secus de blaſphemiis, quæ per verba veritatem continentia, irreuerenter tamen prolata ſunt, vel de blaſphemiis, quibus aliquod malum optatur Deo vel imprecatur ; quia hæc fidei confeſſioni non opponuntur ; ſi quidem non opponuntur priuatiuè : non enim priuant confeſſione fidei tunc vrgente ; neque etiam opponuntur contrariè ; quia illis fides non denegatur. Ergo non omnis blaſphemia fidei confeſſioni opponitur : ſic Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *quæſt.* 1. vel dici poteſt blaſphemiam opponi fidei confeſſioni, non cuicunque, ſed illi quæ fit per laudem, & orationem, quod eſt dicere opponi laudi, & orationi : ſic Bannez 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *notab.* 3. Valent. *diſp.* 1. *q.* 13. *p.* 2. Sanch. *lib.* 2. *in decalog. cap.* 32. *num.* 7.

3. Rurſus dubitari poteſt ; an de ratione blaſphemiæ ſit affectus inhonorandi Deum ; Et ratio dubitandi eſt ; quæ hæreſis exterius prolata, in qua aliquid falſum de Deo enunciatur, deficit à ratione blaſphemiæ, quia non profertur ex animo inhonorandi Deum : aliàs omnis exterior negatio fidei eſſet blaſphemia, & blaſphemia ab infidelitate non diſtingueretur. Ergo hic animus neceſſarius eſt ad blaſphemiam. E contra verò ſi ex aliquo odio, ira, aut furore verba contumelioſa in Deum proferas abſque expreſſa voluntate inhonorandi Deum, ſed potius ſatisfaciendi tuo furori, blaphemiam committis. Ergo de ratione blaſphemiæ non eſt voluntas expreſſa Deum inhonorandi. Hoc argumentum me conuincit. Quapropter exiſtimo ad blaſphemiam non requiri expreſſam voluntatem Deum inhonorandi, ſufficit ſi in actu exercito inhonoretur : ſic Suar. *tom.* 1. *de Religione, tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 8. Sanch. alios referens *lib.* 2. *in decalog. cap.* 32. *num.* 3. Valent. 2. 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 13. *p.* 1. *notab.* 2. Sicut enim infamare hominem potes abſque expreſſa voluntate infamandi ex eo quod verba de illo contumelioſa dicas : ita ſimiliter conuiciari Deum potes, ipſumque blaſphemare, quin expreſſam voluntatem infamandi habeas. Neque obſtat ratio dubitandi. Nego namque hæreſim verbis prolatam à ratione blaſphemiæ deficere ex defectu expreſſæ voluntatis Deum inhonorandi, ſed dico veram eſſe blaſphemiam tametſi ex hac expreſſa voluntate nõn procedat, neque obinde ſit blaſphemiam ab hæreſi non diſtingui : diſtinguitur namque ab hæreſi : quia ſæpè eſt blaſphemia ſine hæreſi, vt contingit in blaſphemia imprecante Deo aliquod malum, vel irreuerenter Chriſti membra nominante. Sæpè etiam eſt hæreſis abſque blaſphemia, videlicet cum opinionem falſam, quam de Deo habes, interius retines, vel ſolum factis manifeſtas. Quocirca ſolum de hæreſi verbis prolata poteſt eſſe dubitatio ; an blaſphemia ab illa hæreſi diſtinguatur. Et affirmo diſtingui ; quia poterat totam malitiam blaſphemiæ habere, quin ex animo infideli talis negatio procederet : ex eo enim quod verbis exterius neges de Deo aliquam perfectionem, vel illi tribuas, quod ei non conuenit ; blaſphemiam committis, tametſi non committas, hæreſim. Ergo blaſphemia hæc ab hæreſi diſtinguitur Adde aliud eſſe de Deo falſam opinionem habere, aliud illam falſam opinionem loqui, & publicare. Hæreſis ergo in opinione falſa conſiſtit, blaſphemia in locutione, & manifeſtatione huius opinionis. Neque hæc diſtinctio tollit, quominus talis negatio, ſeu hæreſis verbis prolata, etiam abſque interiori infidelitate duplicem habeat malitiam ; aliam oppoſitam fidei, ex qua quiſque obligatus eſt nihil ei contrarium etiam exterius facere : aliam oppoſitam Religioni, ex qua obligatus eſt nihil de Deo contumelioſum dicere.

4. Tandem dixi dictum blaſphemiam conſtituens eſſe contumelioſum in Deum : quod videtur difficultatem habere : ſi quidem verbum contumelioſum in ſanctos blaſphemia eſt : vt dicitur, *cap.* 1. *de Maledicis*, & tradit D. Thom. receptus ab omnibus 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *ad* 2. Pro cuius intelligentia ſuppono ſanctos duplici titulo honorari poſſe, & quatenus aliquid Dei ſunt v. g. eius amici, & familiares, vel quatenus aliquas excellentias, & perfectiones habent, ob quas digni ſunt ſpeciali honore abſque ſupradicto expreſſo reſpectu ad Deum. Si hoc ſecundo modo colantur, non latriâ, ſed duliâ coluntur. Ita ergo poteſt quis illos dehoneſtare. Si dehoneſtet, quatenus ſunt aliquid Dei, blaſphemus erit, quia Deum ipſum cenſetur dehoneſtare : at ſit illos dehoneſtet, eorum excellentias, & perfectiones attendens non videtur blaſphemus eſſe propriè, ſed impropriè, tametſi grauiſſimè peccet : Sic Valent. 2. 2. *diſp.* 1. *q.* 13. *p.* 2. Vaſq. *lib.* 1. *de adorat. diſp.* 6. *cap.* 4. Sanch *lib.* 2. *in decal. cap.* 32. *n.* 7. & 27. Dices : talis dehoneſtatio ſanctorum cedit in opprobrium Dei. Ergo virtualiter Deum inhonorat, qui ſanctos ob eorum excellentias dehoneſtat. Reſpondeo cedere indirectè, & remotè in opprobrium Dei, quod ad blaſphemiam oppoſitam Religioni non videtur ſufficere ; ſicuti non ſufficit, quod laus ſanctorum ob eorum excellentiam cedat in honorem Dei, quominus talis laus non ad Religionem, ſed ad duliam pertineat.

§. II. Quale

§. II.

Quale peccatum Blasphemia sit.

SVMMARIVM.

1 *Est peccatum Religioni oppositum, & ex suo genere mortale, nec videtur posse ex leuitate materiæ veniale esse.*
2 *Est ab odio Dei, desperatione, & infidelitate distinctum, esse sæpè illis coniungatur.*
3 *Omnes blasphemiæ in Deum prolatæ videntur eiusdem esse speciei.*
4 *Differre tamen à blasphemiis in sanctos prolatis absque ordine expresso ad Deum.*
5 *Qualiter in confessione diuersitas blasphemiarum explicanda sit.*
6 *Si blasphemia procedit ex affectu expresso inhonorandi Deum, debet in confessione manifestari.*

1. REspondeo blasphemiam est peccatum Religioni oppositum: quia Religio diuinum honorem tuetur, quem blasphemus verbis offendit: Sic Doctores communiter. Neque obstat D. Thom. dixisse opponi confessioni fidei; quia intellexit opponi confessioni fidei latè sumptæ, provt comprehendit Dei laudem, & honorem.

Item est peccatum ex genere suo mortale, neque videtur ex leuitate materiæ esse posse veniale: quia nulla respectu Dei videtur dari posse leuis contumelia: sic Valen. 2.2. *quæst.* 13. *p.*1. *notab.*3. Bannez *artic.*2. Suar. *t.*1. *de Relig. tractat.*3. *lib.* 1. *cap.*6. *num.*2. Sanch. *lib.*2. *cap* 31. *num.*40. Bonac. *disp.*3. *de primo decal. præcepto q.*8. *p.*3. Hoc autem intelligendum est de vera blasphemia: nam si relatiuè tantum verba blasphemiæ proferres, non detrahit diuinum honorem, sed refers modum, quo detrahitur, Suarez *loco allegato.* Quod si verba blasphemiæ ex leuitate animi ioco proferas, existimat Suar. *ibi*, peccatum non esse mortale, sed esse veniale cuiusdam leuitatis, & irreuerentiæ, non blasphemiæ; quia ad rationem blasphemiæ requiritur, vt proferatur per modum conuicij aut maledictionis in Deum, & consentit Valent. 2.2. *disp.*1. *q.* 13. *p.*2. *corol.*2. Cæterum optimè distinguit Sanchez *lib.*2. *cap.*32. *n.*2. *circa finem, & n.*40. & 41. Si enim iocosus modus dicendi non tollit irreuerentiam Deo factam, sed potius censetur quis diuino honori derogare, tametsi ioco illa verba proferat, sine dubio blasphemiam committit, & peccatum mortale. Secus verò, si iocus impediat diuini honoris diminutionem quæ ex illis verbis blasphemis per se infertur. Ratio tamen, vel numquam existimo ex ioco blasphemiam excusari, quia licet excusetur intentio expressa inhonorandi Deum, non tamen excusatur inhonoratio, quæ ex verbis sequitur. Quis enim negare potest grauem deordinationem esse assumere verba blasphema ad iocum, & ludibrium? Neque enim Deus etiam per iocum dehonestandus est: per iocum enim Iudæi Christum conspuebant, & blasphemabant, neque obinde à peccato gratissimo fuerunt excusati.

2. Vlterius est peccatum ab odio Dei, desperatione, & infidelitate distinctum, tametsi sæpè cum his coniungatur: esse distinctum constat; quia ad rationem blasphemiæ non est necesse, vt intentionem habeas formalem Deo inferendi malum, quà malum illi est, in quo peccatum odij consistit. Neque item est necesse te de diuina misericordia desperare. Neque item opus est de fide dessentire: sed eo ipso, quo verba blasphema vsurpas, aduertens illis detrahi diuino honori, blasphemiæ peccatum committis. Ergo hoc peccatum ab odio, desperatione, & infidelitate distinctum est. Verum sæpè (vt dixi) cum illis coniunguntur, quia ex illis nascitur. Sic Suar. *dicto lib.*1. *de blasphemia, cap.* 6. *num.*8. & 9. Bonac. *disp.*3. *de primo decal. præcepto q.*8 *p.*3 *n.*1. Lessius *lib.*2. *c.*45. *dub.*5. *num.*33. Sanch. *lib.*2. *cap.*32. *n.*38. Ex quo manifestè infertur, in confessione explicandum esse, an blasphemaueris ex odio, desperatione, infidelitate, vel alia arreptus passione: sic Doctores suprà relati.

3. Sed dubium est; an omnes blasphemiæ in ratione blasphemiæ sint eiusdem speciei? v. gratia. An blasphemia, qua de Deo perfectionem negas, vel qua illi tribuis quod non debes, vel qua malum illi imprecaris, vel indecorè nominas, conueniant specie? Respondeo satis probabile esse conuenire, si solùm malitia blasphemiæ consideretur: Sic docet Caietan. 2. 2. *q.*13. *art.*1. vers. *quoad secundum*, Bannez *ibi notab. vlt.* Arag. *fine*, Valen. *disp.*1. *q.*13. *p.*1. vers. *quocunque igitur*, Azor. *t.*1. *instit. moral. lib.*9. *cap.*28. *q.*10. Sanch. *lib.*2. *cap.*31. *num.*38. Lessius *lib.*2. *cap.*45. *dub.*5. *n* 32. Bonac. *disput.*3. *de primo decal. præcept. q.*8. *p.*4. Ratio est; quia tota malitia blasphemiæ sistit in diminutione diuini honoris, quoad autem his vel illis verbis contingat, materiale esse videtur, & ad rationem formalem blasphemiæ per accidens; sicuti inter homines contingere videtur in quos si varia contumeliosa verba proferas; omnia illa eiusdem speciei sunt, vt placet Azor. *suprà q.*15. & Eman. Sà verbo *contumelia in edit. Roman. n.* 1. Et à simili ex iuramento, & infidelitate confirmari potest, quæque quia eadem rectitudine priuant, eiusdem sunt speciei, tametsi materiales actus diuersi multum sint.

4. Maior autem est difficultas de blasphemia in Deum prolata & prolata in sanctos; an in illis diuersitas specifica reperiatur; Negant Caietan. Bannez, Aragon Valen. Sanch. & Bonac. *locis allegatis.* Et probari potest, quia iuramentum, factum per Deos, vel per sanctos non differt specie, ergo neque blasphemia. Nihilominus dicendum censeo, si sanctos blasphemes absque respectu, & ordine expresso ad Deum (vt communiter contingit) illam inhonorationem specie differre à blasphemia in Deum directè prolata, vel in sanctos, quatenus aliquid Dei sunt: quia illa inhonoratio opponitur duliæ, non latriæ; quia destruit directè honorem debitum sanctis, non debitum Deo, sed dulia est cultus diuersus à latria. Ergo & hæ inhonorationes: sic tradit Suar. *to.*1. *de Relig. tract.*3. *lib.*1. *c.*5. *n.*6. *& cap.*6. *in fine.* Lessius *lib.*2. *c.* 45. *dub.*5. *n.*33. *in fine.* Neque obstat argumentum de iuramento: quia per sanctos vt à Deo distinctos iurari non potest; quia non sunt testes infallibiles veritatis: at benè possunt honorari cultu duliæ: & consequenter dehonestari.

5. Hinc constat, an in confessione diuersitas blasphemiarum explicanda sit. Et quidem si sustineas opinionem illorum, qui affirmant circumstantias aggrauantes necessariò explicandas non esse, sed solùm mutantes speciem, & insuper defendamus omnes blasphemias tam in Deum, quam in sanctos eiusdem esse speciei, non eris obligatus illas distinguere. Cæterum quia multo probabilius est contumeliam in sanctos prolatam specialem malitiam habere duliæ oppositam, eo quòd sanctus dignus honore dehonestetur, siue illa dehonestatio blasphemia coniuncta sit, vt placet Soar. & Sanch. siue non: ideo existimo etiam posita illa sententia quod solùm circumstantiæ mutantes speciem debeant necessariò manifestari in confessione, te obligatum esse hanc diuersitatem inhonorationis aperire. Sic Lessius *dicto dub.*5. *numer.*33. *circa finem* Suar. *dicto cap.*6. *in fine*, Sanchez *numer.*39. Reliquas verò blasphemias in Deum prolatas sustineri potest posita illa sententia, opus non esse distinguere, eo quod eiusdem speciei sint, neque in ratione blasphemiæ videntur notabiliter iudicium confessoris mutare.

6. Vnum tamen censeo, esse omnino aduertendum, si blasphemia procedat ex voluntate expressa inhonorandi Deum, debere in confessione manifestari: nam licet tacitum, & expressum idem iuris sit, & ad eandem speciem pertineat: & in omni blasphemia tacitè imbibatur hæc voluntas derogandi diuino honori: at si ipsa voluntas in ipsamet blasphemia imbibita exprimatur, peccatum est distinctum saltem numero ab ipsamet blasphemiæ prolatione, quod absque illa voluntate esse poterat. Ergo obligatus es illud manifestare: Sic Lessius *lib.*2. *c.*45. *dub.*5. *n.*33.

§. III.

Quotuplex blasphemia sit, & quibus modis contingat.

SVMMARIVM.

1 *Diuiditur blasphemia in Deum, & sanctos, in hæreticalem & non hæreticalem.*
2 *Expenduntur hæreticales blasphemiæ.*
3 *Renego Deum, si ita non est, blasphemia est hæreticalis.*
4 *Creatam veritatem certitudini diuinæ comparari fieri potest absque blasphemia.*
5 *Renegatio sanctorum blasphemia hæreticalis est.*
6 *Blasphemiæ non hæreticales expenduntur specialiter, quibus Deo, & sanctis eius malum aliquod imprecatur.*
7 *Expenduntur ea, quibus indecorè, & inhonestè Deus nominatur.*
8 *Iuramentum per intemeratam Virginem non est blasphemum.*
9 *Quid dicendum de iuramento iniusto, & falso?*

1. PRimò diuidi poterat blasphemia in Deum, & in sanctos; de qua diuisione, & qua ratione distinguantur satis superque dictum est. Secundò, & principaliter diuiditur blasphemia in hæreticalem, & non hæreticalem. Hæreticalis est, quæ expressè hæresim continet, non hæreticalis, quæ non continet. Hæresim continet blasphemia, quæ Deo tribuit, quæ eius maiestati non competunt, vel negat quæ competunt, & maximè si ea creaturæ tribuit; quia tribuendo creaturæ ne-

gat eſſe propria Dei. Hæ ergo blaſphemiæ neceſſariò debent proferri modo indicatiuo; quia ipſum ſolùm eſt, quod veritatem, vel falſitatem profert. Neque neceſſe eſt ad hanc hæreticalem blaſphemiam, vt procedat ex animo infideli. Nam eſto animus fidelis ſit, poteſt blaſphemia hæreticalis committi; eo quod verba ipſa infidelitatem denotant. In foro tamen externo tunc præſumi poterit ex animo procedere, & verè hæreticum eſſe blaſphemantem, quando ſeriò, & appenſatè blaſphemam hæreticalem protulit. Secus ſi ex rixa, & calore iracundiæ vel alia paſſione motus. quamuis in hoc prudentis arbitrio relinquendum exiſtimat Farinac. *lib.1.prax.q.20.n.38.* Blaſphemia hæreſim non continens, eſt, quæ Deo aliquod malum imprecatur, vel illum indecore nominat, & generaliter quæ nihil contrarium fidei per ſe ſignificat: ſic tradunt doctores.

Verùm vt clarius hæc doctrina eluceat, expendamus modos, quibus communiter homines iniqui Deum, & ſanctos blaſphemare ſolent: & in quibus eſt aliqua difficultas.

2. Et primo expendamus hæreticales blaſphemias, vtpotè magis notas, & grauiotis malitiæ. Certum eſt diabolicam blaſphemiam, & hæreticalem eſſe vocare Deum impium, iniuſtum, crudelem, inuidum, mendacem, quia tribuis Deo quod ab illo alienum eſt. Item ſi neges ſuum eſſe, vel aliquam illius perfectionem, vt ſcientiam, & prouidentiam, rerum veritatem in dicendo, iuſtitiam in præmio, hominibus concedendo, & pœnis infligendis. Item ſi creaturæ, quod eſt proprium Dei attribuas, vt ſi voces omnipotentem, ſummè ſapientem, ſummè pulchram, qualiter ſolent laſciui vocare puellas, quas immodicè amant, & idololatræ idolum adoratum. Ex quo fit blaſphemiam hæreticalem eſſe, renego Deum, Chriſtum; quia denegas Deo exiſtentiam, ipſumque de medio tollis. Item eſt blaſphemia hæreticalis: Denego crucem, ſacramenta, Chriſma, Euangelia, vel aliam fidei veritatem: quia denegas Deo veritatem infallibilem, quæ in iis qualiter ab Eccleſia propoſita ſunt relucet. Ad idem eſt, per falſos Deos, aut per creaturas ſiſtendo in ipſis iures; quia infallibilem veritatem Dei propriam, creaturæ tribuis: committis ergo hæreticalem blaſphemiam, & in iis omnes doctores conueniunt.

3. Solùm in triplici propoſitione eſt aliqua difficultas; an ſint hæreticales blaſphemiæ? prima ſi deneges Deum, crucem, Euangelia, non abſolutè, ſed conditionatè, qualiter contingit, cum hæc verba vſurpas ad alicuius veritatis teſtificationem, dicens, renego Deum, ſi ita non eſt; videris enim hæreticus blaſphemus non eſſe; quia ratione blaſphemiæ hæreticalis eſt, expreſſa ſignificatio falſi: ſed ex vi talis proportionis falſum non ſignificas; non enim dicis Deum non eſſe, ſed offers te dicturum caſu quo aſſertum aliter contingat. Ergo non blaſphemas ſaltem hæreticaliter, ſed offers blaſphemare: & ita tradit Salazar. *de vſu, & conſuetud. c.5. n.28.* verſ. *vnde poſſunt.*

Cæterum exiſtimo veram blaſphemiam hæreticalem committi; quia non de futuro offers negare Deum, ſed de præſenti negas, caſu quo aliter ſe res habeat, quam affirmas: conditio enim non apponitur ex parte negationis, ſed ex parte rei affirmatæ. Negare autem Deum exiſtere etiam ſub conditione cuiuſque obiecti eſt negare, quod Deo eſt proprium, ſcilicet exiſtentiam à quolibet obiecto creato independentem. Ergo qui ſic loquitur, hæreticaliter blaſphemat. Atque ita docent Rojas *de haretic.2.p.aſſert 12.num.173.& 174.* Couaruu. *de Pact.1.p.§.7.num.9.verſ.2.* Azebeb. *lib.8.recopil.tit.4.leg.1.n.14.* Sanch. alios referens, *lib.2.in decal.c.32.n.24.* Leſſius *lib.2. de iuſtit.c.45.dub.5 n.27.*

4. Secunda propoſitio eſt, cum creata veritas, & certitudo diuinæ comparatur, vt ſi dicas, hoc eſt verum ſicut Deus eſt in cœlo, vel natus ex Virgine, credi hoc poteſt ſicut Euangelium. Eſſe inquam hæc blaſphema affirmat Couarruu. *de Pact.1.p.§.7. num.9. verſ.12.* Suar. *lib.1.de blaſphemia cap.6. num.12.* Auguſt. Barboſa, *3.p. de poteſt. Epiſcop. alleg.50. num.92.* quia illa comparatio diuinæ veritatis adducitur ad firmandum veritatem obiecti creati: hæc autem firmari intenditur æquando veritatem obiecti creati cum diuina. Ergo committitur blaſphemia non qualiſcunque, ſed hæreticalis, quæ in eo ſita eſt, vt creaturæ tribuatur quod, creatoris eſt proprium. At vt *ipſemet Suar.* aduertit, multum pendet horum verborum malitia ex intentione proferentis: ſi enim proferens æqualem cum Deo certitudinem, & infallibilitatem vellet obiectis creatis tribuere, ſine dubio blaſphemus hæreticalis eſſet: at ſi non æqualem certitudinem eis tribuere intendit, ſed ſimilitudinariam, non erit blaſphemus: & ita tradit Medina *lib.1.ſum.cap.14.§.2.* Alcozer *ſum.cap.15.* Ludouic. Lop. *1.p. inſtruct. cap.282. verſ.tertio.* Azor. *1.p. inſtit. moral. lib.11.cap.3.q.2. in fine,* Sanchez aliis relatis *lib.2. in decalog.cap.32. num.31.* Bonacina *diſp.3.de primo decal.præcepto q.8. p.2. num.13. fine.* Imò addo cum Alcozer. Ludouic. Lop. Sanch. (neque Suarez diſſentit) tarò proferentem habere intentionem adæquandi infallibilitatem, & certitudinem diuinæ veritatis cum creata, ſed ſolùm velle illi aliquam ſimilitudinem concedere, vſurpatéque diuinam veritatem ad hyperbolicam locutionem, & exaggerationem, non ad æqualitatem. Quo poſito optimè infert Sanchez, neque blaſphema hæc verba eſſe, neque culpam lethalem committere illa vſurpantem, dum non conſtat de blaſphemo animo æquiparandi omnino.

5. Tertia propoſitio hæreticalis aſſignari poterat, in qua de ſanctis, qui ſunt in cœlo regnantes negatur, vt ſi dicere renego D. Petrum, Franciſcum, &c. de his negat Sanchez *lib.2.in decal.cap.32.n.36.* eſſe blaſphemias hæreticales, tametſi blaſphemiæ ſint, vtpotè contumeliam ſanctis inferentes. Probat; quia non negatur de ſanctis aliqua veritas pertinens ad fidem, ideóque inquiſitores de illis non cognoſcunt. Cæterum probabilius crederem eſſe hæreticalem blaſphemiam, maximè ſi negatio eſſet de D. Petro, aliiſque Apoſtolis, & ſanctis, de quibus per ſacram ſcripturam conſtat ſanctos eſſe, & cum Chriſto regnare. Quia hos denegans, denegat eſſe, eſſéque beatos, ſed hoc eſt negare quandam fidei veritatem, cum de fide ſit D. Petrum, v. g. exiſtere, exiſtéreque beatum. Item tacitè negat Eccleſiæ propoſitionem eſſe infallibilem. Neque obſtat Inquiſitores de his blaſphemiis non cognoſcere, quia id facere poſſunt, eo quod fortè illis exploratum non ſit hæreticales eſſe,

6. Blaſphemiæ non hæreticales ad duo genera reducuntur; primum eſt, in quo aliquid malum Deo, vel ſanctis eius imprecatur. Secundum, in quo indecorè, & inhoneſtè aliquid ipſius nominatur. Ex primo capite ſunt blaſphemiæ. Tædeat Deum, Deum pœniteat, ſit maledictus. Non enim flagellum appropinquare eius tabernaculo poteſt, atque à Deo grauiſſima blaſphemia eſt ea illi optare, & imprecari: ſic Couarruu. *de Pact.1.p. §.7 .num.8.& 9.* Azor. *lib.9. cap.28.q.4. & lib.11. cap.3.q.2.* Sanchez *lib.2. in decal. cap.32. n.12.13.& 17.* Suarez *lib.1. cap.4.n.7.* Ad idem eſt, ſi dicas, ſiue Deus velit, ſiue nolit, hoc ſum facturus, quod vulgo dicitur, *aunque lo peſe a Dios eſto ha de ſe*, derogas enim eius potentiæ ſaltem ex modo dicendi: ſic Suarez *cap.5.n.8.* Tolet. *lib.4.cap.13.n.6.* Sanch. pluribus relatis, *n.15. & 18.* Ad idem caput pertinet iurare per vitam Dei, quia eſt iuramentum execratorium, ſicut cum iuras per vitam patris, facitque hunc ſenſum, pereat Dei vita, illámque vltioni, & vindictæ aſtringo, ſi res ita non ſit, quid ergo magis blaſphemum eſſe poteſt, quam vitam Dei tum defectioni, tum vltioni exponere? Atque ita hoc iuramentum blaſphemum eſſe docet Suar. *t.1.de Relig.tr.3. lib.1. c.5.n.8.* Couarruu. *de Pactis 1.p.§.7.n.9. verſ. ſexto,* Menoch. *lib.2.de arbitrar.cap.375. num.12.* Sanch. *cap.32.n.25.* Azor. *lib.11.cap.7.q.2.* Bonac. *diſp.3.de primo decalog.præcepto q.8. p.2. in princip.* & alij communiter. Idem eſt ſi iures per ſanctorum vitam; quia denotas ſanctos illam amittere poſſe: ſic aliis relatis Sanch. & Bonac. *ſupra.* Non tamen caret probabilitate hæc iuramenta per vitam Dei, & ſanctorum non eſſe blaſphema; quia non caret probabilitate non eſſe iuramenta execratoria, ſed aſſertiora ſimpliciter, ſicut ſi diceret, viuit Deus, viuit D. Petrus, adducis enim Deum viuentem, & reſplendentem in vita ſua, & D. Petri in teſtem: atque ita non eſſe blaſphema defendit latè Decian. *2.t. crimin. lib.2. cap.2.n.13.*

De illis verbis, *poſia tal, reniego de tal, por vida de tal, mal aya,* &c. abſque expreſſione Dei, vel ſanctorum dicit Sanch. aliis relatis *n.23.* pendere ex intentione proferentis: & in foro externo ex circumſtantiis eſſe colligendum: crederem tamen præſumi debere non eſſe ex animo blaſphemandi prolata. Nam illamet continentia, & ſuppreſſio nominis Dei, & ſanctorum indicat nolle talia verba de Deo intelligi. Item in caſu dubio non eſt facienda interpretatio inferens delictum, ſed potius ab illo excuſans. Solùm de maledictione creaturarum poteſt dubitari; an ſint blaſphemiæ, quia videtur Deus ipſe in illis maledici? Et quidem ſi quatenus creaturæ ſunt maledicerentur exiſtimo certum; quia tunc maledictio in creatorem refunditur: Sic cum D. Thom. *2.2. q.76. art.2.* notauit. Sanch. *dicto cap.32. num.14.* Tolet. *lib.4.ſumm. cap.13. num.11.* Leſſius *lib.2. cap.45. dub.5. n.29.* Bonac. *diſp.3. de primo decal. præcepto, q.8.p.2.n.5.* At ſi creaturæ ſiue rationales, ſiue irrationales ſine reſpectu ad Deum maledicantur, blaſphemia non eſſet, imo neque eſt peccatum mortale, ſed veniale tantum, ſi abſit iniuria alterius, vel abſque animo fiat. Leſſ. *loco allegato*: vbi addit nullum eſſe peccatum, ſi creaturæ maledicantur, quatenus nobis occaſio fuerunt peccandi vel alicuius grauis calamitatis; quia tunc videtur maledictionem illis infligi quaſi in pœnam, & ſatisfactionem damni dati: Item quia non tam ipſæ creaturæ, quam occaſio peccati, vel calamitatis maledicitur: Dixi: quando creaturæ ſunt cauſæ alicuius graui moleſtiæ, ob leuem enim moleſtiam non licet ſic maledicere; aliàs multi maledicentes animalia, ventos, pluuias à peccato excuſarentur: quod non eſt dicendum; tametſi regulariter ſolùm peccatum veniale committant; quia ſi animalia alia ſunt, abeſt animus, vt talis maledictio

executio

executioni mandetur, Leſſius *dict. capite 45. dub. 5. numer. 30.*

7. In ſecundo genere blaſphemiarum ponuntur ea, quæ indecorè, & inhoneſtè Deum nominant: ſi enim per modum irriſionis, & conuicij Deum voces ſapientem, & iuſtum, blaſphemiam committis. Et idem eſt, ſi quaſcunque res ſacras irriſoriè tractes, cum enim omnia hæc ſumma laude digna ſint, ſi loco laudis irriſionem facias, blaſphemus eris: ſic notauit Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 32. num. 21. & 22.* Ad hoc genus reducitur iuramentum per pudenda Chriſti Domini, & ſanctorum; quia ex modo iurandi intendit ſic iurans contemptibilem, & deſpicabilem Chriſtum Dominum facere ob illas partes, cum tamen ob illas, vtpotè naturales contemni non debeat: ſic Nauarr. *cap. 12. num. 85.* Azor. *tom. 1. inſtit. moral. lib. 9. c. 28. quæſt. 3. & lib. 11. cap. 3. quæſt. 2.* Suarez *t. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 4 n. 8. & 9.* Valen. 2. 2. *q. 13. p. 1.* verſ. *item poteſt.* Farinac. *lib. prax. q. 10. num. 21.* Sanch. *lib. 2. cap. 32. n. 28.* Nominare autem, vel iurare per membra Chriſti honeſta, ſcilicet per eius caput, corpus, & ſanguinem, blaſphemia erit, ſi per modum contemptus proferatur eáque de cauſa *lex. 6. tit. 4. lib. 8. noua compilat.* mandat ſic iurantem pœnis blaſphemi plecti. At ſi non per modum vituperij, & conuicij ſed magnam veritatis exaggerationem hæc verba vſurpentur, blaſphema non erunt, & fortè culpa carebunt: quia neque in ſubſtantia, neque in modo dicendi Deo ignominioſa ſunt: ſic Sylueſt. verbo *iuramentum 2. fine.* Valen. 2. 2. *diſp. 6. q. 7. p. 3.* verſ. *ſi verò, cap. 13. num. 3. ad finem,* Bonac. *diſput. 3. de primo decal. præcepto q. 8. p. 2. num. 4.* Ex quo fit non eſſe blaſphemiam, ſi ex ira in aliquem dicas: Corpus Dei cum tali homine, Vulgo, *Cuerpo de Dios con tal hombre,* quia verba illa vera ſunt, & modus dicendi non videtur Deo contumelioſus: ſolùm enim ſignificas te velle, vt corpus Dei illum hominem puniat, & male factum vindicet. Secus verò eſſet dicendum, ſi ex ira & paſſione in Deum talia verba proferres; quia ſumma eſſet blaſphemia aduersùs Deum irasci. Sic Valeat. *2. 2. q. 13. part. 1. verſ. ſed tamen illud.* Sanch. *lib. 2. c. 32. n. 30.* Bonac. *p. 2. n. 4* Nauarr. *cap. 12. n. 85. & alij.* Video tamen plures, grauiſſimoſque Doctores apud Farinac. *lib. 1. prax. q. 20. n. 18.* quos ipſe ſequitur affirmare blaſphema eſſe illa iuramenta per Corpus Dei, per eius ſanguinem, per caput, per capillos, per pedes, &c. Quia denotatur Deum in ſua diuinitate hæc membra habere. Deum namque abſolutè prolatus non pro Chriſto, ſed pro tota Trinitate ſumitur, & conſequenter iam attribuitur ei quod non habet: & fauet *cap. ſi quis per capillum 22. q. 1.* At quod dixi magis placet, non eſſe inquam blaſphema, ſi cum reuerentia dicantur; quia poſtquam verbum Dei caro factum eſt, cum hæc membra Deo tribuuntur, ſupponit Deum non pro tota Trinitate, ſed pro ſecunda perſona Trinitatis humanata, vt alij plures Doctores apud Farinac. *ſuprà* defendunt.

7. Sed quid dicendum de iuramento per intemeratam Deiparæ virginitatem? Aliqui exiſtimant eſſe blaſphemum: Tum quia videtur eſſe iuramentum execratorium, atque ſanctiſſimam Virginem defectioni ſubiici, ſi res aliter ſit quam enunciatur. Tum quia irreuerenter eius ſexus nominatur: Sic Couar. *de Pactis 1. p. §. 7. n. 9. verſ. decimo,* Menoch. *lib. 2. de arbitr. caſu 375. n. 5.* Azebedo *lib. 8. recopil. tit. 4. de leg. 5. n. 13.* At placet mihi ſententia Sanch. *lib. 2. in decal. c. 32. n. 32.* negans eſſe blaſphemiam; quia ibi nec beatiſſima Virgo, nec eius Virginitas execratur, neque aliquid illius ignominioſè tractatur, ſed Deus in illa fidei veritate in teſtem adducitur; ſicuti ſi per natiuitatem Chriſti, eiuſque mortem iurares, quod abſque vlla blaſphemia, imo & peccato fieri poteſt.

9. Tandem dubitabis; an omne iuramentum falſum, vel iniuſtum blaſphemum etiam ſit. Negant Sanch. *lib. 2. c. 32. n. 33.* cum D. Thom. 2. 2. *q. 13. art. 3. ad 2.* quia ſic iurans non æſtimat Deum eſſe poſſe falſitatis teſtem, aut iniuſtitiæ aſſecuratorem: neque id intendit; imò potius ſperat Deum non eſſe teſtificaturum ſuper illa re, per aliquod euidens ſignum. Cæterum pro contraria parte me ratio vrget; qui enim falſo iurat, Deum teſtem, conformatorem falſi facit, & qui iurat contra iuſtitiam, Deum proponit aſſecuratorem iniuſtitiæ. Ergo illis verbis Deo tribuitur, quod nulla ratione conuenire poteſt. Ergo ſunt blaſphema: ſi enim claris verbis diceres, Firmet Deus ſuo teſtimonio hanc falſitatem, vel iniuſtiam: blaſphemus eſſes, ſed eundem ſenſum habent falſa, & iniuſta iuramenta. Ergo ſunt blaſphema. Neque obſtat, quod ſperes nunquam Deum aſſerturum eſſe falſitatem aut aliquo ſigno eſſe falſitatem manifeſtaturum ſufficit ſi eam aſſertionem, & teſtificationem, aſſecurationemque petas. Propoſui dubium, tibi decidendum relinquo.

§. IV.

De obligatione Blaſphemi, & audientium illum, & de eorum iudice.

SVMMARIVM.

1 *Obligatur blaſphemus pœnitere de crimine commiſſo.*
2 *An blaſphemans ex conſuetudine ſit abſoluendus?*
3 *Audientes blaſphemum nulla alia obligatione corrigendi tenentur præter iure naturali impoſitum.*
4 *Obligantur denunciare blaſphemum, ſed ſeruandæ ſunt regulæ traditæ tract. de correct.*
5 *Hæreticales blaſphemiæ iudicibus fidei ſunt denunciandæ, non hæreticales Epiſcopo; vel ſæculari iudici, ſi laicus ſit blaſphemus.*
6 *Si vnus iudex procedit, & pœnam delicto adæquatam imponit, non poteſt alius procedere.*

OBligatio blaſphemi ea eſt, vt de commiſſo crimine pœnitentiam agat, & ſcandalo dato, (ſi quod fiat,) ſatisfaciat: quod maximè procedit in eo, qui conſuetudinem blaſphemandi habet: is enim ſub graui culpa hanc peruerſam conſuetudinem extirpare tenetur, eſto blaſphemias indeliberatè pronunciet; quia blaſphemiæ indeliberatæ tametſi mortali culpa vacent; eo quod non ſunt voluntariæ, vt actus in ſe, & materialiter Deo ſunt iniurioſæ, & aliis ſcandaloſæ: eáque de cauſa tenetur ſic aſſuetus diligentiam facere eas vitandi, aliàs vt effectus inordinati illi erunt voluntariæ, quod ſufficit, vt peccato mortali maculetur, vt benè docuit Leſſius *lib. 2. de iuſtit. cap. 45. dub. 5. n. 30. fine.*

2. An autem ſic ex conſuetudine peccandi neganda ſit abſolutio in ſacramento pœnitentiæ, vel differenda? Dixi *tract. de iuram. vbi de conſuetudine iurandi*: ibi enim reſolui cum Sanch. *lib. 2. in decalog. c. 32. n. 45.* poſſe abſolui, ſi verè de peccatis doleat; tametſi aliis vicibus monitus emendatus non fuerit; quia nulla occaſione extrinſeca tenetur, quam debeat expellere. An verò ſit conſiliũ abſolutionem differre prudentis confeſſoris arbitrio relinquitur, qui ex circumſtantiis colligere poterit, an profutura, an nocitura ſit pœnitenti talis dilatio; conſentit Azor. *lib. 9. c. 28. q. 18.* Pœnitentia autem pro hoc crimine à confeſſore imponenda arbitrio confeſſoris relinquitur, tametſi Concilium Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ. 9.* dicat grauiſſimam pœnitentiam eſſe blaſphemo imponendam, antequam abſoluatur; quia in hac parte non eſt illud decretum receptum. Azor. *t. 1. inſtitut. moral. lib. 9. cap. 28. q. 9.* Suar. *lib. 1. cap. 7. num. 2. fine.*

3. Ex parte verò audientium blaſphemum duplex eſſe poteſt obligatio. Prima corrigendi blaſphemum, Secunda eum iudici denunciandi. Circa primam obligationem dubitari poteſt, an vltra fraternam correctionem iure naturali debitam, debeat audiens reprehendere blaſphemantem, ſiue blaſphemus illa reprehenſione emendandus ſit, ſiue non? Et ratio dubij eſt; quia in Concilio Lateranenſ. ſub Leon X. *ſeſſ. 9.* dicitur. Quicunque blaſphemantem audierint eum acriter verbis obiurgare teneantur, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe contingat: ſed acris obiurgatio non videtur eſſe fraterna correctio ad emendationem delinquentis directa, ſed potius ad illius punitionem, & in audientium ſatisfactionem. Ergo audiens blaſphemum non ſatisfacit ſi fraternè corrigat Item fraterna correctio eſt ſuauis admonitio, non actis reprehenſio. Deinde ad obiurgandum blaſphemum, ſolùm petit Concilium, vt obiurgans citrà periculum ſuum id facere poſſit, non autem petit, vt credat delinquentem emendandum eſſe. Ergo illa obiurgatio non tam in correctionem delinquentis, quam in reparationem honoris diuini læſi mandatur. Ergo abſque ſpe emendationis debet adhiberi: & ita tenet Nauarr. *ſum. cap. 12. n. 83.* Ludou. Lopez *1. p. inſtruct. cap. 51.* paulò poſt princ. Petr. de Ledeſma. *1. t. ſum. tract. 1. cap. 9. fine,* Leſſius *lib. 2. de iuſt. c. 45. dub. 5. in fine.* Fateor rem eſſe dubiam, an Concilium voluerit ius nouum ſtatuere, an potius obligationis naturalis recordari, & confirmare, qua publicè peccantes arguere, & obiurgare tenemur, ſi ex obiurgatione fructus ſperatur. Neque obſtat quod expreſsè huius fructus non meminerit. Non enim meminit; quia in omni correctione ſupponebatur vt clarum, ad illius obligationẽ fructum debere ſperari. Sed conceſſo in ſupradicto concilio ius nouum ſtatui, mandatique audientibus, vt blaſphemantem obiurgent, & reprehendant, tametſi emendandus non ſit, cenſeo conſuetudine hoc decretum abrogatum eſſe; ac proinde audientes non aſtringi alia obligatione præter charitatis obligationem, qua debent peccantem corrigere, ſi ex correctione fructus ſperatur: ſic Azor. *t. 1. inſtit. moral. lib. 9. c. 28. q. 7.* Sanch. *lib. 2. c. 32. n. 46.* Bonac. *diſp. 3. de primo decal. præcepto q. 8. p. 1. verſ. addo.* Vnum tamen eſt omnino certum, ſi honor diuinus periclitetur ob blaſphemiarum receptionem

ceptionem, & tu commodè potes illum defendere obiurgatione, & reprehensione delinquentis, ex præcepto Religionis, vel charitatis obligaris; quia obligaris hæc mala auertere, & Deum innocentissimum defendere, quoad fieri possit. Sic Sanch. *lib.2. in decal. c.35. n. 9. post med.* Ægidius de Coninch. *disputat. 28. de correct. frater. dub. 1. n. 4. & dubitat. 6. num.108.*

4. Circa secundam obligationem de denunciatione facienda iudici constans est omnium sententia, audientes affici: quia sic cautum est in supradicto decreto Concilij Lateranens. & à Iulio III. in sua constitutione, quæ incipit *in multis*, in qua mandatur audientibus, vt intrà triduum denunciationem faciant; alioquin pœnis blasphemi subduntur. Dubium tamen est; an præmittenda sit correctio fraterna, si per hanc speratur emendatio? Placet mihi præmittendam esse; quia in hac denunciatione facienda præcipuè attenditur delinquentis emendatio, & peccatorum impeditio. Si ergo hic finis fraterna correctione obtineri potest, non licet iudicialem facere, quia curandus est proximus ea minori iactura, qua fieri possit: Sanch. aliis relatis *lib.2.in decal.c.32. in fine*, Bonac. *disp.3.de primo decal. præcepto q 8.p.1.in fine.*

5. Sed inquires, quibus iudicibus hæc denunciatio facienda est? Respondeo illis esse faciendam, qui in hoc crimine procedere possunt. Hi sunt Inquisitores hæreticæ prauitatis, si blasphemia hæreticalis sit; quia de his blasphemiis ipsi solùm cognoscunt, & in aliis blasphemiis non se possunt intromittere. Sanch. *lib.2. cap.32.n.37.* Azor. *lib.9.c.28.q.5.* Farinac. *prax.q.20 n.39.* Salzed. *pract.cap.113.vers.quandoque tamen*, August. Barbos. *3.p. de potest. Episc. alleg.50. n.89.* Eymeric. *2.p.direct.q.41.n.2.* & ibi Pegna *com.66.* & alij apud ipsos. Quod si blasphemia non sit hæreticalis, eius iudex est Episcopus tam clericorum, quam laïcorum. Laïcorum autem est etiam sæcularis iudex, inter quem, & Episcopum datur præuentio: tradunt Doctores in *c.2 de maledicis.* per textum ibi. Couarr. *cap. quamuis pactum de pactis 1.§.7.n.12.* Azor. Sanchez Salzedo, Farinac. Eymeric. & Pegna *suprà*, August. Barbosa, *num.93. & 94.*

6. Cognitio tamen vnius iudicis, & pœnæ impositio in delictis mixti fori, si delicto adæquata sit, impedit quod alius iudex procedat: at si inadæquata sit delicto, non tollit, quin alius iudex procedere quoad condignæ pœnæ impositionem possit: sic Farinac. *q.20. n.39.* Couarr. *2.pract. cap.10. n.6.* Anton. Gom. *t.3. var.c.1, n.40.* Pegna *2.p. direct. schol.20. colum.5.* August. Barbos. *3.p. de potestat. Episc. alleg.50. n. 95.* Bobadilla *politic. lib.2. c.17.n.98.& c.18.n.234.* Salzedo *pract. c.113. & alij apud ipsos.* Verum cum pœnæ ex circunstantiis occurrentibus tum personæ, tum delicti sæpè minuantur, raro potest iudex sæcularibus causam ab Ecclesiastico decisam, vel è contra Ecclesiasticus causam à sæculari decisam assumere iudicandam prætextu quod rectè iudicata non fuerit, neque condigna pœna pro delicto imposita; quia semper præsumendum est rectè fuisse iudicatum. Et in casu dubio iudici decidenti item standum est. Neque alius contrarium declarare poterit, aliàs non solum iudex erit delinquentis, sed & iudicis. Colligitur ex Barbosa *suprà.* Vide Farinac. *q.4. n. 7. & seqq.*

§. V.

De pœnis blasphemo impositis, vel à iudice imponendis.

SVMMARIVM.

1 *Ipso iure nulla est, imponenda multiplex, tam ciuili, quam iure canonico.*
2 *Pro hæreticalibus blasphemiis abiuratio indicitur tanquam de hæresi suspectis.*
3 *Pro aliis seruanda est Constitutio Pij V.*
4 *Iudex attendere debet qualitatem delicti, vt augeat, vel minuat pœnam.*
5 *Quid si delinquens incontinenti blasphemiam retractauit, nulla, vel leuissima pœna afficiendus est.*
6 *Blasphemus condemnatus à testimonio dicendo non repellitur.*

1. IPso iure nulla est huic crimini pœna imposita, vt benè aduertit Suar. *t.1. de relig. tract. 3. lib.1. c.7.* imponenda tamen à iudice multiplex est tam iure ciuili, quam canonico.

Iure namque ciuili blasphemis erat antiquitus pœna mortis imposita; iuxta Authentic. *vt non luxurientur*, §. *præterea, collat.6.* & ibi Bart. Angel. Glossa, & communiter Doctores, vt testatur Menoch. de arbitrar. *casu 375.n.25.* Couarru. *in cap. quamuis pactum de Pactis, 1.p. §.7. n.10.* Iulius Clar. *in pract. §. blasphemia, vers. sed quæro in prine.* Farinac. *lib.1. prax. tit.3.q.20.num.3.* Sed hæc pœna non habet locum nisi in blasphemante ex consuetudine, vt tradit. Menoch. *n.26.* Farinac. *n.42.* Couarr. *n.10. fine.* Quam consuetudinem non inducit binus, vel ternus actus, sed plures requiruntur, vt aliis relatis Farinac. *n.43.* August. Barbos. *3.p.de potest. Episc. alleg.50. n. 101.* Verùm iam hæc pœna mortis consuetudine abrogata est, vt aliis relatis docet Menoch. *de casu 375.n.26.* Farinac. *n.64.* Iure canonico variæ pœnæ impositæ sunt, laïcis *in cap 2.de maledicis*, pro clericis. *in cap si quis per capillum, 22. q.1.* vbi afficiuntur pœna depositionis sed in Concilio Lateran. sub Leone X. *dicta sess. 9.* & in constitutione Iulij III. quæ incipit, *in multis deprauatis*, & in alia Constitutione Pij V. incipiente, *cum primum Apostolatus*, quorum tenorem refert Farinac. *dicta q.20.à n.62.* & August. Barbosa *allegat 50. à n.97.* variæ tam pro clericis, quam pro laïcis pœnæ designantur. Sed has constitutiones testatur Suar. *lib.1. cap.7. n.3.* vsu non esse receptas. Quapropter in punitione huius criminis spectandæ sunt constitutiones, & statuta ciuitatum, & maximè consuetudo recepta, & secundum eam iudicandum.

2. Si igitur blasphemia hæreticalis fuerit quæ per Inquisitores punitur, debent sic delinquentes abiurare tanquam de hæresi suspecti; & pro qualitate suspicionis debet esse abiuratio si deliquerint. Sæpè, & leui turbatione ducti abiurant, tanquam de hæresi vehementer suspecti. Si autem raro deliquerint, vel graui occasione ducti abiurant de leui; sic testatur Eymeric. *2.part. direct.q.41.num.5. & 6.* At Francisc. Pegna *ibi comm.66. vers. caterum*, relato Simanch. & Ioann. Rojas. testatur esse praxim receptam, si blasphemia atrox sit, & illam committens plebeius ducatur in publicum spectaculum alligata lingua, & mytram infamem portet, & flagellis cædatur, & in exilium mittatur. Quod si nobilis sit, sine mytra producatur, & in monasterium detrudatur ad certum tempus, pecuniariamque mulctam soluat, & quandoque compellatur ob suspicionem abiurare. In leuioribus autem blasphemiis affirmat Inquisitorum iudicio relinqui. Regulariter tamen sic blasphemantem condemnari, vel aliquo die festo pallio, nudis pedibus, capite discooperto, & cum cereo accenso, & chorda succinctus Missam audiat, quâ peracta publicatur eius delictum, & sententia condemnatoria, quæ solet esse alicuius mulctæ pecuniariæ, vel ieiuniorum.

3. At pro aliis blasphemis, si clericus, sic censeo seruandam esse Constitutionem Pij V. vt pro prima vice, qua condemnatus fuerit, priuetur fructibus vnius anni cuiuscunque beneficij possessi: pro secunda, omnibus beneficiis; pro tertia, omnibus dignitatibus exutus in exilium mittatur. Quod si nullum beneficium habuerit, pœna pecuniaria, vel corporali pro prima vice mulctetur; pro secunda, carceribus mancipetur? pro tertia, verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Si autem blasphemus laïcus fuerit, regulariter pro prima vice lingua alligata in publicum dicitur, & in exilium mittitur; pro secunda, verberatur? pro tertia, triremibus addicitur. Si autem nobilis sit, & blasphemiæ nec nimis atroces, neque frequentes fuerint, pœna pecuniaria mulctatur, & in exilium pro tertia vice mittitur. Vide Couarruu. *cap.quamuis pactum, de Pactis 1.p.§.7. n.11.* & August. Barbosa *3.p.de potest.Episc. Allegat. 50. à n.102.* Pro blasphemia in sanctos omnes aduertunt iudicis arbitrio pœnam relinqui, vt reliquit Concilium Lateranens. & Pius V. in sua constitut.

4. Aduerto iudicem in impositione pœnæ pro hoc delicto attendere debere tum qualitatem blasphemiæ, tum frequentiam, tum occasionem, & ex illis augere, vel minuere pœnam poterit; eaque de causa plures grauesque Doctores existimant hanc pœnam arbitrariam esse, vt aliis relatis docet Menoch. *dicto lib.2. de arbitrar. casu 375. n.30.* Iulius Clarus §. *blasphemia*, vers. *sed quæro*, Farinac. *q.20.n.66.* Nunquam tamen existimo esse occasionem minuendi pœnam, quod in illa prouincia inualuerit consuetudo blasphemandi: imo tunc existimo augendam esse pœnam, vt alij contineantur, & talis abusus, & corruptela extirpetur, consuetudo enim quæ est contra naturalem non excusat, sed accusat, vt aliis relatis docet Farinac. *c.44.*

5. Ea tamen erit sufficiens occasio non solùm minuendi pœnam, ita vt leuissima, vel nulla imponatur, si delinquens incontinenti blasphemiam retractauerit, & antequam è loco discedat, signa contritionis exhibeat, v. g. percutiat pectus, terram deosculetur, vel aliud quid faciat; quia tunc præsumi potest inconsideratè, & indeliberatè, fuisse locutum, & ex lubricitate linguæ, potius quam ex animo blasphemiam protulisse: si enim actione iniuriarum non tenetur, & pœnam euitat qui alterum dehonestans incontinenti se retractat, vt pluribus firmat Farinac. *dicto quæst. 2. n.59.* à fortiori excusandus est blasphemus, qui blasphemiam incontinenti retractauit? si quidem mitius cum Deo, quam cum hominibus agitur, vt benè ponderauit Farinac. *n.57.* cum Arnold. Albert. *tractat. de agnosc.affert. Cathol. & hæretic.quæst.28.n.9.13 & 14.*

6. Denique

6. Denique dubitari potest; an blasphemus post condemnationem repellendus sit à testimonio tanquam infamis; Ratio dubij est; quia ex iure ciuili non reputatur infamis, vt probat *lex famosi, ff. ad leg. Iul. maiest.* ibi lubricum linguæ non debet facilè trahi ad pœnam. Ex facto autem non potest dici infamis? quia hæc infamia pœnitentia, & retractatione criminis aboletur; atque ita tradit Bald. *cons. 152. lib. 1. col. 1.* quem sequitur Aymon. Sauillian. *cons. 6. col. 2.*

Dico ergo hunc blasphemum sic condemnatum à testimonio dicendo non repelli; quia, neque est infamis infamia iuris, neque facti, vt probat supradicta ratio: at eius testimonium non est vndequaque firmum, sed aliqualiter diminuitur ex delicto facto, tametsi castigato. Negari enim non potest ex obiectione blasphemiæ testimonium aliqua ex parte diminui, neque esse ita solidum, ac si nihil obiici posset. At testis omni excepto maior est ille, cui nihil obiici potest; quod suspicionem ingerat falsitatis, vt rectè probat aliis relatis Couarruu. *in Epitom. decret. 2. part. cap. 8. §. vltimo, numero 7. & 8.* Ergo blasphemus, cui blasphemia obiici potest, non censetur testis omni exceptione maior: sic Couarru. *in cap. quamuis pactum, de Pactis, 1. part. §. 7. num. 11. vers.* His equidem, cum Alexand. Decio. Thom. Grammatico. Quod intelligendum censeo, dum recens fuit blasphemia, & illius declaratio. Nam si multum tempus transierit, verbi gratia, duobus, vel tribus annis, in quibus constat de illo vitio emendatum esse, censeo ob illam causam eius testimonium non infirmari, quod mihi probat ratio dubitandi.

PVNCTVM III.

De Sacrilegio crimine Religioni oppositio.

SI etymologiam nominis spectemus, sacrilegium idem est, quod rei sacræ legium, siue furtum: & sic sacrilegus est qui sacrum legit, seu furatur: sic Isidorus *lib. 1. origin. lit. S.* Quintilianus *lib. 5. cap. 10.* Ambrosius, Calepinus verbo *Sacrilegium* Decian. *tractat. crimin. lib. 9. cap. 14.* Rub. *de Sacrilegio, num. 9.* & alij communiter. Aliquando nimis latè sacrilegium sumitur pro quocunque vitio religioni oppositio: & sic comprehendit quemlibet profanum cultum; quia in eo Deus, qui est summe sacer offenditur: qua ratione D. Augustinus aliique Patres idolorum sacrificia vocabant sacrilegia sacra, & pacta cum dæmonibus sacrilega pacta: sed hæc acceptio sacrilegij propria non est. Propria ergo acceptio sacrilegij est, quæ ex rei sactæ à Deo distinctæ læsione, seu violatione sumitur sic *D. Thom.* ab omnibus receptus. *2. 2. quæst. 99. art. 1. & 3.* secundum hanc acceptionem, explicabimus, quid sacrilegum sit, quotuplex, quale peccatum, & quas pœnas habeat annexas.

§. I.

Quid sit Sacrilegium, & quotuplex.

SVMMARIVM.

1 *Sacrilegium definitur.*
2 *Distinguitur ab illis vitiis superioribus, Puncto secundo enumeratis.*
3 *Sacrilegium fit per actionem inuoluntariam eius in cuius cultum res sacra dicata est: & ibi an simonia sacrilegium sit?*
4 *Triplex est sacrilegium: circa personas, circa locum sacrum, circa res sacras.*
5 *Sub iis varia species continentur.*

1. SAcrilegium definitur à D. Thom. *2. 2. quæst. 99. art. 1* quem omnes sequuntur, vt sit sacræ rei læsio, seu violatio. Nomine rei sacræ intelligitur illa, quæ lege diuina, vel Ecclesiastica in cultum Dei est destinata: si ergo huic cultui contrauenias, rem sacram violas, & sacrilegium committis.

2. Ex hac definitione manifestè infertur, sacrilegium distingui à periurio, à tentatione Dei, à Magia, superstitione, & blasphemia, & quolibet alio vitio, quo diuina maiestas directè in se offenditur; quia sacrilegium non respicit immediatè ipsum Deum tanquam materiam, & obiectum, circa quod versatur, qualitet respicit periurium, blasphemia, tentatio Dei, superstitio, &c. sed respicit rem creatam in cultum Dei destinatam, cuius cultum derogat; ac proinde sacrilegium offendit Deum non se, sed in rebus ipsi dicatis: Sic Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 3. de Sacrilegio in proœmio.* Less. *lib. 2. cap. 45. dub. 2. n. 7.*

3. Solum est difficultas qualis debeat esse hæc violatio? Caietan. *dicta quæst. 99. art. 2.* dicit debere fieri per actionem inuoluntariam illius, cuius res est, cum autem contra voluntatem Dei fiat, quia res sibi dicata, malè tractatur; efficitur sacrilegium committi per actionem inuoluntariam respectu Dei. Ex quo infert simoniam non esse sacrilegium; quia fit consentiente parte, cuius res est. Adde de simonia separatim à sacrilegio agere D. Thom. & Doctores. Ergo credunt à sacrilegio distingui.

Fateor sacrilegium committi per actionem inuoluntariam illius, cuius res est, seu in cuius cultum est dicata: nego tamen inde inferri simoniam verè, & propriè sacrilegium non esse, cum contra voluntatem Dei ematur, aut vendatur sacrum. Neque obstat in tali venditione homines consentire, aliàs si Episcopus consentiret locum sacrum profanari, res sacra alienari, clericos ad sæculare tribunal duci, sacrilegium non committeretur. Quod non est dicendum: Ergo consensus partis non tollit sacrilegium: & ratio videtur manifesta, quia huiusmodi consensus non tollit, quin res sacra Deo dicata indebitè tractetur, & Deus in tali tractatione offendatur. Ergo non tollit quin verè sacrilegium sit: atque ita docent Glossa *in cap. Audiuimus 1. quæst. 3. per text.* ibi: Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 45. dub. 2. in fine, num. 8.* Suar. *tom. 1. de Religione, tract. 3. lib. 3. c. 1. num. 6.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 9. cap. 27. quæst. 8.* Neque obstat de Simonia separatim à sacrilegio agi, quia id fit oblatam eius materiam, & specialem eius rationem, non quia verè sub sacrilegio non contineatur.

4. Triplex genus rerum sacrarum enumerari solet, & iuxta illud triplex genus sacrilegij distinguitur. Primum est circa personas sacras. Secundum circa locum sacrum. Tertium circa res sacras. Sub iis generibus variæ species sacrilegij comprehenduntur; sed nulla est, quæ sub aliquo membro huius diuisionis non comprehendatur; ac proinde hæc diuisio tanquam apta ad explicationem huius vitij sustinenda est, eámque sustinent Doctores cum Glossa *in c. sacrilegium 17. quæst. 4.* & Theologi cum D. Thom. *2. 2. q. 99. art. 1. & 3.* & Summistæ, verb. *Sacrilegium*, Less. *dub. 3.* Suar. *cap. 1. num. 8.* Azor. *cap. 27. quæst. 2.* Valent. *disp. 6. quæst. 15. p. 1. in princ.* Bonac. *disp. 3. de primo decalog. præcept. q. 6. p. vnic. n. 1.* & alij communiter.

5. Dixi sub iis generibus varias species sacrilegij contineri. Neque enim eiusdem speciei est sacrilegium commissum in percussione clerici, ac commissum in imponendo ei aliquod tributum, illum verò ad tribunal sæculare deferendo. Et idem est de sacrilegio commisso aduersus locum sacrum, quod in varias species diuiditur secundum varias actiones, quæ ibi sunt prohibitæ, scilicet furtum seminis, vel sanguinis emissionem, iudicialem strepitum, &c. Tertium genus clarius est sub se varias species continere. Neque enim esse potest eadem sacrilegij species irreuerenter tractare sacramenta, ac vasa sacra, ac imagines, reliquias, & bona Ecclesiastica. Dicendum ergo est illam trimembrem diuisionem sacrilegij esse generis, in species subalternas: sic latè probat Suarez *dict. to. 1. de Relig. tract. 3. lib. 3. cap. 5.*

§. II.

Explicatur supradicta Diuisio Sacrilegij.

SVMMARIVM.

1 *Qualiter læsio persona sacra sacrilegium sit.*
2 *Multipliciter persona sacra ladi potest, & an omnes hæ læsiones sacrilegia sint, examinatur.*
3 *Qualiter violatio loci sacri sacrilegium constituat.*
4 *Sacrilegium est irreuerentia Sacramentis facta, & quid de facta Eucharistiæ. An distinguatur ab irreuerentia Deo in sua persona facta?*
5 *Irreuerentia in sacrificio facta grauioris malitiæ est, quam sacrilegium.*
6 *Vasa sacra, imagines Dei, & Sanctorum reliquias profanare sacrilegium est, & quid si reliquiæ, & imagines Sanctorum profanentur, quatenus sunt imagines, & reliquiæ aliquorum, quibus ob propriam excellentiam veneratio debetur.*
7 *Profanatio sacrorum verborum est sacrilegium.*
8 *Item & ornamentorum Ecclesiæ, & ministrorum.*
9 *Alienare bona Ecclesiæ absque debita solemnitate sacrilegium est.*
10 *Quid dicendum de retentione decimarum, & legatorum.*
11 *Quid de tempore sacro, scilicet diebus festiuis? Non videtur inter res sacras numerandum.*

1. PRima diuisio sacrilegij (vt dixi) est quæ committitur circa personam sacram. Personam sacram voco Ecclesiasticam, quæ tum ordine, tum religionis statu specialiter in

Dei

Dei cultum deſtinatur. Hanc igitur ſi lædas, quatenus ſacra eſt, ſacrilegium committis. Dices: Veneratio harum perſonarum non eſt religio, ſed quædam obſeruantia: ſeu dulia. Ergo irreuerentia illis facta non eſt ſacrilegium, ſed alia ſpecies inferior. Nam peccatum commiſſum contra reuerentiam debitam alicui perſonæ, illi virtuti opponitur, quæ dictat talem perſonam venerari: ſicuti peccatum irreuerentiæ commiſſum contra parentes pietati opponitur; quia ex pietate teneris parentes venerari: ſicuti ex virtute duliæ, vel ex politica obſeruantia obligatus es perſonas Eccleſiaſticas venerari, irreuerentia illis facta aduerſus hanc virtutem erit, & non aduerſus religionem,

Reſpondeo dupliciter poſſe te has perſonas venerari: Primò, quatenus in ſe habent aliquam excellentiam abſolutam veneratione dignam. Secundò, quatenus in cultum Dei ſpecialiter deſtinantur, & illius miniſtri ſunt. Si primo modo has perſonas venereris, non ex religione, ſed ex obſeruantia, aut dulia venetaris, & irreuerentia illis facta non contra religionem, ſed contra virtutem obſeruantiæ, vel duliæ procedit. At ſi quatenus ſunt miniſtri Dei, & in diuinum cultum deſtinati illos venereris, actum religionis facis; quia non tam eos, quam Deum in illis venetaris. Et è contra ſi ſecundùm hanc rationem illos offendas, ſacrilegium virtuti religionis oppoſitum committis. Quocirca cum Eccleſia prohibuerit in has perſonas violentas manus inferri, & ad ſæcularia iudicia trahi, quia Dei miniſtri ſunt & cultui diuino deputati, ſi illos in his actionibus offendas, ſacrilegium committis; quia offendis Deum in rebus ſibi ſpecialiter dicatis: ſic notauit Suar. *tom.* 1. *de Religione, tractat.* 8. *lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 5.

2. Multipliciter autem lædere perſonam Eccleſiaſticam potes. Primò per violentam manus impoſitionem. Secundò per vſurpatam iuriſdictionem. Tertiò per rapinam, & furtum. Quartò per actionem venereum. Neque alia occurrit actio, qua poſſit perſona ſacra violari. Et quidem per violentam manus impoſitionem nemini eſſe poteſt dubium, ſacrilegium committi: quia ſpecialiter his perſonis cauetur intuitu religionis, honoris, & reuerentiæ ipſis debitæ vt conſtat ex *cap. ſi quis ſuadente*, 17. *quæſt.* 4. Quare illa violenta manus impoſitio non ſolum habet ſpeciem iniuſtitiæ, qualem haberet, ſi illa perſona læſa Eccleſiaſtica non eſſet, ſed habet ſpeciem irregularitatis, ſeu ſacrilegij; quia ſpecialiter Eccleſia voluit Eccleſiaſticam perſonam in reuerentiam ſui ſtatus liberam, & exemptam ab hac iniuria conſtituere. Quæ autem ſint hæ perſonæ in particulari, quæ hoc priuilegio canonis gaudeant, & quæ actio ſub violenta manus impoſitione intelligatur, latè diximus, *tractat. de excommunicat. puncto de excommunicat. reſeruatis in decreto.* De ſecunda actione, quæ eſt iuriſdictionis vſurpatio, conſtat ſacrilegam eſſe; quia eſt aduerſus immunitatem his perſonis debitam: debetur enim iis perſonis exemptio à forenſi iudicio, & à vectigalibus, & tributis: quare qui illas contra hanc immunitatem obligaret iudicio ſæculari ſiſtere, & tributa ſoluere, ſacrilegus eſſet. Quouſque hæc immunitas extendatur: & quæ pœnæ violantibus ſint impoſitæ latè diximus *tractat. de immunit. perſonarum Eccleſiaſtic.* Tertia actio, qua perſonæ Eccleſiaſticæ offendi poſſunt, eſt furtum & rapina: de qua non deſunt Doctores qui affirment ſacrilegium eſſe, maximè ſi furtum, & rapina ſit bonorum titulo Eccleſiaſtico acquiſitorum: ſic Valent. 2. 2. *diſput.* 6. *quæſt.* 15. *p.* 1. *col.* 1. Cæterùm per hanc actionem ſpecialiter non offenduntur perſonæ Eccleſiaſticæ; eo quod nullibi inueniantur à iure Eccleſiaſtico in hoc crimine defenſæ magis quam ſæculares: & notauit in præſenti Suar. *tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 8. Azor. 1. *tom. lib.* 9. *cap.* 17. *quæſtione* 3. Si autem bona quæ furantur, non ſunt beneficiarij, ſed Eccleſiæ, qui illas vſurparet, ſacrilegium committeret: quia quælibet illarum alienatio ſine debita ſolemnitate prohibetur. Sed hoc ſacrilegium non eſt aduerſus perſonam Eccleſiaſticam, ſed aduerſus rem ſacram. Quarta actio, quæ eſt fornicatio, & ſimilis turpitudo ſi à perſona Eccleſiaſtica fiat, iudicatur communiter à Doctoribus ſacrilegium: quia perſonas Eccleſiaſticas maximè dedecet: ratione enim ſui ſtatus à tali macula conuenit, eſſe immunes. Quod à fortiori militat in iis perſonis Eccleſiaſticis, qui ſpeciali voto obligantur ab iis delectationibus abſtinere, quales ſunt ordine ſacro inſignitæ, & religioſæ. Hæ ergo per votum corpus ſuum, & animam Deo offerunt, & conſecrant, reddunturque in illa parte quaſi ſacratæ: ergo contra faciens ſacrilegium committit; quia rem cultui diuino deſtinatam violat: ſic communiter Doctores cum Diu. Thom. *q.* 114. *art.* 1. & *q* 99. *art.* 1. & ibi Caietan. Valen. *diſp.* 6. *q.* 15. *p.* 1. *in princ.* Leſſius *lib.* 2. *c.* 45. *dub.* 3. *num.* 11. Azor. 1. *p. inſtit. moral lib.* 9. *cap.* 27. *q.* 5. Bonac. *diſp.* 3. *de primo decal. præcept. q* 6 *p. vnico. num.* 3. Qui omnes extendunt ſupradictam doctrinam ad quodlibet votum, cuius violationem ſacrilegium eſſe affirmant: quia eo ipſo, quod res per votum Deo dicata ſit, iam eſt iure diuino in cultum Dei deſtinata. Ergo contra faciens ſacrum lædit: eſt ergo ſacrilegus. Cæterùm mihi probabilius eſt violationem voti non in ſpecie rigoroſa ſacrilegij, de qua in præſenti; ſed in ſpecie perfidiæ conſtitutam eſſe, ſic tenet. Suarez *tom.* 1. *de Religione, tract.* 3. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 5. Ratio eſt; quia per violationem voti Deus in ſe offenditur, cui vouens infidelis eſt, ſicuti offenditur per periurium, per blaſphemiam, per omiſſionem Miſſæ in die feſto, & ſimilia: ſed iniuriæ, quibus Deus immediatè offenditur, ſunt in alia ſpecie à ſacrilegio diſtinctæ, vt in princ. huius Puncti diximus. Ergo violatio voti in alia ſpecie à ſacrilegio conſtitui debet, quæ nulla eſt alia niſi perfidia fidelitati oppoſita. Neque obſtat per votum rem promiſſam in cultum Dei deſtinari, vt inde affirmemus ſacrilegium eſſe illius violationem; quia cum non deſtinetur in alium cultum, niſi in alius voti executionem, & obſeruationem fidei datæ non poteſt illius violatio aliam malitiam habere, niſi malitiam infidelitatis. Neque item obſtat turpitudinem dedecere maximè perſonam Eccleſiaſticam, & maximè ſi Sacerdos ſit, vt inde affirmemus quamlibet turpitudinem ab ipſis commiſſam eſſe ſacrilegium: aliàs furta, homicidia, blaſphemiæ, detractiones, & quælibet alia peccata ſacrilegia eſſent; quia omnia illa maximè dedecent Eccleſiaſticas perſonas, & præcipuè Sacerdotes. Verum quia hæc generalis indecentia, & repugnantia non infert ſpecialem prohibitionem; ea de cauſa ad ſpeciem ſacrilegij non tranſeunt, ſed intra propriam ſpeciem grauiora fiunt. Sic dicendum eſt de fornicatione, & qualibet alia turpitudine, ſi voti obligationem ſecludamus: licet enim quaſlibet perſonas Eccleſiaſticas hæc maximè dedeceat; quia tamen ex vi conſecrationis ſpeciali lege non prohibentur ab iis abſtinere: ea de cauſa ſacrilegia non fiunt. Vocatur autem hæc infidelitas ſacrilegium; quia omnia vitia religioni oppoſita hoc nomine nuncupantur; non quia propriè ſacrilegium ſint, qualiter in præſenti vſurpamus.

3. Secundum genus ſacrilegij dixi eſſe violationem loci ſacri quoad immunitates, quas habet, quatenus talis locus eſt, quod qualiter contingat latè dixi *tractat. de immunit. Eccleſiæ.* Solum aduerto in vna actione hoc, & præcedens ſacrilegium poſſe reperiri, ſi enim iudex laicus per violentiam clericum delinquentem à loco extrahat, & à ſuo tribunali ſiſtat iudicandum, committit triplex ſacrilegium. Primò, ob violentam manus impoſitionem. Secundò, ob extractionem à loco ſacro. Tertiò, ob vſurpatam iuriſdictionem: quæ omnia in confeſſione manifeſtari debent: & ex parte notauit Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 3. *c.* 2. *n.* 6. & 7.

4. Tertium genus ſacrilegij, quod per antonomaſiam rei ſacræ violatio dicitur multiplex eſt pro varietate rerum ſacrarum, quæ violari poſſunt? quáſque enumerauit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 99. *art.* 3. Et in primo loco conſtituit Sacramenta. Secundò, vaſa ſacra, imagines, & Sanctorum reliquias, quibus addi poteſt Scriptura ſacra, & cæremoniæ in cultum Dei deſtinatæ. Tertiò ornamenta Eccleſiæ, & miniſtrorum. Quartò bona Eccleſiaſtica in ſuſtentationem miniſtrorum deputata: in his enim omnibus Deus colitur, & conſequenter eorum mala tractatio ſacrilegium eſt.

Merito D. Thom. primo loco conſtituit Sacramenta; quia nulla res eſt illis ſacratior. Teneris ergo ea dignè tractare, tam in adminiſtratione, quam in ſuſceptione, aliàs ſacrilegus eris: Solum de ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ eſt dubitatio; an eius irreuerentia ſit irreligioſitas alia diſtincta à ſacrilegio, & eiuſdem rationis cum ea, qua Chriſtus dominus in ſe ipſo offenderetur. Affirmat Suarez *tom.* 1. *de Religione, lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 1. & 2. Mouetur, quia Chriſtus in Euchariſtia eadem adoratione latriæ adoratur, & eadem reuerentia colitur, ac colitur in propria perſona, vt tradit Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. & *can.* 6. Ergo irreuerentia facta Euchariſtiæ eſt eiuſdem rationis cum irreuerentia facta Chriſto in propria perſona: quod confirmari poteſt ex illo Pauli 2. *Corinth.* 21. affirmantis reum eſſe corporis, & ſanguinis Domini, qui indignè Euchariſtiam ſumit. Nihilominus tenenda eſt communis ſententia irreuerentiam factam Euchariſtiæ eſſe propriè ſacrilegium: tametſi omnium grauiſſimum, neque aliam ſpeciem irreligioſitatis habere; ſic Caietan. 2. 2. *quæſt.* 99. *art.* 1. & 3. *dub.* 6. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 45. *dub.* 3. *n.* 16. Fauet D. Tho. *ſupradicto loco*: quatenus Euchariſtiam inter res ſacras conſtituit, omniumque ſacratiſſimam, reliquſque DD. enumerantes Sacramenta; inter res ſacras, quæ per ſacrilegium profanari poſſunt, non excludunt Euchariſtiæ Sacramentum, ſed potius dicunt in illo ſpecialius rationem ſacrilegij reperiri. Sed probo concluſionem: Quia Euchariſtia etſi Deum contineat, non eſt Deus formaliter, ſed ſignum gratiæ ſanctificantis Deum ipſum continens. Ergo iniuria facta Euchariſtiæ non fit formaliter Deo: ergo non eſt irreligioſitas à ſacrilegio diſtincta. Et confirmo Chriſtus dominus in Euchariſtia exiſtens non ſe exhibet viſibilem, & tractabilem, ſed inſtar cuiuſdam rei inanimatæ, tametſi ibi ſit viuens, & intelligens. Ergo iniuria Euchariſtiæ facta, non eſt formaliter facta ipſi Deo in propria perſona, ſed in ſigno illum continente, & gratiam ſignificante: ſed quælibet iniuria facta Deo in eius ſigno, eſt in ſpecie ſacrilegij: ergo. Item negari non poteſt, irreuerentiam

factam

factam Eucharistiæ esse in specie sacrilegij; quia est violatio rei sacratissimæ. Ergo non est in alia specie irreligiositatis; quia non sunt vitia multiplicanda absque manifesta ratione. Neque obstat fundamentum oppositum. Fateor inquam adorationem, & reuerentiam factam Christo in Eucharistia esse latriam; quia ad hanc reuerentiam, & adorationem solum expostulatur, vt feratur in personam diuinam siue in se, siue in signo. An autem intra illam speciem adorationis latriæ varij actus specie distincti distinguantur, alij qui feruntur in Deum secundum se, alij qui feruntur in ipsum repræsentatum in imagine, non satis constat, & fortè probabilus est distingui. Verum in ratione irreligiositatis iam receptum est, irreuerentiam, quæ fit Deo secundùm se, distingui ab ea, quæ fit ipsi in signo repræsentante, seu continente, tametsi vtraque irreuerentia adorationi latriæ opponatur. Quod optimè confirmatur ex irreuerentia facta cruci, & imagini saluatoris, quæ sine controuersia sacrilegium propriè dicitur, tametsi opponitur adorationi latriæ. Ergo irreuerentia facta Eucharistiæ sacrilegium propriè erit, tametsi adorationi latriæ opponatur.

3. Sed inquires, quare sacrificium non fuit enumeratum à D. Thom. inter res sacras primi generis, cum etiam possit, sicuti & Sacramenta irreuerenter tractari. Respondeo, quia sacrificium est ipsemet cultus Dei in se, non res cultui deseruiens, ideóque reuerentia in illo commissa grauioris malitiæ est, quam sacrilegij quia offendit Deum in se: sacrilegium voto offendit Deum in signo repræsentarum. Idem est dicendum de oratione. Non enim oratio est res, per quam Deo cultus deferatur, sed potius ipse formalis illius cultus, atque adeo irreuerentia ibidem commissa Deo immediatè fit, non rebus eius cultui deseruientibus.

6. In secundo loco constituit D. Tho. vasa sacra, imagines Dei, & Sanctorum reliquias: quia hæc omnia cultui diuino deseruiunt eorumque profanatio cedit in iniuriam ipsius Dei, quod in vasis sacris, imaginibus Dei clarum est. De reliquiis, & imaginibus sanctorum est dubium: an eorum irreuerentia sacrilegium sit? Et ratio dubij est, quia eorum veneratio non pertinet ad virtutem religionis, sed ad aliam virtutem inferiorem, scilicet duliam. Ergo irreuerentia illis facta illi virtuti opponitur, & non religioni, sicuti irreuerentia facta parentibus virtuti pietatis, & non religioni opponitur, quia parentes non ex virtute religionis, sed ex virtute pietatis honorantur.

Dicendum est dupliciter Sanctorum imagines, eorúmque reliquias profanari posse: vel quatenus sunt reliquiæ, & imagines amicorum Dei, illique familiarium, vel quatenus sunt reliquiæ, & imagines aliquorum, qui ob propriam excellentiam, quam habent, veneratione sunt digni. Si primo modo irreuerentia fiat, sacrilegium est proprijssimè, quia tunc non tam ipse sanctus, quam Deus in illo, eiusque imagines dehonestatur. At si secundo modo irreuerentia fiat, conuincit argumentum, non esse propriè in specie sacrilegij talem malitiam, sed in alia inferiori: Addi potest fortè speciem sacrilegij illi coniungi, quia in iniuriam Dei cedit quælibet irreuerentia facta illis, quos Deus sibi coniunctissimos habet, tametsi non illis, fiat, quatenus coniuncti sunt. Nam esto ad cultum prouenientem ex virtute religionis hæc formalis intentio necessaria sit: at ad vitium ei oppositum non videtur requiri; quia plura ad rectam operationem, quam ad malam requiruntur: cum bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu: sic Lessius *lib. 2. cap. 45. dub. 3. n. 18.* Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 3. c. 6. & 7.*

7. Ad huiusmodi speciem reduci possunt quælibet verba sacra. Tum quia sunt quasi quædam Dei reliquiæ ab ipso dictatæ. Tum quia ipsum Deum loquentem quasi imagines repræsentant. Tum quia per ipsa nos Deus sanctificat, iuxta illud *Ioan. 13.* Vos mundi estis propter sermonem. Quocirca illorum profanatio, & abusus, seu corruptela sacrilegium grauissimum est; præterquam quod alia crimina secum regulariter coniungit: sic Suar. *c. 6 fine* Less. *dub. 3. n. 17.* Bonac. *disp. 3. de primo decal. præc. q. 6. punct. vnico, n. 5.*

8. Tertio loco constituit D. Thom. ornamenta Ecclesiæ, & ministrorum, scilicet quæ specialiter sunt per consecrationem, seu benedictionem diuino cultui destinata: per hæc enim Deus colitur. Ergo illorum profanatio sacrilegium est: sic Suarez, Lessius, Bonac. & omnes. Quare si vestes sacras irreuerenter scindas, comburas, seu ad vsus profanos applices, aut alio modo irreligiosè tractes, sacrilegus eris. Et idem est de destructione irreligiosa templi illiúsque profanatione: quia templum est quædam res sacra, sicut vasa sacra, & ornamenta, tametsi alias immunitates speciales habeat, quæ vasis sacris, & ornamentis non sunt concessæ, vt benè notauit Suarez *cap. 5. fine.* Dixi notanter, quæ sunt per consecrationem, seu benedictionem destinata diuino cultui; quia non caret probabilitate, reliqua, quæ ad ornatum pertinet, & vasa, in quibus ponitur vinum, & aqua, inter res sacras computanda non esse: sic docuit Anton. Gomez *to. 3. variar. c. 5. n. 11.* & consentit Farinac. *qu. 172. n. 46. & 58.* Hæc species poterat non numerari à superiore distincta; quia violatio vasis sacri, vel ornamenti sacri, vel templi, quatenus sacrum est, & cum aliis rebus sacris conuenit, non videntur distingui: sic Valent. *2. 2. disp. 6. q. 15. p. 1. vers. ad secundam speciem.* Suarez *t. 1. de Religione, tract. 3. lib. 3. c. 5. in fine.*

9. Quarto loco enumerat D. Thom. bona Ecclesiastica; quia hæc aliquo modo sacrata sunt, & in cultum Dei ordinata, quatenus destinantur sustentationi illorum, qui Dei cultui deseruiunt, & quia deseruiunt; eaque de causa alienari nullo modo possunt absque solemnitate à iure præscripta. Qui ergò hæc vsurpauerit, vel alienauerit extra casus permissos, vltra iniustitiæ peccatum, malitiam sacrilegij contrahi, vt latius cum de alienatione horum bonorum tractaui, ibique dixi sub iis bonis non comprehendi bona propria beneficiatorum, quorum ipsi habent dominium.

10. An vero retentio decimarum, & legatorum sit sacrilegium, Communiter affirmare testatur Valent. *2. 2. disp. 6. q. 15. p. 1. vers. item ex sententia*; & de legatis affirmat Lessius *lib. ... c. 45. dub. 3. n. 18. vers. Septimo.* Probant, quia hæc sunt ab Ecclesia in cultum diuinum remotè destinata, quatenus sunt destinata in sustentationem ministrorum.

Dicendum tamen est, si legata non sunt tradita Ecclesiæ, tametsi iniustitia sit ea retinere, non videtur sacrilegium, neque alia species peccati, quia non sunt facta bona Ecclesiæ, quorum alienatio specialiter est prohibita, vt latius dixi *suprad. tract. de bonorum Ecclesiastic. alienat.* & tradit Farinac. *q. 171. n. 45.* De decimis aliter dicendum censeo, non solum committi iniustitiam in illarum retentione, sed etiam irreligiositatem aliquo modo deteriorem sacrilegio. Quod sit iniustitia constat; quia retines quod alienum est: quod vero sit irreligiositas sacrilegio deterior, sic probo; quia solutio decimarum est formalis cultus Dei, quia fit in recognitionem supremi dominij. Ergo earum retentio irreligiosa erit, vtpote huic cultui diuino opposita priuatiuè, sicut est opposita omissio sacrificij, si tibi ab Ecclesia mandatum esset offerre.

11. Supradictis videtur addendum tempus sacrum, quod specialiter diuino cultui destinatur, quales sunt dies dominici, & festiui; sicut enim in templo, & in vasis sacris Deus honoratur, & colitur, sic in die dominico, & festiuo colitur auditione Missæ, & abstinentia ab operibus seruilibus. Ergo qua ratione templum, & vasa sacra inter sacras res enumerantur, quorum profanatio sacrilegium est, & tempus etiam enumerari debet. Ceterùm existimo tempus non esse inter res sacras numerandum; quia tempus non sacratur, tametsi in illo sacra fiant. Neque enim auditio sacri, aut seruilium operum abstinentia mandatur in venerationem temporis, sicuti mandatur in venerationem templi abstinentia in illo à forensi iudicio, & mercatura: sed directè mandatur auditio Missæ, & abstinentia ab operibus seruilibus in cultum Dei. Tempus autem ex tali mandato nullam specialem sanctitatem acquirit, sicuti non acquirit tempus, in quo alicui mandatur eleemosynam facere, vel aliud pium opus exercere. Ex quo fit omissionem Missæ in die festo, & laborem seruilem non esse propriè sacrilegium; quia non est violatio alicuius rei sacræ, sed est peccatum cuiusdam irreligiositatis contra Deum: sic Suarez *lib 3. c. 4. à num. 3.* fauet Lessius *lib. 2. c. 45. dub. 3. n. 18. tir. 2.* Fit secundò peccata mortalia in die festo commissa non habere speciem sacrilegij; quia non sunt intuitu religionis specialiter prohibita, vt latius Tract. *de obseruat. festorum diximus.*

§. III.

Quale peccatum Sacrilegium sit.

SVMMARIVM.

1 *Sacrilegium ex genere suo est mortale. Aliquando fierè potest veniale.*
2 *Est peccatum omissionis, & commissionis, & qualiter contingat.*
3 *Item contingit hoc peccatum per excessum, & per defectum.*
4 *Aliquando hoc peccatum cum aliis coniungitur. Aliquando per se committitur.*
5 *Explicare debes in confessione qua sacrilegia commiseris.*

1. COnstans est omnium sententia peccatum sacrilegij ex genere suo esse mortale. Tum quia excellenti virtuti opponitur, qualis est religio, tum quia grauem materiam habet, vt constare potest cuilibet discurrenti per supradictas species sacrilegij. Solum est difficultas; an & quando sit veniale? Et quidem si sacrilegium committatur ex formali contempru rei sacræ, nunquam veniale esse poterit, quantumcunque læsio rei sacræ videatur leuissima: quia contemnere sacrum,

graue quid est & hæreticorum proprium. At si non ex formali contemptu, sed materiali res sacra offendatur, peccatum veniale esse poterit. Primo ex parte materiæ, vt si leuiter clericum percutias, leuem rem è loco sacro fureris, leuiter rem voto promissam violes. Vsurpare autem iurisdictionem, tum in imponendo clerico tributum, tum in illo iudicando, aut ad iudicium trahendo, nunquam esse potest leuis materia, tametsi minimum tributum sit, & minimum tempus, in quo à iudice sæculari detineris; quia vt benè dicit Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 3. cap. 7. num. 2.* non tam attenditur ibi quantitas tributi, aut temporis, pro quo iurisdictio vsurpatur quam vsurpatio ipsa iurisdictionis, quæ per se res grauis est. Secundò fieri potest sacrilegium veniale ex defectu considerationis, & aduertentiæ: quod in omnibus peccatis commune est: sic Suar. *suprà.* Valentia 2. 2. *disputat. 6. quæst. 15. punct. 2.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 45. dub. 4. n. 29.* Bonacin. *disp. 3. de primo decalog. præcept. quæst. 6. p. vnic. num. 19.*

2. Hoc peccatum esse potest omissionis, & commissionis, tametsi frequentius commissionis sit. Valent. 2. 2. *disp. 6. quæst. 15. p. 2.* Suarez *tom. 1. de Religione, tract. 3. lib. 3. cap. 7. num. 4.* Percussio enim clerici, extractio delinquentis ex loco sacro vasorum sacrorum profanatio, templi destructio, & similia, peccata sunt commissionis, vt de se constat. At si reuerentiam debitam ex præcepto alicui rei sacræ, vt imagini, aut Eucharistiæ omittas, peccatum omissionis facis, qualiter faciunt qui Eucharistiæ non se inclinant, cum adoranda proponitur, & sacerdotes, qui in sacrario repositam sine claubis habent, iuxta text. *in cap. sanè de celebratione Missarum.* An autem sit propriè sacrilegium, vel aliud peccatum distinctum non recipere sacramenta tempore debito non satis constat. Videtur enim sacrilegium non esse, sicut non est sacrilegium omissio Missæ die festo, sed quoddam peccatum irreligiositatis circa Deum à sacrilegio distinctum. Adde sacrilegium debere committi circa rem sacram: at vbi datur omissio sacramenti, nulla est res sacra. Ergo nullum est sacrilegium, quod in læsione rei sacræ consistit. Nihilominus probabilius mihi videtur, sacrilegium esse; quia negari non potest ibi omitti aliquam reuerentiam debitam rebus sacris, scilicet sacramenti. Ergo talis omissio sacrilegium est: violas enim per omissionem rem sacram, quam sacramentorum receptione veneraris. Secus dicendum est in Exemplo de omissione Missæ præceptæ: hæc enim sacrilegium propriè non est, sed irreligiositas alterius rationis; quia in Missa non rem sacram sed Deum ipsum directè veneraris, ipsa enim est Dei veneratio, & supremus cultus.

4. Rursus hoc peccatum esse potest & per excessum, & per defectum; per excessum, si rem, quæ sacra non est, cultu sacro venereris, vt si vestibus non sacratis pro sacratis vtaris, illisque venerationem sacratis vestibus debitam tribuas: si reliquias, vel imaginem alicuius hominis non approbati à Sede Apostolica pro sancto, publicè vt talem venereris, vel priuatim sine sufficiente fundamento: committis enim excessum in tali cultu: peccas ergo sacrilegij peccato per excessum; per defectum clara sunt exempla: nam percussio clerici, profanatio vasorum sacrorum, indigna sacramentorum susceptio, & similia sunt peccata per defectum, quia deficis à cultu, quem talibus rebus sacris exhibere debebas.

4. Deinde hoc vitium sacrilegij aliquando cum aliis peccatis est coniunctum, aliquando per se solum committitur, quod in ordine ad confessionem est notandum. Nam sæpè cum iniustitia, vt in percussione clerici, sæpè cum intemperantia, vt in astricto voto castitatis fit. Sæpè tamen solum sacrilegium patratur, vt si verberes clericum ipso consentiente, vel per laicum absque necessitate: si copulam maritalem habeas in Ecclesia absque necessitate: si vasa sacra profanes, sacramenta indignè suscipias, in iis omnibus casibus sola malitia sacrilegij reperitur.

5. Denique in confessione non solum explicandum est, quoties commiseris sacrilegium, sed quæ sacrilegia fuerint; quia non solum in genere, sed in specie teneris peccata commissa declarare: constat autem plura sacrilegia specie differre: quæ enim primo loco constituimus differunt à secundo, & tertio, iuxta diuisionem supra factam, quæ est generis in species non infimas, quare quodlibet ex illis generibus suas species habet. Aliud enim est sacrilegium commissum vulnerando clericum, aliud illud ad tribunal sæculare ducendo, aliud tributum ei imponendo. Item aliud est sacrilegium, quo sacramenta violantur, & quo vestes, vasa sacra, & quod locus sacer per extractionem delinquentis, vel mercaturam, quo bona Ecclesiæ indebitè, vel vsurpatur: teneris ergo hæc omnia declarare: & notauit Bonac. *disp. 3. de primo decalog. præcept. q. 6. p. vnic. in fine.*

§. IV.

Quæ pœnæ sacrilegis sint impositæ, vel imponendæ.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur quibus in casibus excommunicatio sit ipso iure imposita ob sacrilegium.*
2 *Sacrilegium est mixti fori, & pœna imponenda arbitraria est spectata qualitate delicti.*

1. SI loquamur de pœnis ipso facto impositis, nullæ habentur in iure extra casus statim referendos. Prima est sacrilegium commissum per spoliationem rerum sacrarum cum effractione templi: iuxta *c. conquesti 22. de Sentent. excommunicat.* ob quod sacrilegium excommunicatio incurritur, de cuius intelligentia satis dixi, cum de immunit. Ecclesiarum sermonem feci. Solum aduerto, si res sacras comburas tametsi tecum non asportes excommunicationem contrahere posita templi effractione; quia respectu damnificationis Ecclesiæ, & illius spoliationi per accidens est, quod tecum res sacra feras, vel quod illas comburas. Item si templum ipsum destruxeris, & bona illius dissipaueris, clarum est in supradicta excommunicatione te comprehendi; quia verè spolias, & effringis: & in iis consentit Suarez *t. 5. de censur. disp. 22. sect. 2. num. 12.* Lessius *lib. 2. c. 45. dub. 4. n. 22.* Secunda est, sacrilegium commissum ob violentas manus in clericum, ratione cuius contrahitur excommunicatio reseruata: *cap. si quis suadente 17. q. 4.* de cuius intelligentia satis dixi in tractat. de excommunicat. *puncto de excommunicat. reseruatis in decreto.* Tertia est de violantibus immunitatem Ecclesiasticam præcipuè impositione tributorum, & illorum exactione, qui ipso iure excommunicantur in bulla cœnæ Domini, vt latius *ibi*: & tractat *de immunit. Ecclesiast. dixi.* Extra hos casus nulla est censura, nec pœna sacrilegis ipso iure annexa, & tradunt Suarez, Lessius, Valentia, Azor, Bonacina, reliquique Doctores allegati.

2. Si autem de pœnis imponendis à iudice loquamur, latè eas expendunt Salzed. *pract. c. 87.* Decian. *lib. 6. pract. crimin. cap. 33.* Menochius *de arbitr. lib. 2. casu 384.* Farinac. *de furtis, q. 172. à n. 1. & seqq.* Hi ergo Doctores primo statuunt hoc crimen sacrilegij esse mixti fori, & tam iudicem Ecclesiasticum, quam sæcularem de laico illud committente cognoscere posse ad præuentionem: sic Salzedo *dicto c. 87. vers. inter laicos* Petr. Gregor. *Syntag. iuris libr. 33. cap. 15. num. 3.* Farinac. *num. 30 & q. 8. num. 132. & 156.* Pœna autem imponenda arbitraria est pro qualitate delicti quod arbitrium extendi potest vsque ad pœnam mortis, si sacrilegium graue sit, quale esset furtum alicuius custodiæ, in quo sanctissimum sacramentum esset repositum, tametsi ipsa minimi valoris fuerit; quia tunc non attenditur tam qualitas furti, quam sacrilegij: sic Clar. *in pract. §. sacrilegium, n. 4.* Petr. Gregor. *suprà n. 3.* Decian. *cap. 33. n. 14. & 21.* Menech. *toto casu 389.* Farinac. *q. 172. à num. 12.* Anton. Gom. *t. 3. variar. cap. 5. n. 11.* & probat manifestè *lex. Sacrilegij pœnam, ff. Ad leg. Iul peculatus*, ibi: sacrilegij pœnam debebit proconsul pro qualitate personæ, próque rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexus, vel seuerius, vel clementius statuere. Ecce qua ratione augenda, vel minuenda pœna est arbitrio iudicis. Quod autem neque ad mortem extendi possit constat ex verbis, quę immediatè subiungit. Et scio (inquit) multos etiam ad bestias damnasse sacrilegos nonnullos etiam viuos exussisse, alios vero in furca suspendisse.

DISPVTATIO III.

De Simonia crimine Religioni opposito.

PLacuit de hoc crimine etsi, sacrilegium sit specialem disputationem instituere: quia de illo specialiter iure tractant, vt constat *titulo de Simonia in decretal. & in decret. causa 1. per quæstiones sequentes, & in leg. nostri regni, titulo 17. part. 1.* Item Theologi cum D. Thom. 2. 2. *q. 100.* & cum Magist. 4. *distinct. 25.* Summistæ *verbo* simonia: & alij in discursu referendi.

Simonia vitium est religioni oppositum, in quo indignè res spirituales pertractantur, ex quibus aliæ sunt per se spirituales vt sacramenta, dona supernaturalia, &c. Aliæ spiritualibus annexæ, vt beneficia Ecclesiastica. De his omnibus, qua ratione simonia committatur hac præsenti Disputatione declarare intendimus.

PVNCTVM

PVNCTVM I.

Quid Simonia sit ? Et qua ratione Religioni opponatur, & an semper sit peccatum mortale ?

SVMMARIVM.

1 *A quo nomen Simonia dicatur.*
2 *Simoniæ definitio expenditur.*
3 *Religioni aduersatur.*
4 *Qua ratione à sacrilegio distinguatur.*
5 *Aliquibus placet simoniam esse contra iustitiam.*
6 *In qua simoniæ iniustitia committatur, resoluitur.*
7 *Simonia ita est execranda, vt in ea leuitas materiæ concedenda non sit.*

1. SImonia nomen obtinuit à Simone, qui vt refertur. *Actor.* 8. voluit pecunia emere potestatem illam admirabilem dandi Spiritum sanctum, provt videbat in Apostolis relucere: & quia hic fuit primus qui in lege gratiæ hoc peccatum contaminatus fuit, ea de causa qui in illud delinquunt, Simoniaci appellantur: Quod si aliquis obiiciat in lege veteri aliquos fuisse hoc vitio contaminatos, vt Balaam, qui pretio fuit conductus, vt malediceret populum Israël, *Numer.* 22. & Giezi famulum Elizei, qui vt dicitur 4. *Reg.* 5. vendidit Naaman sanitatem diuinitus datam, facilè respondetur non vocari contaminatos hoc scelere Giezitas, nec alio nomine, quia nec Giezi neque alius ita grauiter, ac Simon Magus peccarunt; siquidem ipsi solum gratias gratis datas vendiderunt, quales sunt sanitas diuinitus data, quam vendidit Giezi, & decisio miraculosa hostium per maledictionem, quod vendidit Balaam. At vero Simon Magus voluit emere potissimum quoddam donum, scilicet potestatem conferendi Spiritum sanctum, hoc est gratiam sanctificantem, per quam Spiritus sanctus in nobis inhabitat: quod donum voluit emere, vt iterum venderet, vt dicitur *in c. Saluator* 1. *q.* 3. & docet August. *tract.* 10. *in Ioan.* & D. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 4. ideoque merito simoniaci vocantur. Alias rationes adducunt Arag. 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *in princ.* Valent. *t.* 3. *disp.* 6. *q.* 16. *p.* 1. *circa finem*, Suar. *lib.* 4. *de Simonia c.* 1. *à n.* 3.

2. Essentia simoniæ, & cuiusvis rei per eius definitionem cognoscitur. Definitur ergo Simonia, vt sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum: sic tradit glossa *can. qui studet.* 1. *q.* 1. *& in principio causa.* esto reputet quasi superfluam illam particulam spirituali annexum illam tamen omnes doctores admittunt. Dicitur studiosa voluntas, id est deliberata, vt explicat Lessius *lib.* 2. *de iustit. c.* 32. *dub. n.* 3. dicitur emendi, vel vendendi; quia quodlibet ex iis modis committitur Simonia: emere namque voluit Simon, vendere Giezi: His autè verbis emptionis, & venditionis cõprehenditur à doctoribus: vt constat ex D. Tho. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 5. omnis contractus non gratuitus, siue sit permutatio, siue locatio, siue conductio. Quapropter quotiescunque datur spirituale vt temporale donetur, aut contra; dicitur latè emptio, vel venditio rei spiritualis: facitque *lex sicut* §. *venditionis ff. quibus modis pignus, &c.* Requiritur tamen quod aliquod pretium temporale interueniat: aliàs neque erit emptio, nec venditio, at consequenter nec propria Simonia: cum ibi donum Dei non intendatur pecunia possideri, vt dictum fuit Simoni Mago. Puniri tamen potest (vt dicemus) pœnis simoniæ impositis ob eius similitudinem. Tertia particula est aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Vocatur spirituale, non quod incorporeum est, sed quod est aliquo modo supernaturale, & donum Spiritus sancti, vt sunt sacramenta, consecrationes, &c. Spirituali annexum vocatur, quod cum spirituali connexionem habet, quodque tripliciter contingit, vt notant Lessius, & Suar. *supra* antecedenter, comitanter, & consequenter. *Antecedenter*, vt iuspatronatus electio præsentatio, collatio, quæ pertinent, & ordinantur per se ad beneficia Ecclesiastica. Item secundùm quosdam, vestes, vasa sacra, altaria, templa, &c. quia ordinantur ad sacrificium Missæ. *Comitanter*, vt labor susceptus in administratione Sacramentorum, & aliorum quorumuis officiorum Ecclesiasticorum. *Consequenter*, vt beneficia Ecclesiastica quatenus sunt iura, & potestates recipiendi reditus Ecclesiasticos propter officium siue ministerium spirituale.

3. Ex dictis infertur, simoniam religioni aduersari: si quidem irreligiosè tractat res diuinas, & supernaturales, quatenus illas venales facit, & pretio temporali coæquat, cum sint supra omne pretium: ita sentiunt Hostiens. & Abbas in *c. Nemo de Simonia* & omnes doctores. Et licet in iure canonico hoc vitium sæpè sit appellatum hæresis simoniaca, *c. Presbyter* 1. *qu. ast.* 1. *cum seq. & c. quoties de Simonia*, non tamen est propria hæresis, vt notant doctores cum Glossa *in c. firmissime de Hæreticis*: & aduertit Suar. *lib.* 4. *de Simonia c.* 1. *n.* 6. & Valen. *disput.* 6. *q.* 16. *p.* 4. *vers. secundo dico pag.* 1668. Quia stat optimè velle aliquem vendere, aut emere rem spiritualem ex prauo affectu voluntatis, quin internè iudicet rem spiritualem esse pretio æstimabilem: est tamen impropriè hæresis, sed vt ait D. Thom. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 1. est hæresis quoad externam professionem; quia qui donum Spiritus sancti vendit, externa venditione profitetur se esse doni Spiritus sancti dominum, aut rem illam esse venalem, pretioque æstimabilem.

4. Sed est difficultas posito Simoniam esse contra religionem, qua ratione à sacrilegio distinguatur siquidem sacrilegio est indebita rei diuinæ tractatio ?

Respondeo cum Valen. *supra qu. ast.* 16. *p.* 4 *circa finem*, dupliciter à sacrilegio differre. Primò; quia sacrilegium est violatio rei sacræ secundùm vsum, ad quem fuit destinata, vt conculcares, & profanares res diuinas, cum sint venerationi, & orationi destinatæ. Simonia verò est violatio rei sacræ non tam quoad eius vsum quam quoad eius dignitatem: siquidem eius dignitas minoris sit, quam par est venditione & emptione. Secundò differunt, vt etiam docet Caietan. *q.* 99. *de sacrileg. dub.* 1. quatenus simonia infert iniuriam rei sacræ per modum voluntariæ commutationis iniustæ, id est cum relatione ad alterum ementem, vel vendentem, qui similiter infert iniuriam rei sacræ. Sacrilegium verò non est per se cum relatione ad alterum, qui similiter violet eandem rem sacram.

5. Item aliquibus placet Simoniam etiam esse contra iustitiam, concedit Sotus *lib.* 9. *de iustit. q.* 5. *art.* 2. Valent. *t.* 3. *disp.* 6. *q.* 16. *p.* 4. *vers. tertio pag.* 1668. Ratio est; quia dispensator, cui à domino mandatum esset bona aliqua gratis erogare, iniustitiam committeret illa vendendo. Cum igitur homines rerum spiritualium Domini non sint, sed tantum dispensatores, vt dicit Paul. 1. *Corinth.* 4. sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei: & ex alia parte illis mandatum sit hæc omnia gratis conferre, vt constat *ex Matt.* 10. *cap.* gratis accepistis, gratis date, efficitur sanè pro illorum datione iniustè pretium expostulari, & recipi. Video tamen Nauarr. *lib.* 2. *de restit. cap.* 2. *n.* 385. *& Suar. lib.* 4. *cap.* 4. affirmare venditorem Simoniacum non peccare contra iustitiam: quia neque respectu Dei, cum ibi nulla re eum priuet, neque etiam respectu ementis spirituale donum: cum longè plus illi detur, & maioris valoris, quam pretium à se exhibitum. Adde sæpè vendentem spirituale priuare se aliqua vtilitate spirituali, vel temporali, vt si vendat beneficium, si vendat grana benedicta, Missam, sacrificium, &c. quod pro se poterat applicare: non igitur committit iniustitiam pretium aliquod expostulans pro huiusmodi rebus.

6. Ego vero censeo non in qualibet venditione rei spiritualis reperiri iniustitiam, sed in illa solum ex cuius datione nullum incommodum patitur, nullumve emolumentum amittit venditor. Probo argumento vltimo facto pro sententia. Suar. qui enim habens beneficium, & illi vti potens venderet, sine dubio se priuat vtilitate temporali. Ergo pro illo damno pretium absque iniustitia exigere potest. Neque obstat neminem esse dominum beneficiorum, sed ministrum, & dispensatorem Christi mandantis gratis hæc dona exhibere: quia non est minister, & dispensator, cui necessario onus incumbat dispensandi illa bona: habet enim potestatem illis vtendi. Quando ergo dispensator adstrictus non est bona domini impertiri, sed saltem vsum illorum habere potest: potest etiam pro ptiatione illius vsus quam suscipit, & concessione, quam alteri tribuit aliquid absque iniustitia exigere. Vnde quando nullum damnum patitur ex bonorum spiritualium concessione, pretium exigere iniustitia erit; siquidem tenetur exibere: cui modo dicendi ex parte consentit Lessius *lib.* 2. *c.* 35. *dub.* 28. *à n.* 158.

7. Rursus Simonia vitium est ita execrabile, & omnino detestandum, vt dicitur in *cap. reperiuntur, c. eos qui* 1. *q.* 1. vt nullo modo leuitas materiæ in eo admittenda sit: ita communiter doctores, Nauarr. *in extrauag. de datis pro iustitia, vel gratia, notab.* 10. *n.* 20. vers. *per quæ omnia*, & *lib.* 5. *consil. in noua edit tit. de Simonia cons.* 52. *n.* 3. Hugolin. *in tractat. de Simonia, tab.* 1. *cap.* 17. *in princ. n.* 3. Suar. *tom. de Relig. lib.* 4. *c.* 3. *num.* 5. Sanch. *lib.* 1. *decal. c.* 4. *n.* 1. Ratio est; quia neque ex parte rei spiritualis, neque ex parte pretij potest dari leuitas materiæ. Non ex parte rei spiritualis; quia quantumque res spiritualis in suo genere parua sit, vt cereus, agnus aqua benedicta, prima tonsura grauis est iniuria eam venalem facere, pretioque temporali æstimare, & quasi coæquare: indicatur enim hac ratione esse eiusdem valoris, & dignitatis.

Neque obstat in aliquibus peccatis contra religionem dari leuitatem materiæ, vt in fractione voti, & iuramenti; quia non per se, & directè aliqua res diuina violatur: sicut in venditione rerum spiritualium, in conculcatione rei sacræ quantumcunque minimæ, in blasphemia, in infidelitate, in periurio assertorio: quæ omnia nisi per ignorantiam, & inconsiderationem leuia peccata esse non possunt. Quod verò quantitas pretij, quo res spiritualis venditur, aut emitur, non possit simoniam facere leuem, constat; nam quo minor est quantitas

pretij data pro re ſpirituali, eo magis, videtur vilipendi, & contemni ipſa res ſpiritualis, vtpote quæ paruo pretio æſtimatur. Et hac ratione in *cap. ex tua, de Simonia*, condemnatur clericus, qui ſex tantum ſolidos pro ſua præſentatione ad ordines dedit, in perpetua ordinis depoſitione, & monaſterij recluſione: quæ pœna cum ſit ita grauis non imponeretur, niſi ob peccatum mortale, & tamen quantitas data parua erat, vt expoſitores ibi notant, facit etiam *can. placuit, & can. iudices* 1. *quæſt.* 1. Neque in contrarium eſt *cap. etſi quæſtiones de Simonia*: vbi ratione modici pretij dati excuſatur quis à Simonia. Quia non excuſatur ratione modici pretij, ſi eſſet ex pacto: ſed quia præſumitur datum fuiſſe liberaliter; tum quia modicum: tum & præcipuè quia fuit datum in necessitate, & inter fratres.

PVNCTVM II.

Quotuplex ſit Simonia.

SVMMARIVM.

1 *Simonia alia eſt iuris diuini & naturalis, alia poſitiui, & explicatur Simonia iuris diuini, & naturalis.*
2 *Explicatur ſimonia iuris poſitiui.*
3 *Deinde Simonia alia eſt mentalis, alia conuentionalis, alia realis, & expenduntur.*

1. PRimo diuiditur ſimonia in eam, quæ eſt iuris diuini, & naturalis, & in eam, quæ eſt iuris poſitiui: quam diuiſionem ferè omnes admittunt cum Gloſſa. *in cap. pridem, de Pactis, verſ. illicita pactionis & cap. ex part.* 1. *de officio iudicis deleg. verſ. dimittere cap. ſaluator.* 1. *q.* 3. *verſ. & iudicem*, & conſtat ex aliis, quæ latè tradit Suar. *lib.* 4. *cap.* 2. *&* 7. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 2. *& ſeq.* Vocatur autem ſimonia iuris diuini, & naturalis, quando aliqua res de ſe ſpiritualis venditur, aut emitur, vt ſi venderes ſacramenta, aut calicem conſecratum pluris ob conſecrationem; aut imagines, & alia benedicta plutis ob benedictionem: & in hac Simonia non poteſt Pontifex diſpenſare.

2. Simonia autem iuris poſitiui eſt, quæ à ſola lege Eccleſiaſtica ortum habet: ſolet enim lex Eccleſiaſtica commutationem rerum ſpiritualium, hoc eſt beneficiorum prohibere: *cap. quæſitum, cap. cum olim de rerum permutat. cap. cum pridem, cap. clerici de Pactis, & cap. conſtitutus cum aliis de tranſactionibus* ne permutantes labem ſimoniæ incurrant: Item *in cap. ſi quis Epiſcopus* 1. *q.* 1. *& cap ſaluator.* 1. *q.* 3. affirmatur eſſe Simoniam vendere officium œconomi, vicedomini, aduocati, ſacriſtæ, caſtaldi; quæ tamen venditio, vt bene dicit Leſſius *lib.* 2. *cap* 35. *dub.* 4. *num.* 26. non eſt contra ius diuinum; quia ſunt officia temporalia ordinata ſolum ad temporalium adminiſtrationem; neque eſt in illis vlla ſanctitas per conſecrationem, aut benedictionem. Nam œconomus eſt, qui res Eccleſiæ, & canonicorum gubernat; vicedominus eſt œconomus rerum Epiſcopi, aduocatus, qui cauſis Eccleſiæ tractandis præeſt; caſtaldus eſt, qui aliàs dicitur maiordomus, vt explicat gloſſa. Difficultas vero eſt; an hæc Simonia iuris poſitiui ſit propria ſimonia? Affirmat Suar. & Leſſius *locis citatis*. Negat Durand. *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 1. Sotus *lib.* 9. *de iuſtit. q.* 5. *artic.* 2. *ante reſponſionem ad argumenta*, Victor. *in relect. de Simonia, num.* 15. *& ſeq.* Man. Rodrig. *tom.* 2. *ſumm. cap.* 56. *num.* 2. *&* 3. Ego vero exiſtimo cum Valent. *tom.* 3. *diſput.* 6. *q.* 16. *part.* 5. *à verſ. ſecundo pag.* 1667. *& ſeq.* fortè eſſe controuerſiam de ſolo nomine; in primis enim negari non poteſt Eccleſiam ſuis præceptis conſtituere poſſe materiam in rectitudine illius virtutis, qua cum habet aliquam connexionexionem, & ſimilitudinem: hac enim ratione percuſſionem clerici conſtituit in materia ſacrilegij ob reuerentiam ordinis, quo clericus eſt inſignitus, & eodem modo pollutionem effuſionemque ſanguinis in Eccleſia ob loci reuerentiam prohibita, fecit vt eſſent ſacrilegia: ita ſimiliter prohibens permutationem beneficiorum, venditionem officij adminiſtratoris rerum Eccleſiaſticarum ob maiorem reuerentiam rerum ſpiritualium & vt omnis ſimoniæ ſpecies vitetur conſtituit ſanè hæc omnia in materia religionis, atque adeo efficit tranſgreſſionem illorum eſſe contra religionem. Quod vero talis tranſgreſſio conſtituatur in propria ſpecie Simoniæ, eiuſdemque ſit rationis cum Simonia iuris diuini. Hoc ego dico eſſe quæſtionem de nomine. Certum enim eſt cum illa conuenientiam aliquam habere, tum in materia videlicet in commutatione non gratuita; tum etiam in eo; quod aduerſatur eidem virtuti, ſcilicet religioni; tum etiam in pœnis.

3. Secundò diuiditur Simonia in mentalem, conuentionalem, & realem; quæ diuiſio communiter recepta, eſt à Iuriſperitis, & Theologis. Mentalis eſt quando nullo pacto præcedente, ſed affectu animi ſpirituale donatur, vt temporale acquiratur, vel è contra v. g. ſi conferens alicui beneficium, intendas obligare illum ad reddendum temporale, vel è contra ſi conferas temporale, & intendas ptopter ipſum obligare alium ad reddendum ſpirituale. Vocatur autem hæc Simonia mentalis: non quia in actum exteriorem dandi, & recipiendi non exeat: ſed quia iniquus animus non declaratur: vt benè aduertit Valent. 2. 2. *diſputat.* 6. *q.* 16. *part.* 5. *in princip.* & de hac Simonia loquitur *cap. Tua nos*, §. *licet & cap. vlt. de Simonia*: vbi cum datur beneficium, vel reſignatur ea intentione, & affectu dociditur ſimoniam eſſe, & apud iudicem diuinum, qui eſt ſcrutator cordium debere puniri.

Conuentionalis Simonia eſt, quæ mentali ſuperaddit externam conuentionem: ſeu pactum; ex neutra tamen parte completum, vel ſaltem non completum ex vtraque parte. Nauarr. *cap.* 23. *numer.* 103. Valent. *diſput.* 6. *quæſt.* 16. *part.* 5. *verſ. & notandum pag.* 1669. Ratio eſt; quia realis, & completa, perfectaque venditio non dicitur, quouſque contractus ex vtraque parte compleatur. Aduerte tamen, ſi ſolum pollicitationem feceris de pretio, ſi tibi daretur beneficium: neque alius pollicitationem acceptauerit, conuentionalem ſimoniam non committis: quia non eſt conuentio, quouſque promiſſio acceptata ſit; ſic Farinac. *lib.* 1. *deciſ.* 34. *num.* 4. 5. *&* 6. vbi alios refert. Realis Simonia dicitur, quando ex vtraque parte completur contractus, ita vt ex vna parte donetur ſpirituale, & ex alia pretium, vel pars pretij. Vnde Simonia realis ſupponit conuentionalem, & conuentionalis ſupponit mentalem ſaltem ex natura rei; & ſecluſa lege poſitiua.

PVNCTVM III.

Quæ habeant rationem pretij ad conſtituendam Simoniam.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur in genere, quæ res habeat rationem pretij.*
2 *Remiſſio debiti, aut permiſſio remittendi rationem pretij habet.*
3 *Item mutuatio pecuniæ.*
4 *Deinde penſio ſoluenda.*
5 *Rurſus beneficij reſignatio, collatio, aut permutatio. Sed hoc intelligendum eſt de beneficio non ipſo iure vacante.*
6 *Quid dicendum, ſi in beneficij collatione peteretur iuramentum de non reſignando tale beneficium cum penſione?*
7 *Quid ſi peteretur, vt prius reſignaret habitum.*
8 *Obſequium beneficiarij verè poteſt rationem pretij habere.*
9 *Preces, interceſſiones, fauores, & laudes ſub pretio comprehendi poſſunt.*

1. VT clarius eſſentia ſimoniæ intelligatur, examinandum eſt pretium ad ipſam requiſitum: conſiſtit enim Simonia in emptione, & venditione, quæ abſque aliqua re habente rationem pretij effici non poſſunt.

Quæ vero res habeas rationem pretij? Reſpondet optimè Gregor. & doctores omnes *in cap. ſunt nonnulli, & capit. ordinationes, capit. de ordinationibus* 1. *quæſt.* 1. *cap. ſaluator.* 1. *quæſt.* 3. diſtinguuntque triplex donum, ſcilicet munus à manu, munus ab obſequio, munus à lingua. Munus à manu eſt pecunia, ſub qua comprehenditur quidquid poſſidetur in terra vt dixit Auguſt. *in cap. totum* 6. 1. *quæſt.* 1. Munus ab obſequio eſt obſequium præſtitum Eccleſiæ, collatori, electori, patrono, vel amicis eorum. Munus à lingua intelliguntur fauores interceſſiones, laudes, preces, &c. Omnia autem hæc poſſunt eſſe pretium in ſpiritualibus, & ſufficiunt ad ſimoniam conſtituendam, vt conſtat ex *cap. etſi quæſtiones, cap. tua nos, cap. in tantum de Simonia.*

Neque obſtat §. *item pretium, inſtit. de empt. & vendit.* vbi declaratur non eſſe propriè emptionem, & venditionem, quando, vna res pro alia commutatur non intercueniente pecunia: quia non eſt maior ratio, quare vna potius, quam alia habeat rationem pretij. Nou inquam obſtat, quia tibi loquitur *I. C.* inter commutationem rerum eiuſdem ordinis. Secus vero eſt dicendum, quando temporale datur in commutationem rei ſpiritualis: tunc enim temporale propter affinitatem cum pecunia habet rationem pretij, potius quam ſpirituale. Adde ad Simoniam ſufficere contractum eſſe oneroſum, eſto propria emptio, & venditio non intercedat, vt ex dictis; & ex dicendis conſtabit.

2. Sed vt clarius doctrina eluceſcat, placet declarare aliqua, in quibus dubium eſſe poterat; an ſufficerent ad pretium conſtituendum, ac proinde ad Simoniam?

Primò igitur comprehenditur ſub munere à manu remiſſio debiti, aut promiſſio remittendi debitum: tenet multis allegatis

allegatis Flamin. Patiſ. *lib.* 14. *de reſignat. benef. q.* 7. *num.* 31. *& num.* 71. *& conſtat. ex cap. talia,* 8. *q.* 3. *& ibi* Gloſſa: & expreſsè ſupponitur *in cap. veniens* 10. *de teſtibus*, & *ibi* Gloſſa Panorm. & alij. Qua ratione *in cap. penult. de Simonia*, tam ordinans, quam ordinatus ſuſpenditur; eo quod petierit ordinans ab ordinando promiſſionem nihil ab eo poſtulandi in debitam ſui ſuſtentationem; eo quod ſine titulo illum ordinauerit: & de ordinato habetur expreſsè *cap. per tuas* 3. *de Simonia.* Ratio eſt; quia Epiſcopus ordinans vel præſentans aliquem ordinandum ſine titulo, tenetur ad alendum illum: vt deciditur *cap. cum ſecundum de Prabendis.* Ergo ſi petit hanc obligationem ſibi remitti, petit aliquid pretio æſtimabile, ac proinde ſufficiens ad ſimoniam.

Ex hac doctrina infert Nauarr. *in ſumm. cap.* 27. *n.* 158. §. *declaratio prima*, & Suar. *lib.* 4. *de Simonia*, *c.* 38. *n.* 5. conſtituentem ex bonis propriis alicui ordinando titulum ſeu patrimonium, ſi ab illo recipiat promiſſionem de nihil poſtulando, committere ſimoniam vltra peccatum indebitæ ordinationis, cuius eſt particeps: quia media remiſſione debiti conſtituit tibi titulum ad ordines, ſicut patronus præſentans ad beneficium, ſi promiſſionem peteret non petendi redditus, abſque dubio eſſe ſimoniacus. Verum contra ſentiendum eſt cum Cardin. Tolet. *lib.* 1. *ſum. cap.* 48. *n.* 10. cuius fundamentum eſt non quia remiſſio debiti non ſit munus manu ſufficiens ad conſtituendam ſimoniam: ſed quia datio patrimonij non eſt quid ſpirituale, nec propriè ad ordines præſentatio. Vnde *num.* 12. *in fine*, dicit ita fuiſſe determinatum in ſacra pœnitentia, ſcilicet non incurrere ſimoniam, qui ordinatur accepto patrimonio, & facto pacto de illo alienando, vel reſcindendo, &c.

3. Secundò ſub munere à manu comprehenditur mutuatio pecuniæ. Quapropter qui beneficium, vel aliam rem ſpiritualem tribueret ſub conditione pecuniæ mutuandæ, abſque dubio ſimoniam committeret tam dans, quam recipiens. Et idem eſt, ſi petatur dilatio debiti ex iuſtitia ſoluendi hic, & nunc; vel è contra, ſi petatur debiti ſolutio, antequam debeatur: quia hæc mutuationi æquiualent, imo nihil aliud eſſe videntur. Ratio omnium eſt: quia eſto mutuum non ſit ſpecialiter pretio æſtimabile: negari tamen non poteſt eſſe quoddam temporale commodum ſufficiens ad mouendos animos: vt notat Bald. *in leg. quiſquis, Cod. ſi certum petatur*, vbi exilio punitur, qui mutuat iudici, quia cenſetur quaſi emptor legum propter efficaciam quam habet ad animos corrumpendos. Idemque tradit *in leg.* 1. *ff. Calumniatorib.* Ergo petere hoc commodum temporale in commutationem rei ſpiritualis ſufficiens omnino eſt ad ſimoniam: cum in datione rei ſpiritualis omnis pactio, omniſque conditio, quæ de iure non ineſt, abeſſe debet, vt conſtat ex *cap. vltim. de Pactis, & aliis*, & ita pro certo ſupponit Nauar. *c.* 23. *num.* 101. *in fine, & conſ.* 14. *num.* 6. *de Simonia, & conſ.* 23. *n.* 2. Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 9. §. 5. *n.* 2. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 9 Suar. *lib.* 4. *de Simon. c.* 38. *n.* 7. Mol. *tract.* 2. *de iuſtit. diſp.* 310. §. *quoad vltimum, pag.* 372. Flamin. *de reſignat. benef. tom.* 2. *lib.* 4. *q.* 7. *à n.* 2. *& tract. de confidentia, q.* 36. Nicolaus Garcia 11. *part. de benef. cap.* 3. *num.* 171. *& ſeq.* Azor. 2. *p. inſtit. moral. lib.* 7. *q.* 2. *Arag.* 2. *q.* 78. *art.* 2. *pag.* 683. Man. Rodrig. *tom.* 2. *ſum. verſ. Simonia, cap.* 59. *num.* 3. *in ſecunda concluſ.* Neque obſtat vſuram non eſſe, ſi pecuniam mutuans petat, vt ſibi triticum mutuatarius remutuet iuxta *cap.* 1. *de Vſuris*: & docet Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de Simonia, cap.* 37. *num.* 16. *fine*, cum D. Thom. *q.* 79. *art.* 2. *ad* 4. *& cap.* 38. *n.* 7. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 8 *in princ.* Quia in huiuſmodi caſu ideo non eſt vſura; quia non petis commodum aliquod diuerſum ab eo quod ipſe præſtas. At in largitione rerum ſpiritualium, cum maxima puritas requiratur, venire non poſſunt commoda temporalia in permutationem; imo quo minus æſtimabilia ſunt, ideo videtur grauior irreuerentia ſpiritualibus irrogari admittendo commutationem, & permutationem vnius cum alio vt rectè Suar. *ſuprà.* Aduerto tamen hæc omnia intelligenda eſſe, quando datur mutuum eo pacto, & conditione, vt detur beneficium: ſecus vero quando liberaliter datur ad beneuolentiam captandam, vel ingratitudinem beneficij accepti, ſiue hoc ſit ante, ſiue poſt, ſiue in ipſa beneficij collatione, vt notarunt Flamin. & Garcia *ſuprà* & infra latius dicemus.

4. Tertio ſub munere à manu comprehenditur penſio ſoluenda: quia eſt quædam promiſſio pecuniæ ſoluendæ. Quocirca ſi Epiſcopus (& à fortiori eſt de quolibet alio electore) conferens alicui beneficium conueniat cum eo, vel cum alio tertio de admittenda penſione ſibi, vel alteri aliàs non collaturus non eſt dubium ibi intercedere ſimoniacam prauitatem, vt conſtat ex *cap. vlt. vt Eccleſiaſt. benefic. ſine diminut. conferantur.* Nam licet Epiſcopis liceat ad tempus pro cauſa iuſta, & neceſſaria beneficiis Eccleſiaſticis penſionem imponere, vt conſtat ex *ſupradicto cap. & ex cap. ſi propter de Reſcript. in* 6. *ex Clement.* 2. *de rebus Eccleſ non alienand.* vbi *gloſſa* verbo *defenſor.* nunquam tamen licet in largitione beneficij expoſtulare conſenſum de admittenda penſione, & ſub grauamine conferre, quando beneficium ipſum grauatum non erat, vt docet benè Flamin. *libr.* 6. *de reſignat. q.* 2. *num.* 3. & Suarez *lib.* 4. *cap.* 38. *numero* 10. & ratio eſt: quia præſumitur ibi eſſe iniquam pactionem, cum conſenſus eius, cui dandum eſt beneficium, neceſſarius non ad reſeruationem penſionis: quia ipſemet Epiſcopus poteſt cauſa iuſta, & neceſſaria intercedente reſeruare fructus beneficij vacantis, vel partem eorum. Video tamen nullam penſionem impoſitam ab Epiſcopo ſine confirmatione Pontificis vires obtinere: quia eſt ſatis probabile per non vſum hanc facultatem amiſiſſe: tenet abſolutè Valent. 2. 2. *diſputat.* 6. *q.* 16. *p.* 3. *in fine*, Ludouic. Lop. *inſtruct.* 1. *p. cap.* 303. poſt Sotum *lib.* 9. *quæſt.* 7. *art.* 2. Tolet. *ſumm. lib.* 5. *cap.* 62. *in fine* Zecchius *de benefic. & penſionib. cap.* 11. *num.* 2. *in princ.* Ledeſm. 2. *par. ſumm. tract.* 12. *concl.* 20. *&* 21.

Huc ſpectant varij caſus, quos tractat Nauar. *in variis conſil. de Simon. vt conſ.* 47. de illo beneficij prætenſore, qui cum aliquo curiali conuenit, vt ſibi auxilium ferat ad beneficium obtinendum, ſub conditione ſoluendi illi penſionem; & in *conſ.* 57. de alio, qui cum aulico paſcitur, vt ſibi de vacantibus beneficiis ſtatim notitiam præbeat promittens ſe conſenſurum penſioni imponendæ in fauorem eius. Quia promiſſione penſionis paratur via ad beneficium. Vide alios caſus apud Flamin. *de reſignat. lib.* 14. *q.* 4. *à n.* 5.

5. Quartò ſub munere à manu comprehendi etiam poteſt beneficium propter temporales annexum: docet cum communi Sylueſt. *verb. Permutatio* 2. *quæſt.* 7. *&* 13. Nauarr. *conſ.* 43. *de Simon.* Suar. *lib.* 4. *cap.* 31. *num.* 14. Vnde ſi in collatione alicuius rei ſpiritualis petatur permutatio, aut reſignatio alicuius beneficij, abſque dubio committitur Simonia, ſaltem ex iure Eccleſiaſtico, quia non ſolum habet verum, quando petitur permutatio, & reſignatio in fauorem tertiæ perſonæ, iuxta *cap. de Soc. de Simonia, cap. cum pridem, cap. vltim. de pactis*, ſed etiam quando abſolutè petitur ceſſio beneficij abſque ſignatione perſonæ. Quod vt plenè intelligatur ſciendum eſt aliqua eſſe beneficia taliter incompatibilia, vt vno obtento, vacet alterum ipſo iure, vt ſi habeas beneficium cum cura animarum, dignitatem, perſonatum, vel officium, & accipias ſecundum huius generis, obtenta pacifica poſſeſſione ſecundi vacat primum; ita habetur *cap. de multa, Prabendis*, & clarius *in extrauag. execrabilis eodem.* Idem eſt de præbendis vniformibus ſub eodem tecto, vt patet *cap. litteras 9. de conceſſ. prabenda*, vt duo canonicatus, quare ſi habeas vnum canonicatum, & obtineas alium per pacificam poſſeſſionem in eadem Eccleſia vacabit prior. Reliqua verò beneficia etiam reſidentiam poſtulantia non vacant ipſo iure per obtentionem, & poſſeſſionem pacificam ſecundi, ſed veniunt vacanda. Non enim canonicatus vacat ipſo iure obtenta parochia, aut dignitate, alia extra Epiſcopalem neque parochia, aut dignitas, obtento canonicatu, alioque beneficio ſimplici; quia nullo iure id cauetur eſt ita Nauarr. *lib.* 3. *conſ.* 29. *de Prabendis*, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 27. *num.* 144. iis poſitis.

Dicendum eſt ſi alicui conferatur beneficium incompatibile omnino cum eo quod habet, & petatur vt relinquat prius, Simonia non eſt: ita Abbas *in cap. ſignificaſti de elect. in* 6. *gloſſa cap. ad audientiam tom. de Reſcript. verſ. renunciantes*, Vgolin. *de Simon. tab.* 1. *cap.* 11. *num.* 4. Nicol. Garcia *tom.* 2. *de benef. p.* 8. *cap.* 2. *num.* 22. *&* 28. Ratio eſt; quia hæc conditio de iure ineſt neque ab illo petitur, quod ipſe præſtare non teneatur. Secus vero ſi peteretur, vt relinqueret prius ante captam ſecundi poſſeſſionem, vt dicemus. Et idem eſt ſi peteretur, vt relinqueret liberè aliud habitum vel in fauorem alicuius, quod tamen non vocat ipſo iure, quia tunc expoſtulatur aliquod onus, quod de iure non ineſt; ac proinde inducit ſimoniam ita Garcia aliis relatis *ſupra. n.* 17. 24 & eſt communis ſententia. Hæc tamen omnia intelligenda ſunt, quando datur beneficium ſub eo onere, & conditione, vt reſignet aliud: ſecus vero ſi reſignatio non peteretur, vt obligatoria. Quocirca Manuel. Rodrig. *c.* 64. *n.* 4. 2. *ſum.* cum Nauarr. *lib.* 5. *conſil. tit. de Simonia conſ.* 23. diſtinguit in eo, qui patrono habenti ius præſentandi ad aliquam præbendam pinguem, offerret beneficium ſimplex ea conditione vt ipſe præſentetur ad talem præbendam: an ſcilicet fiat ea conditione principali, & immediata propter aſſecutionem beneficij; an vero fiat tanquam cauſa impulſiua, & motiua, hoc eſt ad mouendam voluntatem, & illum inclinandum ad talem præſentationem: ſi hoc ſecundo modo fiat, affirmat ſimoniam non eſſe.

6. Hinc deciditur quæſtio, quam tractat. Nauarr. *conſ.* 1. *Vt Eccleſiaſtic. beneficia*; Videlicet, an ordinarius in collatione beneficij exigere poſſit à collatorio iuramentum de non reſignando illud cum penſione, neque in fauorem alicuius, ſed liberè? Cui quæſtioni reſpondet negatiuè Nauar. *ſupra*, & Flamin, Patiſius de *conſid. quæſt.* 52. & Vgolin. *tab.* 1. *de Simonia cap.* 8. §. 3. *num.* 2. & addunt Nauarr. & Flamin. tale iuramentum ſi apponatur nullum eſſe ſeu poſſe collatorium nõ obſtãte eo reſignare beneficium cui voluerit, & cum penſione, &c.

Verum Nicol. Garcia *de benefic. tom.2.8. p. numero 33.34. & 39. & seq.* distinguir, aut iuramentum exigitur ante collationem beneficij, aut beneficium confertur cum onere præstandi postmodum dictum iuramentum: Si hoc secundo modo fiat affirmat committi simoniam; quia iam datur beneficium cum onere, & pacto, quod de iure non ineſt: contra decisionem *cap. quam pro 1. q. 2. cap.* Attoldus 8. *q.3. cap. fin. de pactis cap. tua nos de Simonia*: Si vero iuramentum ante collationem exigatur, non videtur ibi committi simoniam; quia non petitur aliquid, quod in vtilitatem collatoris, aut alterius directè cedat. Hæc tamen ratio non est efficax; nam siue iuramẽtum post collationem, siue ante præstetur, eodem modo cedit in vtilitatem collatoris; ac proinde si in vno casu committitur Simonia, etiam in alio. Adde si alicui conferretur beneficium curatum cum onere vt resignaret liberè simplex, omnes admittunt committi simoniam, esto resignatio non cederet in vtilitatem conferentis beneficium, aut alterius directè. Et ratio est; quia petitur conditio aliqua in collatione beneficij, quæ de iure non ineſt, & quæ de se est onerosa: igitur cum iuramentum de resignando beneficio liberè, & sine pensione, casu quod debeat resignari, de iure non insit beneficio accipiendo absolute videtur committi Simonia: ita vt probabilius defendo, esto Man. Rodrig. *t.2.sum.* verbo *Simonia c.60.n.4.* & Cordub. *in sum.q.30.* contra teneant.

7. Idem à fortiori existimo, in casu quo Episcopus intendens nominare, seu conferre parochialem alicui oppositori habenti aliam parochialem, peteret ab eo, vt prius dimitteret parochialem, quam habet. Nam si dimittens ea conditione resignet, vt sibi Episcopus secundum parochialem concedat, aut ad illam nominet, absque dubio est Simonia, cum pro collatione, seu nominatione ad beneficium aliquid faciat, ad quod de iure non tenetur. Et idem est, si resignatio fieret saluo iure hoc est si non assequeretur secundum reuerteretur ad primam. Secus verò dicendum est si liberè, & sine vllo pacto, & conditione tacita, vel expressa fieret resignatio (quod credendum non est) ita tradit Garcia *tom. 2. de benefic. p. 8. cap.2. num.46. & seq.* & aduertit constitutum in sacris, neque habentem aliunde, vnde sustentari possit, nullo modo posse etiam liberè, & sine vllo pacto resignare primam, quousque obtineat secundam, & maximè si ad titulum primæ ordinatus sit ex *decreto Concilij de reformat. sess.21. cap.2. & ex constitutione 58. Pij V.* Ex dictis infero generaliter quamlibet obligatam onerosam esse sufficiens munus à manu ad inducendam simoniam. Vnde si aliquis daret rem spiritualem ea conditione vt in matrimonium duceret consobrinam, esset simoniacus: ita Tolet. *c.90.n.3.* Et ratio est; quia spiritualia ab omni pacto debent esse aliena *cap fin.de Pactis, &* aliis.

8. Munus ab obsequio vt distinguitur à munere à manu nihil aliud est quam obsequium præstitum per propriam personam: quod autem hoc obsequium sufficiat ad pretium requisitum in Simonia admittunt doctores omnes: Et ratio est manifesta; quia pecunia compensari solet. Ex quo fit, si elector, aut collator alicuius beneficij intendat ipso beneficio soluere debita iustitiæ contracta ratione obsequij esse Simoniam. Exemplis declaro. Episcopus habens Vicarium, aut visitatorem, cui tenetur singulis annis salarium tribuere, nec tamen tribuit, si postea conferens illi beneficium, intendat ab omni illo debito liberari, erit simoniacus. Idem est si det beneficium ea conditione, vt beneficiatus grammaticam, geometriam, aut aliam doceat scientiam ipsum Episcopum, vel quodvis aliud obsequium præstet beneficio minime annexum, vt dicere aliquas missas, recitare aliquas orationes, promouere negotia, &c. Quia omnia probantur, ex *cap. cum essent de Simonia:* vbi promissio cuidam facta de beneficio illi præstando, si negotium quoddam promittentis in Romana curia promoueret, simoniaca censetur: & ita latissimè tradit Suarez *lib.4.cap.39. à num.5. & numero 12.* & Man. Rodrig. verbo *Simonia cap. 39.num.9.*

Neque obstat *c. significatum de Prabendis*, vbi Episcopus cum capitulo apposuerunt præbendæ vacanti onus, vt qui ad illam eligeretur, missam de sancta Maria quotidie diceret: nam ibi nullum fuit pactum cum electo celebratum, sed ipsemet Episcopus, & capitulum, quibus potestas erat onus illud apponendi, apposuerunt illud, & onere iam posito manifestarunt eligendo in quo nulla esse potest Simonia.

8. Tandem de munere à lingua dicendum est. Dixi preces, intercessiones, fauores, & laudes sub munere à lingua comprehendi: quia hæc pretio æstimantur si in commutationem rerum spiritualium expostulentur: & in hoc sensu possunt esse pretia Simoniæ. Explico. Præsentas in beneficium famulum alicuius principis ea conditione, vt te apud principem laudet, vt sic posses ad pinguiorem Ecclesiam deuenire, committis Simoniam: ita expressè Soto cum Diuo Thom. *lib. 9. quæst.7. artic.3.* §. quod si. Idem est, si nolles conferre beneficium alicui, nisi ipse, vel faciat: vt persona aliqua nobilis, quam desideras obligatam habere, à te petat: est enim talis gratia, & fauor à te expostulatus pretio æstimabilis, & insuper eligendo imponitur onus; quod de iure non ineſt *sic* Suarez. *libr.4. de Simonia cap.40. num.13.* & hæc doctrina habetur expressè in *cap. sunt. nonnulli 1. q.1.* vbi de illis, qui sacros ordines pro humana gloria largiuntur, dicitur, hi nimirum quod gratis acceptum est gratia non tribuunt; quia de impenso officia sanctitatis munus expetunt fauoris.

Quod si preces, & commutationes non offerantur in commutationem spiritualium, sed ad inflectendum animum ipsius conferentis, qualiter sæpè solent preces offerri, nequaquam tunc habent rationem pretij, & manifestè constat ex *cap. tua nos, de Simonia*, vbi de eo, qui rogauerit humiliter, vt in canonicam admitteretur, subditur fieri posse absque scrupulo simoniacæ prauitatis. Ita explicat hanc Doctrinam D. Thom. *2.2.q.100. art.5.ad 3.* Victor. *relect.de Simonia à numero 36.* Soto *de iustit. libr 9. q.7. articul.3.* Nauarr. *cap. 23. numero 102.* Flamin. *cum aliis libr.14.de resignat. q. 7. numero 12.* Suar. *lib.4. cap. 40.n.2. & seq.* Gregor. Lop. *leg.4. titul.17. part.1. vers de Simonia,* Tolet. *lib.5.c.84. n.5.* Man. Rodrig. *tom.2.* verbo *Simonia, c.56.n.7. &* Valent. *disp.6. q.16. p.3. vers. quarto sequitur pag.* 1648. Ait namque, dare beneficium propter preces, aut consanguinitatem quando exauditio precum, & intuitus consanguinitatis non resoluitur, in aliquod commodum temporale tanquam in pretium non est Simonia.

Ex iis explicatur Textus in *cap. Nemo 14. de Simonia*, vbi prohibetur pœnitentiam ad reconciliationem adducere vel ab illa remouere gratia, vel fauore & subditur; quia simoniacum est vtrumque intelligi enim debet de gratia, vel fauore expostulato in commutationem, & recompensationem doni spiritualis. Quod vero in illo cap. indicatur familiaritatem, aut consanguinitatem esse sufficiens pretium ad simoniam inducendam, si propter illa detur beneficium, explicari debet de familiaritate, & consanguinitate expostulata in recompensationem. Quod non potest habere verum, nisi in casu quo conferens beneficium consanguineo, intenderet consanguineum obligare ad consanguinitatem, vel familiaritatem, quæ inter ipsos est manifestandam. Verum si detur beneficium consanguineo: quia conguineus est, & familiaris; nullo modo esse potest pretium simoniæ; quia ibi conferens beneficium nihil expostulat; erit tamen virium acceptionis personarum si consanguinei minus digni, aliis dignioribus præferantur: & ita tradit D. Thom. *supra art.5. ad 3.* Couarruu. *lib.1. var.c.5.n.4.* Flamin. de resignat. *lib.14 q.7.n.9.* Suar. *lib.4.cap.37. numero 6.* Valen. Man. Tolet. & alij *supra* relati.

Punctum IV.

De contractu emptionis & venditionis requisito ad Simoniam.

Summarium.

1 *Proponitur dubitandi ratio contractum necessarium esse.*
2 *Ad simoniam iure naturali prohibitam necessarius est contractus onerosus.*
3 *Si spirituale principaliter detur ob munera, & obsequia temporalia, an sit Simonia? Resoluitur, si pactum interueniat, secus illo secluso.*
4 *Donatio temporalis cum obligatione, & pacto dandi spirituale non constituit contractum simoniacum ex natura rei.*
5 *Debet procedere contractus Simonia naturalis, & diuina ex voluntate commensurandi temporale cum spirituali.*

1. Explicuimus quæ possunt in emptione, & venditione rerum spiritualium sortiri rationem pretij. Restat explicandum quid requisitum sit, & sufficiens ad constituendam emptionem, & venditionem.

Ratio dubitandi est; quia dari potest pecunia propter spirituale consequendum absque labe simoniæ, vt contingit in eo, qui donis, muneribus procurat animum conferentis spirituales ad se inflectere: & in famulis qui Episcopo seruiunt propter beneficium, quod consequi sperant? aliàs non seruituri: imo etiam absque scrupulo aliquo videmus dari pecuniam non gratis, sed cùm obligatione dicendi sacrificia, ministrandi sacramenta; & tamen sacramenti administratio, & Missæ celebratio non obinde simoniaca censentur. In quo ergo sita est natura huius contractus emptionis, & venditionis?

2. Respondeo, & dico primo emptionem, & venditionem requisitam ad simoniam ex natura rei necessario debere esse contractum onerosum: quare si gratis, & absque aliqua obligationis legalis impositione detur pecunia, & quodlibet aliud donum, Simonia non est: & hac ratione excusant doctores famulum inseruientem Episcopo ferè absque aliquo stipendio: quia medio illo obsequio gratis, & absque pacto exhibito intendit conciliare animum sui domini, vt de beneficio

neficio votando prouideat: & ita tenet Tolet. *cap.90. num.4.* Valen. *disp.6. quæst.26. part.3.* vers. *in contrarium. pag.1654.* Man. Rodrig. *cap.94. num.2. in prima conclusione, & cap.60. num.5.* Ex quo fit, si te sentias obligatum antidorali obligatione pro beneficio impenso, potes hanc obligationem compensare muneribus, obsequiis, & aliis huiusmodi: ita supradicti doctores. Item est, si resignes beneficium ea intentione, & spe, vt alterum tibi à superiore conferatur, alias non resignaturus, non eris simoniacus si non intendas obligare superiorem obligatione alia præter antidoralem: ita expresè Valen. *disp.6. q.13. p.3. vers. sunt tamen, pag.1660.* cum Soto *quæst.7. artic.2.* & colligit, *ex cap. vnico, de Rerum permutat in 6.* & consentit Man Rodrig. *t.2 sum.cap.56 num.8. fine*, Farinac. aliis relatis *lib.1. conf.75. num.3.44. & 48. & 53. post medium, & 68. & n.8. in fine.* Et addit Valen. hoc etiam verum esse, etsi prædictam spem verbis, aut scripto exprimat superiori: quia quod licet optare, licet etiam verbis exprimere, & in iure nullibi reperitur prohibitum, ne talis spes exprimatur.

3. Dubitant tamen doctores, an si spirituale principaliter detur ob hæc munera, & obsequia temporalia, vel econtra hæc obsequia, & munera temporalia propter spirituale consequendum principaliter fiant, sit sufficiens ad simoniacum contractum constituendum. Affirmat Gabr. *in. 4. dist.25. q.2.* Adrian *quodlibet.9.* Nauarr. *cap. 23. n.101.* Couarruu. *lib.1. var. resolut. c. vlt. n 3.* & videtur esse de mente D. Thom, 2.2. *quæst.100. art.5. ad 3. & quodlib.8. art.11.* vbi ait illicitum esse ire ad Ecclesiam propter distributiones quotidianas principaliter tanquam propter finem, quamuis non, si propter eas eatur, tanquam propter finem secundarium.

Dicendum tamen est cum Soto *lib.9 de iustit. q.6. art.2. ante responsionem ad argumenta*, & Victor. *relect. de Simonia num.33. & seq.* & Valen. *disput.6. quæst.16. p.3.* vers. *sed possunt pag.1651.* Suarez latissimè *lib.4. c.44. à num.11.* aliis relatis Farinac. supradictis locis allegatis, dationem spiritualis propter temporale, aut econtra principaliter constituere simoniam, casu quo aliqua pactio intercedat: nam secluſa pactione certum est emptionem, & venditionem esse non posse, nec contractum, & consequenter neque simoniam: imò neque ad peccatum mortale damnandum est, sicut qui propter vanam laudem principaliter recitaret, aut eleemosynam tribueret, non damnatur peccati mortalis, sed solum ei dicitur recepisse mercedem suam: & secundum hanc doctrinam explicandus est Text. *in cap. tua nos, de Simonia*: vbi de eo qui ad cononicatum rogauit admitti, dicitur, si ea intentione ducatur, vt per temporalia bona spiritualia valeat adipisci, & clerici qui eum in fratrem admittunt non essent ad eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuti; sine dubio tam iste, quam illi apud districtum iudicem culpabiles iudicantur. Explicari enim debet de intentione, qua per temporalia bona, tanquam per pretium spiritualia valet adipisci, non de intentione, qua per temporalia bona liberaliter donata sperat spiritualia adipisci.

4. Dico secundò: donatio temporalis cum obligatione, & pacto dandi spirituale non constituit ex natura rei emptionem, & venditionem simoniacam: ita Glossa *in c. significatum, de Præbendis*, & *ibi* Panormit. *n.8.* & Glossa *in c. vlt. 21. quæst.2.* per Textum *ibi*, idem tenet Caietanus *quæst.10. art.3.* Soto *q.7. artic.2.* Victor. *relect. de Simonia 2.p. num.20.* Redoanus *p.2. c.17.* Valent. *disput.6. q.16. p.3. vers. ad secundam rationem.* Gutierr. *canon. quæst. cap.29. num.13.* Suarez *lib. 2. cap. 46. à num.4.* qui alios referunt, & est communis, & in praxi omnino recepta. Hac enim ratione licet cum beneficiato pacisci de stipendio pro Missis dicendis, sacramentis ministrandis. Item fructus beneficij, decimæ, & oblationes ea conditione, & pacto donantur, vt beneficiatus sacra præstet ministeria. Adde illicitum esse relinquere annuos redditus in anniuersariis, & fundatione capellæ cum obligatione tot sacrificia celebrandi, & tamen hæc obligatio non sufficit ad constituendam veram emptionem, & venditionem. Ergo optimè stat esse donationem cum obligatione, & pacto, atque adeo quasi contractum oneroſum absque simonia. Ratio est; quia in iis casibus non das pecuniam pro re spirituali ex voluntate, qua velis tanti æstimare pecuniam, quanti æstimas rem spiritualem, seu ex voluntate qua velis temporale cum spirituali commensurare: hoc enim est, quod necessariò requiritur ad propriam emptionem, & venditionem: sed donas pecuniam in sustentationem ministri non absolutè, sed sub conditione ministrandi sacramenta tibi, & celebrandi sacrificia. Quod licitum, & honestum esse videtur.

5. Ex dictis ergo fit ad contractum emptionis, & venditionis necessariò requiri dationem pecuniæ procedere ex voluntate commensurandi illam cum re spirituali, ac illam tanti æstimandi. Secluſa autem hac voluntate, etiamsi detur spirituale vt temporale consequatur, vel etiam detur temporale cum obligatione donandi spirituale, nulla erit propriè simonia. Dixi ex natura rei: nam iure Ecclesiastico in materia beneficiorum quælibet donatio cum pacto constituit simoniam, vt videbimus. De aliis verò materiis pergimus inuestigare.

PVNCTVM V.

Sitne aliqua donatio gratuita, vel oneroſa temporalis pro spirituali iure Ecclesiastico prohibita sub specie simoniæ.

SVMMARIVM.

1 *Posse fieri ab Ecclesia hanc prohibitionem certum est.*
2 *Donatio liberalis ab eo qui ordinatur pro ordinatione, vsu pallij, &c. non videtur sub specie simoniæ prohibita.*
3 *Quid stante Tridentino possunt examinatores Synodales occasione examinis recipere?*
4 *An in sacramento recipiendo sit prohibita gratuita donatio? Resoluitur non esse.*
5 *Quid de Prælatis, eius visitatoribus, & familiaribus?*
6 *Nulla donatio gratuita, neque oneroſa, quæ venditio, aut emptio non sit extra materiam beneficiorum titulo Religionis est prohibita.*

1. POsse Ecclesiam donationem temporalem non solùm oneroſam, sed etiam gratuitam, si fiat pro spirituali consequendo, prohibere ob reuerentiam rerum sacrarum, & ne videantur commutari, & donis temporalibus obtineri, nemini est dubium. Posita autem hac prohibitione donatio illa erit contra Religionem, atque adeo simoniaca, vt latè probat Suar. *tom.1. de Relig. lib.4. c.49. à n.1.* Videndum tamen est, an Ecclesia hanc prohibitionem fecerit, & illius transgressionem simoniæ pœnis subiecerit.

2. Primò adducitur ad probandam hanc prohibitionem esse *cap.1. de Simonia*, vbi Gregorius Pontifex prohibet donari aliquid ab eo qui ordinatur, pro ordinatione, vel vsu pallij, seu chartis, atque pastellis. Verum hæc prohibitio declarata esse videtur in *c. sicut Episcopum 1.q.1.* vbi non prohibetur ordinato, quin possit aliquid dare sponte, prohibetur tamen si ex pacto, aut exactus, & petitus donet. Ex quibus constat non prohiberi in iis capitibus donationem liberalem etiam petitam, quando non petitur, vt talis exigitur: quodque confirmari abundè potest, ex *princip. cap. 1. de Simonia, & ex princip. cap. sicut Episcopum:* in quibus locis dicitur non licere Episcopo manum, quam imponit, vendere: vendere autem, vt benè explicat *ibi* Glossa non continet gratuitum contractum; quia venditio non procedit sine pretio, & commutatione vnius pro alio, *leg. 2. §. sine pretio, §. de contrahenda empt.* & aliis relatis Glossa *ibi*: Non igitur ex huiusmodi capitibus aliqua prohibitio specialis colligi potest.

Secundò efficacius probatur gratuitam donationem prohibitam esse, si fiat ad consequendos ordines ex Concil. Trid. *sess. 21. cap.1. de reformatione*, vbi ait Concilium in hæc verba: Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis auaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo nec alia quacunque de causa etiam sponte oblatum Episcopi, & alij Ordinum collatores, & eorum ministri quouis prætextu accipiant. Notarij verò in iis tantùm locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi pro singulis literis dimissoriis aut testimonialibus, decimam tantum vnius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium constitutum pro officio exercendo: nec Episcopo ex Notarij commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directè, vel indirectè prouenire possit. Tunc enim gratis operam suam præstare omnino decernit contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines immemoriales quorumcunque locorum, quæ potius abusus, & corruptelæ simoniacæ prauitati fauentes nuncupari possunt penitus cassando, & interdicendo. Et qui secus fecerint tam dantes, quam accipientes vltra diuinam vltionem pœnas à iure inflictas incurrant: Ex quo decreto constare videtur non solùm donationes oneroſas datas in sustentationem personæ, sed etiam sponte oblatas prohibitas esse, tanquam simoniacæ prauitati fauentes, atque adeo huius decreti transgressores esse simoniacos. Verùm si hæ oblationes, & munera sponte dentur, & non in commutationem: nulla simonia est etiam ex iure Ecclesiastico, tenet Lessius *lib.2. cap.35. dub.10. num.61. fine*, Suarez *t.5. in 3. p. disputat. n.31. sect.4. num.23. in fine.* Ratio est; quia finis, ob quem hæc omnia prohibet Concil. non est simonia, sed affectus auaritiæ, vt constat ex principio illius decreti: intendit enim ab Ecclesiastico Ordine omnem auaritiæ suspicionem abesse. Quod verò postea dicat contrarias taxas, & consuetudines simoniacæ prauitati fauere, in causa non est, vt dicamus esse simoniacas, sed simoniæ fauere, quatenus auaritia radix est, & fomentum simoniæ. Est igitur huiusmodi transgressio vitium auaritiæ ob cuius commissionem,

missionem, si in graui materia sit (qualis illa censeri debet, quæ sufficiat ad animum corrumpendum,) pœna excommunicationis infligitur. Hæc enim imposita erat in Conc. II. Brachar. *cap.* 3. & in hoc decreto concilij censetur renouata.

Aduerto tamen supradictum decretum intelligi debere de dantibus spontaneè ante Ordinum receptionem, & de illis qui postmodum ex obligatione præcedenti tribuunt. Secus verò dicendum de illis, qui iam obtento Ordine aliquid dant spontaneè, aut quasi coactè, vt possint obtinere literas dimissorias, &c. ita expressè Salzedo *in pract. crim. c.* 27. *pag.* 123. §. *poterit tamen notarius*, & reddit rationem quia talis oblatio ex ambientis petitione non processit. Idem tenet Man. 2. *t. summ. cap.* 56. *num.* 6. *circa medium, & cap.* 58. *num.* 10. cum Balt. Altamir. *in tract. de visitat. in verbis concilij qualitercunque n.* 26. & Lessius *dub.* 10. *n.* 62.

Secundò aduerto multis in locis amplius exigi à notariis, quam decimam vnius aurei partem, & tunc dantes omnino excusandos esse: quia non est mens concilij, vt literis illis careant: redimunt enim vexationem sibi factam: ita Lessius *illo c.* 35. *dub.* 10. *n.* 62. Et idem est in beneficiis, si quasi coacti soluant aliquid pro collationibus, vel admissione ad possessionem: vt tradit Rebuff. *tit. quot modis beneficia acquirantur, n.* 13. & fauet Suar. *de Relig. t.* 1. *lib.* 4. *cap.* 48. *n.* 11. Nicolaus Garcia *de benefic.* 8. *p. c.* 1. *n.* 93. *& seq.* quia videtur esse quædam redemptio vexationis: imo addendum existimo cum Lessio *suprà*, accipientes excusari posse consuetudine, quæ etsi corruptela videatur ob speciem mali, tamen mala non est, quando non exigitur temporale in commutationem spiritualis, & licet concilium contrarias taxas, statuta, consuetudines immemoriales aboleuerit, non tamen irritauit, neque annullauit sequentes consuetudines, ratione quarum hæc exactio honestari potest, si iam processit tempus requisitum ad consuetudinem aduersùs legem canonicam inducendum.

3. Tertiò adducitur ad probandam gratuitam donationem temporalis pro spirituali prohibitam esse vt simoniacam, decretum Concilij Trident. *sess.* 22. *c.* 18. *de reformat.* vbi prohibentur examinatores Synodales occasione examinis in beneficiis facti quidquam ante vel post recipere, alioquin simoniæ vitium dicuntur incurrisse tam ipsi examinatores, quam dantes: à qua simonia absolui nequeunt (scilicet dantes) nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocunque antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur. Ex quibus verbis videtur gratuita etiam donatio prohiberi: Siquidem sunt ita absoluta: & ita censet Suarez *lib.* 4. *cap.* 49. *n.* 7. *fine.*

Verum meo iudicio non colligitur ex hoc textu liberalem donationem prohibitam esse, imo neque illam, quæ daretur in stipendium: cum nullum verbum sit in supradicto decreto talem prohibitionem declarans, & mandatum quoad fieri potest benignius interpretari debemus, præcipuè in materia simoniæ, quæ est vitium grauissimum, & pœnæ impositæ grauissimæ. Adde hoc decretum, vt constat ex marginali ibi, refertur, & relationem facit, *ad cap.* 24. *dist.* in quo sola receptio pecuniæ propter Ordinis examinationem, tanquam pro ipsius commutatione, & pretio prohibetur: ait enim: cauere debent examinatores ad Ordines, ne aut in fauoris gratia, aut cuiuscumque muneris cupiditate illecti à vero deuient, vt indignum, & minus idoneum ad sacros Ordines suscipiendos Episcopi manibus applicent. Quod verò non de gratuito dono, sed de eo, quod tanquam pretium datum est loquatur, constat ex sequentibus verbis. Quod si aliter fecerint, & ille qui indignè accesserit ab altari remouebitur, & illi qui donum sancti Spiritus *vendere* conati sunt, coram Deo iam condemnati Ecclesiastica dignitate carebunt: Ecce quomodo de venditione rei spiritualis loquitur. Adde loqui de illo, qui approbaret indignum, & minus idoneum. Quod autem per modum stipendij sui laboris possit aliquid examinatoribus ex fructibus beneficij assignari ab Episcopo, & applicari, tradit expressè P. Nauarra *de restit. lib.* 2. *c.* 2. *num.* 188. & P. de Ledesma 2. *part. summ. tract.* 7. *cap.* 1. *concl.* 7. *circa* 13. *difficultatem*: Vbi dicit esse communem sententiam omnium doctorum, & praxim receptam in Ecclesiis Hispaniæ: & ita deciditur in Concilio Prouinciali Compostell. *act.* 2. *decreto, & act.* 2. *decreto* 24. vers. *Horum verò*. Efficitur ergo prohibitionem Concilij intelligendam esse de receptione per modum pretij, & commutationis vnius rei pro alia, non de receptione in stipendium. Vel secundò respondere possimus prohiberi aliquid accipi vltra stipendium: vel tertiò prohiberi examinatoribus aliquid recipere pro approbatione concedenda: hoc enim esset recipere pro iure spirituali ad beneficium, cum per approbationem ius acquiratur approbato ad beneficium: & ita interpretatur Ledesm. *suprà*, & indicat Augustin. Barbosa 3. *p. de potest. Episcop. alleg.* 60. *num.* 54. *& in remissionib. concilij*: vbi adducit Farinac. *cons.* 75. *n.* 3. *&* 48. dicentem generale esse nunquam simoniam committi absque pacto, & conuentione præcedente: & tradit Zerola 2. *p. de praxi Episcopali, verbo dimissoria*, §. 7. cum Nauarr. *cons.* 67. *de Simonia*, & addit simoniam non esse dare aliquod munus examinatoribus non vt approbetur idoneus, cum sit aliàs sufficiens, sed ad captandam eorum beneuolentiam.

4. Quartò adducitur, *cap. emandati* 1. *q.* 1. vbi gratuita donatio in Sacramento suscipiendo videtur prohiberi, ne sacerdos quod gratis accipit, pretio distrahere videatur. Sed re benè inspecta non prohibetur ita gratuita donatio, sed exactio nummorum in commutationem spiritualis donati, vt Glossa ibi: & ex *cap. seq. constat.* Addunt aliqui pro illo tempore ob varia incommoda etiam largitionem liberalem esse prohibitam, statim verò cessare.

5. Vltimò adducitur, *cap.* 1. §. *penult. de censibus, lib.* 6. vbi prohibentur Prælati, & eius visitatores, & familiares ne aliquid qualitercumque oblatum vltra debitas procurationes recipiant: & pro ratione redditur, ne quæ sua sunt videantur quærere, sed quæ Iesu Christi. Verùm hæc ipsa ratio probat non esse simoniam: cum potius sit vitatio auaritiæ, turpis quæstus, & iniustitiæ, quàm simoniæ: & ideo non continetur hæc prohibitio sub titulo de simonia. Et eodem modo explicandus est Textus *in cap. statutum, de Rescript.* §. *insuper*: vbi est prohibitio, ne delegatus vltra esculenta, & poculenta accipiat etiam gratis oblata, nec magis ab vna parte, quàm ab alia exactiones petat. Non enim ex his verbis simonia colligitur horum transgressio. Tum quia non est sub titulo de Simonia. Tum etiam quia ratio prohibitionis est, ne litigantes grauentur, neve corrumpantur iudices, &c.

6. Quocirca non inuenio donationem aliquam gratuitam esse prohibitam intuitu Religionis, & tanquam simoniacam damnationem, tam ex parte recipientis, quam conferentis, imò neque aliquam donationem onerosam quæ venditio, aut emptio non sit (extra materiam loquor beneficiorum) & in foro conscientiæ; nam in foro externo quotiescunque donatio fiat cum onere dandi spirituale: nisi iam sit ab Ecclesia approbata, semper præsumitur dari pro ipso spirituali in commutationem: ac proinde, vt simoniaca punitur: in foro tamen conscientiæ, simonia non erit, sed vel iniustitia, vel aliud vitium, vt ex iis quæ de materia simoniæ latius dicemus, constabit.

PVNCTVM VI.

Quæ voluntas requiratur, & sufficiens sit ad Simoniam?

SVMMARIVM.

1 *Aliqui affirmant simoniam committi, esto non habeas intentionem promissum implendi.*
2 *Simonia conuentionalis non est in supradicto casu.*
3 *Satisfit fundamento n.* 1. *adducto.*

1. DIximus in princ. huius disputat. ad simoniam requiri studiosam, id est deliberatam voluntatem emendi, vel vendendi, hoc est commutandi spirituale pro temporali. Vt ergo hæc exactius intelligantur, dubitant doctores; an promissio dandi spirituale pro temporali absque voluntate implendi promissum, veram simoniam constituere possit? quod idem est, ac interrogare: an voluntas emendi, vel vendendi necessariò sit ad simoniam requisita, vel an possit esse simonia realis, seu conuentionalis absque mentali?

In qua re Nauarr. *in comment. ad cap. vlt. de Simonia, num.* 10. *& cap.* 23. *num.* 106. §. *ad* 3. existimat committi veram simoniam, etiam ex parte illius, qui intentionem non habet dandi promissum. Mouetur; quia sic promittens intendit media sua promissione licet ficta, & deceptoria obligare alium ad dandum beneficium. Ergo iam aliquo temporali consequitur spirituale: siquidem ipsa promissio, qua spirituale consequitur, temporalis est, & pretio æstimabilis quia onerosa, multis periculis obnoxia.

2. Nihilominus tamen communior sententia est, & mihi probanda non committi simoniam conuentionalem in hoc casu: ita tenet Caietan. *t.* 2. *Opusc. tract.* 9. *q.* 2. Soto *de iustit. lib.* 9. *q.* 8. *art.* 1. §. *dubium.* Tolet. *sum. lib.* 5. *cap.* 90. *num.* 4. Petr. Nauarra *lib.* 2. *cap.* 2. *difficult.* 12. *num.* 391. *in secunda edit.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 1. *fine*, Suarez *lib.* 4. *c.* 42. *num.* 4. Arag. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *concl.* 3. *pag.* 1131. Man. Rodrig. *verbo simonia, cap.* 56. *n.* 6. Valent. *disp.* 6. *q.* 16 *p.* 5. vers. *ex quo intelligi potest, pag.* 1669.

Ratio est, quia carens animo donandi spirituale pro temporali, aut econtra, caret etiam animo emendi, vel vendendi; emptio enim, & venditio est datio, & commutatio vnius pro alio; non igitur esse potest simoniacus ex recepta definitione simoniæ. Peccat tamen qui sic fictè contrahit, grauissimè. Tum quia aliũ inducit ad simoniã saltem mẽtalem. Tum quia externum opus simoniacũ facit. Non tamen vt benè aduertunt omnes supradicti DD. pœnas à iure inflictas simoniacis incurrit.

3. Neque

3. Neque obstat ratio adducta pro sententia Nauarr. nam licet promissio illa facta pretio sit æstimabilis; non tamen offertur in pretium beneficij recepti, sed est conditio, & natura, qua pretium offertur: conferens enim beneficium non confert pro promissione, sed pro re promissa. Alàs esset simonia realis quotiescunque beneficium daretur existente aliqua promissione de pecunia pro illo soluendo, siue pecunia soluatur, siue non: quia illa promissio aliquid reale pretio æstimabile est, in cuius virtute datur beneficium. Et hæc ratio probat etiamsi promissio illa confirmaretur instrumento aliquo, & traderetur collatori: semper enim verum est dicere, non offerri vt pretium beneficij, sed vt conditionem ad pretium offerendum. Deinde quia vt benè notat Valen. *disp. 6. q. 16. p. 5. §. mihi verò*; tale instrumentum nihil valet collatori: nam in foro exteriori nihil poterit recipere ex vi talis instrumenti, cum sit simoniacum, & multo minus in foro conscientiæ. Cuius ergo vtilitatis esse poterit? quidve censetur recipere ratione illius instrumenti.

Ex his relinquitur explicata essentia simoniæ: siquidem explicata sunt quæ voluntas, quod pretium, quæ commutatio ad ipsam constituendam requisita sint. Restat explicandum quod spirituale, & sacrum debet esse obiectum, seu materia ipsius simoniæ: de quo in sequentibus.

PVNCTVM VII.

An sacramenti venditio excusari possit à Simonia?

SVMMARIVM.

1 *Simonia est iuris diuini & naturalis, pro sacramento pretium dare, & recipere.*
2 *Quid de sacramento matrimonij?*
3 *In extrema necessitate non potest pretium pro supradicta receptione sacramentorum offerri, benè tamen potest offerri pecunia in ministri sustentationem.*
4 *Extenditur doctrina ad casus vtilitatis, potius quam necessitatis, si voluntas dantis pecuniam declaratur.*

1. MAteriæ spirituales sunt in multiplici differentia. Alia sunt Sacramenta, alia Sacramentalia. Alia sunt de foro externo, & iudicialia, alia de foro conscientiæ. De omnibus iis, & aliis sigillatim est dicendum. Sed primò dicendum de Sacramentis, quæ inter res spirituales primum locum obtinent.

Certum, & indubitatum est, simoniam esse venditionem potestatis communicandi Spiritum sanctum visibiliter: item venditionem gratiæ sanctificantis, characteris sacerdotalis, & similia. Vnde si seruum Christianum, aut sacerdotem pluris vendentes; quia Christianus, aut Sacerdos esset, absque dubio eris simoniacus; quia virtualiter vendis baptismum, & sacerdotium: ita expressè Paludan. 4 *dist. 25 quæst. 5. num. 15.* Vgolin. *de Simonia, tab. 1. cap. 35.* Suarez *lib. 4. cap. 9. à num. 7.* Idem est dicendum de omnibus Sacramentis simoniam esse pro illis pretium exigi: vt habetur generaliter, in *cap. cum Ecclesia, de Simonia.* & specialiter de sacramento Ordinis, Confirmationis, Baptismi, & Eucharistiæ sunt plurimi: *Can. 1. q. 1. præcipuè* 1. 2. & 4. *& c. baptizandis, c. nullus Episcopus & seq. de sacrament. Pœnitentia, in c. nemo Presbyter, de Simonia*: & de extrema vnctione, *c. vlt. 1. quæst. 3.* Ratio est clara; quia Sacramenta sunt diuina, & Christo Domino non instituta ad gratiam dandam: nequeunt ergo pretio temporali coæquari, & in illius commutationem deuenire.

2. De Sacramento matrimonj potest esse dubium, cum videamus varias pactiones, & contractus fieri, nolléque contrahentes inter se coniungi nisi magna pecuniæ summa subrogata in dotem, imo non solùm postulatur pecunia in dotem, sed etiam solet aliquis contrahentium nobilior expostulare ab alio ignobiliori aliquam donationem; iuxta *c. de illis, de cond. appositis.* Ergo iam pro matrimonio contrahendo, atque adeo pro Sacramento expostulatur pecunia.

Facilis est ad hæc responsio: non enim datur pecunia pro matrimonio, quatenus est Sacramentum, sed datur pecunia pro illo quatenus est humanus contractus, vt sic ad æqualitatem reducatur: cum enim in matrimonio nobilis vir, ignobilis se tradit, ratione illius excessus petit pecuniam, vt sic aliquo modo æquales sint contrahentes: quare pecunia illa data est pro qualitate facienda, non pro Sacramento: & ita tradit D. Th. *q. 100. art. 2. ad 6.* Panormit. *in c. cùm in Ecclesia, de Simonia n. 3.* cum Bart. *in l. si ita stipulatus, §. & in l. si diuortio, ff. de verb. obligationib.* Suar. *lib. 4. c. 10. n. 11. & c. 11. n. 5. & 6.*

3. Specialis est difficultas, an supradicta doctrina ita vera sit vt etiam in casu vrgentis, vel extremæ necessitatis non possit pretium offerri pro Sacramenti administratione? Et omissis variis dicendi modis nullam probabilitatem habentibus dicendum existimo pro ipso Sacramento etiam in extrema necessitate pretium offerri nullo modo posse. Est enim intrinsecè malum, donum Dei pecunia possidere. Ex qua ratione fit non posse pecuniam offerri alicui iniustè neganti administrationem Sacramenti, vt ab illa iniustitia desistat. Quia non alia via desistet ab iniustitia, quam concessione Sacramenti: Cum igitur pro concessione Sacramenti offerri pecunia non possit, neque etiam pro cessatione ab illa iniustitia: ita omnes doctores aduersùs Sotum *lib. 9 de iustit. q. 6. art. 1.* affirmantem posse emi Sacramentum baptismi pro paruulo in extrema necessitate.

Verum etsi hoc ita sit: potest tamen pecunia offerri neganti iniustè Sacramentum, non pro ipsa datione Sacramenti, & in eius commutationem, sed in sustentationem personæ, & ad eius voluntatem inflectendam, & beneuolentiam captandam, vel eius auaritiam satiandam. Ratio est; quia tunc non emitur Sacramentum, cum non detur pro illo quasi in illius commutationem, sed detur ad mouendam voluntatem negantis Sacramentum. Adde, si tibi licet obligatum administrare Sacramenta, mouere, & incitare minis, & terroribus, affirmando te denunciaturum esse superiori, cur non licebit blanditiis, & pecunia illum mouere? & ita vniuersaliter tradunt doctores. Tolet. *lib 5. c 98. num. 8.* Suar. *lib 8. c. 12. n. 19.* cum Adrian. & Albertino, & addit eodem modo licitum esse dare pecuniam tyranno captiuam habenti Eucharistiam, vt desistat ab illa tam horrenda iniuria: & consentit Valent. *disput. 16. quæst. 16. p. 3. à vers. quæstio hæc, pag. 1654.* Lessius *lib. 2. c 35. dub. 7. num. 39.* Vasquez *de scandalo quæst. 43. art. 8. dub. vltim. num. 59.* Basil. de Leon. *lib. 5. de matrimonio, c. 13. §. 6. num. 35.* & alij ab eisdem relati.

4. An verò extendatur hæc doctrina ad alios casus vtilitatis, potius quàm necessitatis. Communiter negatur à doctoribus; quia dans pecuniam petenti illam pro administratione Sacramenti, censetur simoniacus, & illius cooperator peccati, à quo scandalo excusari non potest nisi ex vrgentissima causa. Fateor tamen, si tuam intentionem manifestares, dicerésque te non dare pecuniam in commutationem Sacramenti, sed ad redimendam vexationis causam, hoc est ad faciendum alterum deponere malam voluntatem, vel ad eius beneuolentiam captandam, non esse impossibile licere in qualibet necessitate graui pecuniam sic petenti tribuere: quia talis datio simpliciter est bona, & ob finem bonum, nullóque modo est prohibita in se; & ex alia parte non concurrit ad peccatum alterius. Exemplo Sacerdotis existentis in peccato, & malè administrantis, quem non tenetur parochianus vitare in confessione neque in communione, neque in aliis Sacramentis. Et ita in hanc sententiam inclinat Suarez *lib. 4. cap. 19. num. 7. cum* Glossa *in cap. dilectus, in cap. ad aures de Simonia, & in cap. quæsitum 1. q. 3.* Antonio *in cap. dilectus de simonia.* Redoan. *3. p. de simonia, cap. 11. num. 6.* Valent. *disp. 6. q. 16. part. 3. vers. secunda conclusio; & seq.* Vasq. *suprà num. 61.* Et à fortiori hanc conclusionem, & doctrinam debent illi doctores concedere, qui affirmant licitum esse in beneficiis redimere vexationem, nec proinde esse simoniam, quos infrà citabimus, vbi de materia beneficiorum differemus.

PVNCTVM VIII.

Qua ratione sacramentalium venditio simoniam constituat?

SVMMARIVM.

1 *Distinguuntur duplicia sacramentalia transeuntia, & permanentia. Pro transeuntibus simonia est pretium dare, vel recipere.*
2 *Pro permanentibus simonia non est, modo carius non vendatur ob spirituale annexum.*
3 *Qualiter hæc laïcis, vel clericis vendenda sint, an destructa consecratione, vel illa retenta?*
4 *Qualiter pro sepultura pretium recipi possit.*

1. POst Sacramenta explicanda sunt Sacramentalia, quæ dupliciter possumus distinguere in præsentia. Alia sunt transeuntia, alia permanentia. Transeuntia voco, quæ solùm consistunt in actione, neque habent effectum permanentem, vt sunt benedictio nuptiarum, exorcismus, Catechismus in baptismo. Permanentia sunt, quæ effectum habent permanentem, vt sunt consecratio calicis, vel Ecclesiæ. De primis non est dubium quin sit simonia pretium pro illis recipere, & offerre: quia sunt ministeria sacra, & actus ordinis clericalis.

2. De secundis est aliqualis dubitatio, an pro illis pretium offerri, & recipi possit? Ratio difficultatis est; quia vidimus calicem consecratum emi, & vendi. Idem de sepultura, de capella, de Ecclesia. E contra est *cap. si quis obiecerit 1. q. 3.*

vbi

vbi tam ſpirituale, quam corporale prohibetur vendi, & ſubditur ratio; quia quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit: atqui conſecratio non prouenit abſque materia corporali. Ergo non poteſt materia vendi abſque eo quod vendatur conſecratio. Idem probatur ex *cap. queſta eſt, cum tribus ſequentibus* 13.*q.*2.*& ex cap.abolenda* 13. *de ſepulturis*: vbi cauetur, ne aliquid pro ſepultura recipiatur.

Dicendum tamen eſt, hæc omnia, quibus ſpirituale conſequenter annexum eſt, poſſe vendi abſque ſimonia, modo carius non vendatur ratione conſecrationis: ita indicat D.Thom. *quæſt.*100 *art.* 4. *ad* 1. 2. *&* 3. *in* 4. *diſt.*25.*q.*3. *art.* 3. *quæſtiunc.*3. & ibi Paludan. & Richard. Nauarr. *cap.*23.*num.*108. Antonin.2. *part.tit.*1. *cap.*5.§.23. Sylueſt.verbo *ſimonia*,*q.*12. Caiet:*eodem verbo reg.*1.*&* 3.Rodoan.3.*part.cap.*16.*in princ. & cap.*17. *num.*6. *&ſeq.* Suarez *lib.* 4.*c.*14. *n.*6. Archidiac. *cap. Baptizandis* 1.*q.*1. Tabien. *v.baptiſmus 6.num.*4. Ratio eſt; quia res illæ, ſcilicet baptiſmus, aqua benedicta, Eccleſia, panis, calix,agnus,& reliqua ſacramentalia permanentia conſecrata non amittunt ſuum valorem propter conſecrationem,vt de ſe conſtat. Ergo vendi poſſunt ſicut antea, & ita videmus vſu receptum.

3. Notandum tamen eſt, vaſa ſacramentalia, ornamenta, imagines, &c. ſi hominibus profanis, ſeu ad vſum profanum vendenda eſſent, deberent prius confringi, vt notauit D.Tho. *ſuprà*. Si verò ad vſus ſacros, & præcipuè Eccleſiaſticis perſonis vendenda eſſent, integra vendi poterant, quatenus propter materiam,& operam æſtimabilia ſunt: ita docet expreſsè Valen. 2. 2. *diſt.*6. *q.*16. *p.*2. *verſ. prioris generis pag.*1638. cum Dur. *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 4. Sylueſt. verbo *ſimonia q.*12. & verbo *ſepultura q.*2. Idem dicit de loco conſecrato ad ſepeliendum & Soto *lib.*9. *de iuſtit. quæſt.*7. *art.*1. *ad* 2. Nauarr. *cap.*23. *num.* 108.

Neque obſtat *cap. ſi quis obiecerit.* Nam vt rectè explicat D. Thom. *in* 4.*diſt.*25.*circa litt.* Mag.loquitur non de rebus, quæ antecedunt conſecrationem, & benedictionem, & ante illam æſtimabilia ſunt, etiam omni ordine ſecluſo, qualia ſunt ſuperius enumerata: ſed potius loquitur de illis, quæ conſecrationem ſubſequuntur, qualia ſunt ius percipiendi reditus beneficij, quod ius ad ipſam inſtitutionem beneficij conſequitur: & tunc optimè infertur: quiſquis horum alterum venderet, ſine quo nec alterum prouenit, id eſt proficit, & vtiliratis eſt, neutrum inuenditum derelinquit. At cum inſtitutio in beneficium,& quælibet dignitas Eccleſiaſtica ſine iure percipiendi fructus prouenire, & eſſe non poſſit, neque è contra, efficitur ſanè vendito vno, & aliud neceſſariò vendi: tam aliis rebus ſacramentalibus, quæ ſecundum ſe æſtimabilia ſunt ante omnes ſpirituale, etiamſi ſpirituale eſſe non poſſit ſine materiali; quia tamen materiale eſſe poſſit ſine ſpirituali,ideo vendito vno aliud inuenditum relinquitur. Quod autem hæc explicatio quadret textui conſtat: tum quia nomen conſecrationis ibi ſumitur pro ordinatione ſacra, vt explicat Gloſſ. vel pro collatione cuiuſuis dignitatis ſpiritualis, vt tenet Suar. *lib.* 4. *cap.*14. *num.*13. & præterea quia ibi ſubditur: nam cum corporalis Eccleſia, (hoc eſt ius ad gubernandum corporalem Eccleſiam) aut Epiſcopus, aut Abbas,id eſt dignitas Epiſcopi; & Abbatis ſine rebus corporalibus, (hoc eſt ſine ſubſidiis temporalibus) in nullo proficiant, (id eſt ſubſiſtere non poſſint) quiſquis horum alterum vendit, ſine quo neque alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit. Secundò reſpondere poſſumus cum Valent. *diſputat.*6. *quæſt.* 16. *p.* 2. *verſ. vlt.* vendentem vnum, ſine quo alterum non prouenit, id eſt, *non valet* nihil inuenditum relinquere: cum autem plura ſacramentalia permanentia quæque ſpirituale antecedunt, ſine ſpirituali æſtimabilia ſunt, valeant, ſeu prouenianr, efficitur ſanè illis venditis ſpirituale inuenditum relinqui.

4. In *cap. abolenda, cap. queſta eſt, cum tribus ſeqq. & in cap. audiuimus de Simonia.* Dubitant Doctores, qua ratione pro ſepultura fidelium pretium exigi poſſit?

In qua re reſpondeo, poſſe Religioſos, vel clericos, qui fuerint domini alicuius Eccleſiæ, vel Capellæ etiam conſecratæ vendere dominium, & proprietatem illius, quantum valuerit fundus, & expenſæ quæ factæ fuerint in eis ædificandis. Et probatur, quia ibi nõ venditur benedictio, neque proprium ius ſepulturæ, ſed materiale illud, ad quod alia ſequuntur:ita Sylueſt. *verbis ſimonia q.*12.*verſ.tertio, &* Vgolin. *tab.*1.*cap.* 44.§.2.*num.*10. Suar. *lib.*4.*cap.*14 *num.*18. *& num.*22.*fine*, idem dicit de eo qui vellet onerare Eccleſiam, ne alius præter ipſum,aut eius deſcendentes in ea ſepeliatur, poſſe inquam ab illo exigi pretium pro illa obligatione; quia onus illud pretio eſt æſtimabile; & ex alia parte non eſt ſpirituale, neque ſpirituali annexum, ſed omnino accidentarium ipſe tamen patronus, & fundatur capellæ pretium nullum exigere poteſt, vt permittat aliquem extraneum ibi ſepeliri:venderet enim vſum ſepulturæ contra ſupradicta *cap.præcipuè, cap.in Eccleſiaſtico,* 13.*quæſt.*2. Secundò dicendum eſt pro loco communi, & deſtinato ſepulturis fidelium pretium nullum recipi,aut exigi poteſt, quia videtur exactum pro vſu ſepulturæ, quod eſt quoddam officium Eccleſiaſticum: & ita tradit Sylueſt. *ſuprà &* verbo *ſepultura q.*2. & communiter DD. poteſt tamen recipi quidquid in ſuſtentationem gratis fuerit oblatum,imo exigi quidquid conſuetudine receptum ſit donati,quia tunc non exigitur, vt pretium: ita Sylueſt. *ſuprà*, & Arag. 2.2. *q.*100. *art.* 4. *verſ. in ſolut. ad* 3. *pag.*1123. & Valent. *diſp.*6, *q.*16. *p.*2. *verſ.prioris generis pag.*1638. At hac ratione exiſtimo excuſari poſſe Religioſos, vel clericos petentes pro ſepultura digniori loco conſtituta,hoc eſt propè altare maiorem ſummam pretij, quam pro ſeptura in corpore Eccleſiæ; petunt inquam hoc ex conſuetudine, & in ſuſtentationem miniſtrorum, non in pretium maioris dignitatis: ſicut qui pro Miſſa maiori amplius peteret, & ita debet intelligi Arag. *ſuprà*, affirmans poſſe ferri pretium ſpeciale pro iure ſepeliendi digniori loco,maiorique pompa. Quod intelligitur de pretio dato in ſuſtentationem, non de pretio rigoroſo, & dato in commutationem illius exceſſus, & dignitatis; quia eſto accidentaria ſit, & non neceſſariò coniuncta officio ſepeliendi: eſt tamen omnino ſpiritualis atque adeo non pro illa formaliter recipi pretium poteſt; vt rectè dixit Sylueſt. *quæſt.*11. Antonin. 2.*parr. tit.* 1. *capit.*5.§.22. & Suarez *libr.*4.*de ſimonia capit.*14. *num.*22.

PVNCTVM IX.

Vtrùm exercitium cuiuſuis virtutis vendi poſſit abſque Simonia?

SVMMARIVM.

1 *Pro hoc exercitio non poteſt pretium recipi; benè tamen ſtipendium ſuſtentationis, & de eo paciſci à clericis non obligatis illud præſtare.*
2 *Clericis verò obligatis ſi ſtipendium non debitum exigant, plures cenſet committi ſimoniam: probabilius eſt ſolam iniuſtitiam.*
3 *Exigi pecuniam ab ingredientibus Religionem pro illorum ingreſſu etiam in ſuſtentationem illorum, plures cenſent eſſe ſimoniam iuris Eccleſiaſtici.*
4 *Probabilius eſt non eſſe ſi monaſterium indiget.*
5 *Proponitur quædam obiectio, & ſit illi ſatis.*
6 *Reſpondetur textibus in contrarium.*
7 *Qualiter pretium dari poſſit pro operibus cedentibus in propriam vtilitatem pretium recipientium.*
8 *Simonia eſt, ſi ex illius datione obligetur recipiens actum virtutis exercere.*
9 *Quid Sanch. ſentiat in hac parte?*

1. LOqui poſſumus de duplici actu virtutis. Primò de eo, qui fit in vtilitatem aliorum, ſicut diuina officia, exequiæ mortuorum, orationes publicæ, &c. Secundò de actu reſpiciente tantum vtilitatem priuatam ipſius operantis. Deinde poteſt pretium exigi pro iis actibus, tanquam pretium ipſorum, vel tanquam ſtipendium miniſtrantium. Dicendum igitur eſt pro actibus in aliorum vtilitatem cedentibus, quales ſunt exequiæ mortuorum, Miſſæ, Officia diuina, non poteſt pretium aliquod recipi: habetur expreſsè *cap.cum Eccleſia, cap. non ſatis, cap.ad Apoſtolicam, cap.ſuam de Simonia:* & docent Doctores omnes cum D. Th. *q.*100. *art.*3. benè tamen poteſt pro omnibus iis officiis ſtipendium ſuſtentationis recipi, & de eo paciſci: ita expreſsè Suar. *lib.*4. *c.*15.*n.*5. cum Gutierr. *canon.q. lib.*1.*cap.*29 *præcipuè à n.*15. Quæ concluſio procedit ſpecialiter de ſacerdote non obligato aliàs hæc officia miniſtrare: dignus eſt enim operatius mercede ſua: & idem affirmant Doctores, & probat vſus de confraternitatibus comitantibus corpus defuncti; poſſe inquam paciſci de pecunia ſibi danda non per modum pretij ſed in ſtipendium, & ſuſtentationem. Ex hac doctrina infert Valent.2.2. *diſp.*6.*q.*16. *p.*3.*verſ. ex eodem capite*, non eſſe ſimoniacum vſum aliquarum Eccleſiarum, in quibus promittitur aliquod minimum ſpirituale, vt exequiæ, Miſſæ, &c. facientibus talem eleemoſynam: ſpectatur tunc vt motiuum illud temporale, & ex illius affectu, & inclinatione datur, & promittitur ſpirituale, & tenet etiam D. Thom. *q.* 100. *art.*3. *ad* 3 & Sylueſt. verbo *ſimonia q.*11.*verſ.quartum.* Imo addunt Valen.& Sylueſt.*ſuprà*, cum Couar. *lib.*1.*var. cap. vlt.n.*3. idem eſſe dicendum, eſto fieret ſtatutum non dandi ſpirituale, niſi illis qui facerent talem eleemoſynam:quamquam hoc ſtatutum vtpotè pietati aduerſum non probet D.Thom. *ſuprà*:generat enim ſcandalum, & affert ſecum præſumptionem ſimoniæ, in re tamen neque ſimoniacum eſt, neque illicitum eſt, ſi ratione illius non intendunt officia pietatis inducentia obligationem excludere.

2. Verum ſi loquamur de aliis clericis obligatis hæc officia diuina exercere, affirmant ſupradicti Doctores, Suar. & Gutier.

Gutier. *suprà*, & Sylueſt. *Simonia n.9. verſ.3.* & Selua *de benef.1.p.q.7. n.56.* cum aliis ſimoniam committere, ſi aliquid vltra id, quod eſt conſuetudine receptum exigant etiam in ſtipendium, ſuæ ſuſtentationis, iuxta *cap.ad Apoſtolicam de ſimonia, & cap.vendentes 1.q.3.*

Ratio eſt; quia de ſuſtentatione iam illis eſt aliunde prouiſum. Ergo non habent titulum ratione cuius ſtipendium exigant, atque pro ipſomet officio cenſentur exigere.

Hæc tamen ratio non conuincit: licet enim de ſuſtentatione ſit illis prouiſum ſufficienter, poſſunt ſtipendium exigere ad ſuperabundantem, & non debitam ſuſtentationem, ſicut qui pro eadem re duplex pretium expoſtularet. Quocirca non inde probatur committi propriè ſimoniam, ſed ſolùm præſumi: eſt tamen vera iniuſtitia, & ita tenet Leſſius *lib.2.c.35. dub.8.n.51. fine.* & *n.53 fin.* & Suar. *lib.4.c.46.n.46.n.9.& c.47.n.6.* & Sotus *lib.9. q.6. art.1.* & Tolet. *lib.5. c.89.n.6.* & colligitur ex Valent. *diſp.6. q.16. p.3.* quia hæc pecunia non expoſtulatur, vt pretium ſacrificiorum, & orationum, ſed vt motiuum, & ex cuius affectu ſacrificia exibentur.

3. Dubium tamen eſt ſatis commune; an ab ingredientibus Religionem pro illorum receptione pecunia exigi poſſit abſque ſimonia, ſi exigatur in ſuſtentationem ipſorum ingredientium, non in pretium, & commutationem receptionis ad nouitiatum, vel profeſſionem?

Et quidem eſſe ſimoniam ſaltem ex iure Eccleſiaſtico tenet Archidiacon. *1.q.2.in princ.* Vgolin. *de ſimonia tab.1 c.4 §.1. n.16* fauentque plures canones in *tit.de ſimonia* præcipuè *cap. nullus, cap.dilectus el.2.cap.audiuimus, cap. quamuis,& extrauagans, 1. eodem tit.* quæ incipit, *ſanè ne in vinea domini.* In omnibus enim iis decretis prohibetur ne pro ingreſſu Religionis aliquid quomodocunque offeratur.

4. Nihilominus tamen dicendum eſt cum D. Thom. *in 4. diſt.25.q.3.art.3. quæſtiunc.1.ad reg.* Caietan. *ibi, & in ſum. verbo excommunicatio. cap.73.* Antonin.*2.p.tit.1. cap.5.§.18.* Gloſſa *in cap.non ſatis, cap.quoniam de ſimonia,* & ibi Abbas, Gregor. Lop. *leg.22. tit.7. part.1. verbo porque lo reciban en la orden,* Leſſius *lib.2.cap.35. dub.12. num.68.* Suar. aliis relatis *lib.4. cap.17. n.3.* Simoniam non eſſe exigere pecuniam ab ingredientibus in eorum ſuſtentationem, caſu quo monaſterium indigeat, Sylueſt. *autem, verbo ſimonia q.15.* & Sotus *lib.9 q.6.art.2.* & Valent. *diſp.6.q.17 p.2.verſ.multo vero magis pag.1636.* & Arag. *q.100. art.3. verſ. ſed quid dicendum pag.1117.* addunt ſimoniam non eſſe, etiamſi monaſterium opulentum ſit. Ratio huius concluſionis ſolùm eſt conſuetudo recepta præcipuè in monaſteriis monialium, in quibus videmus neminem recipi, niſi ſufficientem pecuniam ad ſui ſuſtentationem afferat, vel alia ratione monaſterio proficua ſit: imò vltra hanc ſummam quæ dotis nomen obtinuit aliquid in vſum præexiſtentium monialium debet erogare. Signum ergo eſt hoc non eſſe prohibitum iure Eccleſiaſtico, aut ſi prohibitum eſt, conſuetudinem aduerſum prohibitionem valuiſſe.

5. Dices, Religioſus media receptione in monaſterium acquirit ius, vt ex redditibus monaſterij ſuſtentetur, ſicut & alij Religioſi præexiſtentes non igitur admitti poteſt cum onere ſoluendi propriam ſuſtentationem: ſiquidem ex admiſſione illi ſuſtentatio debetur. Et confirmo exemplo beneficiarij, qui media electione, ſeu poſſeſſione ius acquirit, vt ex redditibus beneficij ſuſtentetur: quo cum non licet paciſci de danda poſſeſſione, ſeu electione ſub conditione. Si ex patrimonio proprio ſuſtentetur, & fructus beneficij aliis clericis pauperibus applicet, quia eſſet ſimoniaca talis conuentio: ſimiliter ergo videtur eſſe conuentio facta cum Religioſo, vt ſecum ſuſtentationem afferat, vt ſic redditus monaſterij aliis Religioſis, & operibus applicentur.

Reſpondeo ſuſtentationem Religioſi debitam eſſe ex ingreſſu in monaſterium, ſicut eſt debita aliis Religioſis: non tamen eſt debita integrè, ſed ſolùm pro facultate redituum monaſterij: quod fortè ex nouo Religioſi ingreſſu damnum patiatur; eo quod redditus inſufficientes reddãtur ad omnium congruam ſuſtentationem, vel ad alia onera ſuſtentanda, ad quæ monaſterium obligationem habet, vel voluntatem: cum autem inconueniens ſit Religioſos præexiſtentes grauari ex recentis ingreſſu, aut viam perfectionis aliis aptioribus præcludere; ea de cauſa pecunia exigitur in ſuſtentationem nouiter ingreſſi. Exemplũ autem de beneficio non eſt ad rem; quia beneficiarius non eligitur ad beneficium, circa cuius redditus alius beneficiarius integrè ius habeat, damnumque in propriis bonis patiatur, ſicuti patiuntur religioſi præexiſtentes ex nouiter ingreſſo. Addi in beneficiis omnem pactionem, & conditionem eſſe prohibitam *c. cum olim, cap. quæſitum, De rerum permutat. & aliis*: neque conſuetudo eſt in contrarium. At in religionis ingreſſu eſto prohibita ſit omnis pactio de alimentis religioſi, contraria conſuetudine eſt abrogatum.

6. Ex iis facile eſt reſpondere textibus in contrarium: nam *cap. Nullus, cap. dilectus, cap.non ſatis, cap.cum in Eccleſia, cap.veniens, de Simonia* loquuntur de exigentibus pecuniam pro ingreſſu religionis, non de exigentibus pecuniam pro ſuſtentatione ipſorum ingredientium: quod conſtat: quia eodem modo loquuntur de exigentibus pecuniam pro ingreſſu ac de exigentibus pecuniam pro ordinatione. In *cap. tamen audiuimus*, videtur fieri prohibitio non ſolum de exigentibus pecuniam pro ipſo ingreſſu, ſed etiam de exigentibus titulo alio ex natura res licito. Si quidem Pontifex non ſolum malas exactiones, ſed etiam illas, quæ ſpeciem mali habent, prohibere intendit. At ſi rectè expendatur, vt aduertit Suar. *lib. 4.c.17. n.13.* videbimus non loqui cap. illud de exactione pecuniæ in ſuſtentationem ingredientium, ſed de pintantiis, ſeu propinis, quæ exiguntur pro ſingulis religioſis, imo non de harum contributione, ſed de modo illas exigendi, vt conſtat ex illis verbis textus difficultates ingerunt, & malitias; donec aliquid muneris manus contingat eorum: quem modum exigendi à particularibus perſonis intendit Pontifex ibi prohibere: nam vt in materia de oblationib. punct.vlt. dictum eſt, ſicut non poteſt parochus extorquere oblationes negando Sacramenta, aut alia officia diuina: ita huiuſmodi propinas non poteſt quilibet religioſus extorquere negando religionis ingreſſum. Secundò reſpondere poſſumus conſuetudine huiuſmodi legem abrogatam eſſe: videmus namque præcipuè in conuentibus monialium neminem recipi, quin in ipſo religionis ingreſſu ſingulis perſonis aliquas pintantias, ſeu propinas tribuat.

Caput vero *quoniam 40.de Simonia* magis vrgere videtur: ibi enim prohibet Pontifex monaſteriis monialium, ne prætextu paupertatis aliquid exigant. Sed reſpondet Suar. *illo cap. 17. num.14.* Leſſius *dub.12. n.71.* hoc ſolum contingere, quando monaſterium reuera pauper non eſt, & nihilominus illo titulo, & colore aliquid exigit: rarò tamen contingere poteſt monaſterium non egere ſubſidio ingredientis, ne propter illius ingreſſum alia officia ſibi vtilia impediantur, neve aliis aptionibus præcludatur ingreſſus.

Circa extrauag. primam *de Simonia*: vbi Vrbanus Papa prohibet ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda, & Papæ reſeruata, ne ab iis qui religionem ingrediuntur, aliquid exigatur directè, vel indirectè, præter id quod ingredientes purè, & ſpontè, & plena liberalitate, omnique pactione ceſſante, dare vel offerre voluerit. &c. Aduerto cum Sylueſt. verbo *Simonia quæſt.15.* & Soto *lib.9.de iuſtit.q.6.art.2.ad 4.* Nauarr. *cap.27.n.106.* & Suar. *5. tom.de cenſur.diſp.22.ſect.5. à num.5.& lib.4. de Simonia cap.17. à n.16* ibi non prohiberi receptionem pecuniæ in ſuſtentationem ingredientium, ſed ſolum ob ingreſſum, & propter illum: quia hoc præſenti decreto non intendit Vrbanus nouam prohibitionem facere, ſed antiquam confirmare, ſub noua pœna, vt indicant illa verba: *deteſtabilis, & à canonibus reprobata ſeruatur abuſio.* Hæc tamen interpretatio non videtur adæquatè ſubſiſtere: nam eſto in principio extrauagantis non intendat nouam prohibitionem facere, ſed antiquam confirmare, quod ſanè durum eſt, cum dicat non poſſe recipi quidquid ex pacto fuerit datum: tamen in medio illius extrauagantis prohibet quoſcunque paſtus, ſeu prandia, pecunias, iocalia, aut res alias etiam ad vſum Eccleſiaſticum, aut alium prius deputata, vel deputanda, hoc eſt munuſcula, & dona, quæ pro ſacriſtia valetudinario, vel aliis ſimilibus vſibus extorqueri ſolent. Quapropter dicimus in monaſteriis præcipuè monialium locum non habere ob conſuetudinem in contrarium præſcriptam.

Tandem difficultatem ingerit *c. periculoſa vnico De ſtatu regularium in 6.* vbi cauetur, ne in monaſteriis ordinum non mendicantium aliquæ recipiantur de cætero in ſorores niſi quot poterunt de ipſorum monaſteriorum bonis, ſiue prouentibus abſque penuria ſuſtentari & ſi ſecus actum fuerit irritum, decernimus. Quæ prohibitio aucta eſt in Concil. Trid. *ſed. 25. cap.3. de reformat.ad monaſteria virorum, cuiuſcunque ordinis ſine*: ibi enim dicitur, ne in monaſteriis virorum, aut mulierum maior numerus recipiatur, quàm qui ex propriis redditibus monaſterij, vel conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari.

Ad hæc reſpondet Leſſius *cap.39.dub.12.fine,&* Suar. *lib.4. de Simonia c.17.n.17.* ea quæ in ſuſtentationem inferuntur ſub prouentibus, & conſuetis eleemoſynis intelligi, & eo titulo accipi poſſe. Vnde concluditur neminem recipi, niſi, qui ex prouentibus, conſuetiſque eleemoſynis, & redditibus monaſterij valeant ſuſtentari.

Sed quid dicendum de operibus cedentibus in propriam vtilitatem? Non leuis eſt difficultas, an pro iis pretium dari poſſit, & recipi abſque Simonia? v. g. an poſſit pretio aliquem inducere, vt recipiat baptiſmum, vt confiteatur, vt Sacramenta frequentet, vt religioſus fiat?

Et quidem ſi pactum ſecludamus, hæc omnia licita ſunt, & conſtat ex *can. debet, 23. quæſt.4.* vbi ait Auguſt. quemlibet debere proximum ſuum adducere ad Dei cultum non ſolum doctrina, & diſciplina, ſed etiam beneficentiæ conſolatione, id eſt donis, & beneficiis & tenet expreſsè Valent. *diſp 6.q.7. part.3.verſ.tertiò ſequitur pag.1648.* Deinde pro certo habendum eſt, poſſe tibi fieri promiſſionem, aut donationem ſub conditione

ditione expreſſa, ſi ad fidem conuertaris, ſi ſis religioſus, ſi Sacramenta miniſtras, vel frequentes, & non aliter ita expreſsè Suar. *lib. 4. de Simon. c. 16. n. 14.* Mol. *tract. 2. de iuſtit. diſp. 93. concl. 4.* Sanch. *multis allegatis lib. 1. de ſponſalib. diſp. 93. n. 4.* Leſſius *lib. 2. c. 35. dub. 12. n. 67.* Et probatur manifeſtè, ex *cap. cum ſit proprium, 2. de conditionib. appoſitis*: ibi enim manu mittitur ſeruus, eique libertas conceditur ea conditione, & modo, vt monachus fiat, & non aliter: libertas autem pretio eſt æſtimabilis. Ergo iam conceditur aliquod pretio æſtimabile ſub conditione monachatus. Et ratio eſt; quia ex vi illius donationis non imponitur donatio aliqua obligatio, ſed ei datur optio, vt ſi velit à ſeruitute exire, eligat religionem, ſin minus ſeruus maneat, ſicut antea: qua etiam ratione validum cenſetur legatum relictum alicui ſub conditione, & pacto, vt ſacerdos, vel religioſus fiat, ſicuti multis allegatis probat Sanch. *lib. 1. de ſponſalib. diſp. 34. num. 15.*

8. Quocirca ſolum in eo caſu exiſtimio Simoniam eſſe pretium offerre pro actu, & exercitio virtutis cedente in propriam vtilitatem: quando ex datione pretij determinaris, & obligaris ad exercendam virtutem: ita expreſsè Suar. *lib. 4. cap. 16. num. 17.* & tenet Abbas *cap. cum in Eccleſia, de Simon. n. 7.* & Rodoan. *3, p. c. 5. n. 23.* Et in hoc cenſu explicandus eſt Text. *in can. quam pio. 1. q. 2.* vbi quoddam monaſterium prælato carens petebat ab alio, vt ſibi de Abbate prouideret: cui petitione nolebat monaſterium annuere, niſi facta ſibi aliqua recompenſatione. Reſpondet tamen Bonifac. ſe eſſe anxium, & dubium non de reſponſione danda, ſed quibus verbis danda eſſet, ne multum eos religioſos contriſtaret; ac tamen ſumma modeſtia, & prudentia eos conuincit, nullo modo talem exactionem licere argumento deſumpto ex Apoſtolorum exemplo de quibus dicit nunquam prouocaſſe aliquem ad Dei cultum aliquo muneris interuentu. Intelligi inquam debet nunquam prouocaſſe aliquem ad Dei cultum, imponendo illi determinatam obligationem; relinquendo tamen in ſua libertate, & optionem illi concedendo, vt ſi velit frui donis, Sacramenta frequentet; vel aliud ſpirituale faciat, ſin minus dono illo temporali, careat, optimè poſſe ab Apoſtolis, & ſanctis Patribus fieri. Hinc ſequitur illicitum eſſe, ſi pauperem alas in ſtudio, & propter alimenta imponas illi obligationem de Sacerdotio, vel religioſo ſtatu ſumendo. Erit tamen licitum obligare illum ad reſtitutionem expenſarum, ſi religioſus non fuerit: quia in hoc caſu nullam ei imponis propriam obligationem, ſed declaras intentionem tuam limitatam eſſe, neque velle ſuſtentationem illi donare, niſi ſub conditione illa de ſtatu religioſo, cum enim dominus ſis diuitiarum tuarum, potes ſub hac, vel illa conditione donare, & non alia: ita Suar. *illo cap. 16. num. 13.* & Leſſius *cap. 35. dub. 12. n. 67.*

Sanchez vero *lib. 1. de ſponſalib. diſp. 39. n. 4.* in vlt. ratione & *num. 7.* aliter reſpondet *ſupra dicto cap. Quam pio*, dicit namque licitum eſſe te obligare muneribus, & donis ad Dei cultum cedentem in vtilitatem tuam propriam. Secus vero, ſi cederet in vtilitatem donantis, vel alterius; nam pro prima obligatione nihil recipitur à donante; non igitur committere poteſt Simoniam: Pro ſecunda autem donatione, iam in ſe, vel in alio recipit emolumentum ſpirituale. Ergo eſt Simoniacus: & de hoc caſu loquitur textus ſiquidem monaſterio prælato carente petebantur munera, vt prælatus illi concederetur, cuius conceſſio in vtilitatem ipſius monaſterij dantis pecuniam cedere debebat, non in vtilitatem dantis prælatum. Fateor huiuſmodi ſolutionem textui conuenire, ac proinde ex illo non probari datam pecuniam pro actu cedente in vtilitatem propriam ipſius recipientis pecuniam eſſe Simoniam. At quia in *cap. quam pio, & cap. vlt. de Pactis, & aliis* generaliter pacta prohibentur abſque diſtinctione, an opus ſpirituale quod exigitur ex vi muneris cedat in vtilitatem dantis pecuniam, vel illam recipientis: ideo ſuperior ſolutio data videtur ſubſiſtere. Quod autem Simonia non euitetur, ex eo quod des pecuniam Petro pro actu cedente in propriam eius vtilitatem optimè probatur à Suar. *illo cap. 16. à num. 18.* variis exemplis. Primò de religione emente ab aliquo eius ingreſſum, ſolum ob eius vtilitatem ſpiritualem, in quo certè religio, etiamſi nihil ſpirituale reciperet, committeret Simoniam. Secundò de fratre minore, natu, qui à primogenito emeret, vt religioſus fieret eo fine, vt ipſe frater minor hæreditati ſuccederet ſine dubio eſſet Simoniacus, & verè emeret rem ſpiritalem, licet illam non reciperet. Idem eſt, ſi dato temporali pretio obligares alium ad orandum in ſuam vtilitatem eſto inde tibi nihil ſpirituale, vel temporale commodi eueniret. Ratio vero eſt; quia ad emptionem ſolum requiritur, vt res empta non ſit ſub dominio, & poteſtate mentis, ſed per emptionem conſtituatur à vendente in eo ſtatu, & modo, quo emens intendit. Quod optimè ſit, etiam ſi in vtilitatem vendentis cedat.

PVNCTVM X.

An vendi poſſit exercitium cuiuſuis ſcientiæ abſque Simonia?

SVMMARIVM.

1 *Aliqui exiſtimant pro officio docendi Theologiam pretium dare, vel recipere Simoniam eſſe.*
2 *Contrarium eſt probabilius.*
3 *Pro licentia docendi procedente à iuriſdictione temporali pretium recipi poteſt.*
4 *Vendere gradum Magiſtri, & Doctoris non eſt Simonia.*
5 *Pro reſponſione caſuum conſcientiæ. Probabilius eſt pretium poſſe recipi.*
6 *Item pro munere docendi doctrinam Chriſtianam.*
7 *Pro concione, & perſuaſione infidelium ad fidem, & fidelium ad pœnitentiam ſimonia eſt pretium recipere.*

1. DE ſola Theologia eſt difficultas, an eius venditio ſit Simonia? Pro cuius explicatione notandum eſt quinque eſſe functiones Theologiæ. Prima deducere concluſiones ex principiis fidei, ſiue neceſſariò, ſiue probabiliter. Secunda interpretari ſcripturas. Tertia dare reſponſa ad pacandas conſcientias. Quarta docere doctrinam Chriſtianam. Quinta concionari, ſeu perſuadere infideles ad fidem, & fideles ad illius obſeruantiam, & maiorem firmitatem.

De primo, & ſecundo munere, quod eſt deducere concluſiones ex principiis fidei, & interpretari ſcripturam. Prima ſententia affirmat eſſe Simoniam pretium pro ipſis docendis recipere: Ita Paludan. *4. diſt. 25. quæſt. 5. num. 20.* Antonin. *2. part. titul. 1. cap. 5. §. 7. notab. 6. in fine.* Sylueſt. verb. *Simonia, quæſt. 10.* & inclinat Hoſtienſ. *in cap. quia nonnulli, de Præſcriptis.* Fundamentum eſt; quia munus Theologi, vt dicit Auguſt. *14. de Trident. cap. 1.* eſt roborare, ac illuſtrare, ac credibilia facere principia fidei, & ex illis principiis illuſtratis, roboratis deducere concluſionem: at talis deductio non ſolum à principio naturali, ſed etiam ſupernaturali: & propoſito per fidem diuinam procedit, & ideo maiorem certitudinem habet, quam quælibet concluſio ſcientifica, & ex alia parte conducit maximè ad ſpiritualem ſalutem. Ergo eſt inuendibile tale munus.

2. Contrariam ſententiam ſcilicet non eſſe Simoniam recipere pecuniam pro officio docendi, & interpretandi ſcripturam (ſecludo interpretationem, quæ fit ex inſtinctu Spiritus ſancti) cenſeo probabiliorem: & docet Suar. *lib. 4. de Simonia cap. 18. num. 7.* & affirmat hodie eſſe communem, & in ſchola receptam: & tenet Gloſſa *in cap. vendentes 1. quæſt. 3. & in c. qui ſtudet 1. q. 1. verbo ſanitatis, & cap. de quibuſdam 37. diſt.* verbo *magiſtri*, Adrian. *quodlib. 9. art. 1. fine*, Victor. *relect. de Simonia num. 6.* Soto *lib. 9. de iuſtit. q. 5. art. 1. & quæſt. 6. art. 2. ad 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 13. n. 80.* Tolet. *libr. 5. ſumm. cap. 88. numer. 3. & 4.* & habetur *leg. 10. tit. 17. part. 1.* & ibi Gregor. Lop. Ratio eſt à contrario, nam eſto Theologia procedat à principiis reuelatis: non tamen ab illis, quatenus reuelata ſunt, ſed quatenus modificantur per principia naturalia. Deinde non ordinatur hoc munus per ſe ad ſalutem animæ, ſed potius ad illuſtrandum intellectum in hac doctrina, ſicut & in alia ſcientia naturali. Ergo eſt vendibile. Adde per accidens eſſe; quod Theologia procedat à principiis reuelatis, & fide diuina creditis ad hoc munus docendi. Nam qui de aliquo principio fidei voluntariè dubitaret, eodem modo poſſet docere, ſicut habens fidem. Ergo per accidens ſe habet concurſus ſupernaturalis fidei ad huiuſmodi officium.

3. Hinc infertur pro licentia docendi, ſi precedat à iuriſdictione temporali poſſe pretium recipi abſque Simonia: nam per cathedram datur hæc licentia, & tamen ſi aliquis venderet cathedram, non eſſet Simoniacus, ſed iniuſtus, aliàs vendere ſuffragium in oppoſitione ad cathedram Theologiæ eſſet ſimoniacum, quod nullus dicit; & ita docent Innocent. Panormitan. *in cap. 2.* de Mag. Antonin. *2. p. tit. 1. cap. 5. n. 17.* Tab. verbo *magiſter n. 10.* Gregor. Lopez *leg. 10. tit. 17. part. 1.* Suar. *cap 18. num. 14.* Leſſius *lib. 2. cap. 35. n. 83.* Neque obſtat *cap. 2. & 2. de Magiſt.* vbi prohibetur dari hanc licentiam docendi pecunia. Quia illa prohibitio non facit actum eſſe Simoniacum, ſed eſſe iniuſtum, & illicitum.

4. Secundo infertur; vendere gradum Magiſtri, & Doctoris non eſſe Simoniam; ita docere videtur Antonin. *3. p. titul. 5. cap. 2. §. 6.* & ex illo Tabiena verbo *magiſterium. numer. 11.* expreſsè Suar. *ſuprà illo cap. 18. num. 16* Leſſius *dub. 13. num. 83.* Ratio eſt; quia huiuſmodi gradus, ſunt quædam publicæ approbationes ad docendum, & conſulendum, &c. cum aliquibus priuilegiis, & facultatibus, & commoditatibus, vel honoribus omnino temporalibus; quæ omnia naturalia

ſunt.

sunt. Ergo non est Simonia eorum venditio: & ita videmus exigi pro magistratu, & doctoratu Theologiæ summam pecuniæ, quæ ratione stipendij, & sustentationis praecisè satis honestari non posset. Neque refert, vt optime dicunt Suar. & Lessius *supra* collationem, vel institutionem huius gradus Pontificiam esse: quia etiam Pontifex potest aliqua temporalia instituere, & conferre ad splendorem rerum spiritualium, quæ non eo ipso sunt materia Simoniæ, nisi specialiter prohibeantur intuitu religionis, quod in iis gradibus non inuenitur. Addit præterea Suar. *supra num.* 17. *in fine*, obligatum ratione cathedræ beneficij, aut alia via docere Theologiam, si pretium exigat pro tali officio non fore Simoniacum: quia nunquam exigit pro aliqua re spirituali, sed temporali: & consentit Aragon. *quæst.* 100. *articulo*, 3. vers. *in eadem solut. pag.* 1116.

5. Tertium munus Theologi est responsa dare casibus conscientiæ? circa quod Lessius *cap.* 35. *dub.* 13. *num.* 78. & 79. affirmat Simoniam esse pro eo pretium expostulare. Ego tamen probabilius existimo Simoniam non esse tenet D. Thom. *quæst.* 100. *art.* 3. *ad* 3. Nauart. *cap.* 13. *num.* 100. Suar. *cap.* 18. *num.* 19. & 20. Ratio, est, quia illa institutio est naturalis, & humano labore acquisita: vendi ergo potest. Qua ratione canonistæ pretium recipere solent: pro huiusmodi responsis, sicut & pro aliis consiliis. Non debet ergo Theologus peioris conditionis esse, cum responsum ab vtroque procedens eiusdem rationis sit. Neque obstat interrogantem ad pacandas conscientias, & ad alios supernaturales referre huiusmodi interrogationes? quia eius intentio non mutat actionem, quæ per se ad id non ordinatur: solum enim tale responsum ordinatur per se ad illustrandum intellectum, & tollendam ignorantiam, ne aliquid fiat contra rectam rationem, & iustitiam.

6. Quartum munus est docere doctrinam Christianam: pro quo probabilius existimo posse pretium recipi, si solum instructio referatur ad inuandum memoriam alterius, & exercendam illam: ita Vgolin. *tab* 1. *cap.* 10. §. 3. *num.* 3. Suar. *cap.* 18. *fine.* At si doceatur Christianus non solum ad inuandum memoriam, sed etiam ad confirmandum eum in fide, & operandum iuxta illam; sine dubio talis instructio supernaturale opus est, vtpote ad supernaturalem finem ordinatum. Idemque à fortiori dicendum est de instructione infidelis, vt ad fidem conuertatur, & maximè si talis instructio facta est in baptismo: quia tunc est ministerium Ecclesiasticum: & ita tradunt communiter doctores Sot. *quæst.* 7. *art.* 1. *fin.* Suar. *cap.* 28. *numer.* 19. & 20. Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 35. *dub.* 13. *num.* 78. & *constabit ex iam dicendis.*

7. De quinto munere Theologiæ, quod est concionari, & infideles ad fidem persuadere, & fideles in eius firmitate roborare, & ad eius obseruantiam incitare, absque dubio est. Simonia pro iis pretium recipere, tenet D. Thom. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 2. & ibi Caietan. & *quodlib.* 2. *art.* 12. & *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 4. & 5. & *ibi* Paludan. *q.* 5. Angel. *Simonia* 3. *num.* 9. Tab. *num.* 8. Hostiens. *in sum. lib.* 6. *tit.* 5. Lessius *lib.* 2. *c.* 35. *dub.* 13. *n.* 79. Suar. *lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 2. aliis relatis.

Ratio est; quia sacra concio refertur primò, & per se ad mouendam voluntatem, & inclinandum illam ad bonum: est ergo ex parte finis maximè spiritualis. Ex parte etiam principij constat. cum prædicatores sint ministri Dei, & eius loco subrogati. Quocirca cum ipse *Matth.* 10. dixisset Apostolis, vt prædicarent regnum cœlorum appropinquasse, & infirmos curarent, mortuos suscitarent, leprosos mundarent, dæmones eicerent, concludit *Gratis accepistis, gratis date.* Quæ verba super omnia antecedenter æque cadunt, ac proinde sicut ex illis infertur non posse Apostolos pretio dæmones eiicere, mortuos suscitare, nec miraculose leprosos mundare: ita neque posse verbum Dei prædicare.

PVNCTVM XI.

An labor repertus in operibus spiritualibus, & obligatio ad illa pretio compensari possit absque simonia.

SVMMARIVM.

1 *Pro labore operibus spirituali' us intimè coniuncto, & ab illis inseparabili, plures censent recipi pretium posse.*
2 *Probabilius est oppositum.*
3 *Pro labore extrinseco, & cum operibus spiritualibus necessario annexo benè potest pretium recipi.*
4 *Quid pro labore impenso à familiari prælati, pro obtinendo tibi beneficium, ordinem, dispensationem, aliamque gratiam, vel iustitiam? Affirmandum est Simoniam esse ex iure positiuo.*
5 *Tria pro superioris doctrina intelligentia aduertuntur.*

DVplex est labor in iis operibus, alius illis intimè coniunctus, & sine quo fieri non possunt accidentalis, & extrinsecus, & ab opere spirituali separabilis.

1. Non pauci doctores docuerunt pro labore operibus spiritualibus intimè coniuncto posse pretium accipi absque Simonia: ita Adrian. *quodlib.* 9. *art.* 1. *in resol. lit. O.* Altisiodor. 3. *part. quæst. penult. de Simonia*, Bonauent. *in* 4. *dist.* 25. *art.* 1. *q.* 4. *fine*, Maiol. *ibi quæst.* 1. *fine* §. *hactenus.* Glossa *in cap. significatum de Prabendis verbo itaque Iesus*, Clarus verbo *Simon, n* 2. Arag. *n.* 6. *consentit ex parte.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 8. *n.* 53. & 54. Ratio huius sententiæ est: quia *Matth.* 10. & *Luc.* 10. affirmatur ministrantem in iis rebus spiritualibus dignum esse mercede: non est autem dignus mercede ratione bonorum spiritualium, quæ aliis confert, neque ratione actionis, quam confert: si enim hæc omnia posset sine vllo labore, & temporis diuturnitate conferre, nullam mercedem, pretiumve exigere posset. Ergo est dignus mercede pro labore, & tempore, quod insumit in sacris faciendis, & quatenus illæ actiones sacræ sunt sibi molestæ, & aliarum actionum sibi vtilium impeditiuæ. Qua ratione maiori stipendio, & sustentatione dignus est, qui toto die audit confessiones, quam qui vna hora, & qui missam canit, quam qui illam recitat. Alias deterioris conditionis essent ministri Ecclesiæ, quam actores, & negociatores temporalium rerum, qui ob defatigationem, & tempus impensum, & tempus quod insumunt, possunt aliquid ferre. Cur ergo priuari debent ministri, qui in negotiis salutis æternæ incumbunt?

2. Nihilominus tamen secunda sententia communior, & probabilior negat pretium recipi posse pro hoc labore intrinseco & necessario coniuncto operibus spiritualibus. Posse tamen recipi stipendium sustentationis, si alias actio spiritualis debita non sit. Tenet hanc sententiam, & latè probat Duran. *in* 4. *dist.* 25. *quæst* 3. *num.* 10. Paludan. *quæst.* 5. Syluest. verbo *Simonia quæst.* 9. Victor *num.* 29. Abbas *in cap. tuam n.* 4. *de Simonia*, Innocent. & Hostiens. *in cap.* 3. *Ne prælati vices suas.* Sotus *lib.* 9. *quæst.* 6. *art.* 1. Suar. pluribus relatis *lib.* 4. *de Simonia cap.* 21. *num.* 5. & *seqq.* Valent. *disput. quæst.* 16. *part.* 2. vers. *nihilominus. pag.* 1639. Tolet. *lib.* 5. *c.* 88. *à n.* 5. Guttier. *canon. quæst. cap.* 29. *num.* 12. Manuel. verbo *Simonia*, *cap.* 48. *conclus.* 5.

Ratio est; quia labor intrinsecus operi nullam aliam æstimationem habet præter ipsum opus: qua ratione opus, cui maior labor annexus est, maiori pretio est dignum cæteris paribus. Ergo si opus de se inuendibile, sit etiam labor ei adiunctus, & ab illo inseparabilis: at omnes actiones sacræ iure diuino inuendibiles sunt. Ergo etiam labor adiunctus inuendibilis erit. Exemplo declaro: si enim lapis aliquis pretiosus, cui annexa est aliqua proprietas prohibeatur emi, & vendi etiam proprietas prohibetur emi, & vendi: quia non potest emi, & vendi proprietas per se sine lapide. Ergo cum iure diuino prohibitum sit emi, & vendi opus sacrum, etiam labor, & defatigatio, quæ illis necessario, & per se sunt coniuncta, quasi quædam proprietas prohibentur vendi: facitque ad id *can. si quis obiecerit* 1. *quæst.* 3. ibi qui horum alterum vendit, sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum dereliquit.

Argumentum autem adductum pro prima sententia solum probat ministrantem in iis officiis dignum esse mercede, hoc est stipendio pro labore susceptо, & quo maior labor suscipitur, eo cæteris paribus dignior est maiori stipendio, non tamen probat illum laborem posse vendi, si quidem est supra omne pretium, vtpote in rebus spiritualibus habitum, & susceptum.

3. Alij labores sunt accidentales, & quasi extrinseci actionibus sacris, quique (moraliter loquendo) necessarij non sunt ad actiones sacras efficiendas, v.g. agere iter vnius leucæ ad dicendum sactum, quando id non annectitur officio, vel beneficio, expectare quotidie per horam, vel aliud tempus ad celebrandum, dicere Missam statutis horis, vel in certis locis, & ad hoc obligari, promittere extraordinarium studium ad concionandum, &c. Pro iis igitur, & aliis similibus pretium exigi potest, & pro obligatione ad hæc omnia efficienda: quia sunt temporalia onera, & priuant laborantem aliis commodis temporalibus: colligitur ex *c. significatum de Prabendis*, & ibi Glossa: *ita* Ioann. Gutierr. *canon. quæst. cap.* 29. *num.* 25. Man. verbo *Simonia*, *cap.* 58. *num.* 5. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 88. *num.* 6. Valent. *disp.* 6. *qu.* 16. *p.* 2. vers. *sexta ergo, pag.* 1639. & affirmat ita tenere communiter doctores absque vlla controuersia: consentit. Suar. *cum aliis lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 15. & 17.

4. Ad hæc reducet aliquis laborem appositum à familiari, & priuato prælati in obtinendo tibi beneficium, ordines, dispensationem, vel aliam simi'em gratiam, aut iustitiam. Quia videntur hæc munera extrinseca esse spiritualibus, cum per se non requirantur ad illa: & ex alia parte videntur esse omnino temporalia: cum nihil aliud huiusmodi intercessiones sint, quam quidem fauor humanus pretio æstimabilis.

Verum omnino dicendum est, Simoniam esse saltem ex iure positiuo dare pecuniam, vel aliud quodvis donum familiaribus prælati, sub conditione, & pacto vt intercedant, & rogent prælatum, vt tibi beneficium, vel ordinem concedat, tenent hanc sententiam ferè omnes doctores cum D. Thom. *q.100. art.2. ad.5.* vbi docet ante ius acquisitum in beneficio Simoniam esse iam sternere, ad illud obtinendum, tollendo impedimenta. Ergo à fortiori procurando, & influendo, clarius Bonauent. *4. dist.25. circa. litt. dub.vlt.* Maior. *ibi quæst. 2. ad 2. supplemen.* Gab. *quæst.2.art.3.dub.4.circa finem.* Summistæ omnes præcipue Sylvest. verbo *Simonia, q.6.* Tab. *num.8.* Angel. *Simonia. 3.num.25.* Nauarr. *cap.23. numer.106.* vers. *ad quintum, & seq.* & *lib.3. cons. 54. de præbendis*, & in comment. *de datis, & promissis notab.32.n.45. & cons.56. & 57. de Simonia.* Soto *l.9.q.7.art.3.* Suar. aliis relatis *lib.4.c.53. n.14.* Lessius *lib.2. cap.35. dub.8. num.46.* constatque manifestè ex *cap. statuimus 2. 1. quæst.1.* vbi Nicolaus Papa enumerat tres species ordinatorum Simoniacè, & vna est quando Ordinanti nihil datur: sed mediatoribus. Idem constat ex *cap. præsentium 1. quæst.5.* vbi Vrbanus Papa cognoscit Somoniam commissam esse, eo quod pecunia data fuerit non Episcopo, sed cuidam eius familiari. Ratio vero est? quia intercessor, & mediator rogans, & inducens prælatum, vt tibi beneficium concedat, causa est moralis illius concessionis. Ergo si emis huiusmodi causam moralem, emis virtualiter effectum illi annexum, & ab illa dimanantem.

5. Aduertunt tamen Nauarr. Suar. & Lessius *supra* non esse Simoniam, si pecunia detur his familiaribus pro labore suscepto in eundo, & redeundo ad collatorem beneficij, vel pro recompensatione alicuius damni si patiantur; vel pro recompensatione liciti si amittant? quia hæc omnia accidentalia sunt iis actionibus spiritualibus. Cauendum vero, ne munus excedat æstimationem talis laboris, vel damni secundum se spectati; aliàs Simonia committetur? siquidem ratione beneficij obtinendi crescit diligentiarum æstimatio, quod clarius constaret si quo pinguis esset beneficium, eo diligentiæ plures æstimarentur.

Secundò aduertit Suar. *cap.53. num.17. cum Adriano* mediatorem assumentem curam præcisè informandi prælatum de meritis talis personæ posse pro hoc munere pretium recipere. Quia in hac parte solum gerit officium aduocati repræsentando merita personæ: pro quo officio dicemus posse pretium recipi, est tamen hoc periculosum; quia sæpe mediator excedit officium informantis, & officium exhortantis, & inducentis, plus quam merita personæ simpliciter repræsentata possent inclinare.

Tertiò aduertit idem Suar. *supra* cum omnibus doctoribus præcipuè Paludano *quæst.5.* non esse familiarem Simoniacum, si recipiat pecuniam solum, vt tibi aperiat ianuam, & facilem aditum attribuat, vt possis petere à prælato beneficium: quia hæc omnia non sunt spiritualibus connexa: imo affirmat non fore iniustitiam hæc dona recipere gratis oblata, vel si aliquid faciat familiaris vltra id quod tenetur.

PVNCTVM XII.

Vtrum venditio actuum pertinentium ad iurisdictionem Ecclesiasticam interni, & externi fori sit Simonia.

SVMMARIVM.

1 *Pro nullo exercitio ordinis, & potestatis spiritualis potest pretium recipi.*
2 *Sacerdos absoluens indignum pro pecunia Simoniam committit.*
3 *Sacerdoti iniustè nolenti absoluere à peccato, vel censuris potest pecunia dari, vt à praua voluntate desistat non in pretium absolutionis.*
4 *Idem est dicendum de dispensatione obseruationis festorum.*
5 *Qualiter parochus pro assistentia in matrimonio possit pecuniam recipere.*
6 *Pretio constitui non potest iudex Ecclesiasticus, siue ordinarius, siue delegatus.*
7 *Proponitur quædam obiectio: & fit illi satis.*
8 *Pro muneribus, & officiis iurisdictionem temporalem habentibus pretium absque Simonia recipi potest? sed non est licita horum officiorum venditio ex legibus nostri regni.*
9 *Pro collatione, institutione, possessione concedenda non potest pecunia etiam in sustentationem recipi, nisi ex antiqua consuetudine habeatur in pios vsus conuertenda.*
10 *Pro dispensatione in votis, iuramentis, impedimentis matrimonijs, aliisque legibus Ecclesiasticis non potest pecunia etiam in sustentationem dispensantis concessa recipi absque Simonia iuris Ecclesiastici.*
11 *Possunt tamen sic dispensantes dispensatis imponere onus dandi eleemosynam aliquam.*
12 *Ordinarij, aliique officiales exequentes dispensationem à Sede Apostolica concessam non possunt pro examinatione testium alteriusque laboris in eius expeditione pretium, vel pecuniam in sustentationem recipere.*
13 *Tria sunt pro superioris doctrina intelligentia aduertenda.*
14 *Pro patrocinio in causis spiritualibus benè potest pretium recipi.*
15 *An pro testimonio dicendo pretium recipi possit?*
16 *Pro omissione pertinente ad potestatem spiritualem pretium recipi non potest.*
17 *Negare absolutionem à peccatis pro pecunia à tertia persona recepta, Simonia est.*
18 *Non videtur esse, si neges confessionem audire, vel Missam dicere, esto ad id sis obligatus.*
19 *Idem videtur de negatione licentia, vt alteri confitetur.*
20 *Quid de omittente denunciare peccatorem cum ad id ex officio obligetur? Affirmant aliqui Simoniam esse.*
21 *Probabilius est oppositum.*

1. PRo nullo exercitio ordinis, & potestatis spiritualis posse pretium recipi, tenent omnes doctores ex *cap. Ad nostram de Simonia, cap. Non satis, c. cum in Ecclesia, c. cum sit Romana, & aliis de Simonia.*

2. Ex hoc principio infertur sacerdotem absoluentem indignum, & indispositum absolutioni, si pro pecunia faciat esse Simoniacum; nam esto non vendat verum actum spiritualem, absolutio data nulla est; vendit tamen quemdam vsum, seu potius abusum spiritualis potestatis: & hoc videtur ad Simoniam sufficere: & tenet Suar. *lib.4. cap.19. num.2.* & satis constat ex *cap. Nemo, de Simonia*; ibi: nequaquam pœnitentem, vel minus dignè pœnitentem gratia, vel fauore ad reconciliationem adducat, &c. Idem est dicendum de Sacerdote accipiente pecuniam pro leui, vel graui pœnitentia imponenda; quia est actus iurisdictionis à potestate ordinis: sic Suar. *suprà num.4.* vbi optimè aduertit sacerdotem pœnitenti in satisfactionem aliquas eleemosynas pro pauperibus, vel Missis dicendis imponens, Simoniam committere, si pœnitentem cogat, & quasi obliget pro absolutione, vt sibi applicet: secus verò, si solum desiderium suum, & voluntatem dicendi Missas manifestaret, cauendum tamen esse (ait) scandalum, & minimum appetitum lucri, & auaritiæ, & ideo talem vsum regulariter esse vitandum, meritoque in aliquibus Episcopatibus, & religionibus prohiberi.

3. Quod dictum est de absolutione à peccatis, dicendum est de absolutione à censuris: esse quidem Simoniam pro pretio fieri quia est actus à potestate supernaturali: habetur de absolutione à suspensione, vel interdicto in *c. Nullus 124. 1. quæst.1.* de absolutione ab excommunicatione in *c. Ad aures de Simonia*, & sumitur ex generali reg. *c. ad nostram eodem titul.* & traditur in *leg.6. & tit.17. part.1.*

Quod si aliquis per iniustam censuram vexetur, neque velit sacerdos eum absoluere, nisi accepta pecunia, existimo dari posse absque Simonia: si detur ad tollendum prauum affectum, & appetitum iniustè negatis absolutionem: quia tunc est quædam redemptio vexationis: & ita tenet Glossa *in cap. Ad aures, & cap. dilectus de Simonia, & in cap. quæstium. 1.q 3.* Redoan. *3.p.c.21.n.6.* & consentit Suar. *lib.4.c.19.n.8.* Aduerto tamen, si facilè negotio absolutionem à superiore potes impetrare, non posse tunc tribuere pecuniam illi sacerdoti, quia teneris ex charitate proximi peccatum vitare, quando commodè potes. Si verò necessarium sit pro absolutione obtinenda à superiore tempus expectare, non censeo te obligatum esse; quia graue damnum est manere te ligatum censura etiam vnico die: ac proinde ob vitandum huiusmodi damnum poteris pecuniam sacerdoti iniustè neganti absolutionem, tribuere.

4. Ad hæc reducit Suar. *illo d.19. n.11.* licentias, vel quasi dispensationes, quas possunt dare parochi suis subditis in ordine ad præceptorum obseruationem, vel excusationem, vt v. g. laborandi die festa, comedendi cibos vetitos, &c. nam siue hi actus fiant per propriam iurisdictionem, siue per authenticam approbationem causæ excusantis, procedunt à potestate spirituali, & sunt actus proprij officij.

5. Solum de assistentia parochi ad matrimonium esse potest difficultas, an pro illa possit pretium recipere; Et aliqui dicunt, etsi iniustus sit, si petat quod sibi nō debetur, ex consuetudine non fore Simoniacum: quia non exercet actum ordinis, neque iurisdictionis: cum ab excommunicato, & non ordinato (secundùm probabilem sententiam) validè exerceatur, sed assistit sicut alius testis, qui etsi pro sua assistētia pecuniam

exposcu

expostularent, Simoniaci non essent. Nihilominus probabilius existimo cum Suar. *lib.4.c.19. circa finem* esse Simoniam iuris diuini, si in pretium exigat pecuniam. Probo, quia illa assistentia ex institutione Ecclesiæ est annexa officio parochi,& videtur expostulata, quia contractus ille sanctus est, & Sacramentum. Ergo reducitur ad ministerium Ecclesiasticum; ac proinde Simonia erit pro illo pretium recipere.

Aduerto tamen si ex assistentia matrimonij, vel benedictione nuptiarum aliquod emolumentum, aut stipendium soleat parocho euenire, posse absque Simonia nolle dare licentiam alteri assistendi matrimonio, vel benedicendi nuptias, quin sibi emolumentum, quod sperabat, compensetur; quia tunc non petit pecuniam pro licentia concedenda, sed petit pecuniam vt se indemnem seruet: & ita tenet Sylvest. verbo *Simonia n.8. §. secundum*, Man. Rodrig. *c.58.n.10.* Arag. *q.100. art.2. in fine pag.1113.* & idem affirmant supradicti doctores de licentia concionandi, & administrandi quodlibet aliud Sacramentum.

Rursus de actibus Ecclesiasticæ iurisdictionis pertinentibus ad externum forum dicendum est, in quibus aliqua sunt certa, alia sub dubio.

6. Certum est non posse Vicarium Episcopi, neque aliquem iudicem spiritualem, siue ordinarium, siue delegatum, neque Vicarium Ecclesiæ, neque capellanum pretio constitui, siue pretium detur ex parte accipientis iurisdictionem, siue ex parte dantis; quia quocunque modo fiat, Simonia committitur, quia est actus potestatis spiritualis & specialiter probatur ex *cap. ad nostram, de Simonia*: ibi mandamus quatenus pro ministerio Ecclesiastico exercendo, siue pro vicariis assignandis nullatenus pecuniam exigatis. Idem habetur, in *cap. consulere eodem tit. & in leg.8. tit.17. part.1.* imò neque Prælatus potest accipere pecuniam, vt hunc potius, quam illum in vicarium constituat: acciperet enim pro sua deleganda potestate: ita expressè Suar. *c.26.n.21. in medio.* Deinde non potest vendi ius eligendi ad dignitates, aut Ecclesiastica beneficia, neque ius confirmandi electionem, aut conferendi talia beneficia, aut instituendi in illis: quia hæc omnia pertinent ad iurisdictionem spiritualem; si quidem actus ab illis procedentes spirituales sunt, adeò vt ipsum ius solum propter actus æstimabile sit. De iure præsentandi infra tractabitur, an vendi possit.

7. Sed obiicies, in curia vendi clericatum cameræ, & auditoratum cameræ: quæ sunt munia constituta ad Ecclesiasticam iurisdictionem exercendam vice Pontificis.

Respondeo in iis officiis, sicut in quolibet beneficio duo esse consideranda. Primò iurisdictionem spiritualem. Secundò emolumentum temporale ex illa proueniens: & licet hoc secundum non possit vendi, quatenus primo coniunctum est, vt constat ex *cap. si quis obiecerit 1.q.3.* hoc tamen est ex prohibitione iuris Ecclesiastici, in quo Pontifex dispensat; ac proinde absque Simonia facit, vt illa officia vendantur secundum temporale quod habent: sumiturque ex *c. vlt. Ne prælati vices suas*, vbi Abbas Angel. *Simonia 2. n.25.* Suar. *lib.4.c.20. num.6.*

8. Alia sunt munera, & officia pro iurisdictione temporali exercenda, qualia sunt decurionatus, & iudicaturæ temporales alicuius populi, in quo Prælati Ecclesiastici habent iurisdictionem temporalem: hæc enim officia si vendantur, nulla est Simonia; quia nihil spirituale habent. An autem licita sit eorum venditio, vel locatio: Breuiter respondeo, secluſa lege positiua licere, dum modo benemeritis conceduntur, & moderato stipendio. At quia legibus nostri regni prohibita est venditio horum officiorum absque Regis licentia, *leg.2.t.5.lib.2. ordinamus, & tit.13. leg.6. & 16. & tit.14. leg.2. & leg.3. & 16. tit.15. leg.14. & tit.16. leg.4.* ea de causa credo peccaturum Episcopum hæc officia vendentem, pro qualitate obligationis, qua leges ciuiles respicientes bonum commune tenetur seruare. Non tamen caret probabilitate supradictas leges solum de officiis vendendis à personis sæcularibus, Ducibus, Marchionibus, aliisque similibus Principibus loqui. Quia non possunt disponere de iurisdictione, bonisque temporalibus personarum Ecclesiasticarum.

9. Secundò certum est, capitulum, aut alios prælatos nihil omnino posse exigere pro collatione, electione, institutione, vel possessione concedenda non solum in pretium, sed neque etiam in sustentationem, nisi ex antiqua consuetudine solita sint hæc in pios vsus conuerti; alioquin erit Simoniacus, & incurret pœnas Simoniacorum: ita Trident. *sess.24.c.14. de reformat:* & probat latè Garcia pluribus doctoribus, & decisionibus relatis 8. *p. de benefic. c.1 n.75. & 83.* & ibi congregatio Concilij prout refert Farinac. *volum 4 pag 87. colum.2.* imò Pius V. declarauit Episcopum, qui aliquid etsi dulciora (duntaxat) exigit in receptione alicuius in canonicum: esse suspensum à Pontificalibus, & capitulum talia exigens subiacere interdicto; sæculares autem personas sententiæ excommunicationis reseruatæ, & eos qui sit aliquid acceperint ad restitutionem accepti teneri, vt patet ex Bulla Pij V. quæ incipit: *Durum nimis, publicata Kalend. Iunij* 1570. Aduertit tamen Lessius *lib.2.c.35. dub.18.n.111. fine* passim non obseruari, & omnino ignorari: esto Concilium Episcopis mandet, vt in executionem deducant.

Deinde circa supradictum decretum concilij sacra congregatio censuit non posse fieri de nouo statutum vt aliquid soluatur etiam à nouiter recepto in vsum pium, veluti pro fabrica, vel sacristia, nisi fuerit à Pontifice per certam scientiam approbatum, & confirmatum, &c. tradit Gutier. *can.m.qq.lib.1. c.19.n.28.* Nauarr. *c.23.n.101. vers.11.* Garcia aliis relatis, & decisionibus *adductis 8.p.c.1.à n.87.* Notorij verò, & alij officiales, etiamsi illis salarium constitutum sit possunt absque Simonia pro suo labore in danda possessione beneficij, seu actis illis pretium recipere? quia supradictis decretis id non cauetur &: tenet Garcia *suprà n.80.*

10. Aliud munus Ecclesiasticæ iurisdictionis est in votis, iuramentis, impedimentis matrimonij, aut quibusvis legibus Ecclesiasticis. Pro quo munere affirmandum est, non posse absque simonia exigi pecuniam etiam in sustentationem dispensantis: sed gratis hæc omnia esse concedenda: est certa conclusio ex Cocil. Trident. *sess. 22. c.5. & sess. 24. c.5. de reformat. & sess. 25. c.18.* & probat *D. Thom. q.100. art.3. ad 2.* Lessius *lib.2.c.35. dub.9.n.57.* Suarez *c.20.n.8.* Ledesma *2.p.tractat. 12.conclus 9.* Garcia *8.p.c.1.n.100.*

Solum obiici potest stylum curiæ: vbi pro dispensationibus pecunia exigitur, & quo grauior est dispensatio eo maior quantitas expostulatur, vt pro dispensatione in secundo gradu, magis quam in quarto, & in impedimendo consanguinitatis, potius quam in impedimento affinitatis, aut honestatis, quæ omnia videntur esse contra ius commune *cap.1. de Simonia, cap. sicut Episcopum, 1. quæst.2.* & Trident. *suprà.* Responderi potest Pontificem esse supra ius commune, atque adeo ex eius concessione expostulari pecuniam non in commutationem dispensationis, & gratiarum, quæ conceduntur in Romana curia: hoc enim esset simonia contra ius diuinum: sed petitur pecunia in sustentationem Pontificis, & officialium, quod absque simonia fieri potest ex dispensatione Pontificis, consuetudine approbante: & ita tradit Suarez *lib. 2. capit. 20. numer.13.* cum Rodoano *1.p. cap.25. numer.4.* Garcia *8.p. c.1. num.101.*

11. Ordinarij autem etsi pro iis dispensationibus pecuniam exigere nullatenus possint, possunt tamen (vt benè aduertit Lessius *illo cap.35. dub.9. num.57.* & idem est de quolibet alio dispensante) imponere dispensato vnus largiendi eleemosynam pauperibus, vel monasterio: quia Concilium solum prohibet exactionem pecuniæ pro ipsa dispensatione, non tamen prohibet, quin via commutationis aliquid exigant: quod maximè verum habet, si in votis, aut iuramentis, & festis fiat dispensatio & debita non sit. Et eadem ratione si dispensatio supponat culpam, possunt dispensantes in illius pœnam præcipere aliquam eleemosynam, vt tamen hæc omnia ab omni labe simoniæ, & illius specie immunia sunt: aduertit optimè Suarez *libr.4. cap.20. numer.15.* prælatum non sibi, sed piis operibus eleemosynam applicare debere. Idem sentit Manuel. Rodrig. *2.t.sum.c.48.num.4.* cum Panormit. & Couarruu. *in c. Alma mater, 1.p.§.11.n.10.* & D. Thom. *2.2.q.100. art.2.ad 3.* Soto *lib.9.q 3. art.1 ad 3.* Nauarr. *c.23. n.102.* & facit *lex 1.tit.5.lib.8. nouæ compilat.*

12. Sed inquires; an ordinarij, & alij officiales, quibus à Sede Apostolica committuntur dispensationes matrimoniales, & aliæ possint pro labore, & receptione, & examinatione testium aliqui exigere?

Respondet Thom. Sanchez *lib.8. de Matrim. disp.35.n.21.* & Salas *de legib. disp.20. sect.10. in fine*, recipi posse quidquid est introductum consuetudine. Nam etsi in rescripto harum dispensationum habeatur, vt omnis spes cuiuscunque muneris, & præmij etiam sponte oblati deponatur; non obinde fit, non posse laboris impensi stipendium recipi: nam stipendium non habet propriè rationem muneris, neque præmij. Nihilominus tamen omnino dicendum est cum Garcia, *7.p.num.102.* & Nauarr. *lib.1. Consil.in 2.edit.titul.de Rescript.toto, cons.vlt.* Zarola *in praxi Episcop. 2.p.* verbo *delegatus §. 2.p.* verbo *dispensatio*, §. 1. & Marco Antonio Genuens. *in praxi Archiepisc. curiæ Neapolit. cap.25.n.13.* Nihil posse etiam in stipendium ab ordinato recipi pro examinatione testium, verificandisque narratis, &c Solum notario pro examinatione testium, & aliarum rerum informatione permittitur accipere posse quartam partem aurei, seu ducati, & contrarium facientes pœna excommunicationis reseruatæ innodantur: vt constat ex verbis apponi solitis in fine ipsarum litterarum: & in litteris dispensationem pro pauperibus cum copula, additur dispensationis expeditionem nullius esse roboris, & momenti, si gratis omnino non fecerit.

Neque possunt supradicti excusari affirmando stipendij receptionem non esse prohibitam, sed solum muneris, & præmij, quæ in idem videntur incidere. Nam si rectè illa verba expendantur, nomine muneris intelliguntur donatiua

vulgo *Coëchos*: & nomine præmij vocatur ſtipendium, & merces debita pro labore, ſicut rectè certantibus promittitur præmium vitæ æternæ. Et ita explicat Farinac. *volum.4. ſeſſ.22.c.3.de reformat. ver.cognoſcatur, pag.51.* & Garcia *ſuprà*: vbi adducit plures declarationes pro hac ſententia neque rurſus excuſari poſſunt aliqua conſuetudine, vt ex quadam declaratione, quam adducit Garcia *illo cap.2. num.103.* circa Vicarios Archiepiſcopi Burgenſis conſtat, & quia eſt interrupta per dictum decretum: neque iuuare poteſt contra ſpeciale decretum, & mandatum Pontificis denuo productum poſt ipſam conſuetudinem. Fateor, ſi conſuetudo legitimè introducta eſt, non derogari per decretum, niſi illius fiat expreſſa mentio.

13. Aduerto tamen. Primò, ſi neceſſarium eſſet ordinario, vel aliis diſpenſantibus exire à ſuo domicilio pro examinandis teſtibus, verificandaque narratiua, poterit pro hoc labore pecuniam recipere. Idemque eſt dicendum, ſi partes peterent tranſſumptum inſtrumenti diſpenſationum. Tenet Garcia & Genuenſ. *ſuprà*.

Secundò aduerto receptionem pecuniæ in ſtipendium pro ſupradictis muneribus, & officiis, etſi illicita ſit, non tamen eſſe ſimoniam, ſed turpe lucrum; qui in iis decretis non videtur prohibita ſub hoc titulo, & ratione.

Tertiò, dico receptionem pecuniæ in expeditione aliarum diſpenſationem à cauſa matrimoniali non eſſe prohibitam, ſi recipiatur pro ſtipendio laboris impenſi in examinandis teſtibus, aliiſque officiis præſtandis: & in hac parte conſentio cum Salas *ſuprà*.

14. Supradicti annecti poteſt patrocinium in iudicio in cauſis ſpiritualibus; pertinet enim ad complementum Eccleſiaſticæ iuriſdictionis. Pro hoc tamen munere conueniunt omnes Doctores, vt teſtatur Suarez *libr.4. de Simonia, capit. 53. numer.9.* poſſe pretium recipi, & idem eſſe de procuratione: Ratio eſt, quia hæc munera non ſunt à poteſtate ſpirituali, neque ab aliquo habente illius iuriſdictionem: imo ſunt munere temporalia, & antecedenter annexa rebus ſpiritualibus: & ita obtinuit praxis, & totius Eccleſiæ conſuetudo. Qua ratione in *cap. non ſanè 14. quæſt. 5.* abſque vlla diſtinctione dicitur licere aduocato patrocinium ſuum vendere.

15. Pro teſtimonio autem exhibendo, aliqui affirmant ſimoniam eſſe ſi pretium exigatur; quia teſtificatione paratur via ad beneficium, potius quam interceſſione: & ita tradunt Pamormitan. *in c.tua nos, n.6. de Simonia*, & ibi Hoſtienſ. & Felinus *num.4.* D. Antonin. *cap.5. §. 17. notab.1.* Tabiena *num 47.*

Verum diſtinguendum eſt cum Suarez *libr.4. de Simonia, c.53. num 11.* vel ex parte dantis pecuniam, vel ex parte recipientis: ſi enim teſti nolenti teſtificari veritatem pecuniam tribuas, ſimoniacus non es? quia tribuis ob redimendam vexationem, quod tibi licet: ipſe tamen teſtis iniuſtitiam committit iuxta doctrinam Auguſt. *in cap. non ſanè, 14. quæſt. 5.* & D. Thom. 2. 2. *quæſt. 16. art.4 ad 3.* quem omnes Theologi ſequuntur, & Iuriſperiti in *cap.1. & cap. ſicut nobis de Teſtibus*: & Turrecremata *in cap. qui rectè, quæſt.3.* niſi excuſetur pro labore aliquo, aut incommodo compenſando, ſi forte illi euenit ex tali teſtificatione. An verò committat ſimoniam, ſi accipiat pro teſtificatione veritatis mihi ſanè dubium eſt: quia teſtificatio veritatis v. g. in aliqua lite beneficiali, nihil aliud eſt quam quædam manifeſtatio, & comprobatio iuris, quod habes circa tale beneficium: at qui aſſumeret munus informandi prælatum, eſque manifeſtandi veritatem, non eſſet ſimoniacus. Ergo neque teſtis debet eſſe: & hoc ſine dubio procedet, ſi pecuniam expoſtulet non in commutationem ſuæ teſtificationis, ſed in ſtipendium: quia hoc expreſsè non cauetur aliquo iure poſitiuo.

16. Tandem dicendum eſt de omiſſionibus pertinentibus ad poteſtatem ſpiritualem: cum enim iuriſdictio tam interni, quam externi fori exerceri poſſit, non ſolum concedendo ſpiritualia dona, & beneficia, ſed etiam negando illa efficitur committi ſimoniam, quoties negatio alicuius actus ſpiritualis procedit à poteſtate ſpirituali: & ita tradit cum communi Doctorum ſententia Vgolinus *tab.1. c.40. §.3.* Suar. *lib.4. de Simonia c.22. à num.4.* Leſſius *dub.2.c.35. dub.11.n.64.* & deciditur manifeſtè in *c. Nemo de ſimonia: vbi gloſſa*, & Panormit. *num.6. & in c. Nullus Epiſcopus, c.ſunt quidam 1.q.1.* & ibi gloſſa, Archidiacon. Præpoſit. & Turrecrem. Difficultas autem eſt in aſſignatione harum omiſſionum. Vt autem hoc intelligatur, apponamus aliqua exempla ex quibus generalis doctrina percipi poſſit.

17. Et quidem in iuriſdictione fori interni datur ſimonia, ſi poſt auditam peccatorum confeſſionem deneges pœnitenti abſolutionem pecunia accepta à tertia perſona. Quia eſt actus à poteſtate clauium, cuius proprium eſt ſoluere, & ligare: & habetur expreſsè in *c. Nemo presbyter*: ibi. Ne, quemquam pœnitentem gratia, vel fauore ad reconciliationem adducat, vel quocunque fauore dignè pœnitentem à confeſſione remoueat, quia ſimoniacum eſt vtrumque: & tenet expreſsè Leſſius *ſuprà*, & Suar. *c.21. n. 9.* Simile eſt in iuriſdictione fori contentioſi, ſi cum teneris abſoluere ab aliqua cenſura, nolis abſoluere, cenſeris enim virtualiter continuare cenſuram, & actum iuriſdictionis exercere: & ita notauit expreſsè Leſſius *dub.11. n.64. fine*: & Suar. *ſuprà, cæterique Doctores.* Idem videtur dicendum, ſi corruptus pecunia, contra criminoſum non procedas, tacitè enim condonas delictum, aut ſi iuſtè appellanti deneges appellationem, in iis enim caſibus non ſolum eſt negatio vſus iuriſdictionis, ſed potius eſt illius moralis vſus, vt benè Suarez *c.22.n.16. fine.*

18. Alia ſunt exempla in quibus DD. non conueniunt: Primum eſt de parocho obligato, dicere ſacrum parochianis; illóſque confiteri: ſi propter pecuniam omittat ſacrum, aut confeſſionis auditionem neget: in iis caſibus cenſet Vgolinus *tab. 1. c.40. §.2. & 3.* eſſe ſimoniam. Verum probabilius cenſeo non eſſe; quia tunc non videris exercere iuriſdictionem, ſed negare vſum illius: & ita tenet Suar. *lib.4. cap.22.n.13.* Leſſius *lib.2.c.35. dub.11.n.64. circa finem.*

19. Secundum exemplum eſt, ſi parochus, vel prælatus propter pecuniam neget ſubdito iuſtè petenti licentiam, vt alteri confiteatur, &c. In quo caſu cenſet Suarez *ſuprà, num.6.* cum Vgolin. *tab.1. c.36.§.3. n.6.* probabilius videri eſſe ſimoniam. Mihi tamen contrarium videtur dicendum; eo quod huiuſmodi negatio non ſit exercitium poteſtatis, ſed potius non vſus illius; ſicut quando negat adminiſtrationem ſacramenti, nullam in his caſibus ſpecialem differentiam inuenio.

20. Tertium exemplum eſt de actu non denunciandi peccatorem. Et quidem quando ex officio ad denunciandum non teneris, ſimoniam non committis: quia celatio peccatoris non eſt à poteſtate aliqua ſpirituali. Difficultas tamen eſt, ſi ex officio tenearis denuntiare, vt ſi parochus ſis, & parochianus in Paſchate non communicat, & pro pecunia accepta hunc parochianum non manifeſtes Epiſcopo: quod facere potes, ſi ſcribas eum, qui non communicauit inter eos qui communicarunt, aut ſi ſcribens non communicantes omittas illum qui pecuniam dedit.

In hoc caſu videtur docere D. Thom. 2. 2. *q.100. art.3. ad 3.* committi ſimoniam, quatenus ait paſtores non poſſe pecuniam recipere, vt ſubditum corrigant, vel à corrigendo deſiſtant: Gloſſa, & Panormit. in *c. Nemo de ſimonia*: Antoninus, Sylueſter, Paludanus, Vgolinus, & alij relati à Suarez, *lib.4. c.22. n.15.* vbi hanc ſententiam reputat probabilem, & reddit rationem: quia parochus omittens hanc denunciationem abutitur ſuo munere & quaſi iuriſdictione, & quantum in ſe eſt, impœnitentem abſoluit, & à cenſura liberat, per talem abuſum propter pecuniam. Inſuperque probatur ex *c. Nemo de ſimonia*: vbi prohibetur presbyteris, ne à peccante publicè aliquid accipiant, vt eius peccatum Epiſcopo, aut eius miniſtris celent: cum autem hæc prohibitio ſit ſub titulo de Simonia videtur ſimoniacum eſſe.

21. Nihil ominus dicendum eſt, vt probabilius omiſſionem huius denunciationis ſimoniacam non eſſe tenet hanc ſententiam Innocent. *in ſuprad cap. Nemo* vbi explicat loqui text. de ſimilitudinaria ſimonia, non de propria: conſentit ibi Hoſtienſis, & Leſſius *libr.2. capit.35. dub.11. num.64. §. neque obſtat*, Suarez *lib.4. cap.22. numer.14.* propendet magis in hac ſententiam. Ratio eſt, quia etſi parochus omiſſione denunciationis liberet ſubditum à ſupplicio non tamen in hac liberatione iuriſdictionem exercet, cum non abſoluat pœnitentem, neque propriè liberet à cenſura incurſa. Caput autem *nemo de Simonia* contrarium non eſt huic noſtræ concluſioni: quia vt optimè expendit Suar. *ſupradict. loc.* hic textus duas habet partes vnam à principio, vſque ad verſum *Ne quemquam* excluſiue, aliam in toto illo verſu vſque ad finem: priori ergo prohibetur presbyteris ne accipiant aliquid temporale propter celandum publicum peccatorem Epiſcopo vel miniſtris eius: & in hac parte nullum eſt verbum de Simonia. Vnde videtur illud prohibitum, tanquam contrarium bonis moribus & officio clericorum, non tamen vt contrarium religioni, & ſimoniacum. In ſecunda autem parte prohibetur clericis reconciliare quempiam, vel reconciliationem alicui negare propter pretium: & redditur ibi ratio, quia ſimoniacum eſt vtrumque. Quæ verba (vt benè Suarez) non referuntur ad priorem partem capitis, ſed tantum ad hanc poſteriorem: nam vox illa *vtrumque* duas tantum partes complectitur, quæ debent eſſe proximæ præcedentes. Ergo non cadit in eas, quæ remotè præceſſerunt. Alias ſi Pontifex voluiſſet omnia præcedentia complecti, cum illa ſunt pluſquam duo, non debere dicere, *quia vtrumque*, ſed quia omnia hæc ſimoniaca ſunt. Quod ſi aliquis inſtet, ſi vitium prohibitum in prima parte textus non eſt ſimonia, cur ibi ponitur ſub titulo de ſimonia? Reſpondet Suarez *ſuprà, num.14. fine*: non omnia prohibita ſub illo titulo eſſe propriè ſimoniaca, ſed quædam obiter adiungi propter analogiam aliquam.

PVNCTVM

PVNCTVM XIII.

An beneficium Ecclesiasticum vendi possit absque Simonia?

SVMMARIVM.

1 *Quid nomine beneficij intelligatur.*
2 *Certum est inuendibile esse.*
3 *Sed an ex iure diuino hoc contingat? Alij affirmant, alij negant, & sententia conciliantur.*
4 *Proponitur obiectio, cui fit satis.*
5 *Fructus beneficij possunt à beneficiato locari, & vendi pro vita, si secludamus extrauag. Amoitiosa.*
6 *An pensiones possint vendi, & redimi absque simonia? Proponitur dubitandi ratio.*
7 *Duplex est pensio alia laïca, alia Ecclesiastica: laïca vendi potest.*
8 *Ecclesiastica, qua multiplex est, nequaquam absque simonia vendi potest.*
9 *An vero possint ha redimi propria authoritate? Negant plures.*
10 *Contrarium videtur probabilius. Esto ex stylo curiæ authoritas Pontificis semper expostuletur.*
11 *Resignans beneficium cum onere pensionis non potest pacisci, vt pensio redimatur.*
12 *Quod dicitur de pensionibus Ecclesiasticis dicendum est de præstimoniis.*
13 *Commendæ spirituales nequaquam absque simonia vendi possunt, bene temporales in his tamen vendendis committi potest iniustitia.*
14 *Coadiutoriæ beneficiorum & capellæ non erectæ authoritate Episcopi possunt pecunia obtineri absque Simonia.*
15 *Quid de hospitalibus dicendum est.*

HVcusque de spiritualibus per se sermonem fecimus, pergimus explicare iis annexa. Annexa spiritualibus vocamus beneficia; quia propter officium spirituale conferuntur.

1. Et in primis suppono beneficium esse ius recipiendi fructus annuos de Ecclesiasticis bonis ratione alicuius ministerij Ecclesiastici; ita communiter DD. & constat ex Rebuff. *in praxi benef. cap. quod sit beneficium*: & sumitur ex *cap. 1. de Ecclesiis ædificandis, & aliis, & cap. vlt. de Rescript. lib. 6.* Dicitur beneficium dari propter officium; eo quod non possit in alium transferri beneficium, quin simul onus ad officium transferatur. Comprehendit autem hæc vox beneficium Ecclesiasticum, Episcopatum, Abbatiam, Prioratum, Archidiaconatum, & alias Ecclesiasticas dignitates canonicatus, vicarias perpetuas, & alia huiusmodi: de quibus videndum est, an sint inuendibilia non solum ex iure Ecclesiastico, sed etiam ex iure naturali, & diuino.

2. Certum est secundum omnes DD. beneficium inuendibile esse iure diuino, qua parte importat ius administrandi spiritualia, quia tale ius spirituale, & sacratum est, & à Christo institutum. Iure autem positiuo inuendibile est, qua parte est ius obtinendi fructus, vt constat ex *c. vlt. de Pactis, & super eo de Transact. c. querelam, c. Tua nos de Simon. & c. vnico, vt Ecclesiasticus beneficia, &* 1. *q. 3. ferè per totam.*

3. Controuersia tamen est inter Doctores, An iure diuino hoc sit prohibitum? Theologi communiter affirmant, Canonistæ negant, vt videre est in Suarez *t. 1. de Relig. lib. 4. cap. 24. num. 7. & 12.* & Valent. *disp. 6. q. 16. p. 2.* vers. *septima quæstio est, pag.* 1640. At re attentè considerata vt dicit Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 2. num. 18. & seq.* vtraque sententia veritatem habet. Si enim beneficium accipiatur, quatenus est ius ad annuos fructus obtingens per officium sacrum, cum officium sacrum, & ius administrandi spiritualia inuendibile sit, etiam est inuendibile ius ad annuos reditus, quod medio illo officio, & iure spiritualia consequitur, & consequenter vera est absolutè sententia Theologorum affirmantium beneficium vendi prohiberi. Verùm quia Summus. Pontifex potest præbendam, seu fructus beneficij, & ius illa percipiendi à titulo spirituali, hoc est à iure administrandi spiritualia separare, vnique conferre huiusmodi ius spirituale, alteri verò, vel sibi applicare ius percipiendi fructus illius tituli, vt contingit quotidie cum pensiones assignat, poterit pensionem illam, seu fructus, quos extrahere vult à titulo spirituali, velle vt accipiens beneficium statim redimat, & sibi conferat, alias non collaturus beneficium. Quod autem hæc possit Pontifex, constat; quia ipse solum tenetur conferenti beneficium sustentationem tribuere. Ergo, si aliunde huiusmodi sustentationem conferat, poterit omnes fructus assignatos illi beneficio sibi applicare. Ergo iam sibi applicatos poterit vendere, si quidem non vendit aliquid, quod sit simpliciter spirituale.

Ex hac doctrina fit, beneficium formaliter esse inuendibile, si quidem non venditur ius percipiendi fructus medio spirituali officio contingens, quod erat necessarium ad venditionem beneficij, sed venditur ius percipiendi fructus, quod Pontifex sibi poterat reseruare.

4. Dices, conuinci saltem gratis non dari ius administrandi spiritualia; si quidem petitur pro illius datione redemptio fructuum illi iuri annexorum. Respondeo, redemptionem fructuum non obstare gratuitæ donationi, quia non datur redemptio fructuum pro iure administrandi sacramenta, sed pro fructibus percipiendis, quos poterat Pontifex sibi reseruare. Vnde fit, non posse à Pontifice in datione beneficij exigere plus quam fructus illius beneficij moraliter æstimantur, aliàs non exigeretur pecunia solum in redemptionem fructuum; quos extrahere posset Pontifex, sed conuincitur exigi pro iure spirituali donato. Inferiores prælati, quibus non est facultas separandi fructus à titulo beneficij, si in eius datione peterent pecuniam sibi dari pro fructibus, quos concedunt conuincerentur sanè pecuniam petere pro ipso titulo; si quidem ratione illius habent fructus percipiendi: ita Suarez *c. 24. n. 41.* & Lessius *c. 35 dub. 2. n. 20.*

5. De fructibus beneficij probabilius est posse à beneficario pro sua vita locari, & vendi; vt tenet Panormit. *in cap querelam. Ne prælati vices suas, cum* Hostiensi, & Frederico, & Sylvest. verbo. *simonia*, §. 14. Tolet. *lib. 5. c. 91. num. 6.* & latius diximus, cum de alienatione rerum Ecclesiasticarum egimus. Neque obstat *extrauagans ambitiosa de rebus Eccl. non alienandis edita à Paulo II.* vbi cauetur, ne vltra triennium locentur sub pœna excommunicationis, & priuationis beneficij: quia nullibi ferè est recepta vt testatur Nauarr. *cap. 27. num. 146.* & Caietan. *verbo excommunica.* & Tolet. *suprà.*

6. Ex hac generali doctrina ad particulares materias, in quibus est aliqua difficultas, oportet deuenire.

Primò igitur dubitatur; an pensiones possint vendi & redimi absque simonia? Ratio dubitandi est; quia non videntur esse beneficia Ecclesiastica, *c. quamuis de præbendis in 6.* ibi: ei non in pensione, sed in beneficiis Ecclesiasticis volumus prouideri: & tenent communiter Doctores ibi: vt videre est in Gigas, *q. 28. de pensionib. in princ. & in multis*, quos refert Suarez *lib. 4. c. 26. n. 1.*

7. Pro resolutione aduerte duplicem esse pensionem; alia quæ dari potest laicis ad officium temporale verbi gratia ad pulsandum campanas, curandum infirmos, canendum figuratè in choro. Et de hac certum est non esse simoniam, neque iuris diuini, neque humani, si vendatur, vel redimatur. Quia hæc pensio non est annexa titulo spirituali: si quidem neque ex parte subiecti, neque ex parte finis spirituale aliquod munus requirit. Quod verò illa portio extracta sit ex aliquo titulo spirituali, scilicet ex beneficio, in causa non est, quominus temporalis sit, & vendibilis, sicut tertiæ decimarum Regi concessæ extractæ sunt ex beneficiis; & tamen quia ad nullum officium spirituale ordinantur vendi possunt, & de facto quotidie venduntur: & ita tenent contra Rebuff. *de pacifica possess. numer. 34.* communiter Doctores, vt testatur Suarez *lib. 4. de Simonia, c. 26. n.* Lessius *lib. 2. c. 35 dub. 22. n. 123.* cum Victor. *relect. 1 de Simonia, n. 54.* & Soto *lib. 9. q. 7. art. 2.*

8. Alia est pensio, quæ soli clerico concedi potest: & hæc est duplex; alia quæ absque determinatione personæ assignata est pro aliquo officio spirituali, verbi gratia pro coadiutore Episcopi, pro concionatore, pro visitatore, &c. & hæc pensio nullo modo potest vendi à priuata persona; quia venderetur spirituale ministerium in quo fundatur, neque etiam potest redimi quia non potest extingui obligatio ad tale ministerium. Quod si is, cui est assignata pensio, retento munere ad officium vellet pacisci de tota pensione sibi danda pro vita facere posset. At hoc non est vendere pensionem, sed elocare fructus percipiendos: & ita vt indubitatum tradunt Suarez *illo c. 26. num. 20.* Lessius *cap 35. dubit. 22. numer 122.* Alia pensio soli clerico concessa est in quadruplici differentia. Prima, quæ datur pauperi clerico in sustentationem. Secunda, quæ datur parocho seni non valenti deseruire, vt se sustentet beneficio eius alteri collato. Tertia, quæ datur renuncianti beneficium, quod pacificè possidebat. Quarta, quæ datur ad litem in beneficio componendam. Si quæ autem aliæ pensiones inueniantur, affirmat Arag. *quæst. 100. art. 4* vers. *pro explicatione, pag* 1121. esse iniustas, vtpote impositas sine legitima, & sufficiente causa.

De omnibus iis dicendum est simoniam esse iuris diuini vendere has pensiones propria authoritate; vbi Bulla Pij V. quæ incipit: *ex proximo & est* 138. *in ordine Bullarum edita anno* 1571. recepta est, obseruatur; in qua bulla annectit pensiones titulo spirituali; siquidem pensionarios obligat ad officium paruum beatæ Virg. recitandum, alias fructus non faciant suos Quo posito, cum pensio nihil aliud sit, quam ius percipiendi fructus medio spirituali officio, cum hoc officium

inuendibile sit, etiam ius percipiendi fructus ab illo inseparabile; inuendibile erit: vbi tamen non est recepta Bulla Pij V. solum erit in simonia iuris humani vendere has pensiones? quia ex stylo curiæ prohibentur vendi, & venditores tanquam simoniaci puniuntur: ita Valent. *disputat. 6. qu. 16. p. 3. in fine.*

9. An vero redimi possint propria authoritate huiusmodi pensiones; non est leuis difficultas. Negat Flamin. *libr 6. de resignat benefic. quæst. 2. numer. 128.* cum Nauarr. *comm. 52. & 53. de Præbendis:* Sotus *lib. 9. de iustit. quæst. 7. art. 2.* Victor. *in relect. de Simonia, nu. 52. & 53.* Azor. *2. p. instit. moral. libr. 8. c. 10. quæst. 10.* Fundamentum eorum est, quia beneficiarius redimens pensionem, reddit beneficium sibi magis vtile: quia potest colligere illam partem fructuum, quam soluere tenebatur: potestas autem colligendi illam partem fructuum est annexa titulo spirituali, siquidem est propter officium, sicut & potestas colligendi reliquas partes. Ergo fieri non potest.

10. Verum hæc ratio vt notauit Valent. *disp. 6. quæst. 16. p. 3. vers. validius in fine, pag. 1664.* æquè probat de redemptione omnis pensionis, siue ea recipiatur ab altero propter causam spiritualem, siue propter temporalem: semper enim videtur esse aliquid spirituale, quod beneficiarius clericus acquirit, seu retinet post redemptionem pensionis. Quapropter ipse Valent. *suprà* Affirmat quamlibet pensionem redimi posse, propria authoritate absque simonia: & idem tenet Caietan. *in opusculo septemdecim. resp. reſp. 10.* Lessius *lib. 2. c. 35. dub. 22. num. 124. & numer. 129.* Tolet. *lib. 5. c. 92. num. 1. dicto 3.* Suarez *lib. 4. c. 26. n. 24. & 16.* Rationem huius conclusionis optimè reddit Valent. *suprà*, quia illud, quod per se, & immediatè acquirit redimendo pensionem est immunitas, & libertas ab obligatione, & onere pendendi quotannis illam partem fructuum, vt de se constat: libertas autem ab hoc onere, & obligatione non est spiritualis, neque spirituali per se annexa: nam esto inde sequatur beneficium tibi fore magis vtile, & facultatem habere retinendi omnes fructus, hoc est extrinsecum, & accidentarium redemptioni pensionis: si quidem redemptio non per se respicit hanc vtilitatem, sed solum illam libertatem, & immunitatem à quotanni solutione. Adde, redemptio pensionis nihil aliud est, quam quædam anticipata solutio fructuum, quos singulis annis tenebaris exhibere. Cum igitur fructus vendi possint, etiam & redimi. Nihil ergo spirituale, neque spirituali annexum emitur. His tamen non obstantibus ad redemptionem pensionis, solet semper authoritas Pontificis interuenire; non quia necessaria, sed ad maiorem securitatem: vt benè Tolet. *suprà*, & quia iam ex stylo curiæ hoc est receptum: vt benè probat Garcia 1. *p. cap. 5. à num. 23.*

11. Notandum tamen est, resignantem beneficium cum onere pensionis non posse facere pactum vt constituta pensio redimatur; quia apertam continet simoniam: est enim illud onus pretio æstimabile: & ita tenet Lessius *lib. 2. de iustit. c. 33. dub. 22. n. 124.* Gigas *de pensionib. quæst. 87. ad finem.* Garcias 11. *p. de benefic. cap. 3. numer. 172.* Tolet. *libr. 5. cap. 92. num. 2.*

12. Quod dictum est de pensionibus, quæ titulo spirituali donantur, idem dicendum de præstimoniis, seu sincuris, quæ in omni sententia ad minus sunt pensiones clericales: cum nemini dentur nisi vt clerico, & vt in clericatu proficiat: & in probabiliori sententia non solum sub pensionibus comprehenduntur, sed etiam sunt propria beneficia: vt tenet Nauarr. *cap. 21. de orat. num 9.* Soto *lib. 10. de iustit. quæst. 5. artic. 3.* Gigas *quæst. 30. de pensionib. num. 1.* Suarez *t. 1. de Relig. lib. 4. de horis canonicis, c. 22. num 8.* & Garcia *innumeris relatis*, 1. *p. de benefic. cap. 2. n. 177.* esto *num. 118.* aliquos in contrarium referat. Et videtur conuinci ex *cap. vlt. de conceſſ. præbenda in 6.* vbi præstimonium cum aliis beneficiis Ecclesiasticis annumeratur. Et ratio est, quia habet omnes qualitates requisitas ad beneficium: quæ sunt conferri personis Ecclesiasticis ab Ecclesiastico prælato, purè, & sine pacto, & in perpetuum, cum onere ad aliquod munus spirituale, scilicet ad pensum Beatæ Virg. ex Bulla Pij V. supra citata: quæ omnia reperiuntur præstimoniis, vt constat ex Panormit. *2. volum. conſ. 47.* & ex Suarez *loco citato.*

13. Sed quid dicendum de commendis coadiutoriis, capellanis, & hospitalibus, an vendi possint?

Quod attinet ad commendas, respondeo, aliam esse commendam spiritualem, aliam sæcularem, & militarem. De commenda spirituali, qualis est illa, per quam Ecclesia alicui commendatur, vt in ea Sacramenta administret, quæ alio omnino vicaria vocatur, certum est siue temporalis sit, siue perpetua vendi non posse; quia his commendis, seu vicariis committitur spiritualis iurisdictio: & habetur expressè in *cap. non satis cap. ad nostram de Simonia.* De commendis vero militaribus, dicendum est simoniam non esse illarum venditionem, aut pecunia illarum obtentionem procurare, quia sunt merè sæculares nullam spiritualem functionem secum adducentes, sed dantur personis Ecclesiasticis in stipendium, & præmium militiæ: & ita tenet Suarez *lib. 4. cap. 27. num. 7. & 9.* Manuel. *in summ. 2. t. cap. 49. num 12.* Vega *2. p. sum. cap. 101. casu 52.* Petr. de Ledesma *2. p. sum. tract. 12. circa 20. conclusionem.* Erit tamen contra iustitiam illatum venditio, vt benè aduertit Suarez & Manuel *suprà.* Quia magister ordinum, vel Rex, cui est commissa distributio harum commendarum non est dominus, sed dispensator, & non supremus, sed sub Pontifice, qui Regi facultatem reddit non ad illas vendendas, sed distribuendas. Possunt tamen huiusmodi commendæ donari à Rege, vel magistro, cum onere, & obligatione exhibendi aliquod temporale munus, v. g. ire in Africam, vel Indias, illicque seruire, vel soluere alteri aliquam pensionem, si in assignatione pensionis habeatur ratio iustæ distributionis, seu finis talium præbendarum. ita Suarez *supra*, & addit posse Pontificem causa intercedente concedere facultatem Regis illas vendendi, præcipuè si pretium in maiorem vtilitatem militiæ cedat.

14. Coadiutoriæ, beneficiorum, quæ nihil aliud sunt, quam quædam facultates authoritate Pontificis concessæ exercendi officium, quod proprietarius exercere tenetur, tametsi cum futura successione concedatur; beneficia non sunt; ac proinde si pecunia obtineas eas coadiutorias, non committis simoniam iure Ecclesiastico punibilem: imo nec vllam simoniam, si pecuniam non vt pretium facultatis, sed in sustentationem concedentis coadiutoriam tribuas.

Idem à fortiori dicendum est de capellaniis authoritate Episcopi non erectis, quæ quia beneficia non sunt, possunt absque labe simoniæ pecunia obtineri, vt aliis relatis docet Gonzales *reg. 8. Cancellar. gloſſ. 5. in princ. num. 25.* & testatur à Rota fuisse sæpe declaratum.

15. Hinc dicendum de hospitalibus. Et quidem quæ authoritate Episcopi instituta non sunt & sub eius cura non existunt, sed priuata voluntate eriguntur, Ecclesiastica non censetur, licet pia loca dici possint, nec materia sunt simoniæ, vt tanquam indubitatum supponit Suarez *lib. 4. de simon. c. 27. numer. 11.* Hieronym. Gonzales *supra reg. 8. Cancellar. gloſſa 5. §. 4. num. 22.* Solum est dubium de illis hospitalibus, quæ religiosa, seu Ecclesiastica dicuntur eo quod sint authoritate Episcopi instituta, & sub illius cura existant: iuxta *cap. ad hæc de Religiosis domibus.* Hæc igitur sunt in duplici differentia, alia quæ secum afferunt administrationem spiritualem, alia quæ solum temporalem pertinentem ad gubernationem. De primis nemini est dubium committi simoniam, si vendatur eorum administratio: docet Selua *de Benefic. 1. p. quæst. 3 n. 3. 4 & 28. & p. 2. quæst. 11. n. 14.* Beda *de benefic. in comm. in præfat. n. 4.* Rebuff. *in practic. & de deuolut. n. 73.* Suarez *lib. 4. cap. 27. num. 11.* De secundis vero, quæ functionem spiritualem non habent, sed tantum temporale regimen cum tota sollicitudine pertinente ad curam infirmorum dicendum existimo, non esse simoniam iuris diuini administrationem vendere, quia est temporalis nulli officio Ecclesiastico per se annexa, & colligitur ex *Clement. quia coniungit, §. 1. de Religiosis domib* tamen simoniam iuris humani. Quia in *cap. Saluator. 1. quæst. 3.* prohibetur sub specie religionis, & vitandi simoniam venditio officij administrationis rerum Ecclesiasticarum: cum autem bona horum officialium Ecclesiastica sint ex institutione Ecclesiæ, fit sanè comprehendi sub illa generali prohibitione: & ita tradit glossa ibi: verbo *& iudicem, & c. 1. eadem causa, & quæst.* verbo *qui claudat, hostia:* & Suarez *libr. 4. c. 27. n. 11.* Gonzales *supr. reg. 8. Cancellar.* Glossa *5. §. 4. n. 22.* cum Gomez *de expectatiuis, n. 93.* verb. *& ista sunt notanda.*

PVNCTVM XIV.

An ius patronatus, & officia Ecclesiastica vendi, alienaríque possint absque simonia?

SVMMARIVM.

1 *Iuris patronatus venditio simonia est ex iure Ecclesiastico.*
2 *An vero sit ex iure diuino? Negant plures.*
3 *Probabilius est esse inuendibile.*
4 *Ius patronatus transfertur iure hæreditatis, donatione & venditione.*
5 *Expresso iuris patronatus in venditione villæ, cui est annexum, non constituit simoniam.*
6 *Ius patronatus non cohærens fundo, sed personæ non transfertur vendentis bonis omnibus illius, vt probabilius defenditur.*
7 *Quid, quando bona essent annexa iuri patronatus, & venderentur.*
8 *Extra supradictos modos nec vendi, neque transferri potest ius patronatus.*

9 *Venditio*

9 *Venditio officiorum temporalium Ecclesiæ, simonia est iuris humani, ex probabiliori sententia.*

1 CErtum est venditionem, translationemque iuris patronatus simoniacam esse iure Ecclesiastico si pretio fiat, vt habetur in *cap.* 1. *de iure, &c. præterea, & alijs de Iure patronat.* Et ratio est quia ius patronatus est ius præsentandi ad beneficia concessum laicis ab Ecclesia ex gratitudine alicuius obsequij ab aliis acceptis, ac proinde est spiritualibus annexum.

2. Difficultas est inter Doctores, an ius patronatus sit ex lege diuina inuendibile? Nam Abbas, Decius, & alij *in Rub. de Iure patronat. & in cap. quanto de iudiciis*: & Soto *lib.* 9. *quæst.* 7. *art.* 1. Nauarr. *cap.* 23. *num.* 98. *&* 99. Sylvest. verb. *Simonia, quæst.* 2. *& alij relati à* Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 18. *num.* 6. *fine.* negant esse inuendibile ex lege diuina: rationem reddunt; quia hoc ius in se non est spirituale, sed tantum spiritualibus annexum, cum detur laicis, & transeat ad hæredes, seu extraneos per donationem, aut venditionem, vt constat ex iure, & ex praxi. Item eius actus, qui est præsentatio ad beneficium non videtur spiritualis, cum ratione illius præsentatus non acquirat ius in beneficium, quousque prælatus illud conferat.

3. Nihilominus probabilius existimo ex iure diuino inuendibile esse docet Glossa *in cap. pia mentis* 16. *quæst.* 7. *& in cap. præterea* 1. *de Transactionibus*: Lessius *c.* 35. *dub.* 22. *num.* 128. Suarez. *t.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de simonia cap.* 28. *n.* 7. Ratio est, quia hoc ius est spirituale, vtpote ab Ecclesia institutum, & concessum per potestatem spiritualem, & ordinatum ad actum spiritualem, qualis est præsentatio. Neque obstat dari laicis, & transire ad hæredes; nam hæc prouenium ex gratia, & fauore Ecclesiæ, quæ sicut poterat communicare laicis ius eligendi ad beneficia, quod spirituale est, sic communicauit ius præsentandi. Qua vero ratione hoc ius ad hæredes, & extraneos transferatur absque simonia statim dicemus. Et per hæc satisfactum est contrariæ rationi. Dicimus namque, ius patronatus esse spiritualibus annexum, scilicet beneficij præsentationi, sicut etiam ius eligendi, & potestas conferendi beneficium est annexa spiritualibus, sed hoc non obstare, quominus etiam sit in se spirituale, & sacrum, sicut est potestas conferendi beneficia, & ius eligendi ad alia. Ad confirmationem verò respondeo præsentationem dare ius ad beneficium præsentato non proximum sed remotum quatenus ex vi præsentationis, si persona idonea sit, necessario debet institui, *c. significasti, &c. suggestum de patronat.* neque alius sine hac præsentatione possit institui. *cap illud pratereundum De iure patronatus.*

4. Sed inquies quibus modis ius patronatus in alios transferatur, Respondeo tribus modis hoc fieri posse, vt notauit Glossa *in cap. cum seculum de Iure patronatus* & Suarez *lib.* 4. *de simonia cap.* 28 *num.* 15.

Primus modus est iure hæreditatio, & extenditur non solum ad hætedes necessarios, sed etiam voluntarios, non solum consanguineos, sed etiam extraneos, quia ius absolutè loquitur, & nihil distinguit, vt notauit Glossa per textum *in clement.* 2. *de Iure patronat. &* Ioan. Andr. *in dicto cap. cum seculum. & sumitur ex cap. considerandum, cap. si plures* 16. *quæst.* 7.

Secundus modus assignatus à Glossa, & à Suarez *suprà num.* 16. est per liberalem donationem; quia vnusquisque potest transferre ius quod habet, vt dicitur in *cap. iuram. de Iure patronat.* Aduertendum tamen est donationem hanc fieri posse loco religioso absque consensu Episcopi, vt habetur expresse in *cap. vnico de iure patronat lib.* 6. Aliis vero personis necessarius est consensus Episcopi ad valorem donationis arg. deductio à contrario sensu ex supradicto cap. vbi tanquam speciale conceditur locis religiosis donationem iurispatronatus illis factam sine assensu Episcopi ratam esse: sic tenet communis sententia canonistarum, vt testatur Suarez *supra.* Aduertit tamen, & benè nullum esse ius, in quo hæc conditio expostuletur expresse: nam *cap. cura, cap. quod autem, cap. cum laicis, de Iure patronat. & cap. neminem* 16. *quæst.* 7. non loquuntur de iure patronatus, sed de ipsis Ecclesiis, seu beneficiis, quæ sine authoritate Episcopi non possunt à patronis conferri, non solum aliis priuatis personis, verum nec locis religiosis, Quocirca solum ex communi sententia fundata *in cap. vnico de Iure patronat. in* 6. hæc conditio requiritur.

Tertius modus transferendi ius patronatus est cum re vendita, *cap. ex litteris, cap. cum seculum, De iure patronat.* Pro cuius explicatione aduerto cum Suarez *cap.* 18. *num.* 17. dupliciter posse alicui laico ius patronatus conuenire, scilicet vel ratione alicuius rei, quam possidet, cui veluti cohæret ius patronatus, vel immediatè ratione suæ personæ, quia ipse fundauit Ecclesiam, vel est successor eius, qui illam fundauit, & ius in ipsum transtulit aliquo ex duobus prioribus modis. Quando ergo ius patronatus inest fundo, aut villæ, in qua est Ecclesia, tunc rectè intelligitur vendita terra, & villa cui est coniunctum transire cum illa sine venditione talis iuris? quia non carius venditur ratione iuspatronatus illi inhærentis, sicut vendito calice non venditur consecratio. etiamsi cum véditione calicis trãsferatur, quia ratione cõsecrationis carius non venditur. Neque ad hanc venditionem consensus Episcopi requiritur, vt colligitur ex *cap. cum seculum de Iure patronat. & ex communi praxi.* Ex quo fit, si per venditionem villæ potest tranferri ius patronatus absque consensu Episcopi à fortiori poterit transire, si villa liberè donetur, & iuxta hæc limitandum est, quod in secundo modo diximus de consensu Episcopi acquisito; intelligitur enim quando ius patronatus solùm & per se donatur, secus vero si transeat cum donatione villæ. Nam quod venditioni conceditur, multo magis liberali donationi concessum esse credendum est, cum hæc multo magis aliena sit à vi, apparentia, & specie simoniæ, & alioquin digna sit maiori fauore. Ratio autem est, quia accessorium sequitur naturam principalis, in illo autem casu ius patronatus se habet, sicut accessorium ad villas, quia est quasi accidens illi inhærens, & optimè quoad hoc comparatur. cum calicis consecratione: ergo: hæc Suarez *illo, numero*, 17.

5. Sed inquires, an propter venditionem iuris patronatus in venditione villæ constituatur venditio simoniaca? Respondeo si propter hanc rationem carius non vendatur simoniacam non esse, imo neque debere præsumi; quia expressio iuris patronatus annexi villæ conducere potest aliquando, vt de se ipso constet, ne putetur reseruatum, aut separatum à villa: ita Suarez *lib.* 4. *c.* 28. *numer.* 18. cum Nauarr. *conf.* 12. *de Simon.* Aduertit tamen optimam formam exprimendi ius patronatus in venditione esse per negationem, & non per affirmationem, v. g. si dicas te vendere villam non excepto in iure patronatus: hæc enim forma approbatur, in *cap. ex literis de iure patronat.*

6. Petes secundò; an ius patronatus non cohærens fundo, sed personæ intelligatur transferri venditis bonis illius personæ. Affirmant plures ex canonistis, quos refert Couarruu. *lib.* 2. *variar. cap.* 18. *num.* 6. *& seq.* Tenenda tamen est contraria sententia vt probabilior, cum Couarr. *ibi*; *& aliis ab ipso relatis*, & Lambert. *de Iure patronat libr.* 1. 2. *p. quæst.* 5. *princ. art.* 14. *n.* 20. *& art.* 15. *n.* 8. *&* 13. *&* Suar. *lib.* 4. *c.* 28. *n.* 19. Garcia plures referen. 5. *part. de benefic. cap.* 9, *à n.* 13. Ratio est; quia ius patronatus in illo casu non est annexum bonis. Nulla ergo ratio est quare cum illis transferatur, in hæredem tamen transfertur ita disponente iure canonico, Clement. 2. *de Iure patronat.* quia hæres cum personam defuncti repræsentet, succedit in iuribus, & honoribus non autem emptor, vt de iure sepulturæ, colligitur, ex *leg quia perinde* 42. *ff. ad S. C. Trebell.*

7. Quando vero bona alicuius personæ annexa essent iuri patronatus eo quod patronus instituit, vt quicunque ius patronatus possideret, talia similiter, bona possideret, affirmandum est cum Suar. *illo cap.* 28. *num.* 22. Si bona illa cedere possunt in vtilitatem & commoditatem patroni, & non tantum Ecclesiæ indigentis, posse inquam vendi, quia non est credibile voluisse testatorem sic arctare possidẽtem illa bona, vt nunquam alienare ea possit; ac proinde translatis illis bonis consequenter transfertur ius patronatus; quia illis est virtualiter annexum.

8. Extra hos casus, & modos ius patronatus nec emi, nec vendi, nec transferri potest, non solum licitè, sed neque validè, quia in spiritualibus non possunt laici nisi quod eis concessum est à canonico iure, vt tradit Innocent. & Abbas, *in cap. quanto de Consuetud.* & Menoch. *cum alijs conf.* 90. *n.* 79. Suarez *libr.* 4. *c.* 28. *n.* 15. In iure autem non inuenitur alius modus transferendi iurispatronatus præter supradictos.

9 Restat de Officiis temporalibus Ecclesiæ dicere, an scilicet Simonia sit eorum venditio? Communior est sententia simoniam esse iuris humani, tenet Abbas Aman & Felin. *in cap. consulere de Simonia*, Hostiens. *in c. tua nos eodem titulo*, Antonin. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 5. §. 2. Victor. *relect. de Simonia nu.* 16. Caietan. verbo *Simonia reg.* 3. *in fine*, Soto *lib.* 9. *quæst.* 5. *art.* 2. vers. *sed interrogando vrges*, Lessius *lib.* 2. *c.* 35. *dub.* 4. *num.* 26. Suar. *lib.* 4. *cap.* 29. *num.* 4.

Et probari videtur *ex cap. si quis Episcopus* 8. 1. *quæst.* 1. *ex cap. saluator.* 1. *quæstion.* 3. vbi cum Simone dicitur participare, qui officium œconomi, vicedomini, aduocati, sacristæ, castaldi & iudicis, vendit: & in *cap. consulere de Simonia*, tam ementes, quam vendentes hæc officia cum Simone percelluntur: percelluntur autem cum Simone, quia committunt simoniam, Ergo. Quid autem intelligatur illis nominibus œconomi: vicedomini, aduocati, &c. optimè explicant Glossa, Lessius, & Suar. *supra* Dicunt enim œconomum esse, qui res Ecclesiæ, & canonicorum gubernat. Sub quo à fortiori sacrista, vel thesaurarius, seu sacrarum rerum custos comprehenditur, vt multis relatis probat Suar. *illo c.* 28. *n.* 11. Vicedominus est, qui rerum Episcopalium curam gerit. Aduocatus est ab Ecclesia constitutus ad causas eius defendendas: quod intellige cum Suar. *supra num.* 9. quando ex officio, & cu-

ra ſpeciali poteſtate ab Eccleſia recepta conſtituitur. Nam aduocatus, qui abſque mandato ad patrocinandum aſſumitur, allegando de iure non pertinet propriè ad officia Eccleſiaſtica, de quibus hic ſermo eſt, ſed ille tantum, qui ſpeciale habet ab Eccleſia, vel Epiſcopo mandatum, ſeu poteſtatem? alio nomine ſolet vocari ſyndicus, de quo eſt *titul. in decretal. & ex eius cap. vnico* colligitur illum eſſe, cui generaliter Eccleſiæ negocia commendantur. Nomine vero caſtaldi idem ferè ſignificatur: nam vt ait Gloſſa *illo cap. ſaluator.* & Leſſius & Suar. *locis citatis*, Denique ſignificatur maiordomus *c. volumus* 89. *diſt.* Denique nomine iudicis ſignificatur habens iuriſdictionem loco Epiſcopi. Quando autem iuriſdictio adminiſtranda ſpiritualis eſt, omnes conueniunt ſimoniacam eſſe, ſi vendatur, at quando ſolum ad res Eccleſiaſticas temporale gubernandas communicatur, eſt difficultas; an venditio huius iuriſdictionis ſit ſimoniaca, & videtur non eſſe; quia nihil habet ſpirituali annexum: & ita ſentit gloſſa *cum Hugone in c. ſaluator verbo & iudicem in fine.* Deinde quia videmus poſſidentes has iudicaturas alteri reſignare pecunia ſibi data, aut penſione ſibi conceſſa: quæ eſt quædam virtualis venditio horum officiorum. Nihilominus Suar. *illo cap.* 29. *num.* 10. exiſtimat nomine iudicis ſignificari illo cap. iudicem temporalem, quem conſtituere poteſt Epiſcopus vbi habet iuriſdictionem temporalem: quia iudex hic temporalis cenſetur adminiſtrator rerum Eccleſiaſticarum, ſiquidem illi populi ſunt Eccleſiæ, ſicut Maiordomus dicitur adminiſtrator rerum Eccleſiaſticarum quia res, quas adminiſtrat, pertinent ad Eccleſiam. Ergo continentur ſub illa generali prohibitione, atque adeo eſt Simonia eius venditio. Vtraque ſententia videtur probabilis. Pro prima facit, quia populi ſubiecti iuriſdictioni Epiſcopi non propriè dici debent res Eccleſiaſticæ, quia neque in cultum Dei, neque in ſuſtentationem miniſtrorum Dei ſunt ordinati, ac proinde illorum iudex temporalis non propriè adminiſtrator rerum Eccleſiaſticarum dici debet.

Vltimò aduerto, Vrbanum Pontificem, cum in *ſuprad. cap. ſaluator.* conſtituit generalem prohibitionem vendendi res Eccleſiæ, nullo modo intellexiſſe res Eccleſiæ ſecundùm ſe ſpectatas: hæ enim vt iam diximus abſque Simonia vendi, alienatique poſſunt, ſed intellexiſſe res Eccleſiæ quoad earum adminiſtrationem.

PVNCTVM XV.

Quæ permutatio in cauſis ſpiritualibus fieri poſſit abſque ſimonia?

SVMMARIVM.

1 *Extra materiam beneficiorum nulla permutatio eſt ſimoniaca.*
2 *Tractare partes de permutationis beneficiis, & ſe viciſſim obligare ſub conditione ſi ſuperior conſenſerit, licitum eſt.*
3 *Permutatio beneficiorum, & cuiuſuis iuris ſpiritualis, ſi authoritate propria fiat, eſt Simonia iuris humani.*
4 *Talis permutatio eſt nulla.*
5 *Permutatio beneficiorum authoritate ſuperioris licita eſt.*
6 *Fieri poteſt coram eo, qui poteſtatem habet beneficia conferendi.*
7 *Et fieri poteſt ſingulis menſibus.*
8 *De quibus beneficiis permutatio intelligatur.*
9 *Authoritate ordinarij non poteſt fieri permutatio inter iura ad beneficia.*

1 CErtum eſt extra materiam beneficiorum nullam permutationem eſſe ſimoniacam: quia nullibi inuenitur prohibita. Nam licet in *cap. quam pio 1. quæſt. 2. & in cap. ſuper eo De tranſact. & cap cum pridem, & cap. vlt. de Pactis* prohibeatur generaliter omnis pactio, quæ pro ſpiritualibus conſequendis fit: hoc enim intelligi debet quando fit pactio dandi temporale pro ſpiritualibus: dum enim id quod datur ab ſpiritualibus obtinendis diſtinguunt, ſatis ſignificant loqui de temporali munere dato pro ſpirituali, vt rectè explicat Suar. *lib. 4. de Simon. cap.* 31. *num.* 20. cum gloſſa *in cap. quam pio 1. quæſt. 2.* verbo *Pactio, & in cap. vlt. de Pactis*, verbo *ceſſare*, vbi Abbas, Cardinal. & alij. Idem tenet Soto *lib. 9. quæſt. 5. in fine, Tolet. lib. 5. cap. 88. num. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 4. num. 31.*

Hæc autem ſpiritualia, vt notauit Suar. *num.* 21. duplici ſunt differentia. Quædam purè ſpiritualia vt ſacramentum, ſacrificium, oratio, conſecratio, &c. alia mixta, quæ habent aliquid corporale antecedenter annexum, vt vaſa, & veſtes ſacræ, &c. De prioribus commutandis, vel non commutandis nunquam fit in iure mentio, ſed ſolum cauetur, ne pretio vendantur: *c. ad noſtram, c. non ſatis, c. cum in Eccleſia, de Simonia.* De poſterioribus etiam nullum inuenitur ius prohibens permutationem vnius pro alio eiuſdem ordinis: imo in *cap. ad quæſtiones, De rerum permutat.* approbatur permutatio vnius Eccleſiæ pro alia facta, vbi *gloſſa* reddit rationem; quia ſpirituale ſpirituali commutatur. Verum eſt gloſſam illam expoſtulare authoritatem ſuperioris ad hanc permutationem faciendam. Sed hoc ideo verum eſt, vt dicit Suar. *ſuprà* vel quia fit permutatio ſimul beneficiorum: vel quia Eccleſia parochialis non poteſt alicui conuentuali vniri denuo ſine prælati authoritate. At ſi res ſpirituales ſint omnino ſub libera poteſtate, & diſpenſatione commutantium, non erit talis authoritas neceſſaria.

2. De materia autem beneficiorum in primis præmittendum eſt, ſimoniacum non eſſe, neque illicitum ante conſenſum prælati tractare partes de permutatione, etiam ſub onere penſionis, & ſe viciſſim obligare ſi ſuperior conſenſerit. Ratio eſt, quia nullibi inuenitur hæc obligatio, & mutuus contractus prohibitus, Nam in *cap. quæſitum, & aliis relatis.* ſolum prohibetur permutatio ſine Epiſcopi conſenſu. At hæc obligatio non eſt permutatio, ſed via ad illam, neque eſt pactio abſoluta de permutatione, ſed conditionata, quæ non habet effectum, quouſque ſuperior conſentiat, & ita tradunt communiter doctores, Frederic. Seneſ. tractat. de permutat benefic. *quæſt.* 38. *num.* 64. & 65. Cardin. *in cap. quæſitum quæſt.* 39. *num.* 23. Suar. *lib.* 4. *de Simonia cap.* 3. *à num.* 7. Flamin. Pariſ *lib.* 6. *de reſignat. benefic. quæſt.* 2. *à num.* 80. Valen. 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 15. *p.* 3. verſ. *quarta pag.* 1661, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 15. *num.* 92. his poſitis.

3. Dico primo Permutatio beneficiorum, & cuiuſvis iuris ſpiritualis beneficia concernentis, ſi fiat authoritate priuata eſt illicita, & ſimoniaca contra prohibitionem Eccleſiæ habetur, *cap. cum olim cap. quæſitum, de rerum permutat, cap. maioribus de Præbendis, cap. vlt. de Pactis*: ita eſt communis doctorum ſententia, vt videre eſt in *Rebuff. in pract. 3. p. tit. de permutat. n.* 52. Vgolin *tab. 1. cap.* 27. Radoano tit. de Simonia *part.* 3 *cap.* 3. & 13. Suar. *lib. 4. cap.* 31. *num.* 8. Valen. *diſp. 6. q* 26. *part. 3.* verſ. *ac videtur pag.* 1659. eſto contra teneat gloſſa, & Innocent. *in cap. quæſitum, de rerum permutat.* dicentes præbendas eiuſdem Eccleſiæ, & eiuſdem rationis poſſe permutari priuatim, ſed Hoſtienſ. Panormit, & alij *ibi* & doctores *ſupra* relati non admittunt exceptionem, & merito quia ius non admittit, cum prohibitio ſit generalis. Quod à fortiori procedit in caſu quo permutatio fieret in manibus ſuperioris, & permutantes inter ſe conuenirent de danda penſione ei, qui pinguius beneficium in alium reſignauit, aut permutauit, vt bene dicit Valen. *quæſt.* 16. *p.* 3. verſ. *tertio modo pag.* 1659. & Man. Rodrig. 2. *tit. ſum. c.* 95. *n.* 6. *cum Arag. q.* 100. *art.* 4. verſ. *eſt aliud dubium in 3. concluſ. pag.* 1121.

4. Ex hac concluſione infero cum Leſſio *lib* 2. *c.* 35. *dub.* 17. *num.* 100. & multis alijs, quos refert & ſequitur Nicol. Garcia de *benefic.* 11. *p. c.* 4 *n.* 6 permutantes propria authoritate beneficia, aut ius ad illa effeciſſe actum irritum, & nullum, ac proinde non poſſe propria authoritate beneficium retinere: ſuperiorem tamen poſſe in pœnam commiſſi criminis eos per ſententiam beneficiis priuare, vt patet *ex cap. olim* 7. *De rerum permutat.* non tamen amittere ea ipſo facto, imo neque incurrere cenſuras ſecundùm probabilem ſententiam.

5. Dico ſecundò permutatio beneficiorum authoritate ſuperioris licita eſt. *cap. inter de Præbendis*, cap. *quæſitum*, cap. *cum vniuerſorum.* & cap. *cum olim*, & cap. *ad quæſtiones, de rerum permutat.* & cap. vnico *eodem tit. lib.* 6. & Clement. *vnica, de Rerum permutat.* & tenent omnes doctores.

Cuius autem ſuperioris conſenſus requiratur, traditur in *cap. quæſitum de rerum permutat. cap. admonet* 4. *de Renunciat.* vbi enim affirmatur requiri conſenſum Epiſcopi. Nomine Epiſcopi venit intelligendus qui habet iuriſdictionem Epiſcopalem, etiam ſi dignitatem Epiſcopalem non habeat, vt eſt capitulum ſede vacante, ita Suar. *lib.* 4. *cap.* 32. *num.* 11. cum gloſſa *in dicta clem. vnica de rerum permutat.* verbo *concedatur*, & *ibi* Zabarella *q.* 12. & Rota *deciſ.* 111. *q.* 312. aliàs *in tit. de rerum permutat. deciſ.* 5. & 6. *in nouis.*

6. Difficultas eſt de prælato inferiore non habente Epiſcopalem iuriſdictionem pertinente tamen ad ſeipſum collatione beneficiorum, an inquam approbatio eius ſufficiat ad permutationem faciendam abſque conſenſu Epiſcopi?

Et quidem ſi habeat præſcriptam conſuetudinem approbandi permutationes, nemini eſt dubium ſufficere cum ratione conſuetudinis ius acquirat, vt ex Rebuffo, & gloſſa notauit Suar. *ſupra* & Leſſius *lib. 2. cap. 34. dub. 36. num.* 196. ſi vero non habeat hanc conſuetudinem eſto ad ipſum pertineat collatio, ſeu inſtitutio beneficiorum, non ſufficit ad permutationes approbandas ita Suar. *lib. 4. c. 32. n.* 14. affirmans eſſe communem ſententiam, & in praxi ſequendam. Nihilominus tamen ſufficere huius approbationem, neque requiri conſenſum Epiſcopi tenet expreſsè Angel. *verbo permutatio num.* 5. Sylueſt. *permutatio 2. q. 2.* Sotus *lib. 9. q. 5. art. 2. & q. 7. art. 2.* & vt probabile defendit Suar. *ſupra*, & verè eſt, & videtur probari

ex

ex *cap. vnico de rerum permutat. in 6.* vbi aprobatio, & consensus Episcopi requiritur in permutatione beneficiorum, quæ ipse conferre potest, non in aliis; dicitur enim ibi, qui secundùm formam iuris sua beneficia in eadem diœcesi ad tuam collationem spectantia permutare volentes, liberè, & sine fraude in manibus tuis ipsa resignent. Ergo quæ ad collationem Episcopi non pertinent, non tenentur in manibus Episcopi resignare. Ratio vero est, quia consensus Episcopi in permutationibus ideo spectatur, quia sine illo nec renunciatio beneficij, nec alterius obtentio fieri potest: cum ergo possit absolutè beneficium resignari, aliudque de nouo obtineri sine Episcopi consensu, quando ad illam collatio, seu institutio non est, spectat, non est cur dicamus esse necessarium eius consensum: & tandem quia ille prælatus, ad quem collatio beneficiorum spectat, habet in hac parte iurisdictionem Episcopalem; siquidem beneficiorum collatio propria est Episcopi: *c. omnes Basilicæ 19. quæst. 7.* Ergo quoad tales actus rectè comprehendi potest sub nomine Episcopi.

7. Coram iis ergo qui possunt beneficiorum permutationes approbare, potest fieri permutatio in singulis mensibus: ita Frederic. Senes. *in tractat. de permutat. benef. n. 30. cum seq.* Cota *decis. 1. n. 7. & per totam de rerum permutat. in nouis.* Rebuff. *in praxi titulo de permutat. benefic. n. 36.* Tuschus *in tractat. de visitationib. c. 38. n. 32.* Hieronym. Gonzalez cum alijs *super reg. 8. cancellar glossa 14. n. 33.*

8. Circa supradictam doctrinam de permutatione beneficiorum aduerto, intelligendum esse de beneficijs propriis, de quibus habetur ius in re, est illorum non habeatur possessio, ita *Francus c. vltim. de rerum permutat. in 6. n. 16. & ibi* Gambara *num. 86.* Petr. de Perusio *tractat. de permutat. benefic. 1. part quæst. 1. num. 1.* Mantica *de tacitis, & ambiguis conuentionib. lib. 25. t. 9 n. 2. & 9. & alij*, quos sequitur Garcia *1. p. de benefic. c. 4. n 15. & 16.* & constat ex *c. olim, cap. quæsitum de rerum permutat. & cap. vnico eodem tit. lib. 6.* Adde non solum beneficia debere esse propria permutantium, vt possit ordinarius permutationem approbare, sed necessariè requiri quod beneficia non sint reseruata redi Apostolicæ, quia de iis non potest Episcopus disponere & permutationem approbare, vtpote qui non potest eorum collationi facere: ita multis relatis Garcia *supra n. 82.* esto contra teneat Gambarus *in c. vn. de rerum permutat in 6 à num 33.*

9. Ex qua doctrina infero non posse fieri permutationem authoritate ordinarij inter iura ad rem v. g. præsentantus, aut electus es ad beneficium, non poteris in fauorem alterius tuam præsentationem resignare, vt ipse suam præsentationem, & expectatiuam tibi resignet. Ratio est; quia hæc iure sunt personalia tantum, vt rectè notauit Panorm. *in c. cum olim de rer. permutat. à num. 4.*

Sed dices, quid si patronus consentiat, vt in alium tuam præsentationem resignes, & similiter. alius obtineat facultatem à Papa transferendi suam expectatiuam, poteruntne permutare ex consensu ordinarij; Respondet Suar. *lib. 4. c. 3 n. 19.* posse & consentit Lessius *lib. 2. cap 34. dub. 36 num. 199.* & Gambara in Rubr. *de rerum permutat. in 6. n. 8. & in illo cap. vnico n. 42.* Contrarium tamen vt probabilius tenendum est cum communi sententia, vt testatur Flamin. lib. 2. de resignat. *benefic. quæst. 3. n 15* Zerola *2. p ver renunciatio §. 1.* Ioann. Nicol. Delfinas *lib. 2. de iure patronat q. 21. num. 165* Azor *28. cap. 9. quæst. 22* Nicol Garc. *11. part. de benefic. c. 4. n. 17.* Ratio est, quia ordinarius solum habet potestatem ad admittendas permutationes beneficiorum, non electionum ad beneficia, vt constat ex *suprad. capitib.* non igitur illi attribuenda est.

PVNCTVM XVI.

Possitne ex consensu ordinarij in permutatione beneficiorum compensari fructuum inæqualitas pecuniâ, vel pensione absque Simonia;

SVMMARIVM.

1 *Nequaquam id fieri potest authoritate Episcopi.*
2 *Aliqui affirmant illius authoritate pensionem imponi posse.*
3 *Probabilius est oppositum.*
4 *Neque potest permutari beneficium cum pensione, quæ non sit in titulum beneficij erecta.*
5 *Neque possunt partes inter se conuenire, vt vnus, scilicet resignatarius integrè soluat expensas bullarum vtriusque, nisi ex consensu Pontificis.*

1. DE authoritate Pontificis nulli est dubium, quia Pontifex potest separare ius fructuum A titulo spirituali; potest ergo concedere habenti ius fructuum, vt ratione illius aliquid recipiat. Episcopi autem authoritate fieri nequaquam potest; quia non valet ipse fructus à titulo spirituali separate vnde translato titulo & ius ad fructus necessariò transfertur. Si ergo pro hoc iure consentiret pretium exigi, & esset iniustum, & simoniacum: ita tenet glossa *in c. cum pridem de pactis*, Lessius *lib. 2. c. 35. dub. 17 n. 104. §. ad hoc* Suar. *lib. 4. cap. 34. à num. 10.*

Neque obstat *cap. ad quæstiones. De rerum permutat.* vbi Clemens III. approbat commutationem factam vnius Ecclesiæ Paroch alis, & illius possessionem, cum aliis Ecclesia, & illius possessionibus, compensata inæqualitate possessionum per pecuniam, sic tamen vt illi contractus nequaquam sibi inuicem misceantur. Non inquam obstat, vt rectè expendit Suar. *cum aliis lib. 6. cap. 34. n. 13.* quia possessiones illæ erant merè temporales, & sub dominio temporali Ecclesiarum. Quapropter illarum permutatio non erat inhibita, imo potius concessa, vt notat Glossa. Poterat ergo in harum permutatione compensari inæqualitas possessionum refusa certa pecuniæ quantitate. Quoad permutationem vero Ecclesiæ, seu beneficij, & fructus ei annexi ratione tituli, quales sunt decimæ primitiæ, & oblationse, nequit ex consensu ordinarij inæqualitas horum fructuum pecunia compensari: neque de hoc casu loquitur supradictum caput.

2. Difficultas vero est; an ex consensu ordinarij possit inæqualitas fructuum spiritualium, scilicet, decimarum, primitiarum, & oblationum per impositionem pensionis compensari? v. g. est permutatio facienda de beneficio tenui cum pingui, poteritne ex ordinarij consensu imponi beneficio pinguiori aliqua pensio & sic permutatio concludi.

In hac difficultate est prima sententia id fieri posse ex authoritate ordinarij quia ordinarius iusta causa intercedente potest pensionem imponere, vt tenet Gigas *de pensionib. quæst. 6.* referens Oldrad. Felin. Anton. de Butrio, Innocent. Immolam. P. Ancharan. Decium, & Caccialupum, Zerola in praxi *Episc. 2. par ver. pensio num. 1.* cum Paulo Romano *tractat. de pensionib. c 15. n. 10. & c. 1. § redeundo n. 5.* Hieronym. Gonzalez *super reg. 8. cancellar glossa 5. n. 27.* Sed in tali permutatione ob inæqualitatem fructuum compensandam est causa iusta vt dicit Lessius *lib. 2. de iustit cap 34. dub 38. num. 205. vers. tertio* Ergo fieri potest authoritate ordinarij hæc permutatio: & ita docent in propriis terminis Nauar. *cons. 43 de Simonia n. 4.* quem sequitur Ioan. de Nicol. De finas de *iurepatronat. lib. 2. quæst. 18 num. 161.* Hieronym. Gonzalez alijs. relatis *supra, & 14. num. 38.*

3. Verum contraria sententia communior est, & in praxi magis recepta, scilicet non posse authoritate ordinarij in permutatione beneficiorum imponi pensionem super beneficium pingue: ita docent pluribus relatis Nicol. Garcia 1. *part. de benefic. cap 5. n. 341 & n. 344.* Suar. *lib 4. cap. 34. n. 16.* Valen. *disp. 6. q. 16. p. 3. in fine.* Man Rodrig. *2. t. sum c. 65. num. 6.* cum Arag. *quæst. 100 art 4 vers est aliud pag. 1122*, Mouentur ex eo, quod Episcopus prohiberur beneficia conferre cum diminutione *in titulo vt beneficia sine diminutione conferantur:* si autem consentire posset in pensionem, iam beneficium cum diminutione conferret. Præterea, quia iam consuetudo, vt benè dicit Va ent. *supra* huiusmodi facultatem Episcopis denegauit. Quocirca solum authoritate Papæ hæc permutatio firma fieri potest.

4. Ex qua doctrina à fortiori sequitur non posse authoritate ordinarij permutari beneficium, cum pensione, quæ non sit erecta in titulum beneficij. Tum quia ordinarius non habet potestatem imponendi pensionem, ergo neque illam transferendi. Tum etiam quia in *c. quæsitum, & c. olim de rerum permutat. & cap. vn. eodem tit. lib. 6.* vbi ordinariis committitur potestas admittendi beneficiorum permutationes, de propriis beneficiis sermo est, & ita docent vt probabilius Suar. *lib. 4. cap. 33. num. 4.* Nicol. Garcia *de benefic. 11. part. cap. 4. num. 18.*

5. Huc etiam spectat non posse partes inter se a absque ordine ad consensum Pontificis conuenire, vt vnus, scilicet cui est facta resignatio integre soluat expensas bullarum pertinentium ad vtrumque, quia hæc pactio est simoniaca, si quidem petitur à resignatario aliquod onus pretio æstimabile, quod de iure non inest: de iure enim quilibet proprias bullas tenetur soluere: & ita tradit Suar. *lib. 4. de Simon. cap. 34. numer. 19 fine cum* Nauarr *lib. 5. consil. titul. de Simonia. cons. 50. & 51.* & consentit Flamin. *tit. 2. de resignat. benefi. lib. 14. quæst. 7. num. 9* Nicol. Garcia *11. p. de benef. cap. 3. §. 2. numer. 147.* Addit tamen Flamin *supra*, & Azor. *2. part. lib. 7. cap. 7. q. 7.* supradicta procedere, in casu quo resignatarius non retineret quod expendit in expeditione bullarum resignantis beneficium. Quia stylus satis vulgaris est, quod resignatarius soluat expensas bullarum resignantis, dummodo retineat id quod impendit in primo termino solutionis pensionis. Quapropter de sententia Flaminij, & Azor, potest resignatarius se obligare ad soluendam expeditionem bullarum resignantis, ea tamen conditione, vt in primo termino solutionis pensionis sibi satisfaciat.

PVNCTVM

PVNCTVM XVII.

Quæ renunciatio beneficij ſit Simonia.

SVMMARIVM.

1 *Ad validam, licitamque renunciationem requiritur conſenſus ſuperioris eam acceptantis.*
2 *De quibus beneficiis hæc doctrina procedat.*
3 *Nullus præter Pontificem admittere poteſt reſignationes beneficiorum ſub conditione.*
4 *Hæc reſignatio in manibus ordinarij ſimoniam continet.*
5 *Contrarium probabilitate non caret.*
6 *Relicta illa conditione probabilius eſt ordinarium beneficium illud liberè conferre non poſſe.*
7 *Poteſt reſignans ob crimen commiſſum beneficio ab ordinario priuari.*
8 *Reſignatio liberè facta admitti poteſt ab ordinario.*
9 *Reſignans beneficium in manibus ordinarij cum intentione, vt certa perſona conferat, idque petatur, tenent plures eſſe ſimoniam.*
10 *Probabilius eſt neque eſſe ſimoniam, nec prohibitum, ſi non deducatur in pactum.*
11 *Reſignationes reciprocæ non habent locum coram ordinariis.*
12 *Non valet reſignatio coram ordinario in fauorem tertiæ perſonæ ſub titulo permutationis, cum tamen illa tertia perſona nullum habeat beneficium permutandum.*
13 *Poteſt ordinarius iuxta probabilem ſententiam admittere reſignationem beneficiorum factam cum reſeruatione penſionis.*
14 *Non poteſt ex alio conſenſu præter Pontificis reſignans obligare reſignatarium, ad aliqua onera ſubeunda.*
15 *Item eſt Simonia, ſi reſignans, petat à reſignatario ſolutionem expenſarum, quas fecit in tali beneficio acquirendo, niſi Pontifex conſentiat.*

REnunciatio, vt omnes admittunt eſt libera beneficij ceſſio. Et eſt multiplex, alia putè, & abſolutè, alia ſub conditione, alia in fauorem tertij, alia cum reſeruatione penſionis. De omnibus iis videndum eſt, quid ad ſui valorem, & ad vitandum ſimoniam ſit requiſitum.

1. Indubitatum eſt apud omnes requiri ad validam & licitam renunciationem conſenſum ſuperioris eam acceptantis, *cap. admonet, cap. quod in dubiis, cap. niſi cum pridem, & cap. fin. de Renunciat. cap. Denique 6. q. 3. & cap. 1. 17. quæſt. 2.* aliàs, vt probabilior ſententia tenet beneficium nondum vacat etiam quoad ipſum renunciantem, ſed verum illius poſſidet titulum, & ius donec ea renunciatio à ſuperiore fuerit admiſſa: ita Abbas *in cap. ad aures numer. 7. de iis quæ vi, & in cap. quod Dei timorem. De ſtatu Monach. num. 4.* vbi dicit contra gloſſam tenere omnes ferè doctores. Felin. *in cap. in noſtra de Reſcript. corol. 34.* Couar. *lib. 1. var. cap. 5 numer. 6.* & alij innumeri; quos refert, & ſequitur Garcia de *benefic. 11. part. cap. 3. §. 3. n. 123.* Poterit tamen ſuperior ob delictum commiſſum à reſignante cum beneficio priuare, & alteri conferre, vt tradit Innocent. *in cap. quod. in dubiis n. 2. per textum ibi:* Abbas *in dicto cap. quod Dei timorem num. 4. Rota deciſ. 3. & 4. in antiquiorib.* Petr. Greg. *cap. 31. de benefic. num. 11.* Garcia *ſuprà n. 230.*

2. Hæc vero procedunt de beneficiis iam pacificè acquiſitis, licet nondum poſſeſſis. Nam ſi beneficium litigioſum ſit propter ambiguitatem, & iuris dubietatem, ſuperioris authoritas non deſideratur, *cap. De integrum reſtitut.* & tradit Abbas *dicto cap. quod in dubiis num. 4.* Flamin. *de reſignat. benefic. lib. 7 quæſt. 1. num. 104. & n. 105.* Zechius *de benefic. & penſionib. cap. 13. num. 2. limitat. 6.* Garc. 11 *part. de benefic. cap. 3. §. 3. num. 245.* & alij ab eiſdem relati. Similiter etiam ſi beneficium nondum ſit acquiſitum, ſed ſolum ſit ius ad illud poterit abſque ſuperioris authoritate renunciari: Vnde poteris electioni, præſentationi, & nominationi de te factæ renunciare, *cap. ad audientiam 2. de Reſcript. & cap. ſanè de renunciat.* & docet gloſſa & doctores, *in c. ſi electio de electione in 6.* Innocent. *in dict. cap quod in dubiis,* & *ibi* doctores Lambertin. *de iure patronat. lib. 3 quæſt. 5 art. 5* Flamin. pluribus relatis *lib. 3. de reſignat. benefi. q. 1. à n. 74 & lib. 2. q. 23.* & alij, quos ſequitur Garcia 11 *p. de benefic. cap. 3. §. 3. n. 247. & n. 251.* optimè explicat quis ſit ſuperior, qui reſignationes ſimplices, & abſque vlla conditione poteſt admittere, & ſtatuit cum variis doctoribus eſſe eum, qui poteſtatem habet inſtituendi, & deſtituendi vt Pontifex, legatus à latere, Epiſcopus, & capitulum ſede vacante & denique qui Epiſcopalem habet iuriſdictionem.

3. Quod ſi beneficium ſub conditione aliqua reſignandum ſit, tenent doctores omnes nullum præter Pontificem poſſe admittere reſignationes factas ſub conditione, vt alteri detur beneficium, ſiue beneficio penſio imponantur, ſiue non. Ratio eſt; quia Epiſcopus non poteſt denuo beneficia conferre, niſi prius vacent iuxta *cap. vnic. de rerum permutat. in 6. & Clem. vnic. eodem tit.* At beneficium reſignatum ſub illa conditione non vacat, quouſque alteri conferatur. Ergo.

4. Difficultas eſt: an hæc reſignatio in manibus ordinarij facta contineat ſimoniam? Communis eſt ſententia ſimoniam eſſe ſaltem ex iure Eccleſiaſtico, præcipuè poſt *conſtitutionem Pij V.* 58. quæ incipit, *quanta Eccleſiæ Dei*, quam refert, & late explicat Flamin. *de reſig. lib. 5. q. 6. & lib. 14. q. 3. n. 12.* Garcia pluribus relatis 11. *p. cap. 3. §. 2. n. 152. & 154.* Ratio eſt, quia omnis pactio in ſpiritualibus eſt prohibita ob ſimoniam vitandam *cap. fin. de Pactis:* cum autem in præſenti ſit prohibita hæc pactio coram ordinario, ſit ſimoniacam eſſe talem pactionem.

5. Verum contrariam ſententiam, ſcilicet ſimoniam in tali reſignatione non committi, probabilitate non caret; tenet Couarruu. *lib. 1. var. cap. 5. num. 5.* Stafileus de litteris gratiæ *tit. de variis modis vacationis §. reſignationis modus n. 8. & ſeq.* Zerola *in prax. Epiſc. 1. p.* verbo *renunciatio §. 2. & 3. verſ. 10. Quintana Duenas lib. 2. Eccleſiaſt. à num. 19. vſque ad 28.* Duaten. *de benefic. lib 8. c. 2. §. quomodo beneficium in fine.* Probus *ad Monachum in c. 1. de offic. legati in 6. n. 5. & c.* Nullus *de temporib. ordinat. n. 20.* & inclinat Leſſius *lib. 2. c. 35. n. 86.* Valen. *diſp. 6 quæſt. 16. p. 3 verſ. ſecunda circunſtantia.* Vaſq. de benefic. *c. 2. §. 4. dub. 7.* & alij ab eiſdem relati. Ratio eſt quia in præſenti non arctatur ordinarius ad acceptandam renunciationem, ac proinde ibi nulla interuenit pactio, neque aliquid pretio æſtimabile pro quo renunciatio fiat. Item hæc renunciatio in conſtitutione Pij V. non prohibetur, vt ſimoniaca.

6. Sed inquires, poteritne ordinarius reiecta illa conditione beneficium liberè conferre? Probabilius eſt non poſſe: ita Rebuff. *de reſignat. conditionata num. 7.* & ſeq. Gutierr. *conſ. 42. de Simonia num 8.* Suar. *cap. 35 num. 11.* Leſſius *lib. 2. c. 35. num. 68.* Garcia pluribus relatis 11. *part. de benefic. c. 3. §. 2. num. 155.* Ratio eſt, quia actus factus ſub vna conditione & modo, non poteſt quoad vnam partem admitti, & non quoad aliam: ſed totus recipi, vel reiici, *leg. Aurelius 28. §. idem quæſt. ff. deliberat. legata.* Et hæc concluſio à fortiori poſt *conſtitutionem Pij V. 58.* in qua facultas aufertur ordinario admittendi quaſlibet reſignationes conditionatas, imo & ſimplices niſi illorum qui ſenio confecti, aut valetudinarij, aut corpore impediti ſint, vel vitiati, aut crimini obnoxij, cenſuriſque Eccleſiaſticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Eccleſiæ, vel beneficio inſeruire, ſeu qui vnum aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoueri, religionem quoque ingreſſuri, vel matrimonium contracturi, ſi ſtatim poſtea id re ipſa exequantur, vel qui ob capitales inimicitias non audent in loco beneficij reſidere ſecuri, vel denique ſi caſus aliquis acciderit ex contentis in conſtitutione Innocent. III. de dimittendis cathedralib. Eccleſiis, qui certè ad ſupradictos caſus referuntur, vt conſtare poteſt ex Flamin. *Pariſio latè* explicante hanc bullam Pij V. *lib. 5 q. vlt.*

7 Dices: Saltem ſic reſignans poterit ab ordinario priuari beneficio ob crimen commiſſum in renunciatione.

Reſpondeo poſſe, ſi cognoſcatur, & probetur non ignoranter feciſſe: ita Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 14. n. 86. fine,* Suar. *lib. 4. cap. 35. n. 14.* at tunc non prouidetur beneficium ab ordinario tanquam vacans ex reſignatione, ſed prouidetur tanquam vacans ex priuatione pœnali: & ita intelligi debet Flamin. Pariſius *lib. 1. de reſignat. quæſt. 3. num. 65.* dicens ſcienter reſignantem beneficium contra ſtylum curiæ poſſe ab Epiſcopis renunciationem acceptari, & alteri beneficium prouideri, ſcilicet in pœnam illius renunciationis; ac proinde cognita cauſa, & ſeruato ordine iuris.

8. Reſignatio liberè facta, & abſque ſignatione perſonæ exiſtente aliqua ex ſupradictis conditionibus aſſignatis à Pio V. admitti poteſt ab ordinario, & ex eius conſenſu valida eſt, & firma, poteritque beneficium ſic vacans prouideri cui voluerit, modo tamen non conferat ſuis, aut reſignantis conſanguineis, affinibus aut familiaribus. Ita enim præcipitur in ſupradicta conſtitutione, & quidquid contra, vel præter attentatum fuerit, id totum) ait Pontifex) ex nunc vires, & affectus decernimus non habere, & aliis pœnis collatores afficiuntur. Hanc conſtitutionem (ait Garcia) 11 *part. de benefic. cap. 3. §...., num. 270.* non benè ſeruari in Hiſpania, vbi prætenditur eam non eſſe receptam, ſed eſſe ab ea ſupplicatum ſaltem quoad illud de non conferendis beneficiis reſignatis conſanguineis, affinibus, aut familiaribus collatorum, vel reſignantium, & inſuper addit ſe audiuiſſe ita fuiſſe per Conſilium Regis ſcriptum Epiſcopis. Quod autem hæc ſupplicatio impoſita à lege ſuſpendat interim eius executionem, donec ſecunda iuſſio ſuperueniat, docet Franciſc. de Soſſa, ſuper conſtitution. Clement. VIII. *de largit. muner. Regular. interdict. §. 13. n. 109. & 112.* & alij circa conſtitutionem Pij V. *de cenſibus,* eſto contra teneat

Man.

Man. Rodrig. *qq. regul. tit. q. 6. art. 7.* Gab. Vasq. *1. 2. t. 2. disp. 156. n. 43.* & Lorca *disp. 20. de legibus.*

9. Solum est difficultas; an resignans liberè beneficium in manibus ordinarij, & ab illo supplicans, vt alicui certæ personæ beneficium conferat, vel ea intentione resignans, faciat contra dictam constitutionem: dicitur enim ibi: Caueant autem Episcopi, & alij prædicti. Itemque omnes electores, præsentatores & patroni tam Ecclesiastici, quam laici quicunque sint, ne verbo quidem, aut nutu futuri in huiusmodi beneficiis, & officiis successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de iis assumendis promissio inter eos, aut intentio qualiscunque intercedat. Prohibetur ergo quælibet designatio, & intentio inter conferentem, & resignantem de dando beneficio certæ personæ. Respondet Suar. *lib. 4. cap. 35. num. 17.* prohiberi quidem resignationem factam cum intentione manifesta conferenti, vt detur certæ personæ, etiamsi pactum non interueniat: & consentit Man. Rodrig. *1. tit. sum. cap. 60. num. 1.* cum glossa *in c. part. 1. verbo dimittere vers. dum tamen suis terminis sit contenta, de officio delegati.* Gomez *in Rubr. de triennali possessore, quæstione decima sexta num. 3.* & 4. Rebuff. *in praxi benefic. de resignat. pura, in princ. & in capit. de resignat. conditionali: num. 4.*

10. Ego verò dicendum existimo cum communiori sententia non esse simoniam, nec prohibitam resignationem factam coram ordinario ea intentione, spe ac supplicatione, vt detur certæ personæ, modo tamen non deducatur in pactum: ita Nauarr. *sum. c. 23. num. 107.* & *consil. 11.* & *38. de Simonia.* Petr. Gregor. *de benefic. c. 28. n. 7.* Ioann. Gutier. *canon. qq. lib. 2. q. 23. n. 75.* Azor. *lib. 7. cap. 21. q. 3.* & *cap. 27. q. 6.* Flamin. Parisius *lib. 12. de resignat. quæst. 6. à numer. 3.* Garcia. *11. part. de benefic. cap. 3. num. 161.* & alij innumeri ab eisdem relati, Dicunt enim ij doctores præcipuè Nauarr. *consil. 38. num. tertio,* Flaminius *supra,* & Garcia *supra num. 184.* in supradicta constitutione solum prohiberi resignationem, & intentionem in conuentionem tacitam, aut expressam deductam.

11. Pro maiori intelligentia superioris doctrinæ infero. Primò non habere locum coram ordinariis resignationes reciprocas, sed esse, & puniri vt simoniacas. Resignationes reciprocas voco illas, in quibus resigno beneficium meum in fauorem tui nepotis, & tu in fauorem mei resignas: nam licet ibi quædam permutatio videatur adesse, est tamen mixta cum resignatione in fauorem, quæ ord. nariis omnino est prohibita, vt ex dictis constat, & tenet expressè Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 35. dub. 14. num. 87.* Suarez *lib. 4. cap. 35. num. 18.* Flamin. Parisius alijs relatis *de resignat. lib. 14. quæst. 4. n. 3.* Idem est dicendum de renunciatione triangulati: v. g. Renuncio meum beneficium Petro, vt Petrus renunciet suum Paulo, & Paulus suum mihi, fieri enim potest, vt beneficium meum sit commodius Petro, & Petri beneficium Paulo, & Pauli beneficium mihi. Quod autem hic interueniat simonia probatur, *ex cap. tua nos de Simonia cap. fin. de Pactis,* vbi in beneficiis omnis pactio, omnisque conuentio debet omnino cessare, quando de iure non inest, sed in permutatione supradicta est pactio obligans ad id quod de iure non inest. Nam primus obligat secundum, vt resignet in fauorem tertij, & secundus tertium, vt resignet in in fauorem primi: & ita tenet Nauarr. *lib. 5. consil. consil. 22. de Simonia.* Flamin. *de resignat. lib. 14. quæst. 7. num. 63.* Lessius *libro secundo, cap. 35. dub. 14. numero octogesimo octauo,* Suarez *libro quarto, cap. 35. numero decimo octauo,* Garcia *multis relatis 11. part. cap. 4. numero vigesimo primo.* Aduertit tamen Lessius, & Suar. censet probabile; esto hæ resignationes fieri non possint coram ordinario, posse tamen duplici permutatione fieri, vt si ego permutem meum beneficium cum beneficio Petri, & habito beneficio Petri permutem cum Paulo: sic enim Paulus habebit beneficium Petri, quod sibi est commodum, & Petrus meum, quod sibi est commodum, & ego Pauli, quod commodum mihi.

12. Secundò infero; an valeat resignatio à te facta coram ordinario in fauorem tertiæ personæ sub titulo permutationis, cum tamen illa tertia persona nullum habeat beneficium permutandum. Et respondeo cum communi sententia non valere ex vlla parte: ita expressè Lessius *lib. 2. cap 34. dub. 26. num. 100.* Azor. *lib. 7. cap 29. quæst. 16.* & *cap. 30. q. vltim.* Suarez *libro quarto., cap. 35. num. 20.* Garcia *11. part. de benefic. cap. 4. numer. 10.* & ratio est; nam si tu cognoscis alium non habere beneficium, non intendis permutare, sed resignare in fauorem, quam tamen resignationem, nequit ordinarius admittere: si tu bona fide renuncias, putans alium habere beneficium permutandum, deciperis grauiter, & error dat causam contractui, ac proinde reddit illum irritum, & nullum. Video tamen Rebuff. *in pract. quæst. de permutat. num 14.* & 15. sentire validam esse renunciationem, & collationem, posse tamen resignantem verum beneficium agere, vt sibi permutatio adimpleatur, vel vt sibi reddatur beneficium, quod regnauit. Sed quod diximus est tenendum.

13. Tertiò infero posse ordinarium iuxta probabilem sententiam admittere renunciationem simpliciter factam de beneficio cum reseruatione pensionis, quia secundum probabilem sententiam superiori puncto tractatam potest ordinarius ex causa imponere beneficio pensionem: sed quia probabilius est ex recepta consuetudine, & stylo curiæ non posse Episcopum pensionem imponere, ea de causa neque potest beneficij renunciationem admittere cum illa reseruatione, & docet expressè Suar. *lib. 4. c. 35. num. 12.* Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 38.* & *c. 15. dub. 14. num. 9.*

14. Infero quartò responsionem illius quæstionis, an sine manifestatione superioris (qualis est solus Pontifex) possit resignans cum reseruatione pensionis obligare resignatarium ad aliqua onera admittenda v. g. vt fidei iussorem sæcularem, vel aliquam hypothecham assignet, vel illi anticipatè soluat, timet enim resignatarium futurum tardum in soluendo. Et dicendum est esse simoniacus contractum; quia obligat resignatarium ad id quod de iure non inest, eique ex vi resignationis onus pretio æstimabile imponit: ita Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 15. n. 93.* Suar. *lib. 4. capit. 35. num. 23. in fine.* Quæ resolutio ita vera est, vt etiamsi ordinarius commissionem haberet imponendi pensionem adhuc huiusmodi contractum approbare non posset: ita Suarez *supra.* Vnde pensio sic constituta posset non solui, & beneficium tanquam vocans propter simoniam impetrari, vt benè dicit Lessius *illo num. 93.* Verum si post constitutam pensionem obligaretur resignatarius ad hæc onera, dicendum est simoniam non committi, neque in foro exteriori debere præsumi, sed potius præsumi debet liberè se obligasse: ita tradit Flamin. *cum communi sententia lib. 14. quæst. 7. à num. 53.*

15. Infero quintò simoniam committere resignantem beneficium, & petentem à resignatario solutionem expensarum, quas in eius acquisitione fecit: colligitur ex *cap. super hoc de renunciat.* & *cap. cum pridem de Pactis,* & tenet Lessius *supra num. 94.* & Suarez *n. 29.* & Flamin. *lib. 14. de resignat. quæst. 7. num. 1. cum aliis.* Ratio est, quia petit aliquod onus, quod de iure non inest resignationi; non enim resignatio secum affert illas expensas, sed expensæ factæ sunt ante resignationem in acquisitione beneficij. Ergo beneficium nequit dari cum aliquo speciali onere, quod non daretur, si beneficium illis expensis acquisitum non esset; non enim ob hanc rationem pluris debet æstimari, sicut si possessionem domus multis expensis obtineres, non ob id carius vendere posses, quam si nullis tibi expensis stetisset.

PVNCTVM XVIII.

Quæ resignatio confidentialis Simonia sit?

SVMMARIVM.

1 *Optimè traditur in Bullis Pij IV. & Pij V.*
2 *An sola resignatio beneficij, cum accessu, regressu, & ingressu, an etiam permutatio in supradictis bullis prohibetur? sub distinctione respondetur.*
3 *Quid si resignes cum intentione, vt resignatarius iterum conferat, & resignet tuo nepoti? Affirmant aliqui non esse simoniam, si non deducas in pactum.*
4 *Probabilius est oppositum, si intentionem resignatario manifestes.*
5 *Resignans beneficium cum conditione, vt tibi pensio soluatur, solum esse Simoniam tenent plures.*
6 *At probabilius censeo esse Simoniam confidentialem.*

1. TOta difficultas est in explicatione constitution. Pij IV. incipient. *Romanum, &c. quæ est 109. in Bullario data 17. Kalend. Nouemb. anno 1564.* & in explicatione *constitutionis Pij V.* incipientis, *intolerabilis data Kalendis Iunij anno 1569. quæ est 87. in ordine,* cuius tenor refertur à Nauar. *c. 23. n. 100.*

Materia his constitutionibus prohibita ob Simoniacam prauitatem, est tantum beneficium Ecclesiasticum. Vnde pensio, & quodlibet aliud sub nomine beneficij propriè non comprehensum etiamsi resignetur cum accessu, vel regressu, vel alio quouis modo Simoniaco non prohibetur, nec punitur in his constitutionibus, vt notauit Suar. *lib. 4. c. 43. num 4.* Personæ verò, circa quas versatur hæc prohibitio, sunt resignantes beneficia, & illa sic acceptantes, deinde collatores, electores præsentatores, &c. illorum beneficiorum sic vacantium.

Tertiò actiones prohibitæ in iis constitutionibus sunt resignationes cum accessu, regressu vel ingressu ad beneficium, & quælibet aliæ resignationes, & receptiones beneficij cum reseruatione pensionis, vel fructus facta alij. Quibus verbis significatur resignantem non omnino, & absolutè beneficium dimittere: sed velle sibi retinere aliquod ius, vt aliquando possit repetere, & accipiens teneatur reddere. Accessus enim vocatur, si mihi impedito ob ætatem, vel alia de causa præ-

latus

latus conferat ius, vt quam primum capax ſim, ingrediar beneficium, quod Petro interim confertur. Regreſſus dicitur, ſi beneficium à me poſſeſſum cedam alteri, ſeruato iure regrediendi ad aliud, ſi fortè ille penſionem non ſoluerit, aut religionem ingrediatur, aut Epiſcopus fiat, aut præmoriatur; ingreſſus vero dicitur, ſi beneficium mihi collatum ante captam eius poſſeſſionem alteri reſignem reſeruato mihi iure ingrediendi poſſeſſionem illius, ſi ille præmoriatur, aut fiat Epiſcopus: ita explicat Leſſius *lib.2. cap.35. dub.16. num.98.* Suar. *lib.4. cap.43.* & tenent omnes Doctores. Quartò aſſignantur in illa conſtitutione Pij V. indicia ad probationem huiuſmodi criminis. Quinto loco apponuntur pœnæ tranſgreſſoribus.

Vt ergo hæc omnia clariùs explicentur, ſunt aliqua examinanda, in quibus nonnulla difficultas reperitur. Et in primis circa materiam, & perſonas contentas in his bullis nihil notandum occurrit. Circa indicia vero huius criminis, & pœnas impoſitas illud committentibus in ſeq. agemus ſolum circa actiones prohibitas in his bullis.

2. Dubitatur primò an ſolum reſignatio beneficij cum acceſſu, regreſſu, vel ingreſſu, an etiam permutatio prohibeatur; Poſſent enim permutantes ſecum paciſci de diſſoluenda permutatione, & regrediendi ad priora beneficia, vel de reſignandis illis in fauorem aliorum, vel de ſoluendo fructus alij, vel aliis. In qua dubitatione reſpondeo cum Suarez. *lib.4. cap.43. n.11.* videri probabilius ſic permutantes non committere Simoniam confidentialem: quia Pontifex ſolum de beneficiis acceptis ex reſignatione, aut ceſſione loquitur. Permutatio autem non propriè dicitur ceſſio, & reſignatio; ea de cauſa eſto ſic permutantes committerent Simoniam, non tamen committunt Simoniam confidentialem, & his canonibus punitam. Secus vero affirmandum eſt de Epiſcopo, & quolibet alio collatore beneficij, etiam ex cauſa permutationis, ſi ſub iis confidentiis conferat. Quia verba Pij V. quoad collatores ſunt valdè vniuerſalia: ait enim ſi ordinarius, aut collator contulerit antehac, aut conferat in futurum beneficium Eccleſiaſticum quouis modo vacans, &c. vacat autem ex cauſa permutationis beneficium, vt eſt recepta omnium ſententia relata à Garcia 11. *part. de benefic. cap.4. à num.1.* taliter quod non poteſt renuncians beneficium ex cauſa permutationis redire ad beneficium renunciatum ſine noua collatione, etiamſi permutatio non ſequatur, ſeu non teneat, aut habeat effectum niſi renunciatio eſſet in manibus Pontificis, vt multis allegatis probat Garc. *vbi ſuprà.*

3. Secundò dubitatur; an reſignatio beneficij facta cum intentione, vt reſignatarius iterum beneficium reſignet, & conferat tuo nepoti, prohibeatur ſupradictis conſtitutionibus? Ratio dubitandi ſumitur ex verbis Pij V. ibi: ſi quis quacunque authoritate Eccleſiam vel monaſterium, aut alium beneficium Eccleſiaſticum qualecunque ex reſignatione, vel ceſſione cuiuſcunque perſonæ ſimpliciter, aut cum circuitu retroceſſionis, cum regreſſu, vel acceſſu etiam *ſola dimittentis intentione* receperit, &c. hæc confidentia cenſeatur, & ſubditur infra: In quouis horum caſuum confidentiæ prauitas ſit contracta, licet ipſum confidentiæ crimen, alterius tantum partis conſcientiæ ſit admiſſum. Ex quibus denotatur intentionem dimittentis, etiam ſi ex alia parte non ſit acceptatio, ſufficere ad incurrendam hanc Simoniam, & pœnas ob illam inflictas.

In hac re eſt prima ſententia probabilis non ſufficere reſignationem fieri cum intentione manifeſta arctandi, & obligandi reſignatarium, vt in fauorem reſignantis beneficium iterum reſignet, aut fructus ſoluat, ſed requiri etiam tacitum, vel expreſſum pactum huius obligationis. Quia ſine huiuſmodi pacto non committitur Simonia conuentionalis, & conſequenter neque punibilis per ſupradictas conſtitutiones: ita expreſsè Leſſius *lib.2.c.35.n.95. & 96.* Suar. *t.1. de relig. lib.4. de Simonia c.43.n.12.* Azor. *2.t. lib.7.c.27.q.6.* Nauarr. *c.23. n.100. §.6.* Ad verba tamen Pij V. affirmantis cenſeri confidentiam Simoniacam commiſiſſe, qui receperit beneficium ea intentione, vt poſtea dimittenti eſſet regreſſus. Reſpondet Nauarr. *ſupra* illa verba ſolum intelligi de præſumptione, hoc eſt ſi in exteriori foro probetur dimittentem habuiſſe intentionem arctandi, & obligandi reſignatarium ad ſic reſignandum beneficium, eo ipſo præſumatur reſignatarius commiſiſſe Simoniam hanc confidentialem; & hanc interpretationem Nauarr. ſequitur Vgolin. *tab.1. de Simon. c.22.§.3.n.1.* & Ioann. Gutier. *lib.2. canon. quæſt. q.23. num.89.* Zaballos *qu.28 o. num.20.*

4. Verum ſi rectè perpendantur verba Pontificis conuenire eis non poteſt ſupradicta ſolutio; non enim tunc loquitur Pontifex de probatione Simoniæ, ſed de illius crimine: ait enim in quouis horum caſuum confidentiæ prauitas ſit contracta, caſuſque huiuſmodi ſupradictis litteris comprehenduntur, ac ſi illis ſpeciatim expreſſi fuiſſent; licet ipſum confidentiæ crimen alterius tantum partis conſcientiâ ſit admiſſum. Atqui vnus ex ſupradictis caſibus eſt, quando ſolus dimittens habet intentionem, vt ſibi beneficium iterum renuncietur, aut ad illud quoduis modo regrediatur. Ergo etiam abſque pacto committit Simoniæ prauitatem punitam in hoc decreto. Quapropter exiſtimo probabilius reſignantem beneficium ea intentione, vt reſignatarius maneat obligatus iterum in ſui fauorem beneficium reſignare, vel fructus ſoluere: committere Simoniam, modo tamen intentio illa recipienti beneficium manifeſtatur; quia abſque hac manifeſtatione ſolum eſt mentalis Simonia, quæ pœnis Eccleſiaſticis non ſubiacet, vt conſtat ex *cap. fin. de Simonia*: & hanc ſententiam tenet alios allegans Garcia 11 *p. de benefic.c.3.à n.184.* Flamin. *de confident. q.26. n. 39. & 40.* Suar. *t.5. de cenſur. diſp.22. ſect.6. num.15. & 16.*

5. Tertiò dubitatur, ſi reſignes beneficium cum conditione, vt tibi penſio ſoluatur, commictas Simoniam confidentiæ? Rationem dubitandi inferunt verba Pij V. circa medium conſtitutionis: nam loquens Pontifex de beneficio, ait ſufficere ad hanc Simoniam incurrendam, vt tibi, vel alteri ius recuperandi reſeruet; cum vero loquitur de penſione, aut de fructibus beneficij, ait eſſe Simoniam confidentialem, ſi beneficij fructus, aut pars eorum alij, vel aliis concedantur, vel penſiones ſoluantur ex eiſdem. Ex qua verborum mutatione colligi videtur renunciationem factam cum onere ſoluendi penſionem, vel fructus dimittendi, Simoniam confidentialem non eſſe, eſſe tamen ſi facta ſit renunciatio cum onere ſoluendi illam penſionem alij, vel aliis: & ita tradunt Nauarr. *conſ.33.n.4. & conſ.76. num.6. de Simonia*, Vgolin. *tab. 1. c.22. §.1. num.8.* Menoch. *de arbitr. cent.6. addita, caſu 566. n.8.* Leſſius *lib.2.c.35.n.97.*

6. Nihilominus tamen probabilius mihi videtur oppoſitum, ſcilicet reſignationem factam cum onere ſoluendi penſionem, vel fructus eidem reſignandi, non ſolum eſſe Simoniam, ſed eſſe Simoniam confidentialem: tenet expreſsè Suar. *lib.4 c.43. n.7.* Garcia 11. *p. de benefic. c.3. n.194.* Ratio eſt prima, quia ibi datur pro confidentia Simoniaca reſignatio beneficij ſub conditione, vt prouiſus fructus illius, vel partem ad vtilitatem, vel libitum conferentis, aut cedentis, aut alterius relinquat, & remittat. Ergo idem dicendum eſt de reſignatione ſub reſeruatione penſionis, quia penſio pro parte fructuum debet computari. Secunda, quia vna ex coniecturis, quæ ibi adducitur ad probandum crimen confidentiæ, eſt, ſi reſignans poſt reſignationem fructus percipiat, quæ præſumptio ceſſaret, ſi non eſſet confidentia reſignare cum pacto, vt dentur aliqui fructus reſignanti. Tertia; quia in Bulla Pij IV. ad cuius confirmationem Pius V. ſuam expediuit, vt conſtat ex procemio, damnatur, vt Simoniaca confidentialis ea reſignatio, quæ fit cum onere ſoluendi penſionem, vel fructus beneficij eidem reſignanti, vt omnes fatentur, ob cuius cauſam dicit Leſſius *c.35. n.97.* ſe credere hac in parte illam bullam non eſſe receptam. Quarta; quia per illa verba, *alij*, vel *aliis*, vt rectè explicant Suar. & Garcia *ſuprà* non debet reſignans excludi, imo potius debet comprehendi: cum enim ibi loquatur Pontifex de accipiente beneficium, vt conſtat ex illis verbis: Si quis quacunque authoritate, Eccleſiam vel monaſterium, &c. receperit, vt fructus, vel eorum pars alij, vel aliis conferantur, vel penſiones ſoluantur ex eiſdem hæc confidentia cenſeatur: reſignans autem alius eſt à recipiente. Ergo ſi recipiens promittit illi ſoluere penſionem, vel fructus, pto reſignatione facta, hoc crimen confidentiæ cenſetur commiſiſſe.

PVNCTVM XIX.

Quæ pactio licita ſit ad componendam litem in cauſis beneficialibus.

SVMMARIVM.

1 *Ceſſio beneficij litigioſi ob pecuniam eſt Simonia.*
2 *Authoritate Prælati licita eſt conuentio, & pactio onerosa, & cuius prælati debet eſſe?*
3 *Ex probabili ſententia poteſt fieri compoſitio inter partes authoritate ordinarij, cum ordinarius vni applicat beneficium ſub onere ſoluendi alteri penſionem.*
4 *Hanc penſionem plures exiſtimant ſolum pro vita ſoluentis durare.*
5 *Probabilius eſt pro vita penſionarij.*
6 *An impediatur hac penſionis impoſitio, ſi inter partes præceſſit conuentio.*
7 *An colligantes poſſint eligere arbitros, vt litem decidant penſione impoſita, vel alio onere temporali.*

1. COnſtat apud omnes ceſſionem beneficij, litigioſi propria authoritate factam propter pecuniam eſſe Simoniam: habetur expreſsè *cap. præterea 1. & 2. de tranſact. & cap. cum pridem de Pactis, cap.2. de Arbitris, cap. vlt. de rerum*

verum permutat. Et ratio est clara; quia datur aliquid spirituale, scilicet ius aliquod in beneficium pro temporali. Idem dicendum est, si authoritate propria cedas beneficio incerto, & dubio propter pensionem aliquam, vel aliquod beneficium tibi à collitigante donatum: tenet Innoc. Panorm. & alij *in cap. constitutus de Religiosis domib. & in cap. super eo de Transact. Præpositi. in cap. quam pio* 1. *quæst.* 2. *num.* 2. Decius *cons.* 436. *n.* 18. Lambertin. *de iure patronat. lib.* 3. *qu.* 9. *art.* 6. & alij quos sequitur Suar. *lib.* 4. *de Simonia c.* 51. *n.* 1. Ratio est, quia in beneficiis omnis pactio, & conuentio, quia ex iure incerto redditur certum, prohibita est, vt ex supradictis capitib. constat. At per huiusmodi pactionem ius dubium in beneficio firmatur, & certum redditur. Ergo non licet.

2. Verum authoritate prælati licita est conuentio, & pactio onerosa ad componendam litem, constat & ex *cap.* 2. *de transactionib.* cuius autem prælati authoritas requiratur, pendet ex modo conuentionis. Si enim cedas beneficio, quod pacifice possides in collitigantem, vt ipse in te cedat ius omne quod habet ad beneficium litigiosum, necessariò requirit Pontificis authoritatem. Et idem est dicendum, si promitteres alteri pro cessione litis vicariam, beneficium curatum aut illum in coadiutorem tui canonicatus recipere. Ratio constat ex punctis superioribus, vbi resolumus cum communi sententia permutationem beneficiorum approbari ab Episcopo non posse, nisi beneficia pacifice possideantur, secus vero quando in litem sunt vocata, tunc enim requiritur consensus Pontificis.

3. Quare ex probabili sententia solum fieri potest compositio inter partes, quando Episcopus vni ex collitigantibus applicat beneficium, sub onere soluendi pensionem alteri collitiganti. Posse autem Episcopum huiusmodi compositionem facere, neque indigere authoritate Pontificis, constat ex *c. nisi de Præbendis*, & docent ibi Hostiens. Panor. & alij, & Gigas referens alios *de pensionib. q.* 6. *n.* 3. & 4. Suar. *lib.* 4. *cap.* 51. *n.* 17. Garcia 1 *p. c.* 5. *à n.* 195. & multis allegatis Gonzalez, Glossa 5. § 5. *à num.* 27. & licet supra resolutum fuerit esse magis probabile non posse Episcopum pensionem in beneficio imponere: at ex causa litis, & concordiæ ferè omnes doctores affirmant optimè posse, vt rectè Granutius. *ad Simoniam de reseruationib. quæst.* 62. *num.* 6. & 7.

4. Dubium tamen est, an dicta pensio possit imponi ad vitam personæ soluentis, & retinentis beneficium, vel ad vitam pensionarij?

Garcia *de benefic.* 1. *part. cap.* 4. *num.* 334. affirmat etiam ex causa litis, & concordiæ non posse pensionem ab ordinario imponi ad vitam pensionarij, & consequenter neque ad successores transire: & idem tenet Azor. *tit.* 2. *lib.* 8. *c.* 6. *q.* 1. Mouentur *ex cap. Nisi de Præbendis*; vbi Pontifex non vult tolerare, vt pensio imposita ex causa pacis, & concordiæ transeat ad successores, & redditur ibi ratio, ne fortè circa prouentus aliqua videatur facta sectio prioratus. Deinde *in cap. vendens de transact.* dicitur transactionem factam de rebus Ecclesiæ per Prælatum sine Pontificis consensu non obligare successorem.

5. Verum pensionem impositam ab ordinario ex causis litis, & concordiæ transire ad successores, & durare pro vita pensionarij, & esse onus beneficij mihi probabilius videtur: sic tenet Panormit. Cardin. & alij. quos refert, & sequitur Gigas *de pensionibus, q.* 6. & 85. *n.* 1. & 11. Cacialup. *quæst.* 5. Gambara *lib.* 6 *de officio, & potestate legati, n.* 77. Suar. *l.* 4 *c.* 51. Mendos. *in reg.* 33. *quæst.* 14. *num.* 11. Redoan. *de Simon.* 2. *p. cap.* 4. *num.* 14. & *c.* 21. *n.* 36. Quintana Duefias *lib.* 2. *Ecclesiast. à n.* 44. Cuchus *in institut. paruis l.* 2. *t.* 8. § *ante omnia* Camillus Cautius *tract. de pens. Episc. n.* 10.

Fundamentum huius conclusionis est Textus *in cap. de catero de transactionib.* per argum. à contrario: dicitur enim ibi pensionem impositam per transactionem iuridicam sine Episcopi authoritate non excedere vitam soluentis. Ergo à contrario si authoritate Episcopi esset imposita, excederet vitam soluentis. Idemque videtur supponi *in cap. audiuimus, de collusionib.* Vnde pensio imposita in beneficiis, vt nulla decernitur, & possidentes spoliantur beneficiis pro fraude commissa in admittenda pensione.

Ad *cap. Nisi de Præbendis* respondemus, pensionem illam impositam fuisse authoritate, & potestate arbitraria aliorum iudicum ab Episcopo, quibus nullo modo data erat facultas imponendi pensionem, quæ ad successores beneficij transiret. Caput item *veniens de transact.* non agit de pensione imposita in beneficio propter illius cessionem, sed de transactione super obligationem decimandi, & remissione, seu diminutione perpetuo duratura, quæ sine Pontificis authoritate effici non potest, vt benè explicat Suarez *cap.* 5. *numero* 18. *fine.*

6. Aduertendum tamen est non posse inferiores Papa pensionem hanc imponere beneficiario, si aliqua conuentio inter partes præcessit: habetur *in cap. cum pridem, de Pactis & cap. Nisi de Præbendis, & cap. præterea* 1. *& 2. de transact.* & docet Garcia *innumeris relatis de benefic.* 1. *part. cap.* 5. *à num.* 341. & Zerola *in praxi Episc.* 1. *part. ver. Simonia* §. *secundum dubium.* Ratio est, quia præsumitur spirituale pro temporali conferri, quando à partibus conuentio ortum habuit. Verum Suar. *lib.* 4. *de simonia cap.* 51. *à num.* 20. affirmant hanc doctrinam non habere locum in conuentione facta inter partes de pensione spirituali soluenda: possunt enim tunc partes collitigantes inter se conuenire in ordine ad consensum Episcopi vt vnus beneficium retineat, alius verò soluat pensionem ex illo: secus vero quando soluenda esset pensio temporalis. Tunc enim si à partibus conuentio incœpit reprobatur, vt constat ex *cap. cum pridem*: honestatur autem quando ex officio, & prouidentia iudicis facta est, vt deciditur *in cap. Nisi de Præbendis.* Quod si aliquando videmus collitigantes inter se conuenire, vt vnus retineat beneficium, alius vero expensas in lite factas soluat, hoc inquam authoritate, & prouidentia iudicis faciendum est nulla inter partes conuentione, & obligatione prius facta, aliàs nulla erit talis cessio, & renunciatio, &c.

7. Sed inquires, an possint collitigantes arbitros eligere, vt litem decidant imposita pensione, vel aliquo onere temporali beneficiario? Respondeo pensionem non posse ab arbitris absque ordinarij consensu imponi, onus vero temporale optimè posse: tenet Suar. *lib.* 4. *cap.* 51. *circa finem*, & probat *ex c.* 2. *de Arbitris*: ibi si arbitrium ipsum videris æquitate subnixum, ad obseruantiam illius vtramque partem compellas. Supponitur ergo in illo textu potuisse esse æquum, & iustum arbitrium, & tamen arbitri non erant iudices delegati, neque ordinarij ad causam, sed quidam clerici in arbitratores electi.

PVNCTVM XX.

Qua ratione redemptio vexationis licita sit in beneficiis:

SVMMARIVM.

1. *Si in beneficio ius acquisitum habeas redimere vexationem potes, quia est illicita.*
2. *Secus, si cum aliis prætendas beneficium, & afferas pecuniam, vt desistat, vel ne tibi exceptionem opponat, cum tamen hæc omnia optimè facere possit.*
3. *Si acquisito beneficio per certam, & indubitatam institutionem impediaris à possessione capienda, redimere vexationem potes.*
4. *Si beneficium nondum acquisisti, potes si iniustè impediaris ab illius consecutione, redimere vexationem, à quocunque inferatur.*
5. *An possis pecunia vexationem precibus, vel muneribus electori factam redimere. Negant plures.*
9. *Contrarium videtur dicendum.*
7. *Satisfit fundamentis contrariis.*
8. *Potes pecunia mouere electores, vt dignissimum eligant casu quo sint inclinati indignum, vel minus dignum eligere.*
9. *Idem est, esto vnus tantum reperiatur idoneus.*
10. *Quid in aliis materiis sentiendum est.*

1. PVncto septimo huius disput. diximus de vexatione redimenda in Sacramentis, & remisimus in hunc locum redemptionem vexationis in beneficio.

Communis est sententia doctorum cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. *ad* 5. & ibi Caietan. & Soto, Nauarr. *cap.* 23. *num.* 102. *vers.* 8. Glossa Panormit. Innocent. & aliis *in cap. quæsitum* 1. *q.* 3. & Suarez aliis relatis *lib.* 4. *de Simon. c.* 50. habentem scilicet ius acquisitum in beneficio posse redimere vexationem sibi factam in iure illo requisito tollendo. Et habetur expressè in *cap. dilectus* 1. *de simonia* vbi præpositus quidam dedit alteri pecuniam sibi promissione non inferendi sibi iniusta grauamina, & Simoniacus non censetur. Idem constat ex *suprad. cap. quæsitum.* Ratio est, quia qui sic dat pecuniam, dat illam pro aliqua re spirituali, sed pro cessatione ab iniutia: non enim per illam redemptionem aliquid spirituale acquiritur; Est enim (vt supponimus) firmiter acquisitum.

Neque aduersus hanc conclusionem obstat *cap. Matthæus de Simonia*, vbi Simoniacus, censetur electus à maiore parte eligentium, eo quod dederit pecuniam cuidam, qui nomine aliorum sibi contradicebat. Nam contradictio non erat circa electionem, sed circa confirmationem, vt explicat Suarez *c.* 50. *num.* 9 & ideo non fuit redemptio vexationis in iure acquisito, sed in fine acquirendo, quod an liceat statim videbitur. Secundò respondeo cum Glossa non adfuisse ibi redemptionem vexationis iniustæ; poterant enim illi pauci ius electionis infirmare, vel quia forte erant contempti, iuxta *cap. sicut, & cap. venerabilem. De electione*, vel quia allegare poterant fuisse bigamum, & non fuisse dispensatum. Quotiescunque autem potest aliquis iustè mouere litem circa electionem, præsentationem, nominationem, aut institutionem, aut aliud

quoduis ius beneficij, nullo modo licet habenti beneficium pecunia litem remouere, vt ait Gloſſa *in cap. cum pridem de Pactis*, & ibi: Abbas *num.9.* & Suar.*cap.* 50. *num.*10. *&* 11. Ratio eſt; quia compararet per pecuniam ius firmum in beneficio, & quod infirmum erat, firmaret, & conſeruaret.

2. Ex quo fit, te Simoniam committere, ſi beneficium ſimul cum aliis prætendens pecuniam tribuas alicui ex competitoribus, vt à prætenſione iuſta deſiſtat; quia tam pecunia paras viam ad beneficium, & redimis vexationem iuſtam, quam tibi competitor facit; quod nullo modo licet, iuxta *d. textum in cap. Matthæus*, & Tradit S.Thom.2. 2. *quæſt.*100. *artic.*2. Leſſius *lib.*2.*cap.*35.*dub.*18.Baſil. de Leon.*lib.* 5.*de matr.cap.* 13.§.6.*numer.*40.Auguſt. Barboſa alios referens 3.*part.de poteſt.Epiſcop.alleg.*60. *num.*54. Et idem eſt, ſi pecuniam dares alicui, ne exceptionem opponat, quam iure opponere poteſt; quia iam pecunia ſecuriorem reddit viam ad beneficium, ſic aliis relatis Barboſa *ſuprà*.

3. Secundò affimandum eſt cum communi ſententia acquiſito beneficio per certam, & indubitatam inſtitutionem, ſi à poſſeſſione capienda impediaris, licet tibi vexationem redimere pecunia: tenet D.Thom.*quæſt.*100.*art.*2.*ad* 5. & ibi Arag.*dicto* 3. *pag.*1111.Man.Rodrig.2.*tit.ſum.cap.*59.*n.*5. *& cap.*61. *num.*2.Vega *in ſum.*2.*part.cap.*101.*caſu* 1933. *&* 44. *ad finem &* 67.Petr. de Ledeſm.2.*p.ſum.tract.*12. *concl.*26. & 27. Suar.*c.*50 *n.*31.Leſſius *lib.*2.*cap.*35.*dub.*18.*num.*100. Canoniſtæ communiter *in cap.Matth. & cap. dilectus* 1. *de Simonia cap.ad aures*, 1. *de Simonia*. Eſto contra teneant plures relati à Suar.*ſupra*,& à Garcia 1.*part.de benefic.cap.*2.*num.*53.quos ipſe Garc.*ſequitur*.

Ratio noſtræ concluſionis eſt, quia poſſeſſio non eſt ſpiritualis niſi ratione tituli cui eſt annexa, acquiſito ergo titulo poſſeſſio eſt quid corporale, & omnino debita titulo; ac proinde non eſt Simonia illius impedimentum redimere; quia non redimitur ius ſed factum.Sicut ſi poſt titulum plenè acquiſitum decimæ negarentur, poſſet dari abſque Simonia pecunia pro illis recuperandis, quia non emuntur vt aliquid ſpirituale,cum non ematur titulus ratione cuius ſunt ſpirituales, ſed emuntur ſecundùm ſe (hoc eſt quatenus ſunt quid temporale,& vendibile. Secus eſſe dicendum, vt benè aduertit Suar. *ſupra*, ſi ius ipſum, ratione cuius petit poſſeſſionem, vocaretur in dubium: tunc enim nullo modo liceret pecunia profeſſionem redimere, quia redimeretur non poſſeſſio tantum, ſed ius beneficij infirmum firmaretur, & conſeruaretur.

4. Verum ſi de iure nondum quæſito loquamur, communis ſententia tenet, ſi iniuſtè impediaris à beneficij aſſecutione, te non poſſe pecunia redimere vexationem ab iis, qui beneficium conferre debent, ſecus vero aliis: tenet Soto *lib. 9. quæſt.6. art.*1. *ad* 5.*& quæſt.*7.*art* 1.*in corp.dub.vlt.*Vgoli.*tab.*1.*cap.* 9.§.8.*n.*3.Suar.*lib.*4. *cap.*50. *n.*23 & affirmat eſſe communem theologorum Leſſius *lib.*2.*cap.*35.*dub.* 18 *n.*108.Man.Rodrig. 2.*tit.ſum.c.*61.*n.*1.Priorem partem probat textus *in c.ſicut tuis de Simonia*, vbi cenſetur Simoniacus, qui dedit Epiſcopo pecuniam,vt electionem factam approbaret:Idem colligitur ex *cap. Matthæus*, *cap. de hoc de Simonia* Et ratio eſt; quia ſi eligenti, vel præſentanti, aut inſtituenti in beneficium das pecuniam, vt moueas ad tibi non negandum inſtitutionem, formaliter;& directè das pecuniam, vt eam tibi concedat, & conſequenter pecunia viam paras directè ad beneficium, quod eſt illicitum. Sed reſpondere poteris te non dare pecuniam tanquam pretium electionis, ſed dare pecuniam, vt electoris auaritiam ſaties & prauum illius affectum tollas, & hac intentione te excuſatum eſſe à Simonia vero, eſto in foro exteriori præſumatur.

Reſpondeo hoc eſſe ſatis probabile: ſi enim muneta; & obſequia ea intentione facta prælato nullam iniuriam inferenti, non inducunt Simoniam, quæ cauſa eſſe poteſt,vt interuenientе iniuria munera illa Simoniam cauſent? Et ita affirmat Adrian *quodlib 9.indicat*. Nauarr.*c.*23.*num.*102. tenet abſolutè Valent.3 *tit.diſp.*6. *quæſt.*16. *part.* 3. *verſ.prima & ſeq. pag.*1656. eſto contra teneat, Suar.*lib.*4. *c.*50. *n.*28. affirmans ita eſſe receptum ſecundùm ſtylum curiæ, & Eccleſiæ, ſed intelligenda ſunt, quoad præſumptionem fori externi. Adde vel prælatus tibi malè, & iniuſtè negat beneficium,vel nullam iniuſtitiam in tali negatione committit. Si nullam iniuſtitiam committit, redemptioni, vexationis non eſt locus; ac proinde nequaquam poteris dare pecuniam ſub onere collationis, quia eſſet Simonia clara, & manifeſta. At ſi iniuſtè neget beneficium; eo quod tu ſolus dignus ſis, vel inter dignos tu dignior, poteris pecuniam offerre ſub onere, vt eligaris; quia non in pretium electionis pecuniam offers, ſed in remotionem maioris peccati, quod intendit elector committere eligendo indignum, vel dignum prætermiſſo digniori. Item habes ius quæſitum, ne in tali concurſu alius præferatur. Ergo pecunia non acquiris ius, ſed defendis habitum.

Secunda pars communis ſententiæ, ſcilicet poſſe redimi vexationem iniuſtam omnium illorum, qui ad electionem, præſentationem, collationemque beneficij non concurrunt, ex 50 probatur; quia nullibi reperitur prohibitum: omnes enim textus loquuntur de redemptione vexationis facta circa electionem, aut confirmationem, &c. ab iis, qui illa dare poſſunt. Deinde eſt efficax ratio; quia hac redemptione ſolum remouentur impedimenta iniuſtè applicata, neque proinde via ad beneficium paratur magis quam parata eſſet ante impedimentorum iniuſtam poſitionem. Adde quemlibet habere ius quæſitum, ne ſibi fiat iniuria, v.g. ne in fama lædatur, neve iniuſtè detineatur, quin poſſit ſe beneficio opponere. Ergo ſi contra iuſtitiam illum infames, domi detineas; poterit ipſe abſque ſimonia vexationem hanc redimere.

5. Sed inquires, an poſſis pecunia vexationem redimere caſu quo vexatio fit precibus, vel muneribus factis electori ne te eligat? Negat Turrecremat.*in cap.quæſitum.*1.*quæſt.*3. *n.*3. & Archidiac.*ibi cum Raymando*. Mouentur quia non habes ius acquiſitum in beneficio. Tum etiam quia tibi iniuſtitia non fit, cum nullum ius auferatur: ponimus enim iudicem velle dare beneficium æquè digno. Deinde quia ex hac peruerſione iudicis nulla erit obligatio reſtituendi tibi aliquid pro beneficio ſublato, cum nulla ſit obligatio te eligendi. Denique ceſſatio à precibus, & muneribus non eſt æſtimabilis pretio niſi ratione beneficij conſequendi. Ergo qui dat pecuniam pro illa ceſſatione, cenſetur dare pro beneficio.

6. Verùm contra tenendum eſt cum modernis Theologis non eſſe ſimoniam hanc vexationem pecunia redimere: ita Valent *diſp.*6 *quæſt.*16.*part.*3.*pag.*1656. Leſſius *lib.*2. *cap.*35. *dub.*18.*num.*109. Suarez *cap.*50.*num.*25.Man. Rodrig. 2. *tit. ſum.cap.*61.*num.*2.cum Arag. 2.2. *quæſt.*100.*art.*2.*verſ.circa ſecundum pag.* 1112. Ratio eſt, quia eſto ſubornatus electorem, & iudicem, non tibi faciant iniuriam contrà iuſtitiam, facit tamen nocumentum contra charitatem, ſiquidem eius animum non relinquit liberum, ſed in tui aduerſarium mouet & inclinat. Ergo poteris huiuſmodi nocumentum remouere; ſiquidem eius remotione non paras magis viam ad beneficium, quam ſi nunquam talis ſubordinatio adeſſet.Ex quo fit tibi non licere dare pecuniam ſubornatori, vt à ſubornatione deſiſtens tibi ſpecialiter faueat, tuamque electionem procuret; parates enim pecunia viam ad beneficium; poteris tamen illi, dare, vt à ſubornatione deſiſtat,quia das pecuniam vt deſiſtat ab actione tibi nociua. Quocirca in caſu quo ſunt plures electores, & contrarius oppoſitor aliquos ſubornat, non licet tibi alios, vel eoſdem vt tibi potius quam alteri faueant.Eſt enim hoc directè parare viam ad beneficium acquirendum media pecunia,vt in *cap. de hoc. de Simonia* prohibetur, & notauit expreſsè Suar. *cap.* 50. *num.*26. exiſtimarem tamen in rigore loquendi licere tibi electoribus iam ſubornatis pecuniam dare non ea intentione, vt tibi ſpecialiter faueant, ſed vt deponant animum, & affectum propenſum, quem habent erga tuum competitorem propter pecuniam ab illo acceptam in hoc enim caſu non paras viam ad beneficium magis quam eſſet parata ante ſubornationem iniuriоſam, & in odium tui factam. Video tamen hoc maximo ſubiici periculo incidendi in ſimoniam, & in foro externo ita præſumitur.Neque in hac parte audiendus eſt Baſil. de Leon.*lib.*5 *de matr.cap.*14.§.6.*numero*,44.*in fine*, affirmans licere dare pecuniam in oppoſitione ad cathedram, quando duo ſunt competitores, neque exceſſus clarè apparet, ſi de facto ſcholaſticus, qui ſuffragium debet ferre ſua ſponte, poſtulauerit, vel indicauerit, tametſi dicat non eſſe licitum offerre. Hoc mihi nullo modo probatur. Exiſtimo namque hac doctrina pluribus iniuſtitiis, peccatis viam aperiri. Quod enim elector poſtulet pecuniam, non poteſt honeſtare illius receptionem, neque dationem; quia eſt poſtulatio iniqua. Ergo ſi ſecluſa poſtulatione non licet in illo caſu electoribus pecuniam offerre, neque etiam licebit petitam dare.

7. Argumenta in contrarium non obſtant: nam etſi tibi non inferatur iniuria in illa ſubornatione,infertur tamen damnum illicitè, & contra charitatem, quod damnum poteris abſque peccato ſimoniæ reparare, aut præcauere. Cum verò vrgetur ceſſationem à precibus, & muneribus non eſſe æſtimabilem pretio, niſi ratione beneficij conſequendi; Reſpondeo eſſe quidem æſtimabilem pretio ratione non beneficij conſequendi remotè & indirectè non per ſe; non enim per ſe ad beneficium conſequendum ordinatur, ſicut eſſe in familia Epiſcopi pretio eſt æſtimabile propter ſpem de beneficio conſequendo, media beneuolentia collatoris. Quare ſicut potes dare pecuniam alicui, ne impediaris ab ingreſſu in domum Epiſcopi, imò vt immittaris in eius obſequium: ita à fortiori in præſenti caſu: & ſic explicat Leſſius *lib.*2. *cap.*35. *dub.*18. *num.*109.

8. Inquires ſecundò, poſſiſne pecunia mouere electores, vt digniſſimum eligant, caſu quo in aliquo concurſu, vel oppoſitione, aut electione timeas vehementer indignum, vel minus dignum eſſe eligendum. Reſpondeo poſſe: ita Caietan. *tom.*2.*Opuſc.tract.*9.*quæſt.*3.& Soto *lib.*9 *quæſt.*6.*art.*1. *ad* 5. *Maior.*4.*diſt.*25.*q.*5.*ad* 2.ij enim loquuntur de electione Pontificis; at generaliter de electione ad quoduis beneficium tradit Nauarr.*c.*25.*n.*102.*verſ.*8,Valent.*3.t.q.*16.*p.*3.*pag.*1658.

quarto

quarto sequitur, & tenet vt probabile Tolet. *lib.5. sum. c.90. n.5. fine*, Lessius *absolutè lib.2. cap.35. dub.8. & 19. n.113.* & consentit. Suar. *c.50. num.42. fine*. in casu quo non possit adiri superior, qui prauam voluntatem impediret.

Ratio est, quia Ecclesia secundùm probabilem sententiam habet ius iustitiæ commutatiuæ, vt electores magis dignum eligant, vel saltem electio dignioris debita est Ecclesiæ titulo iustitiæ legalis, aut fidelitatis. Ergo electoribus propensis hoc ius infringere, poteris pecuniam tribuere, vt ab illa propensione, & iniuria inferenda desistant. Quia tunc non das pecuniam tanquam pretium electionis, sed sub onere electionis in satietatem auaritiæ electorum, & in eorum sustentationem. Ex quo fit nullo modo licere tibi præuenire pecunia, vel muneribus electores eo colore ne eligant indignum, quando non apparet illos propensos esse ad prauam electionem faciendam: censeris enim tunc dare pecuniam sub onere electionis, nulla causa legitima excusante, quod est simoniacum.

9. Sed quid, si vnus tantum reperiatur idoneus, liceretne tibi offerre pretium, vt eligatur, posito quod electores velint in alios inclinare; Negat Suar. *lib.4. cap.50. n.41.* quia daretur pro eius electione, quod est simoniacum, sed debet offerri (inquit) sub conditione, vt non eligatur indignus. At non est necessarium hunc scrupulum iniicere, sed absolutè poteris dare talem pecuniam, vt eligatur ille dignus non tanquam pretium electionis, sed tanquam motiuum tollens prauam illam electionem, & affectum electorum. Quare etsi electores pecuniam recipiendo simoniam committant; quia non habent causam legitimam, quæ talem receptionem honestet. At tu liber es à tali peccato; eo quod in redemptionem vexationis iniustæ, & remotionis impedimentorum legitimæ electionis tribuas; Sic Lessius *lib.2. de iustit. c.35. dub.19. n.114.* Basil. de Leon. *lib.5. de matr. c.14. §.6. n.43.* Soto Nauarr. Tol. & Valent. *suprà.*

10. In aliis verò materiis extra beneficia clarius procedit redemptio vexationis, si verè iniustè, seu inique vexaris. Vnde si iudex tibi neget absolutionem à censura, quam debebat concedere, poteris pecunia ad illius concessionem obligare; quia non das pecuniam in pretium absolutionis, sed sub onere absolutionis in satietatem auaritiæ: Sic Glossa *cap. ad aures cap. dilectus el.1. de Simonia*, Panormit. Felin. *Præpos. & alij 1. q.1. in princ.* Hostiens. *in sum. tit. de simonia*, Turrecrem. *in cap. nullus Episcopus, 1.q.1.* vbi glossa *supplem. hab. in 4.q.2. art.2. propos.7.* Suar. *c.50. n.43.* Ratio est, quia hoc honestari facilè potest, & nullibi inuenitur expressè prohibitum, ergo, &c. Excipe electiones ad Cathedras in vniuersitate, in quibus non potes electoribus pecuniam dare, vt tibi Cathedram concedant, quamuis intelligas esse digniorem; quia hic modus repellendi vexationem in iis oppositionibus ob grauissima inconuenientia, quæ inde oriri possunt, videtur prohibitus.

PVNCTVM XXI.

Quæ sint pœnæ ferendæ vel ipso iure impositæ simoniacis.

SVMMARIVM.

1 *De pœnis ferendis quid iura statuant.*
2 *Pœnæ ipso iure latæ nullæ sunt, nisi simonia fuerit commissa in ingressu Religionis. in Ordine, & beneficio.*
3 *Proponitur obiectio: & fit illi satis.*

1. DE pœnis ferendis à iudice propter simoniæ crimen non potest aliqua regula præscribi; cum pro qualitate criminis pœna infligi debeat, vt benè notauit Salzedo *in sua pract. crim. c.91. pag.269. & aliis relatis* Menoch. *de arbitr. casu 401. in fine.* Generaliter tamen aliquæ pœnæ ex iure ipso veniunt imponendæ. Nam ex dispositione Alexand.III. & Innocent.III. Simoniacus in beneficio deponendus est ab officio, & beneficio: vt in *cap. de hoc, de simonia, & in cap. cum super, de confessis.* Quod tamen intelligi debet, quando crimen est in iudicio probatum. Et absolutè quilibet simoniacus si probetur deponendus est (hoc est) ab Ecclesia Dei debet eliminari, atque repelli, vt cauetur in *cap. sicut de Simonia*, & expressè *in cap. erga simoniacos 10.1. q 1.* vbi dicitur, deponendos esse Apostolica authoritate sancimus. Non tamen est constans inter doctores, an hæc pœna depositionis imponenda sit pro qualibet simonia, non solùm quando via accusationis proceditur, sed etiam quando via inquisitionis? Videndi sunt Hostiens. *in sum tit. de simon. §. qua pœna, Abbas. in c. inquisitionis, De accusationib.* Redoan. *4.p.c.9. à num.25.* Certum tamen est pendente infamia propter accusationem, vel inquisitionem, à monasterio altaris arceri debere, & in *c. accusatum, c. quoties de Simon.* Quod si delictum sit secretum, & occultum, non est deponendus, etsi iudici constet, sed pœnitentiam secretam debet iniungere, vt *in c. ex tua de Simon.* Vide Hostiens. *suprà.* & Gregor. Lopez *leg.11. & seq. tit.17. part.1.*

Infamia verò imponi potest pro quacunque graui simonia, constat ex Glossa *in c. ex diligenti de simonia, verbo infamia*, vbi Panormit. *à n.6.* & doctores alij, *& in c. de simoniacè eodem tit.* & colligitur ex *c. sanè 15. q.3. & in c. vlt. 1.q.3.* dicitur, nota infamiæ percellantur. Probabile tamen est non posse hanc pœnam imponi, nisi casu quo via accusationis procedatur, iuxta *c. sanè 15.q.3.*

De aliis verò pœnis excommunicationis scilicet, suspensionis, & interdicti non ita feruntur à iudice, esto possint imponi iuxta Textus *supra relatos, & referendos.*

2. De pœnis ipso iure latis affirmandum est nullam esse impositam committentibus simoniam, nisi simonia fuerit commissa in ingressu Religionis, & in Ordine, & in beneficio, docet Sylvest. verbo *simonia*, *q.19.* Nauarr. *c.23. n.111.* Vgolin. *tab.1. c.12. & tab.4. c.3.* Lessius *lib.2. c.35. dub.23.* Suar. *lib.4. c.55. n.5.* & alij ab eiusdem relati. Ratio huius conclusionis est, quia neque in decreto, neque in decretalibus inuenitur textus imponens ipso iure censuram, vel pœnam aliquam simoniacis, vt rectè expendit Suarez *suprà.* Quod verò pro illis tribus pœnæ impositæ sint ipso facto postea videbimus.

3. Dices *in extrauag. 2. de Simon. edicta à Paulo II.* quæ incipit *cum detestabile*, renouantur censuræ omnes, & pœnæ in antiquiorbus iuribus latæ, & addit Pontifex, quas ipso facto eos incurrere volumus. Cum autem in iure antiquo multæ essent simoniacis imponendæ, vt constat *ex c. reperiuntur c. erga, c. quidquid, cap. nullus Episc. cap. baptizandis cum aliis 1.q.1. & c. vltim. 1.q.3. & c. de hoc, c. veniens de simonia*, fit sane eiusmodi suspensiones, depositiones, seu priuationes, ac excommunicationes, & interdicta imponenda simoniacis, modo esse imposita ipso iure, & ita tenet Garc. *8.p. de benef. cap.1. num.44.* & specialiter de excommunicatione docet Soto *lib.9. q.8. artic.2.* quod *in supradict. extrauag. in §. statuentes* dicatur: vniuersi, & singuli, qui quomodolibet dando, vel recipiendo simoniam commiserint, aut quod illa fiat mediatores extiterint, sed procurauerint, sententiam excommunicationis incurrant. Cum ergo verba hæc generalia sint, neque ad vllam materiam videantur restricta; efficitur ex vi illorum quemlibet committentem simoniam incurrere excommunicationem Papalem.

Respondeo cum Suar. *suprà* & Felino *in c. de simoniaco de simonia* illis verbis, *quas ipso facto incurrere volumus*, voluisse Paulum secundum, vt simoniaci occulti incurrant eas pœnas (si aliquæ sint) quæ publicis impositæ de facto essent secundùm ius antiquum. Cum autem probabile sit nullam esse pœnam ipso iure impositam secundùm ius antiquum etiam publicis simoniacis: fit vt neque modo occultis sit pœna aliqua imposita ex vi illorum verborum. Adde, si ex illis verbis censuræ, quæ erant ferendæ iure antiquo, nunc essent latæ ipso iure, vt dicit Garcia, etiam pœnæ depositionis, & priuationis beneficiorum essent nunc ipso iure latæ; siquidem *extrauagans* æquè de omnibus locuta est, vt manifestè constat. Hoc autem nullus est ausus affirmare; aliàs omnes simoniaci in Ordine, & in beneficio essent ipso iure depositi, & priuati omnibus beneficiis; cum hæ sint pœnæ ferendæ pro iis criminibus. Deinde si ex illis verbis intenderet Pontifex omnes simoniacos incurrere ipso facto pœnas quæ iure antiquo erant ferendæ, frustra stabiliter specialiter pro simoniaco in Ordine suspensionem, & pro simoniaco in beneficio excommunicationem hæ pœnæ iure antiquo imponebantur ferendæ, vt constat ex supradictis textibus. Efficitur ergo ex illis verbis nullam pœnam incurrere simoniacos ipso facto præter eas (si aliquæ erant) quæ secundùm ius antiquum essent ipso facto impositæ. Quod verò de excommunicatione specialiter dicitur, *in §. statuentes*; intelligi debet iuxta præmissa. Præmiserat enim Pontifex sermonem de simonia commissa in beneficiis officiis Ecclesiasticis, & subdit: Qui quomodolibet dando, & recipiendo simoniam commiserint (vtique in beneficiis, & officiis Ecclesiasticis) aut quod illa fiat mediatores extiterint, aut procurauerint, sententiam excommunicationis incurrant, à qua nisi à Romano Pontifice pro tempore existente non possint absolui, præterquam in mortis articulo: & in hac explicatione consentit etiam Garcia *8.par.c.1. num 44. fine*

Hinc fit committentem simoniam in accipiendis, vel conferendis Sacramentis præter ordinem, in consecrationibus, benedictionibus, dispensationibus, delegationibus, & iurisdictionibus concedendis: Itemque in venditione, emptione, & redemptione, aut commutatione pensionis, vel Vicariæ temporalis, nullam pœnam ipso iure incurrere; quia non committit in Ordine, beneficio, aut ingress[illegible] religionis: pro quibus solùm pœnæ impositæ sunt ipso iure.

PVNCTVM XXII.

An requiratur ſimoniam eſſe completam, vt pœnas impoſitas ipſo iure ſimoniacus contrahat?

SVMMARIVM.

1 *Pro ſimonia mentali in quacunque materia ſit, nulla eſt impoſita pœna.*
2 *Pro conuentionali ex neutra parte completa nulla eſt pœna.*
3 *Si beneficium, ordinem, aut Religionem recepiſti, ſub parte pretij promiſſi data pœnas ipſo iure latas contrahis.*
4 *Si ſolùm ſub promiſſione pretij negant plures.*
5 *Probabilius eſt oppoſitum.*
6 *Sed poſita priori ſententia, ſi poſt multum tempus beneficij recepti detur pecunia promiſſa, an retrotrahantur pœnæ ad tempus beneficij recepti? Affirmant aliqui.*
7 *Contrarium eſt probabilius.*

1. PRo ſimonia mentali in quacunque materia certum eſſe debet, nullam pœnam impoſitam eſſe, neque aliquam oriri obligationem admittendi beneficium, neque pretium receptum, eſt communis ſententia doctorum, vt videri poteſt in Leſſio *cap.35.dubit.23. num.130.* Suarez *cap.55. num.10.* Gutierr. *canon. q. lib.2. cap.23.à n.31.* Tolet. *c.93. num.2.fine*, Pariſ. *de conſident.q.26.n.40.* Garc. *innumeris relatis 7.p. de benefic.c.1.num.41.* Probantque omnes ex *cap.mandato de ſimonia*: ibi eoſque pro ſimonia huiuſmodi (ſcilicet mentali) non teneri, ſed per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori. Neque obſtat vſurarium mentalem teneri ad reſtitutionem, *cap. conſuluit. de vſuris.* Intelligitur enim quando mutuatarius dat coactè ratione mutui, ſecus quando liberè, & ſponte dat, eſto mutuans iniquam habeat intentionem recidi ratione mutui, vt multis allegatis docet Garcia *ſuprà num.* 47.& 48. & Valent. *diſp.6. q.16 p.6. pag.1673.* Et ratio eſt, quia in vſura efficitur iniuſtitia inuoluntariè danti vltra ſortem: in ſimonia autem ſolùm fit iniuria rebus ſacris, quatenus, ac ſi venales eſſent tractatur.

2. Secundò eſt dicendum pro ſimonia conuentionali ex neutra parte completa nullas eſſe pœnas ipſo iure impoſitas, v.g. promiſiſti pecuniam, ſi tibi beneficium daretur, ex vi huius promiſſionis ante dationem pecuniæ, vel beneficij, neque manes excommunicatus, neque ſuſpenſus, aut alia pœna irretitus ipſo iure, eſto grauiſſimè peccaueris. Ratio eſt, quia omnes textus de hac materia loquentes poſtulant tealem rei ſpiritualis receptionem, vt conſtat ex *omnibus ferè capitibus 1.q. 1.* & ex *extrauag.1. & 2.de ſimonia*, imò etiamſi pretium dediſſes, ſi tamen Ordinem, aut beneficium ratione illius non recepiſſes, nullam pœnam incurreres; quia iura imponentia pœnam ſimoniacis requirunt traditionem rei ſpiritualis, vt conſtat ex adductis iuribus præcipuè *cap.Presbyter 1.q.1.* ibi ſi per pecuniam Eccleſiam obtinuerit, & *c.quos conſtituit, c.quiſquis, c.ſaluator, c.reperiuntur, c.ex multis, & alijs, & c.non ſatis, c. inſinuatum, de Simonia, & in extrauag.1.vbi de ingreſſu Religionis eſt ſermo*; dicitur ne pro ingreſſu aliquid exigat, ſed eas potius cum omni puritate recipiat, &c. & qui ſecus egerit, &c. Ergo quouſque receptio detur non incurritur vlla pœna. & in *extrauag.2.* qui eſt præcipuus textus loquens de pœnis ſimoniacorum dicitur, qui ſimoniaci ordinati fuerint, & infrà, qui quomodolibet dando, vel recipiendo vtique beneficia, de quibus ſuprà. Sit ergo certum, & indubitatum, nullam pœnam ipſo iure incurri propter ſimoniam conuentionalem, etiam ſubſecuta traditione pretij: & ita tenent omnes doctores, vt teſtatur Suarez *lib.4. de Simonia, c.56. n.16.* & tradit optimè Gutierr. *canon.quæſt.c.9 à n.8.9. 10. & ſeqq.*

3. Difficultas verò eſt, an requiratur ad pœnas incurrendas ſimoniam completam eſſe ex vtraque parte, hoc eſt & pretium eſſe datum, & beneficium receptum, vel ſufficiens ſit recipere beneficium, vel ordinem ſub promiſſione pecuniæ dandæ?

Et quidem ſi beneficium recepiſti, & pretium aliqua ex parte ſoluiſti, licet non integrè, omnes Doctores affirmant, vt teſtatur Suar. *ſuprà n.17.* ſufficiens eſſe ad pœnas incurrendas: rationem reddit, quia illa ſimonia iam eſt completa ex vtraque parte, ſiquidem res ſpiritualis data eſt, propter pretium ſolutum; ſicut è contra ſi conuentio facta eſſet de dandis ſeptem ordinibus pro centum aureis, & illis ſolutis incipere ordinari, ſtatim in primo gradu eſſet conſummata ſimonia, & pœnæ incurſæ non minus quam ſi pro illo ſolo totum pretium eſſet receptum.

4. Verùm quando recepiſti rem ſpiritualem, ſcilicet ordinem, aut beneficium ſub promiſſione pecuniæ ſoluendæ, neque tamen ſoluiſti. Eſt prima ſententia negans te incurrere pœnas à iure inflictas: ita Nauarr. *in repetit. c.fin.de ſimonia à num. 28. & in c.ſi quando, de Reſcript.excepț.4. & in ſum. c.23. à n.103.* & aliis in locis cum Caſſiodoro *deciſ.5.de conſtitut.* & ſequitur Sarnen. *de triennali quæſt.12.in fine.* Zerola *in praxi Epiſc.1.p.* verbo *ſimonia*, §.9. Couarr. *in reg peccatum*, 2.*p.* § 9. *num.7.* Salzedo *in pract. crimin.* Bernard. Diaz *cap.91 lit. D.* D. Ioann. Gutierr. *canon.quæſt. lib.1.c.9.num.10.* Flamin. Pariſ. *de reſignat.lib.7.q.2.num.16.& de conſiden.q.1.n.142.& 158.* Man. Rodrig. *2.r.ſum.c.55. n.3.fine*, & *c.56. n.6.* Valen. *diſp.6.q.16.p.6.* verſ. *præterea. pag.1675.* Leſſius, Suarez, Auila, Azor. Gonzalez, & alij innumeri relati à Garcia 8.*p de benefic.c.1. num.19.* Eſt enim hæc communis ſententia. Fundamentum eſt, quia ita habet ſtylus curiæ, neque pœnæ extendendæ ſunt, ſed reſtringendæ, præcipuè cum *extrauagans deteſtabile* æquè de datione, ac receptione pretij, & beneficij loquatur.

5. Nihilominus etſi ſupradicta ſentẽtia probabilis apud multos ſit, exiſtimo ſpectato iure probabiliorem eſſe quæ affirmat ex datione, vel receptione rei ſpiritualis ſub promiſſione pretij pœnas inflictas in iure incurri. Tenet hanc ſententiam Caietan. *2.2.q.100.art.6.& t.2.Opuſc.tract.9.de ſimon. quæſt.2. & in ſumm.* verbo *ſimonia*, Soto *lib.9. q.8. art.1.* Valen. *3.t. diſp.6.q.16.p.6.* Tolet. *lib.5.ſumm.c.92. num.3.* & aliis pluribus relatis à Garcia 8.*p. c.1.à num.28. & à num.32.* & probat variis deciſionibus Rotæ hanc ſententiam ex ſtylo curiæ eſſe receptam, & Suar. plures refert, *c.56.n.26.* & in hanc partem ſe inclinat & probatur ex *c.ea quæ 1.q.3.* vbi Gregor. VII. ſic ait: Ea quæ à ſanctis Pontificibus de ſimoniacis ſtatuta ſunt, nos quoque & iudicio ſancti Spiritus, & Apoſtolica authoritate firmamus. Quidquid ergo vel in ſacris ordinibus, vel in Eccleſiaſticis rebus, vel data, vel promiſſa pecunia acquiſitum eſt, nos irritum eſſe, & nullas vnquam vires habere cenſemus. Ergo quando beneficij collatio acquiritur propter promiſſionem pecuniæ nullas vires habet, ſed irrita omnino eſt, & ſimiliter ſi accipiatur ordo, nullas vires habebit ſcilicet quoad vſum. Ergo iam pœnæ impoſitæ ſimoniacis incurruntur, etiamſi ſimonia non ſit ex vtraque parte completa. Deinde in *extrau.2.* dicitur de ordinatis ſimoniacè, vt ſint ab Ordine ſuſpenſi; qui autem ſub promiſſione pecuniæ Ordines recepiſſet, ſimoniacè illos recepit, & non gratis, vt conſtat, incidit ergo in pœnas. Idem colligitur ex *c.2. de confeſſis* ex *c. penult. de ſimonia*; ibi: promiſſionem, vel iuramentum ab illo recipiens. Et ex *c.nobis, eodem tit.* Vbi electionem ſub promiſſione pecuniæ factam dicitur eſſe penitus reprobandam. Quæ verba denotant nullitatem ipſo iure, vt ponderat Felin. *in c. inſinuatum de ſimon.* & Garcia *ſuprà n.23.*

6. Verùm quia primam ſententiam diximus eſſe ſatis probabilem, & in praxi ſecutam, & pro qua teſtatur Gutierr. eſſe iudicatum. Ea ſuppoſita dubitant doctores; an conſequens beneficium ſub promiſſione pecuniæ, & illam poſt multum temporis ſoluens; incidat taliter in pœnas ſimoniacorum, vt ipſæ pœnæ cenſeantur incurſæ quoad omnes ſuos effectus, ac ſi à principio pactionis fuiſſent incurſæ, quæ vocatur retrotractio? Affirmant Leſſius *cap.35. dubitat.27. num.151.* cum Nauarr. *cap.23. num.104.* & explicat variis exemplis. Vnde in ſententia horum doctorum, ſi illo intermedio tempore recepiſti aliquod beneficium, collatio nulla eſt, vtpotè facta inhabili.

7. Nihilominus dicendum eſt in foro conſcientiæ nullam pœnam, neque cenſuram contrahi: quæ retrotrahatur ad tempus pactionis. Et primo de excommunicatione eſt euidens, cum excommunicatio non incurratur niſi ob contumaciam, quæ (hac opinione ſuppoſita) non committitur quouſque ſoluas pretium: illo verò ſoluto retrotrahi non poteſt, ſicut irregularitas ex homicidio tunc conſummatur, quando mors conſummatur, neque poteſt retrotrahi ad tempus inflicti vulneris, quia pro toto illo tempore neque fuit excommunicatus, neque irregularis. Ergo per nullam potentiam fieri poteſt, vt fuerit excomumnicatus aut irregularis, vt benè probat Suarez *c.56. num.37.& 38.* Idem probat de ſuſpenſione in ordine, & in *c.57.n.53.* probat collationem beneficij recepti validam eſſe, & non teneri dimittere beneficium, niſi pretium ſolueris, & in *num.56.* inclinat in foro conſcientiæ te non teneri fructus perceptos illo medio tempore reſtituere, neque obligatum te eſſe dimittere beneficia acquiſita illo intermedio tempore, quo non ſoluiſti pretium: quia hæc omnia iam ſuum effectum ſortita ſunt. Quocirca ſolùm in foro exteriori, & poſt condemnationem ſentit fructus illo intermedio tempore perceptos debere reſtitui; & adducit pro ſe Nauarr. *c.23. n.104. verſ. non ignoro*, & Leſſium *dub.27.in fine.*

PVNCTVM XXIII.

Quæ pœnæ impositæ sint ingredientibus simoniacè Religionem, vel sic ingressos recipientibus?

SVMMARIVM.

1 *Omnes habentur in extrauag. 1. de simon.*
2 *Proponitur quædam obiectio, & fit illi satis.*
3 *Non comprehendunt pœnæ Religiosum exigentem aliquid pro suo ingressu, quod intelligitur de ingressu consummato. Probabile est supradictam extrauag. non esse receptam.*

1. SVperiori puncto diximus solùm pro simonia commissa in ingressu Religionis, Ordinis, & beneficij susceptione pœnas ipso iure esse impositas, videndum nunc est, quæ sint hæ pœnæ. Et primò loquamur de ingredientibus Religionem, illósque recipientibus.

Pœnæ igitur impositæ ob ingressum Religionis simoniacum habentur in *extrauag. 1. de simonia*: ibi enim in primis fertur excommunicatio aduersus singulares personas, quæ exigunt ab ingressuro aliquid pro illius receptione in Religionem. Vnde si ipse sponte det, vel det in sui sustentationem iam supra diximus non puniri *hac extrauag.* & maximè in monasteriis monialium, vbi consuetudo obtinuit exigendi dotem, & propinas ab ingredientibus. Secundò, fertur suspensio generaliter aduersùs Capitulum, seu conuentum, si in hanc simoniam consenserint. Ratione autem huius generalis suspensionis manet Capitulum suspensum ab officio Capitulari quoad administrationem, & iurisdictionem Ecclesiasticam, non quoad alia munera. Tertiò, simoniaci admissi præter excommunicationem reseruatam, indigent dispensatione Episcopi, vt possint in eodem monasterio remanere, vt cauetur in *supraḍ. extrauag.* Quapropter tenentur ex illo monasterio exire, & in alio loco arctiori remanere: ita habetur in *cap. quoniam de simonia*: ibi tam recipiens, quam recepta vtique simoniacè sine spe restitutionis de suo monasterio expellantur, & in locum arctioris regulæ, &c. collocentur, & extenditur statutum ad omnes Religiosos, & in *cap. de regularibus, de simonia*, ait Pontifex; Respondemus, vt locum quem taliter adepti sunt omnino dimittant, & solitudines, & alia strictiora monasteria adeant. Hoc tamen intelligi debet postea quam conuicti, & condemnati sint: nam ante condemnationem non tenentur exire, vt notauit Vgolin *tab. 1. cap. 16. § 4.* Lessius *cap. 35. dub. 23. fine*, Suarez *cap. 57. num. 8.* Ratio est, quia non apparet textus clarè obligans ad supradictam pœnam, antequam à iudice imponatur. Nam efficacior est *extrauag. 1. de simonia*, quæ exigit, dispensationem Episcopi ad manendum, sed dici potest exigi dispensationem, si conuincatur, & condemnetur de crimine, vel exigi dispensationem, vt possit remanere in monasterio absque periculo illius pœnæ, & condemnationis.

2. Sed obiicit Nauarr *com 4. de Regularib. num. 25.* collatio beneficij facta simoniaco nulla est ipso iure. Ergo, Religiosus emittens simoniacè professionem, esto eius professio valida sit, non acquirit ex illa ius ad Religiosam sustentationem & locum in choro, & in Capitulo cum voce actiua, & passiua: quia hæc omnia reputantur quasi quoddam Ecclesiasticum beneficium. Ergo tenetur illud monasterium dimittere ante condemnationem, siquidem in illo sustentari non potest.

Respondeo cum Suarez *cap. 57. num. 7. & 9.* Religiosi professionem secundùm omnes doctores validam esse: sed quia ille Religiosus status media professione acquisitus, non est propriè beneficium Ecclesiasticum, sed largo modo, ea de causa non comprehenditur sub lege irritante collationes beneficiorum Ecclesiasticorum: quia lex pœnalis non debet extendi. Et alioqui simoniacus occultus cogeretur in seipsum exequi pœnam relegationis, & discessionis à suo monasterio nullo cogente, vel manens in illo non posset vti commodis, & iuribus professorum, quorum vitatio absque scandalo fieri non potest. Hæc igitur onera grauissima sunt, ac proinde imponi non debent absque expressis, & incuitabilibus verbis legis, quæ in præsenti non inueniuntur.

3. Circa supradicta notandum est cum Suar. *lib. 4. cap. 56. num. 7.* non comprehendi Religiosum exigentem à monasterio aliquid pro suo ingressu. Nam esto ibi interueniat simonia: non tamen punitur in *supraḍ. extrauag.* Secundò notandum est, probabile esse simoniam punitam in *supraḍ. extrauag.* esse solùm quæ committitur ingressu Religionis consummato, hoc est in professione. Vnde si pro ingressu Religionis ad nouitiatum exigeretur à te pecunia, esto ibi committeres simoniam, non incideres in supradictas pœnas, neque Capitulum suspenderetur, si factum retractaret pecuniam non recipiendo, vel illam reddendo ante professionem. Tertiò, notat Lessius *lib. 3. c. 35. n. 131.* ex Nauarr. & Syluest. huiusmodi extrauag. non esse receptam saltem quoad pœnam excommunicationis.

PVNCTVM XXIV.

Quæ pœnæ imponantur pro ordine Simoniacè dato, & suscepto.

SVMMARIVM.

1 *Pœna est excommunicatio ordinantibus imposita.*
2 *Expenduntur aliæ pœnæ ordinantibus impositæ.*
3 *Expenduntur pœnæ in ordinatos latæ.*
4 *Qua ratione hæ pœnæ tolli possint?*

1. QVi simoniacè aliquem ordinat, aut ad ordinem sic conferendum mediator, seu præsentator existit, eo ipso est excommunicatus excommunicatione Papæ reseruata: habetur *in extrauag. 2. cum detestabile, de simonia.* Hoc tamen secundùm probabilem sententiam non extenditur ad collationem primæ tonsuræ; quia non est verus ordo, & pœnæ debent restringi: ita Less. *lib. 2. cap. 35. dub. 23.* Neque etiam extendi debet ad Notarium, & Ministrum, qui pro literis dimissoriis, aut testimonialibus aliquid exigeret: neque etiam ad Episcopum, si post ordinem gratis collatum aliquid postea recipiat: nam esto ij omnes peccent, & simoniaci sint iuxta Trident. *sess. 21. c. 1. de reformat.* non tamen incidunt in hanc excommunicationem, neque in aliquam pœnam ipso facto: quia illa verba Concilij: Dantes, & accipientes vltra diuinam vltionem pœnas à iure inflictas ipso facto incurrant, debent referri tantùm ad dantes, & accipientes ordines, non ad alias actiones in illo cap. enumeratas: quia solùm pro dantibus, & recipientibus ordines simoniacè, aut illorum mediatoribus pœnæ ipso iure latæ sunt: & ita tradit Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 24. num. 133.* cum Nauarr. *cap. 23. num. 111.* & Suarez *lib. 4. cap. 56. num. 5.*

2. Secunda pœna ordinantibus imposita, est suspensio ipso iure à collatione quorumcunque ordinum, quæ adeo ipsius tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium: ita habetur in quadam Bulla Sixti V. contra malè promotos, quæ incipit *Sanctum, & salutare*, quam Bullam, etsi Clemens VIII. *anno 1595.* reuocauerit, & ad ius commune reduxerit, non tamen quod pœnas simoniacorum, imò potius ibi dixit se velle in suo robore persistere eas omnes, quæ sunt latæ contra simoniacè ordinantes, & ordinatos. Tertia pœna ipso iure imposita ordinanti simoniacè est interdictum ab ingressu Ecclesiæ: habetur in *supradicto motu Sixti V.* Quarta est suspensio à regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, & perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum, si interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & suspensionem à Pontificiali munere violauerint.

Circa supradicta aduerto in supradictis Bullis, & decretis nullam aliam pœnam ipso iure latam esse aduersus mediatores, seu præsentatores ad simoniacam ordinationem præter excommunicationem. Solùm suspensio per triennium ab executione suorum ordinum illis videtur imposita in *cap. penult. de simon.* vt docet Greg. Lopez *leg. 16. tit. 17. p. 1.* Suar. *c. 56. n. 15. fine, & num. 13.* quam tamen suspensionem non incurrunt, quousque ordinatio de facto fiat, vt ipsemet Suar. notauit *num. 23. fine*, verum Lessio *dub. 24. num. 134. § tertiò*, videtur attento iure antiquo nullam esse pro ordinante; & consequenter neque modò pro mediatore latam suspensionem; quia casus *illius cap. penul. de simonia*, videtur sibi esse specialis, neque continere decretum in futurum, & consequenter ad alios casus extendi non debere, & sustineri potest.

Pœnæ verò latæ in ordinato simoniacè sunt, Prima excommunicatio ipso facto. Habetur in *supradict. extrauag.* Secunda suspensio ab executione suorum ordinum: ita in *supradict. extrauag.* non solùm eius quem sic suscepit, sed etiam omnium quos habet: illa enim particula *suorum ordinum* hoc indicare videtur: & ita tenet communis sententia: Greg. Lop. *leg. 11. tit. 17. p. 1.* verb. *vedado por derecho*, Man. Rodrig *2. t. sum c. 56. n. 6.* vers. *el octauo.* Lessius *dub. 24. num 135.* & Suar. *t. 5. de censur. disp. 31. sect. 4 num 33.* quamuis probabilitate non careat, vt tenent supradicti doctores solùm extendi suspensionem ad ordinem simoniacè susceptum, non ad alios ritè susceptos, quia licet Pontifex loquatur in numero plurali, dicens; sint ab executione suorum ordinum suspensi, illa locutio pluralis correspondet plurali locutioni præcedenti, loquebatur enim de omnibus, qui ordinati sunt simoniacè, & de illis statuit, vt sint è suorum ordinum executione suspensi, hoc est quilibet à suo ordine simoniacè suscepto, & omnes simul à suis ordinibus sic simoniacè susceptis. Præterea in Bulla Pij V. edita cõtra malè ordinatos, quæ incipit, *cum primum, & est 5. in Bullario*: sic statuit: Quicunque detestabile vitiũ simoniacæ prauitatis conuictus fuerit commisisse in consequendis ordinibus;

eo ipſo ab illorum executione per decennium ſine ſpe diſpenſationis, ſit ſuſpenſus, & per annum carceribus mancipetur, & in Bulla Sixti dicitur clericos poſt hac malè promotos, ab executione, miniſterio, & exercitio ordinum ſuſceptorum, & ab omni ſpe, & facultate aſcendendi ad alios ſuperiores perpetuò ſuſpenſos declaramus. Per has autem conſtitutiones, vt benè aduertit Suarez *lib.4. c.56. n.10.* non augetur ipſo iure pœna ſuſpenſionis vltra id quod ex iure communi habetur, ſed exaggeratur difficultas obtinendi diſpenſationem, præcipuè ad aſcendendos ad ſuperiores ordines maximè ſubſecuta conuictione, & condemnatione. Deinde aliqui extendunt hanc ſuſpenſionem in ordine, vt procedat etiam ſi ſimonia commiſſa fuerit ignorante ordinato: ita Felin. *cap. per tuas, de ſimonia, num.3.* & dicit eſſe communem: idem tenet Sylueſt. verbo *ſuſtenſio num.* 7. Sed contrarium eſt probabilius, vt tenet Nauarr. *cap.25.q.68.* referens Bellarmin. & Cardin. Leſſius *lib. 2.cap.35. dub.24. num.* 136. Eman Sà verbo *ſimonia, n.12. &* 13. Ratio eſt, quia non eſt iure expreſſum, neque æquum videbatur exprimi, ſiquidem abſque eius culpa contigit: cum enim priuari debeat vſu ordinis, cum illum validè, & licitè recepiſſet: imò addunt ſupradicti doctores, te non fore excommunicatum, aut ſuſpenſum, etiamſi poſtea amico tribuas pretium, quod pro tua ordinatione dedit, facis enim ne tua cauſa damnum patiatur. Et hic modus dicendi videtur ſatis probari, in *cap. de ſimoniacè, de ſimonia*: ibi vtpotè ipſis ignorantibus ſimoniaci ordinentur, poſſint (quia ſimoniaci non ſunt) in ſuis ordinibus remanere: & quamuis Gloſſa addat ex diſpenſatione, immeritò addit, cum nullo textu expreſsè probetur neceſſariam eſſe diſpenſationem, neque incurrit ſuſpenſionem: nam *cap. præſentium 1.q.5.* quod eſt ad hanc rem efficacius ſolùm probat poſt denunciationem criminis, & illius infamiam requiri diſpenſationem: in *cap. verò de Regularib. de ſimonia*, non imponitur priuatio aliqua ipſo iure, & præcipuè hoc caput, neque alia quæ adducit Gloſſa *ſuprà* loquuntur de ordinatione, ac proinde non ſunt ad rem, cum pœnæ ex vno caſu ad alium extendendæ non ſint.

4. Tandem in ſupradicta Bulla Sixti V. abſolutio harum cenſurarum, & inhabilitatum Pontifici reſeruatur, ſimúlque reuocantur conceſſiones, & facultates Religioſis conceſſæ Epiſcopis in Trident. *in ſeſſ.24.cap.6. de reformat.* Exiſtimo tamen hac in parte non eſſe hanc Bullam receptam, imò Leſſius *dub. 24.num.134. in fine*: ait hanc Bullam pleriſque locis ignorari, ac proinde non eſſe vſu receptam. Idem indicat Sà verbo *ſimonia, num.12.* quatenus ait: ſimoniaci occulti ſuſpenſio tollitur per pœnitentiam, & manifeſti per Epiſcopum poſt pœnitentiam.

PVNCTVM XXV.

De pœnis impoſitis dantibus, & recipientibus ſimoniacè beneficium.

SVMMARIVM.

1 *Quorum beneficiorum datores, & receptores hæ pœnæ afficiant.*
2 *Prima pœna eſt excommunicatio.*
3 *Secunda pœna eſt annullatio collationis beneficiorum.*
4 *Simonia commiſſa in beneficio non priuat ipſo iure beneficiis ritè obtentis.*
5 *Fructus beneficiorum ante ſimoniam obtentorum non debent reſtitui.*
6 *Electus, vel præſentatus committens ſimoniam in confirmatione obtinenda, non annullatur eius præſentatio.*
7 *Simonia ad alia beneficia obtinenda inhabilem reddit ſimoniacum.*
8 *Quid dicendum de pœnis ſimoniæ confidentialis? Expenduntur ſupradictæ pœnæ.*

1. POnendum in primis eſt iura punientia receptiones, & collationes, aut nominationes ad beneficia Eccleſiaſtica, & officia loqui de officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis propriè; quia pœnæ reſtringendæ ſunt, & non extendendæ. Vnde penſio, & Vicaria ad nutum amobilis ſiue ſit parochi, ſiue Epiſcopi quia propriè beneficia non ſunt, non comprehenduntur ſub pœnis impoſitis recipientibus, vel dantibus ſimoniacè beneficium: & tradit expreſsè Nauarr. *cap. 23. num. 111.* & Vgolin. *tab.4.cap.5.* Suarez *cap.58. num.45.* Leſſius *cap. 35. dub.25. num.137.* Nomine autem officij Eccleſiaſtici in decretis punientibus ſimoniam in iis commiſſam, intelligitur idem quod beneficium, vt tradunt ſupradicti doctores. Neque obſtat obtinentem Abbatiam, Prioratum, Prouincialatum, Rectoratum ſimoniacè puniri pœnis impoſitis in *extrauag. 2. de ſimonia*: tum quia de iis expreſsè mentionem fecit ſupradictum decretum. Tum etiam quia in opinione Nauarr. quaſi quædam beneficia dicuntur. Quocirca officium Inquiſitoris, Legati, delegati, Vicarij, & ſimilium abſque aliqua pœna permutari, vendi, & emi poſſunt, tametſi non abſque peccato.

2. Prima pœna conferenti, vel procuranti alteri beneficium vel officium Eccleſiaſticum media electione, præſentatione, poſtulatione, inſtitutione, confirmatione, commendatione (ſi interueniat ſimonia) eſt excommunicatio ipſo facto, habetur in *extrauag. cum deteſtabile, de ſimonia: & in ſupradicto motu Pij V.* ſimiliter etiam excommunicantur mediatores, vt parentes, amici, & omnes illi, qui ſuam operam interponunt, vt beneficium ſimoniacè obtineatur. Deinde recipiens beneficium, vel officium Eccleſiaſticum etiam eſt ipſo facto excommunicatus, vt ex *ſuprad. extrauag. & motu Pij V.* conſtat & docent omnes.

3. Secunda pœna impoſita in *ſuprad. extrauag.* eſt irritatio, & annullatio prouiſionis, & collationis. Vnde nullum ius per talem prouiſionem acquiritur, & ſic recipiens beneficium, non facit fructus ſuos, ſed dub periculo animæ tenetur reſtituere. Quod verum eſt, etiam ſi ſimonia commiſſa ſit ab alio tertio, ſi tu ſciuiſti, & non contradixiſti. Habetur, *cap. nobis fuit 27. de ſimonia*, iuncta Gloſſa, & *cap. ſicut tuis 33. eodem tit.* & tradit Couarruu. *Reg. peccatum, p.2. §.7. num.7.* Leſſius *lib.2.cap. 35. dub.25. num.137.* Suarez *lib.4.cap.57. n.28.* At ſi ſciuiſti, & contradixiſti, valida eſt collatio beneficij tibi facta, vt habetur *cap. ſicut tuis, de ſimonia.* Hæc tamen contradictio nihil prodeſt, ſi ea non obſtante ante collationem ſcias pecuniam datam eſſe, & nihilominus acceptes beneficium; quia abſolutè recipis beneficium ſimoniacè datum, neque contradicis. Vnde etſi non incidas in excommunicationem; quia non es cauſa ſimoniaci contractus, efficeris tamen inhabilis ad beneficium, vt patet ex *cap. penult. de electione*, & notat Leſſius cum aliis *lib.2.cap.25. dub.15. num.143. §. ſecundus eſt*, Suarez *lib.4.cap. 59.n.29.* Quod ſi te ignorante, neque contradicente, quia nullam ſuſpicionem habuiſti ad contradicendum ſimonia commiſſa ſit ab aliquo tertio tunc ſubdiſtinguendum eſt, ſi in odium tui ſimonia commiſſa eſt non teneris beneficium reſignare; quia valide tibi collatum fuit: colligitur ex *cap. nobis fuit, &c. ſicut tuis literis, de ſimonia.* Secus ſi amicus pecuniam ſe ignorante dediſſet, teneris ſimul ac ſcieueris, beneficium, ac fructus illis dimittere, vt ex ſupradictis capitibus conſtat, & tradunt doctores ſupra relati. Adde te factum fuiſſe inhabilem ad tale beneficium retinendum *cap. nobis, fuit de ſimonia, & cap. penult. de Electione*, vbi dicitur Epiſcopum non poſſe diſpenſare in prælatura, quæ per ſimoniam tibi collata fuit, etiam te ignorante; ſecus vero ſi ſit beneficium ſimplex; ſequitur ergo te redditum eſſe inhabilem ob culpam committentis ſimoniam.

Notanda tamen eſt differentia inter hunc ignorantem, & alium qui ſcienter beneficium ſimoniacè recepit. Nam ſcienti non prodeſt regula de triennali poſſeſſore, ſicut neque intruſo, vt benè Gomez *reg. de trienn. poſſeſſ. quæſt. 12.* & ſecundùm probabiliorem ſententiam hoc extenditur ad ſimoniam conuentionalem completa ex parte rei ſpiritualis. At ignoranti ſi per triennium cum illa ignorantia poſſederit beneficium fauet ſupradicta regula, neque ei poteſt lis intentari, quia bona fide, & colorato titulo poſſeditita Gomez *ſuprà*, & Vgolin, *tab. 4.cap.6.§.9.* & Suarez *lib.4.c.57. num.9.* Leſſius *c.35. dub.25. num.140. §.quarto.* Inſuper aduerto, electionem eſſe validam, ſi commiſſa fuit ſimonia cum aliquo ex electoribus, ſi tamen alij qui non delinquunt ſufficientes ſint ita: Abbas *in cap. cum ſuper. de offic. delegat. n.13.* Suarez *5. t. in 3. part. diſput. 14. ſect. 2.* Nicol. Garcia *5. part. de benefic. cap.5. num.74.* Man. Rodrig. *t. 2. ſumm. cap.59. num.6. conſul.5.*

4. Sed dubium eſt, an ſimonia commiſſa in beneficio te priuet ipſo iure beneficiis ritè obtentis?

Reſpondeo ipſo iure te non priuari beneficiis ritè obtentis: ita expreſsè Nauarr. *conſ. 92. de ſimonia*, Vgolin. *tab.4. c.6. §.6. num.3.* Suarez *lib.4. cap.58. num 6.* Man. Rodrig. *2. t. ſum. cap.56. verſ. il nouo.* Ratio eſt; quia reſpectu beneficij acquirendi eſt lex prohibens, & annullans actum: reſpectu verò beneficiorum eſt lex pœnalis quæ non obligat vbſque ad condemnationem, vt probat Caſtro *de lege pœnali, lib.2.c.19.* Couarruu. *in cap. cum omnes, num.9. de Teſtamentis, & in 4. decret. 1. part. cap.6.§.8. num.10.* Nauarr. *cap. 13. num.50.* Præterea quia nullibi eſt expreſſa talis pœna, ſcilicet priuatio ipſo iure beneficiorum ritè obtentorum cum eo rigore: nam licet in *cap. inquiſitionis, de accuſationib.* dicatur obtinentem beneficium ſimoniacè eſſe impedimentum à retentione beneficij, etiam poſt peractam pœnitentiam, intelligendum eſt à retentione eiuſdem beneficij, vel intelligi debet à retentione cuiuſcunque beneficij ſecuta ſententia condemnatoria, ſiquidem ibi æquiparatur ſimoniacus homicidæ, qui beneficiis non priuatur ipſo iure ante ſententiam, ſed venit priuandus, vt colligitur ex *cap. clericus, ne clerici, vel monachi*: ibi honore priuetur, & docet Nauarr. *c.58. de ſimon. n.5 fine.*

5. Ex iis infero primò fructus beneficiorum ante ſimoniam

niam obtentos non esse ipso iure restituendos: siquidem habito iure ad beneficia, & in fructus habetur: & ita tradit Suarez *lib. 4. de simon. c. 58. num. 8.* Per sententiam autem priuari potest illis fructibus, non quia non percepti sunt ex beneficiis post commissum delictum, sed quia potest ei imponi pœna pecuniaria pro delicto simoniaco; sicut & pœna corporalis, quando delicti grauitas id postularet: sententia autem cõdemnatoria in fructibus ad ipsos fructus terminari debet. Neque sufficit, si sit condemnatoria, & priuatiua beneficiorum, vt intelligamus ad fructus perceptos extendi; si quidem sunt res omnino distinctæ, vt rectè Suarez *c. 58. num. 8.* verum Rebuff. *de pacificis possession. n. 265. & pract. benefic. tit. de modis amitt. beneficia, n. 33. & seqq.* & Bernard. Diaz *in pract. c. 135.* existimant priuari posse fructibus perceptis, de beneficiis acquisitis ante simoniam, quasi retrotrahendo priuationem beneficij, vt in hæretico, iuxta *c. cum secundum leges, de hæreticis in 6.* Sed quod diximus est probabilius.

6. Infero secundò, electum, vel præsentatum committentem simoniam pro confirmatione, non obinde eius electionem, vel præsentationem ritè factam annullari: & tradit Lessius *lib. 2. c. 35. dub. 25. num. 138.* & Suarez *lib. 4. c. 58. num. 6.* & colligitur ex *c. confirmationem. de electione in 6.* vbi non censetur prior actus irritus ob irritationem posterioris. Per sententiam autem venit irritanda electio illius qui pro confirmatione simoniam commisit: vt tradit Vgolin. *tab 4. c. 6. n. 4. §. at quid*, cum Felino, & aliis *in c. sicut tuis, de Simonia.* Verum si in electione, vel præsentatione simonia commissa fuerit, omnes actus subsequentes sunt irriti; quia validi esse non poterant absque illis. Non enim confirmatio valida esse potest, sine eo quod electio valida proponatur.

7. Rursus inquires; an hæc simonia te constituat inhabilem ad alia beneficia obtinenda? Respondeo probabilius esse iuxta Constitution. Pij V. te ipso iure inhabilem reddi, inquit enim Pontifex illis scilicet beneficiis per simoniam acquisitis sit ipso iure priuatus, & perpetuò sit inhabilis ad ea, & quæcunque alia beneficia Ecclesiastica obtinenda: & ita tradit Suarez *lib. 4. c. 58. num. 11.* Verùm Nauarr. *conf. 92. de simon* existimat inhabilitatem ad beneficia obtinenda ipso iure non incurri: quia in hac parte ista constitutio non est recepta, & consentit Suarez *suprà*, & Lessius *c. 35. dub. 26.* cum etiam respectu simoniæ confidentialis requirat sententiam declaratoriam criminis ad inhabilitatem contrahendam respectu aliorum beneficiorum.

8. Sed quid de pœnis simoniæ confidentialis? Respondeo pœnæ impositæ committentibus crimen confidentiæ iuxta supradicta sunt. Prima: excommunicatio Papæ reseruata tam dantibus, quam accipientibus. 2. Episcopis, & collatoribus interdictum. 3. Resignatio, & collatio beneficij nulla. 4. Inhabilitas ad idem, & ad alia beneficia obtinenda. 5. Reseruatur illud beneficium in quo hæc simonia est commissa sedi Apostolicæ, ita vt ordinarius non possit in illius prouisione se intromittere. 6. Fructus malè percepti cameræ Apostolicæ applicantur. 7. Priuat committentem omnibus beneficiis, & pensionibus antea obtentis, & inhabilitatem inducit ad alia obtinenda.

Circa supradicta aduerto, has pœnas ipso facto incurri, vt constat ex *extrau. Pij IV.* incipiente: *Romanum, &c.* quæ est 109. in Bullario; & ex Constitutione Pij V. incipiente, *Intolerabilis*, quæ est 87. *in ordine.* Excipitur tamen primò priuatio beneficiorum antea possessorum: hæc enim requirit saltem sententiam declaratoriam criminis, vt tenet Suarez *lib. 4. de simon. cap. 43. n. 13. & 14.* Secundò excipitur inhabilitas ad reliqua omnia beneficia, quæ etiam expostulat sententiam declaratoriam criminis iuxta receptum vsum: ita tenet Lessius *lib. 2. c. 35. dub. 26. n. 147.*

Deinde est notandum necesse non esse simoniam compleri ex vtraque parte, hoc est beneficium datum in confidentiam iterum renuntiari, sed sufficit, si beneficium detur ea conditione, vt dimittenti, vel alteri resignetur, vel fructus illius soluantur, & ea intentione recipiatur, vt habetur in supradictis Bullis: & notauit Lessius & Suarez *suprà*, & Nauarr. *cap. 23. n. 100. vers. secundò nota.* & Man. Rodriq. verbo *simonia, c. 56. n. 7. vers. il 2. se ha de notar.*

De mediatoribus, & interuentoribus in supradictis Bullis nihil expressè cauetur, quare solùm ex *extrau. 2. de simonia*, incidunt in excomunicationem secundùm probabilem sententiam, quando simonia ex vtraque parte completur, & secundùm probabiliorem, quando beneficium ea conditione recipitur.

PVNCTVM XXVI.

An acquisita per simoniam debeant restitui?

SVMMARIVM.

1 *Nihil spirituale excepto beneficio debet restitui.*
2 *Proponitur obiectio, & soluitur.*
3 *Pretium receptum ob beneficium, vel aliud spirituale, si beneficium non dediſti, teneris danti restituere.*
4 *Si dediſti beneficium, etiam teneris restituere ante sententiam.*
5 *Expenditur cui est facienda restitutio.*
6 *Pro alia quauis simonia receptum non debet restitui ante sententiam.*
7 *Quid dicendum in aliis simoniis stante iure natura.*

1. CVm acquisita per simoniam in duplici differentia esse possint, alia temporalia, alia verò spiritualia. Dicendum in primis est de spiritualibus obnoxia non esse restitutioni neque ex iure diuino, neque Ecclesiastico præter beneficia: est communis sententia doctorum, vt testatur Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 29. & 30. in princ.* Suar. *lib. 4. cap. 59. à num. 28.* Ratio est; quia iure diuino solum requiritur ad validam translationem rerum spiritualium potestas, & intentio in conferente, & capacitas in suscipiente. Quod autem fiat pro pretio, vel sine vllo non obstat validitati actus, vt constat in omnibus Sacramentis si pro pretio essent administrata, & in consecratione Ecclesiæ, altaris, & similium. Et de professione Religionis etiam certum est, neque iure diuino, neque Ecclesiastico irritam esse propter pretium factam, vt colligitur manifestè ex *c. veniens, de simonia.* Quocirca si compares reliquias sanctorum, grana benedicta, ius patronatus, licentiam eligendi confessorem pretio aliquo, non teneris ea dimittere, siquidem non peccasti contra iustitiam dando pretium pro illorum acquisitione, sed solùm peccasti contra Religionem indebitè tractando res Ecclesiasticas. Solùm excipiuntur (vt dixi) beneficia, quæ si per simoniam realem acquiras, teneris dimittere iure Ecclesiastico ob *extrauag. cum detestabile, de simonia*: est enim collatio irrita.

2. Obiici potest *c. fin. de Pactis, c. præterea, de transactionib.* vbi omnis pactio, transactio in spiritualibus nullius esse momenti censetur: si igitur nullius est momenti, tenetur sic acquirens rescindere contractum, & rem spiritualem relinquere. Respondet Lessius *c. 35. dub. 30. n. 168. fine*, rem spiritualem, quæ restitui potest, esse restituendam, si pretium reddatur, quod pro ea datum fuit; secus verò si pretium non reddatur; aliàs cogetur vna pars rescindere contractum nulla sibi facta compensatione. Secundò tamen respondeo cum Suar. *lib. 4. c. 60. n. 4.* supradictos textus, & similia loqui solùm in materia beneficiali. Quod si velis vt loquantur in omni materia, dicendum est loqui de pactione inducente obligationem in futurum, quæ omnino est irrita, & nullius momenti, vtpotè quæ obligat ad malum, & peccatum, non de actione, seu traditione, qua de facto res spiritualis pro temporali donatur.

3. Maior est difficultas de pretio recepto pro spiritualibus: qua ratione teneatur quis ad illius restitutionem.

Primò certum esse debet, si accipias pretium, vt conferens beneficium, vel aliud quoduis spirituale, te teneri ad restitutionem non impleta conditione: in hoc omnes conueniunt: imò teneris restituere danti quia nullibi cautum est alteri restitutionem esse faciendam: ita Caiet. *in summ.* verbo *simonia, c. 3.* Victor. 2. *p. relect. n. 6.* Nauarr. *cap. 23. num. 104.* Sotus *quæst 8. art. 1.* Suarez *lib. 4. cap. 59. num. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 31 num. 170.* Non tamen repeti potest à dante propter turpitudinem admissam, vt benè Couarr. *ad reg. peccatum. part. 2. §. 2. num. 8.*

4. Secundò certum est, ex iure Ecclesiastico pretium receptum, pro præsentatione, collatione, confirmatione, &c. beneficij debere necessariò restitui ante iudicis sententiam: ita multis relatis docet Suar. *lib. 4. cap. 60. num. 3.* Lessius *dub. 30. num. 169.* & expressè deciditur in *cap. de hoc, de simonia*: vbi Glossa, & doctores: ait enim Alex. III. scribens ad Toletan. Archiepiscopum. Regem, & principes eius debes inducere, vt si quæ receperint à præfato Episcopo; vt eius electioni præstarent assensum, Ecclesiæ Exomiensi sine diminutione restituant, cum ea sine graui suæ salutis periculo retinere non possint.

5. Petes, cui debeat fieri hæc restitutio? Respondeo ex iure communi faciendam esse Ecclesiæ, in qua est beneficium, & constat manifestè ex *supract. cap. de hoc*: & ita docuit D. Thom. *q. 100. art. 6. ad 3.* Potest tamen fieri pauperibus de arbitrio superioris, vt tenet, ibi D. Thom. & Doctores: imò fieri posse pauperibus ex consuetudine recepta: tenent multi allegati à Couarr. *reg. peccatum, 2. part. §. 3. n. 6.* & fauet D. Thom. *2. 2. quæst. 32. art. 7.* vbi dicit pretium simoniacum non esse restituendum danti, sed in eleemosynas erogandum. Aduerto tamen non videri improbabile pretium acceptum pro donatione beneficij restitui posse ante sententiam iudicis ei qui dedit post sententiam, cui iudex addixerit: Sic Sotus *lib. 9. q. 8. art. 1.* & Bannez *2. 2. quæst. 32. art. 7.* Arag. *2. 2. quæst. 100 art. 6. vers. ad 2. argum. pag. 1135.* Man. Rodrig. *2. tit. sum. cap. 66. num. 4.* & reputat probabile Lessius *dub. 31 num 171.* & Valen.

disp.6.quæst.16. part.6. vers.*sed quæret aliquis pag.1675.* Ratio est; quia dans pretium non abdicauit à se dominium, cum non alia ratione intenderit abdicare, nisi quatenus in venditorem, transferret; non transfert in venditorem, quia incapax est, manet ergo apud ipsum. Quod si dicatur Ecclesiam priuare emptorem dominio pecuniæ datæ. Respondetur, facilè, hoc non fieri nisi per legem pœnalem, quæ neminem ante sententiam re sua priuat. Item quia nulla est lex pœnalis obligans clarè, vt pretium sic acceptum dantibus non restituatur. Nam esto in *cap. de hoc*, dicatur debere restitutionem fieri Ecclesiæ, hoc tamen videtur accipiendum per condemnationem. Nam sine illa solùm infertur debere restui; eoquod non possit sine graui salutis periculo retineri.

6. Tertio dicendum est, pretium receptum pro qualibet alia simonia iure Ecclesiastico restituendum non esse ante iudicis sententiam quia nullo decreto habetur expresse. Ita Suar. *lib.4.cap.60 num 9.& 11.* & Lessius *lib.2.cap.35.dub.30.circa finem.* & constat primo de simonia ob ingressum Religionis ex *extrauag. sanè de simonia*: vbi permittitur acceptum retineri, modo in priuatum vsum Abbatis, vel Abbatissæ non conuertatur, sed in communem vsum conuentus. Neque obstat *cap. veniens, de Simonia*, vbi mandat Pontifex suo legato, vt Abbatem, & monachos, qui pro receptione in monasterium pecuniam receperunt, ad illam restituendam compellat: quia compelluntur ad pecuniæ restitutionem, dum ipse religiosus compellitur in alio monasterio deseruire. Quia tamen religiosus sic ingressus ante sententiam iudicis non tenetur monasterium relinquere, vt supra diximus: & docet Suar. *illo cap. 60.num.11.* sic sanè neque Abbatem, & monachos teneri pecuniam restituere ipsimet religioso, quod ideo est, quia religiosus ad aliud monasterium transiens iustum erat, vt secum pecuniam datam ferret in alimenta: dum autem in eodem monasterio manet, pussunt Abbas, & monachi retinere pecuniam, neque tenentur restitutionem facere: præcipuè cum restitutio iuxta illum textum ei facienda sit, qui capax non est proprietatis, dominij, sed eo ipso quod pecuniam acciperet, in monasterium transferenda esset. Quod si ipse religiosus sponte sua, & absque sententia vellet illud monasterium relinquere, & aliud ingredi, tunc sanè teneretur Abbas, & monachi illius primi monasterij restituere pecuniam secundo monasterio ex iure naturæ; quia ipsi non hebent titulum, ob quem talem pecuniam retineant, vtpote quia onus non subeunt alendi religiosum. Adde ibi dici posse illum **F.** Presbyterum, ante professionem consuluisse Pontificem de conuentione cum monasterio facta, aliàs non mandaretur pecunia ei restitui, si quidem illius non erat capax facta professione. Et in hoc sensu iure naturæ tenebantur Abbas, & monachi ei pecuniam restituere. Tum quia deceptus illam dederat, putans esse de consuetudine monasterij. Tum & præcipuè quia causa ob quam data fuit pecunia adimpleta non fuit; si quidem erat professio facta: Quapropter in nullo sensu ex hoc textu colligi potest teneri monasterium restituere pecuniam acceptam. De Simonia autem in ordine, & in aliis materiis nullum etiam Ecclesiasticum ius inuenitur obligans ad restitutionem pretij ante sententiam iudicis. Nam in *cap.audiuimus* præcipitur, vt si aliquid Episcopi exegerint, vt permittant in Ecclesiis sibi subiectis clericos instituì, monachos profiteri, mortuos sepeliri, restituant duplum in vtilitatem loci in cuius dispendium id factum est: sed hæc omnia intelliguntur post sententiam, vt ibi Abbas notauit cum aliis & Suar. *lib.4 de Simon. cap. 60. num.13.*

7. Quartò dicendum est, si secundùm ius naturæ loquamur, recipiens pecuniam pro administratione Sacramenti & Sacramentalium, non tenetur restituere, quia ministris, & dispensatoribus debetur congrua sustentatio. Vnde hic solum peccat in modo recipiendi; quia scilicet recipit pro re spirituali. Quare si mutet intentionem, & recipiat, aut retineat in stipendium sibi debitum, non peccabit. Quod si vltra congruentem sustentationem recipiat, tenetur restituere; quia illicitum est, & contra iustitiam.

Pro Sacramentalibus permanentibus, si fortè ex eorum datione aliquod damnum pateris vel corporale vel spirituale, poteris absque iniustitia (esto non absque Simonia) exigere quanti in animo tuo æstimas incommodum illud, v.g. Priuas te reliquiis sanctorum, vel corona benedicta &c. poteris absque iniustitia pro iis pretium exigere: non enim iure naturæ obligaris hoc incommodum patitita expressè Lessius *lib.2.cap.35. dub.28. num.158. & num.162.* esto contra teneat Suar. *lib.4. cap.59 num.42.* probatque solum ab inconueniente; eo quod absque iniustitia posses Missam vendere distincto pretio ab stipendio propter incommoditatem, quam pateris priuando te illo fructu, quem alteri applicas, & alias posses satisfactiones proprias absque iniustitia vendere. Sed hæc omnia non multum vrgent, etiamsi admittantur: fatemur enim esse grauissimum peccatum contra religionem hæc omnia venalia facere, non tamen contra iustitiam; ac proinde iure naturæ, imo neque Ecclesiastico obligatum te esse restituere.

PVNCTVM XXVII.

Quomodo Simoniæ crimen probari possit, vt Simoniaci puniantur, & condemnentur?

SVMMARIVM.

1 *Notorietate criminis probatur.*
2 *Coniecturis, & præsumptionibus probari potest: & quales ha debeant esse.*
3 *Qualiter socius criminis in hoc delicto possit esse testis.*
4 *Sententia data appellatione non suspenditur in iis, quando ipso iure pœna imponitur.*

1. DE iis optimè tractat Flamin. Paris. *lib.14. de resignat. quæst.8. & 9. & seq.* & Rodoan. *de Simonia p.4. c.6.* Mascard. *de probat. concl.1304. & seqq.* Fatin. *cons.75.* Ex illis breuiter accipe.

Primò probanda venit Simonia criminis notorietate, *c. de manifesta cum duobus seqq. 2. q. 1.* Secundò euidentia facti, cum quis in crimine comprehenditur: *cap. si quis Diaconus 50.dist.cap.si quis clericus.83.dist.cap.Presbyter.53.dist.* Tertiò ex partis confessione *cap. Præsbyter.15.q.5.cap. de soc. Simonia.* Et ampliatur etiamsi illa confessio fuerit facta in iudicio criminali, vt constat ex decisionibus allegatis à Parisio *supra num.6.* Quartò per famam. Quintò per instrumentum in quo adest promissio, vel pactum. *cap. placuit,16.quæst.3.* Sextò per correspectiuitatem hoc est, quando vnus actus fit propter alium, vt si renunciasti mihi beneficium, & ego consensi pensioni, vel aliam renunciationem in tui fauorem feci coram eodem notario, testibus, & eodem die seu vt dicitur incontinenti: tunc enim inducitur sufficiens præsumptio simoniæ: qua ratione in *cap.emendari.104.1. quæst.1.* prohibetur ne in baptismo manus in concham mittatur, ne sacerdos quod gratis accepit, pretio dare videatur. Quod si diuersis temporibus fiat, non est sufficiens probatio simoniæ, vt multis doctoribus, & decision. probat idem Patis. *lib.14. quæst.9. à n.9. vsque ad finem quæst. & num.20.* notat notarium de instrumento Simoniaco rogatum non posse apponere de Simonia vigore illius instrumenti Simoniaci per ipsum confecti, quia detegeret suam turpitudinem.

2. Dubium tamen est; an coniecturæ, & præsumptiones sufficiant ad probandam Simoniam? Respondeo sufficere: ita tenet communis sententia, Abbas *in cap.insinuatum de Simonia*, Menoch. *cons.67.num.7. volum.1.* Salzed. *in pract.crim. cap.91.pag.271.* vers.*sola signa* Felin. Roland. Iulius Clar. & alij quos refert, & sequitur Flamin. *lib.14. qu.8.n.1.* Ratio est, quia Simoniæ vitium inter grauiora crimina reputatur, comparatur enim homicidio, hæresi, & idololatriæ, in quibus per præsumptiones, & coniecturas probatio fit. Debent tamen præsumptiones, & coniecturæ esse euidentes, & reum de crimine conuincentes: *Glossa vlt. in cap. insinuatum, de Simonia*, debénique plenè probari, vt docent omnes teste Alexand. de Neuo *cons.64.num.2. & seq.* Iulius Clarus §. *Simonia in fine, & §. vlt.q.20.* & multis allegatis docet Flamin. *lib.4. de resignat quæst.8.num.14.& seq.* & Salzedo *vbi suprà*, & Azebedo *cons.50.num.4.* cum Baldo *in leg. singuli, Cod. de probationib.* & facit *lex 12.tit.14 part.3.* Probatio tamen vnius coniecturæ, & præsumptionis non sufficit sed necessariò debent esse duæ præsumptiones cum aliis indiciis integrè probatæ, & hæc plenam facere probationem docet Abbas *in cap.tertio loco in fine de probationib. num.5.6. & 7.* & tradit Ildefons. de Azebedo *cons.28. num.94.* Vnde quælibet præsumptio, & coniectura debet esse in suo esse perfecta, & omnino conuincens; aliàs nullius erit momenti. Neque iungendæ sunt præsumptiones, ita vt ex pluribus illegitimis probationibus vna conualescat, vt testatur Antonin. Gom. *t.3.var. cap.12. num.28.* Mascard. *de probat.t.1.conclus.1224. num.33.* Menoch. *de præsumpt.lib.1. quæst.46.* & melius Antonin. Gabriel. *in conclusion. suis tit. 1. de probat.concl.1. per totam*, & alij, quos sequitur Azebedo *cons.30.num.43.* Quocirca in coniecturis, & præsumptionibus, quæ apponuntur in Bullis Pij IV. & Pij V. ad probandum crimen confidentiæ conueniunt doctores non quamlibet ex illis ritè probatam inducere probationem euidentem criminis commissi, sed quælibet ex illis ritè probata inducit præsumptionem, & aliis concurrentibus coniecturis plenam probationem, vt eruditè tradit Flamin. Parisius *de consiben. quæst.27. 31.32.34.49. & 77.* & Garcia *de benefic.11. part.cap.3 num. 297. & seq.*

3. Secundò dubitatur, an particeps delicti possit, esse testis in hoc delicto? Huis dubitationi sufficienter satisfecimus tractatu de fide *disp.3. part.15.* ibi enim diximus in iis criminibus exceptis socium criminis admitti ad testificandum, si tamen non fuerit simul socius muneris, neque crimina iter procedat ii, sed solum ciuiliter, vt habetur in *cap.Mediatores 1. de testibus,*

testibus, lib. 6. esto secundùm leges, & praxim receptam etiamsi criminaliter procedatur, socius criminis admittitur ad testificandum contra socium, & eius testimonium non solum est indicium, sed etiam ferè semiplenè probat, Vide Flamin. Paris. *lib. 14. de resign. quæst. vlt.*

4. Tandem aduerto concluſa probatione, ſi detur ſententia aduerſus Simoniacum appellatione non ſuſpendi, ſed mandari debere executioni in iis, in quibus ipſo iure imponitur pœna. Nam in iis pœnis, quæ imponuntur ipſo iure, ſententia declaratoria facit tranſire in rem iudicatam, vt reſoluit Ananias, & Felin. *in cap. ſicut, de Simonia*, & Maranta *de ordine iudiciar. 6. part. act. 2. n. 187.* qui affirmat in hoc caſu non eſſe acceptandam appellationem, & Man. Rodrig. *2. 1. ſum.* verbo *Simonia, cap. 56. num. 6. in fine, ante 7. concluſ.* dicit in praxi ita eſſe receptum.

PVNCTVM VLTIMVM.

De poteſtate diſpenſandi cum Simoniacis.

SVMMARIVM.

1 *Solus Pontifex ante contractam Simoniam habet hanc poteſtatem, illa contracta in pœnis ferendis aliquando Epiſcopus.*
2 *Quis poſſit ab excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto abſoluere?*
3 *Quis ab inhabilitate ad beneficia? Probabilius eſt ſolum Pontificem diſpenſare poſſe.*
4 *Probabilitate non caret poſſe Epiſcopum ſi occulta ſit.*
5 *Sic diſpenſatus ſine alia bona collatione beneficium poſſidere poteſt.*
6 *Limitant aliqui, dummodo beneficium ſit de collatione ordinarij diſpenſantis.*
7 *Non approbatur limitatio.*
8 *Forma ad diſpenſandum nulla eſt præſcripta.*
9 *Si inhabili Pontifex concedat beneficium, cum illo illa in parte diſpenſat.*
10 *Proponitur obiectio, & ſoluitur.*
11 *Vt licitè tamen diſpenſationem Pontifex concedat, cauſam aliquam habere debet.*

1. ANte contractam Simoniam clarum eſt ſolum Pontificem poſſe diſpenſare: illa verò contracta eſt diſtinguendum de pœnis ipſo iure latis; vel ferendis, ſi iam per ſententiam ſunt impoſitæ. Et quidem pœnæ ferendæ, quales ſunt diſpoſitæ, infamia, vel ſuſpenſio ſi à iudice propter crimen Simoniæ in iudicio probatum infligantur, nec vtique durante tempore, pro quo inflictæ fuerunt, poſſunt à iudice auferri. Probabile tamen eſt, ſi imponatur alicui ſuſpenſio triennalis, poſſe ab Epiſcopo ante tempus tranſactum auferri. Idem eſt in ſuſpenſione qualibet ab officio, vel beneficio: quia eius eſt abſoluere cuius eſt ligare. Secus vero dicendum videtur de infamia, & depoſitione; quia hæc non abolentur niſi à Pontifice, cum ex ſuo genere ſint perpetuæ.

2. Quod ſi de pœnis ipſo iure latis loquamur. Prima pœna eſt excommunicatio lata in dantes ordinem, beneficium, aut religionem, vt diximus, à qua excommunicatione ſolus Papa de iure communi poteſt abſoluere; quia ipſi eſt reſeruata. Ex particulari priuilegio Epiſcopus, & religioſi mendicantes modo non ſit excommunicatio publica, & ad forum contentioſum deducta.

Secunda pœna eſt ſuſpenſio in eo qui Simoniacè fuit ordinatus, cuius ſuſpenſionis abſolutio quoad illum ordinem Simoniacè obtentum reſeruatur Pontifici *in cap. penult. de Simonia*: & *ibi* Gloſſa, & communis Doctorum. Et ſine huius abſolutione non poterit quis ad ſuperiores ordines aſcendere, vt bene aduertit Suar. *lib. 4. de Simonia, c. 61. n. 5.* De ſuſpenſione autem aliorum ordinum legitimè receptorum, esto probabile cenſeat Suar. *ſup.* poſſe Epiſcopum abſoluere, probabilius cenſet oppoſitum. Quia videtur eſſe quædam lex impoſita ipſis Simoniacis, vt non poſſint ad ſuperiores ordines aſcendere, ſed ſpe diſpenſationis careant, vt loquitur Sixtus V. *in ſua conſtit. contra male promotos*, quam in hac parte confirmauit Clemens VIII. Idem dicendum eſt de ſuſpenſione incurſa ab ordinantibus Simoniacè, vel à mediatoribus Simoniæ, & de ſuſpenſione incurſa à capitulo, vel conuentu regulari propter Simoniacam receptionem religioſi: quia ſimiliter Pontifici reſeruatur.

Pœna item expulſionis à monaſterio, cum non incurratur ante condemnationem, non indiget diſpenſatione; poſt condemnationem, ſolus Papa diſpenſat, niſi in caſu ignorantiæ, iuxta *cap. de Regularibus, de Simonia*, vel in caſu neceſſitatis, iuxta *cap. quoniam, eodem tit.* vt optimè aduertit Suar. *lib. 4. de ſim. cap. vlt. n. 7.*

Alia pœna eſt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, quod incurritur ab ordinante Simoniacè, vel à prælatis recipientibus beneficium in confidentiam, à qua pœna ſolus Papa poteſt abſoluere: quia ſibi reſeruat abſolutionem.

Aduerto tamen ab omnibus iis cenſuris, ſi publicæ non ſint, vel ad forum contentioſum deductæ, poſſe Epiſcopum abſoluere virtute Trident. *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* ita Suar. *lib. 4. cap. 61. n. 11. in medio.* Neque obſtat Bulla Pij V. prohibens hanc facultatem, quia in hac parte non videtur recepta, vt notaui *ſuprà* cum Eman. Sà *verb. Simonia, n. 12.* Leſſio *dub. 24. n. 134.*

3. Difficultas eſt, an inhabilitas, quàm contrahunt recipientes Simoniacè beneficium poſſit ab Epiſcopo tolli. In qua re primò dicendum eſt, ſi ignorante beneficiato Simonia commiſſa fuit, & ipſe bona fide beneficium recepit, poterit Epiſcopus, ſi beneficium ſit ſimplex, poſt liberam illius reſignationem, iterum illud beneficium eidem conferre: Secus verò ſi beneficium maius ſit; tunc enim non poterit pro illa vice, quia debet prius alteri conferre, & poſtea ſi vacet, poterit huic ignoranti Simoniam conferre: quæ omnia habentur *in ſuprad. cap. penult. de electio.* Quod ſi ſcienter Simoniam commiſerit, communis ſententia Doctorum eſt non poſſe Epiſcopum diſpenſare, ſed ſemper inhabilem eſſe ad illud beneficium habendum, etſi fuit Simonia confidentialis ad omnia beneficia, quouſque Pontifex diſpenſet. Neque in priuilegio conceſſo à Trident. circa caſus occultos, hic comprehenditur. Tum quia hic non eſt caſus occultus pertinens ad abſolutionem Sacramentalem. Tum etiam quia non eſt cenſura, neque irregularitas, ſed quædam vindicatiua pœna. Tum denique quia illa pœna introducta eſt poſt concilium: & conſequentet facultas data à concilio non extenditur ad caſus noua lege Pontificia reſeruatos poſt concilium, vt reſpondit Gregor. XIII. audita relatione congregationis, prout refertur *Volum. 4. deciſionum Rotæ* per Farinac. *fol. 77.* Adde hoc eſſe expreſſe declaratum à congregat. Cardinal. vt in ſupradicto loco referatur; vbi *in §. ex delicto occulto*, dicitur: Epiſcopus etſi in Simonia occulta diſpenſare poſſit, non poteſt tamen Simoniacum rehabilitare ad beneficia in poſterum obtinenda, neque ad ea retinenda, quæ per Simoniam occultam obtinet, *pag. 77. verſ. an Epiſcopus*: vbi dubitatum fuiſſe refertur, an Epiſcopus ex vi huius capitis poſſit abſoluere ſacerdotem ſibi ſubditum à Simonia occulta, & rehabilitare ad ordines, & beneficia tam obtenta, quam obtinenda, reſpondetur his verbis: Congregatio cenſuit potuiſſe abſoluere, & ad ordines rehabilitare, & beneficia tam obtenta, quam obtinenda, ſed non ad beneficia, quibus propter Simoniam priuatus fuiſſet, vel ad obtinenda.

4. Verum etſi hæc ſententia probabilior ſit, & in praxi ſequenda. Nihilominus tamen exiſtimo eſſe ſatis probabile poſſe Epiſcopum diſpenſare cum Simoniaca occulto in inhabilitate contracta propter Simoniam: ita cenſet Henriq. *lib. 13. de excommunicat. cap. 56. num. 1. & in com. litt. F.* Leonard. Leſſius reputat probabilem *lib. 2. cap. 35. dub. 25. num. 140.* conſentit Suarez *lib. 4. cap. 61. num. 11.* ait enim verius eſſe non extendi facultatem concilij ad diſpenſandum in hac inhabilitate Indicat ergo oppoſitam ſententiam veram eſſe, & ſaltem probabilem. Ratio eſt, quia hæc inhabilitas, vt probat Hentiquez eſt quaſi quædam irregularitas: conceſſa ergo facultate diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, videtur ad hanc inhabilitatem extendi. Neque obſtant deciſiones Cardinalium. Tum quia illis deciſionibus etſi magnæ ſint authoritatis non eſt neceſſariò ſtandum, vt expreſsè dicit Sanchez reſpondens cuidam deciſioni Cardinalium *lib 8. de matrim. diſp. 2. num. 10 circa finem*, & de ſtylo curiæ, & deciſionibus Rotæ docet ſimiliter Vaſq *tit. 2. in 2. D. Thom diſp. 177. cap. vlt. num. 75.* vbi optimè probat declarationes. deciſioneſve Rotæ non habere vim legis. Adde ſupra dictas declarationes facilè explicari, vt ſcilicet intelligantur non poſſe Epiſcopum diſpenſare cum Simoniaco inhabili ad obtinenda beneficia, quibus priuatus fuit per ſententiam: nam ante ſententiam benè poterat: Et hæc explicatio fundantur in vltima declaratione Cardinalium: cum enim ibi dicat congregatio, Epiſcopum poſſe abſoluere Sacerdotem ſibi ſubditum à Simonia occulta, & rehabilitare ad ordines, & ad beneficia tam obtenta, quam obtinenda, poſtea ſubdat, ſed non ad beneficia, quibus propter Simoniam priuatus fuiſſet, vel ad obtinenda, ne inquam huiuſmodi poſteriora verba prioribus aduerſentur, neceſſariò debent intelligi de beneficiis per ſententiam priuatis. Quare ante ſententiam, & in foro conſcientiæ bene poterit Epiſcopus cum ſic inhabili diſpenſare.

5. Ex qua doctrina efficitur hunc obtinentem beneficium Simoniacè, ſi diſpenſatus ſit ab Epiſcopo in cenſuris, & in hac inhabilitate poſſe ſine alia collatione poſſidere beneficium. Tenet expreſsè Suar. *tom. 5. in 3. part. diſp. 13. ſect. 1. num. 34. fine*, cum Abbate *in cap. expoſtulaſtis, de clerico excommunicat. miniſtr.* & ſumitur ex ipſo textu, ibi enim dicitur non poſſe ipſum clericum ſic delinquentem retinere beneficium, niſi cum illo fuerit miſericorditer diſpenſatum. Ergo poſita diſpenſatione

ſatione benè poterit retinere : cum ibi nihil aliud deſideretur.

6. Temperant ſupradicta graues authores, vt intelligantur, quando beneficium eſſet de collatione ordinarij. Tunc enim affirmant diſpenſatione facta ab ordinario in impedimento, ob cuius cauſam collatio fuit irrita, manere firmam collationem; quia diſpenſando videtur, quaſi de nouo conferre. Secus verò quando beneficium eſt de collatione Pontificis, aut illi eſt reſeruatum: ſicuti eſt omne beneficium, in quo Simonia per confidentiam commiſſa eſt, vt haberur *in Bullis Pij IV. & V.* & tradit Gonzalez cum aliis *Gloſſa* 51. *num.* 110.

7. Verum hanc limitationem omnino reprobant Speculator *tit. de diſpenſat.* §. *nunc de Epiſcopat. num. penult.* Innocent. *cap. innotuit, num.* 2. verſ. *quidam tamen contradicunt, de Electione*, & *ibi* Hoſtienſ. *n.* 2. Ioan. Andr. *n.* 5. Anton. *n.* 11. & 12. Anchar. *n.* 2. *notab.* Azor. 2. *p. inſtit. moral. lib.* 6. *cap.* 7. *quæſt.* 2. § *quid dicendum.* Et generaliter, & abſque illa limitatione affirmant Felin. *cap. cum delectus, num.* 4. *de Accuſationib.* Nauarr. *lib.* 4. *conſil.* 2. *edit. tit. de ſponſalib. conſ.* 14. *num.* 6. *arg.* 5. *iuncto n.* 14. *in ſolut. ad* 5 Burgaſius *de irregularit.* 2. *par. tit. de differentijs terminor. num.* 9. & alij relati à Sanchez *t.* 3. *de matrim. lib.* 8. *de diſpenſationib. diſp.* 7. *num.* 12. vbi probabilem, & ſecutam reputat hanc ſententiam triplici conditione interueniente. Prima, ſi vitium ob cuius cauſam collatio præſentatio, vel electio, &c. fuit irrita, ſit occultum. Secunda dummodo non ſit in tertij coëlecti præiudicium qui propter priorem electionem priuatus fuit ipſo iure. Tertia, dummodo beneficiarius ille non acceperit ſcienter cum vitio illo collationem beneficij, quia tunc eſſet intruſus; ac proinde oporteret non tantum prioris vitij diſpenſationem obtinere, ſed illius quoque intruſionis: eſt enim reſpectu illius beneficij duplex canonicum impedimentum; alterum prioris vitij, ſcilicet Simoniæ, alterum intruſionis. Requiritur ergo vtriuſque obtineri diſpenſationem: aliàs impetratio illius beneficij non facta mentione intruſionis eſſet nullius momenti, vt multis relatis tradit Menoch. *lib.* 2. *arbitr. cent.* 3 *caſu* 201. *num.* 129. Addit tamen Sanch. *ſupradicto loco* impetrata diſpenſatione vtriuſque vitij occulti, tatam fieri priorem collationem, ſi amplectamur ſententiam probabilem dicentem indiſtinctè conualeſcere collationem habita diſpenſatione occulti vitij. Quod ſi beneficiatus non acceptaſſet collationem, ſed tantum præſentationem, aut electionem, non diceretur intruſus, quia intruſus dicitur qui abſque canonico, & ligitimo titulo, ſed vitioſo beneficium capit vt benè docent Rebuff. *præxi beneficial. reg. de ſubrogandis collitigantib.* Gloſſa 4. *num.* 5. Sylueſt. & reliqui Summiſtæ, verbo *intruſus*, Nauarr. *ſum. cap.* 27. *num.* 194.

8. Forma vero ad diſpenſandum in pœnis Simoniæ nulla eſt præſcripta: quare ſi Epiſcopus vtatur verbis, quæ ſufficienter exprimant voluntatem diſpenſandi, eo ipſo cenſebitur diſpenſaſſe.

9. Dubitant tamen doctores; an ſi Pontifex beneficium inhabili conferret, eo ipſo diſpenſare cum illo cenſeatur? Et reſpondeo, cenſeri diſpenſaſſe in ordine ad illud beneficium, ſi illi conſtitit eſſe inhabilem, ne dicamus fruſtra, & in vanum efficere collationem: & ita ſentit Suar. *lib.* 4. *de Simon. cap. vlt. num.* 14. cum Panormit. *in cap. cum in cunctis* §. *inferiora, de Elect. num.* 8. & Felino *in cap. praterea, de Teſtamentis cogendis, n.* 7. Nauarr. *in opuſc. de datis, & promiſſis, notab.* 9. *num.* 14. Couarruu. *reg. peccatum, part.* 2. §. 8. *num.* 9. Mol. *tit.* 1. *de iuſtit. tract.* 2. *diſp.* 92. § *illud animaduertendum.* Et generaliter quotieſcunque impedimentum eſt iuris humani, & legiſlator ſcienter impeditum admittit ad actum præſumitur animus diſpenſandi, ac inducitur vera diſpenſatio, quamuis princeps cauſæ cognitionem non præmiſerit, vt ſi Pontifex ſcienter admitteret irregularem ad ordines, vel beneficia vel iure humano impeditos matrimonio coniungat, vel Rex lege inhabilem, vt ſeruum iudicem conſtituat: ita Expreſsè Thom. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 4. *num.* 2. cum variis doctoribus: probatque ex *leg. Barbarius, ff. de officio Præſidis*: vbi in poſteriori caſu illius textus deciditur, ſi populus Romanus detecta ſeruitute conſentiat ſeruum prætura fungi, valere geſta per ipſum: & ex *leg. quidem* 57. *in fine, ff. de re iudicata*: vbi deciditur principem minori magiſtratum conferentem cenſeri diſpenſare, ne geſta per illum valore deſtituantur, & in *num.* 17. Idem Thom. Sanch. affirmat doctrinam hanc non ſolum in principe ſupremo, ſed etiam in inferioribus prælatis procedere in iis, quibuſcum ipſi diſpenſare poſſunt.

10. Neque obſtat Clement. vnica, *de ſentent. excommunicat.* vbi dicitur Pontificem communicando cum excommunicato non cenſeri abſoluere illum ab excommunicatione, niſi exprimat. Fatemur inquam hoc libenter: ſed dicimus, eſto illum ab excommunicatione non abſoluat, ſuſpendit tamen effectum excommunicationis quoad illum caſum, ne ſcilicet peccet communicando cum ipſo Pontifice, neve in excommunicationem minorem propter illum actum incidat, & eodem modo dicimus de noſtro caſu cõferentem beneficium inhabili non abſolutè auferre inhabilitatem, ſed ſolùm ad illum caſum, & reſpectu illius beneficij.

11. Aduerto tamen, vt licite Pontifex diſpenſationem concedat in iis impedimentis, & pœnis requiri aliquam cauſam: hoc enim expoſtulat commune bonum, & Eccleſiæ regimen Verum ſi abſque cauſa contra ſuam legem feciſſet, & in ea diſpenſaſſet, exiſtimo non peccare mortaliter ſecluſo ſcandalo, aliáve ratione extrinſeca, & diſpenſationem validam eſſe, tenet multis relatis Sanch. *lib.* 8. *de diſpenſat. diſput.* 17. *num.* 28. *& diſputat.* 18. *num.* 7. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 5. *num.* 34. Valen. 2. *diſp.* 7. *q.* 5. *part.* 9. *ad finem.* Man. 1. *t. ſum.* 2. *edit. cap.* 237. *num.* 1. Nauarr. *ſum. præclud.* 9. *num.* 14. *& cap.* 25. *num.* 5. & nos diximus *Tractatu de legib. diſput. vlt.* & aliis in locis. Epiſcopus verò; & alij prælati in legibus ſuperioris diſpenſantes, ſi abſque cauſa procedant, ex ſe conſtat, & peccare mortaliter, & nullam eſſe diſpenſationem: vt ſupradicti Doctores tradunt.

INDEX

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ IN HAC TERTIA PARTE Operis Moralis de Virtutibus, & Vitiis contrariis continentur.

Abbatissa.

POTEST suis monialibus præcipere in virtute obedientiæ. *tract.* 16. *disp.* 4. *punct.* 2. *n.* 2.

Potest præcipere eo fine, vt saluti subditarum consulat. *n.* 3.

Abbatissa pœnis spiritualibus coërcere Moniales non potest. *tract.* 16. *disp.* 4. *punct.* 14. *n.* 4.

Actor.

In causis ciuilibus nullus Religiosus potest esse actor nomine proprio. *tract.* 15. *disput.* 4. *punct.* 12. §. 2. *n.* 1. In causis criminalibus potest de licentia saltem præsumpta, Superioris. *num.* 2.

Adiuratio.

In qua significatione adiuratio vsurpetur. *tract.* 14. *disput.* 4. *punct.* *n.* 1. Definitur adiuratio. *n.* 2. Duplex est adiuratio, solemnis, priuata. *n.* 3. Item, deprecatiua, & imprecatiua. *n.* 4. Ad honestatem adiurationis, veritas. *n.* 5. Qualiter iustitia requiratur *n* 6. Qualiter iudicium. *n.* 7. Modus in adiuratione seruandus est. *n.* 8. Ad quam virtutem adiuratio pertineat. *n.* 9. Qualiter ab oratione, & iuramento differat. *n.* 10. Aliquando adiuratio cum iuramento miscetur. *n.* 11. An adiurationis, sit aliquod præceptum *punct.* 2. Qui adiurare, & adiurari possunt. *punct.* 3.

Quæ conditiones seruandæ sunt in hac adiuratione, vt licita sit *tract.* 14. *disp.* 4. *punct.* 4. *num* 1. Dæmones non sunt obseruandi, sed imperandi, & obiurgandi, neque ad alium finem quæ est à Christo præordinatus, & legitimo ministro. *n* 2. Non potest Dæmoni aliud imperari, nisi vt à nocendo desistat. *n.* 3. Quæ possunt Dæmonibus præcipi, & interrogari, vt respondeant. *n.* 5. *& seqq* Non licet petere à Dæmone superiore, vt inferiorem è corpore pellat. *num.* 9. *&* 10. Licitum est à Dæmone, in corpore humano existente, petere signum sui egressus. *n.* 11. Qualiter liceat adiuratori amandare Dæmonem in Infernum, vel in desertum locum. *n.* 12. Qualiter liceat annuere Dæmoni offerenti egressum ex homine, si permittatur in alium ingredi. *n.* 13. Licet conniuere Dæmoni petenti, ne relegetur in Infernum, néve nouis cruciatibus affligatur. *n.* 14. Qualiter liceat vexare energúmenum flagellis, dehonestare opprobriis. *n.* 15. Quæ medicamenta energumeno applicari possunt. *n.* 16. Vno Dæmone expulso frequenter omnes expelluntur, sed non ex necessitate. *n.* 17. Dæmon non habet ex necessitate determinatam corporis partem, qua egrediatur. *n* 18. Exorcismi Ecclesiæ non habent virtutem infallibilem pellendi Dæmonem, sed quando fuerit conueniens. *n.* 19. Qualiter Dæmon in Dæmoniaco assistat, & in illum habeat potestatem. *n.* 20.

Appellatio.

Si Prælatus terminos iustitiæ in grauibus pœnis imponendis excedat, licitum est Religioso, remedio appellationis, vt *tract.* 16. *disp.* 4. *punct.* 15. *n.* 4. Hæc appellatio priùs ad Prælatos domesticos, quàm ad Nuncium, vel Pontificem deferenda est. *n.* 5. A leui præcepto, ordinariáque correctione non permittitur appellatio. *n.* 6. Vt in causis grauibus non permittitur interponere possis, debet esse excessus Prælati manifestus. *num.* 7. Apponitur discrimen inter Clericos, & Religiosos circa appellationis interpositionem. *n.* 8. An eo casu, quo potes appellationem interponere, possis (si occasio non suppetit appellandi) ad Superiorem maiorem, nulla petita ab inferiore licentia, iter arripere. *num.* 9. & 10. Licet tibi recusare Superiorem suspectum, quando times, te iniustè vexaturum. *num.* 11.

Apostasia, Apostata.

Dupliciter à religione fugere potes: si fugias animo redeundi, eris fugitiuus: si eo animo careas, eris apostata. *tract.* 16. *disput.* 4. *punct.* 16. *n.* 2. Explicatur definitio apostasiæ. *num.* 5. An censendus sis apostata, si fugias tuam Religionem, & aliam ingrediaris. *n.* 6. & 7. Aduersùs apostatas, iure communi spectato, nullæ sunt censuræ, nec pœnæ ipso iure latæ. *num.* 10. Prælatus Religionis capere & incarcerare, aliisque pœnis afficere apostatas potest, etiam extra proprium territorium. *n.* 14. Quam culpam committant, quamque obligationem contrahant, & quibus pœnis subiiciantur cooperantes ad fugam, & apostasiam. *dicto tr. & disp. punct.* 18.

Ars chimica.

Hominibus est incognita. *tr.* 17. *disp.* 1. *punct.* 10. *num.* 17.

Assessor.

Iudicis Religiosus esse potest. *tract.* 16. *disp.* 4. *punct.* 11. §. 1. *num.* 7.

Blasphemia, Blasphemus.

Blasphemiæ definitio. *tr.* 17. *disp.* 2. *pun.* 2. §. 1. *n* 1. An blasphemia, falsitatem contineat. *n.* 2. Sitne de ratione blasphemiæ affectus inhonorandi Deum. *n.* 3. Contumelia in Sanctos blasphemia est. *n.* 4. Blasphemia est peccatum religioni oppositum, & ex suo genere mortale, nec videtur posse ex leuitate materiæ veniale esse. §. 2. *n.* 1. Est ab odio Dei, desperatione, & infidelitate distinctum. *num.* 2. Omnes blasphemiæ in Deum prolatæ videntur eiusdem esse speciei. *num.* 3. Differunt tamen à blasphemiis in Sanctos prolatis absque ordine ad Deum. *n.* 4. Qualiter in confessione diuersitas blasphemiarum applicanda sit. *num.* 5. Si blesphemia procedit ex affectu expresso inhonorandi Deum, debet in confessione manifestari. *num.* 6. Quotuplex blasphemia sit, & quibus modis contingat. §. 3.

Blasphemus obligatur pœnitere de crimine commisso. *tr.* 17. *disp.* 2. *pun.* 2. §. 4. *num.* 1. An blasphemus ex consuetudine sit absoluendus. *n.* 2. Audientes blasphemum nulla alia obligatione corrigendi tenentur, præter iure naturali oppositam. *n.* 3. Obligantur denunciare blasphemum. *num.* 4. Blasphemiæ hæreticales Iudicibus fidei sunt denunciandæ, non hæreticales Episcopo, vel sæculari Iudici, si laicus sit blasphemus. *n.* 5. Si vnus Iudex procedit, & pœnam delicto adæquatam imponit, non potest alius procedere. *n.* 6. De pœnis blasphemo impositis, vel à Iudice imponendis. §. 1.

Clausura.

Ad clausuram Moniales obligare possunt. *tract.* 16. *disp.* 4 *pun.* 9.

pun. 9. *n.* 2. Quæ Moniales conuerſæ, ſeu laïcæ à clauſura excipiantur. *num.* 3. Conſuetudine abrogari poteſt lex clauſuræ. *num.* 4. Explicantur loca, quorum comparatione hæc clauſura ſeruanda ſit. *num.* 5. Poteſt Epiſcopus in Monaſteriis ſibi ſubiectis hanc clauſuram indicere. *n.* 6. Quid de Monaſteriis regularibus ſubiectis, an in his poſſit Epiſcopus clauſuram indicere, atque viſitare. *num.* 7. Non eſt opus quotannis clauſuræ decretum publicare. *num* 8. Quæ pœnæ impoſitæ ſint ingredientibus clauſuram Monialium. *tract.* 16. *diſputat.* 4. *pun.* 19. §. 4.

Compenſatio.

In iuramentis locus eſt compenſationi. *tr.* 14. *diſp.* 2. *pun.* 10. *num.* 2. Quod procedit tam in debitis poſt iuramenti obligationem contractis, quàm in contractis tempore iuramentis, *n.* 3. Quid, ſi expreſſam intentionem haberes non vtendi compenſatione? *n.* 4. In quibus rebus non detur locus compenſationi, *n.* 6.

Commutatio voti.

An, qui poteſtatem habent diſpenſandi vota poſſint ea commutare. *tr.* 15. *diſp.* 2. *pun.* 14. Votum propria authoritate in rem euidenter meliorem potes commutare, niſi aliqua lege prohibitus ſis. *pun.* 15. *n.* 2. In rem inferiorem nequis propria authoritate. *n.* 3. An poſſis in æqualem. *n.* 4. An poſſis in rē ſub dubio, vel ſub opinione ſuperiorum *n.* 5. Ad commutationē voti in rem æqualē neceſſaria eſt authoritas Prælati. *n.* 6. Ad commutationem faciendam in rem meliorem, nulla cauſa requiritur; benè tamen pro commutatione in æqualem, vel minus. *n.* 7. Quæ cauſa requiratur ad commutationem faciendam in rem æqualem, vel minorem. *num.* 8. Qualiter gaudentes poteſtate tantùm commutandi vota, eam exercere poſſint. *pun.* 16. An commutatio facta in æqualem, vel minorem materiam, valida ſit extinguátque prioris voti obligationem. *pun.* 17.

Commutatione legitima extinguitur prioris materiæ obligatio. *tr.* 15. *diſp.* 2. *pun.* 18 *n.* 1. Facta materia ſubrogata inutili, vel impoſſibili, non reuiuiſcit prioris obligatio. *num.* 4. An redeunte obligatione prioris materiæ commutatæ, pereat ſubrogata. *n.* 5. & 6. Qualiter vouenti liceat reditus ad priorem materiam promiſſam. *n.* 7. Si commutatio in minorem materiam facta eſt, licet reditus ad priorem: itémque, ſi facta eſt in æqualem. *n.* 7. An detur reditus, ſi in melius fuerit commutatam, omiſſa, ſubrogata, poteris omiſſa commutata ad ſubrogatam redire, excepto vno caſu. *n.* 11.

Conſuetudo.

Conſuetudo iurandi cum aduertentia vt verum iuretur, non eſt peccatum mortale. *tr.* 14. *diſp.* 1. *pun.* 9. *n.* 2. Conſuetudo iurandi ſine aduertentia ad veritatem, te in peccato mortali conſtituit. *n.* 4. An debeat abſolutio differri habenti hanc prauam conſuetudinem. *n.* 5. An debeat ei aliqua pœnitentia imponi, ſi reinciderit, teneatúrque illam exequi. *n.* 6.

Contractus.

Quidam bonæ fidei ſunt, quidam ſtricti iuris. *tr.* 14. *diſp.* 2. *pun.* 5. *n.* 2.

Contractus, qui ſecluſo iuramento validi ſunt, iuramento firmantur, etiamſi contra prius iuramentum fiant. *tr.* 14. *diſp.* 2. *pun.* 9. §. 7. *n.* 1.

Dæmon.

Futura contingentia pendentia à libera voluntate certò non cognoſcit. *tr.* 17. *diſp.* 1. *pun.* 3. *n.* 1. Futura accidentia naturali neceſſario prouenientia benè cognoſcit. *n.* 2. Variis modis homines inſtruit, & occulta docet. *n.* 3.

Latiſſima eſt Dæmonis poteſtas. Expenditur: primò circa elementa aliáſque res naturales. *tract.* 17. *diſp.* 1. *pun.* 9. *num.* 2. Dæmones habent poteſtatem circa humana corpora, & qualiter. *n.* 3. Circa animas ſeparatas nihil poſſunt. *n.* 4. An verum ſit, ſagas, & maleficas à Dæmone aſportari, an tantùm ſic fingi. *n.* 6. & 7. Non poteſt Dæmon ſcientias rerum naturalium breuiſſimo tempore infundere. *pun.* 10. *n.* 8. Si hoc procures, ſuperſtitioſus es. *n.* 9.

Depoſitum.

Religioſi capaces ſunt depoſiti: at Monaſterium obligatum non manet. *tr.* 16. *diſp.* 4. *pun.* 13. §. 4. *num.* 3. Prælatus non poteſt, domino non conſentiente, à ſubdito depoſitum remouere. *n.* 4. Tenetur Prælatus de depoſito, ſi non corrigat ſubditum depoſitum expendentem. *n.* 5. Depoſitum factum Eccleſiæ, vel Conuentui, ſi ob culpam illorum amiſſum ſit, ſoluere tenentur. *n.* 6. Quando cenſeatur depoſitum fieri Eccleſiæ vel Prælato. *n.* 8.

Diuinatio.

Eius definitio *tract.* 17. *diſp.* 1. *pun.* 3. *n.* 4. Duplex eſt diuinatio, & vtraque grauiſſimum peccatum *n.* 5. Quod intelligitur, cum ſeriò mediis illis vanis vteris. Quid, ſi ioci cauſa experiaris. *n.* 6. Obſeruare ſomnia, augutia, &c. non vt certa, ſed vt contingentia, non videtur mortale, vna, vel altera vice: ſecùs, ſi frequenter. *n.* 7. Si cum alio pactum ineas, vt præmoriens ſuperſtiti, Deo id concedente, appareat moniturus de ſua ſalute, non eſt mortale; ratò tamen à culpa veniali excuſatur. *n.* 8. Inuocatio Dæmonis, tam expreſſa, quàm tacita, multiplex eſt pro multiplicitate rerum, quæ per diuinationem aſſumuntur. *n* 9. Tacita, & expreſſa inuocatio non videtur ſpecie differre. *n.* 10. An in confeſſione declarare debes, quomodo diuinaueris. *n.* 11. Omnis diuinatio, ſiue tacita, ſiue expreſſa, ad diuinationem pertinet. *n.* 12. Qua ratione diuinatio per aſtra, abſque expreſſa inuocatione Dæmonis, licita ſit. *pun* 4. Quouſque diuinatio per ſomnia licita eſſe poſſit. *pun.* 5. Quouſque diuinatio per ſortes licita ſit. *pun.* 6. Quouſque diuinatio ex elementis, ex animalibus, ex diſpoſitione proprij corporis, aliiſque rebus licita eſſe poſſit. *pun.* 7. Quæ ſint pœnæ diuinatoribus, ſortilegis, & maleficis impoſitæ, & quæ illorum obligatio, *tract.* 16. *diſp.* 1. *pun.* 13.

Dimiſſio habitus.

Sub pœna excommunicationis Religioſis interdicitur. *tr.* 16. *diſp.* 4. *pun.* 6. *n.* 1. Quæ ſit temeraria habitus dimiſſio. *num.* 3. Si retento habitu propriæ Religionis ſæcularem induas exteriùs, incidis in dictam excommunicationem. *num.* 5. Eſto excommunicationem vitares occultando habitum; at non vitas peccatum mortale. *num* 7. Hæc dimiſſio habitus debet eſſe temeraria, & quæ hæc ſit. *n.* 8. *& ſeqq.* Excuſaris à cenſura, ſi ob actionem cedentem in proximorum vtilitatem dimittas: item, ſi ob graue aliquod damnum vitandum. *n.* 12. Item, excuſari potes ex diſpenſatione. *n.* 13.

Dimiſſio à religione.

Si ex fictis cauſis dimiſſionem à Religione obtineas apoſtata es, & liber votis non euadis. *tr.* 6. *diſp.* 4. *pun.* 20. *n.* 9. Si ex cauſis, veris, ſcilicet grauibus delictis, ſine extorquendi dimiſſionem perpetratis, dimiſſionem obtineas, dimiſſio nō valet *n.* 10. Si iniquis mediis Religionem extorqueas, obligaris ad Religionem redire: & quid circa tui admiſſionem. *n.* 11. Si magna inſtantia dimiſſionem extorqueas, valet dimiſſio: eſto iamò à peccato mortali excuſeris. *n.* 12. Culpam mortalem committis, ſi mediocrem diligentiam non adhibeas in vitandis culpis, ex quibus præſumis à Religione eiiciendum. *n.* 13.

Diſpenſatio.

In iuramentis fieri poteſt ab eo, qui poteſtatem habet diſpenſandi in votis. *tr.* 14. *diſp.* 3. *pun.* 1. *n.* 5.

Diſpenſatione ceſſat obligatio voti *tract.* 15. *diſp.* 2. *pun.* 9 *n.* 1. Diſpenſatio eſt actus non Ordinis, ſed iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. *n.* 2. Diſpenſatio expoſtulat cauſam, vt licita, & valida ſit. *num.* 3. *& ſeqq.* Votum emiſſum in ætate pupillari poteſt ex defectu plenæ libertatis à iure præſumpto diſpenſari. *num.* 8. Error circa cauſam impulſiuam, vel illius cauſæ ceſſatio præſtat ſufficientem cauſam diſpenſationi. *n.* 10. Item, dubium de intentione obligationis. *n.* 11. Item, ſi votum ſit occaſio maioris ruinæ. *n.* 12. Item, ſi grauem difficultatem in illius executione ſentias. *n.* 13. Si dubium ſit, votum eſſe impeditiuum maioris boni. *num.* 14. Si commune bonum impediatur. *num.* 15. Si cedat in damnum propriæ domus, vel familiæ. *num.* 16. Oportet cum diſpenſatione aliquam admiſcere commutationem. *num.* 17. Stante cauſa legitima diſpenſationis, poteſt Superior diſpenſationem concedere, & aliquando tenetur. *num.* 18. Qui poteſtatem habeant diſpenſandi, & in quæ vota. *pun* 10. Nulli Prælato eſt facultas conceſſa diſpenſandi in votis reſeruatis. *tract.* 15. *diſp.* 2. *pun.* 12. *num.* 1. Si materia voti leuis ſit, poterit inferior Prælatus diſpenſare. *n.* 2. Quando vrget neceſſitas extraordinaria diſpenſationis, neque patet aditus ad Pontificem, poſſunt diſpenſare Prælati inferiores. *n* 4. Si patet aditus ad priuilegiatum non poſſunt. *num.* 5. Hæc diſpenſatio concedenda eſt, quatenus neceſſitas poſtulat, & non ampliùs. *num.* 6. Prælati regulares non habent poteſtatem ob caſum vrgentis neceſſitatis. *num.* 7. Cùm dubium eſt, an votum ſit reſeruatum, habent Prælati inferiores à Pontifice poteſtatem diſpenſandi. *num.* 8. Ex vi conſuetudinis poſſunt in petitione debiti cum coniugatis Epiſcopi diſpenſare. *num.* 9.

Quid

Quid de emittentibus votum Religionis, vel caſtitatis, ante, vel poſt contractum matrimonium. *num.*10. Votum emiſſum ex metu poteſt ab his Prælatis diſpenſari. *num.*11. An vota emiſſa ab hominibus dominatiuæ poteſtati ſubiectis, ordinariæ poteſtati diſpenſandi ſubiiciantur. *num.*12. Quid, ſi vota fuerint conditionalia. *num.*13. *& ſeqq.*

Generalis facultas diſpenſandi in omnibus votis, non comprehenditur reſeruata. *tract.*15. *diſp.*2. *punct.*13. *num.*2. Extenpitur facultas diſpenſandi generalis ad vota ante, & poſt conceſſionem emiſſa; ſed non ad vota in commodum tertij facta. *num.*...Facultas diſpenſandi in votis eſt Religioſis conceſſa. *num.*7. Poſſunt diſpenſare Epiſcopi in omnibus votis, quæ iure ordinario competunt. *num.*8. Quibus ſit conceſſa poteſtas ad diſpenſandum cum ligatis voto caſtitatis ad petendum debitum. *num.*9. An, qui poteſtatem habent commutandi vota, poſſint ea diſpenſare. *num.*14.

Solus Pontifex habet poteſtatem diſpenſandi cum ſimoniacis, ante contractam ſimoniam; illi contracta in pœnis ferendis aliquando Epiſcopus. *tract.*17. *diſp.*13. *punct. vlt. num.*1. Ab inhabilitate ad beneficia quis diſpenſare poſſit. *num.*3. *&* 4. Sic diſpenſatus ſine alia noua collatione beneficium poſſidere poteſt. *num.*5. Forma ad diſpenſandum nulla eſt præſcripta. *num.*8. Si inhabili Pontifex conferat beneficium, cum illo illa in parte diſpenſat. *num.*9. Vt licitè tamen Pontifex diſpenſationem tamen concedat, cauſam aliquam habere debet. *num.*11.

Dolus.

Si dolus dat cauſam contractui circa ſubſtantialia, contractus eſt nullus. *tract.*14. *diſp.*2. *pun.*5. *n.*16. Si dolus verſans circa qualitates dedit cauſam contractui contractus inualidus eſt; venit tamen exceptione doli reſcindendus, ſi ſolubilis ſit. *n.*19. In his contractibus deceptus agere poteſt, & ad contractus reſciſſionem, & ad inæqualitatem reparandum. *num.*21. Quid, ſi ab alio tertio dolus eſt commiſſus. *num.*22. Si dolus incidit in contractum ſtricti iuris, contractus vtroque foro tenet. *num.*24. Si dolus incidit in contractum bonæ fidei, contractus vtroque foro tenet, nec venit reſcindendus, niſi læſio ſit vltra dimidiam. *num.*25. Reſoluitur, qua ratione iuramentum appoſitum contractibus doloſis obligationem inducat. *num.*26.

Emphyteuſis.

Hæreditaria Religioſi, tam ſæcularis, quàm Eccleſiaſtica, in Monaſterium tranſit. *tract.*16. *diſp.*3. *punct.*4. §.3. *num.*6. Si emphyteuſis conceſſa ſit ea conditione, ne tranſeat ad potentiorem, in Monaſterium non tranſit. *num.*8. Emphyteuſis ſolùm pro vita Religioſi in Monaſterium tranſit. *num.*9. Quid de emphyteuſi conceſſa alicui pro ſe, & ſuis hæredibus. *num.*10.

Error.

Duplex error interuenire poteſt in contractibus, antecedens, vel concomitans. *tract.*14. *diſp.*1. *punct.*5. *num.*3. Verſari poteſt error circa ſubſtantiam, vel circa accidentia contractus. *num.*4. Cauſari poteſt error à contrahente, vel ab alio tertio. *num.*5. Error circa ſubſtantiam contractus reddit contractum nullum. *numer.*6. Iuramentum firmans talem contractum non obligat. *num.*7. Si error verſetur circa qualitatem contractus, & ſit concomitans, valet contractus iure naturæ: & idem eſt de iuramento. *num.*8. Si error verſetur circa qualitatem, & ſit cauſa contractus, an ſit contractus ipſo iure nullus, an veniat annullandus. *num.*9.10. *&* 11. Vnde cognoſcetur, errorem eſſe excitatiuum conſenſus, vel illius conſtitutiuum. *num.*12. Sitne obligatio in deceptore reparandi inæqualitatem factam in ſupradictis contractibus. *n.*13. *& ſeqq.* Quid, ſi nullus te in errorem induxit; ſed tu naturaliter erraſti. *num.*23.

Error multiplex eſſe poteſt. *tract.*15. *diſp.*1. *punct.*6. *num.*1. Si error, vel ignorantia eſt in obligatione voti, votum non tenet. *num.*2. Idem eſt de errore, ſeu ignorantia in materia promiſſa. *num.*3. Error, ſeu ignorantia circunſtantiarum non impedit voti valorem, niſi redundet in materiam promiſſam. *num.*4. Si error adſit circa finem voti, valorem voti impedit: ſecùs ſi adſit circa occaſionem, & cauſam compulſiuam. *num.*5. Qualiter cognoſcas, quando error eſt occaſio, quando finis voti. *num.*6.

Excommunicatio.

Concilium excommunicat cogentes fœminas ad Religionis ingreſſum. *tract.*16. *diſp.*1. *punct.*9. *num.*2. *&* 3. Non comprehendit cogentes ad votum, vel iuramentum Religioni ſuſcipiendæ. *num.*4. Modus coactionis debet eſſe iniuſtus, ſed ſufficit indirectus. *num.*5. Quas perſonas comprehendat hæc excommunicatio. *num.*6. Excipit Concilium caſus à iure expreſſo, in quibus dari poteſt coactio abſque excommunicationis incurſu. *num.*7. Simili excommunicatione ligantur impedientes fœminas à Religionis ingreſſu. *num.*8. An comprehendat impedientes ingreſſum ad probationem. *num.*9.10. *&* 11. Excommunicatio lata eſt aduersùs Religioſos dimittentes habitum propriæ Religionis. *tract.*16. *diſp.*4. *punct.*6. *num.*1. Qualiter à prædicta cenſura excuſeris. *num.*12. *&* 13.

Fœmina.

Fœminis interdictum eſt in Monaſteria virorum Religioſorum ingredi. *tract.*16. *diſp.*4. *punct.*8. *num.*1. Non comprehenduntur Reginæ, nec de ſanguine regio. *num.*3. Fundatrices non comprehenduntur. *num.*4. Quæ poſſunt ingredi decentem comitatum, & ſolitum deferre poſſunt. *num.*5. Ex pietate, & neceſſitate licitus eſt hic ingreſſus. *n.*8. *&* 9. Pœnæ conſtitutæ tranſgreſſoribus expenduntur. *num.*10. Quid, ſi fœminam introductam fabulationibus detineas, ne è Monaſterio egrediatur. *num.*11. Quis poſſit à ſupradictis pœnis abſoluere, vel diſpenſare. *num.*12. Quid poſt latam ſententiam. *num.*13.

Feudum.

Religioſi tranſit in monaſterium, ſi capax ſit præſtandi illius obſequia. *tract.*16. *diſput.*3. *punct.*4. §.3. *num.*4. Excipitur fundum habens dignitatem. *num.*5.

Fideiuſſio.

Religioſis non licet, niſi de licentia Prælati. *tract.*16. *diſp.*4. *punct.*13. §. 4. *num.*1. Abſque licentia Prælati non tenet *num.*2.

Fuga.

Graue peccatum committit Religioſus fugam faciendo. *tract.*16. *diſp.*4. *punct.*16. *num.*1. Dupliciter à Religione fugere potes: ſi fugias animo redeundi, eris fugitiuus; ſi eo animo careas, eris apoſtata. *num.*2. Pro fugitiuo, quatenus talis eſt, nulla eſt pœna, nec cenſura ipſo iure lata. *num.*8. Quam culpam committant, quámque obligationem contrahant, & quibus pœnis afficiantur cooperantes ad fugam, & apoſtaſiam. *dicto tract. & diſp. punct.*18.

Gradus.

Quo gradu Doctoris, vel Magiſtri poſſit Religioſus inſigniri. *tract.*16. *diſp.*4. *punct.*13. §.6. *num.*1. Regioſis Societatis Ieſu non aliter prædicti gradus licent, quàm de Præpoſiti Generalis licentia, & ſeruatis quinque conditionibus. *num.*3. An omiſſo examine in Societate Ieſu gradus ſuſceptus validus ſit. *num.*4. Explicantur conditiones. *num.*5.6. *&* 7. Expenditur Priuilegium Iulij III. editum in fauorem Societatis hæretis Ieſu. *num.*8.

Idololatria.

Eius definitio. *tr.*17 *diſp.*1. *pun.*2. *n.*1. Eſt maximum peccatum inter ea, quæ virtutibus moralibus opponuntur. *num.*2. Si contingit cum hæreſi, pœnas hæreſis incurris; ſecùs ſi abſque ſi. *num.*3.

Irritatio voti.

Eius definitio. *tract.*15. *diſp.*2. *punct.*1. *num.*1. Duplex eſt irritatio, alia indirecta, alia indirecta. *num.*2. Irritatio, quando ſit actus iuriſdictionis, quando dominij. *num.*3. Ex iure potiùs poſitiuo, quàm naturali ortum habet irritatio. *num.*4. Quibus competat propria, & directa poteſtas vota irritandi. *punct.*2. Extendatúrne poteſtas irritandi ad vota interna, & futura. *punct.*3. §.1. An extendatur irritatiua poteſtas ad vota emiſſa ex licentia Superioris. §. 2. Vota ſubditi exempti irritari non poſſunt. §. 3. *num.*2. Vota realia filiorum puberum, non poſſunt à parentibus irritari, ſi ſui iuris facti ſunt. *num.*4. Quid de votis ante pubertatem emiſſis, neque in pubertate confirmatis. *num.*5. Quid de poteſtate curatoris ad irritanda vota perſonalia minorum in pueritia emiſſa. *num.*6. Quid de poteſtate matris. *num.*7. Vota vxoris tempore matrimonij emiſſa, nec tunc irritata, non poſſunt irritari tempore diuortij. *num.*8. Idem de votis ſeruotum, ſi libertatem conſequantur. *num.*9. Votum perſonale impuberis, ſi poſt pubertatem commutetur, non poteſt à parente irritari. *num.*11. *& ſeqq.* An extendatur irritatiua poteſtas ad vota emiſſa tempore ſubiectionis; implenda tamen ſubiectione diſſoluta. §.4.

An extendatur irritatiua potestas ad vota missa tempore, quo vouentes erant sui iuris. §. 5. An extendatur irritatiua potestas ad vota executioni mandata, & ad promissiones humanas, & ad vota realia defuncti, quæ in hæredes transierunt. §. 6.

Si negetur subdito licentia in perpetuum exequendi votum censetur irritatum. *tract.* 15. *disput.* 2. *pun.* 4. *num.* 1. Non est irritatio, si pro determinato tempore licentia negatur. *n.* 3. Irritatio, & suspensio procedens à potestate dominatiua, nulla indiget causa ad sui valorem. *n.* 4. Fieri potest irritatio, etiam subdito inuito *n.* 6. Non est necessaria cognitio voti irritandi, si votum esse agnoscatur. *n.* 7. Quid si ex parte irritantis dubium sit, an sit verus superior *n.* 7. *& seqq.* Qualiter irritatiua potestas delegari possit. *n.* 11. Qualiter vota seruorum possint domini irritare. *pun.* 5. An vota vxoris, constante matrimonio emissa, possit maritus irritare. *pun.* 6. *n.* 1. *& seqq.* Vxor non potest alia vota viri irritare, nisi quæ sibi præiudicauerint. *num.* 9. 10. *&* 11. Pater omnia vota filij impuberis irritare potest *pun.* 7. *n.* 4. Eandem potestatem habet tutor comparatione pupilli *n.* 6. Quid dicendum de matre. *n.* 7. Quid de hero, magistro, & nutritio. *num.* 8. Filij puberis vota irritare parens potest, quæ sibi præiudicauerint, non alia *num.* 9. Egresso filio à patria potestate, non sunt eius vota à patre irritabilia. *num.* 13. Quid dicendum de curatore, an habeat eandem potestatem ac pater. *num.* 14. Quid de matre. *num.* 15.

Prælatus omnia Religiosorum vota irritare potest. *tract.* 15. *disp.* 2. *punct.* 8. *num.* 2. Excipitur, nisi eius statum constituant, *num.* 3. Item, nisi sit votum strictioris Religionis. *num.* 4. Qui Prælati hac potestate gaudeant. *num.* 5. Qualiter Pontifex hac gaudeat potestate. *num.* 6. Quid dicendum de Monialium Abbatissis. *num.* 7. In quos Religiosos sit hæc potestas *num.* 8. Quid dicendum de Religioso creato Episcopo? quid de electo. *num.* 9. Vota Nouitiorum irritabilia non sunt. *num.* 10.

Irritatio iuramenti fieri potest ab habente potestatem irritandi vota. *tract.* 14. *disput.* 3. *punct.* 1. *num.* 1. Personæ, quæ potestatem habent dominatiuam, irritare possunt iuramenta de materia sibi subiecta. *punct.* 2. *num.* 1. *seqq.*

Iudex.

Iudex sæcularis non potest propriam iuramenti relaxationem concedere. *tract.* 14. *disput.* 3. *punct.* 6. *num.* 4. Iudex laïcus interpretari iuramentum potest. *num.* 8. Qualiter Iudex laïcus cognoscere possit de nullitate relaxationis ab Ecclesiastico factæ. *num.* 9.

Iudices possunt esse Religiosi de licentia Prælati. *tract.* 16. *disput.* 4. *punct.* 12. §. 1. *num.* 1. Item, Iudices arbitri, *num.* 6. Item, Iudices delegati Episcoporum; at Pontificis, vel eius Legati, soli Prælati. *num.* 6. Qui possunt esse Iudices conseruatores. *num.* 9.

Iuramentum.

Vnde dicatur *tract.* 1. *disp.* 1. *punct.* 1. *num.* 1. Definitur iuramentum. *num.* 2. Qualiter sit inuocatio diuini nominis, non enunciatio *num.* 3. Qualiter inuocatio creaturarum iuramentum contineat. *num.* 5. Expenduntur verba, quæ communiter iuramentum continent, & quæ non. *num.* 7. Examinatur qualiter esse possit voluntas inuocandi Deum in testem, cùm falsum iuratur. *num.* 8 Comparatione Dei solo actu voluntatis, & intellectus inuocari Deus in testem potest. *num.* 9. Finis iuramenti est fidem facere, vel promissionem seruare. *num.* 19. Explicatur multiplex modus iurandi *part.* 2. *num* 1. Non differunt supradicta iuramenta specie in ratione iuramenti *num.* 2. Ex alio capite differre possunt. *num.* 4. Ex parte rei iuratæ est triplex iuramentum, assertorium, promissorium, & comminatorium. *num.* 5. An iuramentum annexum promissioni differat ab eo, quod simplici assertioni annectitur. *num.* 6. An iuramentum purè assertorium differat essentialiter à promissorio. *numero* 7.

Omnes extra iudicium iurare possunt, qui non fuerint aliquo iure excluſi *tract.* 14. *disp.* 1. *punct.* 3. *num.* 1. *&* 2. Excludit periurus. *num.* 3. Deinde infamis. *num.* 4. Item, socius criminis. *num* 5. Item, inimicus. *num.* 6. Item, persona vilis: & inops. *num.* 7. Item, Saracenus, Iudæus, & alij ex diuersa lege. *n.* 8. Item laïcus aduersùs Clericum. *n.* 9. Item mulier in causa criminali. *n.* 10. Item, pueri ante pubertatem. *n.* 11. Item, consanguinei, & affines intra quartum gradum. *n.* 12. Item, domesticus ipsius producentis. *num.* 13. Item, Clerici Sacerdotes. *num.* 14. Iurans in iudicio debet esse ieiunus ex consilio tantùm, non ex præcepto. *num.* 15. An iuramentum sit actus licitus, & honestus *p.* 4. Quod peccatum sit defectus veritatis, iustitiæ & iudicij in iuramento assertorio. *punct.* 5. Quale peccatum sit in iuramento promissorio defectus veritatis, & iustitiæ. *punct.* 6. Quod peccatum sit in iudicio, vel extra, iuramentum præstare in alio sensu ab eo, quem alius intelligit, *punct.* 7. Vtrum iuramentum fictum tam in iudicio, quàm extra, peccatum sit mortale. *punct.* 8. Quando consuetudo iurandi grauem culpam indicat. Vide, *Consuetudo.*

Inducere aliquem falsò iurandum, vel ad iuramentum, quod nulla ratione licitè præstare ipse potest, est peccatum graue. *tract.* 14. *disput.* 1. *punct.* 10. *num.* 1. Nunquam est licitum inducere alium ad testificandum falsitatem; tametsi testis falsitatem non cognoscat, *num.* 2. Cùm tibi dubium est, an alius peieraturus sit, vel per falsos Deus iuratutus, exigere potes iuramentum. *num.* 3. Nulla causa intercedente illicitum est petere iuramentum ab eo, quem credis malè iuraturum. *num.* 4. *& seqq.* An liceat petere iuramentum à determinato malè iurare sub hac forma: Iura, esto malè iures. *num.* 10. Quid dicendum de petitione iuramenti ab eo, quem credis violaturum. *num.* 11. Non debent Confessarij regulariter exigere iuramenta à pœnitentibus, abstinendi à criminibus. *num.* 12. Quæ pœnæ impositæ sint periuro. *punct.* 11.

In iuramento promissorio, & obligatorio voti, & iuramenti sæpè reperitur; quando hoc contingat. *tract.* 14. *disp.* 2. *part.* 1. *num.* 1. In promissionibus humanis iuratis obligatio iustitiæ non nascitur ex vi iuramenti. *num.* 2. In iuramento de re futura facienda in honorem Dei, esto regulariter votum intercedat, aliquando cessare votum potest. *num.* 3. Quoties iumentum cum promissione valida coniungitur, duplex peccatum committitur in eius violatione, &, religionis, & iustitiæ. *num.* 4. An sit maior obligatio iuramenti, quàm voti. *num.* 5. Vtrum iuramentum dolosè præstitum obligationem inducat. *punct.* 2. Vtrum iuramentum per iniuriam extractum obligationem inducat. *pun.* 3. Vtrum iuramentum metu extortum obligationem inducat. *pun.* 4. Vtrum iuramentū dolo, vel errore præstitum validum sit, & obligatorium. *punct.* 5. *num.* 1. *& seqq.* Iuramentum firmans contractum, in quo interuenit error circa eius substantiam, non obligat. *num.* 7. Resoluitur, qua ratione iuramentum appositum contractibus dolosis obligationem inducat. *num.* 26. Quæ materia requisita sit in iuramento promissorio, vt obligationem inducat *punct.* 6.

Iuramentum non ludendi, absolutè sumptum, obligatorium non est. *tract.* 14. *disput.* 2. *punct.* 7. §. 1. *num.* 1. Quoad abstinentiam à ludo immoderato obligatorium est. *num.* 7. Potest obligare quoad abstinentiam à ludo moderato. *num.* 3. Sub iuramento non ludendi, non comprehenditur ludus per interpositam personam *num.* 5. Quid dicendum de iuramento non ludendi cum hac persona, in hac domo, vel hoc ludi genere. *num.* 7. De iuramento non mutuandi non fideiubendi, nec emendi auctiori pretio, nec vendendi minori. §. 2. De iuramento non accusandi, nec denunciandi delinquentes. §. 3. De iuramento à Medicis præstito mouendi infirmos, vt confiteantur. §. 4. De iuramento Decurionum, Scribarum, & aliorum Iudicum §. 5. De iuramento facto contra prius iuramentum, votum, seu promissionem qualiter obliget §. 6.

Iuramentum de materia prohibita per legem naturalem, diuinam, aut canonicam, obligatorium non est. *tract.* 14. *disp.* 2. *punct.* 8. *num.* 2. Item, nec iuramentum de materia lege ciuili prohibita ob bonum publicum, *num.* 3. Neque item obligat iuramentum de materia lege ciuili prohibita, bonum singulorum ciuium spectante, si lex obliget ad culpam. *num.* 4. Vnde hoc cognoscendum sit. *num.* 5. 6. *&* 7. Iurans renunciare beneficium ad cuius titulum fuit ordinatus, non obligatur, nisi habeat alia, vnde viuat *num.* 8. Quid dicendum de iuramento soluendi pœnam in sponsalibus appositam. *num.* 9. Iuramentum de non reuocando testamenta obligatorium est. *num.* 1. 2. Non obligat iuramentum soluendi ea, quæ ludo ad creditum sunt lucrata *num.* 13. Quid de iuramento facto à prodigo, cui interdicta est bonorum administratio *num.* 14. Nullum est iuramentum alienandi bona, si alienatio nulla sit. *num* 15.

In iuramento promissorio homini facto duplex obligatio reperitur. *tract.* 14. *disput.* 2. *punct.* 9. § 1. *num.* 1. Qualiter iuramentum vim habeat firmandi promissionem alias inualidam *num.* 10. Multùm interest, an per iuramento firmetur contractus, vel non. *num.* 3. Obligatio iuramenti confirmatorij non potest regulariter relaxari, secùs iuramenti non confirmatorij *numer.* 4. Si iurans non petit relaxationem in iuramento confirmatorio, satisfacit momentanea solutione. *num.* 5. Obligatio iuramenti confirmatorij transit ad hæredes, secùs non confirmatorij. *num.* 6. Quale debeat esse iuramentum confirmatorium contractus. §. 2. Quos contractus irritos confirmare iuramentum possit. §. 3. Expenditur casus relatus in Authentic. Sacramenta puberum, Cod. Si aduersùs venditionem. §. 4. Expenditur casus relatus in cap. Cùm contingat, de iureiurando §. 5. Expenditur casus relatus in cap. Quamuis pactum, de pactis in 6. §. 6. An iuramentum habeat vim firmandi contractus factos contra prius iuramentum. §. 7. Vtrum tanta sit obligatio iuramenti, vt non detur locus compensationi. *punct.* 10. Vtrum obligatio iuramenti ita sit personalis, vt non transeat ad hæredes, vel successores. *punct.* 11. An iuramentum per procuratorem præstari possit, *punct.* 12. An iuramenti obligatio, antequam præstetur, impediri possit. *punct.* 13.

Iuramentum ſemper interpretandum eſt, quoad minùs fieri poſſit, obligationem inducat. *tract.* 14. *diſput.* 2. *punct.* 14. *num.* 1. Iuramentum reſtringendum eſt iuxta naturam actus, ſuper quem cadit. *num.* 4. iurans dare Petro equum, non teneris dare, ſi Petrus, quod promiſit, non ſeruat. *num.* 5. Qualiter intelligatur iuramentum de fidelitate alicui præſtanda, illique non eſſe contrarium *n.* 6. Iurans parere ſententiæ poteſt appellare *num.* 7. Iurans obedire Superiori, ceſſat obligatio ſi ab officio remoueatur. *n.* 8. iurans ſtare ſententiæ arbitri ſub certa pœna, non obligatur ad vtrumque *num.* 9. Iurans non expellere conditorem expellere poteſt, ſi penſionem nun ſoluat. *n.* 10. Iurans fideiuſſionem ſoluere non debet, quouſque principalis excutiatur. *n.* 11. Iurans ſoluere pecuniam mutuatam, poterit intra biennium exceptionem opponere non numeratæ pecuniæ. *n.* 12. Iurans dare aliquid abſenti, non obligatur quouſque ipſe, vel alius nomine ipſius validè acceptet. *num.* 13. Iurans non reſignare beneficium, vel non commutare, non obligatur Religionem ingrediens. *num.* 14. Admiſſus in Collegium Anglorum, & Iurans confectis ſtudiis ad patriam redire: poteſt Religionem ingredi. *num.* 15. Iurans tuis concollegis ferre auxilium, quomodo intelligatur. *num.* 16. Quid de iuramento non ingrediendi primum, non ſedendi nobiliori loco. *num.* 17. Iuramentum obligat rebus in eodem ſtatu permanentibus. *num.* 18. Promiſiſti ſub iuramento puellæ coniugium: fornicatur; deobligaris, *num.* 19. Iuraſti non nocere inimico, ſubintelligitur, ſi ipſe nouam cauſam non dederit. *num.* 20. Plures alij caſus apponuntur, *num.* 21. *& ſeqq.* Qualiter iuramentum dubium interpretandum ſit. *punct.* 15.

Iuſpatronatus.

Iuſpatronatus venditio ſimonia eſt ex iure Eccleſiaſtico. *tract.* 17. *diſput.* 3. *punct.* 13. *num.* 1. An verò ſit ex iure diuino. *num.* 2. *&* 3. Iuſpatronatus transfertur iure hæreditario, donatione, & venditione. *num.* 4. Expreſſio iuriſpatronatus in venditione villæ, cui eſt annexum, non conſtituit ſimoniam *num.* 5. Iuſpatronatus non cohærens fundo, ſed perſonæ, non transfertur venditis bonis omnibus illius. *num.* 6. Quid, quando bona eſſent annexa iuripatronatus, & venderetur. *n.* 7. Extra tres ſupradictos modos, nec vendi, neque transferri poteſt iuſpatronatus *num.* 8. Venditio officiorum temporalium Eccleſiæ ſimonia eſt iuris humani. *num.* 9.

Iuſpatronatus inter bona immobilia computatur *tract.* 12. *diſput. vn. punct.* 15. §. 5. *num.* 1. Qua ratione alienari poſſit. *num.* 2. Ius in ſepulcrum vendi non poteſt. *num.* 3. Iuſpatronatus, & ſepulcrorum, qua ratione ad ſucceſſores deueniat. *numero* 4.

Læſio.

Ob enormem læſionem iuramenta à maioribus 25. annis præſtita relaxari non poſſunt, ſecùs ob enormiſſimam. *tract.* 14. *diſput.* 3. *punct.* 4. *num.* 4. Quæ ſit læſio enormiſſima. *num.* 5. Solùm in contractibus reciprocis datur reſciſſio contractus ob enormem, vel enormiſſimam læſionem. *num.* 6. Non eſt locus reſciſſioni contractus, nec relaxationi iuramenti, ſi quod ſit, ſi deceptor velit iuſtam æſtimationem rei ſupplere. *num.* 8.

Ludus.

Alearum Religioſo interdicitur; ſed, ſecluſo ſcandalo, non eſt mortale. *tract.* 16. *diſput.* 3. *punct.* 13. §. 5. *num.* 1. Ad Religioſos laïcos prohibitio extenditur. *num.* 2.

Magia.

In quo magia conſiſtat. *tract.* 17. *diſput.* 1. *punct.* 8. *num.* 1. Hæc ſemper habet tacitum cum Dæmone pactum *num.* 2. Eſt grauiſſimum peccatum, neque excuſatur ex renunciatione expreſſa illius. *num.* 3. Ex ignorantia eſſe poteſt aliquando veniale peccatum. *num.* 4. Hoc peccatum magiæ alia plura ſecum trahit, *num.* 6. Triplex eſt magia iuxta triplex genus contractuum qui per magnam procurari poſſunt. *num.* 5. Vt effectus aliquis à magia damnata procedat, debet cauſam naturalem excedere: & quomodo poſſit hoc cognoſci, *tract.* 17. *diſp.* 1. *punct.* 10. *num.* 1. *& ſeqq.* Differt hæc magica ſuperſtitio à diuinatione quia diuinatione tranſiens cognitio procuratur; at magica ſuperſtitione permanens. *num.* 6. Scientia rerum naturalium tametſi malè acquiſita, liberè vti poteſt. *num.* 7. Si aliqua verba, vel ſigna ſacra vſurpes, credens illis liberum te eſſe à ſubitanea morte, à læſione inimicorum, ab aliquóque caſu fortuito magicam ſuperſtitionem committis. *num.* 8. Idem eſt, ſi bona fortunæ precibus circunſtantias vanas habentibus cónſequi ſperes: & quid de mulierculis, vulgò *enſalmodoras*. *num.* 9. Quæ in his præcibus à ſuperſtitione excuſent. *num.* 10. Si mediis improportionatis ſanitatem corporis procures, ſuperſtitioſus es: & quid de vſu imaginum aſtronomicarum. *num.* 11. Mutare locum in ludis, ſperans inde fœlicem euentum, ſuperſtitio eſt, ſi certò credatur, *n.* 12. Vide, *Superſtitio. & Maleficium.*

Maioratus.

Tranſit in Monaſterium ſuccedendi capax, durante Religioſi vita. *tract.* 16. *diſput.* 3. *punct.* 4. §. 1. *num.* 1. An maioratus ante profeſſionem à Religioſo poſſeſſus habens clauſulam expreſſam, vel tacitam excludentem Religioſos, tranſeat in Monaſterium. *num.* 2. *&* 3.

Maleficium, Maleficus.

Si effectus malefici alteri nociuus eſt tenetis mediis omnibus, illius remedium procurare. *tract.* 17. *diſp.* 1. *punct.* 11. *num.* 2. Licitum eſt, & aliquando obligatorium mediis ſupernaturalibus vti ad curandos maleficij effectus, *num.* 3. Naturalia remedia licita per ſe ſunt, & malefico obligatoria, ſi illius nocumentum factum reparari poteſt. *num.* 4. Non licet magis, ſeu maleficis, maleficij nocumentum reparare alio maleficio, tametſi alia via damnum reparari non poſſit. *num* 5. Non licet Iudici cauſa curioſitatis, vel alterius finis præcipere mago, vt maleficium coram ſe faciat. *num.* 6. An liceat maleficium deſtruere. *num.* 7. *&* 8. Non ſolùm licitum eſt, ſed obligatorium ex charitate, in eo qui conſcius fuerit. *num.* 9. Licet etiam ſigna contraria apponere, ſi debito fine apponantur. *num.* 10. Quid licet Iudicibus circa maleficos. *num.* 12.

Non licet à malefico, quantuncunque ad id parato, petere, vt maleficium maleficiis diſſoluat, neque ad id cogere. *tract.* 17. *diſput.* 1. *punct.* 12. *num.* 1. Si dubius es, an maleficium maleficio ſit diſſuoluendum, non poteris petere illo medio dubio duſſolui. *num.* 2. Quid, ſi maleficus mediis licitis, & illicitis poſſit maleficium diſſoluere. *n.* 3 *& ſeqq.* A Dæmone petere non potes maleficij diſſolutionem. *num.* 7. Item, neque præcipere benè tamen obiurgare, & reprehendere. *num.* 8. Vide, *Magia. & ſuperſtitio.*

Metus.

A Deo, ſeu à cauſis naturalibus proueniens non impedit voti valorem. *tract.* 15. *diſput.* 1. *pun.* 5. *num.* 2. Idem eſt de metu à cauſa libera incuſſo, ſed non ad extorquendum votum. *numero.* 3. Metus grauis incuſſus, etiam iuſte, ad extorquendum votum, iure naturæ votum non annullat. *num.* 5. Idem eſt, ſi metus iniuſtè incuſſus ſit. *num.* 6. *& ſeqq.* Votum Religionis aſſumendæ, hoc metu conceptum eſt nullum *num.* 14. Ex metu leui non irritatur profeſſio. *num.* 15.

Minor.

Iurans contractum non excluditur abſolutè à beneficio reſtitutionis conceſſo in leg. 2. Cod. ſi aduersùs vendit. *tract.* 14. *diſput.* 2. *punct.* 9. §. 4. *num.* 6. Non eſt neceſſe minorem certiorem certiorari de nullitate contractus, nec de beneficio reſtitutionis. *num.* 7. Neceſſaria eſt pubertas minore, vt contractus firmetur, nec ſufficit proximum eſſe pubertati. *num.* 8. An iuramentum minoris proximi pubertati obligationem inducat *num.* 9.

Minoribus in votis non competit reſtitutio. *tract.* 15. *diſp.* 2. *punct.* 7. *num.* 16.

Monachus.

Vide, *Religioſus.*

Moniales.

Omnes iure Eccleſiaſtico obligantur, ne è ſuo Monaſterio exeant. *tract.* 16. *diſput.* 4. *punct.* 9. *num.* 1. Moniales, ad clauſuram obligari poſſunt *num.* 2. Quæ Moniales conuerſæ, ſeu laïcæ à clauſura excipiantur. *num,* 3. Stante legitima cauſa, manifeſta, & euidenti ingreſſus, ſi Epiſcopus nollet approbare cauſam, vel Prælatus licentiam concedere poteſt Monialis exire. *num.* 11. Quæ ſit legitima cauſa egreſſus *num.* 12. *& ſeqq.* Ceſſante cauſa ob quam Monialis egreſſa eſt, redire illico debet. *num.* 19. Quæ pœnæ ſint impoſitæ egredientibus, & ad egreſſum cooperantibus. *num.* 20. An hæ pœnæ afficiant Monialem legitimo titulo egreſſam, ſed iniquè extra commorantem. *num.* 21. Requiritur ad ſupradictarum pœnarum incurſum, egreſſum è clauſura completum eſſe. *num.* 24. Qualiter ingreſſus in Monaſteria Monalium ſit prohibitus *punct.* 10. §. 1. Qui poſſint licentiam dare ad ingreſſum in Monialium Monaſteria, & qualiter hæc licentia concedenda ſit. §. 2. Quæ cauſa neceſſaria ſit ad prædictam licentiam concedendam. §. 3. Quæ pœnæ impoſitæ ſunt ingredientibus Monialium clauſuram §. 4. Qualiter acceſſus ad Monialium Monaſteria ſit prohibitus, & ſub qua pœna. *punct.* 11.

Monaſterium.

Aliud eſt capax ſuccedendi; aliud ſuccedendi incapax. *tract.* 16. *diſp.* 3. *punct.* 4. *num.* 1. Monaſteria, quæ Religioſis ſuccedunt, id habent ex iure Eccleſiaſtico, & ciuili *num.* 3. Vſusfructus bonorum Religioſi, de quibus ante profeſſionem non diſpoſuit, durante eius vita, Monaſterio acquiritur. *punct.* 4. §. 1. *num.* 3. Limita in Religionis Societatis Ieſu vota biennij emittentibus, qui vſum fructum retinent. *num.* 1. Tranſlato Religioſo ad aliud Monaſterium legitimè tranſit cum illo vſus fructus. *num.* 8. Qualiter annuum legatum, peculium filij-familiâs, ius patronatus, & ius retractus in monaſterium transferatur. §. 2. Qualiter matoratus, feudum, & emphyteuſis tranſeant in Monaſterium. §. 3.

Si profitearis in Monaſterio capaci ſuccedendi, ſuccedit Monaſterium in fideicommiſſo, durante tua vita. *tract.* 16. *diſp.* 3. *punct.* 4. §. 4 *num.* 2. Si teſtator appoſuit clauſulam grauato, ſi ſine liberis deceſſerit, & nullis filiis relictis ingreditur Monaſterium, excluditur in perpetuum ſubſtitutus. *num.* 5. Apponuntur plures limitationes. *num.* 6. *& ſeqq.* Quid dicendum de ſucceſſione fideicommiſſi in Religione Societatis Ieſu. *num.* 7. An hæreditas, & legatum Monacho poſt profeſſionem delatum, deferatur ipſi immediatè, an Monaſterio? *punct.* 5. Monaſterium ex delicto Religioſi, etiam Prælati, non obligatur. *tract.* 16. *diſp.* 3. *punct.* 16. *num.* 1. Ex contractibus ante profeſſionem obligatur Monaſterium pro viribus hæreditatis tantùm. *num.* 2. Ex bonis occaſione Monachi profeſſi Monaſterio prouenientibus Monaſterium obligatur ſatisfacere. *num.* 3. Ex contractibus poſt profeſſionem nulla eſt obligatio Monaſterio. *num.* 4. Qualiter ex contractu Religioſi extra clauſtra commorantis obligetur Monaſterium. *num.* 5. Qualiter ex contractu Prælati. *num.* 6.

Fœminis interdictum eſt in Monaſteria virorum Religioſorum ingredi. *tract.* 16. *diſp.* 4. *punct.* 8. *num.* 1. Non comprehenduntur Reginæ, nec de ſanguine regio. *num.* 3. Non comprehenduntur Fundatrices. *num.* 4. Quæ poſſunt ingredi decentem comitatum, & ſolitum deferentes. *num.* 5. Monaſterium eſt locus prohibitus. *num.* 6. Quid ſub nomine Monaſterij. *num.* 7. Ex pietate, & neceſſitate licitus eſt hic ingreſſus. *num.* 8 *& 9.* Quid, ſi fœminam introductam fabulationibus detineas, ne è Monaſterio egrediatur. *num.* 11 qualiter ingreſſus in Monaſteria Monialium prohibitus. *tract.* 16. *diſput.* 4. *punct.* 10. §. 1. qui poſſint licentiam dare ad ingreſſum in Monialium Monaſteria, & qualiter hæc licentia concedenda ſit. §. 2. quæ cauſa neceſſaria ſit ad prædictam licentiam concedendam §. 3. qualiter acceſſus ad Monaſteria Monialium ſit prohibitus. *punct.* 11.

Monaſterium tenetur ſoluere expenſas factas in reductione Religioſi: ſecùs factas in fugitiui ſuſtentatione, extra reductionis caſum. *tract.* 16. *diſp.* 4. *punct.* 17. *num.* 2.

Negotiatio.

Propria Religioſis eſt interdicta. *tract.* 16. *diſp.* 4. *punct.* 13. §. 3. *num.* 1. Qualis ſit hæc negotiatio. *num.* 2. Inferuntur plura quæ à negotiatione excludantur. *num.* 3. An emere merces in India in Hiſpania vendendas, eò quòd priuilegium eſt à Rege conceſſum, ſit negotiatio. *num.* 5. Ex vnico actu grauis negotiationis peccatum mortale inducitur. *num.* 6. Non ſolum per propriam, ſed per interpoſitam perſonam negotiatio eſt prohibita. *num.* 7. Neceſſitas grauis propriæ perſonæ, & familiæ, licitam facit negotiationem. *num.* 8. Aſſiſtere nundinis prohibitum eſt Religioſis. *num.* 9.

Nouitiatus, Nouitius.

Nequit Nouitius, durante nouitiatu, matrimonium contrahere, ſi habitum non dimittat. *tract.* 16. *diſp.* 1. *punct.* 10. *num.* 3. Obligatus eſt Nouitius ex honeſtate ſeruare Regulas. *num.* 4. Obligari non poteſt ſuperioris præcepto. *num.* 5. Nouitius violans caſtitatem non addit, ſecluſo ſcandalo, nouam malitiam. *num.* 6. Prælatus regularis non poteſt præcipere Nouitio, aliter quàm poſſit Prælatus Eccleſiaſticus Clericis ſibi ſubiectis. *num.* 7. Nouitius puniri poteſt à Prælato regulari ob quodlibet delictum. *num.* 8. Quid dicendum de caſuum reſeruatione. *num.* 9. Quæ ſint priuilegia Nouitiis conceſſa *punct.* 11.

Nouitiatus annus debet eſſe integer, & continuus, *tract.* 16. *diſp.* 1. *punct.* 12. §. 2. *num.* 1. Quæ interruptio ſufficiat vt nouitiatus diſcontinuetur. *num.* 6. Depoſito habitu animo mutandi ſtatum, interrumpit. *num.* 7. Idem, ſi à Monaſterio exeas animo fugiendi ſubiectionem. *num.* 8. Qualiter amentia, & furor interrumpat nouitiatum. *num.* 9. Debet nouitiatus cum profeſſione continuari. *num.* 10. A quo tempore nouitiatus computandus eſt. §. 3. Quæ conditiones ſeruandæ ſunt, vt nouitiatus legitimè fiat. §. 4. An nouitiatus in Societate Ieſu diuerſam conditionem habeat à nouitiatu aliarum Religionum. *punct.* 13.

Nouitius via teſtamenti de ſuis bonis diſponere poteſt, nulla requiſita licentia. *tract.* 16. *diſp.* 1. *punct.* 14. *num.* 1. Tenetur ſeruare in hac diſpoſitione ſolemnitates à iure præſcriptas. *num.* 2. Valida perſiſtit hæc diſpoſitio, nec profeſſione infirmatur. *num.* 3. *&* 4. Teſtamentum Nouitij ita Religionis profeſſione firmum perſiſtit, vt reuocari non poſſit. *num.* 5. An hæreditas, & legata in teſtamento relicta concedi debeant hæredi, & legatarijs, cùm Nouitius profeſſionem facit. *num.* 6. *& ſeqq.* Quid dicendum Trid. decreto ſpectato. *num.* 10. *& ſeq.* Valida eſt diſpoſitio bonorum à Nouitiis Societatis Ieſu per viam teſtamenti facta. *num.* 15. De diſpoſitione bonorum, quam Nouitius renunciatione, ſeu donatione, facere poteſt, ſecluſo nouo iure Trident. *punct.* 15. An ſpectato iure communi, & ſecluſo Trid. bona Nouitij, decedentis ante profeſſionem, debeantur Monaſterio ſucceſſionis capaci *punct.* 16.

Decretum Trid. comprehendit Nouitios maiores ſexdecim annis *tract.* 16. *diſp.* 1. *punct.* 17. *num.* 5. Non comprehendit teſtamentum, nec donationem cauſa mortis, nec reuocabilem. *num.* 6. Donatio irreuocabilis ex natura ſua, quæ ſit magni momenti, comprehenditur. *n.* 7. Poſsítne dari mutuum à Nouitio præſtita ſufficiente cautione de reditu, ſi religionem deſerat. *num.* 8. Debet fieri renunciatio intra duos menſes proximos profeſſionis. *num.* 9. Requiritur licentia Epiſcopi. *num.* 10. Non eſt opus dari in ſcriptis. *num.* 11. Eſt ita firma, vt à Nouitio reuocari non poſſit. *num.* 12. Non transfertur dominum in reſignatarium quouſque profeſſio valida ſequatur. *num.* 13. Vt renunciatio hæreditatis patris viuentis in fauorem alicuius extranei effectum habeat, non eſt opus Monaſterium cedere. *num.* 18. Non habet locum decretum Concilij in renunciationibus Ieſuitarum factis iuxta eorum inſtitutum. *punct.* 18. *num.* 1. Facta hac renuniatione in fauorem Societatis Ieſu, poteſt Societas ea bona capere, & retinere. *num.* 3. An renuncians hæreditati patris viuentis in fauorem Societatis, & mortuo patre, tempore, quo ipſe profeſſus eſt, ſuccedat Societas. *num.* 4. *&* 5.

Nouitius eligere poteſt ſepulturam: ſi ea non electa decedat, in Monaſterio ſepeliendus eſt. *tract.* 16. *diſp.* 4. *punct.* 23. §. 8. *numer.* 8. Cuius expenſis Nouitius ſepeliendus ſit. *numer.* 9.

Obedientia.

Religioſa continet votum formaliter, & acceſſoriè promiſſionem, & traditionem Prælato factam. *tractat.* 16. *diſp.* 4. *punct.* 1. *num.* 1. In violatione obedientiæ plures malitiæ continentur. *num.* 2. *&* 3.

Obſeruantia vana.

In quo obſeruantia vana, ſeu magia conſiſtat. *tract.* 17. *diſp.* 1. *punct.* 8. *num.* 1. Hæc ſemper habet tacitum cum Dæmone pactum. *num.* 2. Eſt grauiſſimum peccarum, neque excuſatur ex renunciatione expreſſa illius. *num.* 3. Ex ignorantia eſſe poteſt aliquando veniale. *num.* 4. Hoc peccatum magiæ alia plura ſecum contrahit. *num.* 5. Triplex eſt magia iuxta triplex genus contractuum, qui per magiam procurari poſſunt. *num.* 6. Declarantur magicæ ſuperſtitiones, quouſque illicitæ ſint. *punct.* 10. Vide, *Magia.*

Officium.

Aduocati, & procuratoris in iudicio Religioſis interdicitur. niſi accedat licentia Prælati, & Monaſterij vtilitas. *tract.* 16. *diſp.* 4. *punct.* 12. §. 1. *num.* 1. Cuiuſlibet cauſæ patrocinium prohibetur. *num.* 5. Interdicitur Religioſo procuratorem ſubſtituere. *num.* 6. Officium tabellionis omnibus Religioſis eſt prohibitum. *num* 8. Quilibet Religioſus, etiam Franciſcanus, teſtis in iudicio eſſe poteſt, & in cauſa ſui Conuentus. *num.* 9. *& ſeqq.* An officia Iudicis, actoris, rei, Aduocati, procuratoris, tabellionis, & teſtis, pro quorum licito vſu licentia ſuperioris requiritur, nulla ſint, & irrita, ſi abſque ea licentia fiant. §. 4.

De officio Medici, & Chirurgi, qualiter Religioſis interdictum ſit. *tract.* 16. *diſp.* 4. *punct.* 13. §. 2. De officio tutoris & curatoris Religioſis interdicto. *d. tractat. & diſp. punct.* 13. §. 7.

Præcepta Societatis Ieſu.

Præcepta, quibus Religioſi Societatis aſtringuntur, tum à Præpoſito Generali, tum à Congregatione generali ſtatuta, non expirant morte Generalis ſtatuentis: ſed in omnes ſuam vim, & obligationem retinent, quouſque à ſucceſſore reuocentur. *tract.* 16. *diſp.* 5 *punct.* 19. *num.* 1. Explicantur omnia præcepta *à num.* 2. *vſque ad fin. punct.*

Prælatus.

Regularis quancunque tem honeſtam ex voto obedientiæ præcipere non poteſt. *tract.* 16. *diſput.* 4. *punct.* 4. *num.* 2. Quæ in regula continentur tacitè, vel expreſſe, præcipere poteſt. *n.* 3. Ependuntur caſus frequentiores, qui in regula tacitè continentur. *n.* 4. *& ſeqq.* An Prælatus te obligare poſſit ſuſtinere aſperitates Regulæ primùm à Pontifice approbatę *num.* 8. *&* 9. Qualiter te obligare poſſit regulam reformatam ſeruare. *n.* 10. *&* 11.

Quas pœnas ſpirituales Prælatus regularis imponere poſſit. *tract.* 16. *diſſ.* 4. *punct.* 4. *num.* 3. Prælato regulari interdicitur ſubditum delinquentem pœna mortis punire. Idem eſt de verberatione publica, & mutilatione. *n.* 5. An pœna triremis poſſit Religioſus à ſuo Prælato condemnari. *n.* 6. *&* 7. De pœnis perpetui carceris; & triremis, an obligati ſint Religioſi eas in ſe exequi. *num.* 9. *&* 10. Si carcer ſit ita durus, vt periculum vitæ timeas fugere poteſt. *num.* 11.

Prælati regulare ratò excuſantur ab obligatione fugitiuos quærendi, & ad Religionem reducendi *tract.* 16. *diſp.* 4. *punct.* 12. *num.* 1 Monaſterium tenetur ſoluere expenſas factas in reductione Religioſi. ſecùs factas in fugitiui ſuſtentationem extra reductionis caſum. *num.* 2.

Penſio.

An Penſiones poſſint vendi, & redimi abſque ſimonia. *tract.* 17. *diſput.* 3. *punct.* 13. *num.* 6. Duplex ex penſio alia laïca, alia Eccleſiaſtica: laïca vendi poteſt. *n.* 7. Eccleſiaſtica. quæ multiplex, nequaquam abſque ſimonia vendi poteſt. *num.* 8. An poſſint redimi propria authoritate. *n* 9. & 10. Reſignans beneficium cum onere penſionis; non poteſt paciſci, vt penſio redimatur *n.* 11. Quod dicitur de penſionibus Eccleſiaſticis, dicendum eſt de præſimoniis. *num.* 12.

Permutatio.

Permutatio beneficiorum, & cuiuſvis iuris ſpiritualis, ſi authoritate propria fiat, eſt ſimonia iuris humani. *tract.* 17. *diſput.* 3. *punct.* 15. *num.* 3. Talis permutatio eſt nulla *n.* 4. Permutatio beneficiorum, authoritate Superioris licita eſt. *num.* 5. Fieri poteſt coram eo, qui poteſtatem habet beneficia conferendi. *n.* 6. Et fieri poteſt ſingulis menſibus *n.* 7 De quibus beneficiis permutatio intelligatur. *n.* 8. Authoritate Ordinarij non poteſt fieri permutatio inter iura ad beneficia. *num.* 9.

Procurator.

Per procuratorem præſtari iuramentum poteſt, niſi contrarium iure. vel conſuetudine cautum ſit. *tract.* 14. *diſput.* ..... *punct.* 12. *num.* 1. Procurator debet habere ſpeciale mandatum ad iurandum, & ſingata cauſa. *num.* 2. Si abſit hoc mandatum, non obligatur Dominus. *n.* 3. Quid ampliùs in Procuratore minoris requiratur. *num.* 5. Aliqui ſunt caſus excepti, quibus iuramentum per Procuratorem præſtari non poteſt. *num.* 5.

Profeſſio.

Annus probationis ad licitam profeſſionem eſt neceſſarius. *tract.* 16. *diſput.* 1. *punct.* 12 §. 1. *num.* 1. Excipiuntur Commendatarji Monaſteriorum, quæ capita ſunt. & Primates Ordinum *num.* 5. Excipiuntur Milites Ordinum militarium. *num.* 6. item excipiuntur Moniales Ordinis B. Dominici, in mortis articulo conſtituæ. *num.* 7. Succedit Monaſterium in bonis ſic profeſſæ. *num.* 8.

Profeſſio alia eſt tacita, alia expreſſa: & de vtriuſque conditionibus. *tract.* 16. *diſput.* 2. *punct.* 1. *num.* 1. Debet fieri profeſsio traditione continente votum caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ. *num.* 2. Si fiat, ſub conditione repugnante obſeruationi caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ ea in Religione præſcriptæ, non tenet. *num.* 3. Quid, ſi fiat ſub conditione honeſta de futuro. *num.* 4. *&* 5. Profeſſio tacita inducebatur geſtatione habitus Profeſſorum. *num.* 6. Item, exercitio alicuius actus Profeſſorum. *num.* 7. Concilium non diſpoſuit de profeſſione tacita, dommodo in ea ſeruentur conditiones præſcriptæ in profeſſione expreſſa. *num.* 8. Quæ differentia ſit inter profeſſionem tacitam, & expreſſam. *num.* 9. In Societate Ieſu non eſt locus profeſſioni tacitæ. *num.* 10. Expenditur, conditio ætatis, & nouitiatus ad profeſſionem requiſita. *punct.* 2. §. 1. Qualiter profeſſio libera debeat eſſe, & abſque errore. § 2. Declaratur libertas à ſeruitute requiſita §. 3.

Profeſſio ſine licentia coniugis nulla eſt, obligat tamen profitentem non petere debitum. *tractat.* 16. *diſp.* 2. *punct* 2. §. 4. *num.* 2. Poteſt hic Religionem deſerere abſque licentia coniugis; ſed non abſque authoritate Iudicis. *num.* 3. *&* 4. Conius in ſæculo relictus non poteſt ad Religionem migrare *num.* 5.

Si Religionem ingrediaris ex licentia coniugis non ſeruantis conditiones à iure præſcriptas, validus eſt ingreſſus. *num.* 7. An reuocati poſſit. *num.* 8. Reuocatus petere debitum poteſt. *num.* 6. Si ſeruatis conditionibus à iure præſcriptis Religionem ingrediaris, valida, & licita eſt profeſſio. *num.* 10. In Societate Ieſu nec profeſſio, nec incorporatio tenet coniugati, niſi ſeruatis conditionibus præſcriptis à iure. *num.* 11. Explicatur libertas à vinculo Epiſcopalis dignitatis requiſita ad profeſſionem. §. 5.

Neceſſitas parentum non impedit profeſſionis valorem *tract.* 16. *diſput.* 2. *punct.* 2. § 6. *num.* 1. Si tempore tuæ profeſſionis parentes patiebantur neceſſitatem, qualiter Monaſterium obligatum ſit ſuccurrere. *num.* 3. Qualiter filius ſuccurrere teneatur, ſi pater grauiter indigeat. *num.* 5. *& ſeqq.* Obligatus eſt filius ſuccurrere parenti, in quantum poſſit, ſalua obedientia. Ordineque religioſo. *num.* 9. *& ſeqq.* Supradicta procedunt de Religioſis Ieſuitis non profeſſis. *num.* 15. Dicta de filio comparatione parentis, procedunt de parente, comparatione filij, ſed non de fratribus, & ſororibus. *num.* 15. De aliis conditionibus ex parte profitentis ad profeſſionem requiſitis. §. 7. Quæ ſint conditiones requiſitæ ex parte illius, qui ad profeſſionem, & incorporationem in Societate admittere debet *punct.* 3. An ſi profeſſioni deficiat aliqua ex ſubſtantialibus conditionibus, aliquem effectum, & obligationem inducat. *punct.* 4.

Profeſsio nulla eſſe poteſt ex variis impedimentis *tract.* 16. *diſput.* 2. *punct.* 5 *num.* 1. Ad ratificandam profeſsionem debet tolli impedimentum; & adeſſe nouus conſenſus, tum profeſſi, tum Religionis. *num.* 2. Hic conſenſus debet eſſe ex notitia nullitatis *num.* 3. Qualiter ex parte Religionis adeſſe debeat ſcientia nullitatis. *num.* 4. Reualidatio profeſſionis inualidæ inducitur delatione habitus profeſſorum per quinquennium. *num.* 5. An nouitiatus repetendus ſit. *num.* 6. *& ſeqq.* An ſic tacitè profeſſus ſe gerere poſſit, ac ſi expreſsè profeſſus eſſet *num.* 10. In Societate Ieſu eſſe poteſt profeſſionis, ſeu incorporationis inualide ratificatio. *punct.* 6. *num.* 2. Eiſdem actibus, ac in aliis Religionibus inducitur ratificatio. *num.* 3.

Qualiter inualidè profeſsis, ſeu in Societate Ieſu incorporatis liceat Religionem deſerere, & aduersùs illam reclamare. Quid ſtatuerit Trident. *tract.* 16. *diſput.* 1. *punct* 7. *num.* 1 Procedit conſtitutio æquè de incorporatis per vota biennij in Societate, ac de profeſſis. *num.* 2. Coram quo ſuperiore reclamatio facienda eſt. *num.* 6. Si certò cognoſcis profeſſionem nullam fuiſſe, nec ratificaſſe an fugere poſſis. *n.* 8. 9. *&* 10. Elapſo quinquennio audiri non poteſt Religioſus *num.* 11. Dictum decretum non habet locum niſi impedimentum ſublatum ſit. *num.* 12. *& ſeqq.* Religioſa profeſſione, & biennia in Societate Ieſu incorporatione tranſis in dominium Religionis. *tract.* 16. *diſput.* 2. *punct.* 8. *num.* 1. Soluitur patria poteſtas. *num* 2. Remittuntur peccata quoad pœnam *num.* 3. Commutantur omnia vota. *num.* 4. 5. & 6. Incorporatione in Societate non extinguuntur vota, ſed ſuſpenduntur. *num.* 7. Tollitur irregularitas ex defectu natalium *num.* 8. Sed non quoad prælaturam, nec beneficium curatum *num* 9. Sola profeſſione tollitur hæc irregularitas. *num.* 10. Item, votis biennij. *num.* 11. Purgatur inhabilitas ad actus temporales. *num.* 14. Deletur ingratitudinis nota, *num.* 15. Item matrimonium irritatur. *num.* 16.

Profeſſus in Religione Minorum capucinorum, & Societatis Ieſu, non poteſt ampliùs de ſuis bonis diſponere *tract.* 16. *diſput.* 3 *punct.* 3. *num.* 2.

Regula.

Diſtinguuntur variæ Regulæ Religionum diuerſas obligationes continentes. *tract.* 16. *diſput.* 4 *punct.* 3. *num.* 1. Ex duplici capite obligat Regula ad veniale ex leuitate materiæ, & ex intentione legiſlatoris. *num.* 2. Regulæ ad nullam culpam obligantis tranſgreſſio non eſt, contra votum obedientiæ, imò, aliquando carere culpa poteſt ſi honeſtum finem habeat. *num.* 3. Tranſgreſſor Regulæ debet ſubire pœnam, eſto coram Deo non habeat culpam. *num.* 4. An ſi in ſtatu peccati mortalis Religioſus conſuetudinem habens violandi Regulas non obligantes ſub mortali *num.* 5. 6. *&* 7. Tranſgreſsio Regulæ quas contineat malitias. *tract.* 16 *diſp.* 4. *punct.* 1. *num.* 4 Quæ in Regula continentur tacitè, vel expreſsè. Prælatus præcipere poteſt. *dicto tract. & diſput. punct.* 4. *num.* 4. Expenduntur caſus frequentiores, qui in Regula tacitè continentur. *num.* 5. *& ſeqq.* An obligari poſsis ſuſtinere aſperitates Regulæ primitinæ à Pontifice approbatæ, *num.* 8. *&* 9. Qualiter Regulam reformatam obligatus ſis ſeruare, *num.* 10. *&* 11.

Relaxatio iuramenti.

In Ecclesia est potestas relaxandi iuramenta homini præstita. *tract.14.disput.3. punct.2. num.1.* Quæ legitima causa huius relaxationis. *num.2.* An iuramentum soluendi ea, quæ ludo ad creditum sunt acquisita, possit relaxari. *num.3.* Ob turpitudinem creditoris relaxari iurament. potest. *numer.4.* Relaxatio iuramenti leui metu extorti, ab Episcopo concedi potest *n.6.* Possunt supradicta iuramenta post commissum periurium relaxari *num.7.* Potest peti hæc relaxatio sine manifestatione commissi periurij. *num.8.* Priuilegio Bullæ, & aliis priuilegiis concedentibus potestatem dispensandi in votis iuratis, hæc iuramenta iniquè extorta relaxari non possunt. *num.9.*

Iuramenta apposita in contractibus, in quibus dolus incidit, si fiant ab impubere, esto doli capace, relaxari possunt ab Episcopo. *tract.14.disp.3.pun.4.num.1.* Secùs facta iuramenta à puberibus, nisi læsi fuerint vltra dimidiam. *num.2.* Quid, si minores iurauerint non, contrauenire contractui, nec ratione minoris ætatis, nec læsionis, neque alia ratione. *num.3.* Si iuramenta præstentur à maioribus 25. annis non possunt ob enormem læsionem relaxari: secùs ob enormissimam. *num.4.* Et si contractus iuramento præstitus fuerit geminatus, relaxatio conceditur. *num.7.* Non est locus rescissioni contractus, nec relaxationi iuramenti, quando interceßit læsio vltra dimidiam, si deceptor velit iustam æstimationem rei supplere *num.8.* In Romana Curia non conceditur relaxatio ad effectum agendi in obligationibus cameralibus *num 9.* An in illis casibus, in quibus ob læsionem enormen, vel enormissimam, potes agere ad rescissionem contractus, vel pretij supplementum indigeas iuramenti relaxatione. *num.11. & seqq.* Quæ requirantur, vt Iudex relaxationem iuramenti inique extorti concedat *punct. 5.* Qui Superior relaxare, aut remittere potest iuramenta homini præstita *punct. 6.*

Religio.

Parochus, & quilibet alius beneficiatus potest, contradicente Episcopo, Religionem ingredi. *tract.16.disput. 1. punct. 7. §.1.num.1.* Episcopus non potest, inconsulto Summo Pontifice. *num. 2.* Qualiter impuberes filijfamilias, & serui impediantur à Religione. §.2. Qualiter coniuges impediantur à Religionis ingressu. §. 3. An obstricti debitis, & ratiociniis reddendis, ingredi Religionem possint. §. 4. Si necessitas patris sit extrema & in sæculo manens potest subuenire, econtra in Religione, nequit eam ingredi filius §. 5. *num.2.* Hæc obligatio extenditur etiam comparatione cuiuslibet proximi. *num.4.* Necessitas grauis obligat filium, Religionis ingressum differre. *num.5.* Apponitur limitatio *num.7.* Quæ dicta sunt procedunt, tametsi filius voto Religionis suscipiendæ ligatus esset. *num. 10.* Quæ dicuntur de filio comparatione parentis, dicenda sunt de parente comparatione filij. *num.11.* Ob necessitatem fratrum, aliorumque consanguineorum, non teneris Religionem differre. *num.12.* Si voto Religionis obstrictus sis pro determinato tempore, non potes differre ob hanc fratrum necessitatem propria authoritate; benè tamen authoritate Prælati. *num.13.* Necessitas communis non præstat filio, comparatione parentis, impedimentum Religionis ingressui. *num.14.* An ob paupertatem Monasterij excludantur aliqui à Religionis ingressu. §. 6.

Expenduntur primatia, seu substantialia impedimenta propter quæ Religio Societatis Iesu ingredientes excludit. *tract.19. disput.1.punct.8.§.1.per num.24.* Expenduntur secundaria impedimenta à Societate aliqualiter excludentia. §.2.

Coactio Religionis professionem annullat, sed non nouitiatum *tract.16.disput.1. punct.9. num.1.* Ingressus Religionis debet esse immunis à vitio simoniæ. *num. 12.* Ex parte admittentis debet adesse necessariò potestas, aliàs nullus est ingressus. *num.13.* Debet præmitti informatio generis, vitæ morúmque recipiendi. *num. 14.* Non possunt Prælati absque rationabili causa, negare ingressum aptis. *num.15.*

An quælibet Religio capax sit hæreditariæ successionis *tract. 16. disp.3. punct.8.* Quælibet Religio excepta Minorum, & Capucinorum, capax est cuiuslibet legati, & donationis. *punct. 9.num.1.* Religiones Minorum incapaces sunt legati continentis totam hæreditatem, vel maiorem illius partem. *num. 2.* Item, incapaces sunt legati rei immobilis. *num.3.* Capaces tamen sunt cuiuslibet legati rei mobilis. *num.8.* Quid dicendum de animalibus relictis Minoribus. *num.9.* Quid de legato annui redditus. *num.10. & seqq.* Possessionem alicuius prædij potes Minoribus reuocabiliter concedere, secùs irreuocabiliter. *num.21.* Quibus remediis possint Minores recuperare legatum sibi relictum. *num.22.*

Qualiter Religio Societatis Iesu, eiusq; Religiosi capaces sint, hæreditariæ successionis ex testamento, vel ab intestato, & cuiusuis legati. *tract.16.diput.3.num.10.*

Religio non tenetur alere Religiosum iustè expulsum. *tract. 16. disput.3. punct. 18. num. 1.* Bona donata Societati non tenetur Societas expulsis reddere. *num.2.* Fugitiuos tenetur per se Religio alere, per accidens excusatur. *num.3.* Recluſi in aliena Religione, à propria sunt alendi *num.4.* Apponitur limitatio. *num.5.*

An Religio eo ipso, quo sit perfectior, sit etiam strictior, durior, & seuerior, *tract.16. disput.4. punct.26. §. 1. num.1. & 2.*

Religiosus.

Nolens hæreditatem adire, potest à Superiore compelli: quòd si compulsus adhuc nolit, Monasterium adire potest. *tract.16. disput.3. punct.5. num.5.* Si hæreditate delata Religioso, ante illius aditionem moriatur; potest Monasterium illam adire *num.6.* Si testator vellet dominium legati ad Religiosum pertinere, nulla est eius dispositio. *punct.6. num.1.* Limitatur in Societate I e s v. *num.2.* Relicta legati commoditate Religioso, sub ea conditione, ne possit à Superiore auferri, valida est dispositio, sed reiicitur illa conditio. *num. 3.* Si autem legatum relinquatur ea conditione, vt si à Superiore auferatur Monacho, cesset, & ad alium transeat, si de facto auferatur, cessat legatum. *num.4.* Superior lagati vsum non potest irreuocabiliter Religioso concedere: benè promittere non reuocare. *num.5.* An Religiosis licitum sit habere peculium ex superioris licentia. *punct.7.*

Religiosis Societatis Iesu, interdictum est pro Missis, concionibus, aliisque ministeriis stipendia, & eleemosynas in compensationem recipere. *tract.16. disput.3.punct.11.num.10.* Qualiter pro Religiosorum sustentatione, pro viatico, aliisque requisitis ad ministeria exercenda, eleemosyna recipi possit. *num.6. & seqq.* Religiosi professi absque Superioris licentia, nec licitè, nec validè testari possunt. *punct. 22. num. 1.* Coadiutores formari in Societate incapaces sunt testandi. *num. 4.* Secùs Eremitæ Oblati, & qui lato vocabulo Religiosi nuncupantur. *num.5.* Qui Religiosi professi in Ordinibus militaribus incapaces sint testandi. *num.6.* Religiosi Equites D. Ioannis capaces sunt testandi. *num.8.* Religiosi Clerici horum Ordinum, si intra clausura commorentur, incapaces sunt testandi, secùs, si extra clausura commorentur. *num.9.* Omnes Religiosi ex facultate superioris testati possunt. *num.10. & seqq.* Qualiter Religiosis professis habentibus descendentes, vel ascendentes legitimos, licitum sit testari; & bona inter eos diuidere. *punct.13.* An patre professo debeatur statim filiis legitima *punct.14.* An Religiosus validè contrahat absque Superioris facultate, obligetúrque ipse & cum eo contrahentes, stare contractui. *punct.15.* An Religiosus teneatur soluere mutuum malè consumptum, & ex quibus bonis. *punct.16.num.7.* An si Religiosus ex vna Religione ad aliam transeat, possit secum deferre bona acquisita durante professione prioris Religionis. *punct.17.§ 1.* An bona, quæ tecum Religioni detulisti, possis deferre Religioni posteriori assumptæ. §. 2.

In Religiosi acquisitione spectanda est Religionis consuetudo. *tract.16. disput.3.punct.19. num.1.* Reclusus ad pœnitentiam in aliena Religione, seu Monasterio; non ei sed proprio acquirit. *num. 2.* Fugitiuus suæ Religioni acquirit. Quid, si aliam ingrediatur. *nu.3.* Fugitiuus factus Episcopus absque dispensatione suæ Ecclesiæ, acquirit ex Episcopatu, secùs ex alio titulo. *num.4.* Iectus cui acquirat. *num.5. & seqq.* Dominum bonorum, quæ acquisita sunt post assumptionem Episcopatus, vel beneficij, cedunt Ecclesiæ *num.10.* Religiosus Episcopus suæ Ecclesiæ acquirit, siue arte, siue successione. *num.25.* De Religioso beneficiario cui acquirat. *numero 25. & 16.* Quid dicendum de Religioso promoto ad Prioratum amouibiliter. *num.17.* An Religiosus translatus ex vno Episcopatu, vel beneficio ad aliud possit secum deferre fructus collectos qui superfuerunt ex priori beneficio. *num. 18. & seqq.*

An Religiosis interdicta sit habitus suæ Religionis dimissio, & sub qua pœna. *tract.16.disput.4.punct.6.* Qualiter interdicatur Religiosis viris è suo Monasterio egressus. *punct.8.*

Qualiter officium Iudicis, & assessoris interdicatur Religiosis, *tract.16.disput.4.punct.12.§.1.* Qualiter Religioso prohibitum est esse actorem, vel reum in iudicio. §.2. Qua ratione Religioso prohibeatur officium Aduocati, procuratoris, tabellionis, & testis. §.3. An supradicta officia Iudicis, actoris, rei, Aduocati, procuratoris, tabellionis, & testis, pro quorum licito vsu licentia Superioris requiritur, nulla sint, & irrita, si absque ea licentia fiant. §.4.

Religiosus professus à Religione expelli potest. *tractat.16. disp.4. punct.19. num. 2.* Quæ sit legitima causa, ob quam possis à Religione expelli. *num.5.* Quæ sint grauia delicta, ob quæ expelli à Religione possis, arbitrio Superioris relinquitur. *num.8.* An tacens impedimentum, quo cognito in Religionem non admitteretis, sufficientem causam expulsioni præstes. *num.9.* In Superiore expellente potestas requiritur, qualem solus Generalis ex speciali priuilegio, & ex eius commissione prouincialis habet. *num.10.* Delictum, quod

expul

expulſionem meretur, plenè probandum eſt iuxta formam iudiciariam vniuſcuiuſque Religionis. *num.*11. In Societate Ieſu minor cauſa requiritur, vt Religioſus profeſſus expellatur, quàm in aliis Religionibus. *tract.*16. *diſp.*4. *punct.*20. *num.*2. An Religioſi Societatis non profeſſi expelli poſſint, nulla cauſa intercedente. *num.*3.4. *& ſeqq.* Enumerantur cauſæ, ob quas Societas non profeſſos dimittere poſſit. *n.*7. *&* 8. An Religioſus expulſus teneatur ad Religionem redire, reditúmque procurare. *punct.*21. An electus à Religione, ſi in ea non recipiaris, teneatis, vel poſſis aliam Religionem ingredi, vel compelli poſſis ad illius ingreſſum. *punct.*22. An religioſus expulſus, cui non permittitur realitas ad propriam Religionem, teneatur ad obſeruantias regulares. *punct.*23.

Religioſus factus Epiſcopus voto obedientiæ, ſicut caſtitatis, & paupertatis, aſtrictus manet; ſed ſoli Summo Pontifici obedire tenetur. *tract.*16. *diſp.*4. *punct.*24. *num.*1. An aliis votis, quæ in diuerſis Religionibus emittitur, obligetur. *num.* 4. *& ſeqq.* Epiſcopus obligatus eſt habitum ſuæ Religionis deferre. *num.*10. Sed, ſi eam relinquat, & ſæcularem induat, excommunicationem non incurrit, *num.*11. Epiſcopus, retento colore habitus ſuæ Religionis, poteſt ſe conformare cum Epiſcopis ſæcularibus in forma, ſeu figura illius. *num.* 12. Epiſcopus nullo tenetur Regulæ præcepto. *num.*13. Superiùs dicta etiam procedunt in Epiſcopo titulari non habente ſubdito. *num.*20. Epiſcopus, qui Epiſcopatui renunciauit, aut illo priuatus eſt, non reincidit in regularium Prælatorum ſubiectionem: ſecùs, ſi degradaretur. *num.*21. Supradicta exemptio Epiſcopos competit à tempore electionis per Pontificem confirmatæ. *num.*22. Quid de Religioſis electis in Cardinales. *num.*25. Quid de Religioſis Abbatibus, aliâmve dignitatem habentibus, propriam diœceſim habentem, nemini alteri ſubiectam. *num.*26. Qualiter Religioſus promotus ad parochialem Eccleſiam votis Religionis, & illius obſeruantiis teneatur. *punct.*25.

Expenduntur præcepta, quibus omnes Religioſi Societatis aſtringuntur. *tract.* 16. *diſp.*5. *punct.*9.

Renunciatio, ſeu reſignatio beneficiorum.

Ad validam, licitâmque renunciationem requiritur conſenſus Superioris eam acceptantis. *tract.*17. *diſp.*3. *punct.*17. *num.* 1. De quibus beneficiis hæc doctrina procedat. *num.*2. Nullus, præter Pontificem, admittere poteſt reſignationes beneficiorum ſub conditione. *num.*3. Hæc renunciatio in manibus Ordinarij ſimoniam continet. *num.*4. Relicta illa conditione Ordinarius beneficium libere conferre non poteſt. *num.*6. Poteſt reſignans ob crimen commiſſum, beneficio ab Ordinario priuari. *num.*7. Reſignatio liberè facta admitti poteſt ab Ordinario. *num.*8. Reſignationes reciprocæ non habent locum coram Ordinariis. *num.*11. Poteſt Ordinarius admittere reſignationes beneficiorum factas cum reſeruatione penſionis. *num.*13. Non poteſt ex alio conſenſu præter Pontificis reſignans obligare reſignatarium ad aliqua onera ſubeunda. *num.* 14. Simonia eſt, ſi reſignans petat à reſignatario ſolutionem expenſarum, quas fecit in tali beneficio acquirendo, niſi Pontifex conſentiat. *num.*15, Quæ reſignatio confidentialis ſimonia ſit. *punct.*18.

Sacrilegium.

Eius definitio. *tract.*17. *diſp.*2. *punct.*3. §.1. *num.*1. Sacrilegium fit per actionem inuoluntariam eius, in cuius cultum res ſacra dicata eſt: & ibi an ſimonia ſacrilegium ſit. *num.*3. Triplex eſt ſacrilegium circa perſonas ſacras, circa locum ſacrum, circa res ſactas. *num.*4. Sub eis variæ ſpecies continentur. *num.*5. Qualiter læſio perſonæ ſacræ ſacrilegium ſit. § 2. *num.*1. Multipliciter perſona ſacra lædi poteſt, & an omnes hæ læſiones ſacrilegia ſint. *num.*2. Qualiter violatio loci ſacri ſacrilegium conſtituat. *num.*3. Sacrilegium eſt itreuerentia Sacramentis facta: & quid de facta Euchariſtiæ, an diſtinguatur ab itreuerentia Deo in ſua perſona facta. *num.*4. Irreuerentia in Sacrificio facta grauioris malitiæ eſt, quàm ſacrilegium. *num.*5. Vaſa ſacra, imagines Dei, & Sanctorum Reliquias profanare, ſacrilegium eſt. *num.*6. Profanatio ſacrorum verborum eſt ſacrilegium. *num.*7. Item, & ornamentorum Eccleſiæ, & Miniſtrorum. *num.*8. Alienare bona Eccleſiæ abſque debita ſolemnitate, ſacrilegium eſt. *num.*9. Quid dicendum de retentione decimarum, & legatorum. *num.*10. Quale peccatum ſacrilegium ſit. §.3. Quæ pœnæ ſacrilegis ſint impoſitæ, vel imponendæ. §.4.

Salutatores.

Quid de his dicendum ſit. *tract.*17. *diſp.*1. *punct.*10. *num.* 13. *&* 14. Explicantur aliqui caſus, & ex quibus licitus, vel illicitus horum ſalutatorum vſus colligi poſſit. *num.*15. An virtus reſidens in ſalutatoribus licitè operantis naturalis ſit, vel diuinitùs infuſa. *num.*16.

Sepultura.

Prælatus Religionis ſupremus eligere poteſt ſepulturam, inferior autem, dum Superior non contradicit. *tract.*16. *diſp.* 4. *punct.*13. §.8. *num.*1. Prælatus eligere ſuis ſubditis ſepulturam poteſt. *num.*2. Subditus non poteſt ſibi eligere ſepulturam. *num.*3. Sed, ſi Superior permittat, electio valet. *num.* 5. Sepultura caſu, quo tam licet eligere, cuius expenſis facienda ſit. *num.*6. Si Religioſus in loco remoto decedat, ſepultura non electa, in parochiali, ſub qua deceſſit, ſepeliendus eſt. Quid, ſi eo in loco Monaſterium ſui Ordinis adſit. *numer.*7.

Simoniæ.

A quo nomen, ſimonia, dicatur. *tract.* 17. *diſp.*3. *punct.*1, *num.*1. Simoniæ definitio expenditur. *num.*2. Religioni aduerſatur. *num.*... Qua ratione à ſacrilegio diſtinguatur. *num.*4. In qua ſimonia iniuſtitia committatur. *num.*6. Simonia ita eſt execranda, vt in ea leuitas materiæ concedenda non ſit. *num.* 7. Quotuplex ſit ſimonia. *punct.*2. Quæ habeant rationem pretij ad conſtituendam ſimoniam *punct.*2. De contractu emptionis, & venditionis requiſito ad ſimoniam. *punct.*4. Sitne aliqua donatio gratuita, vel oneroſa temporalis pro ſpirituali iure Eccleſiaſtico prohibita ſub ſpecie ſimoniæ. *punct.*5. Quæ voluntas requiratur: & ſufficiens ſit, ad ſimoniam. *punct.*6. An Sacramenti venditio excuſari poſſit à ſimonia. *pun.*7. Qua ratione ſacramentalium venditio ſimoniam contineat, *punct.*8. Vtrum exercitium cuiuſuis virtutis vendi poſſit abſque ſimonia. *punct.*9. An vendi poſſit exercitium cuiuſvis ſcientiæ abſque ſimonia. *punct.*10. An valor repertus in operibus ſpiritualibus, & obligatio ad illa, pretio compenſari poſſit abſque ſimonia. *pun.*11.

Pro nullo exercitio Ordinis, & poteſtatis ſpiritualis poteſt pretium recipi. *tract.*17. *diſput.*3. *punct.* 12. *numero primo* Sacerdos abſoluens indignum pro pecunia, ſimoniam committit. *numero ſecundo*, Sacerdoti iniuſtè nolenti abſoluere à peccato, vel cenſuris, poteſt pecunia dari, vt à prana voluntate deſiſtat, non in pretium abſolutionis. *num.*3. Idem eſt dicendum de diſpenſatione obſeruationis feſtorum. *num.*4. Qualiter Parochus pro aſſiſtentia in matrimonio poſſit pecuniam recipere. *num.*5. Pretio conſtitui non poteſt Iudex Eccleſiaſticus, ſiue ordinarius, ſiue delegatus. *num.*6. Pro diſpenſatione in votis, iuramentis, impedimentis matrimonij, aliiſque legibus Eccleſiaſticis, non poteſt pecunia conceſſa recipi abſque ſimonia. *punct.* 10. Ordinarij, aliique Officiales exequentes diſpenſationem à Sede Apoſtolica conceſſam, pro nullo labore in eius expeditione poſſunt pecuniam recipere. *num.*12. An pro teſtimonio dicendo pretium recipi poſſit. *num.* 15. Pro omiſſione pertinente ad poteſtatem ſpiritualem pretium recipi non poteſt. *num.*16. Negare abſolutionem à peccatis pro pecunia à tertia perſona recepta, ſimonia eſt. *numer.*17.

An beneficium Eccleſiaſticum vendi poſſit abſque ſimonia. *tr.*17. *diſp.*3. *pun.*13. An ius patronatus, & officia Eccleſiaſtica vendi, alienarique poſſint abſque ſimonia *pun.*14. Quæ permutatio in cauſis ſpiritualibus fieri abſque ſimonia. *punct.*25. Poſsitne ex conſenſu Ordinarij in permutatione beneficiorum compenſari fructuum inæqualitas pecunia vel penſione abſque ſimonia. *punct.* 16. Quæ renunciatio beneficij ſit ſimonia. *punct.* 17. Quæ reſignatio confidentialis ſimonia ſit. *punct.* 18.

Ceſſio beneficij litigioſi ob pecuniam, eſt ſimonia. *tract.*17. *diſp.*3. *punct.*19. *num.*1. Authoritate Prælati licita eſt conuentio, & pactio oneroſa: & cuius Prælati debeat eſſe. *num.*2. Poteſt fieri compoſitio inter partes authoritate Ordinarij, cùm Ordinarius vni applicat beneficium ſub onere ſoluendi alteri penſionem. *num.*3. Hæc penſio ſolùm pro vita penſionarij durat. *num.*5. An impediatur hæc penſionis impoſitio, ſi inter partes præceſſit conuentio. *num.*6. An collitigantes poſſint eligere arbitros, vt litem decidant penſione impoſita, vel alio onere temporali. *num.*7.

Si in beneficio ius acquiſitum habeas, redimere vexationem potes. *tract.*17. *diſp.*3. *punct.*20. *num.*1. Secùs, ſi cum aliis prætendas beneficium, & pecuniam offeras vt deſiſtat, vel ne tibi exceptionem opponat. *n.* 2. Si beneficium nondum acquiſiſti, potes, ſi iniuſtè impediatis ab illius conſecutione, redimere vexationem à quocumque inferatur. *num.*4. An poſſis pecunia vexationem precibus, vel muneribus Electorio factam redimere. *num.*5.6. *&* 7. Potes pecunia mouere Electores, vt digniſſimum eligant, caſu, quo ſint inclinat indignum, vel minùs dignum eligere. *num.*8. *&* 9. Quid in aliis materiis ſentiendum eſt. *num.*10.

Quæ ſint pœnæ inferendæ, vel ipſo iure impoſitæ ſimonia-

ris. *tract.17. disp.3. punct.21.* An requiratur, simoniam esse completam, vt pœnas impositas ipso iure simoniacus contrahat. *punct.22.* Quæ pœnæ sint impositæ ingredientibus simoniacè Religionem vel ingressos sic recipientibus. *punct.23.* Quæ pœnæ imponantur pro Ordine simoniacè dato, & suscepto. *punct.24.* De pœnis impositis dantibus, & recipientibus simoniacè beneficium. *punct.25.* An acquisita per simoniam debeant restitui. *punct.26.* Quomodo simoniæ crimen probari possit, vt simoniaci puniantur, & condemnentur. *punct.27.* De potestate dispensandi cum simoniacis. *punct.28.* Vide, *Dispensatio*, in fine.

Sortes.

Aliæ sunt diuisoriæ, illæ consultoriæ. *tract.17. disput.1. punct.6. numer.1.* Sortes diuisoriæ licent, excepto casu electionis Ecclesiasticæ. *num.2.* Enumerantur plures casus, qui dirimi possunt sortibus. *num.3.* Aliquando per accidens sunt hæ sortes diuisoriæ illicitæ. *num.4.* Qua ratione in electionibus Ecclesiasticis hæ sortes prohibitæ sint; an, inquam, ex iure positiuo tantùm, an naturali. *num.5.* Quid, si duo æqualibus suffragiis eligantur, an hæc electio sortibus terminari possit. *num.6.* Qua ratione lis beneficialis sortibus dirimi possit. *num.7.* Non est prohibita electio sortibus facta ad officia ciuilia, vel sæcularia. *num.8.* Electio ad officia Ecclesiastica per sortes, an sit inualida. *num.9.* Sortes consultoriæ licitæ sunt, si debito modo fiant. *num.10. & seqq.* Sortes diuinatoriæ semper sunt illicitæ. *num.11.* In his sortibus diuinatoriis plura solent crimina misceri. *num.12.*

Quæ sint pœnæ sortilegiis; diuinatoribus, & maleficis impositæ, & quæ illorum obligatio. *tractat. 16. disputat.1. punct.13.*

Status religiosus.

Eius definitio. *tract.16. disput.1. punct.1. num.1.* Qualitet sit status perfectionis adipiscendæ. *num.2.* Vota huius status debent esse perfectæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ. *num.3.* Sed non debet esse omnimoda. *num.4.* Sufficiántne ad hunc statum vota simplicia. *num.5.* In quo solemnitas voti consistat. *num.6.* Vltra vota ad statum religiosum requiritur traditio. *num.7.* Approbatio Pontificis non erat necessaria, si natiuam huius status conditionem spectemus: secùs prout modò statutus est. *numer.8.* Vnde originem traxerit hic status. *numer.9.* Quotuplex sit status religiosus. *punct.2.*

Superstitio.

Vnde deriuetur. *tract.17. disp.1. punct.1. num.1.* Eius definitio. *num.2.* Falsus cultus dupliciter contingit. *num.3.* Versari potest circa Deum, & circa creaturas. *num.4.* Superstitio per se graue peccatum est: aliquando contingere potest esse veniale. *num.5.* An ieiunare die Dominica peccatum sit *num.6.* Quid, cùm voues in honorem alicuius Sancti ieiunare, cuius vigilia incidit in Dominicam. *num.7.* Superstitio procedens ex pacto expresso cum Dæmone, plures malitias habet. *dicto tract. & disp. punct.13. num.13.*

Ex astris euentus ex libera hominis voluntate pendentes, vel occultos effectus prænunciare, superstitio est. *tra .17. disput.1. punct.4. num.4.* Etiamsi non certò, sed probabiliter prænuncientur. *num.5.* Secùs verò si solùm coniecturaliter. *num.6.*

Effectu bono esto malè comparato, si à Dæmone in conseruari non pendet, vti poteris absque vllaſ superstitione: secùs si à Dæmone pendet. *tract.17. disp.1. punct.11. num.1.* Vide *Maleficium.*

Assumere vana ad proximorum nocumentum, superstitio magica est omnibus detestabilior. *tract.17. disp.1, punct.10. num.18.* Aliquos dies felices reputare, alios infelices, superstitiosum est. *tract.17. disp.1. punct.7. num.6.* Petere à Dæmone, quæ ipse præstare naturaliter potest, non est propriè superstitio, esto sit grauissimum peccatum. *punct.9. num.1.* Vide, *Magia.*

Tentatio Dei.

Duplex est. *tract. 16. disp. 2. punct.1. num.1.* Definitur probationis tentatio. *num.2.* Si miraculoso effectu velis, vt Deus suam voluntatem, & beneplacitum manifestat de aliqun futuro euentu tentatio est. *num.3.* Probatio per media indebita alicuius perfectionis, mala est, & religioni opposita. *num.4.* An petere à Deo, vt suam omnipotentiam, vel scientiam mediis indebitis alteri manifestet, si tentatio. *num.5.* Duplex est tentatio alia, cum infidelitate coniuncta, alia absque infidelitate, alia formalis, alia virtualis. *num.6.* Tentatio expressa à virtuali differt specie. *num.7.* Probatio interpretatiua Dei an peccatum veniale sit ex leuitate materiæ. *num.8. & 9.* Probatio ferri candentis, & aquæ feruentis in veritatis testimonium prohibita est. *num.10.* Nemini est licitum absque speciali reuelatione offerre miraculum in testimonium veritatis. *num.12.* Qua ratione se offerre martyrio temerariè, sit tentatio Dei. *num.13.* Quomodo dicatur Dei tentator, qui absque vlla præparatione ad orandum accedit. *num.14.* Quid de eo, qui nulla præparatione, aut studio officium Prædicatoris assumit. *num.15.*

Testamentum.

Susceptio, executióque testamenti absque licentia Superioris est Religioso interdicta. *tractat. disp.4. punct.13. §.1. num 1.* Coram Ordinario tenetur Religiosus testamentarius testamenti rationem reddere. *num.7.* Acceptatio, & executio testamenti sine superioris licentia valet. *num.8.* Limitatio apponitur. *num.9.* Officium Commissarij sine licentia Prælati, potest Religiosus exercere. *num.10.* Idem de electione executorum. *num.11.* Idem delectione pauperum. *num.12.* Religiosus testamentarius potest bona in pauperes distribuenda sibi applicare. *num.15.* Executio testamenti Religiosis minoribus est omnino interdicta. *numer.6.* Possunt esse Commissarij ex voluntate testatoris, & pauperum electores. *numer.8.*

Transitus.

An ex Religione minùs perfecta liceat ad perfectionem transire, esto laxior sit quoad corporis afflictiones. *tract.16. disp.4. punct.26. §.2.* Vt transitus licitus sit, triplex conditio expostulatur. §. 3. *num.1.* Quid, si Prælatus contradicat. *num.2.* Quid, si licentiam suspendat, quousque examinet, an seruentur qualitates requisitæ. *num. 3.* qualiter strictior religio te recipere potest. *num.4.* Licentiam transeundi tibi concedere potest non solùm Generalis, & Prouincialis; sed etiam immediatus Prælatus Conuentus. *num.5.* Quid, si in ea Religione hæc causa Prouinciali, vel Generali reseruetur. *num.6.* An defectus supradictarum conditionum reddat professionem in strictiori religione nullam. §.4.

Pontifex nec licitè, nec validè potest concedere transitum absque causa ad Religionem minùs perfectam. *tract.16. disp. 4. punct. 25. §.5. num.1.* Prælatus regularis potest, stante causa legitima, facultatem tibi concedere transeundi ad Religionem æquè strictam; idémque est de Religione minùs stricta. *num.3.* Quæ sit causa legitima, arbitrio prudentis diiudicandum est. *num. 6.* quis Prælatus hunc transitum, causa iusta intercedente, concedere possit; *num.7.* An ad huiusmodi transitum consensus Conuentus necessarius sit. *num.8.* Transitus ex vno gradu ad alium in eadem Religione fieri potest. *num.11.* Hunc transitum facere potest immediatus Prælatus Conuentus, nisi Generali, vel Prouinciali reseruatus sit. *num.12.* quousque spectatis Religionum prouilegiis, liceat transitus ad Religionem strictiorem, æquè, vel minùs strictam. Et specialiter de Societate Iesu. § 6. Quæ prohibeantur Religioso etiam legitimè in aliam Religionem translatio. *punct.27.*

Venatio.

Religiosus interdicitur; sed secluso scandalo non est mortale. *tract.16. disp.4. punct.13. §.5. num.1.* Ad Religiosos laïcos prohitio extenditur. *num.2.*

Votum. Quid sit.

Apponuntur variæ significationes voti. *tract.15. disp.1. punct. 1. num.1.* Votum in significatione propria sumptum definitur. *num.2.* Quæ sit differentia inter votum, & promissionem homini factam. *num.3.* Ex actu intellectus, & voluntatis coalescit votum. *num.4.* An propositum, exequendi rem honestam in cultum Dei, sufficiat ad votum. *punct.2.* An promissio vera requiratur ad votum, vel sufficiat simulata. *punct.3.* Quæ deliberatio, seu libertas ad votum necessaria sit. *punct.4.* An metus impediat libertatem requisitam ad votum. *punct.5.* Qualiter error, vel ignorantia impediat voti libertatem, & consequenter eius valorem. *punct.6.* An votum soli Deo faciendum sit. *punct.7.*

Votum. Cuius sit.

Impossibilia promitti Deo non possunt. *tract. 15. disput.1. punct.8. §. 1. num.1.* An votum non peccandi sit impossibile. *num.2.* Votum non peccandi mortaliter validum est. *num.4.* Votum non peccandi, nec mortaliter, nec venialiter, inualidum est. *n.5.* An saltem obliget ad mortalia vitanda. *n.6. & seqq.* An votum rei, partim possibilis, partim impossibilis, obliget.

n.10.

*num.*10. Votum de vitando aliquo genere peccatorum venialium obligat, ſed non eſt conſulendum. *num.*11. Votum vitandi omnia venialia, quantùm in te eſt, non valet. *num.*12. Votum fatendi omnia venialia valet. *num.*13. Promittere Deo rem impoſſibilem, per ſe ſolùm eſt veniale, *num.*14. Qualiter votum debeat eſſe de re bona & honeſta. §. 2. Qualiter votum de re honeſta ob finem malum. vel indifferentem, validum ſit. §. 3. An votum poſſit eſſe de rebus præceptis. §. 4.

Votum debet eſſe de re meliori. *tract.*16. *diſput.*1. *punct.*8. §. 5. *num.*1. Vota conſiliis Euangelicis oppoſita nulla ſunt. *num.*2. Qualiter votum non vouendi validum eſſe poſſit. *num.* 3. Per ſe eſt validum votum non petendi diſpenſationem. *num.*4. Ex voto non petendi diſpenſationem non manes obligatus commutationem, vel irritationem non petere. *num.*5. Quid de voto non aſcendendi ad Epiſcopatum. *num.*6. *& ſeqq.* Votum abſtinendi à cibis delicatis, à recreatione honeſta, regulariter valet. *num.*10. Valet votum inſeruiendi perpetuò in Xenodochio. *num.*21. Quid de voto matrimonium contrahendi. *num.*12. *& ſeqq.* Quid de hoc voto : Promitto non recitaturum, niſi flexis genibus ; non dare elemoſynam, niſi huic pauperi. *num.*16. Si negatio excludit materiam voto ineptam, validum eſt. *num.* 17. Vtrùm emiſſio voti, illiúſque executio ſit actus à Religionis virtute elicitus. *punct.*9. Quotuplex votum ſit. *punct.* 10. Quæ & qualis ſit voti obligatio. *punct.* 11.

Votum. Qualiter obliget.

Votum ſemper obligat iuxta intentionem vouentis. *tract.* 15. *diſp.*1. *punct.*12. *num.*1. Votum benignè, quoad fieri poſſit, interpretari debet. *num.*4. Vouens recitare Roſarium, obligatur ad tertiam illius partem. *num.*5. Qualiter intelligatur votum audiendi ſingulis diebus Sacrum. *num.*6. Quid de voto virginitatis ſeruandæ. *num.*7. Vouens Religionem, non obligatur ex vi illius ad caſtitatem. *num.*8. Vouens peregrinationem, ſatisfacit peregrinatione equeſtri. *num.*9. *&* 10. Qualiter obliget ieiunij votum. *num.*11. *& ſeqq.* Quid dicendum de voto abſtinendi à carnibus. *num.*20. Quid de abſtinendo à vino. *num.*21. Votum de ſe perpetuum eſt, eſto videantur verba indeterminationem ſignificare. *num.*22. Ob indeterminationem rei promiſſæ votum non vitiatur *num.*23. & 24. Qualiter obliget votum de re indeterminata quod indiuiduationem, verbi gratia, calicem vnum ex pluribus, quos habes, *num.*15. An ſi vnus ex pluribus, qui fuerunt ſub diſiunctione promiſſi, ſolus remanear, debeas integrè illum ſoluere. *num.*26. Sed quid, ſi rem determinatam promiſeris ? dubitas tamen cui ex duabus Eccleſiis, vel pauperibus. *num.*27. Qualiter obliget votum duplicis rei ſub diſiunctione promiſſæ. *n.* 28. Pro quo tempore votum obliget ad ſui executionem. *pun.* 13. An votum non impletum tempore deſignato deſinat obligare *punct.*14. Vtrùm obligatio voti ita perſonalis ſit, vt ſolum vouentem aſtringat, ab ipsóque ſolo impleri poſſit. *punct.*15.

Votum. Qualiter extinguatur eius obligatio.

Voti perſonalis obligatio num perſona extinguitur. *tract.*15. *diſp.*2. *punct.*16. *num.*1. Obligatio exequendi votum reale tranſit ad hæredem, ſiue voluntarium, ſiue neceſſarium. *num.* 2. *& ſeqq.* Quid, ſi Religioſus vellet vota realia profeſsione non extingui. *num.*8. Per vota biennij Societati. Iesv non extinguuntur vota anteà facta, ſed ſuſpenduntur. *num.*9. Poſt debita iuſtitiæ, & ante legata pia debet hæres vota ſoluere. *num.* 10. Cùm ſunt plura vota, neque hæreditas ſufficit ad omnia, votum de re meliori, & quo priùs conſtiterit emiſſum eſſe, eſt adimplendum. *num.*11. *&* 12. Quando multi ſunt hæredes, nemo tenetur in ſolidum. *num.* 13. Donatarius non tenetur vota donantis exequi. *num.* 14. Quid dicendum de legatario. *num.*15. Si votum ſub conditione de futuro contingenti honeſta emiſſum ſit, ſuſpenditur eius obligatio vſque ad euentum conditionis. *punct.* 17. *num.* 2. *& ſeqq.* An vouens impedire poſsit conditionis euentum. *num.* 6. *&* 7. An ſit contra votum Religionis ſub beneplacito patris procurare, ne pater conſentiat. *num.*8. Quid de veſcente cibis noxiis, ne obligetur voto facto aſſumendi Religionem, ſi ſanitatem recuperauerit. *num.*9. Quid de voto aſſumendi Religionem, ſi te Deus à peccato præſeruauerit. *num.*20. Culpabiliter impediens conditionem, an teneatur voto, ſicut de facto conditio euenisſet. *num.* 11. & 12. Qualiter votum pœnale obligationem inducat. *punct.*8.

Votum. Qui poſſint voto obſtringi.

Omnes homines ratione vtentes voto obſtringi poſſunt niſi impediantur. *tract.*15. *diſp.*1. *punct* 19. *num.*1. Eccleſia habet poteſtatem inhabilitandi aliquos ad votum. *num.*2. Votum de materia præcepta validum eſt, à quocunque ſubdito emittatur. *numero* 5. Votum de materia interdicta nullum eſt. *numero* 6. Votum de re honeſta, ſolùm prohibita quoad modum valet, *num.* 7. Qualiter obliget Religioſi votum de aliqua eleemoſyna præſtanda. *num.*10. Quid de voto vxoris, filijfamilias, & ſerui. *num.* 11. Qualiter obliget Votum Epiſcopi de Religione aſſumenda, & peregrinatione præſtanda *num.* 12. Quid de Parocho. *num.*13. Quid de aliis Clericis. *n.*4. Si prohibitus ſis vouere votum tenes, ſi ſit de materia apta. *n.*15. Vtrum obligatio voti ceſſat, ceſſante cauſa, ob quam factum eſt, vel notabili mutatione ſuperueniente. *pun.*20. Quale peccatum ſit obligationem voti violare. *pun.*22.

Votum. Quæ ſint reſeruata.

Vota diminutæ caſtitatis non ſunt reſeruata *tract.*15. *diſput* 2. *punct.*11. *num.*1. Votum Religionis non approbatæ reſeruatum non eſt. *num.* 2. Votum peregrinationis Ieroſolymitanæ emiſſum ob alium finem, quam deuotionis, reſeruatum non eſt. *num.*3. Votùm caſtitatis, religionis, & peregrinationis emiſſum ſub aliqua circunſtantia accidentali, ea ex parte reſeruatum non eſt. *num.*4. Votum, in quod reſeruatum eſt commutatum, reſeruatum non eſt. *num.* 5. Votum diſtinctum de, materia reſeruata, & non reſeruata, reſeruatum non eſt. *num.*6. Votùm non petendi diſpenſationem reſeruatum non eſt. *n.*7.

Votum Religionis.

Votum Religionis aſſumendæ, quod non fuit emiſſum pro determinato tempore, differri poteſt ex rationabili cauſa. *tract.*16. *diſput.*1. *punct.*3. *num.*2. Qualiter obligeris voto manendi in Religione. *num.*3. & 4. Voto Religionis obligaris pro viribus Religionis ingreſſum procurare. *num.* 5. Si vouiſti Religionem abſolutè teneris in pluribus ſeriò, & inſtanter petere, & quas Religiones, & an extra prouinciam. *num.* 6. Si vouiſti determinatam, non potes ingredi laxiorem *num.*7. Niſi laxior Religio priuilegium habeat pontificium. *num.*8. Repulſus abſolutè à Religione, quam vouiſti, non teneris ingredi, eſto poſteà inuiteris. *num.*10. Teneris diſcere Grammaticam, ſit tempore voti ſciebas id eſſe neceſſarium ad voti executionem ; ſecùs ſi ignorabas. *num.* 14. Quid, ſi non admittaris, niſi officium mechanicum diſcas. *num.*15. Non teneris ingredi ad gradum laïcorum, aut Sacerdotum, provt Religione placuerit, *num.*36. Quid, ſi tibi denegentur altiora ſtudia, cùm ad illa aptus ſis. *num.*17. Qualiter votum Religionis aſſumendæ obliget ad perſeuerandum in habitu aſſumpto. *punct.*4. An votum Religionis impediat matrimonij, ſponſaliorúmque contractum. *punct.*5. An voto Religionis ſatisfacias, Epiſcopatu aſſumpto. *punct.*6.

Votum caſtitatis.

Votum caſtitatis ad quid obliget. *tract.*16. *diſput.*3. *punct.*1. *num.*1. Quod ſit peccatum, illius violatio. *num.* 2. An violatio voti ſolennis caſtitatis à violatione voti ſimplicis differat, ſitque circunſtantia explicanda in confeſſione. *num.*3. Votum paupertatis iure naturali nullo dominio pecuniæ priuat. *punct.* 2. *num.*1. Priuat tamen iure Eccleſiaſtico. *num.*2. Hoc intelligendum eſt de voto ſolemni, ſecùs de ſimplici. *num.* 3. Religioſi Societatis peccant retinendo bona, ſi à Superioribus præcipiantur renunciare. *num* 4. Item, peccant denuò acquirendo ſua voluntate. *num.*5. Item, expendendo abſque licentia. *num.*6. Sed an ſit diſpoſitio valida. *num.*7.

Votum paupertatis.

Quale peccatum ſit, violare votum religioſæ paupertatis, & quibus modis contingat. *tract.*16. *diſput.*3. *punct.*20. Qua, acceptione, & retentione, paupertatis votum violetur. *punct.*21. Qua diſtributione, & diſpenſatione pecuniæ, votum paupertatis violetur. *punct.*22. Licentia voluntaria Superioris excuſat ſubditum à paupertatis tranſgreſſione. *punct.*23. *num.*1. Debet eſſe licentia iuſta. *num.*2. Nulla eſt facultas ad vſus turpes vanos, & ſuperfluos conceſſa. *num.*4. Licentia ſufficit, ſi ſit tacita, vel præſumpta. *num.*6. Qualiter debita licentia ſufficere poſſit. *num.*10. Quis ſit Superior qui debet licentiam dare *num.* 11. Quæ ponæ impoſitæ ſint violantibus paupertatem. *pun.*24.

Votum obedientiæ.

Omnibus Superioribus ex voto obedientiæ parere Religioſus debet *tract.* 16. *diſp.*4. *pun.*2. *n.* 1. Qualiter Prælati præcipere debeant, vt teneantur ex voto obedientiæ ſubditi. *n.*7.

Ex voto nunquam potes obligari ad relinquendum ſtatum matrimonio aſſumpto *tract.*16. *diſput.*4. *punct.*3. *num.* 1. Neque etiam obligari potes, ex voto obedientiæ religioſæ communiter facto, Epiſcopatum acceptare, bene tamen ex alio *num.*2. Ad acceptandum beneficium ſæculare, vel alterius Ordinis obligari, non potes, benè tamen ad acceptandum beneficium tui Ordinis. *num.*3. Non potes obligari ad tranſitum alterius Religionis. *num.*4.

Index Rerum,

Vota Societatis Iesu.

Expenditur votum Religiosorum Societatis Iesu, ttibus substantialibus votis annexum, ingrediendi Societatem. *tract.* 16. *disp.*5. *punct.*1. Expenditur votum annexum Professis, & coadiutoribus spiritualibus, de speciali cura in puerorum eruditione. *punct.*2. Votum obediendi Summo Pontifici solemne est, & speciale Societati, *punct.*3. *num.*1. Explicatur huius voti materia, & necessitas. *num.*3. Explicatur voti vtilitas. *num.* 4. Qualiter votum possit esse solemne. *num.* 5. Quoties Summus Pontifex, vel Præpositus Generalis eius nomine præcipit missiones in nomine Iesu Christi, seu virtute obedientiæ; tenetur professus sub graui culpa obedire. *num.*6. Qualiter ex voto obligentur Professi trium, & quatuor votorum, ad paupertatem non relaxandam. *punct.* 4. Qualiter Professi Societatis ex voto obligentur intra societatem non ambire prælationem, *punct.*5. Qualiter ex voto obligentur Professi Societatis nullam prælationem, nec dignitatem extra Societatem prætendere, eamve acceptare, quin à Pontifice obligentur. *punct.*6. Qualiter Professi ex voto teneantur ambientes manifestare. *punct.*7. Quam obligationem Religiosus Societatis in Episcopum assumptus ex voto habeat audiendi Præpositi Generalis consilium illúdque sequendi. *punct.*8.

Voti relaxatio.

Vota relaxari possunt irritatione, commutatione & dispensatione. *tract.*16. *disput.*5. *punct.vlt. num.*2. Vota statui religioso annexa Pontifex commutare, & dispensare potest; non autem irritare. *num.*2. Vota substantialia castitatis, paupertatis, & obedientiæ, nullus præter Pontificem, relaxare potest. *num.*3. Pontifex in his votis dispensare potest. *num.*5.

Vsusfructus.

Bonorum Religiosi, de quibus ante professionem non disposuit, Monasterio acquiruntur, durante eius vita. *tractatu* 16. *disput.*3. *punct.*4. §.1. *num.*3. Apponitur limitatio. *num.*5. Vsus fructus paternus in bonis aduentitiis filij perit in Castella si filius ad nuptias transeat. *num.*7. Translato Religioso ad aliud Monasterium legitime, transit cum illo vsusfructus. *num.*8.

Zachorius.

Quid de iis dicendum sit. *tract.*17. *disput.*1. *punct.*4. *numero* 10.

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y ARCHIVO DE LA PROVINCIA DE TOLEDO

FINIS


2.468